SUB CRUCE DOMINI

376,162

COMMENTARIA

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICAE SEDIS

Tomus I.

COMMENTARIA

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICAE SEDIS

QUA

CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR

AUCTORE

IOSEPHO PENNACCHI

IN SEMINARIO ROMANO, ET IN COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE
HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORE

ALMA COLLEGE
348.762
LIBRARY
P381

Tomus I.

Complectens Excommunicationes Romano Pontifici speciali modo et simpliciter reservatas.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1906

5700

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.

Unicuique suum

Eiusmodi Tomus a 1 ad pag. 208 pertinet ad clarissimum omnique laude dignum Petrum Avanzini Romanum Presbyterum, Ephemeridum *Acta S. Sedis* Fundatorem, qui coeptum vix opus dereliquit, morte praeventus.

PRAEFATIO

Sanctissimus Dominus Noster per Constitutionem, quam iterum, ea ratione qua possum, sum expositurus, reipublicae christianae consuluit, ut planior et certa tum Sacrorum Antistitibus tum Confessariis redderetur via, ne vagari cogerentur per innumeros et difficiles censurarum, quae generatim inflictae sint, anfractus.

Quod quisque non solum diserte significatum declaratumque legit in ea Constitutione, sed aperte quoque colligit ex ipsa abscissione et abrogatione facta multarum censurarum. Namque harum rerum peritis perspectum est, quot auctores quantumque de censuris scripserint, quot per lapsum saeculorum latas collegerint vel allegaverint, manente nihilo secius legentium animo saepenumero in dubietate perplexo, utrum nec ne, sive per non usum, sive per cessationem finis ob quem inflictae essent, sive ob rerum supervenientium mutationem cessaverint.

Licet autem, ut dixi, via planior et certa per eiusmodi limitationes Confessariis praesertim, quoad substantiam, sit reddita, non tamen est putandum, simplicem hanc Constitutionem Peritorum commentariis interpretationibusque locum non dare. Hoc enim est proprium omnium legum, etiam sapientissimarum, ut quando de earum applicatione agitur, viam facile aperiant dubitationibus atque disquisitionibus pro casuum adiunctorumque varietate. Exemplo sint vetustissimae Romanae Leges, tum quae duodecim tabularum appellantur, tum ceterae quae sunt consecutae: hae enim licet pro veterum Romanorum more sapienter concinnarentur, nihilominus adeo Prudentum interpretationibus auctae fuerunt, ut Iustinianus Imperator,

suo tempore manum apponens ad Pandectas concinnandas per Tribonianum, scriptum reliquerit: *Maximum opus aggredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso* (Triboniano) *permisimus tam colligere, quam certo moderamini tradere. Sed cum omnio percontabamur a praefato viro excelso suggestum est, duo paene millia librorum esse conscripta et plus quam tricies centena millia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari, et ex his quod optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata.*

Plena huius Constitutionis explanatio magis pertinet ad rerum moralium peritos, qui iuxta recepta prudentiae moralis principia ad minima usque descendentes interpretentur: immo, rebus inspectis, de quibus Constitutio agit, quae novae non sunt, earum interpretatio maxima ex parte iam facta censeri debet, per ea quae de iisdem rebus iam tradiderunt Doctores probatique Auctores: nihilominus quum sit nova lex quoad formam, quaeque simul limitationes induxit, et nonnulla quoque de novo auxit, interpretationes et explanationes necessario admittit, quas frustra penes Auctores quaereres.

Nec praetereundum est, rem facilem haud esse, legem novam (quamquam novae non sint res de quibus Constitutio agit) explanare et interpretari; idque duplici praesertim de causa: 1° est, quod nova lex, ideo quia nova nullam determinationem per usum est assequuta: 2° quia facile potest contingere, ut interpretatio a privatis data, sit praeter vel contra mentem legislatoris, ex eo quod legislator non omnes praevidens casus in condenda lege, quibus intelligi a subditis potest, non omnibus casibus per latam legem prospexit, sicut prospexisset si praevidisset. Unde saepe contingit, ut post aliquam datam Constitutionem subsequantur novae authenticae declarationes, quae et usum determinant, et mentem legislatoris uberius explanant.

Eiusmodi authenticae interpretationes sunt duplicis generis: aliae sunt simplices interpretationes datae iuxta consueta interpretandi principia, quae non differunt a privati auctoris interpretationibus nisi ratione auctoritatis. Sive enim ex. gr. S. Alphonsus ita legem interpretetur, sive S. Poenitentiaria, res in se est eadem, propterea quod eadem sunt principia quorum ope lex explanatur: est tamen diversa auctoritas; ob quam diversitatem interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat; de interpretatione autem auctoritate facta non est quaerenda ratio. Quum autem eadem soleant esse interpretationis principia, iuxta eadem principia intelligi quoque debet authentica interpretatio.

Aliae praeterea sunt interpretationes seu explanationes authenticae, quae non tam legem interpretantur, quam mentem legislatoris, in lege non satis significatam, declarant: et ideo sunt interpretationes praeter legem, et habent rationem novae legis; quae quidem interpretationes, quamvis non sint facile optandae, sunt tamen apprime servandae: pertinent enim ad eandem legem, quae, quum iam debitis formis promulgata sit, neque ipsa nova indiget promulgatione ob eiusmodi extensivas interpretationes, neque eaedem interpretationes promulgari solent tamquam nova lex: sufficit enim cognoscere eas ex eadem auctoritate quae legem condidit prodiisse, ut vim obligandi habeant.

Dixi: interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat: id intelligendum est iuxta leges scientiae, non iuxta leges moralis prudentiae. Namque, iuxta moralis prudentiae leges, sententia privati auctoris, quin demonstretur, aut scientifice expendatur, potest identidem habere talem auctoritatem, ob rerum peritiam eiusdem auctoris quae sit cum probitate coniuncta, ut quisque, sententiae eiusdem auctoris acquiescens, prudenter agere dicendus sit. Qui autem prudenter agit bene recteque agit.

Haec agendi rectitudo ex eo oritur, quod ille, qui assentit auctori privato, rei de qua agit perito, habet rationabile motivum ei credendi, quod est eius perspecta peritia cum probitate coniuncta, et non habet rationabile motivum dubitandi, vel saltem non habet grave motivum aliter tenendi. Qui in hisce adiunctis privato auctori assentit, eiusque opinionibus ducitur, prudenter, ideoque recte agit.

Quod si ita non esset, plurimi semper in scrupulis versaremur in omnibus propemodum fluctuantes. Eiusmodi prudentiae leges sunt, quae non tantum res conscientiae dirigunt, sed propemodum totam socialem vitam: non enim possumus habere omnium rerum, quibus indigemus, plenam cognitionem vel certitudinem: cognitionis autem vel scientiae vel certitudinis carentiam prudentia suppleat necesse est.

Cessaret autem esse prudentia, statim ac opinio, quam sequebamur, demonstrata esset vel falsa vel improbabilis, quo in casu esset deserenda; multoque magis deserenda esset, si sententiis e supremis S. Sedis tribunalibus opponeretur.

Haec ob eam causam adnotavi, quia non desunt, qui semper vellent in suis dubitationibus authenticum ab auctoritate responsum; quasi vero prudentiae moralis leges cessassent, vel hae non essent satis ad recte agendum.

Sacra ipsa Poenitentiaria, quae est practicum S. Sedis tribunal,

quando proposita eidem dubia non censet sua auctoritate resolvere, petentes mittit ad prudentiae moralis leges, per responsum: *consulat probatos auctores*. Non enim semper expedit dubia quae proponantur auctoritate resolvere.

Neque sine causa Ecclesia in dioecesium constitutione voluit atque statuit in singulis dioecesibus Canonicum Poenitentiarium et Theologum, qui, tum ex scientia proprio studio acquisita, tum ex notitia auctorum, qui usu recepti in Ecclesia sint, quique ideo dicuntur *probati auctores*, tum ex consultatione virorum, qui in singulis dioecesibus scientia et prudentia praestent, duce Episcopo, valeant suas dare opiniones, quibus ceteri acquiescere prudenter possint.

In Constitutione exponenda hunc methodum sequar, ut quae brevi ratione dici possint sub singulis Articulis adnotem; quae vero maiorem exigant disquisitionem in Appendices ad calcem Constitutionis reiiciam. Distinguam constanter authentica documenta, a meis opinionibus, per commata initio linearum apponenda.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque

modo, quo inscrimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere (1).

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

» Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1.

» Omnes a christiana fide apostatas (2), et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae

(1) Videsis Appendicem I in principio.

(2) Quaeritur utrum hac censura cum suis omnibus effectibus illaqueati existant illi catholici, qui repulsa data catholicae fidei, se dicunt *Liberos Cogitatores*, nullam religionem profitentes.

Resp. Puto sub hac censura comprehendi.

Animadvertendum est, omnes qui a catholica fide pertinaciter recedunt, suo iudicio se damnare, et ipso facto ab Ecclesiae unitate segregatos esse, iuxta praeclaram illam theologicam dicendi rationem, quae legitur in Bulla dogmatica de Immaculato Virginis Conceptu his verbis: *Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat,* PRAESUMPSERINT CORDE SENTIRE, *ii noverint ac porrò sciant,* SE PROPRIO IUDICIO CONDEMNATOS NAUFRAGIUM CIRCA FIDEM PASSOS ESSE ET AB UNITATE ECCLESIAE DEFECISSE. Haec verba repetenda sunt iis omnibus, qui aliquem articulum fidei ab Ecclesia vel ab eius Capite propositum pertinaciter denegaverint, multoque magis qui plures fidei articulos vel etiam totam Revelationem aperte repr diaverint. *Videsis Appendicem II.*

Sed dubitatio aliqua moveri potest, utrum *Liberi Cogitatores* comprehendantur sub verbis huius censurae, ita ut subiiciantur omnibus huius censurae effectibus, puta, quod absolutio eis dari non possit sine speciali Romani Pontificis auctoritate; quod omnes eorum receptatores, fautores et defensores pari censura multentur, quod eorum libri haeresim propugnantes eo ipso sint sub eadem censura prohibiti, quod mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae eosdem, qui notorii fuerint, sint eo ipso excommunicati; quod subiiciantur ceteris poenis canonicis, quae per hanc Constitutionem non sunt abrogatae, quaeque antiquitus multae erant, easque recensent Canonistae sub titulo *de haereticis;* quamquam aliquae in desuetudinem certo abierunt.

In hoc itaque quaestio consistit, si quaestio appellari potest; dici namque posset, *Liberos Cogitatores* stricto sensu non appellari haereticos, quum non christiano nomine, quod repudiarunt, suos errores sustineant: et sub aliquo sensu fortasse non appellari apostatas, si nomine apostatarum intelligi velint, qui ad superstitionem sive Iudaeorum sive Mahometanorum sive Ethnicorum transierint. Ipsi enim sunt absolute increduli, qui omnem fidem religionemque pertinaciter repudiant.

Sed his obiectis facilis est responsio; comprehenduntur enim aperte sub verbis *Apostatas a christiana fide:* nihil enim ipsis deest cur non comprehendi dici possint, quum Christiani sint, saltem per susceptum bapti-

exsistant, eisque credentes (1), eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II.

» Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes (2).

smum, et a christiana fide penitus abscesserint, in quo proprie consistit Apostasia a christiana fide, quin necessarius sit terminus superstitionis ad quem accedant. *Videsis Appendicem I s. Haec Bulla.*

(1) Quaeritur in quo consistat discrimen inter haereticos et inter eorum credentes.

Ad intelligendum hoc discrimen recolenda est huius censurae historia. Innocentius III in Synodo Lateranensi IV excommunicavit omnes haereticorum sectas eius temporis, quae variis multisque nominibus appellabantur per haec verba: *condemnantes haereticos universos, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.* Atque praeter excommunicationem, multas canonicas poenas adiecit *cap. 13 de haereticis:* deinde, secundo veluti loco, subiunxit: *credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationi decernimus subiacere.* Hi constituebant secundam veluti classem, quum ad haereticorum sectas formaliter non pertinerent, puta, quia cooptati non erant in sectas haereticorum. Postea ad dubium exortum Gregorius IX in *cap. 15 de haereticis* respondit: *credentes autem eorum erroribus haereticos similiter iudicamus.* Id fuit repetitum a subsequentibus Romanis Pontificibus. Nihilominus quamvis et hi ut haeretici iudicarentur, non omnes tamen canonicas poenas subibant, ut illi, qui ad haereticas sectas formaliter pertinerent.

Credentes itaque sunt illi qui adhaereant damnatis haereticorum erroribus, quamquam ad sectas haereticorum formaliter non pertineant: possunt esse aut haeretici proprie dicti, aut non omnino haeretici, si actio externa credendi non sit coniuncta cum animi pertinacia in erroribus; quo in casu essent potius haereticorum sequaces quam haeretici, quo sensu hic accipiuntur. *Videsis Append. I.*

(2) Libri in prima parte huius Articuli sub censura prohibiti tres praeseferre debent conditiones, quarum prima, ut sint apostatarum vel haereticorum; altera vero haeresim contineant; tertia eandem haeresim propugnent: quaeritur, utrum libri eorum qui credant apostatis et haereticis de quibus sermo est in primo Articulo, vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent, sint sub hac censura comprehensi.

Respondeo: non videntur comprehendi: ratio est quia prohibentur libri eorum haeresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem, videlicet eorum, qui duces sunt apostatarum et haereticorum, vel qui ad eorum sectas formaliter pertineant.

Quaeritur, an libri apostatarum et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur, sub hac censura comprehendantur.

Resp. Non comprenduntur sub hac censura, quum requiratur haeresis propugnatio.

Quaeritur, an ephemerides seu diaria eorundem haeresim propugnantia sub ea censura sint prohibita.

Respondeo: non videntur sub ea censura prohibita; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.

Quoad secundam partem Articuli, quaeritur, utrum per verba *Apostolicas Litteras*, intelligantur Decreta Indicis librorum prohibitorum.

III.

» Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (1).

IV.

» Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit (2).

V.

» Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem (3).

Resp. Non intelliguntur Decreta Indicis: Apostolicae enim litterae sunt quae nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma Brevis sive in forma Bullae, vel alia quavis forma. Animadvertendum quoque est, libros, qui per litteras Apostolicas prohibentur, prohiberi solere propter haeresim. *Videsis quoque Appendicem III.*

(1) Praeter notos schismaticos, comprehenduntur sub hac censura etiam illi, qui *pertinaciter se subtrahunt vel recedunt:* quare 1° non comprehenduntur illi qui simpliciter non obediant, quum esse debeant pertinaciter rebelles ab obedientia: 2° non est tamen necessarium, ut sint rebelles ab auctoritate S. Sedis universim sumpta; sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia eius personae quae actu B. Petri Sedem legitime occupat.

Quaeritur: Comprehenduntur ne sub hac censura illi catholici liberales, ut aiunt, qui, repulsa data legibus et mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tamquam solutos ab eius obedientia, licet nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant vel nullam auctoritatem constituere conentur?

Puto comprehendi: quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia exsistentis Romani Pontificis. Conditio autem ut alicui auctoritati schismaticae adhaereant vel eam constituere conentur, ut schismatici faciunt, non requiritur, quum satis sit ab obedientia pertinax recessio.

(2) Habes exemplum in specie consideratum et extensione personarum auctum de pertinaci recessione ab obedientia R. Pontificis. *Videsis Appendicem I.*

(3) Quoniam exempla, quae ostendunt quomodo Constitutio aliqua fuerit executioni mandata, ad eius intellectionem maxime conferunt, ideo refero in Appendice IV Constitutionem Clementis X, quae incipit, *Cum sicut*, diei 5 Decembris 1672, de Patriarcha Antiocheno, qui Romae fuerat vulneratus. Haec Constitutio est applicatio huius Articuli ad factum: hic enim Articulus ipsis fere verbis exscriptus est ex Bulla Coenae ad quam appellavit Clemens X in dicta Constitutione *Cum sicut.*

VI.

» Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes (1).

(1) Quaeritur, an particula *et* sit copulativa, ita ut incisum *et ad hoc recurrentes* etc. sit alia necessaria conditio, quae concurrere debeat ut *Impedientes* hac censura innodati exsistant: vel potius particula *et* habeat vim disiunctivam, et significet *aut*.

Resp. Particula *et* habet vim disiunctivam, ita ut significet alteram classem eorum, qui pariter sub eadem censura sunt comprehensi.

Hoc ex eo evincitur, quod hic Articulus, quamquam aliquatenus immutatus et valde laconice scriptus, ita in Bulla Coenae erat expressus: « *Nec non* (excommunicamus) *qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque superiores et inferiores Praelatos et omnes alios quoscumque Iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe vel indirecte carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos et affines, aut alias, impediunt quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et Decreta Conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt;* AC ETIAM EOS, *qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et Decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias et alias Curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis et delegatis praedictis decerni et contra illos exsequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.* »

Ex quibus clare apparet, Articulum, de quo agimus, exprimere substantiam Articuli Bullae Coenae quamquam paucis verbis: ad substantiam Articuli Bullae Coenae pertinet distinctio quae fit inter eos, qui impediunt iurisdictionis ecclesiasticae exercitium, et eos, qui eludunt effectum eiusdem iurisdictionis per recursum ad laicum tribunal.

Praeterea idem evincitur ex ipso contextu Articuli Constitutionis *Apostolicae*, quum illi qui impediunt exercitium iurisdictionis, alii esse soleant et maioris potestatis, quam illi, qui recurrunt ad forum saeculare ad impediendum iurisdictionis effectum.

Item quaeritur, utrum sub verbo *edentes* intelligatur tertia classis eorum, qui sub hac censura comprehenduntur, quique alii sint a *procurantibus mandata*.

Resp. Affirmative. Intelligitur enim Iudex vel quisquis alius saecularis fori, qui mandata edant, quae impediant iurisdictionis ecclesiasticae exercitium: id ostenditur quoque ex expositis verbis Bullae Coenae, *qui haec decernunt*, quae verba respondent verbo *edentes*.

Quaestio praeterea erat inter interpretes Bullae Coenae, utrum ad incurrendam eiusmodi censuram satis esset recurrere ad Curias saeculares, etiamsi a Iudice laico nihil obtineretur, vel opus esset, ut mandatum seu prohibitio contra Iudices ecclesiasticos obtineretur, et etiam exsecutioni mandaretur. Prima sententia recepta fuerat a Sacris Congregationibus, quarum praxis haec est, ut quoties in causis iudicandis noscant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad laica tribunalia, indicere soleant eiusmodi recurrenti: *consulat conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal.* Ceterum hodie haec quaestio moveri amplius non potest, quum in Articulo Constitutionis non alia verba reperiantur, quam, *recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes.*

VII.

» Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (1): item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae (2).

(1) Quaeritur, utrum iudices laici, qui ex officio imposito per leges sive Regni sive Imperii, quae sunt contra ecclesiasticas sanctiones (ut in praesenti societatis civilis ordine usuvenit), ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahant, ut dicto suo officio fungatur, in eiusmodi censuram incurrant.

Huic quaesito vix respondere audeo. Dicam tamen, in Articulo Bullae Coenae eiusmodi formulam fuisse ita expressam: excommunicamus eos « *qui* EX EORUM PRAETENSO OFFICIO, *vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte quovis quaesito colore.*» Comparatione facta inter utriusque Articulum, apparet, Articulum Bullae Coenae fuisse valde coercitum, habita certe ratione conditionis praesentis societatis. Revera, qui iudicis officio funguntur, identidem sine gravi iactura abstinere non possunt a declinandis eiusmodi legibus Regni contra immunitatem ecclesiasticam latis; ideoque multo magis rei sunt, qui, haec noscentes, aliqua ratione cogant Iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, quam Iudices, qui ex praetenso officio eos trahere cogantur. Ceterum heic agitur de poena excommunicationis, quae potest deesse, quamvis actio sit et maneat illicita. Iudices autem laici, qui sciant, se non posse iudicare Clericos (hi enim exempti sunt a potestate laica ob ecclesiasticam immunitatem, quae a iure divino derivat, eamque Tridentina Synodus *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* dixit), suae conscientiae consulerent, si facultates ab Apostolica Sede ad iudicandas personas ecclesiasticas obtinerent.

Per verba, *praeter canonicas dispositiones*, alluditur ad Concordata Regni vel Imperii cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant: et sub iisdem verbis alluditur quoque ad casum, quo aliqua persona ecclesiastica rite degradata fuerit, et laico iudici punienda tradita: item ad ceteros casus: quando ex. gr. persona ecclesiastica trahat in iudicium laicas personas: namque persona ecclesiastica sistere se potest in laico iudicio in causa non ecclesiastica, *tamquam actor;* sed ipsa trahi non potest *tamquam reus.* De hac re copiose scribunt Canonistae.

(2) Haec secunda Articuli pars comprehendit leges *de Regio placito, de Regio exequatur* aliaque vincula quocumque appellentur nomine; nec non Decreta omnia, quae libertatem Ecclesiae laedant vel iura ecclesiarum. Hic Articulus sic erat expressus in Bulla Coenae « *Nec non* (excommunicamus) *qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia Decreta, in genere vel in specie, ex quovis causa et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint et ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint,* UNDE LIBERTAS ECCLESIASTICA TOLLITUR, *seu* IN ALIQUO LAEDITUR, *vel* DEPRIMITUR, *aut alias* QUOVIS MODO RESTRINGITUR, *seu nostris et dictae Sedis ac quorumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet* DIRECTE VEL INDIRECTE TACITE VEL EXPRESSE PRAEIUDICATUR.»

Articulus Bullae clare explicat verba Constitutionis; notandum tamen est, sub Articulo Constitutionis, comprehendi tantum *edentes*, et non ceteros; idest comprehenduntur auctores Legum et Decretorum.

VIII.

» Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes (1).

IX.

» Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X.

» Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (2).

(1) Hic Articulus triplex personarum genus complectitur: 1° *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Sedis Apostolicae Legatis ac Delegatis quibuscumque profecta.

2° *Prohibentes* directe vel indirecte eorundem actorum promulgationem vel exsecutionem.

3° *Laedentes* vel *Perterrefacientes* partes ipsas, idest personas, quae Rescriptum aliquod sive gratiae sive iustitiae a S. Sede vel eius Legatis obtinuerint, aut sententiam aliquam sibi favorabilem etc. vel Laedentes aut Perterrefacientes *alios*, puta patrocinatores earundem partium causa actorum obtentorum, aut exsecutores, ve' personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur. Haec omnia non raro locum habent in locis in quibus viget *Regium placitum* vel *Regium exsequatur*, vel *Regulae Organicae, etc.* exemplum habes in latinis ephemeridibus *vol. IV pag. 147 in nota.*

(2) Sanctissimus D. N. peculiari generalique Decreto per S. U. Inquisitionem edito feria IV die 17 Iunii 1866 edixit: « *In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse, casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit:* Sacramentum poenitentiae. » Hoc Decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit. Duo autem sunt casus reservati in hac Constitutione; idest casus Sacerdotis *atten-*

XI.

» Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes (1).

XII.

» Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis;

tantis absolutionem personae complicis in materia turpi, et casus personae cuiuscumque sexus *falso denuncianti*s Sacerdotem aliquem de sollicitatione. Verum primus casus in superiori articulo commemoratur ob censuram adiectam; secundus autem reservatus manet sine censura, et fere unicus hodie dici potest casus S. Sedi reservatus sine censura.

(1) Quaeritur, utrum illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiant per aliquem contractum, comprehendantur sub hac censura.

Resp. Non comprehenduntur. Ratio est, quod quamvis illi, qui, noscentes rem esse usurpatam, ab usurpatoribus accipiant, eiusdem causae rei generatim sint habendi; attamen, quum heic agatur non de natura et gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inflicta, locum habet regula iuris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit noluisse censendus est. Quod aliis verbis dici solet: res est strictae interpretationis.

Item quaeritur, an comprehendantur sub hac censura illi, qui usurpant vel sequestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum locorum, idest nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium.

Resp. Puto non comprehendi; idque ob eandem rationem: attamen tum illi, tum hi comprehenduntur sub censura Tridentina, de qua inferius, quae Romano Pontifici est reservata, non tamen reservata speciali modo.

Item quaeritur, an comprehendantur illi qui usurpant aut sequestrant bona Monasteriorum.

Resp. Affirmative: pertinent enim ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum.

Quaeritur, an pariter comprehendantur usurpantes et sequestrantes bona vel redditus capellaniarum laicalium.

Puto non comprehendi: ratio est, quia capellaniae laicales non appellantur nec sunt vero sensu Beneficia, et resolvuntur in pias fundationes vel pia legata; neque eriguntur auctoritate Episcopi, ideoque eorum bona nec ecclesiastica stricto sensu appellantur; quamquam ex voluntate fundatoris et natura rei haec bona sint plerumque inalienabilia, et venia Apostolicae Sedis indigeant ut alienari possint.

Quaeritur, an usurpantes aut sequestrantes bona vel redditus iuris patronatus laicalis sub hac censura comprehendantur.

Puto comprehendi: eiusmodi enim bona ad ecclesiasticas personas pertinentia, sunt bona Beneficiorum stricto sensu acceptorum, quamquam haec Beneficia sint obnoxia alicui servituti Patronorum, qui ius habent praesentandi Beneficiarium quum vacaverint, ius habent ad quasdam praerogativas honoris, et ius aliquod ad alimenta, si ad egestatem vergant. Beneficia haec eriguntur Episcopi auctoritate, et eorum Bona evadunt propria Ecclesiae, ita ut Patroni neque sese ingerere possunt in eorundem administratione.

nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes (1).

» A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant (2), dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (3).

(1) Saepe accidit, ut sub censuris dicantur comprehendi illi, qui *auxilium, consilium, favorem* praebeant actionibus prohibitis vel etiam *qui adhaereant.* Haec autem ita sunt intelligenda, ut interveniat formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistat solum in intentione, sed in actione: non ex ignorantia aut timore, sed ex deliberata voluntate. De qua re satis est mihi afferre responsum S. Poenitentiariae inter plura, quae in latinis ephemeridibus retuli: sic enim S. Poenitentiaria respondit die 10 Decembris 1860 de his fere rebus rogata: « *Censuras ecclesiasticas iuxta Litteras Apostolicas die 26 Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae* (de quo Sacra Poenitentiaria est sollicita), *utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia.* »

Dictus Articulus XII in Bulla Coenae ita erat expressus: « *Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae et Corsicae. . . . . et alias civitates, terras et loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt; nec non adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes.* »

Comparato hoc Articulo Bullae cum Articulo Constitutionis, apparet, submotos fuisse *adhaerentes, fautores et defensores eorum.* De hac re tamen adhuc vigent Litterae Apostolicae anni 1860.

(2) Quare casus Romano Pontifici *simpliciter* reservati, qui mox numerantur, non sunt septem et decem, sed, hoc comprehenso, sunt duodeviginti.

Heic quaeri potest, quid iuris si quis absolveret sine facultate eiusmodi poenitentes, non ex inobedientia, sed ex persuasione pertinaci, R. Pontificem vel Episcopos non habere ius reservandi peccata?

Respond. Hic Confessarius esset haereticus ex *Can. 2 Concilii Trid. sess. 14 de poenit.* in quo legitur: « *Si quis dixerit, » Episcopos non habere ius reservandi sibi » casus, nisi quoad externam politiam » atque ideo casuum reservationem non » prohibere, quominus Sacerdos a reserva- » tis vere absolvat, anathema sit.* »

(3) Videsis Appendicem V.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

» Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745; *Ubi primum* 2 Iulii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746 (1).

II.

» Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (2).

(1) Benedictus XIV in Const. *Suprema*, praxim inquirendi a poenitente nomen vel individuam personam complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavit: « Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandem a nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.»

In Const. *Ubi primum*, idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem inter alias sanctiones haec edixit: « Statuentes ac decernentes, ut quicumque... ausus in posterum fuerit docere licitam esse eiusmodi praxim prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque, etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore exsistente Romano Pontifice, absolvi.»

In Constitut. *Ad eradicandum*, Pontifex, contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones non ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: « Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum Apostolica Auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere...»

(2) Hoc Articulo continetur celebre illud privilegium Clericorum, quod ex Canone Concilii Lateranensis sub Innocentio II, *Si quis suadente diabolo*, appellatur privilegium Canonis. Canon indicatus his verbis erat expressus: « *Si quis suadente diabolo huius*

III.

» Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes,

sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat.» Nulla unquam fuit inter censuras reservatas in iure tam celebris, et christianis populis tam cognita', quam eiusmodi canonis censura.

Haec canonis verba ampla ratione, tum Romani Pontifices, tum explanatores ss. canonum in titulo Decretalium, *De sententia excommunicationis*, interpretati sunt: namque idem est sive masculus sive femina, pariterque sive saecularis sive regularis persona sit percutiens, ex cap. *Cum pro causa*, cap. *Porro*, cap. *Monachi*, *de sententia Excom.* Percussus sive sit clericus saecularis sive regularis ex cap. 2, cap. *Cum pro causa, eod. tit.* et idem si clerici se ad invicem percutiant. Incurrunt eandem poenam non solum percutientes, sed mandantes, instigantes, consulentes et sollicitantes, ex vulgata regula, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Item auxiliantes, faventes et assistentes percussorem Clerici, Glossa in cap. *Mulieres de sentent. excom.* Item Canonis poenam incurrit etiam offendens Clericum minoribus et prima tonsura initiatum, cap. 1 *de Clerico coniug. in 6*, nec non Conversos ecclesiarum regularium, cap. *Non dubium*, cap. *Parochianos*, cap. *Ex tenore*, cap. *Monialibus*, *de sentent. excom.* similiter Novitii religionis approbatae gaudent privilegio canonis, cap. *Religioso s. fin. de sententia excommunicationis in 6°*. Hi sunt casus praecipui.

Hic facile quaeritur, utrum per verba superioris Articuli, hi casus, qui sub stricto eorum verborum sensu non omnes comprehenderentur, comprendi dici debeant.

Respon. Puto omnes enumeratos casus comprehendi: namque ubi est eadem lex et eadem ratio legis, ibi eadem esse debet interpretatio. Etiam sub verbis citati canonis, *Si quis*, stricto sensu acceptis, non omnes enumerati casus comprehendebantur; et tamen Romani Pontifices eos comprehenderunt. Ratio autem quae tradi solet, cur haec poena intellecta fuerit in omnes cooperatores extensa, quaecumque fuerint personae percussae, dummodo ecclesiasticae Hierarchiae se mancipaverint, aut nomen dederint religioso Instituto, quo Deo perpetuo sacrarentur, est, quia agitur de re Ecclesiae favorabili, idest de immunitate personarum Ecclesiae, de privilegio ordinis clericalis: sed haec quamquam sit aliqua ratio, non est tamen adaequata: namque repeti posset de omni censura, ob Ecclesiae immunitatem illata, quod verum semper non esset. Ratio adaequata canonis, *Si quis suadente*, haec esse videtur. Semper in catholica Ecclesia uti gravissimum sacrilegium considerata est impia vis in personas Deo dicatas illata: gravis autem censura adiecta est non tantum ad arcenda eiusmodi sacrilegia; sed quia censura consentanea et cohaerens videbatur gravissimo sacrilegio a fidelibus horrore quodam semper reprobato: ideoque quantum pateret et protenderetur sacrilegii reatus ex vi illata, tantum patere et protendi intelligenda erat censura. Quare hac in re non valet principium: legislator quod expressit voluit, quod non expressit noluisse censetur: sed Articulus intelligendus est iuxta canonis, ex quo est desumptus, traditionem.

Articulus Constitutionis, de quo agimus, est expressio dicti canonis, ipsis fere verbis facta: censura reservata est Romano Pontifici, servatis tamen limitationibus iure vel privilegio permissis: quibus satis indicatur, eius Articuli interpretationem eandem esse, quae in iure iam facta reperitur. Quoad limitationes videsis Appendicem VI.

illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (1).

IV.

» Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (2).

(1) Hic Articulus comprehendit Constitutionem Tridentinam *sess. 25 cap. 19 de Reform.* eamque extendit et declarat. Extendit 1° ad *simpliciter provocantes*, quamquam alter non acceptet duellum, ideoque duellum non sequatur. 2° *Ad acceptantes duellum*, sive inde duellum sequatur, vel non sequatur; quum e converso Tridentina Constitutio edixerit: *qui vero pugnam commiserint*. Quod Constitutio Tridentina edixerat *spectatores*, hic datur interpretatio, *de industria spectantes*. Quod Constitutio Tridentina edixerat: *Imperator, Reges...., qui locum ad monomachiam in terris suis... concesserint*, hic ita protenditur: *illud permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis*. Adiungit praeterea reservationem, quae vi Tridentinae sanctionis non videtur adfuisse.

Tridentinam Constitutionem de duellantibus habes infra.

(2) Secta Fenianorum declaratur comprehensa sub sectis in hoc articulo significatis per Decretum S. Inquisitionis quod sequitur

DECRETUM

Feria IV die 12 Ianuarii 1870.

« Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, exquisito prius suffragio Eminentissimorum Patrum Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana Republica Inquisitorum generalium; ne fidelium, praesertim simplicium, corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens Decretis alias a S. Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto feria IV die 5 Iulii 1865, decrevit ac declaravit, Societatem Americanam seu Hibernicam, Fenianorum appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperrima eiusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869. incip. « *Apostolicae Sedis* » qua sub num. 4. excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

» Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit.»

Loco ✠ Sigilli

Pro D. Angelo Argenti
S. Rom. et Univ. Inquis. Notario
Iacobus Vogaggini Substitutus.

In eodem exposito Articulo IV, ad verba *eorumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint*, quaeritur: an cessaverit obligatio denunciandi ceteros, qui non sint neque coryphaei neque duces, quique tamen sint occulti sectarii.

Resp. Per Constitut. *Apostolicae Sedis* nihil est *per se* innovatum quoad obligationes ceteras cuiuscumque generis: limitatae dumtaxat sunt censurae; ideoque in omnibus lo-

V.

» Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes (1).

VI.

« Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque le-

cis ubi viget ecclesiastica lex denunciandi, obligatio manet. Haec lex denunciandi tum ratione publici boni inducta est, tum ratione privati boni personae denunciatae: si eiusmodi secunda ratio cessaret, manet prima ratio; namque utile Episcopo et auctoritati ecclesiasticae semper erit pro pascendis fidelibus suae curae commissis cognoscere occultos haereticos vel sectarios, aliosque denunciandos. Et ob has rationes, etiamsi lex ecclesiastica denunciandi cessavisset, maneret obligatio ex iure naturali derivans; quod ius naturale gravibus concurrentibus adiunctis, ut quando agitur de gravi damno evitando, graviter potest obligare.

De clausula *donec non denunciaverint* videsis Appendicem VII.

(1) In prima editione Constitutionis ex officio facta, quidam error irrepsit in hoc Articulo: ita enim legebatur Articulus ille: *Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.* E converso eo modo legendus est, prout modo exposuimus. Id constat ex litteris Rmi Adsessoris Sancti Officii datis de hac re ad S. Poenitentiariam hoc anno 1871 die 10 Februarii.

Hoc Articulo comprehenduntur pari modo tum *iubentes violare*, tum *violantes:* ut autem in censuram incurrant duo copulative requiruntur, idest *violatio* immunitatis asyli et *ausus temerarius:* ideoquo si alteruter terminus deficiat censura non incurritur.

Hic facile quaeritur, quid sit immunitas asyli? Intelligitur immunitas ecclesiastica ocalis quatenus refertur ad asylum reorum ad eam confugientium.

Namque inter praecipua iura immunitatis localis Ecclesiae fuit semper sacrum ius illud, quo Christiani, ob aliquod crimen confugientes ad ecclesias, non possent inde extrahi, nisi in casibus iure exceptis; forma quoque ab auctoritate ecclesiastica praescripta servata, quando extrahi deberent ob casus exceptos. Quinam sint eiusmodi casus excepti et quaenam sint loca quae immunitate ecclesiastica gaudeant videsis Appendicem VIII.

Quaeritur, utrum milites, qui nollent violare immunitatem asyli, tamen contra vel praeter voluntatem cogantur a suis ducibus eam violare, in censuram incurrant.

Resp. Non incurrunt: deest enim ausus temerarius, qui exigit et legum cognitionem et voluntarium spretum earundem legum.

Quaeritur, utrum qui iubeant reum extrahere ex aliquo loco quem Episcopus iudicaverit immunitate ecclesiastica gaudere, tamen illi iubeant, quod certum aliunde habeant, locum illum immunitate ecclesiastica non gaudere.

Resp. Non videntur incurrere in hanc censuram: namque deesset violatio iuris asyli, quamquam haberi posset ausus temerarius ob contemptum legitimae formae.

De temerario ausu mentio quoque fit in Constitutione Benedicti XIII, *Ex quo divina*, edita sexto idus Iunii anno 1725. In ea namque Pontifex universos Episcopos hortatus est, ut « *etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui eiusdem praesentis Constitutionis executionem ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent.*»

gitima licentia ingrediendo (1); pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam (2).

(1) Haec verba desumpta sunt ex Concilio Tridentino *sess. 25 de Reg. c. 5* ubi legitur: « *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat cuiuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerit sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta...* » Desunt tamen in Articulo haec ultima verba, in quorum loco posita sunt haec alia *absque legitima licentia*, ne fortasse putaretur excommunicationem esse quoque connexam cum defectu *formae* licentiae obtinendae. Sufficit itaque ut licentia sit legitima, quae ab iis, a quibus dari debet, in praescripta forma dari oportet, quin tamen formae defectus censuram secumferat.

(2) S. Pius V in Constitutione, *Decori*, edita die 24 Ianuarii 1570 haec constituit: §. 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

« §. 2. Unde nos, malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam Decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris Litteris desuper huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum; conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum exsistentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis lepras aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere;* aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non concomitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. » Quae tamen nunc sunt abrogata.

Quaeritur, utrum sub nomine clausurae veniat etiam illa clausura, cui identidem alligantur illae mulieres in communitate viventes, quae vota simplicia emittunt: quae clausura imponitur sive ab Episcopis, sive vi suarum Constitutionum, sive etiam vi voti specialis.

Respond. Non illa intelligitur: ea enim legibus gubernatur, quas Episcopus iniungit, vel Constitutiones, vel votum; sed ea intelligitur, quae vi generalium Ecclesiae legum praescripta est monialibus vota solemnia emittentibus. Sermo namque est in hoc Articulo de illis monialibus et de clausura illa, de qua loquitur Concilium Trid. et Constitutio S. Pii V in Constit. *Decori*.

De hac re exstat etiam quaedam recens Resolutio S. Congregationis Episc. et Regul. quam indicat cl. Lucidi in opere *de VV. SS. LL. vol. II pag. 310* his verbis: « Die 1 Augu» sti 1839 S. Congregationi Episc. et Reg. duo » quae sequuntur dubia resolvenda proposita » sunt: I. Utrum, si non sint solemnia vota, » moniales nihilominus teneantur ad clausu» ram servandam, quam voto simplici vo» vent, sub censuris a Tridentina Synodo

VII.

» Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes (1).

» edictis, ubi Episcopus clausuram restituerit. II. » Utrum etiam excommunicationis incur- » rat poenam, qui sine licentia ingrediatur » septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo » restituta fuerit.»

S. Congregatio respondit: Ad I. *Negative quoad poenas sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas: affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.*

Ad II. *Affirmative si ab Episcopo decreta fuerit.*

« Notandum tamen (subiungit idem auctor), quod S. C. Episc. et Reg., quum clausurae lex sub censuris in monasteriis votorum simplicium ab Episcopis imposita fuisset, et proinde contra eam reclamatum esset, *solitum servari* responderit in *Ravennaten.* 18 Iunii 1728, 23 Sept. 1757, et 10 Mar. 1758.»

De clausura, quam dicunt papalem, deque ea quam episcopalem appellant, videsis Appendicem IX.

(1) De hoc Articulo idem quaeri potest, quod de superiore dixi; eademque videtur danda responsio. Namque sermo est de clausura virorum regularium; hoc autem nomine non appellantur Congregationes ecclesiasticae eorum, qui emittunt vota simplicia. Notandum tamen est heic sermonem esse tantum de censura, non autem, utrum id sit conveniens aut licitum ad normam sacrorum canonum. Romae autem consuetudo viget, qua mulieres non solum non admittuntur in domibus Congregationum ecclesiasticarum, sed neque in locis piis ut in Seminariis et Collegiis Clericorum aliorumve.

Hic Articulus declaratur uberius, inspecta sua origine, ex qua derivavit.

S. Pius V in Constit. *Regularium*, edita die 24 Octobris 1566 haec statuit: « Quia igitur et Carthusiensium Ordinis et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres, modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu Confessionalium aut aliarum literarum Apostolicarum, ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus aliquando recusantibus renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

» Huic rei providere volentes, motu proprio et certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domus Carthusiensium, et *aliorum quorumcumque regularium Ordinum etiam mendicantium*, mulieribus, cuiuscumque status, et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis concessas..... revocamus.....

» Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non possint, nisi a nobis aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

» Ipsis vero monasteriorum et conventuum Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus, quocumque nomine vocentur, et eorum Monachis, Canonicis et Fratribus, sive Mendicantibus sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis poenis *ne eas introducere admittereve praesumant.*»

In Constitutione *Apostolicae Sedis* de qua agimus, hae poenae, certe suspensio ipso facto incurrenda inflicta Regularibus introducentibus et admittentibus, conversae sunt in excommunicationem ipso facto incurrendam et Romano Pontifici reservatam.

VIII.

» Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices (1).

Dixi certe suspensio ipso facto incurrenda: namque de aliis poenis canonicis dubitari potest, an permaneant, quum per gravissimam excommunicationis poenam videatur satis consultum fini qui intenditur; ideoque ceterae poenae videntur hac nova dispositione cessare.

Sed Constitutio S. Pii V, quam retuli, a Monachis Congregationis Montis Virginis non fuit recte intellecta iuxta Pontificis mentem: quare idem Pontifex alias Apostolicas litteras dedit, die 16 Iulii 1570 quae incipit, *Decet*, mentem suam uberius declarans his verbis: « Dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram, quod dictae litterae non solum comprehenderent mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres tam in genere quam in specie. »

» Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc et praedictas nostras litteras non intelleximus nec intelligimus, quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus ad monasteria et loca regularia dictae Congregationis ac eorum claustra, quando in eis Missae et alia divina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando Christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca dictae Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere libere et licite possint et valeant.

Et similiter, quod quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae, perpetuo concedimus, ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis, possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et locorum regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e monasterio. »

Hae quamvis videantur speciales concessiones factae Monachis Montis Virginis; attamen ex consuetudine, his in circumstantiis, idem videmus quoque servari in nonnullis Regularium Ordinibus, qui intra monasteria habeant, puta cubiculum S. Fundatoris vel alterius Sancti, die eiusdem festo. Unde sine comparatione multo rigidior multoque amplior est lex de clausura monialium, quam lex de clausura Regularium, quae quidem est severior quoad limites claustrales veterum Monachorum, quam quoad limites monasteriorum et domorum subsequentium Ordinum.

(1) Simonia quae dicitur realis, ideo realis dicitur ut distinguatur ab ea quae appellatur mentalis, et ab altera quae appellatur conventionalis. Crimen simoniae realis tunc committitur, quando conventio vel pactum de danda re spirituali pro temporali, aut viceversa de danda re temporali pro spirituali, exsecutioni mandetur ex utraque parte, saltem haec exsecutio ex utraque parte sit incepta. Si hoc simoniae genus locum habeat in ecclesiasticis Beneficiis, sive haec sint saecularia sive regularia, sive altioris ordinis, ut Episcopatus, Dignitates; sive inferioris ordinis, ut Beneficia simplicia, sive iurispatronatus sive liberae collationis, talis simoniae tum rei tum complices sub hoc Articulo comprehenduntur.

Hoc simoniae genus in quo procacius peccatur ab antiquis temporibus multas alias gravissimasque canonicas poenas secumfert, de qua re confer Ferraris in aurea *Bibliotheca canonica*, sub verbo *Simonia*.

IX.

» Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis (1).

X.

» Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem (2).

XI.

» Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Ianuarii 1569 (3).

(1) Simonia confidentialis est alterum, quod subsequutum est, simoniae genus, quod locum habet in Beneficiis ecclesiasticis ex confidentia, qua inducitur certa quaedam obligatio disponendi de Beneficiis. Committitur haec simonia, quando aliquis dat vel confert Beneficium ecclesiasticum, vel ad illud praesentat et eligit, seu electum vel praesentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto vel conditione ut tamquam ex debito illud sibimet vel alteri, ut fratri, nepoti, amico, certo tempore iterum cedat seu resignet. De hoc simoniae genere legenda est Constitutio S. Pii V, quae incipit *Intolerabilis*, quam habes expositam in Appendice X.

(2) De hac simonia reali ob ingressum in Religionem confer praesertim probatos Auctores theologiae moralis.

(3) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex Constit. *Quam plenum* sunt Episcopis inferiores, causa quaestus, qui simoniam redoleat. Pontifex ille in hac Constit. graves quosdam enarrans abusus in quorundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat, atque demum poenas sancit, hac ratione: « §. 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus inter cetera pericula, deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita, ipsum absolvere valeat, non iis tantum casibus in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius Sanctae Sedis esset omnino referendus.

» §. 2. Ad hanc, ipsi, in dispensandis caelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

» §. 3. Itemque Missae sacrificium et se-

XII.

» Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent (1).

pulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra Decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus adsciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

» §. 4. Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini Concilii Decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea Constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur; nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, supradicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum, quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu Confraternitatum augendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et exsecramus ac perpetuo abolemus, nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus mandantes litteras et indices.

» §. 5. Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

» §. 6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contenderint attentari, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant*, a qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere.»

(1) In hoc Articulo sermo est de eleemosynis Missarum manualibus, ut deprehenditur ex verbo *Colligentes*, nec non ex Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Quanta cura*, edita die 30 Iunii 1741, ex qua hic Articulus originem duxit. Hanc itaque censuram incurrunt qui colligant Missarum stipendia maioris pretii ut lucrum captent faciendo eas Missas celebrari in locis in quibus minus sit Missarum stipendium.

Constitutio indicata, *Quanta cura*, postquam enarasset quosdam graves abusus de his eleemosynis ea de causa colligendis, ita subsequebatur: « Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Exsecrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices praedecessores nostri..... decretum volnerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendium seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti et consentienti se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. »

Postquam idem Pontifex exhortatus esset Episcopos, ut eiusmodi abusum atque avaritiam exstirpassent, denique subiunxit, ut iidem Episcopi haec nota facerent.

XIII.

» Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos,* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX,

« Quemcumque, qui, eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens Missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos seu Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit.»

Haec Benedicti XIV sanctio, quam ad illustrationem attuli, per Articulum, de quo agimus, partim est extensa, partim videtur limitata: est extensa, quum in omnes excommunicationis poena lata fuerit sive laicos sive clericos; est limitata, seu potius declarata, quum non dicatur *ibidem*, sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse soleant;* quibus verbis satis indicatur non agi de uno paucisque numero stipendiis sed de quadam copiosa collectione facienda usu mercaturae, ut ea colligens verum lucrum percipiat: quod ex. gr. non esset difficile si in America colligerentur Missarum stipendia et in Italiam translata fierent celebrari iuxta synodales plurium italicarum dioecesium taxas vel consuetudines. Qui haec facerent in hanc censuram incurrunt, manente firma prohibitione retinendi sibi partem eleemosynae manualis unius etiam Missae sine legitimo titulo.

Hic multa quaeri possunt, quae tamen, ex iis quae indicavi, quum facilis solutionis esse videantur, omitto.

De abusu, qui in variis Galliae partibus irrepsisse dicitur, quaero: an sub hoc articulo comprehendantur, qui superfluas eleemosynas manuales propriae ecclesiae cumulantes, ad negotiatores mittant (ex quibus utile aliquod percipiunt) ut iidem negotiatores iisdem utantur ad vendendas merces iis Presbyteris, qui indigeant Missarum stipendiis, lucrum non capientes ex stipendiis, sed ex frequentiori negotiatione; ita ut commodum et utile negotiandi medium mercatoribus stipendia Missarum evadant.

Respon. Non videntur sub hoc Articulo comprehendi, quamquam illicite agant, qui ad publicos negotiatores stipendia mittant, utile aliquid sibi hac de causa ab iisdem negotiatoribus recipientes. Illicite dixi, duplici praesertim de causa, tum quod ad publicos negotiatores mittant, quum mittere deberent ad Episcopum si modus ipsis desit, quo eas celebrari a ceteris Presbyteris faciant; tum quod utile, quidquid sit, percipiant, ex quo percipere non deberent, quum negotiatores non donent nisi quia ope stipendiorum oblatorum industria sua uberius lucrum sciunt percipere: quod inhonestum in hac re facile est, sive ob facile periculum, quod negotiatores obligationi susceptae non faciant satis, sive quod laici negotiatores, in lucrum proprium intenti, facile protrahunt Missarum celebrationem ex quarum stipendiis fructus interim percipiunt; vel etiam eandem indirecte protrahunt ex copioso Missarum numero, quem Sacerdoti merces ementi committunt, cui satisfacere identidem Sacerdos non potest, nisi decursu annorum, tum ob similes ecclesiasticarum legum transgressiones.

Ceterum huic rei prospicere debent Sacrorum Antistites, qui ita rem moderari possunt, ut Presbyteri, qui eleemosynis Missarum indigeant ex superfluis aliorum habeant, sibi negotium assumentes. Nihil tamen esset illiceitudinis, immo potest esse quoque opus charitatis, si Presbyteri, qui Missarum stipendiis indigeant, habere valeant mercem aliquam, Missas celebrando, quarum stipendia relinquant iis qui mercem transmittunt.

Quae ab hac Sede pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Iunii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (1).

(1) In Constitutione, *Admonet nos*, solemnissime edita a S. Pio V, excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet Constitutio: « §. 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum praedictorum *(quae Sanctae Sedi in temporalibus sunt subiecta)*, aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel maioris, exsistentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earundemque Gubernatores aut Sedi Apostolicae Legati vel Pro-Legati exsistant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a nobis et Sede praefata quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis et successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum. civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore exsistenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. »

Innocentius IX in Constitutione, *Quae ab hac Sancta Sede*, in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum, inseruit integram Constitutionem, *Admonet*, S. Pii V, atque commemorans, Gregorium XIII, Constit. *Inter*, Sixtum V, Constit. *Quanta*, et Gregorium XIV iurasse eam Pianam Constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse; ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit, et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas Civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII in Constitutione, *Ad Romani Pontificis curam*, iterum confirmavit utramque Constitutionem : immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV, atque explicavit quomodo sub iuramentum de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: « Cum huiusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relinquere. »

XIV.

» Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia (1).

XV.

» Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eique auxilium vel favorem praebentes (2).

(1) Clemens V in Concilio Viennensi, prout legitur in *Clementina 1ª de privilegiis*, haec inter cetera statuit: « Religiosi, qui Clericis aut Laicis sacramentum Unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali, ... praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides...»

In eadem Clementina Constitutione limitatio in paragrapho ultimo fuit adiecta, his verbis: « Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus quoad hoc praeiudicium generari. »

Haec limitatio, uti patet, per Articulum de quo agimus non est abrogata: immo quod in Clementina dicitur, *Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum ut familiaribus suis domesticis... sacramenta possint administrare*, transiit in commune ius ut colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 24 c. 11 de Ref.* his verbis: « *exceptis tamen iis, qui praedictis locis* (a iurisdictione episcopali exemptis) *aut militiis actu inserviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.* » Confer de hac re causam *Seminarii* in ephemeridibus latinis expositam in *Vol. III pag. 47.*

Hic quaeri potest, utrum dictus Articulus, quo ex parte innovata est Constitutio Clementina, comprehendat quoque Instituta votorum simplicium.

Respond. Non videtur comprehendere. Namque in odiosis eiusmodi Instituta neque Regularia neque Religiosa appellantur. Quod autem illicite agerent si praesumerent administrare extremam Unctionem vel sacram Eucharistiam per viaticum extra necessitatis casum sine licentia Episcopi vel Parochi non est quaestio. Namque haec duo iura sunt exclusive parocecialia, et nemo alius sine Episcopi vel Parochi licentia potest in illis sese ingerere; excipe tamen legitimam horum iurium praescriptionem, de qua habes exemplum in latinis ephemeridibus *in Vol. IV pag. 577.*

(2) In hoc Articulo agitur de reliquiis e romanis priorum Ecclesiae saeculorum cryptis sine legitima venia extrahendis; quum vero in eisdem cryptis seu catacumbis passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis de quibus iam constat non esse ossa et cineres martyrum, sed fidelium qui ibi reconditi sunt, quaeritur, utrum, qui cryptas visitans, memoriae vel devotionis causa sibi assumeret aliquid ex his ossis vel cineribus in hanc censuram incurreret.

Respond. Non videtur incurrere, ideo quia de his iam constat non fuisse corpora martyrum: secus esset dicendum si de reliquiis ageretur, de quibus non adhuc constaret an sint martyrum vel tantum fidelium.

In quo autem consistat legitima venia, de qua sermo est in exposito Articulo de-

XVI.

» Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII.

» Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (1).

prehenditur ex Constitutione Clementis X, *Ex commissae*, edita die 13 Ianuarii 1672, quaeque inserta est in nova editione Bullarii romani, quod Taurini accuratissime typis exciditur. Ita autem se habet Constitutio quoad dispositionem quae ad praesentem Articulum refertur.

» Ex commissae nobis caelitus curae pastoralis officio providere volentes, ut sanctorum martyrum corpora et reliquiae pie ac decenter et sine turpi quaestu, ex huius almae Urbis nostrae et locorum circumvicinorum coemeteriis extrahantur, recondantur, asserventur, ac fideliter prudenterque distribuantur, de nonnullorum etc. qui rem iussu nostro mature discusserunt, et quorum sententia nobis a dilecto filio nostro Gaspare S. R. E. Presbytero Card. Carpineo nuncupato, in Urbe praefata Vicario in spiritualibus Generali ac Prodatario nostro, relata fuit, consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, *ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi eius rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Card. moderni seu pro tempore exsistentis in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalibus sigillo munito et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae effodiat et ex aliquo coemeteriorum huiusmodi extrahat aliter quam coram Sacerdote per dictum Gasparem Card. modernum seu pro tempore exsistentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita.*

» Qua omni recognitione facta, statim singula corpora et cuiuscumque martyris reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in palatio nostro asservandas etc.»

Si quaeras quaenam sint martyrii signa recole Decretum quod habes in latinis ephemeridibus *Vol. II pag. 170 in nota.*

(1) Ante Concilium Constantiense omnes excommunicati excommunicatione maiore erant vitandi: post hoc Concilium ob Constitutionem Martini V, quae incipit, *Ad evitanda scandala*, vitandi tantum erant notorii percussores Clericorum et qui excommunicati essent nominatim, expresso videlicet nomine ut consuetudo hactenus tulit: multa autem in iure non sine ambagibus reperiuntur constituta de illis, qui cum excommunicatis communicarent, qui modo excommunicationem minorem ipso facto incurrerent, modo maiorem secundum id in quo communicarent, et modo reservatam modo non reservatam: eiusmodi autem censurae cohibitae sunt post Martini V Constitutionem ad eos tantum, qui communicarent cum excommunicatis sive *nominatim*, sive cum *notoriis* Clericorum percussoribus. Notorii namque percussores Clericorum non indigebant ut denunciarentur ut excommunicati, ut haberentur uti tales. Quod confirmat, quae superius scripsi de iis, qui violentas manus in clericos inferrent.

Hodie autem post Constitutionem, *Apostolicae Sedis*, de qua agimus, cessat censura quaevis quam antea contrahebant illi, qui

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

I.

» Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes (1).

communicarent cum notorio Clericorum percussore; quum de hac censura nonnisi in hoc et superiori articulo sermo habeatur. Quare hodie sub poena excommunicationis vitandi tantum manent *nominatim* excommunicati a Papa: atque excommunicationem maiorem, eandemque Romano Pontifici reservatam, incurrunt omnes, qui communicant cum his in crimine criminoso; et clerici *scienter et sponte* communicantes in divinis et eos in officiis recipientes: haec sanctio, ad Clericos quod spectat, ipsis verbis desumpta est ex capite *significavit, de sententia excom.* in quo sic respondit Clemens III: « *Verum Clericos, qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis a nobis, et ipsos in officiis receperunt eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad nos volumus cum litterarum tuarum insinuatione remitti.*» Prima autem sanctio, quae ad omnes refertur, desumpta est ex cap. *Nuper, eod. tit.* in quo Innocentius III sic inter cetera rescripsit: « *In secunda vero quaestione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem; aut alias in oratione vel osculo, aut orando secum aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, quum talis communicet crimini et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel eius superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda, quum facientem et consentientem par poena constringat: in secundo vero casu a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote etc.* Sed hic secundus casus, de eo qui communicat extra crimen, post Constitutionem, *Apostolicae Sedis*, censuram minorem antea dictam, non amplius secumfert: manet autem tantum maior excommunicatio, et reservata, in omnes, qui in crimine criminoso participent, quum facientem et consentientem par poena constringat; nec non in Clericos, qui communicent scienter et sponte in administratione et receptione sacramentorum aliisque divinis.

(1) Hic quaeri potest, utrum enunciatae personae, si sponsalia sola contraherent, in hanc censuram incurrerent.

Resp. Non incurrerent; ratio est, quod iuridica verba *praesumentes contrahere matrimonium*, non significant, *constituentes contrahere matrimonium*. Ad incurrendam hanc censuram requiritur et matrimonii celebratio et scientia de eius nullitate, ob legem vel votum solemne castitatis, quae scientia cum celebratione coniuncta exprimitur per verba *praesumentes contrahere*.

Item quaeritur: si eiusmodi inhabiles personae matrimonium dumtaxat civile contraherent, ubi publicatum est Tridentinum Decretum *Tametsi c. 1 sess. 24 de Ref. matr.* incurrerentne in eiusmodi censuram?

Resp. Incurrerent. Ratio est, quia omnes

II.

» Procurantes abortum, effectu sequuto (1).

enunciatae personae in hanc censuram incurrunt, *quae praesumunt matrimonium contrahere*, idest praesumunt contractum illum inire, qui matrimonii habeat figuram: numquam enim possunt verum matrimonium contrahere. Quamvis autem matrimonium civile non sit matrimonium validum (ob impedimentum dirimens, quod clandestinitatis appellamus, ex defectu formae ab Ecclesia sub poena nullitatis praescriptae), est tamen contractus, qui iuxta naturae leges esset verum matrimonium: ideoque licet per accidens, ob carentiam praescriptae formae, sit nullum, in se tamen figuram matrimonii habet, nullamque aliam habet figuram: ita ut matrimonium civile neque vim habeat sponsalium, quia sponsalia aliam habent indolem et naturam: ideoque personae illae, quae ad verum contrahendum matrimonium iam sunt inhabiles, matrimonium civile contrahere praesumentes, contractum illum inirent, qui habet matrimonii figuram, quod esset nullum ex duplici saltem capite.

Haec ad normam veterum canonum iam sanxerat Clemens V in Concilio Viennensi per Constitutionem, quae legitur in *Clement. unica de Consanguinitate et affinit.* his verbis: *« Eos, qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter* (his verbis significatur praesumptio)... *cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religiosos et Moniales ac Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refrenare metu poenae ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere: praecipientes ecclesiarum Praelatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque iuribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari.»*

Quid autem iuris si haec praesumptio non oriretur ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione, quod matrimonium sit validum, quia Ecclesia non posset reddere irrita eiusmodi matrimonia?

Respond. Qui haec teneret, esset haereticus et puniendus quoque poenis in haereticos inflictis, ob Tridentinum canonem 9 *sess. 24 de Ref. Matrim.* qui ita se habet: *« Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum anathema sit, quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.»*

(1) In hoc Articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum atque ideo neque nos distinguere debemus. Indistincte pariter sub censura comprehenduntur *procurantes* abortum, ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret sive quisquis alius, nulla facta personarum distinctione, omnes in hanc censuram incidunt.

Tamquam autem conditio, ut abortum procurantes in censuram incidant, est effectus qui sequatur, ita ut effectu non sequuto ab excommunicatione sint immunes.

Quinam autem sub nomine *procurantes* abortum veniant colligi potest ex Constitutione Sixti V, quae incipit *Effrenatam*, edita die 29 Octobris 1588, per haec verba: *omnes... qui per se aut per interpositas personas abortus seu foetus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri praegnanti*

III.

» Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes (1).

impositis, ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit.»

Hic quaeri potest, quid esset sentiendum si abortus secutus quidem fuerit, sed ex alia accidentali causa, non vero ex causis studiose adhibitis, incurrerentne *procurantes* in hanc censuram?

Respond. Non videntur in hanc censuram incurrere, si tamen satis constaret vel media studiose adhibita fuisse inefficacia, vel constaret, effectum adscribendum esse causae accidentali. Articulum secundum aperte quoque declarant relata verba Sixtinae Constitutionis, *ita ut abortus reipsa secutus fuerit;* quae verba coniunguntur cum mediis studiose adhibitis, tamque effectus cum sua causa efficiente.

Sixtus V in indicata Constitutione, ea iustitiae severitate, qua in crimina erat incensus, omnibus quibus poterat poenis procurantes abortum foetus animati vel inanimati multavit, atque etiam procurantes sterilitatem: sed postea eam Constitutionem Gregorius XIV magna ex parte mitigavit per Constitutionem, *Sedes Apostolica*, editam anno 1591, atque ceterae poenae canonicae inflictae per Sixtinam Constitutionem videntur iam redactae ad ius commune; idest, quod si abortus fuerit animatus, qui fuerint causae abortus poenis multantur quibus in iure multantur homicidae voluntarii. Adverte tamen eiusmodi poenas et ceteras eiusdem generis per ss. canones inflictas, ut privatio Beneficiorum ipso facto vel privilegiorum clericalium aliorumque similium, generatim executioni mandari non solere, nisi per sententiam Iudicis *declaratoriam:* id ex aequitate canonica est inductum.

(1) Hic Articulus vix expositione indiget: placet tamen nonnulla documenta ad eruditionem referre, quae, licet in Decretalibus contineantur, paucis tamen sunt cognita. Innocentius III in *cap. 4 de Crimine Falsi* ad evitandum quoque periculum, id temporis certo non infrequens, ne Litterae Apostolicae falsarentur haec constituit: « Statuimus et sub excommunicationis poena et suspensionis Ordinis et Beneficii districtius inhibemus, ne quis apud Sedem Apostolicam litteras nostras nisi a nobis vel de manibus illorum recipiat, qui de mandato nostro ad illud sunt officium deputati. Si vero persona tantae auctoritatis exstiterit, ut ipsam deceat per nuntium litteras nostras recipere, nuntium ad Cancellariam nostram vel ad nos ipsos mittat idoneum, per quem litteras Apostolicas iuxta formam praescriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor exstiterit, si laicus fuerit excommunicationi subiaceat, si Clericus officii et Beneficii suspensione damnetur.

» Adiicientes statuimus, ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas paroecias faciatis frequentius innovari, quod si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies litteras illas aut destruat aut resignet, si poenam excommunicationis voluerit evadere, quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro, a quoquam nolumus relaxari, nec etiam si praesumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis. »

Atque in *cap. 7 eod. tit.*, postquam gravissimas censuras et canonicas poenas in falsarios intulerit, sic sanxit de his qui falsis litteris Apostolicis utantur: « *Qui vero sub nomine nostro litteris falsis utuntur; si Clerici fuerint, officiis et Beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tamdiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter, ita tamen ut in istis et in illis malitia gravius quam negligentia puniatur.*»

Idem Pontifex varia indicia dedit, ex quibus argui posset litterarum Apostolicarum falsitas: sic ex. gr. in *cap. 6 eod. tit.* ad Episcopum Antimacensem argute pro suo more

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

I.

» Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos (1).

rescripsit: « Nos vero litteras, quae tibi sub nostro nomine praesentatae fuerunt, diligentius intuentes, in eis, tam in continentia quam in dictamine deprehendimus falsitatem: atque in hoc fuimus admirati, quia tu tales litteras a nobis credideras emanasse, quum scire debeas, Apostolicam Sedem consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, *fratres*, ceteros autem Reges, Principes vel alias cuiuscumque ordinis, *filios* in nostras litteras appellemus. Et quum uni tantum personae nostrae litterae diriguntur, numquam ei loquimur in plurali, ut *vos*, sive *vester* et his similia in ipsis litteris apponamus. In falsis autem litteris tibi praesentatis in salutatione *dilectus in Christo filius* vocabaris, quum in litteris, quas aliquando tibi transmisimus, te videre potueris a nobis *fratrem venerabilem appellatum*. Propter quod sic litteras Apostolicas studeas intueri, tam in bulla, filo et charta, quam in stylo, quod veras pro falsis vel falsas pro veris litteris modo aliquo non admittas.»

Et in *cap. 9 eod. tit.* sic rescripsit: « Verum litteras ipsas, quae redargutae fuerant falsitatis, diligentius intuentes, nullum in eis falsitatis signum vel suspicionis invenimus, *nisi paucarum litterarum rasuras*, quae nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt...» Ex quo capite interpretes ss. canonum arguunt, propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto, rescriptum non probatur falsum.

(1) Eiusmodi censura restringitur ad *Mandantes et cogentes tradi...* quando agitur de sepeliendis *haereticis notoriis* (idem repete de Apostatis notoriis a christiana fide qui eodem censu habentur) aut de *excommunicatis nominatim*, vel *de interdictis nominatim*.

Antea eiusmodi censura ad multos extendebatur iuxta *cap. 2 de Haereticis in 6°*, in quo Alexander IV haec constituit: « *Quicumque haereticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subiacere. Nec absolutionis beneficium mereantur nisi propriis manibus publice extumulent et proiiciant eiusmodi corpora damnatorum; et locus ille perpetua careat sepultura.*

Inde vero Clemens V in concilio Viennensi, prout legitur in *Clement. cap. 1 de Sepulturis*, haec constituit: « *Eos, qui proprie temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium ecclesiae in coemeteriis interdicti tempore in casibus non concessis a iure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos vel usurarios manifestos scienter sepelire praesumant, decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subiacere, a qua nullatenus absolvantur nisi prius ad arbitrium dioecesani Episcopi eis, quibus per praemissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa praemissa exemptionis vel quovis alio privilegio, sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante.*»

Interpretes ss. canonum sub hac censura comprehendebant tum aperientes terram, in

II.

» Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III.

» Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae,* De Reb. Ecc. non alienandis (1).

IV.

» Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Grego-

sepulturam mittentes, ipsam mandantes aut concedentes vel procurantes, tum etiam cooperantes, associantes seu crucem portantes et luminaria deferentes; quia omnes isti participabant in crimine criminoso subiecto excommunicationi. Vid. infra p. 50 in nota.

(1) Constitutio, quae incipit *Ambitiosae,* quae legitur in Sexto Decretalium *lib. 3 Extrav. comm. cap. unic. de Rebus ecclesiae non alienandis* edita fuit a Paulo II anno 1467. Haec Constitutio passim in foro allegatur quando agitur de contractibus rerum Ecclesiae, atque in ea sic disponitur de bonis immobilibus et pretiosis mobilibus Deo dicatis quae pertinent ad Ecclesias, Monasteria, et pia loca quaecumque: « *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum* , praeter quam in casibus iure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et *tunc ecclesiarum evidenti utilitate* , ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetua valitura Constitutione fieri prohibemus. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus et Decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris.

» Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem *quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit sententiam excommunicationis incurrat.* Alienanti vero bona ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, *inconsulto Romano Pontifice,* aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus ecclesiae sit penitus interdictus » etc. sequuntur aliae canonicae poenae. Confer quae scripsi in adnotatione ad *cap. 11 sess. 22* Concilii Tridentini quod habes infra pag. 35. De casibus autem qui a Constitutione *Ambitiosae* excipiuntur, videsis Appendicem XI.

rio XV, Const. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Iunii 1741 (1).

» Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunica-

(1) Casus expressi in Constitutione Gregorii XV, *Universi*, ita se habent: « §. 4.... Statuimus, decernimus et declaramus quod omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, *ad inhoneste, sive inter se, sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis huiusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.*

« §. 7. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes.... »

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae*, sunt qui sequuntur: « *Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.* »

Heic quaeri potest 1° a quo die, mensis ad denunciandum utilis, quin excommunicatio incurratur, computandus est?

2° Si elabatur mensis ad denunciandum utilis atque ob negligentiam vel culpam persona sollicitata in excommunicationem inciderit, poterit ne a Confessario absolvi ab excommunicatione contracta?

Respond. Ad primum: mensis utilis ad denunciandum incipit a certa notitia huius obligationis et simul a certa notitia temporis utilis praescripti ad denunciandum: duplex est enim praescripta obligatio tum ad denunciandum, tum ad denunciandum infra mensem; ideoque persona sollicitata, quae cognosceret tantum denunciandi obligationem sub poena excommunicationis faciendam, non vero sciret se infra mensem ad id teneri, elapso mense in excommunicationem illico non incideret: dixi *illico* non incideret, namque in excommunicationem posset incidere si cognita dicta obligatione sub dicta excommunicationis poena satisfacere adhuc negligeret, quum gravis et urgens obligatio iam neglecta videatur, si ultra mensem culpabiliter protrahatur. Pariter neque ad denunciationem teneretur, si certo non sciret se ad denunciandum teneri. Confessarius, qui noverit poenitentem fuisse ab alio sollicitatam iuxta dictos casus, sive ipsa sollicitationi consenserit, sive non consenserit, tenetur eandem de sua obligatione monere; atque ab eo die incipit mensis ad denunciandum utilis.

Ad secundum respondendum videtur, posse a Confessario absolvi, si poenitens promittat, se quam primum denunciaturam; non enim in hoc Articulo habetur illa clausula, *donec non denunciaverint*, quae habetur in Articulo IV *de excomm. R. Pontifici reservat.* Quomodo autem sese gerere debeat Confessarius ad coadiuvandum, instruendum poenitentem ad denunciandum videsis Appendicem XII.

vit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt (1).

Heic paulisper sistimus, ut inseramus excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium, quae ad disciplinam referuntur cum adiectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere Constitutionem de qua agimus.

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut iurium, quorum excommunicatio est Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

Sess. 22, c. 11 de Refor. *« Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tan-*

(1) Hic quaeri potest, quinam libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium?

Resp. Nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina synodus *in sess. IV de editione et usu sacrorum librorum* intellexit; intellexit autem libros sacrae scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones.

Tridentina Synodus Decretum illud emisit postquam Decretum dogmaticum edidit de canonicis scripturis, quo, sapientia summa, iuxta Ecclesiae traditionem determinavit canonem librorum divinitus inspiratorum: atque praeterea postquam determinavit ex omnibus latinis editionibus sacrae scripturae quae id temporis circumferebantur, vulgatam editionem pro authentica habendam esse: ne autem haec Decreta perverterentur districte prohibuit, ne ederentur libri de rebus sacris tractantes sine nomine auctoris. Decretum quod in Constitutione, *Apostolicae Sedis*, temperatum est ita se habebat.

« Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens *(sancta synodus)*, qui iam sine modo *(aetate nostra dicendum, cum effrenata licentia)*, hoc est, putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacrae scripturae libros, et super illis adnotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam mentito praelo *(quod ostendit, id temporis non adeo fuisse effrenem impressorum procacitatem, ut aetate nostra)*, et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac sacra scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant et evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. » Quod Tridentinum Decretum quoad censuram nunc cohibitum

*

tum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus exsistat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur (1).

est ad eos tantum, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt.

(1) Confer hoc caput Tridentini Concilii cum Articulo XI, quem superius vidimus, *pag. 14* atque deprehendes, *usurpantes et sequestrantes iurisdictionem, bona redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum*, ex hoc capite Tridentino fuisse submotos, ut sub prima excommunicationis classe comprehenderentur, quae reservata est *speciali modo* Romano Pontifici. Haec submotio ex Tridentino capite, seu subtractio praecipuorum usurpantium et sequestrantium bona et iurisdictionem undequaque ecclesiasticam, ut graviori censura mulctarentur, efficit, ut verba dicti Articuli XI, tantum valeant pro nova censura, quantum exprimant, quemadmodum ibidem adnotavi. Sed quum in suo quoque vigore permaneat Tridentinum caput, quod eos quoque comprehendit, consequitur, ut si ex aliqua causa illi usurpantes vel sequestrantes evadere possent dictam censuram Articuli XI, tunc non facile effugerent censuram Tridentinam, quae est paullo mitior, quum reservata quidem sit Romano Pontifici, sed non *speciali modo*.

Item confer hoc caput Tridentini Concilii cum Articulo XII, quem habes eadem pagina 14, atque deprehendes pariter, *invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes*, fuisse subtractos e Tridentina censura, ut pariter graviori censura mulctarentur, quum in re maioris momenti usurpationem patrarent, eandemque censuram fuisse protensam ad omnes cooperatores.

Confer pariter Tridentinum Decretum cum Articulo III, quem habes *pag. 33*, atque deprehendes Articulum illum, qui excommunicatione nemini reservata plectit *alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis « Ambitiosae »* non esse comprehensum *per se* sub Decreto Tridentino;

Excommunicatur Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae monialium: itemque violantes earum clausuram.

Sess. 25, c. 5 *de Regul.* « *Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit,* Periculoso, *renovans Sancta Synodus, universis Episcopis sub*

namque deprehendes in eo Articulo III agi de legitima administratione bonorum ecclesiasticorum; quae administratio, Episcopis, ceterisque ecclesiasticis vel legitimis personis iure commissa, non adeo protenditur, ut possint eadem bona aliqua ratione alienare, sine Beneplacito Apostolico, exceptis nonnullis tantum casibus. Quod si alienatio fieret sine Apostolico Beneplacito, quum non sit usurpatio proprie dicta, non comprehenditur sub dicto Tridentini capite.

Dixi Articulum III *per se* non esse comprehensum sub Tridentino Decreto; namque *per accidens* posset comprehendi; idest quando legitimi administratores bonorum ecclesiae, bona alienarent, ut eadem usurparent, puta ob tenuissimum pretium, quo alienarent, ut aliunde ipsi lucrum perciperent: hoc enim in casu titulo illegitimae alienationis tegeretur quoque usurpatio: eaque proinde alienatio comprehenderetur sub Tridentina censura huius capitis inflicta omnibus usurpatoribus ob quamvis usurpationem bonorum quorumcumque ecclesiasticorum *quacumque arte aut quocumque quaesito colore* factam.

Haec Tridentina dispositio adeo ampla est, ut omnia ecclesiastica bona, etiam *locorum piorum, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent,* comprehendat, omnesque personas, qui aliquo modo ecclesiastica bona usurpant, vel usurpata ab aliis sibi retineant, quodcumque fuerit medium per quod ea bona usurpata sibi devenerint, *etiam per suppositas personas clericorum vel laicorum,* idest, etiam quando eadem bona aliquis sibi retineat, quia derivaverint per medium clericorum vel laicorum, qui sint legitimi eorundem bonorum administratores, puta ex donatione ab eis facta.

Et non tantum comprehendit eos, qui bona redditus etc. aliqua ratione usurpaverint, vel impediverint, ne eadem bona et redditus ab eis, ad quos iure pertinent, percipiantur; sed etiam qui usurpaverint iurisdictiones ecclesiasticas ecclesiarum vel Beneficiorum etiam piorum locorum, puta usurpaverint potestatem eadem pia loca gubernandi ordinandi contra leges in fundationibus praescriptas independenter a legitima ecclesiastica auctoritate. Idem est sive sint patroni sive non sint. Clerici praeterea, quamquam essent legitimi administratores, etiamsi bona et iurisdictiones sibi non usurparent, sed essent usurpationis fabricatores vel etiam si tantum suo consensu usurpationem coadiuvarent, iisdem poenis subiacent.

Hic quaeri facile potest, utrum qui emant ecclesiastica bona usurpata ab usurpatoribus in hanc Tridentinam censuram incidant: ratio dubitandi est, quod in Tridentino capite hic casus non videtur consideratus; qui enim per contractum onerosum bona usurpata acquirat non videtur stricto sensu usurpator: e converso Tridentina dispositio videtur tantum loqui de eis, qui quovis praetextu et quaesito colore bona sibi usurpant, non vero per solutionem pretii bonorum venditorum. Eo magis quod quum de censura agitur verba dispositionis protendere non debeamus.

Resp. Comprehenduntur sub sententia Tridentinae dispositionis, quamquam fortasse non comprehendantur sub verbis dispositionis eiusdem. Sententia autem legis est, ut quaevis bonorum ecclesiasticorum usurpatio eadem censura plectatur: qui autem emit bona usurpata ab usurpatoribus, actione sua in usurpationem concurrit, atque bona quae acquirit non cessant esse usurpata bona per pretium usurpatori solutum: quum ipse eorum dominus vel legitimus saltem administrator non sit.

Quod vero censuram non debeamus protendere ultra verba dispositionis, est iuridicum sophisma in praesenti casu; namque « *certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem,* quae est alia Regula iuris *Reg.*

obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus saecularibus iniungit (1).»

Sess. 25 ex cap. 5 de Reg. «*Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda* (2).»

Excommunicantur raptores mulierum eorundemque consocii.

Sess. 24 ex cap. 6 de Refor. matr. *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati...* (3).»

Excommunicantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24 ex cap. 9 de Ref. matr. «*Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cu-*

iur. 88 in 6°. Ceterum quando invocantur iuris Regulae prae oculis habendum est, non ius ex Regulis oriri, sed e converso Regulas ex iure oriri; ideoque eum praeseferre sensum ex iure ex quo desumptae sunt, et secundum ius intelligendas. His positis apparet, quam parum inserviant iuris Regulae in legum interpretatione, et quam facile sophismata iuridica committi possint, si his Regulis indiscriminatim utamur, indole et sententia legum neglectis.

Quod si eiusmodi emptores ex aliqua iusta causa effugere possent hanc Tridentinam censuram, facile inciderent in censuram Constitutionis *Ambitiosae*.

(1) Haec tamen censura in praesenti societatis statu per non usum, iam videtur in desuetudinem abiisse.

(2) Haec censura iam comprehensa est sub Articulo VI Constitutionis *de Excom. R. Pontif. spec. mod. reserv.*, ideoque convertitur in eam expressam in eodem Articulo.

(3) Eiusmodi censura in suo vigore manet, quamquam tempore Tridentini Concilii casus huiusmodi erant multo frequentiores, quam aetate nostra. Namque homines effrenati id temporis ad haec patranda crimina erant magis intenti, quum minus intenti essent ad ideas passionesque politicas.

piditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis iniurias nasci, a quibus iura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant (1).»

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

Sess. 21, cap. 18 de Regul. « *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis* (2), *ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut*

(1) Pariter haec censura in dominos vel magistratus inflicta, qui subditos cogerent, quominus libere matrimonium contraherent in suo vigore permanet, quamquam minores admodum aetate nostra sint eiusmodi casus, qui frequentissimi erant Tridentini Concilii tempore.

(2) Casus in iure expressi ad hos reducuntur: in *cap. 18 de Convers. coniugatorum* Innocentius III ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse: « Significavit nobis A mulier, quod, quum ipsa F viro suo coram Decano Sancti Quiriaci, vice Archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi; continentiae tamen voto eidem iniuncto, et recepta fide ab ipsa, quod perpetuo contineret, idem Decanus, post factam professionem a viro praedicto in monasterio in quo habitum assumpserat monachalem, asseruit, ipsam debere religionem intrare, quamquam id primo non expressisset eidem, et hoc expresso, illi licentiam non dedisset. Quocirca mandamus quatenus si est ita, et est talis de qua suspicio haberi non possit, ipsam, votum continentiae observantem, intrare monasterium compelli non permittatis invitam. » Ex quo capite Glossa sic arguit: « Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli*, intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam. »

Item Gregorius IX *in cap. 19 eod. tit.* alterum consideravit casum, atque ita rescripsit: « Mulieres vero, quae relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant. »

habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam veli consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.»

Excommunicantur duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adiuvant, vel assistunt.

Sess. 25 ex cap. 19 de Ref. «*Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis..... poenam incurrant.... Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur* (1).»

Hae sunt excommunicationes quas in rebus disciplinae inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SSmi Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

«Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione (2).

(1) Haec censura iam comprehensa est sub Articulo III quem habes *pag. 17*, ideoque in eam convertitur.

(2) Haec censura originem duxit ex Extravaganti *Iniunctae nobis, de Electione c. 1 inter communes*, sic enim inter cetera in ea sanxerat Bonifacius VIII. «Praesenti itaque perpetuo valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi et alii Praelati superiores nec non Abbates, Priores et ceteri monaste-

II.

» Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Benefici vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (1).

riorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem *(Apostolicam)* promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria absque dictae Sedis litteris huiusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant; nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut pareant vel intendant. Quod si forsan contra praesumptum fuerit, quod per Episcopos, Praelatos, Abbates, Priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur; nec quicquam interim iidem Episcopi vel Praelati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant earundem. *Capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicumque, ipsos absque huiusmodi dictae Sedis litteris recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere,* Similiter quoque Episcopi, Praelati, Abbates. Priores et alii monasteriorum regimina exercentes praedicti, solito fidelitatis et obedientiae iuramento non praestito. Illi etiam Pontifices, quos apud praedictam Sedem pallium continget recipere, absque litteris traditionis ipsius pallii nequaquam ab eadem discedant; discedentes vero (quousque huiusmodi iuramentum praestiterint, et litteras obtinuerint) nihil de ipsarum ecclesiarum et monasteriorum proventibus percipiant, et quicquid interim per eos (ut de aliis praedicitur) actum fuerit, viribus non subsistat.»

(1) Gregorius IX in *cap. Si quis 25, de Simonia*, haec statuit: « *Si quis ordinaverit seu ad ordinem praesentaverit aliquem, promissionem vel iuramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquiet eundem, ordinator a collatione, Praesentator vero ab exsecutione ordinum per triennium, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint noverint se suspensos.* »

Eiusmodi iuris dispositio, uti patet, ex parte tantum est innovata: incurrunt enim hanc suspensionem solum ordinantes.

Haec dispositio reperitur in Decretalibus sub titulo *de Simonia*, quia propositus casus simoniam redolet. Neque huic iuris dispositioni derogaverat Tridentina synodus, quae immo hac in re veteres canones innovavit.

Namque Tridentina synodus de titulo s. ordinationis plura disponens in *cap. 2 sess. 21 de Refor.* his verbis caput hoc clausit: *antiquorum canonum poenas super his innovando:* ideoque dispositio Gregorii IX de qua loquor, renovata censenda erat quamquam etiam ob speciem simoniae esset inflicta.

Abs re hic non erit, indicare quandam dubitationem ortam post Tridentinam Synodum super illis verbis: *antiquorum canonum poenas super his innovando.* Nonnullae erant poenae antiqui iuris, relatae in Decreto Gratiani *can. Neminem, et can. Sanctorum dist. 70*, quibus canonibus infligebatur perpetua privatio exsecutionis ordinis in eos, qui sine titulo ordinabantur, idque in iniuriam ordinantis sine titulo: sed aliae poenae erant minus antiquae, quae derogaverant illis antiquissimis, et sunt illae quae leguntur in Decretalibus, *capitibus 2, 4, 16, et 23 de Praebendis*, et *cap. 37 eod. tit. in 6°.* quae quidem poenae non plectunt ordinatos, sed ordinantes et sine censura: namque his capitibus hoc principium dumtaxat continetur: ordinans sine titulo cleri-

III.

» Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus (1), vel etiam subditum

cos in sacris ordinibus teneatur eisdem subministrare congrua alimenta donec per ipsum ordinantem vel per alium consultum non fuerit titulo s. ordinationis.

S. Congregatio authentica Concilii Tridentini interpres in dubii solutione, iuxta ea quae tradit Fagnanus in *cap. Cum secundum, de Praebendis n. 63 et seq.*, hanc tenuit viam, ut non intelligeretur renovata poena antiquissima, propterea quod eidem poenae iam esset derogatum per subsequentes canones, quando tamen ageretur de ordinato sine titulo non interveniente fraude: quod si fraus interveniret, puta ob conflictum falsumque titulum, quo ordinatus decipiat Episcopum, tunc sustinet Fagnanus locum habere vetustissimam poenam in sic ordinatum. De qua re videsis Appendicem XIII.

Successit Constitutio Sixti V, *Sanctum et salutare*, edita die 5 Ianuarii 1589, qua Pontifex ille praeter alias poenas suspendit tam ordinantem, quam ordinatum nulla distinctione facta, nisi iustus error vel probabilis facti ignorantia Episcopum excusaret. (Quam Constitutionem tamen ad terminos communis iuris et Constitutionis Pii II, *Cum ex sacrorum* editae die 17 Novembris 1461, reduxit postea Clemens VIII in Constit. *Romanum Pontificem*, edita die 28 Februar. 1596. Ita res manserat ut prius.

Denique Urbanus VIII in Constit. *Secretis*, edita die 11 Decembris 1624 inter cetera perpetuo eos suspendit *qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines promoveri fecerint.* Quod est id, quod docuerat cum aliis Fagnanus, quodque iam confirmaverat S. Congregatio Concilii die 27 Novembris 1610 ut refert Bened. XIV *Institut. eccles. 26, n. 16.*

Hic facile quaeritur, quid hodie sentiendum post Constit. *Apostolicae Sedis*, de iis clericis saecularibus, qui fortasse confecto titulo ordinari se fecerint?

Resp. Nulla censura irretiti manent, tum quod suspensio ab Urbano VIII cessavit, tum quod Tridentina expressio, *antiquorum canonum poenas super his innovando*, de qua, ut exposui, iampridem dubitatum est, videtur quoque cessasse, quum Constitutio, *Apostolicae Sedis*, renovans Tridentinas censuras, non videatur renovasse censuras Tridentinas indirecte inflictas de qua re videsis Appendicem XIV.

(1) Iuxta ss. canones de sacra ordinatione ille est dicitur que non subditus causa ordinationis alicui Episcopo, qui non sit ei subditus ratione originis aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis aut ratione Beneficii; namque quisquis, si aliquo ex his quatuor titulis gaudeat, iam dicitur Episcopo subditus causa recipiendae ordinationis. Ex his quatuor titulis duo sunt quae possunt facile pendere a voluntate Episcopi ordinantis cuiusmodi est titulus familiaritatis; praesertim vero titulus Beneficii: si itaque qui ordinandus est Beneficium obtineat extra suam dioecesim, quod redditus sufficientes praebeat iuxta eius dioecesis leges in qua Beneficium exstat, quibus ceteri ordinari possint, non est dubium, eum qui tale Beneficium possideat, ab Episcopo eius dioecesis posse ordinari sine litteris dimissorialibus sui Episcopi, qui solet esse Episcopus domicilii.

Sed quaeritur: si Beneficium non sit sufficiens, ob tenues redditus ad constituendum ordinationis titulum iuxta leges vel consuetudinem dioecesis in qua Beneficium exstat, poteritne suppleri per patrimonium ordinandi?

Resp. Non potest suppleri per patrimonium; et si Episcopus ordinaret eiusmodi Beneficiarium cum supplemento patrimonii, sine litteris dimissorialibus eius Episcopi, ordinaret alienum subditum et in suspensionem incideret ipso iure in hoc Articulo de-

proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus (1).

claratam: ordinaret enim *alienum subditum sub praetextu Beneficii iam collati, sed minime sufficientis.*

Namque hac in re quoad dispositiones canonicas sacrae ordinationis in vigore manet celebris Constitutio Clementis XII, *Speculatores*, edita die 4 Novembris 1694, quae explicavit uberius atque determinavit Tridentinas dispositiones de s. ordinatione. Ita autem Pontifex ille constituit: « Licet vero Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi in cuius dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive ea deficiente, iuxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, *sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret.*»

Item quaeri potest, utrum Episcopus in eandem suspensionem incurrat, si collato alieno subdito Beneficio sufficienti, eundem ordinet, quin habeat litteras testimoniales alterius Episcopi vel aliorum Ordinariorum quibus ordinandus quoque subsit ex aliis titulis.

Resp. In suspensionem incurreret, si violata maneret regula, quae in secunda parte Articuli exprimitur per verba: *vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* Si enim haec regula violata non maneret, puta, quia Episcopus conferat Beneficium alieno clerico (conferri enim Beneficia non possunt nisi illis, qui iam saltem prima tonsura sint initiati), qui a prima iuventute in suo seminario degerit, non videtur in censuram incurrere. Attamen eiusmodi Episcopus, quamquam in censuram non incurrit, violaret ecclesiasticam legem in Constit. *Speculatores* expressam his verbis: « *Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eandem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cuiuscumque Beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis quam domicilii, super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit.*»

Item quaeri potest, quomodo conciliatur cum hac parte huius Articuli III, dispositio Tridentina *sess. 23 c. 8 de Ref.* quae ita se habet: « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*»

Resp. Nulla datur oppositio inter hanc Tridentinam dispositionem et Articulum III Constitutionis de quo agimus. Namque dispositio Tridentina videtur respicere peculiarem casum de eo, qui petat promoveri ab alio, qui non sit Episcopus proprius neque ratione originis vel domicilii neque Beneficii vel familiaritatis; item respicit casum eius, qui forte obtinuerit aliquod Apostolicum rescriptum, vi cuius posset ordinari ab alio Episcopo; itemque casum respicit, de Episcopo, qui vi alicuius privilegii ordinare posset quemlibet ad se accedentem, iuxta id quod legitur in *sess. 14 c. 2 de Ref.* Hisce enim in casibus tum Episcopus, qui ordinaret subditum alienum sine dictis litteris testimonialibus, tum ipse Ordinatus in eam Tridentinam censuram incideret.

(1) Quaeri potest, qua ratione aestimandum sit tempus commorationis alibi factae

IV.

» Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo (1).

ut Ordinarius sub hac poena teneatur exquirere litteras *testimoniales* dandas ab aliis locorum Ordinariis?

Resp. Norma ad aestimandum commorationis tempus alibi factae, est ea quae in ipso Articulo indicatur per verba: *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* In qua re tamen est animadvertendum, sermonem non esse de philosophica possibilitate (canonicum enim impedimentum potest contrahi per brevissimum morae spatium); sed de possibilitate iuridica, quae iuxta locorum et personarum circumstantias frequentius exsecutioni mandatur. Lex enim respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad ea quae raro contingunt, *l. Non ad ea, ff. de Legibus.* Si tamen hac in re quaeratur aliqua regula, tutissime posset aptari illa, quae viget de litteris testimonialibus de *statu libero* pro matrimonio contrahendo ab illis exhibendis, qui commorati fuerint tantum temporis in variis locis, ut documentum liberi status existimetur necessarium.

Animadverti quoque potest, non omnia canonica impedimenta s. ordinationis esse eiusdem indolis: alia enim sunt quae contrahi possunt in loco originis vel domicilii, alia quae contrahi possunt in quovis commorationis loco, ut patet ex sequenti elencho, quem ex Monacelli *(Formularium legale practicum de Collat. ordinum form. 1)* exscribo.

PROMOVERI NON POSSUNT

Non baptizati, *cap. Veniens de Presbyt. non baptiz.*

Illegitimi, *can. Presbyter 56 dist.*

Minores natu, *can. Qui in aliquo 51 dist.*

Non confirmati, *Conc. Trid. sess. 23 c. 4 de Refor.*

Neophyti, *dicto c. Qui in aliquo, can. Quoniam 48 dist.*

Uxorati, *Extravag. Ioannis XXII, Antiquae.*

Bigami, *can. Si quis 33 dist. et tot. tit. de big. non ordinandis.*

Criminosi, *can. Laici dist. 33; Concil. Trid. sess. 14 c. 7 de Refor.*

Infames, *can. Infames 6 q. 1.*

Publicis rationibus impliciti, *can. Legem, 53 dist.*

Servi, *c. De servorum, de serv. non ord.*

Eunuchi, *can. Si quis, 55 dist.*

Corpore vitiati, *can. Illetteratos, 36 dist.*

Insigniter deformes, *can. fin. 51 dist.*

Amentes et furiosi, *dicto c. Qui in aliquo.*

Energumeni, *can. Communiter 33 dist.*

Peregrini et ignoti, *dicto c. Qui in aliquo.*

Ebrietati et gulae dediti, *cap. 23 de vita et honest. cleric.*

Usurarii manifesti, *c. Episcopus 47 dist.*

Rudes et ignari, *Concil. Trid. sess. 23 per tot.*

Irregulares, *c. Saepe de temp. ord. in 6°.*

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Morbo comitiali laborantes.

Lanii, Cauponae, Mimi, Histriones.

Qui saeva exercuit, vel denunciavit secuta poena vel mutilatione, *can. Communiter, can. Clerici, dist. 33, cap. unic. de vita et honest. Cleric. in 6°, Clem. 1 eod. tit., can. His quibus 23 quaest. 8, cap. Sententia sanguinis, Ne clericor. vel Monachor., cap. Ex litteris, de Excess. praelat.*

Videsis de hac re Appendicem XV, in qua refertur quoque ex integro Constitutio *Speculatores*, quae, excepta poena suspensionis, iuxta Articulum de quo agimus temperata, in reliquis in suo vigore permanet.

(1) Concilium Tridentinum in *sess. 21 c. 2 de Ref.* agens de titulo s. ordinationis pro saeculari Clero, nihil de Regularibus dispo-

V.

» Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes (1).

suit: eiusmodi enim rem reliquit iuxta primaevam consuetudinem, secundum quam Regularibus titulus erat ipsa religiosa professio, qua perpetuo Regulari Ordini mancipantur, et ex quo ali debent. Post Tridentinum Concilium S. Pius V, ad removendos abusus eorum, qui se iactabant Religiosos et Regulares quamvis non emisissent professionem in aliqua adprobata Religione, statuit, ut etiam Regulares non profèssi non promoverentur ad sacros ordines nisi ad titulum Beneficii vel Patrimonii vel Pensionis et non aliter, sub poena suspensionis. Ita autem sanxit in Constitutione *Romanus Pontifex*, edita die 14 Octobris 1568.

« §. 2. Cum autem nulla in huiusmodi Decreto *(Concilii Trid. sess. 21 c. 2 de Ref.)* religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi seu Canonici vel Clerici intra claustra monasteriorum seu domorum more Regularium, in communi viventes, qui numquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis Beneficii, nec iuxta Decreti tenorem ad sacros ordines se promoveri praetendant, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur.

» §. 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione *Decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiusoumque Ordinis Clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri;* nec non omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere nisi observata forma dicti Decreti, nos virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, interdicimus et prohibemus, *ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum ipso iure suspendimus.*

» §. 4. Statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius Decreti Concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae . . . concessae praetextu, factas, exsecutione praedictorum ordinum omnino carere nullasque prorsus et irritas exsistere, sic promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse, etc.»

Haec secunda sanctio, qua Pontifex renovavit veteres canones *Neminem 1* et *Sanctorum 2 dist. 7* de quibus mentionem feci in superiori Articulo II, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* cessat.

Videsis quoque Appendicem XV, in qua refero causam *Tarvisinam*, *Dubia super S. Ordinatione*, agitatam in S. Congr. Episc. et Reg. et definitam die 6 Maii 1864, quae lucem affert circa vigentem disciplinam de s. ordinatione quoad ecclesiastica Instituta in quibus solemnis professio non emittitur: eam causam refert Emus Card. Bizzarri in *Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episc. et Reg. pag. 760.*

(1) Haec Articuli verba deprompta sunt ex Decretis S. Congregationis Concilii editis sub Urbano VIII die 21 Septembris 1624; ea inserta exstant Bullario romano. In paragrapho 10 horum Decretorum haec leguntur: « *Item* (S. Congregatio statuit) *ut eiecti,*

VI.

» Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel

extra religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.»

Praeterea in §. 6 eorundem Decretorum S. Congregatio statuerat ordinem indicialem servandum ad expellendos Regulares; qui expelli non possunt nisi sint incorregibiles. Atque in §. 11 renovavit Constitutionem Gregorii IX in *cap. fin. de Regularibus*, in qua refertur constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III. Haec Constitutio Gregorii IX ita se habet: « Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant, et sanguis eorum de Praelatorum manibus requiratur, statuimus, ut praesidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii generalis, *seu Patres Abbates seu Priores fugitivos suos et eiectos de Ordine suo, requirant sollicite annuatim. Quod si in monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem regularem, Abbates seu Priores eorum monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud ea monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam ibi poenitentiam, talibus vitae necessaria ministrentur. Si vero eiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent et tamdiu faciant ab ecclesiarum Praelatis excommunicatos publice denunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.»*

Haec Decretalis his verbis fuit innovata in dicto §. 11 Decretorum S. Congregationis. « *Ac postremo censuit* (S. Congregatio) *esse innovandam et suae Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem fel. rec. Gregorii IX relatam in c. fin. de Reg., ac praeterea declarat eam Constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum servandamque esse, qui iuste definitive, ac iuris ordine servato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuius conscientiam in litteris concedendis S. Congregatio serio oneravit.»*

Hic quaeri potest, utrum illi, qui iniuste eiiciantur e Religione in hanc perpetuam suspensionem incurrant.

Resp. videntur incurrere. Ratio est quod in hoc Articulo non fit distinctio inter iustam vel iniustam electionem, sed tantum limitatio adiicitur, per verba *extra religionem degentes:* proindeque qui eiecti sunt et extra Religionem degunt, sive iuste sive iniuste fuerint eiecti, quousque extra religionem degunt, sive extra suam quam professi sunt, sive extra aliam in quam possint canonice transire, suspensi manent ab exercitio ordinum.

Qui autem putent, se iniuste extra religionem eiici, habent iuris remedia per recursum ad S. Sedem, a qua tamen neque audiuntur si extra religionem degant iuxta *c. 19 Concil. Trident. sess. 25 de Regul.* nisi forte prius obtineant facultatem reclamandi extra religionem degentes.

Si quaeras, quaenam sit canonica ratio, cui hic Articulus V innitatur, haec esse videtur. Qui a sua Religione eiicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, immo et ecclesia, cui sit adscriptus, et simul obligatione gravissima obstringitur faciendi satis votis solemnibus per Religiosam professionem Deo nuncupatis; ideoque non aliud superest remedium, nisi ut ad suam redeat religionem si forte in aliam non transeat, vel nisi forte valeat obtinere a S. Sede saecularizationis indultum, quo, substantia votorum incolumi manente, possit reperire benevolum Episcopum, qui eum recipere velit.

Quaeri item potest, utrum sub eadem Articuli V censura comprehendantur etiam Regulares fugitivi et apostatae a religione:

suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus (1).

videtur enim eadem ratio canonica militare, quae militat contra eiectos.

Resp. Non videntur comprehendi sub eodem Articulo fugitivi et apostatae: ratio est, quod in iure satis distinguuntur apostatae seu fugitivi ab eiectis: ideoque sub nomine eiectorum non intelliguntur apostatae seu fugitivi. Quod si eadem ratio canonica militet tam contra eiectos quam contra fugitivos quoadusque extra religionem degant, ideoque eadem poena possent iuste mulctari; nihilominus alia ratione consultum est apostatis et fugitivis. Quod constat ex ipsis citatis Decretis S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII editis: in his enim eiecti mulctantur dicta poena expressa in §. 10: de apostatis vero et fugitivis sic est dispositum in §. 4. « *Rursus statuit* (S. Congregatio) *ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres coniici, superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Concilii cap. 3 sess. 6.* » Praeterea apostatae a religione vel fugitivi nullo privilegio sui ordinis iuvantur, *Concil. Triden. sess. 25 c. 9 de Regul.* atque subiiciuntur aliis poenis iuxta peculiares singulorum Ordinum constitutiones statutis, in quibus communis fere dicitur esse excommunicatio ipso facto inflicta.

(1) In hoc Articulo plura determinantur, quae in veteribus canonibus sancita quidem fuerant, sed non undequaque determinata et circumscripta erant. Firmum quidem semper fuit, sacram ordinationem ab eiusmodi Episcopis collatam in se validam esse si iuxta substantialem catholicae Ecclesiae ritum fuerit peracta: sed quoniam ipsi omni iurisdictione ecclesiastica carent, eorum ordinationes irritae sunt appellatae iuxta veterem dicendi modum, quo significabatur, ordinatos ab eis nullo ordinis exercitio frui nullaque ecclesiastica dignitate potiri. Sic ex. gr. in *cap. 1 de Schismaticis* legitur Alexander III in Concilio Lateranensi constituisse, « *Ordinationes ab Octaviano et Guidone haeresiarchis factas et ab ordinatis ab eis irritas esse censemus, adiicientes, ut qui dignitates ecclesiasticas seu Beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis.* » Item in *cap. 2 eod. tit.* Innocentius III ita respondit: « *Priorem, quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum et ab ea persona, quae potestatem habuerit dispensandi.* » Duriora quoque sunt, quae a Sanctis Patribus tradita leguntur in Decreto Gratiani de ordinationibus factis ab excommunicatis et haereticis, *c. 1, 2, 3 causa 9 quaest. 1.*

In *cap. 2, de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui* haec respondit Gregorius IX « *Cum Clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt per suos poterit Episcopos dispensari.* » Item in *cap. 1 eod. tit.* agitur de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui et episcopali dignitati, qui proinde quum careat et iurisdictione et quavis extrinseca dignitate, ita respondit Alexander III: « *Sane si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, exsecutionem officii non habebit, ubi autem non scienter, poterit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare.* »

His canonici iuris capitibus innititur Articulus VI de quo agimus. Haec tamen iuris capita nonnullis difficultatibus erant obnoxia; namque quaestio oriebatur, utrum Episcopi excommunicati deberent esse denunciati ut ordinati ab eis in eas poenas incurrerent; utrum ordinati a suspenso Episcopo vel interdicto puniendi pari modo essent: utrum bona fide ordinati ab excommunicatis suspensi essent; id affirmarunt Suarez

VII.

» Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii (1), vel absque praevio examine coram eo-

de cens. disp. 31 sect. 2, Bonac. *de censur. disp. 3 p. 5*; quod haec suspensio non sit poenalis, et ideo ad illam non praerequireretur culpa: e converso Diana *part. 1 tract. 10 res. 39* visus et cum Turriano tenere contrarium eo quod iura citata possent accipi de ignorantia culpabili.

Haec iam soluta reperiuntur in eodem Articulo. Suspensi itaque manent, qui *praesumpserunt*, idest, *scienter* receperunt Ordinem ab eis, a quibus recipi non debet, et haec suspensio est Romano Pontifici reservata. Sed quaeri potest, utrum reservata quoque sit R. Pontifici suspensio eorum, qui bona fide ordinem ab eis receperunt, ob verba Articuli: *qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Resp. Non videtur reservata; ita ut verba indefinita *donec dispensentur*, contineant clausulam *prout de iure*. In iure autem haec dispensatio non est reservata uti constat ex allegatis iuris capitibus, de qua re videsis Appendicem VII.

Item quaeri potest, utrum in hoc Articulo differant eiusmodi rationes dicendi: *suspensio ab ordine*, et *suspensio ab exercitio ordinis*.

Resp. Differre puto, iuxta ea quae scripsit Thesaurus in doctissimo opere de *Poenis eccles. par. 2 verb. Ordo cap. 24*, his verbis: « Limita quod si promotus ignoraverit totaliter vitium ordinantis, tunc *non est proprie suspensus* neque irregularis, sed improprie, quatenus ante dispensationem peccat ministrando in susceptis. » De iuridica ratione dicendi *non habere exsecutionem ordinis vel exercitium ordinis*, videsis Appendicem XIII.

(1) Hic quaeri potest, quinam veniant nomine exterorum Clericorum?

Resp. Veniunt illi omnes clerici, qui non pertinent ad Romanam dioecesim neque pertinent ad sex dioeceses suburbicarias: de clericis enim suburbicariarum dioecesium peculiari ratione disponitur in altera parte Articuli.

Item quaero, an clerici exteri, qui completis Romae quatuor commorationis mensibus, obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario ex Urbe discedant animo non redeundi Romam, possint ab alio Episcopo ordinari sine licentia Emi Urbis Vicarii vel sine examine Romae subeundo, quin locum habeant huius Articuli censurae.

Resp. Videntur eiusmodi censurae locum non habere ob verba Articuli: *in Urbe commorantes ordinati ab alio:* quae verba significant commorationem perdurantem, et in eius perduratione ordinationem ab alio factam. Haec verba conveniunt cum Edicto Emi Urbis Vicarii ex iussu Clementis VIII edito die 24 Novembris 1603, qui primus hanc legem edixit, per verba « *Universis et singulis Clericis nunc et in futurum pro tempore in urbe commorantibus, et ad minores vel sacros etiam Presbyteratus ordines promoveri volentibus..... edicimus et praecipimus, ne de cetero extra eandem urbem... promovere se faciant...* » Eadem verba reperiuntur in alio Edicto ex mandato Alexandri VII die 15 Maii 1664.

Sed aliqua difficultas oritur ex altero Edicto Emi Urbis Vicarii edito ex mandato Benedicti XIV die 20 Martii 1748, in quo edicto, renovatis prioribus, leguntur haec verba: « *Universis et singulis Clericis, qui in hac alma Urbe ultra quatuor menses quacumque ex causa nunc et in futurum pro tempore commorati fuerint districte praecipimus et mandamus ne de cetero extra eandem Urbem etc.* » Atque in hoc Edicto adiecta quoque est poena interdicti in ordinantem ab usu pontificalium ad annum.

At vero inspecto integro huius Edicti te-

dem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

» Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia (1).

II.

» Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (2).

nore, verba illa *commorati fuerint*, non aliam vim habere videntur, quam *commorantes ultra quatuor menses in Urbe, atque commoratione perdurante:* non enim in hoc Edicto agitur de primaeva lege quoad hoc caput declaranda, sed tantum de eadem lege exsecutioni mandanda quae negligebatur, addita nova sanctione. Attamen subintrare facile videtur dispositio Articuli III, suspensione plectens Episcopum proprium, qui ordinet suum subditum vel aliis ordinare committat, sine litteris testimonialibus Ordinarii eius loci, in quo Ordinandus tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit: commoratio enim in Urbe quatuor mensium et amplius, aestimatur quidem sufficiens ad canonicum impedimentum contrahendum: ideoque litterae testimoniales exquirendae essent ab Emo Urbis Vicario. *Videsis Append. XV et XVI.*

(1) Hoc interdictum quod respicit Communitates; (singulares enim personae subiiciuntur excommunicationi Romano Pontifici speciali modo reservatae, de qua loquitur Articulus IV superius exposito *pag. 10)*, depromptum est ex Bulla coenae. *Videsis Appendicem I.*

(2) Hic Articulus ipsis fere verbis desumptus est ex *cap. 8 de Privilegiis in 6°*, in quo Bonifacius VIII haec constituit: « Epi-

» Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari

scoporum et aliorum Praelatorum querelis frequentibus et querulosis clamoribus excitati, praesenti Decreto duximus statuendum, ne aliqui saeculares aut regulares, quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicae privilegiis communiti cuiuscumque ordinis, religionis, status vel conditionis existant, *scienter celebrent vel faciant celebrari divina in civitatibus, castris, villis (nisi quatenus eius iure conceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis sive delegatis iudicibus, vel a iure: aut excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra praesumpserint (praeter alias poenas a iure statutas) ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum; donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.*«

Quamquam verba Articuli deprompta sunt ex hac Decretali Bonifacii VIII, non est tamen existimandum, eiusmodi Articulum intelligendum undequaque esse, ut intellecta fuit Decretalis Bonifacii: namque Decretalis comprehendebat tantum exemptos ab auctoritate episcopali sive essent regulares sive saeculares, ne videlicet ratione exemptionis interdictum episcopale careret effectu in detrimentum ecclesiasticae disciplinae. Eademque Decretalis sartas tectasque reliquit ceteras poenas, per verba: *praeter alias poenas in iure statutas*, quae desunt in nostro Articulo. Ideoque illi, qui iam incurrant excommunicationis poenam R. Pontifici reservatam de qua sancit Articulus XVII, quem supra vidimus pag. 28, non videntur incurrere utramque poenam tum illam excommunicationis, tum hanc interdicti ab ingressu ecclesiae; quum poenae non sint multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas. Item *loca a iure interdicta* post Constit. Martini V *Ad evitanda*, non censentur talia, nisi accedat declaratio; proindeque qui violaret loca a iure quidem interdicta, sed non declarata talia ab auctoritate ecclesiastica, non evaderet interdictus ab ingressu ecclesiae.

Si quaeras, quaenam sint loca iure interdicta videsis Appendicem IV.

In hoc Articulo itaque per verba *nominatim excommunicatos*, intelliguntur excommunicati ab Episcopis vel aliis Ordinariis, qui iurisdictione et potestate polleant excommunicandi vel declarandi in foro externo excommunicatos: idemque Articulus II est pro hac parte parallelus cum dicto Articulo XVII, in quo excommunicationi Romano Pontifici reservatae subiiciuntur *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes:* quae verba, si conferantur cum verbis huius Articuli II, *scienter.... admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta*, apparet aliquod discrimen adesse per verba: *Clerici sponte communicantes*, quae desunt in Articulo II. Unde quaero, utrum hoc verborum discrimen aliquem effectum diversum inducant.

Resp. Puto non inducere: ratio est, quod non agitur in themate de diversa Constitutione vario tempore variisque de causis lata, sed de una eademque Constitutione, quae, quantum fieri possit, armonice est intelligenda: ideoque quum ambo Articuli in eadem Constitutione reperiantur et propter eandem causam, idest ne cum excommunicatis denunciatis Clerici communicent in divinis, eodem sensu Articuli sunt accipiendi: eo magis quod discrimen reale iam adest in discrimine poenae. Quare Clerici omnes sive sint saeculares sive Regulares, qui sponte communicent in divinis cum excommunicato nominatim a Romano Pontifice excommunicationem ipsi reservatam incurrent; qui vero sponte communicent in divinis cum excommunicato ab aliis Ordinariis erunt interdicti ab ingressu ecclesiae. Articuli autem cum sint paralleli, ad invicem sunt declarandi et, si opus sit, ad invicem supplendi.

Nota praeterea discrimen inter Articulum I, quem habes *pag. 32*, quo excommunicationi nemini reservatae subiiciuntur *mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nomi-*

modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Heic iterum paulisper sistimus inserentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant.

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Sess. 23 ex cap. 8 de Ref. « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus* (1). »

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. « *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare* (2). »

natim excommunicatos vel interdictos. et inter hunc Articulum II de quo agimus, per verba: *admittentes ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos:* alii enim sunt *mandantes et cogentes*, alii sunt, *scienter admittentes:* nomine *admittentium* intelliguntur illi, qui possent non admittere: qui autem sint, qui possint non admittere, sunt Parochi, Rectores ecclesiarum seu coemeteriorum, vel alii, qui in singulis casibus melius dignoscentur. Poena autem interdicti ab ingressu ecclesiae lata est in *admittentes nominatim excommunicatos;* non autem in admittentes haereticos notorios vel nominatim interdictos: his tamen manet prohibita ecclesiastica sepultura iuxta ss. canones, neque admitti possunt, quamquam, qui eos admittant, censura non amplius plectuntur.

(1) De hac Tridentina censura vide quae adnotavi superius in Articulo III pag. 43.

(2) Tridentina Synodus non declaravit expresse, utrum ille, qui per saltum ordinaretur esset irregularis vel suspensus: si ordinatus per saltum esset irregularis, hoc caput locum non haberet in praesenti recensione; namque irregularitas non est censura: sed quoniam usus determinavit, adstipulante ipso Tridentino Decreto, ordinatum per saltum esse ipso iure suspensum, ideo hoc caput recensendum inter Tridentinas censuras.

Auctores antiqui valde ancipites fuerunt in hac quaestione: alii putarunt recipientes ordines per saltum, idest, omisso aliquo inferiori superiorem recipientem, esse irregularem quoad omnes ordines: alii putarunt neque esse irregularem nec suspensum, sed suspendendum, interim autem esse impeditum, ita ut non possit licite in receptis per saltum ministrare donec accipiat omissum: alii denique putarunt non esse irregularem sed suspensum ipso iure ab exercitio ordinis sic male suscepti tantum, nec posse ulterius promoveri nisi cum eo dispensaretur. Haec tertia sententia praevaluit, et hoc iure hactenus usi sumus. Cf. Thesaurum *de poenis eccles.* verbo *Ordo c. 13.*

Inspectis ss. canonibus, antiquitus ordinatio facta per saltum considerata videtur tamquam ordinatio facta contra consuetam regulam, quae nullam secumferret poenam ut erui potest ex can. 14 (alias 11) Concilii, Sardicensis, in quo Patres illi comprobarunt

*

Sess. 7 c. 10 de Ref. « *Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in*

sententiam Osii Episcopi dicentis: « *Et hoc necessarium esse puto, ut cum omni scrupulositate ac diligentia examinetis, ut si quis dives vel scholasticus sive de publico dignus Episcopatu videatur, hunc non ante ordinari quam Lectoris, Diaconi et Presbyteri compleverit ministerium, quo per singulos gradus si dignus fuerit visus, ad fastigium Episcopatus gradatim ascendat.*»

Episcopatus iuxta antiquitatem dicitur sacerdotii fastigium, plenitudo, apex, non quasi tenuis apex, qui compleat sacerdotium, sed tamquam plenum sacerdotium quod in se iam cetera contineat per quae ad eius plenitudinem ascenditur. Namque iuxta conceptum qui ex veteribus documentis erui potest, Episcopatus ordo est quodammodo basis integrae pyramidis non vero pyramidis apex; ita ut totum ordinis sacramentum materiali quadam imagine repraesentari posse videtur per pyramidem sic conversam, ut vertex terram, basis autem caelum aspiciat, quae esset sacerdotii plenitudo per Episcopatum.

Quodnam autem impedimentum secumferret ordinatio facta per saltum tempore Alexandri II erui potest ex can. *Solicitudo*, qui legitur in Decreto Gratiani *dist. 52*, quo sic Alexander II rescripsit: « *Solicitudo dilectionis tuae statuit consulere, utrum portator istarum litterarum, Diaconatus et Presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne; quum ad id praepostero cursu, Subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius, quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo caritati tuae mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio Subdiaconatus ministerium sibi rite imponas et sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.*»

Cui consonat caput unicum, *de Clerico ordinato per saltum*, quod in sua primaeva integritate refero, in quo Innocentius III sic respondit: « *Tuae litterae continebant, quod (sicut ex relatione quorundam receperas) P. Presbyter, Diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto confessus est, se pro certo nescire si res taliter se haberet, sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat intra annos discretionis fuerat constitutus. Tu igitur ipsum ad Apostolicam Sedem transmittens, nobis supplicasti humiliter, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur eius miseriae condolentes fraternitati tuae per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem; qua peracta (quod non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare procures et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis*». Ex quibus mihi apparet, sententiam veteri iuri magis conformem, eam esse, quae docet, ordinatum per saltum esse irregularem; sed post Trid. Decretum, ob verba « *si non ministraverint...* Episcopus possit dispensare: » declaratum satis videtur, ordinatum per saltum non esse irregularem, sed esse ipso facto suspensum, ita ut si ministraverit irregularis evadat, proindeque indigeat Apostolica dispensatione. Quum haec suspensionis censura non solum sit a Tridentina Synodo indirecte innovata, sed potius declarata, facta quoque Episcopis facultate eam absolvendi, in suo vigore permanet, iuxta ea quae scribam in Append. XIV.

criminalibus gaudeant. In maioribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi (1). »

Sess. 23, c. 10 de Refor. « *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui, contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III Decretum* (2), *a Capitulo episcopali sede vacante lit-*

(1) Synodus Tridentina in hoc capite limitavit Constitutionem Bonifacii VIII, quae legitur in *cap. Cum nullus, de Temporib. ord. in 6°*, ubi statutum legitur: « *Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius generalis, vel sede vacante Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* » Haec iuris communis dispositio limitata fuit ita, ut Capitulum sede vacante dimissorias dare non possit intra primum annum a die vacationis nisi *arctatis*, id est illis, qui ex Beneficio obtento, adstringuntur ordines suscipere, vel illis, qui occasione Beneficii recipiendi coguntur pariter eosdem ordines suscipere. Facultatem tamen reliquit Tridentina synodus dandi dimissorias post primum annum a die vacationis. Ratio quae datur huius limitationis est, quod Capitulo seu Vicario capitulari non amplior auctoritas sit concedenda, quam illa, quae existimatur necessaria ad dioecesis administrationem sede vacante: necessarium autem non est, ut intra primum vacationis annum clerici novi ordinentur; sed post primum annum, si sedes adhuc vacaverit, incipit necessitas dandi facultatem ad recipiendos ordines.

Poena interdicti lata est in Capitulum controveniens, quia iuxta ss. canones haec poena consuevit ferri in communitates, ut vidimus quoque in Articulo I p. 49 de collegiis, quae appellent ad futurum concilium; et e converso in Art. IV *pag. 10*, ubi poena excommunicationis fertur in singulos, qui ad concilium appellent.

Hodie tamen, quum Capitulum, sede episcopali vacante, non possit sibi reservare auctoritatis partem in electione Vicarii capitularis, et tota auctoritas, ad dioecesis administrationem necessaria, devolvatur per Capitulum in Vicarium capitularem, hic solus erit interdictus si fecerit contra Tridentinum Decretum.

(2) Hoc Decretum est illud *sess. 7 c. 10*, quod modo retuli: ex quo patet, quaenam sit poena imposita iis, qui litteras dimissorias impetrant intra primum vacationis annum a Capitulo seu Vicario capitulari; idest, ut in minoribus non gaudeant privilegio clericali: in sacris autem ordinati sint suspensi ab exsecutione ordinum ad beneplacitum proprii Episcopi. Sed praeterea concedentes dimissorias contra formam huius capitis 10 ab Officio et Beneficio per annum sunt ipso iure suspensi. Cui addendum est, Ordinantem quoque incurrere suspensionem per annum, ut in Art. III *pag. 42*, et in relato capite 8 Tridentin. *sess. 23*, quum ordinaret alienum subditum.

In hoc capite 10 sermo est, ut apparet, de collegiis vel capitulis, sede non vacante, quae ex aliquo titulo sive privilegii sive consuetudinis sive praescriptionis hoc ius dandi

teras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi. »

Sess. 6, cap. 5 de Ref. « *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure suspensi.* »

Sess. 14 ex cap. 2 de Ref. « *Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitium Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi* (1). »

Suspenduntur qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt.

Sess. 24, c. 1 de Ref. « *Eadem sancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, nec a quoquam, nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario*

dimissorias sibi praetenderent: nec non de Abbatibus aliisque Praelatis quantumvis exemptis, de quibus haec scripsit Benedictus XIV in opere de *Syn. dioec. l. 2 c. 9 n. 9.* « Quoniam autem Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis Regularibus, et Abbates saeculares, quantacumque gaudeant exemptione, Regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum, quamquam suae iurisdictioni subiectum, ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum impetraverint. » De hoc iuris capite recens causa exponitur in latinis ephemeridibus *vol. II pag. 336 et seqq.* agitata apud S. Congr. Episc. et Reg.

(1) Ut Episcopus tantum titularis ordinare aliquem legitime possit, requiritur expressus consensus aut litterae dimissoriae Ordinarii cui subest Ordinandus, ac praeterea requiritur expressa licentia Ordinarii loci in quo ordinare velit; si enim haec secunda licentia desit, tum Episcopus titularis ordinans, tum Ordinatus inciderent in poenam capitis 5 *sess. 6* modo relati: in aliena enim dioecesi pontificalia exerceret.

licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (1).»

Interdicuntur Episcopi, qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

Sess. 6 ex cap. 1 de Refor. «*Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) *ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur.*»

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. «*Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine* (concubinatus) *non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.*»

(1) Ante Tridentinum Concilium aderat excommunicationis poena lata in Religiosos, *qui matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali*, praesumerent, ceu fuit statutum in *Clementina 1ª de Privilegiis*, quam indicavi in Articulo XIV *pag.* 27. Haec censura mitigata est a Synodo Tridentina, et conversa in hanc suspensionem; quae tamen extenditur in omnes sacerdotes sive regulares sive saeculares, qui absque licentia Parochi sponsorum proprii, vel Episcopi, matrimonio coniungere vel benedicere ausi fuerint.

Hic quaeri potest, an in locis in quibus publicatum non sit Tridentinum Decretum *Tametsi*, in quo haec censura reperitur, locum habeat eadem censura.

Resp. Locum non habere videtur; namque Tridentina synodus peculiari ratione «*decernit, ut huiusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.*» Per verba: *huiusmodi Decretum*, integrum Decretum intelligitur. Itaque ubi hoc Decretum publicatum non fuerit, neque censura Tridentina suspensionis locum habere dicenda est nisi forte aliunde haec poena iam viguerit: quin immo hodie neque poena excommunicationis viget lata in Religiosos per citatam Clementinam, quum de hac mentio non fiat in Constitutione *Apostolicae Sedis*. Namque in citato Articulo XIV, in quo ex parte fuit innovata Clementina, non fit mentio de Religiosis, qui sine licentia Parochi matrimonio benedicunt.

Dixi nisi aliunde viguerit: vigere enim facile potest per consuetudinem, etsi Decretum non est publicatum.

Hactenus de Suspensionibus vel Interdictis a Synodo Tridentina inflictis. Sic autem prosequitur et explicit Constitutio Sanctissimi Patris de qua agimus.

« Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere **volumus et declaramus (1).**

« Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Ro-

(1) Animadvertas velim, hoc paragrapho declarari non abrogatas reliquas censuras latas a Romanis Pontificibus vel ss. canonibus in peculiaria instituta aut peculiaria loca cuiuscumque generis sint: sed aliud est dicere *eas non esse abrogatas* et in suo vigore manere; aliud est dicere, *eas esse innovatas:* innovatio enim adiicit novum vigorem si forte in desuetudinem censurae abiissent, quae per innovationem reviviscerent: sed quando dicuntur per aliquam Constitutionem non abrogatae, intelliguntur manere in eo statu quo reperiuntur, quin Constitutio eas vel deleat vel innovet. Quod satis indicatur in ipso paragrapho per verba: *atque hactenus in suo vigore perstiterunt.* Quare eiusmodi peculiares censurae si forte in aliquo instituto vel pio loco in desuetudinem abiissent, vel ex aliqua causa cessassent, nullatenus censentur innovatae per Constitutionem *Apostolicae Sedis.*

Hic aliqua umbra posset menti occurrere dicendo, si Constitutio *Apostolicae Sedis* agit tantum de censuris universalibus, relinquens ceteras in eo vigore quo reperiantur, cur in Articulo XV *pag. 27* recenset extrahentes absque legitima venia reliquias e Catacumbis Urbis Romae, eosque censura plectit? Nonne haec est censura ratione peculiaris loci inflicta, sicut ex. gr. ea quae infligeretur ratione Bibliothecae servandae ne libri extrahantur? Item, cur in Articulo VII *pag. 48* censuras infligit in exteros Romae commorantes ne ab aliis ordinentur, quam ab Eño Card. Vicario vel sine eius licentia? Nonne haec censura inflicta est ratione peculiaris loci ubi exteri commorantur?

Resp. Haec umbra diluitur, si animadvertas, eiusmodi censuras latas esse, non ad privatorum petitiones pro tutandis locis, ut contingit in censuris latis pro Bibliotheca, ne libri extrahantur, vel aliis similibus; sed per universales Romani Pontificis Constitutiones, ex publica universalique Ecclesiae causa, et hoc sensu iam universales dici possunt: praeterea agitur de locis, quae, sub aliquo respectu, dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis cui nullus fidelium est extraneus, ideoque patria est omnium Christifidelium; tum ob frequentissimum concursum invisendi ea coemeteria, sacra pignora vetustissima nostrae religionis; itemque ob eundem concursum invenum ex omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Eiusmodi rationes efficiunt, ut dictae censurae maiori iure recenseantur inter universales, quam inter particulares.

mano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, eaque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus (1).

» Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, c. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus (2).

» Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter

(1) Videsis Appendicem V.

(2) Sic se habet Decretum Tridentinum *c. 6 sess. 24 de Refor.* « *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut vicarium ad se specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Item et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum.* » Videsis appendicem V.

iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto. »

M. Card. Mattei Pro-Datarius. — N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia

Dominicus Bruti

Loco † Plumbi

I. Cugnoni.

APPENDIX I.

ADNOTATIO HISTORICO-IURIDICA DE CENSURIS BULLAE COENAE, QUAE REFERUNTUR AD APOSTATAS A FIDE, HAERETICOS ET SCHISMATICOS.

Ad rectam intellectionem ss. canonum eorundemque valorem aeque aestimandum maxime iuvat traditionem eorundem canonum inquirere; idest quaerere historicas causas a quibus canones originem habuerunt, quomodo lapsu temporis aucti vel temperati fuerint, quomodo communiter intellecti. Eiusmodi inquisitio, quamquam non facilis, efficit ut, ss. canonum valorem melius intelligentes, eos facilius applicare possimus minusque evadat errandi periculum. Haec est quaedam regula in legum interpretatione, quando de canone vel plene intelligendo vel eo applicando agitur, quae in usu est apud tribunalia in quaestionibus quae exsurgant sive circa ipsum modum intelligendi canonem sive in ipso canone applicando ad facti speciem.

Nihilominus est animadvertendum, eiusmodi inquisitionem fieri solere, quando quaestio aliqua dici possit, aliqua ratione, nova; quae non habeat similes quaestiones iam definitas: namque si quaestiones similes iam fuerint definitae, tunc necessarium non est traditionem canonis inquirere, sed ipsae definitae quaestiones habendae sunt tamquam normae ad alias iudicandas: ratio est quia usus non controversus iam sensum canonis determinavit.

Immo tanti valoris sunt quaestiones plures quae similes sint et iuxta eandem normam iudicatae, ut his in adiunctis si sensus originalis canonis forte adversetur, relinquendus sit primaevus sensus, atque pro norma tenendae sint recentiores resolutiones, quae determinarunt sensum legis.

Possem haec multis illustrare exemplis quorum aliquod in explananda hac Constitutione occurrit. Neque desunt exempla, in quibus aliqua allegetur lex, cuius originem si inquiras eiusque primaevum sensum, nihil iuvaret ad ostendendum id, quod per allegatam legem ostendi velit: tamen non inutiliter eiusmodi leges allegantur; namque per eas indicatur aliquod traditionale principium quod invaluerit, quamquam in allegata lege non contentum. Ius enim ecclesiasticum in toto suo complexu et amplitudine est potius traditionale quam scriptum.

Constitutio de qua agimus est nova, sed plurima continet vetera: atque in ipso constitutionis exordio canon interpretationis datur per haec

verba: « *declarantes easdem* (censuras) *non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniant, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.* »

Hic canon interpretationis accurate expressus, haec significat: Censurae, quae in hac Constitutione non sunt primum latae, sunt intelligendae iuxta veterem earundem censurarum traditionem, ita tamen, ut temperatae maneant prout temperatae per hanc Constitutionem sunt. Quod si sensus veterum canonum non videatur congruere cum sensu et contextu huius Constitutionis, praeferendus est Constitutionis sensus, non secus ac si primum canones illi ab ea editi fuerint.

At vero priores Articuli Constitutionis, de qua agimus, qui excommunicationem infligunt reservatam Romano Pontifici *speciali modo*, deprompti sunt (si excipias Articulum X) ex celeberrima Bulla, quae antea promulgari consueverat die Coenae Domini.

In comperto est, eiusmodi vetustissima consuetudine publicandi dictam Bullam Romanos Pontifices fuisse usos ad damnandas pro temporum varietate christianorum hominum sectas, quae corrodebant vel lacerabant Ecclesiam Dei novis doctrinis traditioni catholicae fidei adversis, vel etiam ad coercendam aut extenuandam hominum non christianorum audaciam, qui hominibus christiani erant infesti, tum etiam ad puniendos christianos homines, qui, non verentes de ecclesiastica immunitate leges, personas ecclesiasticas gravaminibus divexabant, vel fideles impediebant, quominus cum S. Sede et Romano Pontifice libere communicarent.

Fortasse primaevae huius generis Bullae potius de coercendis hominibus, qui Ecclesiae Dei quomodolibet erant infesti, quam de haereticis agebant, propterea quod minus id temporis de errore circa fidem coercendo opus esset, aliaque ratione huic rei esset consultum; ideoque in sua primaeva origine eiusmodi Bullae videntur apprime sollicitae de tutanda Ecclesiae immunitate et Christianorum incolumitate, ut videre est in Constitutione Urbani V, quae incipit *Apostolatus officium* edita die 12 Octobris 1363.

Expedit videre, quomodo postremis saeculis Romani Pontifices secundum temporum circumstantias suas Bullas Coenae quoad haereticos et schismaticos pedetentim ampliaverunt, usque ad ultimam, quae iamdiu, quum immutata non fuerit, statum quendam perpetuae legis constituere visa est, quamquam non amplius promulgaretur.

Bulla Coenae Iulii II die 1 Martii 1511 edita, Bullario romano inserta (1) hisce verbis exorditur ac

(1) Utimur nova editione Bullarii Romani, quod Taurini accuratissime editur. Optandum esset, ut novae editiones eiusdem Bullarii continerent, quoad fieri possit, omnes Con-

haereticos anathematizat: « *Consueverunt Romani Pontifices praedecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis christianae et ipsius unitatem, quae in coniunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet eiusque Vicarium, principaliter consistit et sanctam fidelium societatem ab offensione servandam, arma iustitiae per ministerium Apostolatus in praesenti celebritate exercere.*

» §. 1. *Nos igitur, vetustum et solemnem hunc morem sequentes, excommunicamus et anathematizamus, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri et Pauli ac nostra, omnes haereticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Vicleffistas seu Ussitas, Fraticellos de Opinione nuncupatos et quoscumque alios haereticos, quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores, et receptatores eorundem.*»

Haec formula in Bullam Coenae derivata, qua comprehenderentur omnes vigentes haereticorum sectae, postquam notiores essent nominatae habet in Decretalibus exemplum a Concilio Lateranensi III sub Alexandro III celebrato anno 1179. In eo namque fuit constitutum: « Quia » in partibus Tholosanis et aliis locis, haereticorum, quos alii Gazaros alii Patarenos et alii aliis nominibus vocant, invaluit damnanda perversitas, eos et defensores et receptatores eorum anathemati decernimus subiacere, et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo vel in terra sua tenere vel fovere aut negotiationem cum eis exercere praesumat.»

Sed quum eiusmodi haereticorum sectae variis nominibus appellatae in dies excrescerent et cognatione quadam coniungerentur, Innocentius III in Concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrato ita sanxit: « Excommunicamus et anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam et catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes haereticos, *quibuscumque nominibus censeantur,* facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum..... Credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationi decernimus subiacere...»

Gregorius IX eadem formula est usus in *cap. 15 de haereticis* sectas tamen notiores indicans his verbis:

stitutiones Romanorum Pontificum, quae universam sive directe sive indirecte respiciant Ecclesiam, reiectis in aliam partem Constitutionibus, quae peculiaria instituta vel loca respiciant.

Editio Taurinensis Bullarii Romani non solum est accuratissima, sed etiam admodum commoda ob indicationes Constitutionum similium, quas, data opportunitate, Editores facere non omittunt.

« Excommunicamus et anathemati-
» zamus universos haereticos, Catha-
» ros, Patarenos, Pauperes de Lug-
» duno, Passaginos, Iosepinos, Ar-
» naldistas, Speronistas et alios qui-
» buscumque nominibus censeantur,
» facies quidem habentes diversas» etc. ut supra: qua formula usi sunt quoque nonnulli Romani Pontifices subsequentes in suis Constitutionibus adversus haereticos, ut ex. gr. Nicolaus III in Constitutione *Noverit*, data die 3 Maii 1280.

Redeuntes itaque ad Bullam Coenae Iulii II, in ea mentio non fit neque de haereticorum libris, neque de apostatis a fide, neque de illis, qui haereticis credunt, neque de schismaticis vel illis, qui recedunt ab obedientia Romani Pontificis, neque de iis qui ad universale Concilium appellant.

In Bulla Coenae Pauli III, edita die 13 Aprilis 1536, idem exordium reperitur, ac est in Bulla Coenae Iulii II atque iidem damnantur haeretici eademque formula, ita tamen, ut post verba: *Fraticellos de Opinione nuncupatos,* haec immediate subsequantur: *nec non per felicis recordationis Leonem Papam X, praedecessorem nostrum, superioribus annis damnatam impiam et abominabilem Martini Lutheri haeresim sequentes, ipsique Martino, quominus puniri possit, quomodolibet faventes et quoslibet alios haereticos quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores et receptatores, librosque ipsius Martini aut quorumvis aliorum eiusdem sectae sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae, quomodolibet legentes aut in suis domibus tenentes, imprimentes aut quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, et generaliter quoslibet defensores eorundem.*»

In hac Bulla damnantur quoque libri Sectae Luteranae. Est animadversione digna extensio amplissima censurae, quae singularis extensio causam innuit talis constitutionis: namque videtur Pontifex hoc medio voluisse obtruncare haeresis irruentis propagationem: quemadmodum et Alexander III, multoque magis Innocentius III per expulsionem haereticorum e terris, domibus, in quibus residerent, gravissime quoque punientes, qui eis aliqua ratione faverent.

Eiusmodi extensivae legum clausulae, quae summum rigorem praeseferunt, omni rigore sunt intelligendae, et exsecutioni mandandae, quando agitur de reprimendo gravi damno quod immineat: sed postquam damni periculum cessaverit, aut lex inefficax evaserit ad damnum coercendum, mitius sunt intelligendae, et necessitas oritur, ut legislator revocet legem, aut mitiget vel declaret, si dubium maneat, utrum lex in rigore quem exprimit sit intelligenda nec ne.

Quod si evidenter appareat legem evasisse inutilem, vel integrum legis finem cessasse, neque declaratione est opus. Huius generis erant ex. gr. censurae inflictae in Bulla Coenae,

quae respiciebant piratas, cursarios, latrunculos marinos, qui imponebant pedagia et gabellas, qui auxilium et favorem exhibebant Saracenis et Turcis, et alia id genus.

Multae adsunt ecclesiasticae leges huius generis, quae poenas gravissimas infligunt, praesertim in rebus Beneficiorum, sive propter simoniam, sive propter ambitionem, sive ob turpe lucrum, sive alias causas, quae tempore, quo lex lata est, grassabantur: cessantibus fere eiusmodi causis, poenae illae ex sese in desuetudinem sive ex parte sive ex toto abierunt: lex enim finem suum obtinuit.

In Bulla Coenae Gregorii XIII, edita die 4 Aprilis 1583, post idem exordium, eademque anathematizandi formula adhibita, haec immediate sequuntur: *quoscumque Ussitas, Vicleffitas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios ac omnes et singulos haereticos, quocumque nomine nuncupentur et cuiuscumque sectae existant, et eorum credentes, ipsorumque receptatores et fautores et generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros haeresim continentes vel de religione tractantes sine Auctoritate nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut tenentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, nec non schismaticos et eos qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

In hac Bulla maiori censu enumerantur haereticorum sectae, atque adiungitur *eorum credentes,* per haec verba *eorum credentes* indicatur quaedam distinctio inter ipsos haereticos: nam et qui pertinaciter credunt haereticis sunt haeretici. Distinctio quae indicari videtur haec est: alii enim sunt in quavis haereticorum secta magistri et duces, alii qui dant nomen haeresi quique unam sectam constituunt: sed alii quoque sunt, qui eisdem credunt, quamquam formaliter ad sectam non pertineant, scilicet nomen non dederunt sectae, non gubernantur per eorum leges, iuramenta si quae exigantur, non emittunt et ceteris externis formis non ligantur. Hi quamquam sicuti haeretici considerantur, tamen ad quandam secundam classem, pari censura mulctatam, pertinent, ad quam classem pertinent quoque receptatores haereticorum causa haeresis propagandae, fautores quominus ipsi puniri possint, ut dicitur in superiori Bulla, vel saltem opem ferant ad propagandam haeresim et eorundem defensores, seu patrocinatores, ut poenas iure inflictas haereticis evadant.

Quod verba *eorum credentes* intelligenda sint de iis, qui ad haereticam sectam formaliter non pertineant, ex eo apparet, quod ab haereticis, quocumque nomine censeantur, qui sectam aliquam componant, distinguuntur: de huiusmodi credentibus mentio occurrit in celebri Decreto Innocentii III in Concilio Latera-

nensi IV, quod supra innui: atque eiusmodi credentes in secundam pariter classem connumerantur cum receptatoribus defensoribus et fautoribus haereticorum.

Quum dubium exortum esset, utrum eiusmodi credentes uti haeretici iudicandi essent, quaestionem resolvit Gregorius IX loco superius citato per haec verba: « credentes » autem eorum erroribus, haereticos » *similiter* iudicamus. » Idque repetiit Nicolaus III in citata Constitutione *Noverit*, per eadem verba: « Credentes autem eorum erroribus » similiter haereticos iudicamus. Item » receptatores, defensores et fauto- » res haereticorum excommunica- » tionis sententiae decernimus sub- » iacere. »

Quamquam eiusmodi declaratio dictae distinctioni obstare videatur, nihilominus, subsequentibus formulis inspectis, quae in Bulla Coenae reperiuntur, apparet, eam distinctionem non fuisse penitus sublatam; ita ut eorum credentes, quamquam iudicentur haeretici et anathemati subiiciantur, non tamen sub omnibus canonicis poenis comprehenduntur, quibus comprehenduntur illi, qui ad aliquam haereticorum sectam formaliter pertineant. Semper enim pertinuerunt ad secundam classem. Quare sicut adnotavi in primo Articulo Constitutionis, *p. 9*, eiusmodi credentes in se considerati possunt esse veri haeretici, sed non quatenus tales ponuntur in secunda classe: in ea autem classe ponuntur, quatenus haereticorum errorum externa sua actione sese ostendunt sequaces.

In Bulla Coenae Gregorii XIII, de qua loquor, eadem excommunicationis poena extenditur ad eos, qui libros haereticorum legunt.

Verbis parumper consideratis, atque comparatis cum illis, quae habentur in Bulla Coenae Pauli III superius relata, illico apparet Gregorium XIII eam censuram partim mitigasse, partim vero extendisse: mitigavit, quatenus non omnes indiscriminatim libros aliquorum haereticorum damnavit, sed eos tantum, qui *haeresim continerent vel de religione tractarent:* extendit tamen censuram ad omnes haereticorum libros, non eam cohibens ad solos Lutheranorum libros ut sanxerat Paulus III.

Gregorius XIII in sua Bulla Coenae edenda prae oculis habuit Regulas Indicis librorum prohibitorum, quas iampridem confirmaverat Pius IV. De qua re agam in Appendice III.

Idem Pontifex Gregorius XIII post dictam librorum prohibitionem in sua Bulla Coenae subiunxit: *nec non* (anathematizamus) *schismaticos et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

Haec sententia quodammodo praeformata iampridem fuerat a Paulo II et Xisto IV, qui inter peccata reservata et hoc sibi reservarunt prout legitur in utriusque Extravaganti,

Etsi Dominici, de Poenitent. et remiss. his verbis: « *Conspirationis in personam aut statum Romani Pontificis seu cuiusvis offensae inobedientiae seu rebellionis eiusdem Pontificis vel Sedis Apostolicae.* (Seu in eundem Pontificem vel Sedem Apostolicam.)

Dixi fuisse quodammodo praeformatam; namque tum Paulus II, tum Xistus IV loquuntur potius de obedientia in temporali Romani Pontificis dominatione, quamquam evidenter non excludant inobedientiam ad supremam eiusdem Pontificis ecclesiasticam auctoritatem: e converso Gregorius XIII loquitur de pertinaci subtractione et pertinaci recessione a suprema Romani Pontificis auctoritate quatenus est universae Ecclesiae caput.

Quod confirmatur ex sequenti paragrapho eiusdem Bullae, qui ita prosequitur.

§. 2. *Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, et interdicimus universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.*»

Dubitari namque poterat, utrum ille, qui pertinaciter recedat ab obedientia Romani Pontificis sub obtentu appellandi ad universale futurum Concilium sub praedicta censura comprehenderetur, quasi appellans ad maiorem auctoritatem: haec dubitatio dum solvitur, ostendit quoque factum appellandi ad futurum universale concilium, spretis ordinationibus, sententiis, seu mandatis Romani Pontificis, esse unum exemplum eius generis, quod sub dicta censura comprehenditur.

Altera recentior Bulla Coenae inserta Bullario Romano, est Pauli V edita die 8 Aprilis 1610. Haec habet exordium ampliori ratione concinnatum, quod inutile heic referre non erit: ita enim se habet.

« *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni Christianae Reipublicae pace et tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinenda et conservanda maxime elucet; nimirum ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni verbo doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo Capite, eiusque in terris vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur*

in aedificatione, atque ita, divina gratia adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices, praedecessores nostri, hodierna die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes,

» §. 1. *Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis etc. quoscumque Hussitas, Wickleffistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana fide Apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, nec non schismaticos et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

» §. 2. *Item excommunicamus etc.* sequitur excommunicatio in eos, qui ad generale Concilium appellant, ut in Bulla Gregorii XIII.

Haec Bulla Coenae Pauli V est prorsus eadem cum Bulla Gregorii XIII, si eximas verba *et a christiana fide Apostatas*, quae verba heic inserta, non reperiuntur in praecedentibus Bullis, quae die Coenae Domini legi promulgarique consueverunt.

Verba haec ob eam causam videntur Bullae contextui inserta, quod quaedam quaestio inter Theologos exorta iampridem fuerat, utrum Apostatae a fide essent haeretici. De hac quaestione agit Melchior Canus *de locis theol. lib. 12 cap. 7*, qui demonstrat et concludit Apostatas a fide, proprie loquendo, dici non posse haereticos, quum non nomine religionis christianae, quam reliquerunt, suis erroribus adhaereant, quamquam nullum dubium existat, Apostatas a fide tamquam haereticos esse puniendos.

De puniendis Apostatis a fide, ut puniuntur haeretici, constituerat Bonifacius VIII *in c. 13 de haereticis in 6°*, his verbis: « Contra Christia- » nos, qui ad ritum transierint vel » redierint Iudaeorum (etiamsi hu- » iusmodi redeuntes dum erant in- » fantes, aut mortis metu, non tamen » absolute aut praecise coacti, ba- » ptizati fuerint) erit tamquam con- » tra haereticos procedendum, si » fuerint de hoc confessi aut per » christianos seu Iudaeos convicti. Et

» sicuti contra fautores, receptatores » et defensores haereticorum, sic » contra fautores, receptatores et de- » fensores talium est procedendum. »

Atque de hac re placet referre optimam animadversionem quam loc. cit. facit Melchior Canus his verbis: « Non est dubium, quin Apostatae in » poenas haereticorum incurrant. Id » quod ab ineunte Ecclesia perpetuo » servatum est, quemadmodum ex » Cypriani opusculis vel maxime li- » quet. Falluntur autem in ea re » plurimi, quod omnes Ecclesiae le- » ges a iuris voluminibus petendas » esse existimant, in quae vel Ray- » mundus vel Gratianus vel quilibet » alius Decreta sane quam plura » congessit. Hinc enim Caietanus no- » ster praeceptum ieiunii quadrage- » simalis, quoniam in Decretis Ponti- » ficiis, quae passim circumferuntur, » non apparet, vix potuit constitue- » re..... Multae sunt, mihi crede, » Ecclesiae leges, quas non scriptu- » ra, sed usus inseruit. Nec Concil- » iorum atque Pontificum scripta » omnia iuris contritum volumen » complectitur. Apostatarum ergo » poenas ante Bonifacium VIII mos » Ecclesiae praescripserat. Sed quo- » niam quispiam dubitavit, illius du- » bitationem Pontifex in capite re- » solvit, definiens, non aliter adver- » sum Apostatas, quam contra hae- » reticos procedendum. » Hactenus Melchior Canus.

Nihilominus poterat adhuc dubitari, an ille, qui a fide christiana desciscens, quin ad aliquam aliam religionem transierit, ut sunt Christiani illi, qui increduli evadunt, alias sibi comminiscentes doctrinas, comprehenderentur sub ecclesiasticis haereticorum poenis. Hanc dubitationem primus videtur solvisse Paulus III, eodem fere tempore quo scripsit Melchior Canus. Ille namque Pontifex in Constitutione *Cum ex Apostolatus* solemnissime edita die 15 Februarii 1559 confirmavit atque extendit omnes censuras « contra » haereticos[,] aut schismaticos quo- » modolibet[,] latas et promulgatas... » nec non quoscumque, qui hacte- » nus *a fide catholica deviasse* aut » in aliquam haeresim incidisse. . . » seu *in posterum devenerint* seu in » haeresim incidant. »

Atque verba huius Constitutionis *devios a fide catholica,* postea conversa sunt in *apostatas a christiana fide,* atque Bullae Coenae inserta.

Huius Bullae promulgatio cessavit sub Pontificatu Clementis XIV, qui electus anno 1769 consultius existimavit, ob eius temporis circumstantias, eam non promulgare, et eius exemplum secuti sunt sequiores Romani Pontifices. Quamvis autem eius consueta promulgatio omitteretur; attamen ea quae pertinebant ad Apostatas, haereticos et schismaticos, nec non quae pertinebant ad quaedam alia capita ecclesiasticae immunitatis, nunc per Constitutionem *Apostolicae Sedis* innovata, adhuc vim legis habebant.

APPENDIX II.

DE NATURA EXCOMMUNICATIONIS DEQUE EIUSDEM MODERAMINE ET APPLICATIONE IN APOSTATAS A FIDE, HAERETICOS ET SCHISMATICOS.

Iuris ecclesiastici traditio a primaeva sua origine maxime iuvat ad intelligendum plenius intimum valorem ecclesiasticarum dispositionum, ut scripsi in Appendice I. Ideo ad inquirendam naturam excommunicationis nonnulla facta historico–iuridica a primis Ecclesiae saeculis exponam, quae ostendunt in quo consistat tota vis eius ecclesiasticae poenae, in potestate Ecclesiae plenissime constitutae, quae appellatur excommunicatio. Namque sub nomine *excommunicationis* venit privatio communionis. Inquirendum itaque est quid sub nomine *communionis* veniat, ut eius privatio intelligi plenius possit.

Quando Ecclesia adhuc erat in incunabulis, dioeceses, seu parocciae, quo nomine quoque sunt appellatae, parum admodum erant extensae; in singulis enim propemodum civitatibus erat proprius Episcopus: idque iuxta Apostolicas dispositiones, de quibus Apostolus Paulus ad Titum *c. 1 v. 5* scripsit: « *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi* » quo in loco sub nomine Presbyterorum veniunt Episcopi (1).

Hanc Episcoporum numerositatem, quae necessaria erat initio Ecclesiae, vetera monumenta testantur: ipsique Romani Pontifices, in sacris ordinationibus celebrandis ordinabant non raro fere pares vel etiam maiores numero Episcopos, quam Presbyteros, ut legimus in Breviarii lectionibus: et vestigia adhuc videmus in dioecesibus quae sunt Romae proximae, quarum plures, quamvis iamdiu deletae vel ad invicem unitae, parvae adhuc dioeceses sunt in comparatione earum quae multo post sunt constitutae: ipsaque Romana dioecesis non amplis continetur limitibus.

S. Leo Magnus saeculo V ad Episcopos Mauritaniae Caesariensis scri-

(1) Aetate nostra, qua longaeva consuetudine ab aevo Apostolico, ita nomina sacrorum Ministrorum Ecclesiae determinata sunt, ut nomine Presbyterorum veniant tantum Sacerdotes secundi ordinis, alicui fortasse videri poterit paradoxon, id quod asserui. Attamen in comperto est, in sacris Litteris Sacerdotes primi ordinis, qui deinde fixo nomine Episcopi appellati sunt, identidem *Presbyteros* fuisse appellatos, seu Maiores natu, seu Seniores; quod facile ostenditur tum ex contextu tum ex aliis Scripturae locis ut ex *cap. 20 v. 17 28, 31 Actor.*, I Petri *c. 5 v. 1 et segg.*, II et III Ioan. *v. 1*, et alibi. Demonstrari vero non potest Sacerdotes secundi ordinis fuisse e converso in sacris litteris appellatos Episcopos.

bens reprehendit facilem rationem constituendi Episcopos in obscuris quoque oppidis; quae prohibitio ostendit quam frequenter crearentur Episcopi: scripsit enim: « *Illud sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque in quibuscumque castellis, et ubi ante non fuerunt Episcopi, consecrentur: cum, ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, Presbyterorum cura sufficiat; Episcopalia autem gubernacula nonnisi maioribus populis, et frequentioribus civitatibus oporteat praesidere; ne, quod ss. Patrum divinitus inspirata Decreta vetuerunt, viculis et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium; et honor, cui debent excellentiora committi, ipsa sua numerositate vilescat.* »

Quod iam S. Anacletus scripserat, ut legitur in *c. 3 dist. 80* his verbis: « *Episcopi non in castellis et modicis civitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella et modicas civitates atque villas debent ab Episcopis ordinari et poni.* »

Disciplina autem vigebat, atque per multa saecula viguit, ut in civitatibus non ponerentur Presbyteri ad plebes regendas conventusque habendos, sed una esset civitatis ecclesia seu titulus, cui praeerat Episcopus (1), constitutis extra urbes in proximioribus pagis aliis titulis, quibus praeerant Presbyteri, qui ad similitudinem episcopalis ecclesiae et sub plena eiusdem dependentia conventus fidelium haberent, qui ad civitatem accedere non possent. Hi oppidani tituli appellati quoque sunt *ecclesiae possessionis*, de quibus mentio fit in can. 6 Concilii Chalcedo-

(1) Unicum fuit fortasse exemplum in occidentali ecclesia id quod Romae constituit Evaristus, qui, causa sacrorum, regionibus Urbis attribuit Presbyteros, Cardinales postea dictos. Marius Lupus Bergomensis, *de Parochiis ante annum Christi mill.*, ostendit, in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse Parochos.

Dixi in occidentali ecclesia; namque de Alexandrina ecclesia fundata ab Apostolorum principe per Marcum haec scripsit Epiphanius *haeres. 49* alias 69 *Arian. n. 1 opp. t. 1 p. 727 edit. Coloniae 1682.* « Quotquot, inquit, Alexandriae catholicae communionis ecclesiae sunt, uno Archiepiscopo subiectae, suus cuique praepositus est Presbyter, qui ecclesiastica munera iis administraret, qui circa ecclesias illas habitant, earumque conventicula vici seu laurae ab Alexandrinis vulgo nuncupantur. » De conformitate disciplinae inter Romanam et Alexandrinam ecclesiam legenda est praeclara epistola S. Leonis Magni ad Dioscorum Alexandrinum, quae est 4ª in *append. ad Bullar. Roman. vol. 1 edit. Taurin.* Inter alia ita S. Leo Dioscorum reprehendit: « *Unum enim nos sentire oportet et agere, ut, sicut legimus, in nobis quoque unum esse cor et una anima comprobetur. Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod Sanctus discipulus eius Marcus qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit: cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quam quod ab Ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus et alia doctoris alia discipuli instituta videantur.* »

nensis, qui legitur etiam in *c. 1 distinct. 70* de quo canone loquar in Appendice XIII.

Episcopus autem cum omni suo clero iuxta s. ordinationis gradum disposito praerat omnium fidelium civitatis conventui, et omnia sacra in una eademque ecclesia Episcopo praeside ita peragebantur, ut compacta omnium fidelium unitas oculis conspiceretur.

Expedit referre ea, quae traduntur in *lib. 2 c. 6* earum vetustissimarum Constitutionum quae appellantur *Constitutiones Apostolicae;* eiusmodi Constitutiones Apostolicae appellatae, sicut etiam celebres illi canones Apostolorum dicti, exhibent ius ecclesiasticum ex traditione Apostolica derivatum: et conscripti certe fuerunt ante Nicaenam Synodum. Sic autem in allegato capite liturgia describitur: « Tu vero, qui Episco- » pus es, sanctus esto. . . Cum au- » tem ecclesiam Dei congregas, *velut* » *magnae navis* gubernator, iube cum » omni prudentia et disciplina fieri » conventus, praecipiens Diaconis, » sicut nautis, ut loca fratribus quasi » navigantibus, adhibita omni cura » et decentia, disponant. Ac primo » quidem sit aedes oblonga, ad orien- » tem versa, pastophoria ex utraque » parte versus orientem habens, et » quae navi sit similis. Positus autem » in medio sit Episcopi thronus (1) » et utrimque sedeat coetus Presby- » terorum et Diaconi astent, expe- » diti, leviter induti, utpote similes » nautis et iis qui remigio praesunt. » Eorum autem cura, in altera parte, » hinc laici sedeant cum multa pace » et pulchro ordine, illinc mulieres » separatim quoque sedeant, silentio » faventes. Medius autem eorum Le- » ctor ex loco edito legat (2) libros

(1) Ad eam vocem haec adnotat Eñus Pitra in opere *Iuris ecclesiast. Graecorum vol. 1 pag. 220:* « Anastasius bibliothecarius quoddam S. Nili epistolion primus latinum » fecit, et primus ego post eum edidi, in quo sic nostra aperte referuntur: *Caeterum epi-* » *scopalis thronus, qui in medio cunctorum Presbyterorum est, cathedram insinuat ma-* » *gni Pontificis Domini Nostri Iesu Christi.* » *Specil. Solesm. t. 3 pag. 398.*

(2) Id temporis inferiorum Clericorum officia, quum aptissime convenirent cum liturgico ordine eius temporis, magna in aestimatione erant coram fidelium coetu: ipsimet Clerici inferiores, qui dereliquissent susceptam clericalem militiam, apostatae in iure sunt appellati. Recentioribus saeculis ob magnam catholicae Ecclesiae amplitudinem, disciplina pedetentim immutata, horum Clericorum officia evaserunt nomina propemodum effectu vacua; et unicuique horum Clericorum liberum denique fuit clericalem susceptam militiam derelinquere. Attamen eorum publica iura non multum imminuta fuerunt, quorum praecipua sunt privilegia Canonis et Fori de quorum privilegiis post Tridentinum Concilium multum Canonistae scripserunt.

Referre placet aliquod exemplum desumptum ex epistolis S. Cypriani ex quo apparet quo in pretio haberetur coram fidelium coetu Lectoris officium. Cyprianus in epistola 34 scribens ad Presbyteros et Diaconos et universam plebem, eisdem enarrat summa merita, quae in acerrima africanae ecclesiae persecutione consecuti erant tum quidam Celerinus tum quidam Aurelio, eosdem denunciat a se constitutos in ecclesiae presbyterio in gradu lectoris.

De Celerino inter cetera S. Cyprianus scripsit: « Hunc ad nos fratres dilectissimi cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat, illustrem; quid aliud quam super pulpitum, idest super tribunal ecclesiae oportebat

» Moysis. . . . . Peractis vero per duos » lectionibus, alius Davidis hymnos » psallat, et populus extrema ver- » suum succinat. . . . . Postea Diaco- » nus vel Presbyter legat Evangelia... » Cumque recitabitur Evangelium » omnes Presbyteri ac Diaconi po- » pulusque universus magno cum » silentio stent. . . . . Post haec » Presbyteri exhortentur populum, » singuli autem, non omnes; po- » stremus vero omnium Episcopus, » qui similis est rectori navis At » ostiarii stent ad virorum introitus, » quos custodiant; diaconissae vero » ad mulierum, instar eorum, qui » nauta recensent. Etenim in taber- » naculo testimonii et in templo Dei » eadem ratio et forma servabatur. » Quod si quis extra locum repe- » riatur sedens, increpetur a Diaco- » no, qui vice proretae fungitur et » convenientem ad locum traduca- » tur. Non solum enim *navi* sed *ovili* » assimilatur Ecclesia. Nam ut pasto- » res singulas pecudes, capras dico » et oves secundum genus et aetatem » collocant, et quodcumque eorum » simile cum simili congregatur, ita » in ecclesia: iuniores quidem seor- » sum sedeant, modo sit locus, alio- » quin stent; aetate vero provecti, » ordine sedeant; pueros autem stan- » tes patres et matres eorum susci- » piant. Rursus adolescentulae sepa- » ratim, si fuerit locus, secus pone » mulieres locentur. Nuptae iam et » matresfamilias item seorsum. At » virgines et viduae et anus primae » omnium stent aut sedeant. Diaco- » nus autem provideat locis, ut in- » gredientium suum quisque locum » petat, et nemo iuxta fores sedeat. » Similiter Diaconus populum spe- » culetur, ut nemo susurret aut dor- » mitet aut rideat aut nutus faciat. » Oportet enim in ecclesia sapienter, » sobrie ac vigilanter stare, auribus » ad verbum Domini intentis.

» Deinde cuncti pariter consur- » gentes et in orientem spectantes, » egressis catechumenis et poeniten-

imponi, ut loci altioris celsitate subnixus et plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus legat praecepta et evangelium Domini, quae fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie, quae Dominus locutus est, audiatur? Viderit, an sit ulterior gradus ad quem profici in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quam ut dum evangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur.

» Iungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo et divini honoris societate coniunctus est, cum quo omnibus virtutis et laudibus insignibus copulatus est; pares ambo, et uterque consimiles, in quantum gloria sublimes in tantum verecundia humiles, quantum divina dignatione promoti, tantum sua quiete et tranquillitate submissi, et virtutum pariter et morum singulis exempla praebentes.... *Hos tamen lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni populo circumstante conspecti incitamentum gloriae videntibus praebeant.*

» *Ceterum presbyterii honorem designasse nos illis iam sciatis, ut et sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur et divisiones mensurnas aequatis partibus partiantur*, sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis; quamvis in nullo minor possit videri aetatis indole, qui consummavit aetatem gloriae dignitate.»

» tibus, orent Deum *qui ascendit* » *super coelum coeli ad orientem* ac » recordantes antiquam illam posses- » sionem paradisi ad orientem siti, » unde primus homo, mandato Dei » neglecto, persuasus consilio ser- » pentis, eiectus fuit. Diaconi autem, » post precationem, alii quidem obla- » tioni eucharistiae operam dent mi- » nistrantes Corpori Domini cum ti- » more, alii turbas circumspectent » eisque silentia faciant. Qui autem » Pontifici assistit Diaconus, plebi » dicat: *Ne quis contra aliquem! Ne* » *quis in hypocrisi!* Deinde mutuo » *salutent,* viri viros, et feminae fe- » minas, *osculo in Domino* (1); ac » ne ullus quidem dolo, ut Iudas, » qui osculo Dominum prodidit. Post- » ea precetur Diaconus pro univer- » sa Ecclesia et pro toto mundo » eiusque partibus et pro frugibus » terrae, pro Sacerdotibus et Prin- » cipibus, pro Pontifice ac Rege et » pro pace omnium. His transactis, » Pontifex precatus populo pacem, » benedicat ei, sicut et Moyses prae- » cepit Sacerdotibus, ut populo his » verbis benedicerent: *Benedicat tibi* » *Dominus, et custodiat te et osten-* » *dat faciem suam super te, et mi-* » *sereatur tui; convertat Dominus* » *vultum suum ad te et det tibi pa-* » *cem.* Precetur porro Episcopus his » verbis: « *Conserva, Domine, popu-* » *lum tuum incolumem, et benedic* » *hereditati tuae, quam sanguine* » *Christi possedisti et acquisivisti, ac* » *regale sacerdotium et gentem san-* » *ctam appellavisti.*» Post hoc, sacri- » ficium fiat, stante omni populo et » tacite precante. Cumque oblatum » fuerit unusquisque deinceps ordo » Dominicum Corpus ac pretiosum » Sanguinem sumat, singulatim ac- » cedentes cum reverentia et timore » tamquam ad corpus Regis; mulie- » res etiam, velato capite, ut femi- » narum ordinem decet, accedant. » Portae autem custodiantur, ne in- » grediatur *aliquis infidelis aut non-* » *dum baptismo initiatus.*

» Quod si frater aut soror ex » altera paroecia venerit, qui com- » mendationem afferant, Diaconus, » quae ad eos spectant, probet, in- » quirens *an fideles sint, an ecclesiae* » *adscripti, an nulla haeresi con-* » *taminati;* et rursum, an illa nu- » pta vel vidua sit, atque ita cum

(1) Hoc in loco Emus Pitra *loc. cit. pag.* 222 haec inter cetera adnotat ex Anastasio Bibliothecario: » Idem Anastasius ἀνέκδοτο: inter quaedam ex historia mystica sancti Ma- » ximi haec mihi suppeditat: *per divinum autem osculum* (intelligimus) *omnium ad omnes* » *et ad seipsum uniuscuiusque primitus et singillatim et ad Deum concordiae ac una-* » *nimitatis et charitatis identitatem.*

» Operae pretium erit uno saltem verbo recensere praecipuas liturgiae partes, quae in » hoc loco, ordine prorsus facile dicam romanum, ac ferme qualis est apud S. Iustinum, » attinguntur: scilicet, 1 lectio veteris testamenti; 2 psalmodia; 3 lectio novi foederis; 4 Epi- » scopi et Presbyterorum sermo; 5 dimissio catechumenorum et poenitentium; 6 orationes » seu antiphonae fidelium; 7 oblatio panis et vini; 8 silentium; 9 communio Diaconorum » adversus indignos, 10 osculum pacis; 11 deprecatio Sacerdotis; 12 salutatio et benedictio » Episcopi; 13 consecratio; 14 communio.»

» cognoverit ubinam rerum sint, eos » nempe esse *fideles eademque sapere* » *in Domino*, deducat singulos ad » congruum illis locum. Si autem » Presbyter ex paroecia advenerit, » *excipiatur a Presbyteris in com-* » *munionem;* et si Diaconus a Dia- » conis. Si vero Episcopus, cum » Episcopo sedeat, eodem honore » ab eo exceptus. Et rogabis eum » o Episcope, ut populum alloqua- » tur in sermone doctrinae: peregri- » norum enim cohortatio et admo- » nitio acceptissima et mirum in » modum utilissima est: *nemo enim* » *propheta,* ait, *acceptus est in sua* » *patria*. Permittas etiam ei ut of- » ferat eucharistiam, quam si, pro- » pter reverentiam more sapientis et » ob honorem tibi reservatum, of- » ferre noluerit, coges ut saltem po- » pulo benedicat. Quod si dum se- » detur, vir quispiam superveniat, » honestus et in saeculo clarus, sive » extraneus sive incola loci, tu, Epi- » scope, dum de Deo sermones ha- » bes, aut dum audis eum qui psallit » vel legit, ne ratio personae faciat, » ut ministerium verbi intermittas, » quo illi locum inter primas sedes » constituas, verum quietus mane ne » vel sermonem tuum interrumpas » vel audientiam. *Fratres* vero eum » per Diaconos recipiant; atque si » locus desit, Diaconus omnium iu- » niorem, prudenter, non autem » praefracte loco movens, illum ses- » surum recipiat: aequum est, ut » quisque *fraternitatis amorem* spon- » te exhibeat; quod si renuerit, vi » motum post omnes colloca, ut di- » scant ceteri locum dare honora- » tioribus. Cum autem pauper vel » ignobilis vel peregrinus, isque se- » nex aut iuvenis, intervenerit, sedi- » bus occupatis, iis quoque Diaconus » ex toto corde locum faciet, ut non » fiat laeso homine, personarum ac- » ceptio, sed coram Deo acceptum » fiat ministerium. Idem et servet » Diaconissa, cum mulieres, sive pau- » peres sive divites, advenerint. Cum » autem doces, o Episcope, iube et » mone populum ut singulis diebus, » mane et vespere, frequentet ec- » clesiam, ac minime unquam abesse » velit, sed assidue conveniat, *neque* » *ullus subducendo se ecclesiam mu-* » *tilet corpusque Christi mancum fa-* » *ciat*. Non de solis enim sacerdoti- » bus dictum est, sed unusquisque » laicus de se quoque intelligat, » reputans quod a Domino dictum » sit: *Qui non est mecum, contra me* » *est; et qui non congregat mecum,* » *spargit*. Igitur vos ipsos, qui estis » membra Christi, nolite spargere » fratrum coetus non adeundo. Qui » caput habetis Christum, qui, ut » idem promisit, vobiscum est, *et* » *vobis sui communionem impertit,* » vestri curam ne omittatis, *nec sal-* » *vatorem suis membris privetis, ne-* » *que corpus eius dividatis, neque* » *membra eius dispergatis,* neque ver- » bo Dei vel huic vitae necessaria » anteponatis etc. »

Ex qua liturgica descriptione apparet, 1° singulos fidelium coetus sub Episcopo et cum Episcopo, Presby-

teris, ceterisque ministris coadunatos repraesentare Ecclesiam tamquam navem, vel tamquam ovile, appellarique gentem sanctam, regale sacerdotium, corpus Christi Domini, cuius membra sunt omnes singulique fideles.

2° Eos, qui ad hos sacros coetus conventusque admittebantur, dici admissos in communionem : ideoque admitti in communionem significare admitti in ordinatam navem salutis, in congregatum Christi Domini ovile, in gentes sanctas regali sacerdótio auctas, in corpus Christi Domini.

3° Communionem appellari, quia omnia sancta, quae sunt in hac navi, in hoc ovili, in hoc regali sacerdotio, in hoc Christi corpore, omnibus communicantur, omnesque tamquam fratres eiusdem familiae eadem participant.

4° In his sacris coetibus et conventibus corpus Christi Domini adeo expresse repraesentari, ut qui se abstinerent, dicerentur hoc ipso, mutilare corpus Christi, et mancum facere.

5° In his coetibus, Christum esse et sui communionem facere.

6° In hos coetus fuisse admissos, qui ex aliena dioecesi provenirent, inquisitione prius facta, an essent fideles, an alicui ecclesiae adscripti, eademque saperent in Domino; proindeque infideles et aliqua haeresi contaminatos penitus fuisse exclusos.

7° Ideoque, qui noscerentur, haeretici, *natura sua,* tamquam infideles erant exclusi a navi salutis, a Christi ovili, a sacro fratrum consortio et a Christi corpore praecisi, nihilque sanctum, quod fideles in coetibus commune haberent participantes.

Ad eandem communionem pariter non admittebantur, qui de gravibus criminibus per iudicium convicti ad poenitentiam non converterentur. Idque fiebat per actum auctoritatis qua removebatur impoenitens a communione. De qua re sic tradunt eaedem Constitutiones Apostolicae, *l. 2. c. 5* : « Interea oportet Episcopum » recte iudicare, sicut scriptum est: » *Iudicium iustum iudicate.* Et alibi: *Quid vero a vobis ipsis quod* » *iustum est non iudicatis?* Estote » itaque tamquam argentarii periti. » Ut enim illi nummos adulterinos » reiiciunt, probos autem retinent, » eundem ad modum oportet Episcopum immaculata quidem retinere, sed purgare maculis infecta » aut insanabilia reiicere, non tamen » amputare statim, neque quibusvis » credere. Sunt enim nonnulli, qui » aemulatione aut invidia ducti adversus fratrem falsam accusationem » instituant: ut olim Babylone duo » senes adversus Susannam, ut Aegyptia mulier contra Iosephum. Tu » igitur, ut homo Dei, talia non temere admittes, ne innocentem perimas et occidas iustum. Qui enim » haec libenter audit, magis irae pater est, quam pacis. Ubi vero ira » est, hinc Dominus abest: quia ira » Satanae amica, illam dico, quae » citra aequitatem mota a falsis fra-

» tribus, numquam oriri pacem in » ecclesia patitur. Unde, cognitis iis » hominibus impudentibus, conten- » tiosis, aemulis, de malo gaudenti- » bus, ne fidem eis habeatis; immo, » quum quid ab ipsis contra fratres » auditis, cavete ab istiusmodi, quia » necem pro nihilo reputant, et ubi » nemo suspicatur, prosternunt ho- » minem.

» Tu ergo accusatorem considera » et sapienter expende vitam illius, » quae demum et qualis fuerit; et » si demum repereris dicere verum, » uti Dominus edocuit, facito, et » accusatum conveni seorsum, et ar- » gue ut resipiscat, nemine praesen- » te. Quod si non persuasus fuerit, » adhibito uno vel altero, ipsi quan- » tum deliquerit ostende, admone » eum cum mansuetudine et doctri- » na, *quoniam in corde bono requie- » scet sapientia; in corde autem im- » prudentium non dignoscitur*. Si igi- » tur persuasus fuerit in ore trium » vestrum, faustum felixque sit! Si » quis autem obdurescit, dic Eccle- » siae. Si vero vel eam non audierit, » sit tibi sicut ethnicus et publica- » nus, neque amplius eum tamquam » christianum in ecclesia relinque, » sed ut ethnicum *remove*. Si autem » agere vult poenitentiam, suscipe. » Neque enim ethnicum et publica- » num *in communione recipit Eccle- » sia* priusquam singulos priorum » iniquitatum poeniteat; mores enim » mutantibus Dominus noster Iesus » Christus instituit poenitentiam.»

Et post alia: « Similiter nec de- » sperata est salus ethnicorum, modo » poenitentia ducti, abiiciant incre- » dulitatem. Itaque velut publica- » num et ethnicum habe eum, quem » in malo opere *convictum* non poe- » nitet tamen. Si vero postea, poeni- » tentia ductus, ab errore se retrahat, » quemadmodum gentiles, quando » poenitentiam agere volunt, in ec- » clesiam ad audiendum verbum ad- » mittimus, *non tamen cum iis com- » municamus,* donec per Baptismi si- » gillum consummationem accipiant, » ita et illis, donec poenitentiae fru- » ctus ostendant, permittimus in ec- » clesiam ingredi, ut verbum audien- » tes, non funditus pereant; *non vero » ut in oratione communicent,* iussi » post lectionem legis et prophetarum » et evangelii *egredi*, ut exeundo » vitae mores emendent, studentes » occurrere quotidie ad sacros con- » ventus et orationi vacare, quo et » ipsi possint admitti, et qui eos » viderint compungantur, et dum me- » tuunt ne in similia incidant, cau- » tiores evadant.

» Ceterum noli, o Episcope, eum, » qui in unum aut alterum lapsus » fuerit peccatum, *execrari;* neque » ab auditione Dominici verbi arceas, » neque communitate vitae prives, » quandoquidem nec Dominus recu- » savit cum publicanis comedere et » peccatoribus cumque eam ob cau- » sam in ius a Pharisaeis vocaretur, » ita respondit: *Non opus habent me- » dico qui valent, sed qui male ha- » bent*. Cum iis igitur, quos *propter » peccata excommunicatis,* conversa-

» tione et convictu iungimini, curam » illius, solatium, fulcimen praeben- » tes ac dicentes: *Confortamini, ma- » nus remissae et genua soluta.* Con- » solari enim oportet eos qui lugent, » et animo deficientibus alacritatem » reddere, ne immoderato dolore in » amentiam emigrent, quoniam *pu- » sillanimis valde insipiens est.* Iam » si quis conversus poenitentiae fru- » ctum ediderit, tum ad orationem » eum admittite, ut filium qui per- » ierat, illum prodicum, qui cum » meretricibus diluerat patria bo- » na. . . . Et quemadmodum ethni- » cum baptismo lotum post dida- » scalia in ecclesiam inducis, simi- » liter super hunc manus impone, » tamquam poenitentia repurgatum, » omnibusque pro eo deprecantibus » restitues eum in antiqua eius pa- » scua. . . Et si quis fratrum num- » quam prolapsus reprehenderit te, » quod huic sis reconciliatus, dicito » ei: *Tu semper mecum es et mea » omnia tua sunt: epulari autem et » gaudere oportebat, quia frater tuus » hic mortuus erat et revixit; per- » ierat et inventus est.* Nam quod » Deus non solum ignoscat poeni- » tentibus, sed et eos in pristinam » dignitatem restituat, abunde te- » statur S. David etc.

» Igitur et tu, ut medicus con- » dolens, omnes peccatores sana sa- » lutiferis atque ad subsidium aptis » utens remediis, non solum secans » aut urens aut sicca et mordacia ad- » hibens, verum etiam alligans, li- » nimentum indens et pharmaca le- » nia, quae cicatricem obducant, » imponens, atque verbis irrigans » consolatoriis. Porro, si vulnus » hiulcum fuerit, imple illud suavi » emplastro, quo carne repletum » aequale cum integra parte efficia- » tur. Sin vero sordes contraxerit, » repurga mordaci pulvere, hoc est » obiurgatorio sermone. Si autem » intumuerit, acri complana collyrio, » iudicii comminatione. Si serpit » cancer cauterio utere et putredi- » nem exseca, ieiunio affligens. Quae » quum feceris, si deprehendis nul- » lius opera esse a capite ad pedes » apponere malagma aut oleum aut » ligamina, sed dilatari ulcus et » omnem anticipare medicationem, » ad modum gangraenae cuncta » membra putrefacientis, tunc mul- » ta cum consideratione et consul- » tatione, adhibitisque aliis probis » medicis, *abscinde* membrum pu- » tridum, ne universum ecclesiae » corpus corrumpatur. . . . . Si de- » mum impoenitentem aliquem vi- » deris et obduratum, tum cum do- » lore ac luctu insanabilem ab ec- » clesia *remove.*»

Ex hac satis prolixa descriptione methodi, qua Episcopus procedere deberet ad removendos a communione peccatores in iudicio convictos, haec satis sibi constant:

1° Qui de consuetudine graviter peccandi convictus post fraternas admonitiones pertinax remansisset, removendus erat ab ecclesiastica fidelium communione.

2° Eiusmodi remotio per aucto-

ritatis episcopalis actum fiebat, qui in eo statu christianum impoenitentem quoad ecclesiam collocabat, quo statu ethnici, fidem non amplectentes, natura sua quoad ecclesiam reperiuntur.

3° Ideoque talis christianus, per dictum auctoritatis actum ab ecclesia remotus, ea iura coram ecclesia amittebat, quae per baptismum consecutus fuerat.

4° Eadem iura consequi iterum non poterat, nisi, pertinacia fracta, poenitentiam quaereret; poenitentia autem publica iuxta canones completa, per actum auctoritatis coram ecclesia absolventis in pristina pascua restituebatur. Eiusmodi absolutio tamquam novus baptismus considerabatur, quo omnia baptismi iura coram ecclesia reviviscebant.

5° Peccatori sic ab ecclesia abscisso et poenitentiam quaerenti, permittebatur in ecclesiam ingressus ad audiendum verbum et scripturarum lectiones, et ad proprias fundendas preces; ita tamen ut ex ecclesia exire cogeretur ante sacrorum celebrationem.

6° Eiusmodi in ecclesiam ingressus non erat communionis participatio, sed tantum poenitentiae publicae stadium ad consequenda tandem pristina communionis pascua.

7° Quare communio praecipue consistebat, in participatione fructus incruenti sacrificii publice celebrati in participatione omnium precum, quibus terrestris Ierusalem in celebratione sacrificii mente et corde coniungitur cum Ierusalem coelesti.

Haec confirmant ea omnia, quae in sacra liturgia legimus constituta, in qua frequentissima sunt verba *communio, communicantes:* quibus non solum significatur communio realis Christi Domini Corporis et Sanguinis, sed etiam fructuum sacrificii per Sacerdotem oblati participatio, et communicatio cum sanctis, qui ad stadium gloriae pervenerunt aut in stadio purgationis vel in stadio militantis Ecclesiae reperiuntur. Ex hac amplissima ac vivissima communione totius ecclesiae cum Christo per Christum et in Christo exclusi erant natura sua infideles non amplectentes fidem, et ceteri, qui per peculiarem actum auctoritatis segregabantur, removebantur, abscindebantur.

Ad indolem naturamque excommunicationis uberius intelligendam alterum quoque exemplum adducam depromptum ex Africana ecclesia aetate S. Cypriani, in celebri causa schismatis a Felicissimo aliisque patrati.

Felicissimus, vir criminosus, se ab Episcopis ecclesiae Africanae segregans, in communionem suam cooptabat, qui lapsi erant in persecutione, nulla poenitentia imposita neque exomologesi facta: secum communicare non permittebat, qui cum legitimis Episcopis communicarent.

Sed expedit referre epistolam 38 inter opera Cypriani, quam Cyprianus scripsit ad suffraganeos Episcopos: ea est tenoris, qui sequitur.

« Cyprianus Caledonio et Hercu-

» lano collegis, item Rogatiano et Nu-
» midico compresbyteris salutem.»

« Vehementer contristatus sum
» fratres charissimi, acceptis litteris
» vestris, ut cum mihi propositum
» semper et votum sit universam fra-
» ternitatem nostram incolumem con-
» tinere et illibatum gregem, secun-
» dum quod charitas exigit, reservare;
» nunc nuncietis Felicissimum multa
» improbe et insidiose esse molitum,
» ut praeter fraudes veteres et rapi-
» nas, de quibus iampridem multa
» cognoveram, nunc quoque cum
» Episcopo portionem plebis divide-
» re, idest a pastore oves et filios a
» parente separare et Christi mem-
» bra dissipare tentaverit....

« Cumque post haec omnia nec
» loci mei honore motus, nec vestra
» auctoritate et praesentia fractus,
» instinctu suo quietem fratrum tur-
» bans, proripuerit se cum plurimis,
» ducem se factionis et seditionis
» principem temerario furore con-
» testans (in quo quidem gratulor
» plurimos fratres ab hac audacia
» recessisse et vobis acquiescere ma-
» luisse, ut cum ecclesia matre re-
» manerent. . . . .): interim cum
» Felicissimus comminatus sit non
» communicaturos in monte secum,
» qui nobis obtemperassent, idest
» qui cum nobis communicarent,
» *accipiat sententiam quam prior di-*
» *xit, ut abstentum a nobis sciat,*
» quando ad fraudes eius et rapinas,
» quas dilucida veritate cognovimus,
» adulterii etiam crimen accedit:
» quod fratres nostri graves viri de-
» prehendisse se nunciaverunt, et
» probaturos se asseveraverunt. Quae
» omnia tunc cognoscemus, quando
» in unum collegis pluribus permit-
» tente Deo convenerimus. Sed est
» Augendus, qui nec Episcopum nec
» ecclesiam cogitans, pariter se cum
» illius conspiratione sociavit: si ul-
» tra cum eo perseveraverit, senten-
» tiam ferat, quam ille in se factio-
» sus et temerarius provocavit. Sed
» et quisquis se inspirationi et fa-
» ctioni eius adiunxerit, *sciat se in*
» *ecclesia nobiscum non esse com-*
» *municaturum:* qui *(Felicissimus)*
» *sponte* maluit ab ecclesia separari.

» Has litteras meas fratribus no-
» stris legite, et Carthaginem ad Cle-
» rum quoque transmittite, additis
» nominibus eorum, quicumque se
» Felicissimo iunxerunt.»

Quod iusserat Cyprianus his ultimis verbis perfecerunt Episcopi Caledonius, Herculanus et Victor, hanc circularem epistolam ad Africanas ecclesias mittentes, quae inter opera Cypriani est epistola 39.

« Caledonius cum Herculano et
» Victore collegis, item Rogatiano
» cum Presbyteris salutem.»

« *Abstinuimus communicatione*
» *Felicissimum et Augendum, item*
» *Repostum de extorribus, Irenem Ru-*
» *tilorum et Paulam sarcinatricem;*
» quod ex adnotatione mea scire de-
» buistis. Item *abstinuimus Sopro-*
» *nium et ipsum de extorribus So-*
» *liassum Budinarium.* »

Idem Cyprianus, e sua dioecesi exul, plebi denique universae de

eodem schismate haec inter cetera denunciavit, atque iussit per epistolam quae mihi est 40.

« De Dei providentia nobis hoc » optantibus, imo et ignoscentibus » et tacentibus poenas, quas meru- » erant *(schismatici)* pependerunt, » ut a nobis *non eiecti ultro se eii- » cerent, ipsi in se pro conscientia » sua sententiam darent.* »

Et post alia: « Pacem non offe- » runt, qui ipsi non habent pacem. » In Ecclesiam lapsos reducere et » revocare promittunt, qui de Ec- » clesia recesserunt. Deus unus est » et Christus unus et una Ecclesia, » et cathedra una super Petrum Do- » mini voce fundata. Aliud Altare » constitui, aut Sacerdotium novum » fieri praeter unum Altare et unum » Sacerdotium, non potest. Quisquis » alibi collegerit spargit. Adulterum » est, impium est, sacrilegum est, » quodcumque humano furore insti- » tuitur, ut dispositio divina violetur. » Procul ab huiusmodi hominum » contagione discedite et sermones » eorum velut cancer et pestem fu- » giendo vitate, praemonente Domi- » no et dicente: *Caeci sunt et du- » ces caecorum...* Nemo vos fratres » errare a Domini viis faciat. Nemo » vos christianos ab evangelio Christi » rapiat, nemo filios Ecclesiae de » Ecclesia tollat; pereant sibi soli, » qui perire voluerunt; extra eccle- » siam soli remaneant qui de ecclesia » recesserunt. Soli cum Episcopis non » sint, qui contra Episcopos rebel- » larunt. »

Denique sic epistolam claudit: « Si quis autem poenitentiam agere, » et Deo satisfacere detrectans ad » Felicissimi et satellitum eius partes » concesserit, et se haereticae fa- » ctioni coniunxerit, sciat, se postea » ad *ecclesiam redire et cum Episco- » pis et plebe Christi communicare » non posse.* »

Et in praeclarissima epistola quam Cyprianus scripsit ad Episcopum Cornelium, quae mihi est 55; inter plurima haec habentur: « Legi » litteras tuas frater charissime, quas » per Saturum fratrem nostrum Aco- » luthum misisti, et dilectionis fra- » ternae, et ecclesiasticae disciplinae » et sacerdotalis censurae satis ple- » nas, quibus significasti, Felicissi- » mum hostem Christi, non novum, » sed iampridem ob crimina sua plu- » rima et gravissima *abstentum*, et » non tantum mea, sed plurimorum » Coepiscoporum sententia conde- » mnatum reiectum a te illic esse; » et cum venisset stipatus caterva et » factione desperatorum, vigore ple- » no, quo Episcopos agere oportet, » pulsum de Ecclesia esse: de qua » iampridem cum sui similibus, Dei » maiestate et Christi Domini et iu- » dicis nostri severitate depulsus est, » ne schismatis et dissidii auctor, » ne pecuniae commissae sibi frau- » dator, ne stuprator virginum, ne » matrimoniorum multorum depo- » pulator atque corruptor, ultra ad- » huc sponsam Christi incorruptam, » sanctam, pudicam, praesentiae » suae dedecore et impudica atque

» incesta contagione violaret. Sed » enim lecta alia tua epistola frater, » quam primis litteris subiunxisti, » satis miratus sum, cum animad- » vertissem te minis atque terroribus » eorum qui venerant, aliquantum » esse commotum, cum te, secundum » quod scripsisti, aggressi essent, cum » summa desperatione comminantes, » quod si litteras, quas attulerant, » non accepisses, publice eas reci- » tarent, et multa turpia et probrosa » et ore suo digna proferrent. Quod » si ita res est frater charissime, ut » nequissimorum timeatur audacia » et quod mali iure, atque aequitate » non possunt, temeritate ac despe- » ratione perficiant, actum est de » Episcopatus vigore et de Ecclesiae » gubernandae sublimi ac divina po- » testate; nec christiani ultra aut » durare aut esse iam possumus, si » ad hoc ventum est, ut perditorum » minas atque insidias pertimesca- » mus. Nam et gentiles et Iudaei » minantur, et haeretici, atque o- » mnes, quorum pectora et mentes » diabolus obsedit, venenatam ra- » biem suam quotidie furiosa voce » testantur: non tamen idcirco ce- » dendum est quia minantur, aut » ideo adversarius et inimicus maior » est Christo, qui tantum sibi vin- » dicat et assumit in saeculo. Ma- » nere apud nos debet, frater cha- » rissime, fidei robur immobile, et » stabilis atque inconcussa virtus » contra omnes incursus atque im- » petus oblatrantium fluctuum velut » petrae obiacentis fortitudine et mo- » le debet obsistere etc.» Prosequi- tur praeclara exhortatio, et post plu- ra: « Opto omnes in Ecclesiam re- » gredi, opto universos commilitones » nostros intra Christi castra et Dei » Patris domicilia concludi: remitto » omnia, multa dissimulo, studio et » voto colligendae fraternitatis, etiam » quae in Deum commissa sunt, non » pleno iudicio religionis examino, » delictis plus quam oportet remit- » tendis paene ipse delinquo; am- » plector prompta et plena dilectione » cum poenitentia revertentes, pec- » catum suum satisfactione humili » et simplici confitentes. *Si qui au- » tem sunt, qui putent, se ad Ec- » clesiam non precibus, sed minis re- » gredi posse, aut existiment aditum » se sibi non lamentationibus et sa- » tisfactionibus, sed erroribus facere, » pro certo habeant, contra tales clau- » sam stare Ecclesiam Domini, nec » castra Christi invicta et fortia, et » Domino tuente munita minis cedere. » Sacerdos Dei Evangelium tenens et » Christi praecepta custodiens, occidi » potest, non potest vinci.»*

Et post alia epistolam Cyprianus clausit his verbis:

« Sic quod illic contagium ve- » nenati sermonis et pestiferae se- » minationis irrepserat, id omne de » fratrum auribus et pectoribus exua- » tur, et bonorum integra ac sincera » dilectio ab omnibus haereticae de- » tractionis sordibus repurgetur. De- » clinent autem de caetero fortiter » et evitent dilectissimi fratres nostri » verba et colloquia eorum, quorum

» sermo ut cancer serpit: sicut Apo-
» stolus dicit: *Corrumpunt ingenia*
» *bona confabulationes pessimae.* Et
» iterum: *Haereticum hominem post*
» *unam correptionem evita, sciens*
» *quia perversus est huiusmodi et pec-*
» *cat et est a semetipso damnatus.* Et
» Salomonem alloquitur Spiritus San-
» ctus: *perversus,* inquit, *in ore suo*
» *portat perditionem et in labiis suis*
» *ignem condit.* Item denuo monet
» dicens: *sepi aures tuas spinis et*
» *noli audire nequam.* Et iterum:
» *malus obaudit linguae iniquorum,*
» *iustus autem non intendit labiis men-*
» *dacibus.* Quod quamquam sciam
» illic fraternitatem nostram, vestra
» scilicet providentia monitam, sed
» et sua vigilantia satis cautam, nec
» capi haereticorum venenis posse,
» nec decipi, tantumque apud illos
» praevalere magisteria et praecepta
» divina, quantus illis in Deum ti-
» mor est: tamen ex abundanti vel
» sollicitudo nostra vel charitas scri-
» bere ad vos ista persuasit, *ut nulla*
» *cum talibus commercia copulentur,*
» *nulla cum malis convivia vel col-*
» *loquia misceantur, simusque ab eis*
» *tam separati, quam sunt illi de*
» *Ecclesia profugi,* quia scriptum est:
» *Si autem et Ecclesiam contempse-*
» *rit, sit tibi tamquam Ethnicus et*
» *Publicanus:* et Beatus Apostolus
» non monet tantum, sed et iubet
» a talibus ut recedatur. *Praecipi-*
» *mus,* inquit, *vobis in nomine Do-*
» *mini Iesu Christi, ut recedatis ab*
» *omnibus fratribus ambulantibus in-*
» *ordinate et non secundum traditio*
» *nem, quam acceperunt a nobis.* Nul-
» la societas fidei et perfidiae potest
» esse: qui cum Christo non est,
» qui adversarius Christi est, qui
» unitati et paci eius inimicus est,
» nobiscum non potest cohaerere.
» Si cum precibus et satisfactionibus
» veniunt, audiantur: si maledicta
» et minas ingerunt, respuantur.»

Ex quibus haec breviter colliguntur:

1° Schismatici, se a peculiaribus ecclesiis dividentes, et novam Ecclesiam constituere attentantes hac ipsa sua divisione iam id operantur, quod excommunicatio operatur: per eam enim divisionem a tota Ecclesiae, quae una est, compagine se segregant, quae compago uti fundamento innititur Cathedrae Petri.

2° Excommunicatio tamen ex parte Ecclesiae est necessaria, non tam ad separandum, quam ne schismatici, iam actione sua separati, ad Ecclesiae unitatem proprio veluti iure regredi posse putent, atque ut fideles doceantur, schismaticos a Christi Domini Ecclesia esse repulsos, et per consequens, quodcumque communionis genus eisdem esse denegatum.

3° Quare excommunicatio ob peccata inflicta, quae per se peccatorem ab unitate Ecclesiae non separant, eum removet a peculiari fidelium communione ut peccator ad bonam revertatur frugem petendo canonicam poenitentiam: excommunicatio vero quae infligitur illis, qui per se ab Ecclesiae unitate per schi-

sma vel per haereses separarunt, eos abscindit vel declarat abscissos, ut verae Ecclesiae unitas, tum communionis tum fidei, firma et inconcussa servetur. Aliis verbis: prima excommunicatio est Ecclesiae actio, ut inde proveniat peccantis reactio per canonicam poenitentiam: secunda est Ecclesiae reactio ut se apprime muniendo et tuendo elidat adversam schismaticorum vel haereticorum vel apostatarum actionem.

4° Excommunicatio in Africanis ecclesiis appellata est *abstentio ab ecclesia*, et excommunicatus dictus *abstentus communicatione*, qua appellatione adsignificatur quoque quoddam personale vinculum, quaedam nota vel censura, personae inhaerens, qua, persona ab ecclesia per auctoritatem abscissa, quamdiu *abstenta* diceretur, communicare non posset; quo sensu nos dicimus *excommunicatos*. Haec autem nota, censura, vinculum, non est aliud quam *personalis iuris privatio* participandi bona Ecclesiae sive spiritualia sive socialia.

5° Cum eiusmodi excommunicatis communio quoque socialis prohibebatur; ex ea praesertim ratione, ne eorundem contagione fideles afficerentur: qui schismati praeterea adhaererent eadem excommunicatione ipso facto erant publice mulctati, quin ab auctoritate denunciarentur.

Nunquam finem facerem in huiusmodi exemplis, ex antiquitate desumptis, afferendis, quae Ecclesiae disciplinam illustrant: namque licet mutabilis sit ecclesiastica disciplina pro vario Ecclesiae statu et condicione; disciplinae tamen substantia remanet, utpote quae et ipsa tandem innititur supremis christianae religionis principiis et idem est Ecclesiae Spiritus qui tum in fidei deposito custodiendo, explicando, tuendoque, tum in moderamine disciplinae eandem ecclesiam dirigit, ceu innuit S. Leo Magnus in epistola ad Dioscorum Alexandrinum, de qua mentionem feci in superiori adnotatione pag. 69.

Ex expositis itaque animadversionibus, ex adductis documentis depromptis, iam satis apparet, excommunicationem ob varia crimina, vario modo, variisque de causis ab auctoritate ecclesiastica inflictam hoc semper habere commune, quod sit *privatio iuris participandi Ecclesiae bona quae sunt fidelibus propter Baptismum communia:* quamquam haec iuris privatio modo maior modo minor sit, modo consequatur crimen ob naturam criminis, modo tota pendeat ab auctoritate; de qua re infra loquar.

Exinde apparet quoque discrimen, quod intercedit inter hominem peccatorem non excommunicatum et inter peccatorem excommunicatum.

Homo peccator ex iure divino amittit gratiam sanctificantem, et propter eiusmodi gratiae amissionem non potest mereri per bona opera vitam aeternam: ob eandem rationem non potest participare ea bona Ecclesiae, quae supponunt statum gratiae:

eritque in corpore Ecclesiae tamquam membrum arescens, vel ramus humore vitis destitutus, qui tamen ex magna vitis fecunditate, aliquam partem boni humoris ad vitam iterum obtinendam participare potest: magna enim est Ecclesiae caritas et heroicarum virtutum vis et merita!

Homo peccator excommunicatus, eadem bona ex iure quoque ecclesiastico non participat: sed praeterea nec participat ea bona quae fidelibus sunt communia propter partem quam habent in corpore Ecclesiae cui tamquam fecundae viti sunt inserti: namque peccator excommunicatus non modo est membrum arescens et ramus humore destitutus, sed simul est a corpore abscissum et ramus ab arbore sectus: qui tamen quo propinquior maneat fecundissimae arbori a qua est sectus, eo propinquior evadit spes salutis per novam insertionem in vitem, sub cuius umbra iacet ne penitus siccetur aut tabescat.

Eiusmodi metaphorae ex humano corpore, ex arbore vitis desumptae multo opportuniores sunt ad rei intelligentiam, quam exempla desumpta ex variis hominum societatibus, in quibus nullum reperies exemplum, quod melius explicet quid sit bonorum spiritualium bonorumque Ecclesiae participatio seu communio. Ecclesia enim est talis societas, quae in rerum natura nullum habet simile exemplum.

Homo itaque peccator unicum habet impedimentum ad reconciliationem cum Deo ut vitam iterum consequatur et particeps evadat omnium bonorum Ecclesiae: impedimentum est status peccati, qui deletur per poenitentiae sacramentum: e converso homo peccator excommunicatus duplex habet impedimentum, quorum unum est status peccati, alterum est excommunicatio propter peculiare peccatum inflicta. Quum autem facultate privatus per excommunicationem existat participandi bona quae sunt in potestate Ecclesiae, quaeque fidelibus sunt communia, non poterit reconciliari Deo per poenitentiae sacramentum, nisi prius reconcilietur Ecclesiae, quae habilem eum reddat ad bona Ecclesiae participanda[1], proindeque ad ipsum sacramentum poenitentiae obtinendum. Ex quo iam apparet quid sit reservatio peccatorum propter reservatam censuram de qua re sermo redibit in Appendice V.

De excommunicatione latae sententiae.

Excommunicatio, quae dicitur latae sententiae, quae videlicet cum ipso patrato crimine ita, ex voluntate excommunicantis, cohaeret, ut crimen patratum loco sit sententiae excommunicationis; in usu vix fuit prioribus Ecclesiae saeculis quando res erat de criminibus, quae natura sua ab unitate Ecclesiae non separarent, ut videre est in canonibus Apostolorum dictis, in quibus non aliis verbis excommunicatio sancitur, quam per haec: *deiiciatur: commu-*

nione privetur: convenit communione privari: damnetur: ab ecclesia abscindatur; segregetur: separetur: separationis poena feriatur: poenam ferat segregationis. Iisdem sanctionis verbis usa est Synodus Nicaena eademque verba eorundemque verborum sensus reperiuntur in subsequentibus conciliorum canonibus.

Sed alia ratione cautum erat, quando agebatur de criminibus quae natura sua separant ab Ecclesiae unitate, ut est crimen apostasiae a fide, crimen haeresis vel schismatis: haec enim crimina secumferebant excommunicationem, non quidem ex peculiari aliquo canone, sed ex ipsa natura criminis, quo plene consummato, unitas Ecclesiae sive fidei sive communionis salva esse non poterat: unitas namque Ecclesiae ea relatione se habet cum haeresi vel schismate complete patrato, quo se habent affirmatio et negatio.

Sic ex. gr. Nicaena Synodus, edito fidei symbolo, subiunxit: « Eos » autem, qui dicunt: erat tempus, » quando *(Filius Dei)* non erat, et » priusquam nasceretur non erat, et » quia ex nullis subsistentibus factus » est, aut ex alia substantia vel es- » sentia dicunt esse τρεπτὸν, hoc est » convertibilem aut mutabilem Fi- » lium Dei hos *anathematizat* catho- » lica et apostolica Ecclesia. » Idest, declarata et proposita fidei doctrina, qui contra dicant, suo sinu expellit natura sua ecclesia, execratur, anathematizat: suo est enim iudicio damnatus.

Pariterque lapsi in persecutione, vel ceteri apostatae de quibus sermo est in canonibus Nicaenis 11, 12, 14, aut haeretici, ut de Paulianistis de quibus loquitur canon 19 eiusdem Synodi, habiti sunt tamquam ab ecclesia seiuncti, proindeque communione Ecclesiae ipso facto privati.

In synodo Gangrensi, celebrata saeculo IV ad finem vergente, viginti canones dogmatici constituti sunt atque singuli muniti cum clausula *anathema sit.*

Sic ex. gr. se habet canon I: « Si quis vituperat nuptias, et dor- » mientem cum viro suo fidelem ac » religiosam detestatur, aut culpabi- » les aestimat, velut qui in regnum » Dei introire non possint, *anathema* » sit. » II. « Si quis carnes edentem » (praeter sanguinem et idolis im- » molatum et suffocatum) cum re- » ligione et fide, condemnat, velut » spem, propter huiusmodi perce- » ptionem non habentem, *anathema* » *sit.* »

De quo anathemate sic scripserunt iidem Patres Gangrenses in epistola synodali: « Propterea ergo co- » actum est hoc Concilium in Gan- » grensi ecclesia habitum, ut cano- » nes istos exponerent, quibus *pro-* » *bantur memorati extra Ecclesiam* » *esse.* Quod si per poenitentiam con- » demnaverint haec omnia, quae male » senserunt, tamquam a se non bene » prolata, acceptabiles fiant; atque » ideo singula quae debeant conde- » mnare synodus credidit exponen- » da. Quod si quis renuerit haec quae

» hodie constituta sunt, *tamquam* » *haereticus, anathematizatus et da-* » *mnatus abiiciatur. Et erit non so-* » *lum incommunicatus, verum etiam* » *ab Ecclesia habeatur extorris.* »

In quo documento apprime nota haec ultima verba: *et erit non solum incommunicatus, verum etiam ab Ecclesia habeatur extorris.* Non enim omnes qui sunt incommunicati censentur ab Ecclesia extorres: sed e converso ab Ecclesia extorres, sunt eo ipso incommunicati.

Haec autem separatio, quae contingit ex natura criminis, et anathematizatio, qua eos natura sua prosequitur Ecclesia, nihil impediebat, quominus, singulis supervenientibus rebus, per specialem auctoritatis actum haeretici anathematizarentur.

Qui actus auctoritatis est omnino necessarius, quando dubium exoriatur, an doctrina sit necne haeretica, vel quando aliqua tergiversatione sub pelle ovium ipsi tegantur, quod frequentissime contingebat. Haeretici enim in hoc solebant differre ab apostatis a fide vel schismaticis, quod illi nomine christiano haeresim disseminarent praesumentes in Ecclesia esse: haeresis enim opponitur per se unitati fidei, non autem pari modo opponitur unitati communionis.

Ut itaque lupi discernerentur ab ovibus, regula servata est, ut suspecti in iudicium vocarentur, ut per explicitam errorum detestationem eliminarent suam suspicionem; quod si facere detrectarent, communione privabantur: haec errorum detestatio appellata inde est purgatio canonica.

Huius canonicae purgationis praeclara extant exempla in epistolis Magni Leonis. Unum tantum referam exemplum, quod legitur in epistola eiusdem ad Aquileiensem Episcopum (1) hisce verbis: « Agnovimus » quosdam Presbyteros et Diaconos » ac diversi ordinis Clericos, quos » Pelagiana sive Caelestiana haeresis » habuit implicatos, ita in vestra pro- » vincia ad communionem catholi- » cam pervenisse, ut nulla ab eis » damnatio proprii exigeretur erroris; » et pastoralibus excubiis nimium » dormitantibus, lupos ovium pellibus » tectos in ovile Dominicum, non » depositis bestialibus animis, in- » troisse; et quod per auctoritatem » canonum decretorumque nostro- » rum ne insontibus quidem concedi- » tur, usurpasse; ut relictis ecclesiis, » in quibus clericatum aut accepe- » rant, aut receperant, instabilitatem » suam per diversa circumferant, » amantes semper errare et nunquam » *in fundamento Apostolico* perma- » nere. *Quoniam, qui nullo discussi* » *examine nullo sunt praeiudicio suae* » *professionis obstricti*, hunc maxi- » me expetunt fructum, ut sub ve- » lamento communionis plures do » mos adeant, et per falsi nominis » scientiam multorum corda corrum- » pant. Quod utique efficere non

(1) Haec epistola in Vol. I Appendix ad Bullarium Romanum editionis Taurinensis reperitur pag. 1. Huic similis est altera ad Septimum Altimum Episcopum ibid. pag. 3.

» possent, si ecclesiarum Praesules » necessariam diligentiam in talium » receptione servassent, ne cuiquam » eorum evagari in diversa licuisset.

» Ne ergo hoc ulterius audeatur, » neve per quorundam negligentiam » introducta pernicies ad eversio- » nem multarum tendat animarum; » hac nostri auctoritate praecepti, » industriae tuae fraternitatis indi- » cimus, ut, congregata apud vos » synodo provincialium Sacerdotum, » omnes sive Presbyteri sive Diaconi, » sive cuiusque ordinis Clerici, qui » de Pelagianorum Caelestianorum- » que consortio in communionem » catholicam ea imprudentia sunt » recepti, ut non prius ad damna- » tionem sui coarctarentur erroris, » nunc saltem, posteaquam hypocre- » sis eorum ex quadam parte dete- » gitur, ad veram correctionem, quae » et ipsis prodesse, et nullis possit » nocere, cogantur. *Damnent apertis* » *professionibus suis superbi erroris* » *auctores, et quidquid in doctrina* » *eorum universalis Ecclesia exhorruit* » *detestentur: omniaque Decreta syn-* » *odalia quae ad excissionem huius* » *haereseos Apostolicae Sedis confir-* » *mavit auctoritas, amplecti se et in* » *omnibus adprobare plenis et apertis* » *ac propria manu subscriptis pro-* » *testationibus eloquantur. Nihil in* » *verbis eorum obscurum, nihil in-* » *veniatur ambiguum. Quoniam no-* » *vimus hanc istorum esse versutiam,* » *ut in quacumque particula dogma-* » *tis execrandi, quam a damnando-* » *rum soliditate discreverint, nihil* » *sibi sensuum suorum aestiment esse* » *non salvum.*»

Et post alia: « Cavendum ergo » dilectioni tuae est, magnaque di- » ligentia providendum, ne per hu- » iusmodi homines extincta dudum » scandala suscitentur, et de exciso » olim dogmate aliquod in provincia » tua eiusdem mali germen oriatur; » quod non solum in radicibus suis » crescat sed etiam Sanctae Ecclesiae » sobolem veneno sui oris inficiat. » *Qui correctos se videri volunt, ab* » *omni suspicione se purgent; et obe-* » *diendo nobis probent, se esse nostros.* » *Quorum si quisquam salubribus* » *praeceptis satisfacere detrectarit,* » *sive ille Clericus, sive ille sit laicus* » *ab Ecclesiae societate pellatur,* ne » proditor animae suae saluti insi- » dietur alienae.»

Eo itaque rediens ex quo parumper discessi, quum illi qui aperte se haereticos proderent vel apostatas vel schismaticos, facto suo excisi ab unitate Ecclesiae essent et haberentur: ad huius separationis similitudinem paullatim in Ecclesiam invexit ea quoque ratio excommunicandi ceteros peccatores ob quaedam determinata crimina, quae dicitur excommunicatio latae sententiae; ita ut crimen admissum esset loco iudicialis sententiae.

Canon antiquior, qui mihi sese offert, in quo aliquod exemplum reperitur de excommunicatione latae sententiae, est ille, qui legitur in Decreto Gratiani *can. 21 causa 24 quaest. 3* desumptus ex Concilio To-

letano I initio saeculi V celebrato, quique canon his verbis est conceptus: « Si quis de Potentibus Cleri-» cum, aut quemlibet pauperem » aut religiosum expoliaverit, et man-» daverit eum ad se venire Episco-» pus, ut audiatur, et contempserit, » invicem mox scripta percurrant » per omnes Episcopos provinciae » et quoscumque adire potuerint, ut » *excommunicatus habeatur ipse,* do-» nec obediat et reddat aliena. »

Cum videlicet deessent media, quibus delinquens in iudicium cogi posset ipsumque iudicium sperneret, eius contumacia frangebatur per excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam donec satisfaceret.

Eiusmodi ratio excommunicandi ipso facto quosdam peccatores invaluit saeculo XI vel XII et deinceps, sive ad frangendum contumaciam eorum, qui in iudicium frustra vocarentur, sive ad coercenda frequentiora delicta, sive quod locorum Ordinarii minus solliciti essent de delinquentibus in iudicium vocandis, vel non facile possent vel non expediret ut facerent: neque enim id temporis Ecclesia versabatur amplius in ea conditione, qua reperiebatur, dum florescere inceperat prioribus saeculis: iam enim longe lateque diffusa erat; iam civilem societatem Christo Domino subegerat; iam Episcopi ministeria ecclesiastica relinquerant suis Cleris, sibi maiora negotia reservantes; iam Parochi constituti erant non tantum in pagis et oppidis, ut antea, sed in ipsis episcopalibus civitatibus. Domestica illa propemodum disciplina, quam vidimus obtinuisse primis Ecclesiae saeculis, locum habere amplius non poterat; ideoque, quum paterna episcopalis cura ad tantam filiorum ubertatem sese porrigere pari modo non posset, opus fuit, ut leges eam curam supplerent.

Quaedam itaque maiora crimina, quae iudicata sunt excommunicationis censura digna, sive ad nervum ecclesiasticae disciplinae servandum, sive ad ea crimina coercenda et extirpanda, excommunicationis sanctione ipso facto incurrenda, sunt positiva lege prohibita: hac enim ratione, crimine commisso censura mulctato, non alia pars remanebat auctoritati ecclesiasticae, quam declarandi per aliquod summarium iudicium, si opus esset, excommunicationem fuisse incursam.

Dixi si opus esset: namque quum ipsum crimen commissum esset loco sententiae, opus non erat iudiciali declaratione, si satis esset notorium.

Quum autem nihil esset immutatum quoad sociales excommunicationis effectus et quoad ecclesiasticam fidelium communionem, res tandem eo devenit, ut haec excommunicandi ratio, auctoritati valde commoda et minus exosa, saeculorum lapsu occasione esset scandalis: namque qui facile passi non essent propter crimina iudicium auctoritatis subire ob sociales effectus quos excommunicatio gignebat, multo minus patiebantur se videri a consor-

tio fidelium exclusos sine ullo iudicio; eo magis, quod verbum *notorium* eiusmodi sit, quod gradus admittat et adeo excusationibus possit obumbrari, ut frequenter quod unus notorium existimet, alter ut incertum reiiciat, vel saltem non tale, quod causas excludat, quibus delinquens ab incursa excommunicatione excusari aliquo modo non posset; quibus accedebat facilitas quaedam qua eiusmodi censura infligebatur, quin leges revocarentur, quando effectum suum essent satis consecutae: unde numero paullatim auctae sunt.

E converso fideles adigebantur eiusmodi delinquentes vitare tum in civili consortio tum in ecclesiastica communione urgente quoque censurarum sanctione. Ad evitanda itaque scandala inde proficiscentia Martinus V Constitutione edita *Ad evitanda* in Concilio Constantiensi haec constituit, ut legitur apud Harduinum *Conc. T. 8 colum. 892:* « In» super ad evitanda scandala et mul» ta pericula subveniendumque con» scientiis timoratis, omnibus Christi » fidelibus tenore praesentium mi» sericorditer indulgemus, quod nemo » deinceps a communione alicuius » in Sacramentorum administratione » vel receptione aut aliis quibuscum» que divinis vel extra, praetextu » cuiuscumque sententiae aut cen» surae ecclesiasticae a iure vel ab » homine generaliter promulgatae, » teneatur abstinere, vel aliquem vi» tare ac interdictum ecclesiasticum » observare, nisi sententia vel cen» sura huiusmodi fuerit in vel con» tra personam, collegium, universi» tatem, ecclesiam, communitatem » aut locum certum vel certa a iu» dice publicata vel denunciata spe» cialiter et expresse. Constitutioni» bus Apostolicis et aliis in contra» rium facientibus non obstantibus » quibuscumque: salvo, si quem pro » sacrilegio et manuum iniectione » in Clerum, sententiam latam a » canone adeo notorie constiterit » incidisse, quod factum non pos» sit aliqua tergiversatione celari, » nec aliquo iuris suffragio excusa» ri. Nam a communione illius, li» cet denunciatus non fuerit, volu» mus abstineri iuxta canonicas san» ctiones. »

Haec Constitutio repetita fuit in Conciliabulo Basileensi cum moderamine: ea enim legitur *apud eundem Harduinum tom. 8. col. 1194* in sess. 20. c. 2 sub titulo *de excommunicatis non vitandis certo modo non vocatis:* verba Constitutionis sunt fere eadem, sed tamen ita clauditur Constitutio post verba: *a iudice publicata vel denunciata specialiter aut expresse:* « aut si aliquem ita noto» rie excommunicationis sententiam » constitit incidisse, quod nulla pos» sit tergiversatione celari aut aliquo » modo iuris suffragio excusari. Nam » a communione illius abstineri vult » *(synodus)* iuxta canonicas sanctio» nes. Per hoc tamen huiusmodi » excommunicatos, suspensos, inter» dictos seu prohibitos non intendit

» in aliquo relevare nec eis quomo-» dolibet suffragari. »

Sed nihil esset, si eiusmodi Constitutionis moderamen contineretur tantum in actis Conciliabuli Basileensis: sed eadem clausula fuit repetita in Concilio Lateranensi V sess. 11 § *Statuimus autem* sub Leone X celebrato.

Sed quamvis Constitutio Constantiensis multas vicissitudines subierit; sive quod parum evulgata fuerit, sive quod variis restrictionibus aliqui eam coercerent; sive quod auctoritate fuerit temperata, prout videri potest apud Fagnanum in *c. Cum a Praedecessore, de Schismaticis;* tamen adeo praevaluit, ut paullatim non amplius dubitatum fuerit, eam quoad suam omnem extensionem vim novi iuris habere, de qua re conferri potest Benedictus XIV in opere *de Synodo dioecesana l. 12 c. 5. n. 4.* in quo pontifex adhuc sua aetate miratus est, quod Martini V Constitutio non reperiretur inserta in actis Conciliorum, quae ipse consuluerat. Extabat tamen apud Harduinum ut notavit cl. P. Ballerini in *Compendio Theol. Moralis P. Gury T. 2 de censur. c. 2 § 1.*

Itaque per Constitutionem Martini V factum est, ut excommunicatio et reliquae censurae *latae sententiae,* coram Ecclesia seu in foro externo, converterentur quodammodo in censuras *ferendae sententiae,* si excipias sacrilegos, undequaque notorios, percussores Clericorum (1).

Dixi coram Ecclesia seu, quod idem est, quoad forum externum: namque in foro interno censura latae sententiae, quoties incursa fuerit, suos servat effectus iuxta ea quae traduntur in *can. 6 causa 24 quaest. 1* his verbis: *« Utique quae in terra ligantur, in caelo ligantur, et quae solvuntur in terra, solvuntur in caelo: quia quum excommunicat Ecclesia in caelo ligatur excommunicatus: quum reconciliat Ecclesia in caelo solvitur reconciliatus. »*

Dixi censuras latae sententiae *quodammodo* conversas esse in foro externo in censuras ferendae sententiae: namque discrimen manet: censura enim ferendae sententiae in foro interno et externo incurritur cum ipsa et per ipsam Iudicis, qui eam infligit condemnatoriam sententiam, praemissis iure praemittendis: dum e converso censura in foro interno contracta, ut omnes habeat effectus in foro externo, non aliud exigit nisi sententiam declaratoriam, qua Iudex declaret hanc vel illam individuam

(1) Eiusmodi exceptio facta a Martino V, ut fideles, vi ecclesiasticae legis, evitare tenerentur in civili consortio et in rebus divinis notorios Clericorum percussores quin hi ab auctoritate specialiter denunciarentur, iam videtur in desuetudinem abiisse. Neque haec exceptio in consideratione habita est in Constitutione *Apostolicae Sedis*, de qua agimus; locus enim opportunus indicandi eiusmodi exceptionem erant Articuli, qui agunt de censuris inflictis illis, qui communicant cum excommunicatis nominatis, praesertim vero in Articulo XVII, quem habes *pag. 28*, vel in Articulo II, *pag. 49.*

personam in censuram iure inflictam incidisse; cum qua sententia obligatio oritur in fidelibus excommunicatas personas denunciatas evitandi tum in rebus civilibus tum in rebus divinis. Et ad res divinas quod attinet subintrant Articuli XVII et II, quorum primus habes *pag. 28,* alter *pag. 49,* iuxta casus de quibus agunt.

Haec Martini V Constitutio, ut apparet, non in favorem excommunicatorum facta est, sed in favorem fidelium, ne evitare tenerentur excommunicatos nominatim non denunciatos. Quamobrem licet aliquis certissimum habeat, et sit undequaque notorium, aliquem facto suo excommunicationem contraxisse, eum tamen nec in civili consortio nec in divinis evitare tenetur vi ecclesiasticae legis: potest tamen evitare et sacramenta denegare, quin excommunicatus iure conqueri possit. Imo dari possunt adiuncta in quibus evitare debeat ex naturali obligatione ob periculum perversionis vel scandali, vel in divinis ex evangelica admonitione, *Nolite Sanctum dare canibus: Nolite proiicere margaritas ante porcos.*

Eadem Constitutio, ut mihi videtur, non agit de apostatis, haereticis et schismaticis notoriis: sed tantum de excommunicatione et aliis censuris ipso facto inflictis ob alia crimina; quod eruitur ex variis indiciis eiusdem Constitutionis, quae heic indicare non iuvat. Usu enim intellecta est de omnibus, qui quavis de causa essent ipso facto censura mulctatis, sive haeretici, sive non haeretici: quos ideo nemo vitare tenetur vi ecclesiasticae legis si non fuerint nominatim ab auctoritate denunciati. Tenebitur autem quisque haereticos, aliosve eiusdem furfuris, sibi notos evitare ex praecepto Apostolico, *haereticum hominem devita,* qui, quum sit suo iudicio damnatus, eorum conversatio summo periculo perversionis est homini fideli, nihilque commune illi qui absolute notorii sint, habere debent cum Ecclesia a cuius fide vel auctoritate discesserunt, neque ecclesiasticam sepulturam; quod et vetitum est positiva ecclesiastica lege, atque ita ut qui cogant eos sepelire in sacro loco, excommunicatione mulctentur, ut in Articulo I *pag. 32.*

Hic mihi accidit opportunissima epistola, quam SS̃mus Dominus Noster scripsit ad Em̃um Card. Urbis Vicarium, cuius epistolae notitiam habui, quum huc scribendo pervenissem.

Doellinger publicus haereticus, auctoritatem negans infallibilis magisterii Romani Pontificis, iam auctoritate ordinaria Archiepiscopi Monachiensis haereticus declaratus, ideoque *vi quoque ecclesiasticae legis* tum in civili consortio tum in divinis vitandus, consueto haereticorum more proselites sibi facere studuit, ut in sua iniquitate contra catholicam Ecclesiam consurgeret. Atque, ut semper evenit, non defuerunt qui sponte eius errori adhaererent. Quod contigit quoque in Universitate Roma-

na, in qua ab apostatis a fide, qui Romam irruerunt post facinus diei 20 Septembris 1870, quaedam propositiones fuerunt conscriptae omnino acatholicae sub ementito nomine Romanae Universitatis, ac conquisita fuerunt subscribentium nomina, ut exhiberentur tamquam actus adhaesionis haeresi Doellingerianae: fatendum tamen eas propositiones adeo acatholicas fuisse, ut fortasse neque ipse haereticus Doellinger subscripsisset.

Nihilominus non defuerunt inter ceteros sex vel septem e veteribus laicis magistris, rerum naturalium peritis, neque tamen alicuius famae, qui invitati sua nomina subscribere eademque ceteris apostatarum nominibus interserere non detrectarunt: fortasse, ut aliquid laudis sibi publice compararent: puto enim neque omnes gravissimos errores, sub verbis non explicitis earum propositionum contectos, idoneos fuisse intelligere.

Sed satis fuit adhaesionis actus haereticae illi causae, solemnitate quadam conscriptus, ut sese publice patefacerent ab Ecclesia catholica segregatos: quod si nonnulli tales esse nolint, corrigant quantocius erratum.

Itaque SSmus Pater iuventuti instituendae consulens in epistola quam dixi, commemorat dictum Apostolicum naturale praeceptum *catholicos, qui catholici esse cessarunt, esse a catholicis vitandos*, illud praeceptum ad factum de quo agitur applicans, aperte declarat, *non licere prorsus iuvenes auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem:* abstinuit ab eis apostatis nominandis, quum iam satis essent notorii; neque opus erat eos nominare ad effectum obtinendum, quem SSmus Pater obtinere intellexit, quemque profecto splendide obtinuit. Deserti enim Magistri illi manserunt a catholica iuventute, qua fere integrum auditorium constabat: immo et amplius quoque obtinuit; romanae enim nobilesque familiae, quibus illi vel diuturna consuetudine, sibi quoque utilissima, erant devincti, vel quibus artem medicam suppeditabant, ianuas domus eiusmodi viris obserarunt. Adeo valent ecclesiasticae censurae, publicae societati quodammodo absconditae, quando auctoritatis voce aliqua ratione vivificentur!

Epistola autem tenoris est, qui sequitur:

Venerabili Fratri Nostro Constantino S. R. E. Cardinali Patrizi Episcopo Ostiensi et Veliterno Sacri Cardinalium Collegii Decano, Vicario Nostro Generali in spiritualibus Romae eiusque districtus.

PIUS PP. IX.

« Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Res maximi plane momenti, Venerabilis Frater Noster, postulat, rogari te a Nobis atque excitari, ut opera studioque tuo extenuare contendas, aut etiam, si fieri possit,

amoliri a iuventute nostra studiosa periculum exitii ei parati. Litteris sane manu Nostra datis non semel monueramus aliquem e populorum moderatoribus, ut usi auctoritate desuper eis commissa, memoresque muneris sui tuendae civilis societatis ab incredulitate, peste omnium perniciosissima, arcerent a Magistrorum subselliis homines, qui non solum omnia despicerent officia religionis, sed odio eius acti, spirituque vere satanico, eandem carperent, traducerent, oppugnarent. Irrita tamen fuerunt monita Nostra: siquidem veritum est, aut non libuit opponere murum aeneum monstri progressui; licuitque propterea iuveniles animos perversis vitiare doctrinis, et per calumniosa, versuta, impudentissima commenta, in fidem, religionem, Ecclesiam, sacros ritus, eorumque administros ac sanctiora quaeque concitare. Nonnulli vero e caecis istis et perditis caecorum ducibus, ad exacerbanda mala Nostra, huc etiam per diruta Urbis moenia sunt advecti; quibus perpauci e veteribus variarum disciplinarum professoribus, abiectissimi sane ingenii, versipelles et cuiusvis grati animi sensus expertes accesserunt, qui retusis conscientiae stimulis, omnique posthabito religioso respectu, ultro se signum constituerunt irae Dei, cui severissimam reddituri sunt rationem malorum, quae fecerunt in Ierusalem. Eorum autem omnium impiae mentis detestabilisque doctrinae specimen habetur indubium in iis, quas ad Doellingerum dederunt, litteris errore, blasphemiis, incredulitate scatentibus. Equidem, Venerabilis Frater Noster, zizania perfecte non secernentur a frumento ante magnam illam diem, in qua Dominus tempus accipiens iustitias iudicabit. Verum expedit, ut citius innotescat universis, eos, qui nomina sua scelestis litteris adscripserunt, catholicos esse desiisse, adeoque vitandos esse a catholicis. Nos quidem et pro iis oramus, ut in se reversi recedant a tenebricosa inferorum doctrina; eaque damnantes quae sunt professi, verbo et exemplo submovere nitantur scandalum a se proximis obiectum. Interim vero, Venerabilis Frater Noster, tu Parochos omnes istius Metropolis Orbis catholici moneto, eorum esse officii, nullam negligere occasionem suadendi iuvenibus curae suae creditis, non licere prorsus auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem, qui nefariis litteris subscripserunt; quorum nomina cum publicae nunciaverint ephemerides, recensenda non ducimus. Utinam solicitudo Nostra zelo adiuta tuo, et piorum huius Urbis Parochorum, sistat irrumpentis incredulitatis impetum, multosque ex adolescentibus a barathro retrahat impietatis, in quod compelluntur. Id enixe poscimus a Deo: cuius favoris auspicem, simulque testem praeci-

puae benevolentiae tibi, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus (1).

» Datum Romae apud S. Petrum die 15 Maii Anno 1871. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.»

DE DISCRIMINE INTER EXCOMMUNICATOS OB APOSTASIAM A FIDE OB HAERESIM VEL SCHISMA, ET INTER EXCOMMUNICATOS OB ALIA CRIMINA.

Iam superius attigimus discrimen quod intercedit inter primum et alterum excommunicatorum genus.

Qui crimen apostasiae a fide catholica consummavit, puta, quia deliberata voluntate transierit ad professionem alicuius superstitionis sive Iudaeorum sive Mahometanorum; sive quia Ecclesiam derelinquens formali actu se satanae tradiderit; sive quia immutabili Ecclesiae fide derelicta, sequatur spiritismum; sive quia neget vel repudiet obfirmato animo Divinam Revelationem, uti faciunt, qui rationalismum, naturalismum, atheismum profitentur: hi omnes, crimen apostasiae manifeste consummantes, nullum titulum habent quo catholicos aliqua ratione iactare possint; ideoque se ipsos agnoscant oportet ab Ecclesia extorres, proindeque excommunicatos.

Eiusmodi desertores Ecclesia da-

(1) Hae sunt litterae, quas Parochis Urbis dedit Eminentissimus Card. Vicarius iuxta mandatum in Epistola SSmi Patris contentum.

« I nemici di Dio e della Chiesa, che in questi calamitosi tempi cercano di diffondere l'eresia e l'incredulità in ogni classe della umana famiglia, vanno in ispecial modo prendendo di mira la povera gioventù, siccome quella, che di natura pieghevole e meno esperta, può essere più facilmente tratta in inganno a meglio servire agli empî loro disegni. Conoscendo eglino quanto nell'animo de' giovani possa l'esempio, massime se di coloro che ne sono dati a maestri nell'apprendere le arti e le scienze, non cessano di encomiare, perchè venga da essi imitato il fatto di que' pochi Professori, che in Roma testè aderirono ad eretiche dottrine in onta alla Chiesa.

» Per la qual cosa la Santità di N. S. profondamente commossa alla vista del pericolo di sovversione che sovrasta alla studiosa gioventù per parte di quelli, i quali si fanno a lei guida nella scienza dopo aver deviato dalla fede, ha elevato la sua Apostolica voce per ammonirli del commesso fallo e de' divini gastighi che gli attendono, quante volte non si avvedano, e non riparino lo scandalo dato a' loro prossimi. A quest' intento la stessa Santità Sua si è degnata dirigerci un suo venerato Autografo in data del 15 corrente Maggio, di cui trasmettiamo copia a' RR. Parrochi di quest'alma Città, col quale Ci ordina di esortarli a raddoppiare lo zelo e l'impegno per salvare dal baratro dell'empietà i giovani studenti alla loro cura affidati.

» Si adoperino pertanto i RR. Parrochi colla parola, in pubblico ed in privato, a fine di distôrli dall'ascoltare le lezioni di maestri che hanno fatto naufragio nella fede. Imperciocchè se per avviso dell'Apostolo debbono i Cattolici evitare gli eretici, onde non essere pervertiti, quanto più dovranno ciò praticare, quando si tratti d' insegnanti che col pretesto della scienza potrebbero più facilmente istillare nell' animo de' loro allievi il veleno dell' incredulità?

» Ricordino finalmente a' giovinetti che il principio della sapienza è il timore di Dio, e che vera scienza non può mai esser quella, che osteggia i dommi della Cattolica Religione.»

Dalla Nostra Residenza li 17 Maggio 1871.

COSTANTINO Card. VICARIO

mnat, anathematizat, execratur *per modum habitus,* quin opus sit ut aliqua allegetur lex vel canon, qui eos anathematizet, vel aliqua agatur causa ut damnentur. Non enim opus est ut agatur causa fidei, quum ipsi negare non possint superstitionem suam deposito fidei, quod catholica Ecclesia inviolabiliter custodit, non adversari: neque opus est, ut agatur causa facti, quum de iis loquamur, qui apostasiam manifeste consummaverint.

Hi itaque omnes et se ab Ecclesia abscindunt, et e converso Ecclesia tamquam abscissos per modum habitus considerat, ut semper consideravit: *Exierunt ex nobis: nec Ave eis dixeritis.* Quin immo gravissima est de his, ut ego existimo, Apostoli sententia *epist. ad Hebr. c. 6, 4 et seqq.* « *Impossibile est enim* (idest summa est difficultas), *eos, qui semel sunt illuminati* (per susceptum Baptismum et fidem) *gustaverunt etiam donum caeleste* (augustissimae Eucharistiae) *et participes facti sunt Spiritus sancti* (per sacrum chrisma et alia sacramenta); *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi* (per doctrinam fidei) ET PROLAPSI SUNT (redeuntes ad hebraismum vel gentilitatem) *rursus renovari ad poenitentiam* (non ex parte Ecclesiae, sed, Deo sic disponente, ex eorum obdurato animo ob apertum apostasiae crimen) *rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes* (sibimetipsis quidem, quia ex membris Christi evaserunt membra Antichristi, Christum adversa fronte repudiantes): *terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo* (quam benedictionem per caelestem imbrem ipsi non suscipiunt ob obduratam cordis sui terram): *proferens autem spinas ac tribulos* (quorum tantum eorum terra idonea per apostasiam evasit) *reproba est, et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* »

Ad hoc apostatarum genus pertinent quoque aetate nostra multiplices sectae vario nomine nuncupatae, quas nec valeas concipere quid reapse sint, nisi concipias eorum coryphaeos et duces, quorum pectora et mentes diabolus obsedit (ut supra vidimus pag. 80 dixisse Cyprianum), Antichristi vexillum manu gestare.

Qui aliquem articulum fidei pertinaciter neget, idest articulum, qui ab Ecclesia vel ab eius Capite propositus fuerit de fide credendus, suamque manifestet pertinaciam, erit coram Ecclesia haereticus.

Haeretici natura criminis se separant ab unitate tantum fidei: ideoque praetendere possunt ad Ecclesiae communionem se pertinere, neque se esse ab Ecclesia segregatos, quamquam non teneant omnem Ecclesiae fidem: hos etiam catholica Ecclesia *per modum habitus,* ut iam vidimus, semper damnavit atque execrata est, ita ut sufficeret nota haereseos, ut censerentur ab Eccle-

sia extorres et consequenter communione privati. Hi quoad poenas habiti quoque sunt semper eodem censu ac apostatae a fide: in hoc discreparunt, ut magis Ecclesiam conturbaverint, quum in Ecclesia esse praetenderent (1). Sed e converso Ecclesia, iuxta Apostoli monitum *ad Galatas 1, 8,* semper fideles docuit: *Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.»* Et ad *II. Timoth. 2, 16 et seqq.* « *Profana autem et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam et subvertunt quorundam fidem.*» De quo Hymenaeo et quodam Alexandro iam Apostolus scripserat in *I. ad Timoth. c. 1, 19 et 20:* « *Habens fidem et bonam conscientiam,*

(1) Constat ex historia haereseon quantum semper adlaboraverit Apostolica Sedes, praesertim prioribus Ecclesiae saeculis, ad conterendas haereses et expellendos haereticos: praeclarae de his rebus sunt Epistolae S. Leonis Magni. Pulchrum est quoque videre quam facile haeretici appellarent ad Apostolicam Sedem contra sententias in ipsos latas ab Episcopis et quam facile expeterent Sanctae Sedis definitivum iudicium, ita ut si aliquid possent sui favore a S. Sede extorquere eo ipso plenam victoriam in suis erroribus referre putarent. Nec infrequenter primi erant haeretici ad S. Sedem appellare, ut se aliqua ratione munirent, quamquam denique per iudicium S. Sedis profligati iacere cogerentur. Factum appellationum haereticorum ad Romanam Cathedram pro sua doctrina firmanda, mihi est validissimum argumentum ex traditione desumptum, quod ostendat, a primis Ecclesiae saeculis firmissimam et universalem persuasionem fuisse, sententiam Romanae Cathedrae irreformabilem esse, cui omnes fideles et Pastores et ipsi haeretici acquiescere tenerentur.

In ipsa Cypriani epistola ad Cornelium, quam superius commemoravi, in qua, columna illa Africanae ecclesiae hortatione sua excitaverat eundem suffraganeum Episcopum Cornelium ad firmitatem adversus Felicissimi schisma, haec quoque enarrantur: « Quibus *(schismaticis et haereticis)* etiam satis non fuit ab Evangelio recessisse, spem lapsis et satisfactionis et poenitentiae sustulisse, fraudibus involutos vel adulteriis commaculatos, vel Sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Ecclesia exomologesin criminum facerent ab omni et sensu et fructu poenitentiae removisse, nisi foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam sibi constituissent conventiculum perditae factionis cum male sibi consociorum et Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva confluerét. *Post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre: nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo praedicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.*» Videtur loqui Cyprianus non de Romano Pontifice, sed de Clero; namque quo tempore navigarunt schismatici illi et haeretici Romana Ecclesia vacans videtur fuisse ob decessum Fabiani R. Pontificis, quod erui potest ex epistola 31 Cleri Romani ad Cyprianum, in qua legitur: « post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani, *nondum est Episcopus*, propter rerum et temporum difficultates constitutus qui omnia ista moderetur, et eorum qui lapsi sunt, possit cum auctoritate et consilio habere rationem.» Epistola 30 Romani Cleri haec ad Cyprianum scripta continet: « Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti: omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare: *sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit: nam cum antehac quidam ex ipsius nequitiae cohorte venisset vexillarius Privati* (hic vexillarius erat Felicissimus) *et furto ac fraudulenter litteras a nobis elicere curaret; nec quis esset, latuit, nec litteras, quas volebat, accepit.*»

quam quidam repellentes, circa fidem naufragarerunt, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare (1). »

Item *II. Timoth. c. 4 v. 14:* « *Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius, quem et tu devita; valde enim restitit verbis nostris.* » Quod verbum *devitare*, ostendit, iam ab Ecclesia esse eum extorrem per manifestam haeresim; ideoque, iuxta Cypriani dicendi rationem, iam eum esse *abstentum communione*, seu iam esse excommunicatum.

Atque generatim *ad Titum c. 3, 10:* « *Haereticum hominem* (inquit) *post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio damnatus.* » Quasi enim Paulus diceret: postquam haereticum hominem semel vel bis corripueris, eum devita; nam quum nihil ex correptione ipse profecerit, ex navi salutis iam subversus est et naufragium fecit, neque opus est, ut eum damnes cum iam sit proprio iudicio damnatus: nec tamen delinquere cessat, cuius sermo tamquam cancer serpit; ideoque tam longe ab eo sis, quam ipse ab Ecclesia discessit.

Qui catholicam fidem non denegent, sed se abscindant ab Ecclesiae corpore vel se abscindant immediate ab obedientia Romani Pontificis, legitimi Beati Petri successoris, sunt schismatici.

Schisma est quoddam crimen, quod dici potest *reale*, quia eius malitia in re consistit, idest *in abscissione* a corpore Ecclesiae contra divinam dispositionem, quae exclusivam unitatem Ecclesiae voluit per unicum universalem visibilis Ecclesiae Pastorem, a quo totus Christi grex pasci debet; per unicum fundamentum, cui tota inniti debet. Ideoque quidquid mente cogitaverint qui se ab Ecclesiae corpore vel immediate a Romano Pontifice abscindant, erunt semper schismatici.

Formale schisma incipere solet cum aliqua rebellione contra auctoritatem legitimorum Ecclesiae Praesulum, quae rebellio denique convertitur in Ecclesiae Caput, si non statim contra ipsum Caput incipiat.

Praecipuum criterium ad cognoscendum formale schisma est videre, utrum qui schismatici dicuntur, re et effectu studeant excutere iugum supremi regiminis Romani Pontificis. Namque hoc gravissimum crimen facile confundi potest cum simplici inobedientia, quae non est schisma nisi supremum gradum obtinuerit, quo re et affectu abscissio, subtractio, recessio sequatur, ob quam

(1) Quamquam haec traditio, quam Apostolus Satanae faciebat, sive haeretici hominis sive publici peccatoris, ut erat incestuosus Corinthius, sit certissimum signum excommunicationis, non tamen in hac traditione, quae fiebat ad interitum carnis, consistebat excommunicatio: haec enim traditio Satanae, qua Apostolus utebatur, mihi videtur fuisse temporalis poena, ope Satanae inflicta, ut contumacia efficacius frangeretur in aliorum quoque exemplum.

abscissionem inobedientes se habeant solutos a suprema Romani Pontificis auctoritate divinitus constituta.

Haec abscissio est primum essentiale schismatis elementum, cui alterum, veluti ad schismatis integritatem pertinens, subsequitur, quod est actus, quo schismatici sibi arrogant auctoritatem a Romano Pontifice independentem, et ita erigentes se in auctoritatem, novas constituunt ecclesias, conventicula faciunt, de rebus Ecclesiae disponunt ad similitudinem supremae independentis auctoritatis. In his duobus elementis, quod primum *essentiale* dices, alterum *integrale*, schisma undequaque perfectum consistit (1).

Quum autem Christi Domini Ecclesia ita sit *una*, unitate fidei et communionis seu regiminis, ut simul ex divina dispositione sit *unica* ob unicum constitutum totius aedificii fundamentum, quod est cathedra Petri, eiusque legitimorum Successorum; numquam potuit Ecclesia eiusmodi schismaticos tamquam a se abscissos non habere, quin ipsa unica Christi Domini Ecclesia esse cessaret.

Quare eiusmodi schismatici considerati semper fuerunt ab Ecclesia extorres, et *per modum habitus* communione quavis privati, quamquam nihil umquam omisit Apostolica Sedes, ut in sinum suum eos revocaret, qui, primo furore cessante, diuturna quiete sua in somno mortis marcescunt.

De his praeclara sunt Cypriani verba, quae superius retuli pag. 79: *« Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri praeter unum Altare et unum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite »* etc.

(1) Hisce consideratis plenius intelligitur articulus III Constitutionis, quem habes pag. 10, his verbis: *Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.* » Ad schisma perfectum pertinent primi, qui veniunt sub verbo *Schismaticos*, cum quibus utrumque elementum cohaeret: ad schisma autem non undequaque perfectum pertinent secundi, qui pertinaciter se subtrahunt vel recedunt ab obedientia Romani Pontificis pro tempore existentis, cum quibus cohaeret primum et essentiale schismatis elementum. Ex. gr. schismatici illi Armenii, qui nostris hisce diebus exorti sunt, in praesentia schisma undequaque perfectum patrarunt, ut aperte constat ex iis quae narrantur in litteris Apostolicis, quas retuli in Latinis ephemeridibus *Vol. VI pag. 274 §. Profecto et seqq.* Imperfectum autem adhuc dici poterat schisma, ante ea facta quae in eodem paragrapho enarrantur: pertinaciter enim tantum recesserant ab obedientia R. Pontificis; aderat videlicet elementum essentiale schismatis, deerat autem elementum integrale. Nihil interest, quod se tamquam catholicos iactent fidelesque et obedientes se dicant Romano Pontifici, vel etiam nonnullos obsequii actus faciant: ut enim superius notavi, schisma est quoddam crimen quod in re consistit in abscissione reali a corpore Ecclesiae: quidquid verbis dicant aut mente cogitent, factis apertis recesserunt ab obedientia Romani Pontificis et in auctoritatem non demandatam, sed immo expresse negatam, semet erexerunt, in quibus elementis consistit perfectum schisma, idest discissio corporis Ecclesiae contra divinam dispositionem.

In his omnibus hactenus recensitis criminibus dixi, Ecclesiam eorum manifestos auctores damnare, repudiare, execrari, anathematizare *per modum habitus,* ne scilicet putetur, aliquod fuisse tempus, quo Ecclesia damnare et anathematizare eiusmodi homines inceperit; quasi vero haec damnatio et anathematizatio pertineat ad mutabilem disciplinam, ita ut tempore aliquo eos damnaverit, alio vero tempore non damnaverit: haec enim hominum damnatio, ob naturam criminum divinae Ecclesiae constitutioni e fronte adversantium, cum Ecclesia incepit, perseveravit, et usque ad consummationem saeculi perseverabit.

Videri possent non bene loqui de hac re aliqui Auctores, qui dum quaerunt ex. gr. an haeretici, qui suam haeresim exterius protulerint, sint excommunicati: respondent quidem affirmative, sed id probant allegantes *can. Acutius 24 quaest. 1*, *cap. Ad abolendam,* et *cap. Excommunicamus, de Haereticis,* et *Bullam coenae,* in qua praeterea excommunicatio Romano Pontifici reservatur. Quasi vero, antequam eiusmodi canones vel capita iuris ederentur, haeretici excommunicati non essent. Eo magis, quod si haeretici excommunicati censendi tantum essent vi horum canonum, nec difficile esset ostendere (si rigore aliquo expenderentur, ut fieri solet quando de poenis agitur), eos canones comprehendere tantum quoddam haereticorum genus, et non omnes: et ad Bullam coenae quod attinet, eam non in omnibus catholici Orbis partibus in usu et vigore fuisse.

Sed tamen eiusmodi Auctores facile excusantur ex eo quod initio Appendicis I adnotavi: idest identidem allegari quaedam iuris capita, in quibus non continetur id quod velit ostendi, quae tamen quum commemorent aliquod traditionale principium quod sine controversia est, non inutiliter allegantur. Et hac in re repeti opportune posset, quod praeclare animadvertit Melchior Canus loquens de Apostatis a fide, cuius verba retuli pag. 67.

Ex animadversionibus hactenus factis evidenter apparet discrimen quod intercedit inter excommunicationem in apostatas, haereticos et schismaticos latam et inter eam quae infertur in alios peccatores. Ceteri enim peccatores natura suorum criminum non se separant ab unitate Ecclesiae sive fidei sive communionis: manent enim in corpore Ecclesiae tamquam membra vita carentia, quae vivificatione indigent; loquor enim de iis qui graviter peccaverint et in peccato perseverent; sunt tamen membra Ecclesiae.

Excommunicatio in primos cohaeret cum criminis natura, quo crimine manifeste implicatos, Ecclesia uti sua membra complecti non potest: excommunicatio in alios tota pendet a voluntate auctoritatis, seu a positiva Ecclesiae lege. Illa insequitur recedentes, vel ipsis invitis per suam sententiam recessionem

perficit, ne ipsa subvertatur Ecclesia: haec removere solet mala membra ut sanentur. Illa supponit vel declarat ab Ecclesia extorres, et per consequens Ecclesiae bonis privatos: haec tantum privat eisdem bonis: ideoque illi cessant esse catholici; hi vero catholici manent, quamquam, ob privationem consortii bonorum, tamquam non catholici habeantur. Illa in expulsione et bonorum privatione non admittit limites et gradus: haec gradus saltem olim admisit, ita ut nec omnibus Ecclesiae bonis semper privaverit, nec semper supponeret grave peccatum: unde distinctio quoque orta erat inter maiorem et minorem excommunicationem. Tota traditio clamat, apostatas, haereticos, schismaticos fugiendos esse non tantum in divinis, sed etiam in civili consortio; e converso non pari rigore legitur constitutum fuisse de ceteris, quamquam et hi in divinis semper essent vitandi.

De discrimine inter excommunicatos vitandos et toleratos.

Qui excommunicationem inflictam contrahunt ob quodcumque grave crimen poena excommunicationis punitum, iure seu facultate privantur participandi Ecclesiae bona quae fidelibus sunt communia, ut superius vidimus. Ecclesia enim est medium, per quod coelestia dona, ex largitate divina hominibus facta, hominibus communicantur. In sua potestate proinde est, denegare ius illud fidelibus, quod ratione Baptismi sibi competit: id Ecclesia satis ostendit negando se et bona sibi commissa, homini baptizato, quasi christianus non esset, donec resipiscat.

Dum agitur de excommunicatis, qui dicuntur vitandi, idest de iis, qui fuerint nominatim denunciati, Ecclesia se negat eisdem suaque bona quorum administratrix est: idest se negat in civili consortio, prohibens fidelibus communicationem cum iisdem; se negat in divinis, prohibens consortium fidelium cum excommunicatis in celebratione divinorum officiorum, in oratione, multoque magis in participatione sacramentorum. Haec prohibitio communicandi in divinis est primus ac praecipuus excommunicationis effectus coram Ecclesia, quod ex superius expositis documentis satis apparet, quodque facile posset confirmari ex iugi ecclesiastica traditione, afferendo plena manu canones et documenta, quae sub gravibus quoque poenis eiusmodi communicationem prohibent.

Excommunicatis, qui dicuntur tolerati, qui videlicet non fuerint ab auctoritate denunciati, quamquam sint undequaque notorii, non se denegat Ecclesia in foro externo, idest non interdicit fidelibus civile consortium cum iisdem, nec prohibet communicationem cum eisdem in divinis. Prohibitum tamen utrumque semper manebit, quoties periculum adsit perversionis vel scandali· quae

prohibitio oritur ex naturali divino iure (1).

Unde haec distinctio, quae post Constitutionem Martini V invaluit, in hoc disciplinae ecclesiasticae capite talem mutationem induxit, ut coram Ecclesia, idest in foro externo, cum disparuissent effectus praecipui earum legum, quae excommunicationem ipso facto incurrendam san-

(1) Ob dictum periculum perversionis vel scandali vel participationis in ritu haeretico aut schismatico S. Congregatio S. U. Inquisitionis saepius ad proposita sibi de hisce rebus dubia respondit, *non licere*. Expedit referre aliquod exemplum. Giraldi in suis adnotationibus quas interseruit in opere Thesauri *de Poenis, sub verbo Haeresis* hoc refert Decretum: « Feria V die 10 Maii 1753 in Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis S. Officii etc.

» Super dubiis propositis a quodam missionario civitatis Tenos in Peloponneso et a S. C. de Propaganda Fide ad S. Officium transmissis per eius R. P. D. Secretarium die 24 Martii eiusdem anni: Sanctissimus, auditis votis Eñorum, decrevit.

» Ad primum nempe: *An liceat catholicis latinis concedere vel permittere, ut in eorum ecclesiis celebrent Presbyteri graeci ritus, schismatici et haeretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum.* Quoad primam partem dicti dubii respondendum, *non licere*: maxime cum Patriarchae Constantinopolitani commemorationem faciant et festum celebrent infamis Palamas: id enim perinde est, ac consentire eorum haereticis ritibus et communicare cum eis in eorum Sacris, schismatico et haeretico furfure pollutis aut saltem occasionem praebere catholicis ad latinas intervenientibus ecclesias communicandi cum haereticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem eiusdem dubii, quatenus comitantes funera catholicorum, *meram praesentiam materialem* exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera offerre et defunctos ad sepulchrum deducere, *tolerari posse*: quatenus vero in illa functione *proprios ritus adhibeant vel nostris se immisceant, non licere, nec esse permittendum.*

» Ad secundum nempe: *An liceat catholicis Graeci ritus non habentibus catholicam ecclesiam eiusdem ritus, communicare in divinis cum graecis schismaticis et haereticis: non licere*: quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam latinorum, et in defectu Sacerdotis catholici ritus Graeci a Sacerdotibus latinis sacramenta suscipere.

» Ad tertium, nempe: *An liceat Confessariis vel Sacerdotibus latinis administrare Sacramentum Poenitentiae Graecis catholicis, communicantibus in divinis cum Graecis schismaticis: non licere extra casum extremae necessitatis.*»

Pro maiori vero instructione narrat Giraldius, missum quoque fuisse ad eundem missionarium id, quod scripserat Benedictus XIV in opere *de synod. dioeces. l. 3 c. 5*, ubi ex dictis causis, idest ob periculum perversionis in fide, vel participationis in crimine haeretico aut schismatico, vel scandali, concludit: *vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis.*

Hanc tamen conclusionem intellige de iis catholicis, qui se immiscent in ritibus haereticorum vel schismaticorum, accedentes ad eorum templa, de quo casu loquitur Benedictus XIV, non vero de haereticis vel schismaticis, qui accedant ad templa et ritus catholicorum, quo in casu dici non potest *vix umquam accidere potest*, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis. Idest commistio in ritibus haereticorum vel schismaticorum, qui conventicula sacra comminiscuntur, erit fere semper noxia iure naturali et divino; est enim quaedam participatio in crimine haeretico vel schismatico. Vicissim admissio haereticorum vel schismaticorum (qui iam separati ab Ecclesia sectam constituunt) in ritus catholicos, *quasi essent membra catholicae Ecclesiae*, pari iure est semper illicita et prava. Materialis vero admissio in templa Catholicorum et ad sacros catholicorum ritus permittitur post Constitutionem Martini V. Immo persaepe ipsis haereticis est ad salutem utilis, et catholicis prorsus indifferens. Hic usus Romae viget, ipso Summo Pontifice sacra publice faciente.

cirent, ipsae leges fere cessare visae sunt.

Quum tamen leges manerent quoad peccatorem ut antea, qui facultate manebat privatus participandi bona Ecclesiae, fere evenit, ut iudex de contracta censura manserit tantum ipse peccator et eius Confessarius, quando ad sacramentalem Confessionem accederet.

Sed praeterea eiusmodi leges, sive per mitissimas interpretationes in earum applicatione ad singula facta, sive per earum ignorationem, quae plerosque omnes invasit, disparuerunt non solum coram Ecclesia, sed etiam magna ex parte quoad ipsum peccatorem, ita ut multae censurae omnino cessare viderentur.

Quod provide perfecit Constitutio *Apostolicae Sedis* de qua agimus, elenchum tradens censurarum, quae in pleno vigore sint servandae, reliquas omnes abrogans. Celebres proinde manebunt in hac censurarum provincia duae Constitutiones, quarum prima Martini V, quae viam quodammodo stravit huic secundae.

Manente nihilominus distinctione inter excommunicatos vitandos et toleratos, ipsa excommunicatio iam in duplex genus distinguitur: namque licet intrinsece eadem sit; extrinsece tamen adeo est vis excommunicationis imminuta, quae voce auctoritatis per nominationem delinquentis non vivificetur, ut praecipuam suam externam efficaciam coram societate non amplius habeat. Quum itaque qualitas effectus adscribi soleat causae, habebimus excommunicationem *vitandam* quae est antiqua excommunicatio maior, et excommunicationem *toleratam*, quae universim non cogit fideles, ut excommunicatos etiam notorios tamquam excommunicatos habeant.

De applicatione censurae excommunicationis inflictae in apostatas a fide, haereticos et schismaticos per Constitutionem *Apostolicae Sedis*.

Articulus I. Constitutionis *Apostolicae Sedis*, quem habes *pag. 8* et articulus III *pag. 10* excommunicationem ipso facto infligunt apostatis, haereticis et schismaticis, eandemque Romanus Pontifex *speciali modo* sibi reservat.

Absque ullo dubio hanc censuram incurrunt ii omnes, quos supra consideravimus *pag. 93 et seq.* Namque egimus de apostatis, haereticis, et schismaticis notoriis.

Sed quum de notoriis agitur, quaeri facile potest, utrum Ordinarii locorum, qui velint publice denunciare, per expressionem nominis, eos, qui duces saltem sint et coryphaei, ut vitandi evadant, teneantur praemittere admonitiones. Ratio dubitandi est, quia iam notorie constat eos esse excommunicatos, unde satis videretur declaratio, absque ulla praemonitione.

Respondeo. Si de iis agitur, qui non tantum sint notorii, sed praeterea contra ipsam catholicam Ec-

clesiam superba fronte insurgant, seque apertos hostes manifestaverint, quaevis admonitio, non solum esset inutilis, sed in vilipendium auctoritatis admonentis facillime cederet: quibus in rebus nulla dignoscitur obligatio ex parte auctoritatis eos admonendi. Valeret enim illud quod superius ex S. Cypriano adnotavi pag. 82: videlicet hoc in casu denunciatio et quaevis condemnatio esset Ecclesiae reactio, ut se apprime muniendo et tuendo elideret schismaticorum vel haereticorum vel apostatarum actionem.

Si de aliis agitur, qui notorii quidem sint, de quibus tamen spes aliqua affulgere posset, per monitionem et metum denunciationis, eorum pertinaciam fractum iri; praemittenda est aliqua admonitio, ut iudex omnino licite agat, qua non praemissa, valide tamen ageret: et sic nominatim denunciatus esset in omnibus vi ecclesiasticae legis vitandus.

Ratio est, quod notorius excommunicatus nullum ius habet ad hanc denunciationem repellendam: haec enim non alium producit effectum, quam ut fideles obligentur eum evitare, quem iam ipsi, licet non ex obligatione legis, potuissent evitare, quin notorius excommunicatus conqueri posset: ideoque, supposita notorietate facti, sine ulla monitione valida esset denunciatio.

Attamen posset esse minus licita, si spes affulgeret, ipsum, per fractionem pertinaciae, esse denunciationem declinaturum. Namque, licet verum sit, notorium excommunicatum conqueri non posse de denunciatione: tamen denunciatio talem mutationem rerum inducit coram Ecclesia et societate, ut terrorem in excommunicato facile possit concitare ad resipiscentiam: denunciatio enim in praesenti disciplinae ordine per se considerata producit omnes extrinsecos excommunicationis effectus, quasi esset nova et gravior excommunicatio, quemadmodum et christianus populus eam considerare solet. Quum autem excommunicatio soleat infligi ad frangendum pertinaciam: minus recte ageret, qui prius non experiretur, per aliquam monitionem, notorii excommunicati pertinaciam. Si excipias eiusmodi rectitudinem agendi, quae oritur ex officio charitatis aequitati canonicae conformi, ob graves effectus, quos denunciatio in praesenti disciplinae ordine producit, nihil ex ss. canonibus deprehendes, quod cogat iudicem ordinarium ad praemittendam monitionem illi, qui iam notorie excommunicationem contraxerit; argumento sumpto ex *cap. 26 de Appell.* in quo Alexander III in Concilio Lateranensi haec decrevit: « *Praesenti Decreto statuimus, ut Praelati (nisi canonica commonitione praemissa) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos; nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat.* »

Haec quae dixi vera sunt, sive agatur de excommunicato notorio haeretico vel schismatico, sive de quovis alio peccatore notorie ipso facto excommunicato, in quo spes aliqua resipiscentiae adsit. Quod si de haeretico agatur, in quo nec spes aliqua resipiscentiae adsit, vel non expediat ex aliqua publica causa ut moneatur, tenetur auctoritas eum publice denunciare, cum sit crimen non solum gravissimum, sed etiam Ecclesiae et saluti animarum perniciosissimum.

Quod si notorie non adeo constiterit, ita ut aliqua tergiversatione in foro externo excommunicatus possit excusari, puta quia agendo de haeretico non satis notoria sit fides ab Ecclesia proposita, vel non satis notorium sit factum, quod haereticus negaverit fidem, tunc necessarium est aliquod summarium iudicium, ut in luce ponatur, talem hominem haereticum esse, atque eo convicto vel confesso, si pertinax remanserit, uti haereticus denuncietur et poenis canonicis, quae applicabiles sint, subiiciatur oportet.

Quod si tantum ex summario iudicio constet quidem eum esse de haeresi suspectum, non tamen constet eum esse haereticum: tum iudex sub poena excommunicationis eum cogere saltem debet ut purget suspicionem iuxta exemplum quod superius attuli *pag. 86* ex S. Leone Magno. Atque ad haec invigilare tenentur Ordinarii, ut per se vel per suos Vicarios non obiter, sed serio et cum zelo visitent singulis annis suas dioeceses, et suspectos de fide perquirant iuxta *c. 13* §. *Adiicimus de haereticis*. Quod tamen iuris caput refertur ad ea catholica loca, in quibus haeresis non dominetur.

Diversa autem est ratio, qua se habere debent Confessarii in foro interno. Namque in foro interno si ignorantia non excuset, haereticus illico est ille habendus atque proinde excommunicatus, qui haeresim exterius manifestaverit, quamquam manifestatio notoria non evaserit, nec possit in iudicio probari. Pertinax enim externatio haeresis coram uno vel altero homine illico proferentem excommunicatum ipso facto reddit: atque, externata pertinaciter haeresi, absolvi non potest a censura contracta, sine specialissima Romani Pontificis auctoritate.

Sed non inutilis hic quaestio moveri potest: videlicet, an haeretici vel apostatae notorii, antequam ab auctoritate denuncientur, inducant excommunicationem in alios, qui fuerint eorum credentes, receptatores, fautores vel defensores, qui legerint eorum libros haeresim propugnantes ceterosque.

Haec quaestio moveri potest ob Constitutionem Martini V, quae usu, ut ante notavi, intellecta est de omnibus excommunicatis sive haereticis sive non haereticis.

Namque si quisque fidelium vi legis ecclesiasticae vitare non tenetur nisi quem auctoritas specialiter et expresse denunciaverit, nec vide-

tur in dictas censuras incidere quas haeretici inducunt: quum fideles eos ut haereticos habere vi ecclesiasticae legis non teneantur: ideoque quum eorum credentes, receptores, fautores, defensores, vel legentes eorum libros haeresim vel apostasiam propugnantes, per huiusmodi actiones non evadant necessario haeretici vel apostatae, non videntur in dictas censuras ecclesiastica auctoritate inflictas, incidere.

Eo magis quod, inspecta Constitutione *Apostolicae Sedis* de qua agimus, in ea reperiuntur gravia indicia, quibus Pontifex significare visus est, nonnisi denunciatos haereticos eam excommunicationem in alios inducere: namque in articulo I *pag. 32*, in quo Pontifex voluit, ut notorii haeretici excommunicationem in alios inducerent, id expresse declaravit per verba: « *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios*, aut nominatim excommunicatos vel interdictos. »

Item in articulo VI *pag. 46* legitur: « Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, *aut ab haeretico vel schismatico notorio* etc. »

Quare ubi id Pontifex non declaravit, praesumendum est noluisse, ut excommunicationem in alios inducerent haeretici non nominatim denunciati.

At, his non obstantibus, contrarium est tenendum. Prima ratio praesumptiva est, quod articuli I et II *pag. 8 et 9* de apostatis et haereticis agentes, deprompti sunt ex Bulla coenae Gregorii XIII aliisque sequioribus, quas retuli *pag. 63 et seq.* Quae Bullae longe post aetatem Martini V editae, ita fuerunt intellectae, ut haeretici eam excommunicationem inducerent in alios quin a iudice nominatim essent denunciati. Sic ex. gr. tradit Carolus Antonius Thesaurus *de poenis eccles. verb. Haeresis c. 2* §. 1. « Haereticorum receptatores, defensores, fautores et credentes haereticis excommunicationem maiorem incurrunt latam in *cap. Excommunicamus* §. *Credentes, de Haereticis* et in *cap. Noverit 49, de sentent. excom.* et licet ex dictis capitibus non sit reservata, est tamen hodie reservata in Bulla coenae Domini *cap. 1*, et ad hanc censuram incurrendam *non est necesse, quod principalis, idest haereticus sit denunciatus nominatim*, quia hae actiones secundariae per se primo puniuntur, Sanchez *l. 2 c. 10 n. 6*, Suarez *de fide, disp. 24 sect. 2 n. 7.* »

Secunda ratio est ea quae in allata auctoritate indicatur, quia hae actiones quae secundario referuntur ad causam haeresis, non puniuntur tantum quia secundario referuntur ad haereticos, sed puniuntur quoque per se primo, quia sunt actiones per se malae utpote haeresim implicantes: ut est actio credendi er-

roribus haereticorum, actio recipiendi haereticum causa haeresis fovendae vel propagandae, actio haereticis favendi vel eos defendendi quia sunt haeretici: hae enim actiones ideo sunt ecclesiastica lege prohibitae, quia sunt per se pravae; implicant enim formalem cooperationem in haeresim: non autem sunt tantum pravae quia ecclesiastica lege prohibitae.

Sed alia ratio, eaque universalior, desumitur ex ipsa Constitutione Martini V, quam habes superius *pag. 88*. Per eam enim eximuntur fideles ab ea tantum ecclesiastica lege, quae, sub censurarum quoque poenis, cogebat vitare in civili consortio et in divinis, personas excommunicatas, quamquam non denunciatas: reliquae ergo leges in suo vigore manserunt: idque valet sive agatur de censuris, quas inducunt haeretici, sive de censuris, quas inducunt excommunicati ob aliam causam. Aliud est enim dicere: non teneor vi ecclesiasticae legis evitare excommunicatum; aliud est dicere: possum esse fautor, defensor, vel praestare auxilium etc. excommunicato, quin sancitam excommunicationem incurram, quia non est denunciatus. Non enim de hoc secundo casu loquitur Martini V Constitutio.

Quod patet ex ipsius Constitutionis verbis et sententia: « *Ad vitandu scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis* (quibus verbis iam intelligitur quaenam sit legis huius sententia) *omnibus Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque divinis vel extra..... teneatur abstinere vel aliquem vitare... nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit a Iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse.* » Quibus verbis eximuntur tantum fideles ab onere evitandi excommunicatos vi ecclesiasticae legis imposito.

Respondetur ergo ad primam obiectionem. Fideles non tenentur habere haereticos ut haereticos, donec non denuncientur, ad effectum abstinendi ab eis in civili consortio vel in divinis; non autem ad alios effectus: quoad alios enim legum effectus, haeretici ut haeretici habendi sunt, quamquam non fuerint denunciati.

Respondetur ad secundam obiectionem. In articulo I *pag. 32* et in articulo VI *pag. 46* necessario indicandi erant haeretici notorii, ut sub illis articulis comprehenderentur: secus enim, quum ibi mentio dumtaxat fieret de excommunicatis denunciatis, haeretici vel schismatici notorii non denunciati haud fuissent comprehensi.

Immo in hisce duobus articulis animadverte distinctionem, quae supponitur, de qua superius scripsi, inter excommunicatos propter haeresim vel schisma et inter alios excommunicatos propter alia crimina: haeretici enim notorii in his articulis

aequiparantur excommunicatis denunciatis: quod confirmat, quod demonstrandum assumpsi, idest, in art. I et II *pag. 8 et 9,* haereticos, quamquam non denunciatos, sanctas censuras in alios inducere.

Quaeri ulterius potest, utrum haeretici ad inducendam excommunicationem in alios qui commemorantur in dictis articulis I et II, *p. 8 et 9,* necesse sit, ut sint notorii, vel sufficiat, ut haeresim occulte tantum significaverint, puta coram uno vel numero paucis, ita ut haeresis occulta existimari possit.

Respondeo. Sufficit, ut haereticos esse certo modo cognoscatur, ut eis credentes, receptores, fautores, defensores, legentes eorum libros ceterique in articulo II recensiti, in eam incidant excommunicationem de qua ibidem est sermo. Crimen enim haeresis est illico censura multatum statim ac exterius prodeat; eiusque auctor illico dicitur et est haereticus: quare comprehenditur sub verbis articuli I: *excommunicamus omnes et singulos haereticos,* ubi non distinguuntur haeretici notorii ab haereticis occultis: quum itaque necessarium non sit ut denuncientur ad inducendam excommunicationem in alios, ceteri, qui ibidem nominantur, qui cognita eorum haeresi in ea causa implicantur, eo ipso contrahunt excommunicationem speciali modo Romano Pontifici reservatam.

Item quaeritur, in quas censuras incidant, qui communicant cum haereticis denunciatis.

Respondeo. Nominalis denunciatio haeretici vel schismatici fieri potest ab auctoritate episcopali vel ab auctoritate Romani Pontificis.

Denunciatio quae fiat auctoritate Romani Pontificis censuras inducit, quae sanciuntur in articulis XVI et XVII *pag. 28,* in quorum primo multantur excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata, *communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso ei scilicet impendendo auxilium vel favorem:* in altero eadem excommunicatione multantur *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.*

De hisce articulis moveri facile possunt difficultates. Prima difficultas est: quando agitur de haereticis denunciatis vel apostatis a fide (qui eodem censu habentur) articulus XVI *pag. 28* videtur nihil addere articulo I *pag. 8:* namque quum sub hoc articulo I comprehendantur *eis credentes eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet illorum defensores,* sub hisce verbis iam comprehenduntur *communicantes in crimine criminoso, ei,* scilicet haeretico, *impendendo auxilium vel favorem.* Qui enim ei impendit auxilium vel favorem in crimine criminoso, idest in haeresi, iam est eius fautor vel defensor. Quaeritur itaque, an communicantes cum haeretico nominatim a Papa denunciato incidant in duplicem excommunicationem, in

eam scilicet articuli I *pag. 8, speciali modo* Romano Pontifici reservatam, et simul in alteram articuli XVI *pag. 28* eidem Pontifici *simpliciter* reservatam.

Respondendum videtur, in exposito casu, qui incurrit excommunicationem primam tamquam fautor vel defensor haeretici, non incidere simul in alteram articuli XVI *pag. 28:* ratio est, quod non est praesumendum, Pontificem in una eademque lege, duplicem excommunicationis poenam voluisse infligere ob eandem causam: poenae enim non sunt multiplicandae, nisi constet multiplicandas esse: ideoque, quum fautores haeretici eiusque defensores ob communicationem in crimine haeresis contrahant excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam, non videntur in aliam incidere simpliciter Romano Pontifici reservatam, quam denunciatio secumfert. Fautor enim vel defensor haeretici ob eandem causam, idest ob communicationem in crimine criminoso, in duplicem excommunicationem incideret.

De hac fere quaestione scribens Filiuccius *tract. 16 num. 39,* opinatus est, receptatores, fautores et defensores haereticorum, quando haeretici fuerint denunciati, praeter excommunicationem Bullae coenae, incurrere etiam excommunicationem propter communicationem cum haeretico denunciato ex *cap. Nuper, de sentent. excom.* ex quo capite desumptus est noster articulus XVI, ut ibidem notavi *pag. 28.* Ratio, quam Filiuccius adducit, est quia haec causa et excommunicatio est separata ab illa prima, et non est sublata vel transfusa per cap. 1 Bullae in coena Domini.

Sed fortasse non animadvertit Filiuccius in cap. 1 Bullae coenae, reperiri peculiarem dispositionem de eis, qui cum haereticis favendo vel defendendo communicant in crimine haeresis: et in *cap. Nuper* reperiri universalem dispositionem de eis, qui communicant cum excommunicato denunciato a Papa, sive sit haereticus sive schismaticus, sive alius quavis de causa excommunicatus et denunciatus: dispositionem autem particularem praevalere dispositioni universali, quin opus sit, ut in particulari dispositione indicetur derogatio vel transfusio. Quando enim legislator peculiariter de una re disponit, legem iam praescribit, qua res eadem praeter universalem legem dirigi debeat: unde quando dispositio particularis poenalis concurrit cum dispositione generali, non duae poenae ob eandem causam illatae praesumendae sunt, sed generalis dispositio praesumenda est in particularem transfusa, ne confusio quoque censurarum exoriatur. Quod iam vidimus in praesenti Constitutione factum esse, quando agitur de bonorum ecclesiasticorum usurpatoribus *pag. 36 in nota.* Secus autem est dicendum quando ob diversum crimen diversae censurae latae sunt: ex. gr. Sectarius quia Sectarius ex-

communicationem contrahit articuli IV *pag. 18:* si idem Sectarius sit quoque apostata a fide, contrahit etiam excommunicationem artic. I *pag. 8:* idest ex duplici et diversa causa ab ecclesia avulsus iacet.

Sed fortasse dices: ergo denunciatio haeretici nominatim a Papa facta nihil novi induceret: quod congruum non videtur.

Respondeo, multa inducere: 1° haereticus est in civili consortio et in divinis vitandus iuxta universalem ecclesiasticam legem: 2° est vitandus in divinis a clericis sub poena quoque excommunicationis iuxta articulum XVII *pag. 28:* 3° qui admittunt ad ecclesiasticam sepulturam haereticum denunciatum interdictum incurrunt ab ingressu ecclesiae Romano Pontifici reservatum, iuxta articulum II *pag. 49:* 4° si fortasse detur casus, in quo aliquis communicando in crimine haeresis, auxilium et favorem impendens, dici non posset aliquo modo fautor vel defensor, ita ut primam excommunicationem evaderet, non evaderet secundam generalem articuli XVI: 5° potest denunciari excommunicatus etiam fautor vel defensor haeretici, quo in casu subintraret plene articulus XVI pro eis, qui in crimine criminoso communicant cum denunciato fautore vel defensore: 6° quod si fautor vel defensor ob communicationem cum haeretico denunciato, non aliam persentiret in foro interno excommunicationem praeter primam, non potest non experiri omnes effectus, qui in christiana societate gignuntur, quando per auctoritatis vocem censurae ecclesiasticae vivificentur.

Quod si nominalis denunciatio haeretici fiat auctoritate episcopali, iidem sunt effectus si excipias quartum hypotheticum modo descriptum, et si temperes secundum effectum iuxta art. II *pag. 49,* quo illi, qui communicant in divinis cum haeretico, auctoritate episcopali denunciato, interdictum ab ingressu ecclesiae incurrunt eidem auctoritati reservatum.

Sed hic altera moveri potest difficultas, idest: in articulo XVI *pag. 28* non est sermo de excommunicato a Papa *nominatim denunciato* vel *declarato:* sed de *excommunicato nominatim a Papa.* Verba enim Articuli sunt: « *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.* » Item in sequenti articulo XVII: « *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis.* »

Pariter in articulo II *pag. 49* agitur, non de declaratione excommunicationis ab Ordinario vel delegato iudice facta; sed de ipsa excommunicatione ab eis inflicta, ut ibidem legitur: « *nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes.* »

Cum itaque aliud sit excommu-

nicatio prima vice et vi propriae auctoritatis nominatim inflicta, aliud sit denunciatio vel declaratio nominatim facta praeexistentis excommunicationis incursae, non videtur alterutra eosdem producere iuridicos effectus. Qui ergo denunciati erunt nominatim, erunt quidem vitandi ex universali lege ecclesiastica: attamen non inducent cetera excommunicationes in alios, qui communicent in crimine criminoso, vel qui admittant eos in divinis.

Respondeo. In praesenti disciplinae ordine, inducto post Constitutionem Martini V, distinctio quidem invaluit inter excommunicatos toleratos et vitandos, ut superius scripsi *pag. 99,* sed inter vitandos nulla alia subdistinctio dignoscitur: vitandi enim sunt, sive illi, qui sine praeexistenti sanctione nominatim prima vice excommunicantur, sive illi, qui iam ex praeexistenti sanctione excommunicati, nominatim denunciantur: quia est aequalis horum excommunicatorum conditio: immo si quid diversitatis adest, hoc est, quod illi, qui iam ex praeexistenti sanctione erant excommunicati, per novam nominalem denunciationem alia vice *quodammodo* excommunicantur, quod non contingit aliis: ideoque horum conditio est etiam deterior, quam aliorum, qui prima vice nominatim excommunicentur. Unde sive dicantur *excommunicati* nominatim, sive dicantur *denunciati vel declarati* nominatim, quoad legis effectus idem omnino est.

Quod praxis confirmat, ut videre est in recenti exemplo, quod respexit Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui pertinacia sua non reliquerat officium iudicis sic dictae Monarchiae Siculae iam Auctoritate Apostolica extinctae. In litteris porro Apostolicis in forma Brevis, datis die 23 Iulii 1868 (1) sic Pontifex est locutus: « *Quare Auctoritate Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra eundem Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui ex vi commemorati Moniti in maiorem excommunicationem iam incidit, hisce Nostris Litteris solemniter ac nominatim excommunicamus, anathematizamus, et ab Ecclesiae corpore segregatum, ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus decernimus ac denuntiamus.* » Vides ergo etiam in ratione dicendi in idem recidere, *excommunicamus nominatim,* et *declaramus nominatim excommunicatum:* Pontifex enim prima ratione dicendi est usus, quum in se res fuerit de excommunicato nominatim declarando.

Sed e converso potest ulterius obiici: quando agitur de denunciatione vel declaratione, quam nominatim faciat Ordinarius, et sanctio praeexistens sit sanctio Papalis; ut ex. gr. contigit in declaratione, quam fecit excommunicationis Archiepiscopus Monacensis quoad haereticum Doëllinger; eiusmodi declaratio

(1) Confer latinas ephemerides *Acta S. Sedis,* Vol. IV pag. 113 et seqq.

videtur recidere in Papalem excommunicationem : namque Ordinarius non auctoritate sua excommunicat, sed declarat hunc vel illum incidisse in excommunicationem Papalem ; quare talis excommunicatus habendus erit tamquam a Papa excommunicatus. Atque ex eo quoque patet, quod si talis excommunicatus reclamaret, et posset ostendere, vi Papalis sanctionis, se non esse excommunicatum, eo ipso concideret declaratio facta ab Ordinario.

Si itaque tamquam excommunicatus a Papa est habendus, non subintrat articulus II *pag. 49;* sed e converso subintrant Articuli XVI et XVII *pag. 28.*

Respondeo. Eiusmodi excommunicatus nominatim declaratus ab Ordinario vi praeexistentis Papalis sanctionis, habendus quidem erit tamquam excommunicatus a Papa: sed non tamquam excommunicatus *nominatim* a Papa. Ratio clara videtur: namque Papa non eum *nominatim* excommunicavit: habendus quidem erit tamquam excommunicatus a Papali sanctione, quia vi Papalis sanctionis Ordinarius nominatim eum denunciavit:

Quare non subintrant artic. XVI et XVII *pag. 28,* qui expressis verbis eos comprehendunt, qui sunt excommunicati nominatim a Papa. Subintrabit vero articulus II *pag. 49,* quum verum sit, Ordinarii sententia, seu auctoritate episcopali, fuisse declaratos nominatim excommunicatos: declarare autem excommunicatos, et excommunicare nominatim, ut modo vidimus, quoad reliquos legis effectus in idem recidere. Haec dicta intelligantur, sicut cetera omnia, sub censura melioris opinionis.

Facta denunciatione hominis haeretici vel schismatici Ordinarius procedere debet ad ceteras canonicas poenas, quarum aliquae ipso facto incurruntur et explentur, aliae indigent aliquo interventu auctoritatis ut exsecutioni mandentur: quaenam sint eiusmodi poenae, generali principio sic comprehendi possunt: haereticum vel schismaticum hominem iure privari participandi omnia ecclesiastica bona, quae possunt participare fideles. Quare haereticus vel schismaticus evadit irregularis et inhabilis ad sacra facienda, ad auctoritatem ecclesiasticam exercendam, ad Beneficia et Dignitates obtinendas; exspoliandus erit omnibus Beneficiis, quae forte possideat etc. de quibus peculiariter agunt Canonistae.

Nihilominus est animadvertendum, aetate nostra, non omnes poenas, quae sancitae reperiuntur in corpore iuris, applicabiles amplius esse: quarum aliae non sunt applicabiles ob praesentem societatis conditionem; aliae vero quia in desuetudinem abierunt. Opus est iudicis discretione, prae oculis habito generali principio, quod modo innui, quodque continet omnium fere poenarum *ecclesiasticarum* rationem, quae in haereticos et schismaticos in ss. canonibus sancitae reperiuntur.

Quaenam fuerint sanctiones, quibus subiiciebantur haeretici, quando et Reges et Gubernia catholica erant, et utraque potestas, tum civilis tum ecclesiastica, concordi animo in bonum fidelium, atque proinde totius societatis, procedebat, ictu oculi deprehenduntur ex Constitutione Nicolai III, quae summatim eas sanctiones recenset, quamque, iuridicae eruditionis causa, heic integram adiicimus.

Nicolaus Episcopus servus servor. Dei universis Christi fidelibus.

« Noverit universitas vestra, quod » nos excommunicamus et anathemati» zamus universos haereticos Catharos, Patarenos, Pauperes de » Lugduno, Passaginos, Iosepinos, » Arnaldistas, Speronistas et alios » quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diver» sas, sed caudas ad invicem colli» gatas, quia de vanitate conveniunt » in idipsum.

» §. 1. Damnati vero per Eccle» siam saeculari iudicio relinquantur, » animadversione debita puniendi » clericis prius a suis ordinibus de» gradatis. »

» §. 2. Si qui autem de praedi» ctis, postquam fuerint deprehensi, » redire voluerint ad agendam con» dignam poenitentiam, in perpetuo » carcere detrudantur.

» §. 3. Credentes autem eorum » erroribus similiter haereticos iudi» camus.

» §. 4. Item receptatores, defen» sores et fautores haereticorum ex» communicationis sententiae decer» nimus subiacere. Statuentes, ut si » postquam quilibet talium fuerit » excommunicatione notatus, satisfa» cere contempserit infra annum, ex » tunc ipso iure sit factus infamis.

» §. 5. Nec ad publica officia seu » consilia nec ad eligendos alios ad » huiusmodi.

» §. 6. Nec ad testimonium ad» mittatur.

» §. 7. Sit etiam intestabilis, nec » testamenti habeat factionem.

» §. 8. Nec ad hereditatis suc» cessionem accedat.

» §. 9. Nullus praeterea ipsi su» per quocumque negotio, sed ipse » aliis respondere cogatur.

» §. 10. Quod si forte iudex ex» titerit, eius sententia nullam obti» neat firmitatem: nec causae aliquae » ad eius audientiam perferantur.

» §. 11. Si fuerit advocatus, eius » patrocinium nullatenus admittatur.

» §. 12. Si tabellio, instrumenta » confecta per ipsum nullius penitus » sint momenti, sed cum auctore » damnato damnentur, et in simili» bus idem praecipimus observari.

» §. 13. Si vero clericus fuerit, » ab omni officio et beneficio de» ponatur.

» §. 14. Si qui autem tales, post» quam ab Ecclesia fuerint denotati, » evitare contempserint, excommu» nicationis sententia percellantur, » alias animadversione debita pu» niendi.

» §. 15. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur, ita, quod si per annum in excommunicatione perstiterint, tunc velut haeretici condemnentur.

» §. 16. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur.

» §. 17. Item iudices, advocati et notarii, nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati.

» §. 18. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant; similiter hospitalarii aut contemplarii aut quilibet regulares, alioquin suo priventur officio, ad quod numquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicae speciali. Item quicumque tales praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiae se noverint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent et proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetuo careat sepultura.

» §. 19. Item firmiter inhibemus ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

» §. 20. Item si quis haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo vel alii, per quem credat ad Praelati sic et Inquisitorum haereticae pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur.

» §. 21. Haeretici autem et receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. Nos enim praedictos ex nunc privamus Beneficiis acquisitis, volentes ut tales et habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi, ad invium superstitionis haereticae a via declinasse constiterit veritatis.

» Dat. apud Urbem Veterem v non. Martii Pont. Nostri anno III.»

Quae quidem Constitutio, edita a Nicolao III die 3 Martii 1280, primaevam suam originem repetit ab Innocentio III in Concilio Lateranensi IV; eamque iterum iterumque evulgarunt sequiores Pontifices.

APPENDIX III.

DE LIBRIS HAERETICORUM ALIISQUE AUCTORITATE APOSTOLICA PROHIBITIS: NEC NON DE IMPRESSIONE LIBRORUM SINE ECCLESIASTICA APPROBATIONE, DEQUE PROPOSITIONIBUS A S. SEDE DAMNATIS.

Haereticorum libros semper damnavit Ecclesia eodem prope modo, quo eorum auctores damnavit. In ordine enim logico, idest idearum, eorum libri sunt expressiones cogitationum errorumque propter quos haeretici damnantur: in ordine autem ethico, idest morum, pertinaci odio sunt infecti, quo, nullo praetermisso studio, haeretici catholicam impetunt Ecclesiam.

Quare eadem damnatione, qua Ecclesia execrata semper est haereticos, repudiavit, damnavit, execrata est eorum libros.

Exemplo sit vetustissimum Decretum Gelasii Romani Pontificis *de recipiendis et abiiciendis libris* (1), in quo descripto catalogo librorum canonicorum, atque aliorum quos Romana Sedes reciperet, vel ut apocryphos seu obscuros aut incertos repudiaret, ultimo loco damnantur haereticorum libri. Placet heic referre eiusmodi damnatum indicem, ad confirmandum quod dixi.

« Philacteria omnia, quae non » Angelorum, ut illi confingunt, sed » Daemonum magis conscripta sunt » nominibus, apocrypha.

» Haec et his similia, quae Si» mon Magus, Nicolaus, Cerinthus, » Marcion, Basilides, Ebion, Paulus » etiam Sambsatenus, Photinus et » Bonosus, qui simili errore defece» runt, Montanus quoque cum suis » obscoenissimis sequacibus, Apolli» naris, Valentinus, sive Manichaeus, » Faustus, Africanus, Sabellius, Ar» rius, Macedonius, Eunomius, Co» nomius, Novatius, Sabbatius, Cal» listus, Donatus, Eustacius, Iovi» nianus, Pelagius, Iulianus Ecla» nensis, Caelestinus, Maximianus, » Priscillianus ab Spania, Nestorius » Constantinopolitanus, Maximus Ci» nicus, Lampetius, Dioscorus, Eu» tyches, Petrus, et alius Petrus; e » quibus unus Alexandriam, alius » Antiochiam maculavit: Acacius » Constantinopolitanus cum consor» tibus suis: necnon et omnes hae» resiarches et eorum discipulos, qui » schismatica docuerunt, vel con» scripserunt, quorum nomina mi» nime retinuimus; *non solum re-*

(1) Hoc Decretum ex tribus exemplaribus excriptum extat ad calcem Vol. I Bullarii Romani editionis Taurinensis.

» *pudiata, verum etiam ab omni Ro-*
» *mana, Catholica et Apostolica Ec-*
» *clesia eliminata, atque cum suis*
» *auctoribus, auctorumque sequacibus*
» *sub anathematis et indissolubili vin-*
» *culo in aeternum confitemur esse*
» *damnata.*»

Animadverte hic obiter discrimen inter libros, quos Romana Sedes repudiabat, seu variis de causis non recipiebat, quos generali appellatione dicebat *apocryphos;* et inter libros, quos damnatos habebat cum suis auctoribus auctorumque sequacibus atque eliminatos ab universa Christi Domini Ecclesia, quae appellatur Romana et Apostolica.

Ad aetatem nostrae proximiorem quod spectat in librorum colluvie, quae post praeclarissimum typorum inventum confluxit, regulae aliquae necessariae fuerunt, ut et Pastores et fideles iudicare possent quorum librorum lectio esset fugienda. Id praestitit Tridentinum Concilium per vulgatas Indicis regulas quae id praesertim temporis opportunissimae fuerunt iudicatae.

Concilium Tridentinum in sessione 18 *Decret. de lib. delectu,* quae sessio est secunda sub Pio IV celebrata die 26 Februarii 1562, haec edixit: « Cum itaque omnium pri-
» mum animadverterit *(Sancta Syn-*
» *odus),* hoc tempore suspectorum
» ac perniciosorum librorum, quibus
» doctrina impura continetur et lon-
» ge lateque diffunditur, numerum
» nimis excrevisse, quod quidem in
» causa fuit, ut multae censurae in
» variis provinciis et praesertim in
» alma Urbe Roma pio quodam zelo
» editae fuerint, neque tamen huic
» tam magno ac pernicioso morbo
» salutarem ullam profuisse medici-
» nam; censuit, ut delecti ad hanc
» disquisitionem Patres de censuris
» librisque quid facto opus esset di-
» ligenter considerarent, atque etiam
» ad eandem Sanctam Synodum suo
» tempore referrent, quo facilius ipsa
» possit varias et peregrinas doctrinas
» tamquam zizania a christianae ve-
» ritatis tritico separare, deque his
» commodius deliberare et statuere
» quae ad scrupulum ex complurium
» animis eximendum et tollendas
» multarum querelarum causas ma-
» gis opportuna videbuntur.»

Synodus itaque Tridentina « ex
» tanta Episcoporum (*ut verbis utar*
» *Pii IV in Const.* Dominici gregis)
» et aliorum doctissimorum virorum
» copia delegit ad conficiendum in-
» dicem multos, cum doctrina, tum
» iudicio insignes Praelatos ex omni-
» bus fere nationibus.»

Postquam opus esset confectum ab eiusmodi delectis viris, eodemque in synodum deducto, sic Sancta Synodus decrevit in sessione 25 *De Indice libror.* « Sacrosancta Synodus
» in secunda sessione sub SSmo Do-
» mino Nostro Pio IV celebrata, de-
» lectis quibusdam Patribus commi-
» sit, ut de variis censuris ac libris,
» vel suspectis vel perniciosis, quid
» in facto opus esset considerarent
» atque ad ipsam Sanctam Synodum
» referrent. Audiens nunc, huic ope-

» ri ab eis extremam manum impo-
» sitam esse, nec tamen ob librorum
» varietatem et multitudinem possit
» distincte et commode a Sancta
» Synodo diiudicari, praecipit, ut
» quidquid ab illis praestitum est
» SSmo Romano Pontifici exhibea-
» tur, ut eius iudicio atque aucto-
» ritate terminetur et evulgetur.»

Quid fecerint et proposuerint Patres a Synodo Tridentina delecti, est index librorum prohibitorum et notissimae decem Regulae de libris prohibitis: et quamquam Tridentina Synodus in primo relato Decreto, rem acervatim considerans, viam quam implexam existimaverat planam reddere velle aliquo modo quaereret: tamen, in ipsa prima Regula indicis, Patres delecti post longum rerum examen haec proposuerunt: Regula I. « Libri omnes, quos ante annum » 1515, aut summi Pontifices, aut » Concilia oecumenica damnarunt, » et in hoc indice non sunt, eodem » modo damnati esse censeantur, » sicut olim damnati fuerunt.»

Regula II. « Haeresiarcharum li-
» bri, tam eorum, qui post praedi-
» ctum annum haereses invenerunt
» vel suscitarunt, quam qui haere-
» ticorum capita aut duces sunt vel
» fuerunt, quales sunt Lutherus,
» Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pa-
» cimontanus, Swenchfeldius et his
» similes, cuiuscumque nominis, ti-
» tuli aut argumenti existant, omni-
» no prohibentur. Aliorum autem
» haereticorum libri, qui de Reli-
» gione quidem ex professo tractant,
» omnino damnantur. Qui vero de
» religione non tractant ac a theo-
» logis catholicis iussu Episcoporum
» et Inquisitorum examinati et ap-
» probati permittuntur. Libri etiam
» catholice conscripti, tam ab iis,
» qui postea in haeresim lapsi sunt,
» quam ab illis, qui post lapsum ad
» Ecclesiae gremium rediere, adpro-
» bati a facultate theologica alicuius
» universitatis catholicae vel ab in-
» quisitione generali permitti pot-
» erunt.»

In Regula X iidem delecti Patres proposuerunt sanctionem his verbis: « Ad extremum vero omnibus fide-
» libus praecipitur, ne quis audeat
» contra harum Regularum praescri-
» ptum aut huius Indicis prohibitio-
» nem libros aliquos legere aut ha-
» bere. Quod si quis libros haereti-
» corum vel cuiusvis auctoris scripta,
» ob haeresim vel ob falsi dogmatis
» suspicionem damnata atque pro-
» hibita, legerit sive habuerit, sta-
» tim in excommunicationis senten-
» tiam incurrat. Qui vero libros alio
» nomine interdictos legerit aut ha-
» buerit, praeter peccati mortalis
» reatum, quo afficitur, iudicio Epi-
» scoporum severe puniatur.»

Indicem autem librorum et ipsas decem Regulas cum sanctione post novum examen probavit confirmavitque Pius IV in Constitutione *Dominici gregis* edita die 24 Mart. 1564.

Itaque iuxta regulas Indicis prohibiti erant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, omnes libri eorum haereticorum, qui

duces essent: nec non aliorum haereticorum, qui de religione ex professo tractarent; vel etiam scripta cuiusvis auctoris, sive haeretici sive non haeretici, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita.

Haec poena excommunicationis nulli fuerat reservata.

Hic iam quaeritur, utrum haec excommunicatio lata per Regulam X Indicis cessaverit post Constitutionem *Apostolicae Sedis*. Ratio dubitandi est, quod Constitutio clausulam habet quae excommunicationes Tridentinas sartas tectasque servavit ut videre est superius *pag. 34* §. *Praeter*, per haec verba: « *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto sess. IV* De editione et usu Sacrorum Librorum *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.* »

Respondeo. Excommunicatio lata per Regulam X Indicis post Constitutionem *Apostolicae Sedis*, cessavit. Ratio est, quod eiusmodi excommunicatio, per Regulam X Indicis lata, nonnisi latissimo sensu appellari potest Tridentina: lata enim non fuit a Tridentino Concilio, ut ex superius expositis patet. Synodus enim deputavit delectos viros quibus commisit totum negotium, de libris prohibendis, ut inde ad Synodum de eo negotio referrent: re a deputatis viris parata, iussit S. Synodus rem totam exhiberi Romano Pontifici, *ut eius iudicio et auctoritate terminaretur et evulgaretur, quum ob librorum varietatem et multitudinem synodus non posset distincte et commode de ea re iudicare*. Ergo excommunicatio, quae per Regulam X infligitur, non lata est iudicio Synodi Tridentinae, sed iudicio et auctoritate Romani Pontificis: ideoque, quum omnes generales censurae a Romanis Pontificibus latae, post Constitutionem *Apostolicae Sedis* cessaverint, praeter exceptas vel innovatas, haec cessasse dicenda est, quum innovata non fuerit.

Ad censuras quod attinet generatim inflictas in vetitos libros habendus nunc est uti universalis et unica regula articulus II *pag. 9*, quo infligitur excommunicatio, speciali modo Romano Pontifici reservata, *in omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris* (sive haeretici sive non haeretici) *per Apostolicas literas* (sive in forma Brevis, ut plerumque contingit, sive in forma Bullae, sive per epistolas encyclicas: sive alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis litteris legitur, *De Apostolicae nostrae potestatis plenitudine:* hae enim omnes, generico no-

mine, appellantur *Litterae Apostolicae*) *nominatim prohibitos* (expresso videlicet libri titulo) *eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.*

Si conferas hunc Constitutionis articulum cum verbis Regulae X Indicis, percipies, quoad structuram, conformitatem, ita ut dispositio Regulae conversa dicenda sit in huius articuli dispositionem.

Sane verba Regulae Indicis sancientis haec sunt: *Quod si quis libros haereticorum* (his verbis praeformatam habes primi articuli partem) *vel cuiusvis auctoris* (sive haeretici fortasse non satis noti, sive non haeretici) *ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita* (his verbis praeformatam habes secundam articuli partem de libris prohibitis per Litteras Apostolicas: per huiusmodi enim Litteras solent damnari scripta vel libri cuiusvis auctoris ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem) *legerit sive habuerit statim in excommunicationis sententiam incurrat.*

Vi dicti articuli II excommunicatio, eademque speciali modo Romano Pontifici reservata, fertur in scienter legentes libros cuiusvis auctoris *per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* eosdemque retinentes etc. quaeritur, utrum haec dispositio respiciat tantum libros futuros prohibendos, an etiam comprehendat praeteritos per Litteras Apostolicas iampridem nominatim prohibitos.

Respondeo. Dispositio comprehendit etiam libros iampridem per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos. Ratio est, quod iamdiu praxis invaluit prohibendi nominatim certos quosdam libros per Litteras Apostolicas. Quum itaque de his prohibitionibus expressa mentio fiat, nulla adiecta temporis distinctione quoad praeteritum, vel quoad futurum, referri ea dispositio dicenda est ad litteras quoque Apostolicas quae praecesserunt. Quod si tantum libros futuros dispositio respiceret, cum dicta praxis vigeat, exprimendum in articulo erat non verbum *prohibitos*, sed in futurum *prohibendos.*

Sed hic aliquae suboriri possunt difficultates: constat enim Romanos Pontifices sub variis poenis variaque ratione damnasse et prohibuisse nominatim libros vel scripta per Litteras Apostolicas. Expedit rem exemplis declarare; priora desumam post Pontificatum Alexandri VII, cuius rei causa infra apparebit.

Clemens IX, per Breve *Creditae nobis,* datum die 20 Februarii 1667, damnavit librum cui titulus, *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du diocèse d'Alet, avec les instructions et les rubriques en françois,* de quo libro sic sanxit: « in quo non solum » continentur nonnulla ab ipso ri- » tuali romano, iussu felicis recorda- » tionis Pauli Papae V edito, aliena, » sed etiam doctrinae quaedam et » propositiones falsae, singulares, in » praxi periculosae, erroneae, et con-

» suetudini in Ecclesia communiter » receptae atque ecclesiasticis constitutionibus oppositae et repugnantes, quarum usu et lectione » christifideles in iam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent: nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes,... auctoritate Apostolica tenore praesentium, omnino » damnamus *(librum sub titulo Ritualis)*, reprobamus et interdicimus... eiusque impressionem, lectionem, retentionem et usum » universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus, praesertim civitatis et dioecesis Aletensis, cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existant... » *sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, perpetuo prohibemus.*

» Mandantes, ut statim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis vel Inquisitoribus; qui vero venerabili fratri » Episcopo Aletensi subsunt, metropolitano, aut uni ex vicinioribus » Episcopis realiter et cum effectu » exhibeant, tradant et consignent, » qui, nulla interposita mora, exemplaria sibi tradita, et alia quaecumque habuerint, igne comburant, et comburi faciant.»

Per has Litteras Apostolicas excommunicationem Pontifex sibi non reservavit: eaque excommunicatio cohaerere videtur cum censura Indicis, inflicta in legentes libros ob suspicionem haeresis damnatos.

Idem Pontifex per Litteras in forma Brevis, *Debitum pastoralis*, editas die 20 Aprilis 1668, damnavit simili modo librum cui titulus, *Le Nouveau Testament de Notre Seigneur Jesus Christ, traduit en françois selon l'édition vulgate avec les différances du grec.* Eumque librum damnavit tamquam *temerarium, damnosum, a vulgata editione praedicta difformem et offendicula simplicium continentem. . . sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae.* Neque eam excommunicationem sibi reservavit.

Non alias reperi Apostolicas litteras in Romano Bullario quo utor, quibus Clemens IX libros nominatim damnaverit, neque ullas reperi quibus libros nominatim damnaverit eius successor Clemens X.

Qui eis successit, Innocentius XI, per Litteras Apostolicas in forma Bullae, *Coelestis Pastor*, datas die 20 Novembris 1687 damnans octo et sexaginta propositiones Michaelis de Molinos ipsumque auctorem ut formalem haereticum, sic clausit eas Apostolicas Litteras: *iterum supradictas propositiones definitive damnantes et reprobantes, librosque et manuscripta eiusque Michaelis de Molinos prohibentes et interdicentes, sub eisdem poenis et censuris contra transgressores latis et inflictis.* Censura autem erat excommunicatio, quam sibi Pontifex reservavit. Agitur

in his litteris de censura quae universim infligi solebat in omnes haereticorum, qui duces essent, libros, quin hi libri nominarentur : satis enim erat ut essent ipsorum libri, ut prohibiti censerentur aut nova sanctione prohiberentur.

Neque Litteras Apostolicas reperi quibus Alexander VIII librum aliquem nominatim damnaverit; sed eius successor Innocentius XII per Breve *Cum alias* datum die 12 Martii 1699 damnavit librum cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure par messire François de Salignac Fénélon, Archevêque de Cambray, précepteur* etc. De quo haec in dicto Brevi leguntur: « Ingens vero subinde de non » sana libri huiusmodi doctrina ex- » citatus in Galliis rumor adeo per- » crebuerit: ut opportuna pastoralis » vigilantiae nostrae operam efflagi- » taverit... librum praedictum, ubi- » cumque, et quocumque alio idio- » mate seu quavis editione aut ver- » sione hucusque impressum, aut in » posterum imprimendum, quippe » ex cuius lectione et usu fideles » sensim in errores ab Ecclesia ca- » tholica iam damnatos induci pos- » sent, ac insuper tamquam conti- » nentem propositiones, sive in ob- » vio earum verborum sensu, sive » attenta sententiarum connexione, » temerarias, scandalosas, male so- » nantes, piarum aurium offensivas, » in praxi perniciosas, ac etiam er- » roneas respective, tenore praesen- » tium damnamus et reprobamus, » ipsiusque libri impressionem, de- » scriptionem, lectionem, retentio- » nem et usum omnibus et singulis » christifidelibus, etiam specifica et » individua mentione et expressione » dignis, sub poena excommunica- » tionis per contrafacientes ipso fa- » cto incurrenda interdicimus et pro- » hibemus; volentes et Apostolica » auctoritate mandantes, ut, qui- » cumque supradictum librum penes » se habuerint, illum, statim atque » praesentes litterae eis innotuerint, » Locorum Ordinariis... tradere et » consignare omnino teneantur. » Inde Pontifex viginti duas propositiones ex eo libro elicens, pari censura damnat. Eam censuram sibi Pontifex non reservavit; eademque videtur cohaerere cum censura Regulae X Indicis in libros ob suspicionem haeresis damnatos.

Qui successit Clemens XI per Breve, *Cum nuper,* editum die 12 Februarii 1703, damnavit quaedam folia, quibus titulus, *Lettre de M... chanoine de B. a monsieur F. D. A. etc. Cas de conscience proposé par un confesseur de province touchant un ecclesiastique* etc. hunc librum pari modo, quo Innocentius XII, damnavit sub poena excommunicationis, quin eam sibi reservaret.

At vero idem Pontifex plures alios libros damnavit simili forma sub poena excommunicationis, eam sibi constanter reservans. Sane per Breve, *Cum sicut,* die 28 Ianuarii 1704 damnavit libellum, *Véritable tradition de l'Église sur la*

prédestination et la grâce etc. sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, *a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat.*

Pariter in Brevi, *Cum nos alias,* edito 11 Februarii 1704, renovans damnationem factam die 20 Septembris 1703 cuiusdam Libelli *Ordonnance de Léopold I duc de Lorraine et de Barrois etc.* damnavit quaedam folia: *Acte de appel interjeté par le procureur général de Lorraine et Barrois de l'exécution du Bref etc.* sub poena excommunicationis quam sibi reservavit.

Iterum in Brevi, *Cum sicut,* die 4 Octobris 1707 damnavit sub poena excommunicationis sibi reservatae, eadem forma, plures libellos, quos nominat, et *alios... directe vel indirecte adversus Decretum remotionis Petri Archiepiscopi Sebasteni in Hollandia et si quae in posterum edi contigerit.*

Rursus idem Pontif. Clemens XI, pari modo eademque excommunicationis reservatae poena, alios libros nominatim damnavit, quae quidem damnationes videri possunt in Bullario editionis Taurinensis *Vol. 21 pag. 307, 319, 327, 365, 366, 379, 380, 381, 390,* quam excommunicationis poenam constanter sibi reservavit.

Expedit nunc videre, quomodo se gesserint Romani Pontifices aetati nostrae proximiores.

In Bullario Pii VII non reperi nisi epistolam encyclicam ad Episcopos Graeco-Melchitas, *Tristis quidem,* editam 3 Iunii 1816, qua interdixit sub excommunicationis poena, donec definitivum iudicium non daretur, opera Archiepiscopi Hieropolitani Germani Adam.

Neque aliae huiuscemodi Litterae reperiuntur in Bullariis Pii VIII et Leonis XII.

Gregorius XVI per Litteras Apostolicas, *Cum in Ecclesia,* datas die 17 Septembris 1833 damnavit quinque libellos Germanicos hac sanctione: « Praecipimus propterea, ne » quisquam ex fidelibus cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis sit libellos praefatos, sive typis impressos, sive manu scriptos, » vel in Germanico originali idiomate in quamcumque aliam linguam translatos, legere retinere » aut denuo imprimere seu imprimi » facere audeat sub *poena suspensionis a divinis quoad clericos, quoad » vero laicos sub poena excommunicationis maioris* ipso facto absque » alia declaratione incurrendis, *quarum absolutionem ac respective relaxationem nobis et successoribus » nostris Romanis Pontificibus reservamus,* excepto dumtaxat, quoad » excommunicationem supradictam, » mortis articulo, quo nimirum cuilibet Confessario ab huiusmodi » censura, ut praefertur, incursa fas » erit absolvere.

» Non modo autem memoratos » libellos, sed alios quoscumque sive

» scripto exaratos sive typis editos » vel forsan exarandos et edendos, » in quibus eadem erronea doctrina » aut integre aut ex parte renovetur » ac defendatur (1) *sub eisdem poe-* » *nis,* eademque Apostolica Aucto- » ritate harum Litterarum tenore » proscribimus ac damnamus, illos- » que legi, imprimi et retineri omni- » no prohibemus. »

Puto hanc esse unicam librorum damnationem a Gregorio XVI factam sub poena excommunicationis; ceterae enim Litterae eius Apostolicae, quas invenire valui, varios libros damnantes, poenam excommunicationis non solum non reservant, sed neque infligunt.

Sane per Epistolam encyclicam, *Singulari nos,* datam septimo Kalendas Iulias 1834 damnavit quendam librum, cui titulus, *Paroles d'un croyant,* his verbis: « quo per » impium verbi Dei abusum populi » corrumpuntur ad omnis ordinis » publici vincula dissolvenda, ad » utramque auctoritatem labefactan- » dam, ad seditiones in Imperiis, » tumultus rebellionesque excitan- » das, fovendas, roborandas, librum » ideo propositiones respective fal- » sas, calumniosas, temerarias, in- » ducentes in anarchiam, contrarias » Verbo Dei, impias, scandalosas, er- » roneas iam ab Ecclesia, praesertim » in Valdensibus, Wiclefitis, Hus- » sitis aliisque id generis haereticis » damnatas, continentem, reproba-

(1) Per Litteras Apostolicas Romani Pontifices dum libros damnant et prohibent, simul docere solent indicando et reprobando errores praecipuos in huiusmodi libris contentos. In damnandis his quinque libellis, qui perniciosiores late per universam Germaniam circumferebantur, hanc doctrinam in eodem Brevi Pontifex reprobavit, et damnavit ut ibidem legitur: « Omnes Episcopos, utpote Apostolorum successores, parem ac supremam Ecclesiae » regendae potestatem a Christo accepisse, eamque non in solo Romano Pontifice, sed in » toto Episcopatu residere: voluisse imo Christum Ecclesiam reipublicae more administrari, » ita ut omnes, nedum inferioris ordinis clerici, sed etiam laici iure gaudeant suffragii: » omnem ideo potestatem universo fidelium coetui in Episcopos atque in ipsum Romanum » Pontificem derivandam, immediate fuisse concessam: in praesenti Ecclesiae disciplina » multa esse tum inutilia tum periculosa et noxia, quae pro temporum indole oportet im- » mutari. Indulgentias nihil aliud esse, nisi partis eius poenitentiae, quae per canones sta- » tuta erat peccanti, remissionem: eas ad poenas temporarias divinae institiae debitas, et in » hac vel altera vita luendas referri posse, aut defunctis prodesse, neque in scriptura, ne- » que ex traditione demonstrari: illarum usum veram poenitentiam retardare et evertere, ac » spiritualibus fidelium commodis prorsus adversari; thesaurum ex Christi meritis, Sancto- » rumque satisfactionibus conflatum, antiquis incognitum, nuperis temporibus fuisse inve- » ctum: hodiernam Ecclesiae in Sacramento poenitentiae administrando disciplinam, nedum » frustraneam, sed et perniciosam esse, tamque salutaris instituti virtuti et efficaciae de- » trahere: legem caelibatus in ignominiam, dedecus et detrimentum cleri vergere, ipsique » naturae esse contrariam: characterem, qui in ordinatione imprimitur, inter scholasticorum » placita esse adnumerandum; atque eum, qui semel fuit Sacerdos, rursus laicum fieri posse » saltem auctoritate Ecclesiae, cuius nomine peculiares Episcopos intelliguut: alia demum » multa de stipendiis Missarum, de quotidiana earum celebratione, de pluribus pro uno eo- » demque defuncto sacrificiis, de privata synaxi, de sacris ritibus, de cultu Beatae Mariae » Virginis, de piis sodalitatibus, de publicis supplicationibus asserunt, quae singillatim » pudet percensere. »

» mus, damnamus ac pro reprobato » et damnato in perpetuum haberi » volumus atque decernimus.»

Item in Brevi, *Dum acerbissimas,* dato die 26 Septembris 1835, quo damnata sunt opera Georgii Hermes, haec leguntur: « praedictos libros » ubicumque et quocumque idioma- » te... hucusque impressos, aut in » posterum, quod absit, imprimen- » dos, tenore praesentium damna- » mus et reprobamus ac in Indicem » librorum prohibitorum referri man- » damus; hortantes et obtestantes in » Domino Venerabiles Fratres Pa- » triarchas etc. ut memores distri- » cti ac durissimi iudicii, quod eis » a Pastorum Principe fiet de in- » structione, regimine et custodia » gregis ipsis commissi, nedum me- » moratos libros a scholis repellere, » verum etiam proprias oves ab hu- » iusmodi venenatis pascuis omni » cura et solicitudine avertere sat- » agant.»

Iterum in Brevi, *Melchitarum catholicorum synodus,* edito die 16 Septembris 1835, damnavit librum cuiusdam Synodi Antiochenae an. 1806 celebratae, qui liber arabicis typis fuit impressus anno 1810, illumque his verbis damnavit: « Antiochenam » itaque praedictam synodum haec » et alia plura contra sanam doctri- » nam et probatam Ecclesiae disci- » plinam vitia continentem, nos... » improbamus et condemnamus, to- » tius denique libri usum, quovis » idiomate, sive in manuscripto co- » dice, sive in impresso interdici- » mus; atque ut umquam in poste- » rum typis imprimatur, vetamus.»

Denique in Brevi, *Inter maximas,* dato die 5 Augusti 1843, damnavit prohibuitque libellum, qui inscribitur *Lettera sulla direzione degli studi di Francesco Forti, Ginevra 1843,* quem prohibuit « *sub* » *consuetis clausulis et poenis in In-* » *dice librorum vetitorum indictis,* » tamquam continentem doctrinas » et assertiones inducentes in sce- » pticismum et incredulitatem. . . . » haeresi proximas etc.»

Superest reliqua afferre exempla librorum quos per Litteras Apostolicas damnavit SS^{mus} Pater, in primo, ut ita dicam, quem gloriose explevit, Pontificatu.

Per Litteras Apostolicas in forma Brevis, editas die 10 Iunii 1851, SS^{mus} Pater damnavit atque prohibuit librum cui titulus, *Defensa de la auctoritad de los Gobernios y de los Obispos contra le pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima 1848,* tamquam continentem propositiones scandalosas, temerarias, falsas, schismaticas, Romanis Pontificibus et Conciliis oecumenicis iniuriosas, Ecclesiae potestatis, libertatis et iurisdictionis eversivas, erroneas, impias et haereticas: eumque librum his verbis damnavit: « ubicumque et » quocumque alio idiomate, seu qua- » vis editione aut versione huc us- » que impressum, vel in posterum, » quod absit, imprimendum, tenore » praesentium damnamus et repro-

» bamus, atque legi ac retineri pro- » hibemus, eiusdemque Operis im- » pressionem, descriptionem, lectio- » nem, retentionem et usum omni- » bus et singulis Christifidelibus, » etiam specifica et individua men- » tione et expressione dignis, sub » poena excommunicationis per con- » trafacientes ipso facto, absque alia » declaratione, incurrenda, a qua » nemo a quoquam praeterquam a » nobis, seu Romano Pontifice pro » tempore existente, nisi mortis ar- » ticulo constitutus absolutionis be- » neficium obtinere queat, omnino » interdicimus.

» Volentes, et Auctoritate Apo- » stolica mandantes, ut quicumque » librum, seu opus praedictum pe- » nes se habuerint, illud statim at- » que praesentes Litterae innotue- » rint, Locorum Ordinariis vel hae- » reticae pravitatis Inquisitoribus tra- » dere, atque consignare teneantur.» Usus est Pontifex eadem damnatio- nis et prohibitionis forma qua usus est, ut vidimus, Innocentius XII.

In Brevi, *Ad Apostolicae*, edito die 22 Augusti 1851, quo damna- vit opus sic inscriptum: « *Iuris ec- clesiastici Institutiones Ioannis Ne- pomuceni Nuytz in Regio Tauri- nensi Athenaeo Professoris* » item- que « *In Ius ecclesiasticum univer- sum Tractationes* » auctoris eiusdem, haec leguntur: « praedictos libros » tamquam continentes propositio- » nes et doctrinas respective falsas, » temerarias, scandalosas, erroneas, » in S. Sedem iniuriosas, eiusque » iuribus derogantes, Ecclesiae regi- » men et divinam eius constitutio- » nem subvertentes, schismaticas, » haereticas, Protestantismo, eiusque » propagationi faventes et in haere- » sim et in systema iamdiu ut hae- » reticum damnatum in Luthero, » Baio, Marsilio Patavino, Ianduno, » Marco Antonio De Dominis, Ri- » cherio, Laborde et Pistoriensibus, » aliisque ab Ecclesia pariter da- » mnatis inducentes, necnon et Ca- » nonum Concilii Tridentini ever- » sivas, reprobamus, damnamus, » ac pro reprobatis et damnatis ab » omnibus haberi volumus et man- » damus. Praecipimus idcirco, ne » quisquam fidelium, cuiuscumque » conditionis et gradus etiamsi spe- » cifica et individua mentione dignus » esset, audeat praefatos libros ac » theses apud se retinere aut legere » sub poenis suspensionis a divinis » quoad Clericos, et quoad laicos » excommunicationis maioris ipso » facto incurrendis, absolutionem et » relaxationem nobis et successoribus » Nostris Romanis Pontificibus reser- » vamus, excepto tantum quoad ex- » communicationem mortis articulo. » Mandamus quoque Typographis ac » Bibliopolis, cunctisque et singulis » cuiuscumque gradus et dignitatis, » ut quoties praedicti libri ac theses » ad eorum manus pervenerint, de- » ferre teneantur Ordinariis sub iis- » dem respective poenis, nempe » quoad Clericos suspensionis a Di- » vinis, quoad laicos excommunica- » tionis maioris superius commina-

» tis. Neque tantum memoratos libros ac theses, sed alios, aliasque quoscumque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro aut in parte (1) sub iisdem poenis superius expressis damnamus, reprobamus atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus.» Hisce in Litteris Pontifex usus est eadem damnationis formula, qua usus est, ut vidimus, in pari causa Gregorius XVI.

In epistola data ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem die 11 Decembris 1862 SSmus Pater damnavit opera Presbyteri Iacobi Frohschammer, germanice scripta, quorum tituli latine sonant, *Introductio in philosophiam: De libertate scientiae: Athenaeum*, quorum primum anno 1858, alterum anno 1861, tertium anno 1862, typis Monachii

(1) Si scire optes quaenam sit doctrina, quam in damnatione libri Pontifex damnavit, ea in eisdem Litteris Apostolicis sic iudicatur: « Ecclesiam vis inferendae potestatem non » habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam: divisioni Ecclesiae » in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse: praeter potestatem Episcopatui inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili imperio vel expresse vel tacite concessam, revocandam propterea quum libuerit a civili imperio: civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi consulere per potestatem negativam in sacra; illique competere nedum ius, quod vocant, *exequatur*, sed vero etiam appellationem ab abusu: in conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalere: nihil vetare alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad alium Episcopum, aliamque civitatem transferri: rationalis Concilii definitionem nullam » aliam admittere disputationem et civilem administrationem, rem ad hosce terminos exigere » posse; doctrinam comparantium libero Principi Romanum Pontificem et agendi in universa » Ecclesia, doctrinam esse, quae medio aevo praevaluit, effectusque adhuc manere: de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se Christianae et Catholicae » Ecclesiae filios.

» Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur: nulla ratione ferri posse Christum » evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti: matrimonii Sacramentum non esse nisi » quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum » nuptiali benedictione situm esse: iure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile: » Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed » eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint: causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere: ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo iure usam, quod » a civili potestate mutuata erat: Tridentinos canones (sess. 24 de matr. c. 4) qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae » negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate esse intelligendos. » Quin addit: Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam » formam praestituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere: Bonifacium VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse.

» Plura denique de potestate episcopali, de poenis haereticorum et schismaticorum, de » Romani Pontificis infallibilitate, de Conciliis temere atque audacter in hisce libris proposita » occurrunt, quae persequi singillatim ac referre in tanta errorum colluvie omnino taedeat.»

Habes heic notatas plures propositiones, quas SSmus Pater in celebri syllabo a se **reprobatas Ecclesiae universae significavit.**

prodierunt, eademque opera his verbis damnavit: « Apostolicae nostrae » potestatis plenitudine, praedictos » libros Presbyteri Frohschammer » tamquam continentes propositio- » nes et doctrinas respective falsas, » erroneas, Ecclesiae eiusque aucto- » ritati ac iuribus iniuriosas repro- » bamus, damnamus ac pro repro- » batis et damnatis ab omnibus ha- » beri volumus, atque eidem Con- » gregationi *(Indicis)* mandamus, ut » eosdem libros in indicem librorum » prohibitorum referat. » Eiusmodi libri damnati sunt ea ratione qua vidimus Gregorium XVI usum fuisse per Litteras in forma Brevium superius indicatas, nulla videlicet adiecta excommunicationis poena, iussione tantum facta, ut in Indicem Librorum damnati libri referantur.

Ex hactenus expositis exemplis apparet, libros iampridem nominatim prohibitos per Apostolicas Litteras non secumferre easdem poenas, neque omnes libros simili modo esse prohibitos; praeterea prohibitiones saepe motas esse ob rerum personarum causaeque circumstantias.

Considerata vero dispositione articuli II, *pag. 9,* quo excommunicatio, speciali modo reservata infligitur in *omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae... libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes;* variae moveri possunt difficultates, quarum praecipuas heic exponere et solvere curabo.

Litterae Apostolicae consueverunt quidem prohibere libros vel scripta expressis specifice libris per proprios titulos, quos in fronte gerunt; sed alios quoque libros vel scripta interdum prohibuerunt, quin proprios librorum titulos significarent, ut ex. gr. vidimus factum fuisse a Clemente XI in Brevi, *Cum sicut,* edito die 4 Octobris 1707, qui multos libellos per proprios titulos nominans, et sub poena excommunicationis sibi reservatae prohibens, hanc prohibitionem et poenam protendit in omnes alios libros ob eandem causam editos vel edendos directe scilicet vel indirecte adversus Decretum remotionis Petri Caddaei Archiepiscopi Sebasteni.

Pariter Innocentius XI, qui, damnans Michaelem De Molinos tamquam formalem haereticum, omnes eius libros et scripta sub poena excommunicationis reservatae prohibuit, quin libros per suos titulos designaret.

Quaeritur itaque, an sufficiat indicatio librorum hac ratione facta, ut dici possint *nominatim* prohibiti per Litteras Apostolicas: an potius sit necessarium, ut libri nominentur per suos proprios titulos, ut censeantur comprehensi sub articulo II de quo agimus.

Respondeo: necessarium est, ut libri nominentur per suos proprios titulos, ut *nominatim* comprehensi

censeantur sub articulo de quo in praesentiarum agimus.

Prima ratio est, quod praxis constans fuit in librorum prohibitione, ut libri per suos proprios titulos nominentur: quod si interdum secus factum fuerit, ea de causa id factum est, quod rerum circumstantiae id pro tempore exigerent, ut aliquod imminens damnum coerceretur; ut ex. gr. periculum schismatis, quod fuit causa cur Clemens XI in dicto Brevi prohibuit libros omnes vel scripta quaelibet edita vel edenda contra Decretum remotionis Archiepiscopi Sebasteni: item periculum haeresis ne invalescat, vel etiam ut extinguatur, in causa quoque est cur Romani Pontifices pro rerum adiunctis prohibeant omnes libros alicuius haeretici, ut fecit Innocentius XI, quoad libros Michaelis de Molinos. Hae igitur causae sunt extraordinariae et plerumque temporaneae: quae circumstantiae temporaneae cessant, si lex vicerit periculum, vel ineffícax evaserit ad schisma vel haeresim coercendam.

Cum itaque praxis constans fuerit in librorum prohibitione, ut libri per suos proprios titulos nominentur, verba *nominatim prohibiti*, hanc praxim *expresse* significant. Ideoque libri per suos proprios titulos non nominati, sed significati generica aliqua ratione ex. gr. omnes libri auctoris A, vel auctoris B, vel libri qui adversentur huic vel illi doctrinae capiti, huic vel illi Decreto etc. non comprehenduntur sub verbis articuli *libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos*.

Secunda ratio est, quod usus iam determinavit, quum de censuris agitur, significationem adverbii *nominatim*. Habemus enim hac in re parem legem in Constitutione Martini V *Ad evitanda*, secundum quam Constitutionem illi tantum excommunicati, vi legis ecclesiasticae, sunt vitandi, qui ab auctoritate fuerint denunciati *specialiter* (1) *et expresse:* quae duo adverbia usus perstrinxit in adverbium *nominatim*, expresso videlicet proprio excommunicati nomine.

Itaque libri, qui non fuerint per propria nomina, idest per proprios titulos, in Litteris Apostolicis nominati, non comprehenduntur sub secunda parte, de qua agimus, articuli II.

Rursus, libri, per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, alii reperiuntur prohibiti sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae; alii sub poena excommunicationis quam Romani Pontifi-

(1) In iure nomina *species* et *genus* alia significatione accipiuntur, ab illa qua accipi solent a Logicis et Philosophis: quod Philosophi appellant *individuum*, veteres Iurisconsulti dicebant *speciem*: quod Philosophi dicunt *speciem*, Iurisconsulti appellabant *genus*. Obvia sunt exempla in Pandectis. Hic iuridicus dicendi usus in ius canonicum quoque derivavit. Unde adverbium *specialiter* in Constitutione Martini V ex dicto iuridico sensu derivasse videtur, quod perinde est ac *individualiter*, quem sensum usus confirmavit.

ces sibi non reservarunt; alii sub nulla expressa censura sunt prohibiti: quaeritur, an omnes libri per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, vi secundae partis articuli II, evaserint pari modo prohibiti sub poena excommunicationis speciali modo reservatae.

Respondeo: illi tantum libri, per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, videntur comprehendi sub secunda parte articuli II, qui iampridem prohibiti in Litteris Apostolicis reperiuntur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae.

Eiusmodi responsio, prima fronte, minus vera videri poterit: sed inspecto Constitutionis scopo, poenaeque gravitate; considerata praeterea materia de qua agitur, quisque facile sibi suadebit huius responsionis valorem.

Sane, inspecto Constitutionis scopo, qui est censuras limitandi, praesumi non potest ea Constitutionis verba *libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* comprehendere, ex voluntate legislatoris, sub gravissima sua censura, eos libros, qui sub nulla censura, per Litteras Apostolicas iamdiu fuerunt prohibiti, vel eos libros, qui sub censura excommunicationis quidem fuerunt prohibiti, quam tamen Romani Pontifices sibi reservare in ipsa librorum prohibitione non censuerunt.

Haec praesumptio ex generali Constitutionis scopo et gravitate poenae desumpta, augetur magis si consideretur ipse articulus II, qui totus in eo est, ut coerceat censuras pro libris prohibitis indictas. Sane Bulla Coenae, ut vidimus *pag. 66*, indixerat excommunicationis reservatae poenam in scienter legentes haereticorum libros *haeresim continentes vel de religione tractantes:* ita ut omnes libri, qui essent haereticorum et de Religione tractarent, puta de theologia, de s. Scriptura, de re morali; vel conciones sermonesque de religione continerent et similia, sub excommunicatione reservata erant prohibiti: pariter omnes eorundem libri erant sub eadem poena prohibiti, qui etsi de religione non tractarent, tamen haeresim continerent. E converso articulus II haec omnia reducit ad libros haereticorum *haeresim propugnantes*. Item in Regulis Indicis excommunicatio, quamquam non reservata, ad alios quoque casus protendebatur. Si itaque articulus totus in id intendat, ut eiusmodi censurae coerceantur, dicta generalis praesumptio ex Constitutionis scopo desumpta, multo magis augetur in quaestione de qua agimus.

Haec praesumptio in certum argumentum videtur converti, si consideretur titulus, sub quo articulus II continetur. Titulus enim est: *Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae:* sub hoc itaque titulo comprehenduntur tantum illae excommunicationes, quae iampridem erant Romano Pontifici reservatae, quae ad minorem numerum minoresque

casus coercitae, nova ratione a Romano Pontifice administrabuntur. Proindeque et ipsae excommunicationes reservatae per Litteras Apostolicas latae, coercitae sunt ad libros *nominatim* prohibitos.

Haec confirmantur, considerata materia de qua agitur; agitur enim de libris iamdiu prohibitis, qui susceptiles non sunt nova graviorique censura, nisi suppetant novae causae, quae censuram augendam esse suadeant.

Libri enim iampridem prohibiti aut in oblivionem ceciderunt, unde non amplius periculo sunt fidelibus (dixi fidelibus non alicui fideli; namque lex non est sollicita de eo quod difficile aut raro contingat), atque lex hoc pacto finem suum obtinuit, atque ita obtinuit, ut in praesentia Legislator libros illos non esset prohibiturus, si forte prohibiti non essent, multoque minus eos graviori censura augeret: quo sensu susceptibiles non sunt nova censura. Aut libri in oblivionem non ceciderunt, ut ex. gr. sunt libri hisce ultimis annis per Litteras Apostolicas prohibiti: iamvero hi libri iam iudicati fuerunt, peculiari iudicio de unoquoque emisso, sub peculiari prohibitione vel censura, prout et libri doctrina merita est, et circumstantiae rerum pro unoquoque libro suaserunt: si itaque non surrexerint novae causae, quae censuram augendam esse suadeant, praesumi non potest Legislatorem augere velle iam iudicatam pro unoquoque inflictamque censuram.

Itaque verba secundae partis articuli II de quo agimus ita sunt intelligenda « *libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* sub excommunicationis poena Romano Pontifici reservata. »

Quae quidem verba, tum logice, tum grammatice congruunt cum eo articulo: logice congruunt cum articulo qui agens de haereticorum libris eos tantum libros sub censura coercuit, qui *propugnent haeresim:* grammatice congruunt cum articuli titulo his verbis expresso « *excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae* » ita ut tota difficultas reducatur ad grammaticalem reticentiam ex titulo facile supplendam. Pontifex enim voluit, ut in vigore permaneat excommunicatio reservata in legentes libros haereticorum haeresim tantum propugnantes, et excommunicatio reservata in legentes libros cuiusvis auctoris lata per Litteras Apostolicas: quam reservationem, in sua ordinaria facultate iam positam, nova dispositione est administraturus, eandemque distinguere voluit a communi reservationum administratione per verba *speciali modo.*

Ex animadversionibus hactenus factis haec consequuntur.

1° Libri nominatim prohibiti sine censura per Litteras Apostolicas nullam mutationem subeunt vi Constitutionis. Quod si propter ipsorum

indolem subiecti erant excommunicationi indictae per Regulam X Indicis hanc excommunicationis censuram amittunt, manentes tantum prohibiti sine censura.

2° Libri pari modo prohibiti Clericis sub censura suspensionis, etsi reservatae, videntur ipsis manere prohibiti sine ulla censura.

3° Libri iidem nominatim prohibiti sub excommunicationis poena non reservata, sive haec excommunicatio congruat cum illa quae per indicem librorum prohibitorum lata est, sive sit Auctoritate Apostolica tantum lata, manent prohibiti sine ulla censura.

4° Libri, qui in posterum per Litteras Apostolicas nominatim prohibebuntur, si prohibeantur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, eo ipso intelligendi erunt prohibiti sub hac censura *speciali modo* reservata.

In afferendis exemplis librorum prohibitorum per Apostolicas Litteras, incepi post aetatem Alexand. VII. Hoc feci ex duplici causa, tum quod post eam aetatem frequentius saltem Romani Pontifices libros aliquos per Apostolicas Litteras nominatim prohibuerunt, tum quod Alexander VII omnes poenas antiquiores per Decreta, vel Constitutiones Apostolicas latas, reduxit ad poenas per Regulas Indicis indictas, firmis tantum poenis indictis per Bullam Coenae.

Nam ante Alexandrum VII, si excipias Bullam Urbani VIII, *In eminenti,* editam die 6 Martii 1641, qua sub poena excommunicationis sibi reservatae prohibuit Librum Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus,* nec non plura alia opuscula ob silentium id temporis iniunctum scribendi disputandique de auxiliis gratiae Dei liberoque arbitrio, vix et ne vix quidem alias reperies Apostolicas Litteras, quae libros nominatim prohibuerint.

Nonnullae quidem extiterunt Pontificiae Constitutiones, quae per modum regulae prohibuerunt sub variis poenis aliquod librorum genus vel nova aliqua dispositione proscripserunt vetitos libros, ut videre est in Constitutione Pii IV *Cum inter crimina,* edita die 27 Augusti 1564. Nec non in Constitutione Clementis VIII, *Cum Hebraeorum,* edita die 28 Februarii 1593, qua renovans poenas a suis Praedecessoribus latas in impios libros Thalmudicos, districtius prohibuit omnia opera, commentaria, tractatus editos vel edendos, qui easdem haereses, errores et impietates continerent sub poena excommunicationis aliarumque poenarum temporalium (1).

Immo varia extiterunt Decre

(1) Heic commemorare quoque placet Constitutionem Sixti V, *Caeli et terra*, edit die 5 Ianuarii 1585, qua districtius prohibuit varias magiae formas, quae id temporis invaluerant: quae quidem, si nonnulla accidentalia excipias, in multis conveniunt cum *Spiritismo* nostrae aetatis. In parte enim narrativa huius Constitutionis inter cetera haec leguntur: « *Illi autem sunt, qui cum morte foedus ineunt et pactum faciunt cum inferno*

auctoritate Pontificia pro rerum opportunitate edita, quorum nonnulla referuntur in Constitutione modo allegata Urbani VIII, *In eminenti*. Sed eiusmodi omnes poenarum varietates Alexander VII ad poenas per Regulas Indicis latas reduxit, salvis manentibus tantum illis poenis, quae vi Bullae coenae inflictae erant.

Etenim Alexander VII in Constitutione *Speculatores*, edita die 5 Martii 1614, nova commodioriique forma renovavit Indicem librorum prohibitorum illumque ut authenticum Indicem proponens, edixit: « In» violabiliter et inconcusse observari » mandamus et praecipimus sub poe» nis in Constitutione recolendae » memoriae Pii Papae IV etiam prae» decessoris nostri super dicti Indi» cis Tridentini confirmatione edita » contentis *ad quas varietatis vete» rum Decretorum in proponendis » transgredientium poenis tollendae » gratia, omnes et singulas poenas » per Constitutiones Apostolicas et » Decreta anteriora huiusmodi quo» modolibet inflictas harum serie re» ducimus, firmis tamen manentibus » his, quae de auctoribus et libris » damnatis in Litteris Apostolicis » die Coenae Domini publicari soli» tis sancita sunt, circa quos nihil » omnino mutare ac ne contingere » quidem intendimus.*»

Secretarius S. Congregationis Indicis in edendo Librorum prohibitorum Indice anno 1841 haec inter cetera in praefatione notavit: « re» ticendum non putamus, quod non » ii dumtaxat libri excommunicatio» nis reservatae poena sunt proscri» pti, qui ab haereticis compositi » de Religione catholica ex professo » agunt, haeresesque docent, quod » Litteris Apostolicis die Coenae Do» mini legi solitis et Constitutione » Alexandri VII, quae incipit, *Spe» culatores*, statuitur; sed quod ii et» iam fere omnes libri huiusmodi » poena proscribuntur, qui *post prae» dictam Alexandri VII Constitutio» nem editam die 5 Martii anni 1664 » Brevibus aut Bullis Pontificiis pro» hibiti indicantur, ut ex ipsis Bre» vibus intelligi potest ad quae Le» ctores remittimus.*»

Si itaque quaeratur, a quo tempore inquirendae erunt Apostolicae Litterae, quae Libros nominatim prohibeant, comprehensae sub articulo II de quo agimus: respondendum erit, post Pontificatum Alexandri VII;

qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora patranda, etiam expresse cum diabolo pactione facta, in manifestum suarum perniciem animarum, nefarias magicae artis incantationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabolicos characteres describunt, daemones invocant aut consulunt, ab eis responsa petunt aut accipiunt etc. » Consulens autem Pontifex eiusmodi magarum artium prohibitioni, confirmavit quoque Regulam Indicis de hisce rebus agentem cum poenis in eodem Indice constitutis, facultate quoque facta Inquisitoribus procedendi aliis condignis poenis. Nescio quomodo contigerit, ut auctores nonnulli, non obscuri nominis, in hac Constitutione repererint excommunicationem reservatam; quum Sixtus V nullam inflixerit excommunicationem.

immo responderi quoque posse videtur, a Pontificatu Clementis XI, ab initio videlicet elapsi saeculi.

Namque omnes Litterae Apostolicae, ante Alexandrum VII latae, reductae sunt, quoad poenas, ad ius commune, sive Regularum Indicis, sive Bullae Coenae; atque proinde si quae fuerint cum excommunicatione peculiari reservata, quae non cohaereret cum Bulla coenae, cessaverunt, atque libri manserunt prohibiti iuxta Regulas Indicis: neque, ut vidimus, Constitutio *Apostolicae Sedis*, aliquid superaddidit praeteritis Apostolicis Litteris. Post Pontificatum vero Alexandri VII, primae, quas reperi Litteras Apostolicas, libros nominatim damnantes sub excommunicatione reservata, sunt illae Clementis XI, iuxta exempla, quae successive adduxi pag. 117, quae quidem exempla, quamquam incompleta, ex inductione quadam, satis esse puto ad arguendum, saltem probabiliter, non praeextitisse alias litteras Apostolicas, quae a norma Alexandri VII praestituta recesserint (1).

Fortasse non deerunt, qui quaerant elenchum librorum nominatim prohibitorum per Litteras Apostoli-

(1) Exstat ipsius Alexandri VII Bulla *Cum ad aures*, die 25 Iunii 1665 edita, idest uno fere post anno, a quo prodiit eius Constitutio, *Speculatores:* attamen haec Bulla quae de duobus libris nominatim expressis agit, sancit quidem sub excommunicatione reservata, sed non prohibet eorum librorum lectionem: prohibet enim approbationem quarundam censurarum, quae in his duobus libris non auctoritate competenti inustae erant doctrinae a S. Sede non iudicatae aut non reprobatae aut admissae: ideoque prohibitio facile resolvitur in damnationem quarumdam censurarum in his libris contentarum. Hi libri hos titulos habent, primus: « *Censura sacrae facultatis theologicae Parisiensis in librum cui titulus est*, La défense de l'authorité de N. S. P. le Pape, de nosseigneurs les Cardinaux, les » Archevesques et Evesques et de l'employ de la religion de Mendians contre les erreurs de » ce temps, par Jacque de Vernat à Mets 1658.» Alter vero: « *Censura sacrae facultatis » theologicae Parisiensis in librum, cui titulus est*, Amadei Grimensis Lomarensis, olim » primarii sacrae theologiae professoris, opusculum singularia universae fere theologiae » moralis complectens adversus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum » opiniones morales ad tractatus de peccatis, de opinione probabili, editum novissime etc. » Lugduni. . . 1664, cum approbatione et superiorum permissu, *Parisiis 1665.*» « In quibus libris *(sunt verba Bullae)* censura praesumptuosa notantur aliquae propositiones, eaeque praesertim, quae ad Romani Pontificis et Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem, Episcoporum iurisdictionem, Parochorum munus, privilegia a Sancta Sede concessa, dispensationes Apostolicas actionumque moralium regulam pertinent et aliae, quae et gravissimorum scriptorum auctoritate et perpetuo catholicorum usu nituntur.»

Sanctio autem his verbis infligitur: « *Mandamus insuper, ne quisquam. . . praedictas censuras adprobet, sequatur atque defendat, neve in publicis aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus aut aliis actis publicis illas sequatur tueatur aut doceat, neve in libris aut etiam scripturis publicis vel privatis, aut alio quocumque modo illas alleget sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, cuius absolutionem nobis et Sedi Apostolicae reservamus.*»

Eiusmodi Alexandri VII Bulla omissa fuerat in Bullario, cui titulus, *Bullarii Romani ab Urbano VIII usque ad Clementem X Tomus V Lugduni 1673:* atque hac de causa hic Bullarii tomus fuit prohibitus Decreto Indicis 25 Ianuarii 1684 cum clausula *donec in eo ponatur Bulla Alexandri VII data* VII Kal. Iunii 1665, quae incipit, *Cum ad aures.*

cas sub excommunicatione reservata. Namque in Indice librorum prohibitorum indicantur quidem libri prohibiti per Litteras Apostolicas, sed non indicatur poena sub qua prohibentur. Re quidem vera id dare cogitaveram atque manum ad opus apposui; quod, si perfectum elenchum dare non possem, saltem aliquem elenchum, aliorum diligentia perficiendum, dare potuissem. At vero dum opus sum aggressus animadvertere debui opus non utile me facturum.

Namque multi sunt libri sub reservata excommunicatione prohibiti, qui ex hominum memoria exciderunt, quos in memoriam revocare haud expediret: alii sunt qui prohibiti eadem censura fuerunt potissimum propter temporis locorumque circumstantias, quae iamdiu cessarunt: quos libros pariter e morte excitare supervacaneum foret.

Quum autem ea perniciosa plurium librorum pravorum celebritas cessaverit; proindeque cessaverit perversionis damnique periculum, iam in ea conditione varii iamdiu prohibiti libri versari videntur, in qua conditione sunt vetustissimi libri ab Ecclesia damnati propter errores. Notum enim est, ipsos vetustissimorum haereticorum libros considerari in praesentia tamquam monumenta ad texendam cognoscendamque veterum haeresum errorumque historiam, quin eos legentes censuris subiaceant. Manebunt quidem in aeternum damnati propter errores: sed longe abeunte quovis damni perversionisque periculo, non amplius existimantur, saltem Ecclesiasticis scientiarumque Cultoribus, prohibiti.

Quod autem antea nonnisi longo saeculorum intervallo contingere poterat, ut libri olim damnati, tamquam monumenta historica considerari possent, aetate nostra post expeditissimum typorum inventum, quo libri in immensam molem quotidie concrescunt, et cum librorum copia concrescit quotidie levitas idearum, mutatio et transformatio errorum; multo facilius contingere potest, ut praeteriti libri, damnatione et censuris, propter aetatis errores, mulctati, evadant tantum historica documenta eorundem errorum, qui pro tempore invaluerunt.

Ceterum, quamquam in iure tradatur, legem ex se cessare, quando cessaverit adaequatus legis finis; difficile tamen est iudicare in singulis casibus, utrum legis finis adaequate cessaverit(1): in re autem de qua agi-

(1) Errarent profecto, qui existimantes positivae legis finem sibi cessare, legem violarent: non enim intelligerent effatum illud: *cessante adaequato fine legis legem ipsam cessare:* vel confunderent legem positivam cum praecepto naturali.

Lex fertur in universam communitatem ob rationabilem finem, quem obtinendum Legislator sibi praestituit: eademque lex tamquam mensura actuum subditis iniungitur: atque ideo subditi hac mensura seu dispositione ligantur: non autem ligantur mensurae fine a Legislatore intento: unde puto derivasse vulgare adagium: *finis legis non cadit sub lege.*

mus, certum ex ipsa lege habemus, neminem poenam prohibitionis subire, qui non *scienter* legerit librum prohibitum: stante autem animadversione, quam feci, utilius est ut memoria eorum librorum, qui periculo esse non amplius videantur, penitus pereat.

Quod et deputati Tridentini Patres, ipso suo tempore, in concinnando Librorum prohibitorum indice fecisse videntur, ut vidimus in Regula I, *pag. 113*, his verbis concepta: « Libri omnes, *quos ante annum 1515, aut summi Pontifices aut Concilia oecumenica damnarunt* et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censentur sicut olim damnati fuerunt.» Omiserunt videlicet eorum librorum catalogum, quamquam sanctiones renovaverint.

Aetate qua vivimus apparet quoque, quantae necessitatis sit in tot tantisque supervenientibus et variabilibus erroribus, quibus effraenis cogitandi scribendique licentia circumvolvitur, firmissimum auctoritatis viventis robur, cui docenti quisque fidelium absque ulla tergiversatione plene noscat, intellectum se submittere teneri. Media enim iam ab Ecclesia praestituta sive per librorum prohibitorum Indicem, sive per prohibitionem edendi libros sine auctoritatis ecclesiasticae permissione ad coercendam effraenem scribendi licentiam, librorumque pravorum diffusionem, munimina evaserunt, quae a librorum et ephemeridum colluvie superantur.

Antequam claudam eiusmodi meam elucubratiunculam, abs re non erit respondere cuidam difficultati quae mihi in scriptis mota est.

Mihi quaerenti, *pag. 9 in nota*, an ephemerides seu diaria eorundem (apostatarum et haereticorum) haeresim propugnantia sub ea censura (excommunicationis Romano Ponti-

Quare cessante fine legis pro aliquo vel aliquibus individuis, non inde ipsi a dispositione legis solvuntur, quum non per legis finem ligentur.

Verum si integer finis legis ipsi legi cesset, tunc lex non amplius habet suam existendi rationem: ideoque ex se cessat: ipsa autem cessante, cessat omnium subditorum ligamen. Hoc sensu intelligitur effatum illud, *cessante adaequato fine legis ipsam legem cessare.*

S. Alphonsus in *c. 5 Appendicis III, De librorum prohibit.* scitissime reiicit quandam opinionem cuiusdam Caramuelis. S. Doctor hanc sibi quaestionem proposuit: « Quaeritur: » an qui moraliter certi sint, nullum perversionis periculum incurrendi, possint absque licentia prohibitos libros legere?

» Probabile esse eo casu quod possint, putarunt aliqui cum Caramuele (laxorum facile » principe) dicentes, quod cessante fine legis adaequato, cessat lex prohibitionis. Sed cum » sententia communissima... *omnino negandum.*»

Animadvertendum tamen est, quod licet finis legis non liget subditos, sed dispositio legis; attamen finis legis sive in ipsa lege expressus, sive aliunde intelligendus, non debet ab interprete negligi: est enim princeps canon ad intelligendam plenius explanandamque legem: unde non bene aliqui scribunt vel loquuntur, dicentes: *non debemus esse solliciti de fine legis.* Hoc verum est, quando dispositio legis nullam dubitationem admittat, sed ad eius intensivam et extensivam vim, seu eius sententiam plenius intelligendam prae oculis habendus est finis legis.

fici speciali modo reservatae) sint prohibita? respondi: *non videntur sub ea censura prohibita; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.*

Qui difficultatem contra eiusmodi meam opinionem movit, non distinguebat prohibitionem a censura: in quam confusionem plures incidunt. Sedulo est animadvertendum, Constitutionem, *Apostolicae Sedis*, coercere quidem generalium censurarum numerum; sed reliquas prohibitiones vel reliquas poenas, quae non sint censurae, in eodem statu per se relinquere, quo erant ante Constitutionem. Notum enim est, nomine censurarum venire tantum excommunicationem maiorem vel minorem, suspensionem, et interdictum, iuxta responsionem Innocentii III *cap. 20 De verb. significatione*, ubi legitur: « *Quaerenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum huiusmodi clausulam in nostris litteris apponimus: respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi.*»

Difficultas autem mota consistebat, in hoc, quod et dantur ephemerides seu diaria, quae longam scripturam continent, et non est probabile, quod lex ecclesiastica respiciat materialem librorum formam, quod opponeretur Ecclesiae spiritui.

Ut huic obiectioni satisfaciam, recolere iuvat, quod ante ipsam Constitutionem iam inter probatos auctores disputabatur. S. Alphonsus, practicus Ecclesiae doctor, in Appendice *de libror. prohib.* quam adiunxit libro 1 *tract. 2 de legibus*, haec scripsit in *c. 5* §. *7*: « Dubita» tur 1°, an incurrat excommunica» tionem, qui legit haeretici *concio» nem* aut epistolam *seorsim editam?* » Affirmant alii... sed negant alii » *(numero multo maiores)* ratio, quia » revera huiusmodi concio vel epi» stola *non potest dici liber:* et in » hac re dicunt stricte faciendam » esse interpretationem, cum agatur » de re odiosa, utpote de poena » incurrenda.» .

« Dubitatur 2°, an incurrant cen» suram legentes manuscripta haere» ticorum? Negant Azor... affirmant » tamen constanter Holzm... dicen» tes, manuscripta adhuc venire *sub » nomine librorum* etc.»

Tota itaque quaestio ante Constitutionem reducebatur ad hoc, utrum concio aut epistola, vel libri manuscripti, venirent *sub nomine librorum:* atque cum ageretur de re poenali, stricta interpretatio erat facienda. Si haec id temporis valebant, multo magis nostra aetate valent, qua ex communi dicendi ratione determinata omnino est distinctio inter libros et alia scripta quae libri formam non exhibent, inter quae ephemerides seu diaria, seu folia, sive haec ampliora sive minora sint: neque supponi potest, Legislatorem eiusmodi vulgaria discrimina ignorare.

Quod autem non sit probabile

et spiritui Ecclesiae adversetur, quod ecclesiastica lex respiciat materialem formam; est aequivoca obiectio. Non enim Ecclesia prohibet libros propter materialem formam; sed prohibet libros propter venenum quod per eam formam abundantius et efficacius propinari solet. Sane diaria et folia, quo ampliora sunt, eo minus legi solent: quo magis exigunt intellectus contemplationem, eo magis negliguntur: raptim leguntur, ut inde dereliquantur; quaeruntur enim in ipsis notitiae opinionesque dierum; atque fluunt et refluunt, quin magni aestimentur. E converso libri aestimari conservarique solent, iique non tantum specietenus leguntur, sed studio et contemplatione pervolvuntur, variis linguis evulgantur, passim, quasi essent sapientiae fontes, allegantur.

Ceterum, quando agitur de poenis, nisi sententia legis extendere cogat strictum verborum sensum; verba non sunt ultra id quod stricte exprimunt protendenda. In praesenti autem themate vox *libros*, considerata etiam cum tota articuli, de quo agimus, structura, non alio sensu accipitur, quam ex communi dicendi ratione accipi solet: eâdem enim poena mulctantur *scienter legentes sine Auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum* haeresim propugnantes, qua mulctantur eosdem libros *retinentes, imprimentes* et quomodolibet *defendentes:* quae verba *retinentes, imprimentes, defendentes,* quemadmodum aegre in facto cohaererent cum diariis (quis enim defendit diaria?); ita optime cohaerent cum voce *libros* communi sensu accepta.

Ephemerides itaque seu diaria seu folia haereticorum *per se completa* (quae scilicet non sint libri partes eiusdem argumenti; quam quaestionem omitto) haeresim propugnantia, non videntur sub ea censura prohibita. Hic potius quaeri potest, sub quanam prohibitione comprehendantur?

Respondeo: solent esse prohibita iure naturae ob periculum perversionis, quo in casu Confessarii praesertim admonere debent suos poenitentes, non posse eos ephemerides legere, quum sese exponant periculo perversionis, vel sensim sine sensu pervertantur: potest esse prohibita iure naturae harum ephemeridum emptio; namque qui eas emunt, sine rationabili causa, quae eos excusare valeat, cooperantur, quamquam tenuiter, in pravissimam causam; sunt enim, per eiusmodi emptionem, ephemeridum socii; namque sine sociis emptoribus ephemerides subsistere non possent.

Possunt esse prohibita eiusmodi diaria per positivam Ordinarii prohibitionem: officium enim in Ordinarios incumbit prohibendi suis dioecesanis harum ephemeridum lectionem per positivum praeceptum si periculum perversionis adsit, cui, si opus sit, possunt adiungere quoque ecclesiasticas censuras. Vel saltem, si per praeceptum eiusmodi pravas, sive haereticorum sive non haereti-

corum, ephemerides prohibere non existiment, tenentur declarare, vetitas easdem esse iure naturae; ideoque fideles non posse easdem legere; quo pariter in casu, iudicabunt Confessarii, quinam ex poenitentibus possint vel non possint eas legere, iuxta periculum, quod cuique immineat vel non immineat perversionis.

Ad librorum, libellorum, pravarumque ephemeridum prohibitionem quod attinet, per locorum Ordinarios faciendam, recentissima est circularis Epistola ad eosdem missa per S. Congregationem Indicis. Aetate enim qua vivimus, neque potest S. Sedes de omnibus libris, qui eidem iudicandi deferantur, iudicare propter magnum eorum numerum: neque saepe expedit: namque non expedit, ut libri vel libelli aut ephemerides, quae perniciosae reputantur in aliqua civitate aut dioecesi vel provincia, per iudicium S. Sedis denuncientur Universo Orbi, ex quo potius celebritatem acciperent. Quare officium Episcoporum non raro excitat his in adiunctis S. Sedes, ut ipsi libros, quisque in propria dioecesi, prohibeant; ex qua prohibitione suspecti saltem evadunt in dioecesibus finitimis.

Epistola autem circularis, quam dixi tenoris est qui sequitur.

Illme ac Rme Domine

« Inter multiplices calamitates, quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi Religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores, incautae praesertim iuventutis, penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis iura et ordo sus deque vertitur et omnimode perturbatur. Neque ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt libellis, et per publicas, atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuiusque et infimi populi fidem, simplicitatemque corrumpant.

» Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt, zelo adlaborantes, ut Romanae Sedis habito iudicio, et proscriptione a vetita lectione talium fideles deterreant. Neque Iis difficilem se praebuit, et praebet S. Congregatio, quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto Christiano Orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis causa ferat iudicium:

ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio, et inefficax remedium, cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

» Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per sa. me. Leonem XII mandatum editum est, sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adiunctum (1), vi cuius Ordinariis locorum praecipitur, ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

» Cum autem huius Apostolici mandati provida Constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSmo Domino Nostro Pio Papae IX placuit eius memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gravissima mala removentur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, Eis Sanctitas Sua concessit, sicut Nomine et Auctoritate Eius praesentibus conceditur, ut in hac re, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant.

» Ad Apostólicum autem Iudicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum Supremae Auctoritatis sententia requiratur.

» Interim Tibi Illme et Rme Domine copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur, et ad pergrata quaeque officia nos paratissimos exhibemus.»

Datum Romae die 24 Aug. 1864.

Itaque vi praesentis Epistolae locorum Ordinarii possunt ad libro-

(1) *Mandatum S. M. Leonis XII additum Decreto S. Congregationis Indicis die Sabbati 26 Martii 1825.*

« Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis atque in observationibus, Instructione, Additione et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII et Benedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos, abolendosque Indici Librorum prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus impossibile est, libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus Fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne illa in eo suscipiendo capiantur specie, ac pervertantur illecebra.»

rum prohibitionem procedere non solum iure proprio, sed etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati. Subintelligitur autem, quod, illi, qui fortasse ex Ordinarii prohibitione existiment se gravatos, effugium habeant ad S. Sedem per appellationem: namque a iudicio delegati appellatio fit ad delegantem.

De impressione librorum de rebus sacris tractantium sine Ordinarii approbatione aliorumque impressione librorum.

Constitutio, *Apostolicae Sedis,* servans universim Tridentinas censuras exceptionem addidit §. *Praeter pag. 34,* his verbis: *excepta anathematis poena in Decreto sess. IV* De editione et usu Sacrorum Librorum, *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.*

Expedit huius Tridentinae censurae, quam Constitutio limitavit, historiam, tum quae praecessit, tum quae subsequuta est, breviter recolere.

Aetate Leonis X, arte imprimendi libros potissimum inventa, seu aucta et perpolita, ne contra Divinam gloriam eiusmodi artis inventum converteretur, Leo X in Concilio novissimo Lateranensi, Constitutione, *Inter sollicitudines,* die 4 Maii 1515 haec statuit: « Nos itaque, ne id, quod ad Dei gloriam et fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur ac Christifidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinae coalescant vel medicinis venena intermisceantur.

» Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante Concilio, ut negotium impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps indago solertior diligentius et cautius adhibetur, statuimus et ordinamus, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, *nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, tam in Urbe nostra, quam in aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus, imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe, per Vicarium nostrum et sacri Palatii magistrum; in aliis vero civitatibus et dioecesibus per Episcopum vel alium habentem peritiam scientiae libri seu scripturae huiusmodi imprimendae, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manus propriae subscriptionem, sub excommunicationis poena, gratis et sine dilatione imponendam, approbentur.*

» *Qui autem secus praesumpserit,*

» *ultra librorum impressorum amis-*
» *sionem et illorum publicam com-*
» *bustionem ac centum ducatorum fa-*
» *bricae Basilicae Principis Aposto-*
» *lorum de Urbe, sine spe remissionis,*
» *solutionem ac anni continui exer-*
» *citii impressionis suspensionem, ex-*
» *communicationis sententia innoda-*
» *tus existat; ac demum, ingrave-*
» *scente contumacia, taliter per Epi-*
» *scopum suum vel Vicarium nostrum*
» *respective, per omnia iuris remedia*
» *castigetur, quod alii, eius exemplo,*
» *similia minime attentare praesu-*
» *mant.* »

Haec tamen prima Constitutio cum suis poenis non fuit a principio usu recepta ceu tradit Suarez *de censur. disput. 23 sect. 7* cum Cajetano, *verb. Excomm. in fin.* Navarro, *cap. 27 n. 111, et 148,* Toleto, *l. 1 c. 40 in fin.*

Synodus Tridentina, quae proxime subsequuta est, eam Constitutionem ex parte innovavit in *sess. 4* in Decreto *De editione et usu sacrorum librorum.* Namque agens Tridentina Synodus de iis, qui detorquent ad suos sensus sacram Scripturam per interpretationes contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, constituit, ut huiusmodi homines *per Ordinarios declarentur et poenis a iure statutis puniantur.* Deinde sic prosequitur.

« Sed et impressoribus modum
» *in hac parte,* ut par est, imponere
» volens, qui iam sine modo, hoc
» est putantes sibi licere quicquid
» libet, sine licentia superiorum ec-
» clesiasticorum ipsos sacrae scriptu-
» rae libros, et super illis annota-
» tiones et expositiones quorumlibet
» indifferenter, saepe tacito, saepe
» etiam mentito praelo, et quod gra-
» vius est, sine nomine auctoris (1)
» imprimunt, alibi etiam impressos
» libros huiusmodi temere venales
» habent, decernit et statuit, *ut post-*
» *hac sacra Scriptura, potissimum*

(1) Tempore Concilii Tridentini adhuc considerabatur tamquam gravis culpa, iuxta veterem consuetudinem, omissio nominis auctoris in fronte librorum. Ante typorum inventum libri sine nomine auctoris suspecti saltem considerati sunt: et primis Ecclesiae saeculis libri sine nomine auctoris conscripti a Romana Sede inter apocryphos facile recensebantur, quemadmodum inter apocryphos numerabantur libri, ceteroquin innocui, qui sub mentito celebris alicuius nomine vulgarentur: huius rei exempla videre est in supra citato Gelasii Decreto. Sic ex. gr. inter opuscula, quae Romana Ecclesia recipiebat recensentur gesta Sanctorum martyrum: sed tamen idem Decretum hanc clausulam adiungit: « sed ideo secundum » antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia » et *eorum, qui conscripsere nomina penitus ignorantur,* et ab infidelibus et idiotis su- » perflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur sicut cuiusdam Cyrici et Iu- » littae; sicut Georgii, aliorumque eiusmodi passiones, quae ab haereticis perhibentur com- » positae. Propter quod, ut dictum est, *ne vel levis subsannandi oriretur occasio,* in Sanc- » eta Romana Ecclesia non leguntur.»

Sic pariter inter libros apocryphos Decretum Gelasii recenset celebrem *librum, qui appellatur Canones Apostolorum;* id certe ex ea praesertim ratione, quod sub mentito Apostolorum nomine circumferretur: quamquam disciplinam ex traditione Apostolica haustam liber, saltem quoad substantiam, contineret, ceu Critici existimant.

» *vero haec ipsa vulgata editio, quam* » *emendatissime imprimatur, nullique* » *liceat imprimere vel imprimi fa-* » *cere quosvis libros de rebus sacris* » *sine nomine auctoris, neque illos* » *in futurum vendere, aut etiam apud* » *se retinere, nisi primum examinati* » *probatique fuerint ab Ordinario,* » *sub poena anathematis et pecuniae* » *in canone Concilii novissimi Late-* » *ranensis apposita.*» Haec pecuniae mulcta erat centum ducatorum, ut vidimus.

Sed ampliori ratione dicta Constitutio Leonis X fuit innovata seu explicata per Regulam X Indicis. Sane in hac Regula haec fuerunt statuta: « In librorum, aliarumve » scripturarum impressione servetur, » quod in Concilio Lateranensi sub » Leone X sess. X statutum est.

» Quare si in alma Urbe Roma » liber aliquis sit imprimendus, per » Vicarium summi Pontificis et sacri » Palatii Magistrum, vel personas a » SSmo Domino Nostro deputandas, » prius examinetur.

» In aliis vero locis ad Episco- » pum vel alium habentem scientiam » libri, vel scripturae imprimendae, » ab eodem Episcopo deputandum, » ac Inquisitorem haereticae pravi- » tatis eius civitatis vel dioecesis, in » qua impressio fiet, eius approba- » tio et examen pertineat et per eo- » rum manum, propria subscriptio- » ne, gratis et sine dilatione impo- » nendam, sub poenis et censuris » in eodem Decreto contentis, ap- » probetur; hac lege et conditione » addita, ut exemplum libri impri- » mendi authenticum et manu au- » ctoris subscriptum apud examina- » torem remaneat.

» Eos vero, qui libellos manu- » scriptos vulgant, nisi ante exami- » nati probatique fuerint, iisdem » poenis subiici debere iudicarunt » Patres deputati, quibus impres- » sores; et qui eos habuerint et le- » gerint, nisi auctores prodiderint, » pro auctoribus habeantur.

» Ipsa vero huiusmodi librorum » probatio in scriptis detur, et in » fronte libri vel scripti vel impressi » authentice appareat; probatioque » et examen ac cetera gratis fiant.

» Praeterea in singulis civitatibus » ac dioecesibus domus vel loci, ubi » ars impressoria exercetur, et bi- » bliothecae librorum venalium sae- » pius visitentur a personis ad id » deputandis ab Episcopo, sive eius » Vicario, atque etiam ab Inquisi- » tore haereticae pravitatis, ut nihil » eorum, quae prohibentur, aut im- » primatur, aut vendatur, aut ha- » beatur.

» Omnes vero librarii, et qui- » cumque librorum venditores ha- » beant in suis bibliothecis Indicem » librorum venalium, quos habent, » cum subscriptione dictarum per- » sonarum; nec alios libros habeant » aut vendant, aut quacumque ra- » tione tradant sine licentia eorum- » dem Deputatorum, sub poena a- » missionis librorum et aliis arbitrio » Episcoporum vel Inquisitorum im- » ponendis: emptores vero, lectores

» vel impressores eorundem arbitrio » puniantur.

» Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renunciare, vel si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci praedictis personis significent, libros esse adductos.

» Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere vel aliqua ratione alienare aut commodare, nisi ostenso prius libro et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum iam esse omnibus permissum.

» Idem quoque servetur ab haeredibus et exsequutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos sive eorum Indicem, illis personis deputandis afferant et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur aut in alias personas quacumque ratione eos transferant.

» In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum vel alia arbitrio eorundem Episcoporum vel Inquisitorum pro qualitate contumaciae vel delicti.

» Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt aut expurgarunt aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quicquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolae, quam ceteri observent.

» Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel dioecesibus expedire iudicaverint.»

Urbanus VIII per Decretum S. Inquisitionis editum die 3 Octob. 1625 haec pro degentibus in Statu ecclesiastico, mediate vel immediate Sanctae Sedi subiecto, constituit.

« Sanctissimus Dominus noster » pro debito sui pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum » in Statu Sedi Apostolicae mediate » vel immediate subiecto existentium, qui libros a se compositos » extra praefatum Statum, absque » ulla Ordinariorum et Inquisitorum » loci, ubi degunt, approbatione, » imprimendos transmittunt; statuit » et decrevit, ut in posterum nemo » in Statu praedicto degens, cuiusvis » conditionis, gradus, ordinis et dignitatis existat, libros de quavis » materia tractantes et ubicumque » compositos, audeat alio deferre vel » mittere imprimendos sine expressa » in scriptis approbatione SSmi et » Rmi Domini Cardinalis SSmi D. N. » Vicarii et Magistri sacri Palatii si » in Urbe, si vero extra Urbem exi- » stat sine Ordinarii et Inquisitoris » loci illius, sive ab iis deputatorum, » facultate et licentia operi praefigenda.

» Libros autem, quos contra praesentis Decreti tenorem imprimi contigerit, praeter alias poenas arbitrio Suae Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, et pro expresse prohibitis haberi vult et mandat.»

Haec eadem Urbani VIII dispositio, excepta sanctione, renovata fuit ab Alexandro VII per *Observationes,* quas iussit addi ad Regulam X Indicis his verbis.

« Observandum est circa Regulam decimam Indicis, quod degentes in Statu Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiecto non possunt transmittere libros a se compositos alibi imprimendos, sine expressa adprobatione et in scriptis Emi ac Rmi D. Cardinalis SSmi D. N. Vicarii et Magistri sacri Palatii si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab his, deputatorum facultate et licentia Operi infigenda.»

Dein Clemens VIII *Instructionem* edidit, quae praeponi solet Indici Librorum prohibitorum, in qua normas statuit pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi.

Ex ipso Decreto Urbani VIII argui potest, Constitutionem Lateranensem Leonis X etiam post renovationem factam per Regulam X Indicis, fuisse iam aliqua ratione neglectam. Namque ex eo apparet extra Statum Pontificium non in omnibus saltem locis fuisse servatam.

Denique SSmus D. N. epistolam encyclicam dedit die 2 Iunii 1848 ad Episcopos aliosque, qui librorum edendorum canonicae censurae in temporali Sanctae Sedis Ditione praepositi sunt; in ea nonnulla ex veteri iure temperavit. Haec enim constituit.

« In Sess. X Concilii Lateranensis V, atque iterum in postrema Regularum Indicis, quae a Patribus conscriptae per Tridentinam Synodum deputatis, et a Pio IV glor. mem. Decessore Nostro approbatae fuerunt, nec non in aliis aliorum Romanorum Pontificum sanctionibus interdictum habetur, ut nulli omnino libri aut scripta evulgentur, nisi antea ecclesiastica auctoritate examinati probatique sint.

» Iamvero scribendi legendique aviditas et librorum, maxime autem ephemeridum numerus, nostra hac aetate ita in dies augetur, ut iam ecclesiasticis censoribus perdifficile evaserit ipsos omnes ea, qua par est, maturitate expendere, et latior etiam patuerit via illorum fraudibus, qui doctrinas perversas et sacrae publicaeque rei noxias disseminare connituntur pagellis et parvis praesertim libris clandestine editis, quorum porro improbitas eo maiorem inducit fidelium offensionem et scandalum, quod ad vigentium canonum tramites perpensi reputantur riteque probati.

» Haec nos serio considerantes, » et nonnullis VV. Fratribus Nostris » S. R. E. Cardinalibus in consilium » adhibitis, habentesque ob oculos » Decretum Sessionis IV Concilii Tri- » dentini, ubi peculiares sanctiones » leguntur circa editionem et evul- » gationem librorum de rebus sacris, » deliberavimus mitigare aliqua ex » parte alias supra memoratas regu- » las, ut ita ecclesiastici censores » diligentius satisfacere valeant offi- » cio suo arctioribus limitibus defi- » nito, ne facile deinceps contingat, » ut ipsorum iudicio probata omnino » videantur, quae ex parte saltem » eorum censurae fraudulenter sub- » tracta sunt, vel ab eisdem haud sa- » tis diligenter examinari potuerant.

» Itaque motu proprio et Apo- » stolica nostra auctoritate Decretum » Concilii Lateranensis et ceteras » supradictas sanctiones moderando » et declarando decernimus atque » permittimus, ut posthac, et donec » aliter ab hac Apostolica Sede sta- » tuatur, censores ecclesiastici in » locis temporali Nostrae ditioni sub- » ditis de iis tantum solliciti sint, » quae Divinas Scripturas, Sacram » Theologiam, Historiam Ecclesiasti- » cam, Ius Canonicum, Theologiam » naturalem, Ethicen, aliasque hu- » iusmodi religiosas aut morales di- » sciplinas respiciunt, ac generatim » de omnibus, in quibus religionis » vel morum honestatis speciatim » intersit. Iuxta haec igitur statui- » mus atque permittimus, ut in o- » mni ephemeridum et librorum ge- » nere illi dumtaxat sine praevia ec- » clesiastica censura edi nequeant, » qui moralis aut religiosi, uti di- » ximus, argumenti sint; in ceteris » vero, ii tantum articuli, qui simile » argumentum habeant, vel causam » ipsam religionis aut morum hone- » statis proxime attingant.

» Verum Nostrae huius permis- » sionis obtentu nemini unquam li- » cebit evulgare iterum, et ne in » aliam quidem linguam conversos, » edere libros et scripta illa, quae » praecedentibus ecclesiasticae au- » ctoritatis Decretis damnata et pro- » hibita sint, aut in posterum pro- » hibebuntur. Si quis autem scripta » vel libros huiusmodi denuo edide- » rit aut evulgaverit, vel aliter in » iis, quae Nostris hisce Litteris per- » missa non sunt, supradictas cano- » num sanctaeque huius Sedis san- » ctiones violaverit, in posterum » pariter illis tenebitur censuris et » poenis, quae anterioribus ipsis » sanctionibus statutae sunt. Nos » enim easdem sanctiones in omni- » bus, in quibus a Nobis derogatum » illis non est, firmas esse volumus, » et Apostolica iterum Auctoritate » roboramus. Confirmamus etiam no- » minatim pecuniariam poenam in- » dictam in commemorato Decreto » Concilii Lateranensis V; quam ta- » men eatenus mitigamus, ut gra- » vioribus quoque in casibus sum- » mam centum scutatorum nummum » communis nunc romanae monetae

» non excedat: atque ipsam in pios » usus prudenti Episcopi cuiusque » arbitrio erogandam mandamus.»

Quamvis haec iuris mitigatio respiciat Episcopos ceterosque in temporali R. Pontificis ditione existentes, quisque tamen facile intelligit, in aliis locis maiori quoque iure posse aptari, quum aliarum ditionum conditio non soleat esse felicior, quoad effrenem librorum ephemeridumque evulgationem, quam Status Romani Pontificis.

Ceterum censurae latae ipso facto incurrendae atque in hac Constitutione confirmatae nunc cessarunt vi Constitutionis *Apostolicae Sedis,* atque ea tantum censura remanet, quae fuit a Concilio Tridentino inflicta, quaeque mitigata quoque est; eam enim contrahunt tantum illi, qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt: quae quidem censura nulli est reservata.

Altera in scriptis mihi mota est obiectio contra ea quae adnotavi *pag. 35.* Ibi mihi quaerebam: quinam libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium: atque respondi: *nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina Synodus in sess. IV de editione et usu sacrorum librorum intellexit; intellexit autem libros sacrae Scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones.* Quam responsionem ex contextu Tridentini Decreti erui.

Obiectio vero his fere verbis significata mihi est: Verum quidem est, prima fronte eam responsionem, exclusive acceptam, contextui Tridentino videri conformem: sed tamen in eodem contextu expresse citari Constitutionem Lateranensem: in Constitutione autem Lateranensi sermonem esse de *quovis libro* impresso sine Ordinarii adprobatione.

Hinc, qui hanc obiectionem movit, a me quaesivit ut responderem ad duas has dubitandi formulas:

1° An auctor de rebus religiosis obligatione teneatur submittendi librum suum Ordinarii adprobationi.

2° An eadem obligatione teneatur auctor de rebus profanis.

Post ea quae superius scripsi et ex documentis adductis facilis est responsio.

In proponenda eiusmodi obiectione consueta confusio commissa est sanctionis, seu censurae excommunicationis de qua Constitutio, *Apostolicae Sedis,* unice agit, cum ceteris obligationibus aliunde desumendis.

Non mihi quaesiveram *pag. 35,* quaenam scripta universim subiicienda sint Ordinario pro adprobatione ut legitime imprimi evulgarique possint: sed quinam libri, neglecta adprobatione Ordinarii, imprimi non possint sine excommunicatione incurrenda de qua, loco citato, agit Constitutio.

Constitutio determinavit libros, quos determinaverat Tridentina Synodus, idest *libros de rebus sacris*

tractantes; atque poenam anathematis, cui ex Tridentina Synodo subiiciebantur libros de rebus sacris sine nomine auctoris, aut sine examine et adprobatione imprimentes, imprimi facientes, vendentes, retinentes, scripto communicantes aut vulgantes; coercuit ad imprimentes et imprimi facientes eos libros sine Ordinarii adprobatione.

Quinam autem libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium, ex Tridentino Decreto non obscure videtur intelligi: intelligitur enim ex Decreti titulo, qui expresse significat agi *de editione et usu sacrorum librorum:* libri autem sacri, absque ulla haesitatione, sunt sacrae Scripturae. In comperto autem est penes Canonistas, titulos legum a Legislatore appositos, vim quoque legis habere; unde in legum interpretatione non raro in ore habent effatum illud: *Nigrum explicat Rubrum,* vel e converso *Rubrum explicat Nigrum.*

Idem intelligitur ex fine Decreti. Namque licentia editorum invaluerat putantium sibi licere quidquid liberet, qui neque ipsis sacrae Scripturae libris parcebant, eos indifferenter imprimentes et cum adnotationibus et expositionibus quorumlibet, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et quod gravius est sine nomine auctoris, id temporis haeresi invalescente, quae tutamen errorum in sacrae Scripturae libris potissimum quaerebat per individuales arbitrarias interpretationes.

Quare ut fraenum aliquod impressoribus imponeretur, atque ideo, quoad fieri posset, immaculate servaretur, quod tanto labore et sapientia sancta Synodus definiverat et constituerat, statuit, *ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris etc.*

Res itaque sacrae, inspecto Decreti fine, non aliae sunt quam res de sacra Scriptura.

Idem intelligitur ex Decreti dispositione. Constituitur enim in eo Decreto, ut homines, qui detorquent ad suos sensus sacram Scripturam contra sensum quem tenet sancta Mater Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum, *per Ordinarios declarentur et poenis a iure statutis puniantur.* Hoc constituto pro huiusmodi hominibus, S. Synodus se convertit ad impressores, ne illi homines effugerent poenas a iure statutas per impressionem librorum eiusmodi sine nomine auctoris. Unde S. Synodus immediate prosequitur: « *sed et impressoribus modum* IN HAC PARTE, *ut par est* » etc. atque in eodem contextu expresse memorat *ipsos sacrae Scripturae libros et super illos annotationes et expositiones.*

Quomodocumque itaque rem consideras, libri de rebus sacris, non alii sunt iuxta Tridentinum, quam libri tractantes de sacra Scriptura.

Quibus accedit extrinsecus canon:

quando agitur de poenis strictam faciendam esse interpretationem.

Expresse autem citavit Tridentina Synodus constitutionem lateranensem: quod non alia de causa fecit, quam ut *in hac parte* infligeret anathematis poenam et pecuniariam mulctam, quam scriptam reperit in Constitutione Lateranensi, quae cum suis poenis usu recepta non fuerat.

Sed quod Tridentina Synodus nonnisi ex parte renovavit, multo amplius renovavit Regula X Indicis ut vidimus: quam renovationem, pro temporum adiunctis in pontificia ditione temperavit SS^{mus} Dominus Noster: quod temperamentum mitius quoque hodie evasit per cessationem censurarum vi Constitutionis *Apostolicae Sedis;* non enim alia mansit censura, quae respiciat impressores librorum seu imprimi facientes, quam illa, de qua agimus quoad libros de rebus sacris tractantes.

De universali autem ecclesiastica obligatione submittendi libros Ordinarii adprobationi, haec ex adductis documentis facile eruuntur: 1° Haec obligatio non incumbit in auctores librorum, sed in impressores seu imprimi facientes: quare, si auctores non sint, qui libros imprimi faciant puta quia sua scripta aliis vendiderint seu aliqua ratione alienaverint, non ipsi, sed impressores seu qui imprimi faciant, unoque verbo *editores,* dicta obligatione tenentur.

2° Haec universalis ecclesiastica obligatio impressores seu imprimi facientes urget in locis, in quibus saltem Constitutio SS^{mi} Patris edita die 2 Iunii 1848, per locorum Ordinarios exsecutioni mandetur: namque agitur de obligatione ecclesiastica, quae exigit peculiare Ordinariorum officium, quo cessante, et ipsa obligatio cessat.

3° Quoad libros de rebus profanis, qui scilicet non sint moralis aut religiosi argumenti, iuxta dictam Constitutionem, eadem obligatio cessat: quae tamen obligatio non cessat, si de locis agatur extra Pontificiam ditionem, in quibus Regula X Indicis in suo vigore fortasse servetur.

4° Decretum Urbani VIII, quod obligationem iniunxit in auctores, ne suos libros alio imprimendos transmitterent, sine proprii Ordinarii adprobatione, in desuetudinem videtur abiisse (1).

Ex his animadversionibus patet, quid ad utrumque superius propo-

(1) Ratio autem cur illud Decretum in desuetudinem abiit etiam in locis, in quibus ceteroquin lex generalis ecclesiastica servatur, haec est: quum mala fides in librorum impressione maxime creverit, facile contingere potest, ut, ex. gr. qui Romae degens, suo libro obtineat *imprimatur* a Magistro S. P. A. atque, dum illum alio imprimendum mittit, mutationes substantiales adiungat, quae censuram fortasse non effugissent, edito autem libro cum dicto *imprimatur*, res censura dignae viderentur permissae a Magistro S. P. A. Inde contingit, ut idem Magister non apponat *imprimatur* libris extra Urbem imprimendis. Libris autem, qui Romae imprimuntur, prius apponit suum *imprimatur*: qui tamen, postquam fuerint impressi, non possunt evulgari, nisi ipse addat alterum Decretum *evulgetur*; quod illico addit, recognita libri identitate. Cura harum rerum ad typographos pertinet.

situm dubium sit respondendum: videlicet: ad I auctor de rebus religiosis teneter submittere librum suum Ordinarii adprobationi, si ipse librum imprimi faciat, et in locis sit, ubi per Ordinarium lex ecclesiastica uti par est executioni mandetur. Ad II Auctor de rebus profanis, quae neque sint moralis argumenti, non tenetur, excepto loco, ubi in pleno suo vigore forte esset Regula X Indicis.

Quaerunt praeterea timoratae conscientiae viri aliquam practicam normam, qua se gerere possint in emendis legendisque libris: eandemque normam quaerunt Confessarii pro suis poenitentibus. Namque plurimi circumferuntur libri, qui ecclesiasticam adprobationem impressam non habent; neque omnes norunt, an libri sub excommunicationis censura sint vetiti, idest, an sint haereticorum et propugnent haeresim, an per litteras Apostolicas sint nominatim prohibiti; an, seclusa censura, recenseantur in Indice librorum vetitorum; an comprehendantur sub aliqua regula Indicis; an iure naturae sint vetiti, idest sint perniciosi; an e converso sint innoxii.

Respondeo: Viri timoratae conscientiae iam habent practicam normam ab Ecclesia universim constitutam: habent enim Confessarios. Unde S. C. Inquisitionis rogata anno 1832 per Helvetiae Episcopos circa nonnulla huius generis, ad dubium: « An fideles, salva conscien» tia, legere possint ephemerides vel » libros, qui censuram Ordinarii non » subierunt? » Respondit: *recurrant ad Confessarium*.

Quamnam autem normam habere debeant in hac re Confessarii, eam innuit S. Alphonsus, *append. de libr. prohib. c. 5. n. 8.* his verbis: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi.*

Si catholica Ecclesia non esset a Guberniis in servitutem redacta, sed ubivis, uti par est, tamquam iudex sanae doctrinae dominaretur; atque proinde exsecutioni mandare posset ecclesiasticas leges de hac re constitutas, suspecti vehementer habendi essent libri, longe lateque vagantes, qui ecclesiasticam adprobationem impressam non secumferrent: ideoque viri timoratae conscientiae ab iis emendis legendisque abstinere deberent, Confessario non consulto, ob praesumptionem de doctrina non sana et ob reverentiam Ecclesiae debitam: eiusmodi enim libri habendi essent tamquam spurii et apocryphi iuxta veterem dicendi rationem. Quod Ecclesia per Episcopos non recognovit, neque fideles admittere deberent.

Sed quoniam libertas imprimendi libros et ephemerides, a Guberniis maxime promota, eo processit ut omne fere fraenum ecclesiasticae legis excusserit, atque libri pravi vel prohibiti simul cum bonis vel innocuis late evulgentur, iuvabit Confessarium scire, quinam fuerint impressores, qui eos ediderint: namque plerumque noti sunt typographi, qui

cum lucro librorum propriam conscientiam non vendiderunt: item quinam fuerint librorum auctores; auctores enim sanae doctrinae plerumque noti sunt: item iuvabit scire iudicium quod sanae doctaeque ephemerides in recensionibus librorum faciendis emiserint: haec et similia possunt esse indicia, quae prudentem Confessarium dirigant, in consiliis suis Poenitentibus dandis, pro emptione vel lectione librorum, qui ecclesiasticam adprobationem non praeseferant.

Ex rebus omnibus hactenus animadversis colligi potest, iuxta ecclesiasticas leges triplicem librorum classem reiiciendam iam distingui: 1° Libri prohibiti sub excommunicationis poena Romano Pontifici speciali modo reservata.

2° Libri prohibiti sub poena culpae iuxta librorum prohibitorum Indicem eiusdemque vigentes Regulas: in quem censum referri quoque possunt libri vel scripta iure tantum naturae vetita: nec non libri, qui per Episcopos in singulis suis dioecesibus prohibeantur.

3° Libri, qui, iuxta veterem dicendi rationem, appellari possent apocryphi: idest libri, quos Ecclesia simpliciter absque ulla sancita poena repudiat, ut sunt libri de rebus sacris tractantes impressi sine licentia Ordinarii: ad quem censum librorum apocryphorum plurimi libri aetate nostra referri posse videntur: ad hanc enim classem referri possunt ex. gr. libri Indulgentiarum omnes, diaria, summaria, libelli, folia, in quibus earum concessiones continentur evulgata absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum: varii libri rituales sine adprobatione S. Congregationis Rituum: multique alii. Atque in singulis dioecesibus, in quibus lex rite servetur apponendi Ordinarii adprobationem, in hunc censum tamquam suspecti referendi essent libri, qui non praeseferant Ordinarii adprobationem.

DE PROPOSITIONIBUS A S. SEDE DAMNATIS.

Cum censuris in haereticos latis et in legentes eorum libros connexionem habent censurae latae in docentes vel defendentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas.

In Constitutione, *Apostolicae Sedis*, de qua agimus, Romanus Pontifex sibi reservat non *speciali modo*, sed simpliciter excommunicationem latae sententiae « *in docentes vel defendentes sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae*, art. I pag. 16.

Ad plenius intelligendam relationem, quam propositiones a S. Sede damnatae habent cum haeretica doctrina: atque ad intelligendum discrimen quod intercedit inter propositiones haereticas et propositiones minori censura seu nota dignas, inter quas reperiri solent propositiones quae sub poena excommunicationis damnantur, expedit referre accura-

tam Theologorum doctrinam: atque seligam quae recens scripsit clarissimus Theologus Ioannes Baptista Franzelin in opere *de Divina traditione,* ubi post thesim XII *pag. 110* duo adiecit Scholia, atque, de obiecto authentici magisterii haec principia et corollaria tradidit, quae naturam et intrinsecum valorem propositionum damnatarum copiose illustrant.

« *Principium 2um.* Depositum christianae fidei stricto sensu acceptum complectitur ea omnia et sola, quae humano generi a Deo *explicite vel implicite* revelata sunt credenda, facienda, sequenda; seu quae manifestata sunt revelatione catholica (ad distinctionem a divinis revelationibus *privatis*) ad aeternam salutem humani generis.

» *Corollarium a*). In deposito fidei continentur tum doctrinae theoreticae (et in his etiam veritates, quae quatenus ratione cognoscibiles solent dici pertinere ad religionem naturalem); tum leges practicae (et in his etiam lex naturalis scripta in cordibus hominum ratione utentium): tum instituta quaedam perpetua et fundamentalia, ut sunt Ecclesia, eius potestas, eius forma regiminis etc.; *dogmatica, ethica, politica* (πολίτεια) revelata ac supernaturalis.

» *Corollarium b*). Solae veritates a Deo revelatae, quando sufficienter propositae sunt, possunt ac debent credi *fide divina;* quia haec est assensus propter auctoritatem Dei revelantis.

» *Corollarium c*). In deposito fidei possunt obiective contineri veritates, quae nondum sunt sufficienter propositae ita, ut omnes fide divina tamquam revelatas eas credere teneantur.

» *Principium 3um.* Cum veritatibus revelatis et sufficienter propositis connexa sunt et ad ea referuntur plura, sine quibus veritates illae ipsae revelatae vel non possent vel minus bene possent in tota sua amplitudine custodiri, explicari, defendi, licet illa in se vel simpliciter revelata non sint, vel nondum sufficienter proposita ad credendum fide divina.

» Huiusmodi sunt multa tum theoretica tum practica in triplici illo ordine, quem indicavimus, dogmatico, morali, et (ut ita loquar) constitutivo, ut veritates theologice certae e. g. de processione Spiritus sancti *per modum amoris* in connexione cum mysterio SS. Trinitatis; de sanctificatione humanitatis Christi *per dona etiam creata,* de visione eius beatifica a primo instanti existentiae, in connexione cum mysterio incarnationis etc. tum adiuncta quaedam complicita cum veritatibus revelatis, quando hae practice applicandae sunt, e. g. si quaeritur de genuino sensu textuum in determinatis libris, quatenus deposito fidei concordent vel opponantur; facta deinde per se historica, e. g. legitima celebratio determinati Concilii etc.; praeterea speciales quaedam dispositiones divinae providentiae ad meliorem statum et gubernationem uni-

versalis Ecclesiae pertinentes e. g. si quaeritur de opportunitate vel morali necessitate politicae independentiae et dominii temporalis in Summo Pontifice sub relatione ad gubernationem Ecclesiae etc.

» *Corollarium a*). Depositum fidei non solum negatione veritatis revelatae ac haeresi, quantum in ipsa est, violatur; verum etiam potest oppugnari et in animo fidelium periculis obiici per errores contra veritates in se non revelatas, sed tamen connexas cum revelatis et ideo theologicas seu religiosas.

» *Corollarium b*). Quamvis depositum fidei stricte sumptum non comprehendat nisi vera revelata, attamen *depositum custodiendum* in tota sua amplitudine cum omnibus suis munimentis et modis applicationis latius patet: – O Timothee depositum custodi, devitans *profanas vocum novitates* – 1 Tim. VI 20.

» *Principium 4um*. Cui a Christo commissum est munus infallibiliter custodiendi depositum et illud tuendi adversus errores ingruentes, eius auctoritas infallibilis sub promissa assistentia Spiritus sancti pertinet in primis ad custodiendas, proponendas, explicandas veritates, quae stricto sensu ipsum depositum fidei constituunt, nempe ad veritates revelatas, ac proinde ad arcendos errores his directe oppositos seu ad condemnandas haereses. Hoc est revelatum dogma fundamentale fidei catholicae; atque hinc eius negatio non solum haeresis est, sed etiam radix omnium haereseon.

» In hoc continetur atque inde immediate consequitur, infallibilitatem promissam ad custodiendum depositum extendi ad totam custodiendi depositi amplitudinem, hoc est ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent et ad earum custodiam, propositionem, explicationem, defensionem requiruntur. Haec infallibilitatis extensio omnibus theologis consentientibus veritas est theologice ita certa, ut eius negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit. Vide Card. de Lugo, *de Fide disp. XX n. 106–114;* Bañez, *2. 2. q. 11 a. 2. concl. 2;* Suarez, *de fide, disp. V sect. 6 n. 4, 5, 8; sect. 8 n. 4.*

» *Corollarium a*). Non solum veritatis revelatae sed etiam veritatis connexae quatenus ad revelatam refertur, definitio ab infallibili magisterio dari potest infallibilis; eademque ratione non solum condemnari haereses, sed etiam inferiores censurae ferri possunt auctoritate infallibili sub assistentia spiritus veritatis. Quod ergo doctrina non definitur tamquam in se revelata, seu quod errores non singillatim damnantur *nota haereseos;* sed vel nulla determinata censura vel censuris inferioribus vel *in globo* censuris pluribus proscribuntur: ob has causas per se spectatas sine gravi errore affirmari non potest, de-

finitionem non esse infallibilem aut non esse *locutionem ex cathedra*.

» *Corollarium b*). Constitutiones dogmaticas Concilii Constantiensis contra articulos Wicleffi et Ioannis Hus confirmante Martino V; Leonis X contra Lutherum, *Exurge;* Clementis XI contra Iansenianos, *Unigenitus* etc. ubi sub diversis censuris *in globo* propositiones damnantur, pariterque Constitutionem Pii VI contra Pistorienses, *Auctorem Fidei,* ubi singillatim propositiones plurimae proscribuntur inferioribus censuris, nemini catholico fas est negare esse definitiones infallibiles. Hoc autem consequens etiam aliunde certum vicissim demonstrat veritatem principii positi, quia sine illo ipsum consequens consistere non posset.

» *Corollarium c*). Qualitas quae propositioni competere *definitur,* illi infallibiliter competit eo sensu et modo, qui in definiendo intenditur. Unde qui putant e. g. *temerariam* dici propositionem, quae contra graves rationes et contra gravem auctoritatem sine sufficienti fundamento asseritur, ii etiam aiunt, hanc qualitatem non autem per se falsitatem propositionis in censura *temeritatis* definiri. Hoc idem, non definiri *falsitatem,* sed aliam damnabilem qualitatem propositionis, eo magis affirmant quoad censuras, quibus notantur propositiones *scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae.* Vide Card. de Lugo, *de fide disp. XX n. 114;* Canum, *l. XII c. 11 ad finem.* Certe quando Concilium Viennense – opinionem (de infusione gratiae et virtutum in parvulis) *tamquam probabiliorem* duxit eligendam – haec per se non est definitio veritatis, sed solum maioris probabilitatis (cf. de Lugo l. c. n. 115–129).

» *Corollarium d*). Infallibilitas Ecclesiae et Pontificis Romani creditur fide divina propter auctoritatem Dei revelantis; sententia, quae per infallibilem definitionem Ecclesiae vel Pontificis proponitur ut vera, non tamen ut revelata, creditur propter revelatam auctoritatem proponentis. Unde eam quam aliqui appellant fidem *ecclesiasticam,* possumus dicere fidem *mediate divinam.*

» *Principium 5um*. Si Ecclesia est infallibilis in custodiendo deposito fidei saltem stricte sumpto, ac proinde in declarando vero sensu dogmatum revelatorum; eo ipso est infallibilis in iudicio de vero sensu, de intensione et extensione suae propriae auctoritatis et infallibilitatis seu, quod idem est, in iudicio de conditionibus et de obiectis, in quibus sibi divino iure competat auctoritas et promissa sit assistentia spiritus veritatis. Haec enim auctoritas et infallibilitas profecto est dogma revelatum.

» *Corollarium*. Contradictionem involvit admittere infallibilitatem Ecclesiae in dogmatibus revelatis, et simul auctoritatem definitionis quae supponatur actu existens, negare eo, quod res definita non sit dogma fidei.

» *Principium 6um*. Sicut ex ipsius

revelationis principiis ut ab Ecclesia intelliguntur et declarantur, certum est, ad eius infallibile magisterium pertinere veritates et eius infallibili iudicio subiici errores solum in ordine ad custodiendum depositum religionis christianae, atque ad eam in fidelibus tuendam et promovendam; ita aeque certum est, in plerisque scientiis ut ab hominibus ex principiis mere naturalibus et ex fontibus non revelatis excoluntur et excolendae sunt, in philosophia potissimum tum theoretica tum practica, in historia, geologia, ethnographia etc. reperiri veritates, quae simul sunt revelatae vel cum revelatis connectuntur. Ratio est, quia revelatio continet non tantum veritates superrationales, sed multas ratione quoque et ex fontibus naturalibus cognoscibiles; seu aliis verbis, quia revelatio et disciplinae naturales in multis obiectum (materiale) habent commune. Pariter evidens est, in hisce disciplinis non quidem recto usu sed abusu rationis et ignorantia (1) posse statui hypotheses tamquam principia, et posse deveniri ad conclusiones, quae veritatibus revelationis, sive per se rationabilibus, sive superrationabilibus, vel simpliciter vel secundum aliquid adversentur, quae proinde (quia verum vero contradicere nequit) contineant errores ex principiis revelatis cognoscibiles et damnabiles.

» Magisterium itaque Ecclesiae huiusmodi veritates docet et de huiusmodi erroribus iudicare potest infallibiliter non docendo scientias humanas ex propriis earum principiis, sed iudicando ex suis principiis (2). Quare Ecclesia infallibilis numquam iudicat, et vi promissae infallibilitatis neque potest umquam Spiritus sanctus permittere, ut *definiendo* iudicet sive de veritatibus sive de erroribus, nisi in ordine ad depositum custodiendum et ex munere divinitus iniuncto custodiae depositi.

» *Corollarium a*). Quamvis philosophia et ceterae disciplinae naturales principiis suis propriis nitantur, quae cognoscuntur vel quatenus cognoscuntur non ex revelatione et ex magisterio authentico Ecclesiae, sed ratione et ex fontibus naturalibus; magisterium tamen Ecclesiae potest et vero debet ex principiis revelationis praemonstrare errores

(1) « Sicut sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est, quod ea quae sunt philosophiae, sint contraria iis quae sunt fidei... si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis » S. Th. in Boëth. Trin. Prolog. q. 2 a. 3. (Nota Auctoris).

(2) « Propria huius scientiae (Theologiae) cognitio est, quae est per revelationem non autem quae est per naturalem rationem (obiectivam). Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis reperitur veritati huius scientiae repugnans, totum condemnatur » ut falsum » S. Th. 1 q. 1 a. 6 ad 2. (Nota Auctoris.)

cavendos, qui integritati et incolumitati depositi custodiendi adversantur. Catholici ergo scientiarum cultores hanc normam prae oculis habeant oportet ex praescripto rationis, ne incidant in errores; ex praescripto fidei, ne incidant in errores contrarios veritatibus fidei.

» *Corollarium b*). Qui se profitentur catholicos, adeoque agnoscunt authenticum Ecclesiae magisterium, et nihilominus affirmant, philosophiam modo declarato subiectam non esse huic normae, per eandem impediri progressum scientiae, Ecclesiam debere relinquere philosophiae ut suos errores ipsa corrigat (Syllab. Pontific. prop. X. XI. XII. XIV); ii postulant libertatem ad errores amplectendos per philosophiae abusum, et negant Ecclesiae ius ac officium prospiciendi integritati ac sanitati doctrinae fidei. Vide Concilium Vaticanum Constit. *de Fide cap. 4 can. 2.*

» *Principium* 7). Sancta Sedes Apostolica cui divinitus commissa est custodia depositi, potestas pascendi universam Ecclesiam ad salutem animarum, potest sententias theologicas vel quatenus cum theologicis nectuntur praescribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas, non unice ex intentione definitiva sententia infallibiliter decidendi veritatem, sed etiam absque illa ex necessitate et intentione vel simpliciter vel pro determinatis adiunctis prospiciendi *securitati* (1) doctrinae catholicae. In huiusmodi declarationibus licet non sit doctrinae *veritas infallibilis,* quia hanc decidendi ex hypothesi non est intentio; est tamen *infallibilis securitas.* Securitatem dico tum obiectivam doctrinae declaratae (vel simpliciter vel pro talibus adiunctis), tum subiectivam quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est nec absque violatione debitae submissionis erga magisterium divinitus constitutum fieri potest, ut eam amplecti recusent.

» *Corollarium a*). Auctoritas magisterii a Christo instituti in Ecclesia, quoad rem de qua nunc agimus, dupliciter spectari debet: α) ut in singulis actibus est sub assistentia Spiritus sancti ad infallibilem definitionem veritatis seu ut est *auctoritas infallibilitatis;* β) velut extensive, ut magisterium idem agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen tota eius intensione (si ita loqui fas est) nec ultimatim definiendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae, quam possumus forte dicere *auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae.*

» *Corollarium b*). *Auctoritas in-*

(1) Non coincidere haec duo, infallibilem veritatem et securitatem, manifestum est ex eo, quod secus nulla doctrina probabilis aut probabilior posset dici sana et secura. (Nota Auctoris.)

fallibilitatis non potest a Pontifice communicari aliis veluti suis ministris et suo nomine agentibus. Si quando igitur definitio infallibilis editur per aliquam sacram Congregationem Romanam; Congregatio ipsa solum se habet per modum consulentis et ministerialiter promulgantis, definiens autem est solus Pontifex. Debent ergo hic occurrere ea indicia, quibus supra diximus intentionem Pontificis manifestam reddi (1).

» *Auctoritas universalis providentiae ecclesiasticae,* ut eam appellavimus, non quidem independens sed cum dependentia a Pontifice, communicabilis est et ab ipso Pontifice communicatur maiori vel mi-

(1) Agens Auctor de subiecto infallibilitatis, quod est tum visibile Caput Ecclesiae per se spectatum, tum hoc ipsum visibile Caput velut componens et informans corpus Ecclesiae docentis, quae ipsamet sic constituta est infallibilis per assistentiam Spiritus Sancti, duo corollaria inter cetera constituerat, quorum unum ita se habet.

« Secundum ipsius Concilii Vaticani declarationem Pontifex dicitur *loqui ex cathedra* cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit. Neque enim *cathedra apostolica* aliud est, quam supremum authenticum magisterium, cuius definitiva sententia doctrinalis obligat universam Ecclesiam ad consensum. Intentio haec *definiendi* doctrinam, seu docendi definitivâ sententiâ et auctoritate obligante universam Ecclesiam ad consensum *debet esse manifestata et cognoscibilis claris indiciis.* Non tamen essentialis est forma aliqua determinata, quam Pontifex adhibere debeat ad hanc suam voluntatem manifestandam. Quamvis enim sint modi aliqui solemnes, qui ex sese exprimunt *locutionem ex cathedra* et quibus proinde Pontifex numquam utitur nisi loquendo ex cathedra, cuiusmodi sunt Bullae dogmaticae: haec tamen forma non est essentialis et exclusiva ita, ut sine illa Pontifex tamquam omnium Christianorum Pastor et Doctor definire doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam eique oppositos errores eodem hoc modo damnare, atque hanc suam voluntatem manifestam reddere non possit. »

Alterum autem subsequens corollarium ita se habet. « In ipsis documentis Conciliorum et Pontificum, quibus certissime propositum est edere *definitiones* doctrinae, possunt et solent contineri plura, quorum definitio non intenditur, ut sunt obiter vel incidenter dicta, quae indirecte enuntiari solent; plerumque etiam argumenta allata ad probationem ipsius definitivae sententiae etc. Haec licet gravem habeant auctoritatem, non tamen sunt definitiones infallibiles.

» Pariter possunt esse et sunt Pontificum documenta publica, quibus circa doctrinam de fide vel moribus aliqua monere, suadere, reprehendere, prohibere propagationem alicuius sive opinionis sive erroris propositum est, quin intendant definitivam sententiam edicere, qua adstringatur tota Ecclesia; eoque ipso non est locutio ex cathedra. *Iterspondent enim saepe Pontifices ad privatas huius aut illius Episcopi quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum.* Melch. Canus *l. 6 c. 8 ad 7.* In hunc censum merito referuntur e. g. duae epistolae Honorii I. ad Sergium Constantinopolitanum (quae tamen nullimode habent sensum haereticum). Dubium oriri posse de quibusdam documentis Pontificum, utrum contineant locutionem ex cathedra et *definitionem* doctrinae, non negamus; sed hoc idem accidit quandoque etiam circa documenta Conciliorum, cuius rei exemplum habemus in diversis sententiis, quae fuerunt et inter aliquos adhuc sunt de *Instructione pro Armenis* edita in Concilio Florentino, utrum quae ibi docentur nominatim de materia et forma Sacramentorum sint definitiones dogmaticae, an solum instructiones in praxi observandae. Si quando huiusmodi dubia incidunt, recte monent theologi *in hac re diiudicanda multum valere tum virorum sapientum iudicium tum (multo magis) Ecclesiae sensum et consensum,* Tanner, *de Fide q. 4 dub. 6. n. 262.* »

nori extensione quibusdam SS. Congregationibus Cardinalium.

» *Corollarium c*). Falsum est, auctoritatem propter quam debeatur assensus intellectus, solam esse auctoritatem Dei revelantis seu Ecclesiae vel Pontificis infallibiliter definientis; sunt enim gradus assensus religiosi multiplices. In praesenti distinguendus est assensus *fidei proprie et immediate divinae* propter auctoritatem Dei revelantis; assensus fidei quam supra diximus *mediate divinam* propter auctoritatem infallibiliter definientis doctrinam ut veram non tamen ut revelatam; assensus *religiosus* propter auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae in sensu declarato.

» Hanc ipsam doctrinam Summus Pontifex Pius IX in litteris scriptis 21 Decembris 1863 ad archiepiscopum Monachiensem, quarum initium est, *Tuas libenter accepimus*, clarissime exposuit: « Persuadere nobis volumus, noluisse *(eos, qui conventui litterario Monachiensi adfuerant)* obligationem, qua catholici Magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur... Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur *de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur*, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem Conventus viri agnoscere debent, *sapientibus Catholicis haud satis esse, ut praefata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.* »

» Porro *auctoritas universalis providentiae ecclesiasticae*, quam diximus, licet per se primo in nulla alia persona singulari resideat, quam in Pastore totius Ecclesiae; providentia tamen *particularis* subordinata Summo Pastori competit etiam singulis Episcopis in suis dioecesibus. Immo in foro interno et in ordine ad directionem vitae spiritualis suo modo competit Directoribus anima-

rum, quod forte exemplum, sicut universim consilium evangelicum obedientiae non modo voluntatis, sed etiam intellectus, magis obvium est ad declarandum modum, quo infallibilitas praecipientis non sit conditio necessaria, ut subiectio et obedientia intellectus praestari queat.

» *Corollarium d*). Auctoritas infallibilitatis et supremum magisterium Pontificis definientis omnino nihil umquam pertinuit ad causam Galilaei Galilaei, et ad eiurationem opinionis ipsi iniunctam. Non solum enim nulla vel umbra definitionis Pontificiae ibi intercessit, sed in toto illo Decreto Cardinalium S. Officii et in formula eiurationis ne nomen quidem Pontificis unquam sive directe sive indirecte pronunciatum reperitur. Legi possunt documenta descripta in Ioannis Bapt. Riccioli *Almagesto Novo, p. 2 l. 9 sect. 4 c. 40 pag. 496 seqq.* Attamen in illo statu quaestionis et re nondum eliquata, cum systematis astronomici veritas minime adhuc probata nullum praeberet fundamentum loca Scripturae in alio, quam in obvio sensu interpretandi, ipsique in physicis ac astronomicis pro ea aetate homines doctissimi ut Tycho Brahe, Alexander Tassonus, Christophorus Scheiner, Antonius Delphinus, Iustus Lipsius (vide Ricciolium l. c. p. 495) Galilaei opinionem iudicarent contrariam Scripturis, pertinebat omnino ad *auctoritatem providentiae ecclesiasticae* cavere, ne quid detrimenti caperet interpretatio Scripturae per coniecturas et hypotheses plerisque tum temporis visas minime verosimiles. Non examen doctrinae institutum est ad eius *definitionem* pro universa Ecclesia (1), de quo nemo cogitabat; sed habitus processus criminalis anno 1633, secundum quem pro illis adiunctis non potuit aliud iudicari, quam quod in finali iudicum sententia continetur... Vide Revue des sciences Ecclésiastiques, *2e Serie tom. 3 p. 105 seqq. 217 seqq.* »

Hactenus clarissimus Theologus de obiecto authentici magisterii ad infallibilem custodiam, explicationem et defensionem depositi adversus ingruentes errores.

Post haec gradum fecit ad declarandam significationem censurarum seu notarum, quibus propositiones veritati doctrinae repugnantes sive authentice a potestate ecclesiastica condemnari sive scientifice a doctoribus designari solent.

« In Concilio Constantiensi (sic auctor) sess. VIII et XV ac in Bulla confirmationis Martini V damnati sunt 45 articuli Ioannis Wicleff et 30 Ioannis Hus sub hisce censuris: articuli *notorie haeretici et a SS. Patribus reprobati, alii non catholici sed erronei, alii scandalosi et blasphemi, quidam piarum aurium offensivi, nonnulli temerarii et seditiosi.* Censurae autem hae non singulae sin-

(1) Haec auctor ostendit adducens in nota testimonia testium eius aetatis omni exceptione maiorum; quae, quum minus ad rem nostram pertineant, brevitatis causa omittimus.

gulis propositionibus appositae sunt, sed adiectae toti elencho (ut aiunt) *in globo,* ita ut nulla esset propositio, cui aliqua ex enumeratis notis non conveniret, et nulla posita esset nota, quae ad aliquam ex iis propositionibus non pertineret. Hanc formam summi Pontifices, ubi multae simul propositiones damnandae erant, deinceps plerumque servarunt, ita Leo X in ipsa Bulla, *Exurge,* contra Lutherum, Gregorius XIII et Pius V contra Baium, Innocentius XI contra Michaelem Molinos pseudomysticum, Alexander VIII contra 31 propositiones Ianseniauorum, Innocentius XII contra 23 propositiones ex libro Fenelonii (quarum tamen nulla damnata ut haeretica), Clemens XI contra 101 propositiones Quesnelli (in Bulla, *Unigenitus*) etc. In Bulla dogmatica, *Auctorem fidei,* ad praecidendas Iansenianorum fraudes Pius VI doctrinae capitibus Pistoriensium apposuit singulis singulas censuras.

» Quoad significationem diversarum notarum in primis considerandum est, quae dicantur propositiones *haereticae, erroneae, temerariae,* quia hae censurae frequentissime occurrunt et iis determinatis ceterae facilius intelliguntur.

» *a) Haeretica* est propositio, quae *certo* opponitur (sive contrarie sive contradictorie) veritati, de cuius revelatione sufficienter in Ecclesia proposita *certo* constat. Duo ergo requiruntur et *revelatio* et *sufficiens in Ecclesia propositio*, ut doctrina opposita sit haeretica. Non enim sufficit ut veritas contineatur in obiectiva revelatione, quamdiu satis proposita non est; secus propositio in dubium revocans e. g. auctoritatem supremam aliquot librorum deuterocanonicorum semper etiam iam IV saeculo, negans immaculatam Beatae Virginis conceptionem iam ante solemnem definitionem haereticâ fuisse dici deberet. Qui modus loquendi, et quia odiosus est, consultius vitatur, et reipsa verus non est, quia haeresis includit notionem oppositionis contrà professionem, de qua in Ecclesia certo constet. Quamvis si talis propositio contraria veritati revelatae sed nondum satis propositae, diceretur *materialiter non formaliter haeretica,* lis tota fere esset de modo loquendi. Non tamen requiritur ad hanc propositionis censuram, ut ipsi auctori de revelatione constet. Non enim hic agitur de peccato haereseos sed de propositione in se haeretica, ad cuius rationem bona fides auctoris nihil refert. Unde possunt damnari et saepe damnantur propositiones ut haereticae, quae non tum primum incipiunt esse sed iam ante erant tales, quin ideo auctor criminis haereseos necessario reus sit aut esse declaretur. Vice versa is, cui satis constat de revelatione veritatis licet nondum universaliter satis propositae ut omnes credere teneantur, potest negando committere peccatum contra fidem, quin propositio negationem enuntians sensu declarato sit in foro externo haeretica et censura haereseos afficienda.

» Per se patet et ex superioribus constat, ad eos qui sunt authentici doctores et iudices in doctrina fidei pro universa Ecclesia, ad summum Pontificem et ad oecumenicum Concilium pertinere munus definiendi doctrinam in revelatione contentam, quae tamen hactenus non fuerit satis proposita. In tali definitione sane continetur sufficiens et omnium clarissima propositio fidei pro universa Ecclesia, et hoc ipso continetur vel (plerumque) explicite additur censura haereseos contra doctrinam oppositam, quae hactenus in sensu formali quem diximus, haeretica non fuerat.

» De exposita ratione primae illius censurae inter omnes convenit, saltem ad rem ipsam quod spectat; magna vero est sententiarum diversitas, ubi reliquarum censurarum non solum generica sed stricta et specifica notio declaranda est. Generice quaevis propositio falsa est *erronea*, atque adeo in re theologica de qua in censuris sermo est, omnis propositio repugnans veritati theologicae de qua satis constet, ac proinde in supremo gradu etiam haeresis continet *errorem;* et omnis propositio haeretica ac dicto sensu erronea est etiam saltem in se (praescindendo ab animo proferentis) *temeraria*. At usu Pontificum et exinde usu theologorum utraque posterior censura ab haeresi, et propositio *temeraria* ab *erronea* distinguitur ut gradus inferior a gradu superiori. Unde ulterius tam *erronea* quam *temeraria* propositio est damnabilis et sub his notis damnatur, quatenus modo aliquo opponitur veritati theologicae, non tamen ita ut *certo* opponatur veritati, quae *certo* sit vel definiatur esse veritas fidei, sed gradu aliquo inferiori; et censura quidem *temerariae* propositionis est iterum inferior et minus gravis prae nota *erroris*. Iam in determinatione propriae specificae notionis, qua utraque censura ab aliis omnibus distinguatur, simul conferendo theologorum diversas theorias et maxime praxim, ut eas adhibent, et ut potissimum ab ipso summo Pontifice adhibitae sunt in Bulla *Auctorem fidei,* haec quae subiicimus satis constant.

» *b*) Propositio *erronea* est propositio repugnans doctrinae Theologicae, quae vel in Ecclesia universaliter docetur et retinetur vel definitur ut certa et saltem intime nexa cum doctrina fidei, non tamen proponitur tamquam doctrina in se revelata et proinde *de fide*. Ratio itaque propria *erroris* desumitur ex ratione propria veritatis oppositae. Huius autem notae sunt altera *positiva,* videlicet certitudo ex universalitate consensus ut in propositionem theologice certam, et ex intimo saltem nexu cum doctrina fidei; altera *negativa,* quod doctrina non proponitur et praedicatur ut certo revelata ac *de fide*. Nota *positiva* inservit ad hanc censuram *erroris* distinguendam ab aliis inferioribus, ut postea constabit; nota *negativa*

hanc distinguit a superiori, h. e. a censura propositionis *haereticae* (1). Ratio porro cur licet universaliter teneatur ut certa, non tamen censeatur esse simpliciter *de fide*, potest esse duplex: vel quia non satis constet consensum esse non solum ut in propositionem veram, sed etiam ut in propositionem revelatam et de fide credendam; atque ideo antequam de illa definitio Ecclesiae existat, theologi generatim fateantur non posse dici simpliciter *de fide:* vel quia est conclusio theologica deducta ex una quidem propositione revelata, et ex altera aliunde vel theologice vel lumine rationis certa. Igitur censura propositionis *erroneae* comprehendit tum eam quae ita, ut dictum est, opponitur *conclusioni theologice* certae, cuiusmodi praeter alias potest censeri e. g. XXII damnata in Bulla, *Auctorem fidei;* tum eam, quae opponitur doctrinae ex universali consensione et praedicatione indubitanter tenendae ut verae, quae tamen non simpliciter et certo tamquam *de fide* proponitur, ut esset exempli causa X, quae in eadem Bulla dicitur *ad minus erronea*. Doctrina ita, ut ultimo loco diximus, proposita plerumque est proxima fidei et propositio ei opposita dicitur *proxima haeresi*. Unde apparet, omnem propositionem *proximam haeresi* esse etiam *erroneam,* non tamen omnem propositionem affectam censura *erroris* esse etiam *proximam haeresi;* latius enim patet censura *propositionis erroneae,* quam *proximae haeresi*.

» *c*) Nota *temeritatis,* ut diximus, est inferioris gradus, quam praecedens censura *erroris*. Propositio *in directo suo sensu temeraria,* debet repugnare alicui doctrinae theologicae non solum probabili, sed communi ita, ut eam negare fas non sit. Quia est censura inferioris gradus quam *error,* propositio *temeraria* compa-

(1) « Diligenter animadvertendum est magnum discrimen inter authenticos iudices de doctrina (Concilium seu Pontificem) et inter privatos doctores. Posteriores hi solum scientifice possunt determinare gradum censurae seu de eo opinionem edicere, et in hoc suo iudicio (nisi censura iam authentice fixa sit) habent pro norma eas notas, de quibus in textu loquimur. Ecclesia vel Pontifex, ut iudex authenticus, in examine quidem praemittendo definitioni (de quo alibi dicemus) habet etiam prae oculis illas notas; sed in ferendo iudicio est sub assistentia Spiritus sancti, ita ut ab hac assistentia non vero ab examine praemisso, immo neque necessario a veritate fundamentorum, quibus forte movetur, pendeat ultimi iudicii et definitionis veritas ac infallibilitas.

» Unde authentice definiendo gradum censurae, hoc ipso definit, gradum certitudinis in doctrina opposita *saltem* illum esse, qui respondeat censurae definitae; quamvis e. g. in censura propositionis *erroneae* consensus ille manifestans errorem, de quo diximus in textu, vel nexus cum doctrina revelata hactenus nondum satis fuisset cognitus. Censura enim ipsa fertur ab Ecclesia ad manifestandum hunc nexum et gradum certitudinis. Dixi gradum certitudinis *saltem* definiri eum, qui respondeat censurae. Ubi enim non declaratur censura suprema *haereseos*, aliquando Ecclesiae satis est definire gradum, qui *saltem* sit certus ac tenendus, ut patet ex pluribus propositionibus Pistoriensium, quae damnantur velut *ad minus erroneae*, et ex declaratione Concilii Viennensis de infusione gratiae et virtutum in parvulis, si conferatur cum doctrina Conc. Tridentini *sess. 6 c. 7.* » (Nota laudati Auctoris.)

rata cum *erronea* erit in minus directa oppositione contra veritatem, vel opposita veritati minus stricte nexae cum doctrina fidei. Quia hoc *plus* et *minus* morali aestimatione et theologica prudentia diiudicandum est, nihil mirum, quod theologi, nisi forte Ecclesia ipsa definierit gradum, fere fluctuent inter duas has censuras, et propositiones easdem, quas alii dicunt erroneas, alii appellant temerarias, atque etiam coniungere soleant utramque ita, ut dicant propositionem *esse erroneam vel saltem temerariam*. Erit itaque propositio in *suo sensu directo temeraria*, quae vel repugnat doctrinae theologicae universaliter et constanter apud pios et doctos receptae tamquam tenendae ex gravibus fundamentis auctoritatis et analogiae fidei (quo e. g. pertinet XLI Pistoriensium), vel aliquid affirmat contrarium approbatis in Ecclesia institutis ac consuetudini licet in se non revelatis (ut essent XXVII, XXXI, LIV ibidem). Praeterea propositio potest esse *temeraria modaliter* eo, quod inique damnat doctrinam probabilem vel probabiliorem; sic ut *temeraria* declarata est propositio XXVI Pistoriensium, qua explodunt doctrinam de *limbo puerorum* velut *fabulam Pelagianam*.

„ Quoniam una propositio potest pluribus modis veritati opponi, hinc potest et solet eadem una affici pluribus distinctis censuris. Si quando tamquam *temerariae* simul et *erroneae* sententiae damnantur (ut plures propositiones in citata Constitutione, *Auctorem fidei*, X, XLVII, LXIV, LXXVII, LXXVIII), notandum est, quod supra monuimus de significatione magis generica *temeritatis*, qua utique propositio omnis haeretica et erronea potest dici simul *temeraria*. Postremo per se patet, ubi de censuris theologicis agitur, non intelligi temeritatem solum subiectivam, quae opponitur prudentiae et consilio, quo sensu temere dicitur, quidquid dicitur tumultuarie sine necessaria consideratione et perspecta ratione.

„ *d*) Longe facilius determinatur propria significatio aliarum censurarum, quae cum praedictis connectuntur, et sunt veluti intermediae. *Haeresim sapiens* propositio dicitur, quae grave praebet fundamentum iudicandi, eam cohaerere cum principio haeretico et profectam esse ex sententia haeretica auctoris; *suspecta de haeresi*, quae habet aliquid praeposterum ita, ut rationabilem pariat suspicionem implicitae haereseos. Facile patet, posse simul cum his duabus notis *saporis et suspicionis haereseos* coniungi strictiorem determinationem modi, quo sententia opponitur veritati; sic utraque Pistoriensis XXII et XXVIII dicitur *suspecta de haeresi, eamque sapiens, et erronea*. Propositio *male sonans* est, quae licet significatione minus usitata verborum sensum aliquem admittat innocuum, in significatione tamen communi verborum continet aliquid contrarium sanae doctrinae,

quin ex contextu et adiunctis temporis, personae et rerum ad sensum innocuum determinetur. Unde quisque videt, propositionem *male sonantem* facile posse simul esse subiectam aliis censuris (vide Pistoriens. XLIV, LXV); et intelligitur praeterea, propositionem aliquam, quae aliquando nondum fixa terminorum significatione vel alia significatione verbis adhaerente, erat innocua, nunc posse esse *male sonantem*. Propositio *piarum aurium offensiva* est quae repugnat communi fidelium existimationi» (ita Kilber tract. de fide n. 228). Notae aliae: propositio *schismatica, in schisma inducens, seditiosa, blasphema, impia, scandalosa, perniciosa, iniuriosa, captiosa* etc. si qua explicatione indigent, legi possunt declaratae penes theologos. Vide Canum *l. 12 c. 11;* Suarez, *de Fide, disp. 19 sect. 2;* Card. de Lugo, *de fide disp. 20 sect. 3;* Henr. Kilber (inter Theologos Wirceburgenses) *de fide, ad calcem etc.»*

Haec quae doctissimus theologus exposuit (1) non omnia ad rem nostram pari modo faciunt. Declarantes enim articulum enunciatum in Constitutione *Apostolicae Sedis* non quaerimus de propositionum damnatarum infallibilitate, neque in hoc articulo solliciti multum sumus de propositionibus nota haereseos damnatis aut alia inferiori nota.

Quamquam enim propositiones, de quibus agimus, sub poena excommunicationis doceri, defendi sive publice sive privatim prohibeantur, non sequitur eas omnes tamquam infallibiter falsas esse damnatas.

Ut enim praeclare Auctor superius animadvertit *pag. 153 in Princ. 7 et seqq*. Sancta Sedes potest sententias theologicas vel quatenus cum theologicis nectuntur praescribere ut sequendas, vel proscribere ut non sequendas non unice ex intentione definitivâ sententiâ infallibiliter decidendi veritatem, sed etiam sive simpliciter sive pro determinatis adiunctis prospiciendi securitati.

Immo videtur mihi, propositiones, quae sub poena excommunicationis damnari solent, quae illae plerumque sunt, quae aliqua relatione referuntur ad depositum veritatum revelatarum sub secundo vel tertio ordine comprehensarum *p. 149* §. *Huiusmodi,* idest in ordine morali et constitutivo, ea saepius intentione damnari ut securitati doctrinae prospiciatur. Quod ad illud consuetum auctoritatis genus pertinet, quod Auctor *universalis providentiae ecclesiasticae* appellavit: haec quidem auctoritas cum dependentia a Romano Pontifice potest aliis communicari et reapse communicatur nonnullis sacris Cardinalium Congregationibus, quae de re-

(1) Confer quoque Theses de infallibilitatis extensione quas theologorum iudicio subiecit clarissimus Anglus philosophus Gulielmus Ward, quas excripsi et integras exposui in latinis ephemeridibus *Acta, Vol. IV pag. 618.* Hae theses, quae exhibent doctrinam fere conformem cum ea quam exposui, tamquam fundamentum habent, id quod theologus professor Franzelin magis explicite tradidit in *principio quinto, pag. 154.*

bus doctrinalibus possunt iudicare, ut est ex. gr. S. Congregatio universalis Inquisitionis et S. Congregatio Indicis librorum prohibitorum vel etiam S. Poenitentiaria.

Ieque in articulo de quo agimus solliciti multum sumus de propositionibus nota haereseos damnatis, vel inferiori aliqua nota. Propositiones enim explicita nota haereseos, proprio sensu accepta uti assolet, a Romano Pontifice damnatae haereticum hominem faciunt qui eas pertinaciter profiteatur; ideoque talis homo comprehenderetur sub primis Constitutionis articulis, qui de haereticis agunt.

Hic quaeri potest; an ille, qui publice vel privatim pertinaciter doceret vel defenderet aliquam propositionem a S. Sede damnatam et aliqua censura haeresi inferiori notatam ex. gr. ut *proximam haeresi*, incideret in excommunicationem aliquam sive articuli I de quo agimus *pag. 16*, sive articuli *I pag. 8*. de haereticis agentis.

Respondeo: ex hac unica causa nec in unam nec in alteram excommunicationem incideret: non in primam, quia non doceret propositionem sub excommunicationis poena damnatam: non in alteram, quia non tamquam haereticam damnatam. Esset tamen de haeresi suspectus, et contra eum in foro externo procedi posset, sicut procedendum est contra suspectos de haeresi. In foro autem interno absolvi non posset si suum pertinacem errorem non reprobaret et scandalo reparando consulere nollet (1).

Idem fere repete, maxime si de foro interno agatur, de aliis propositionibus inferiori censura notatis vel etiam de propositionibus damnatis sine aliqua designata nota.

Non enim cum Dei Ecclesia sentit qui cum Cathedra Petri non sentit: et ab integrifate unitatis fidei iam divertere videtur, qui ea quae fidei sunt admittens, ceteris vero, quae ad eiusdem fidei unitatem servandam fideique depositum rite custodiendum a supremo magisterio infallibiliter definita sunt, intellectum captivare contemnat. Vel a reali obsequio ex divino praecepto in supremum divinitus constitutum magisterium praestando recedit, qui ea tantum admittens quae fidei sunt vel ea quae certo noscat infallibiliter definita, reliqua vero admittere recuset.

Quaeri potest, an sub nomine propositionum ab Apostolica Sede sub poena excommunicationis damnatarum comprehendantur illae propositiones et doctrinae capita explicite designata et damnata in pro-

(1) Dixi *ex hac unica causa:* namque qui doceret propositiones a S. Sede damnatas nota haeresis inferiores vel etiam nulla nota, posset id agere tamquam haereticorum fautor aut itamquam credens eorum erroribus; quod ex adiunctis est iudicandum, ut in casu haeresis insurgentis vel exortae et non satis extinctae. Tunc enim talis docens in excommunicationem incideret ex alia causa, idest quia haereticorum fautor aut eorum erroribus credens.

hibendis libris sub poena excommunicationis, ut ex. gr. fecit Gregorius XVI in damnandis quinque libellis Germanicis, *vid. p. 120 et 121:* vel ut fecit SSmus Pater in damnando libro Ioannis Nuytz; *vid. pag. 125 et seq.*, et in damnando altero libro Francisci de Paula; *vid. pag. 122* (1): et si de paullo vetustioribus propositionibus agatur, ut fecit Innocentius XII in Constitutione, *Cum alias,* die 12 Martii 1699, damnans tres et viginti propositiones, quae sub obtentu amoris erga Deum purissimi in

(1) De huius damnati libri doctrina sic Pontifex est locutus. « Auctor enim, licet catholicus ac divino ministerio, ceu fertur, mancipatus, ut indifferentismum ac rationalismum, quo se infectum prodit, securius ac impune sequatur, denegat. Ecclesiae inesse potestatem dogmatice definiendi, Religionem Ecclesiae catholicae esse unice veram Religionem, docetque cuilibet liberum esse eam amplecti ac profiteri Religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit: legem caelibatus impudenter aggreditur et Novatorum more statum coniugalem anteponit statui virginitatis: potestate qua Ecclesia donata est a suo divino Institutore, stabiliendi impedimenta Matrimonium dirimentia a Principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat: Ecclesiae et personarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, a iure civili ortum habuisse asserit, nec illum pudet defendere maiori aestimatione et obsequio prosequendam esse domum Oratoris alicuius Nationis quam templum Dei viventis: gubernio laico attribuit ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: suadere nititur iis, qui clavum tenent publicarum rerum, ne obediant Romano Pontifici in iis, quae Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem: Reges aliosque principes qui per Baptismum facti sunt membra Ecclesiae subtrahit ab eiusdem Ecclesiae iurisdictione non secus ac Reges paganos, quasi Principes Christiani in rebus spiritualibus et ecclesiasticis non essent filii ac subditi Ecclesiae: imo coelestia terrenis, sacra profanis, summa imis monstruose permiscens, docere non veretur, terrenam potestatem in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiorem esse Ecclesia, quae columna est et firmamentum veritatis: tandem ut alios quamplures omittamus errores, eo audaciae et impietatis progreditur, ut Romanos Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recessisse, iura Principum usurpasse, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errasse infando ausu contendat.

» Quamquam vero tot ac tanta in eodem Opere contineri errorum capita cuique facile innotescat; attamen Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes mandavimus ut in Nostra Universalis Inquisitionis Congregatione praefatum opus in examen adduceretur, ac postea eiusdem Congregationis iudicium Nobis referretur. Porro Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Inquisitores Generales, praevia eiusdem Operis censura et perpensis Consultorum suffragiis, memoratum opus tamquam continens *doctrinas et propositiones respective scandalosas, temerarias, falsas, schismaticas, Romanis Pontificibus et Conciliis oecumenicis iniuriosas, Ecclesiae potestatis, libertatis et iurisdictionis eversivas, erroneas, impias et haereticas* damnandum atque prohibendum censuerunt.

» Hinc Nos audita praedictorum relatione, et cunctis plene ac mature consideratis, de consilio praefatorum Cardinalium atque etiam motu proprio ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratum opus, in quo *doctrinae ac propositiones*, ut supra notatae, continentur, ubicumque et quocumque alio idiomate, seu quavis editione aut versione huc usque impressum vel in posterum, quod absit, imprimendum tenore praesentium damnamus et reprobamus, atque legi ac retineri prohibemus, eiusdemque operis impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere queat, omnino interdicimus. »

Galliis docebantur. Vide *textum* formulae damnationis superius *pag. 119* §. *Neque.*

Respondeo: eiusmodi damnatae propositiones non videntur comprehendi sub articulo de quo agimus: namque illae doctrinae et propositiones in singulis litteris Apostolicis non sunt immediate et directe damnatae sub poena excommunicationis: sed damnati sunt libri sub poena excommunicationis, propter eas doctrinas et propositiones: quare poena excommunicationis non afficit immediate et directe ipsas doctrinas et propositiones, sed afficit immediate et directe libros, qui eas contineant. Ideoque non videntur numerandae in censu earum propositionum, quae in hoc articulo indicantur.

Praeterea, documentis ecclesiasticis inspectis quae de propositionibus damnatis agunt, alia sunt quae immediate et directe damnant propositiones recensitas sive eas afficiant aliqua nota sive non: alia sunt quae directe et immediate damnant propositiones et adiiciunt insuper poenam excommunicationis latae sententiae in eos qui eas doceant vel defendant: alia denique sunt, quae damnant libros sub poena excommunicationis latae sententiae propter damnatas propositiones. Quum ergo hoc triplex documentorum genus in facto habeatur, superveniente articulo, qui edicit: *Docentes vel defendentes... propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae,* non aliae propositiones intelligendae erunt, quam illae quae sub secundo documentorum genere continentur.

Quaeritur, utrum saltem sub articulo de quo agimus comprehendantur una et centum propositiones damnatae a Clemente XI in celebri Constitutione, *Unigenitus,* edita die 8 Septembris 1713. Hic enim Pontifex in litteris Apostolicis *Universi Dominici* die 13 Iulii 1708 damnaverat librum, cui titulus *Le nouveau Testament en françois avec des réfléxions* etc. aliter vero: *Abrégé de la morale* etc. sub poena excommunicationis sibi reservatae: cum autem haec libri prohibitio in Gallia satis esse non videretur, librum illum in novum examen revocavit atque ex eo unam et centum propositiones excerpsit in dicta Constitutione *Unigenitus* recensitas: de his vero propositionibus, post plures notas erroris et haeresis eisdem acervatim, seu ut aiunt *in globo,* inustas (1), sic sanxit: « Mandantes » omnibus utriusque sexus Christifi-

(1) Hae sunt notae inustae illis propositionibus: « omnes et singulas propositione » praeinsertas, tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scan- » dalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam » solum, sed etiam in potestatem saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, » suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes nec non haereticis et haeresibus ac et- » iam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas ac demum etiam » haereticas, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis hausenii propositionibus,

» delibus, ne de dictis propositioni-
» bus sentire, docere ac praedicare
» aliter praesumant, quam in hac
» eadem nostra Constitutione con-
» tinetur; ita ut quicumque illas
» vel illarum aliquam coniunctim
» vel divisim docuerit, defenderit,
» ediderit, aut de eis etiam dispu-
» tative publice aut privatim tra-
» ctaverit, nisi forsan impugnando,
» *ecclesiasticis censuris, aliisque con-*
» *tra similia perpetrantes a iure sta-*
» *tutis poenis, ipso facto absque alia*
» *declaratione subiaceat.*»

Quaeritur itaque, an vi horum verborum, dictae propositiones comprehendantur sub articulo de quo agimus.

Respondeo: per ea verba nulla explicite determinatur censura: implicite tamen determinantur censurae et poenae, idest quae *in iure* sunt statutae: censurae autem et poenae in iure statutae, quando agitur de damnata doctrina, aliae non sunt, quam illae statutae in haereticos vel suspectos de haeresi vel in credentes haereticis, vel in fautores haereticorum. Qui ergo doceret, defenderet etc. aliquam vel aliquas earum propositionum in sensu quo fuerunt damnatae habendus saltem esset de haeresi suspectus et contra eum ab auctoritate procedendum esset tamquam de haeresi suspectum: quod si aliquam propositionem alias iampridem ut haereticam damnatam ut quinque celebres Iansenii propositiones, pertinaciter affirmaret, ut haereticus esset habendus et puniendus. Quae quidem confirmantur per verba quibus clauditur Constitutio, quae sunt huiusmodi: « Praecipimus insuper » venerabilibus fratribus Patriarchis, » Archiepiscopis et Episcopis, aliisque » locorum Ordinariis nec non haere-» ticae pravitatis Inquisitoribus, ut » contradictores et rebelles quoscum-» que *per censuras et poenas praefatas,* » *aliaque iuris et facti remedia,* invo-» cato etiam ad hoc, si opus fuerit, » brachii saecularis auxilio, *omnino* » *coerceant et compellant.* »

Rursus; propositiones in Constitutione *Unigenitus* damnatae, sunt illae quae continebant vel sequebantur Ianseniam doctrinam, iisdem proinde censuris ac Ianseniana doctrina damnatae fuerunt: porro quinque famosae propositiones Iansenii his verbis damnatae fuerunt ab Innocentio X. « Mandamus igitur o-» mnibus Christifidelibus utriusque » sexus ne de dictis propositioni-» bus sentire; docere, praedicare » aliter praesumant, quam in hac » praesenti nostra declaratione et » definitione continetur *sub censuris* » *et poenis contra haereticos et eo-*» *rum fautores in iure expressis.* »

Quare censurae et poenae de quibus in Constitutione *Unigenitus* est sermo, sunt illae latae in hac-

» et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis continentur, manifeste in » novantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus et » reprobamus. Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus etc. »

reticos et in eorum fautores: ideoque qui docerent eas propositiones comprehenderentur quidem maiori minorique ratione sub primis articulis Constitutionis *Apostolicae Sedis;* non autem comprehenderentur sub articulo de quo agimus, ut superius praenotavi.

Quaeritur, utrum ille in censuram incurreret articuli de quo agimus, qui doceret quidem propositionem aliquam ab Apostolica Sede sub poena excommunicationis damnatam; sed simul contenderet, non eo sensu propositionem damnatam esse prout ipse illam doceret.

Respondeo: si argumenta quae adduceret ad sensum explicandum, secundum quem contendat propositionem non esse damnatam, non essent futilia et spernenda (1), non posset redargui censurae incursae articuli de quo agimus: non enim materialis seu grammaticus propositionum sonus (si forte excipias propositiones *male sonantes* vel *piarum aurium offensivas*) damnatur; sed propositiones damnantur propter erroneum sensum quem continent, vel etiam ob errorem in quem possunt inducere in determinatis rerum adiunctis: si itaque non doceretur error in propositione contentus seu id propter quod propositio damnata est, non doceretur propositio *formaliter* damnata, sed doceretur ad summum propositio *materialiter* damnata. Cum ergo non doceretur propositio secundum sensum in quo damnata est, talis docens in censuram articuli de quo agimus non incurreret, cum nil damnatum doceret.

Neque id raro evenit; namque inter propositiones damnatas continentur tum propositiones simplices tum propositiones multipliciter complexae. Propositiones simplices illae sunt quae, ut logici loquuntur, uno constant subiecto unoque praedicato, et eiusmodi propositiones sic conceptae sunt admodum rarae: eaeque varium quoque admittere possunt sensum si abstracte considerentur. Reliquae vero compositae aut mul-

(1) Ut erant ex. gr. futilia quae a Ianseniania regerebantur contra quinque damnatas famosas Iansenii propositiones: vid. Constitutionem Clementis XI, *Vineam Domini*, editam die 16 Iulii 1705. Fautores enim Ianseniana doctrinae, ut effugerent quinque propositionum damnatarum censuram, conabantur sibi aliisque suadere, quinque damnatas propositiones in libro Cornelii Iansenii non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse, *vel non in sensu a Iansenio intento damnatas fuisse*. Haec erant adeo futilia, ut si iidem fautores speciem aliquam veritatis ostentare voluissent, contrarium potius dicere debuissent: fuissent enim fortasse paullo callidiores si fassi essent, eas propositiones damnatas quidem esse in sensu a Iansenio intento, sed praecisione facta ab huiusmodi sensu, in abstracto consideratas habere aliquem sensum censura ecclesiastica non dignum, quam quam et haec in eo themate excusatio inanis esset. Notum enim est, Sanctam Sedem in damnandis doctrinis non eas considerare solere in abstracto, vel in ordine ontologico possibilitatis, sed eas considerat in concreto iuxta sensum quem doctrina praeferat in determinatis rerum et personarum adiunctis; qui sensus si cum deposito veritatum revelatarum vel cum catholica doctrina repugnet, aut perniciosus appareat, post accuratissimum examen authentice proscribitur.

tipliciter complexae resolvi possunt in tot simplices propositiones; et certe non omnes simplices propositiones in quas propositio complexa resolvitur damnatae dici possunt ac debent. Quomodo autem propositiones compositae vel complexae resolvantur in simplices ad determinandum uniuscuiusque sensum, ex logica disciplina deprehenditur. Confer opus philosophiae Salvatoris Tongiorgi cl mem. qui, ex indigesto logicorum pulvere logicam disciplinam in plenam lucem restituit (1).

Quaeri denique potest: quaenam sit propositionum damnatarum series, quae ab Apostolica Sede sint huc usque damnatae sub poena excommunicationis latae sententiae?

Respondeo: huiusmodi propositionum series non est confundenda cum ea, quae dari solet ab Auctoribus theologiae moralis: hi enim auctores generatim colligere solent omnes notiores propositiones damnatas sub quavis nota vel censura vel etiam sine ulla nota damnatas, sive damnatae fuerint ab oecumenicis

(1) Ut aliquo utar exemplo, damnata est haec propositio in Concilio Viennensi sub Clemente V anno 1311: « *substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non est forma.* » Item in Concilio Lateranensi sub Leone X, confirmata est contraria propositio: « *anima intellectiva vere, per se et essentialiter humani corporis forma existit.* » Denuo SSmus Pater in litteris Apostolicis ad Archiep. Coloniensem datis anno 1857 in quibus Güntheri errores damnavit eandem doctrinam confirmat his verbis: « Noscimus iisdem doctrinis laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, » qui corpore et anima ita absolvatur, *ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se, atque* » *immediata corporis forma.* »

Eiusmodi propositionem expendens Salvator Tongiorgi in suo maiori opere *Institutiones Philosoph., Psychologia l. 2 c. 3 art. 5*, cum sit propositio complexa, eam resolvit in duas propositiones, ac determinat quo sensu haec propositio fuerit definita, scribens: « In hac » itaque propositione complexa: *anima rationalis est forma humani corporis*, binae sunt » distinguendae propositiones: *aliqua anima est forma humani corporis;* et: *haec anima* » *est anima rationalis.* Propositio haec altera affirmatur in Decretis supra positis; prima illa » supponitur ut communis sententia. Id quod manifestum est ex Auctoribus quos damnant, et » ex eorum erroribus. Etenim tam Viennense quam Lateranense Decretum latum est con» tra Averroistas quosdam (Viennense decretum latum est contra Petrum quendam Olivam; » Lateranense contra Pomponatium), qui ponebant animam quidem vegetativam et sensitivam » esse hominis formam, at substantiam intellectivam esse substantiam separatam, quae » cum homine non coniungeretur ut forma, sed solum per species intelligibiles. Non erat » itaque in controversia positum, an aliqua anima forma esset corporis, multoque minus » qua ratione esset forma; sed hoc solum, an anima intellectiva forma corporis dici de» beret; Porrectanus *in sum. Th. p. 1 q. 76 ar. 1.* Erat autem maxime necessarium, ut in » tuto collocaretur haec veritas: principium sensus in homine idem esse ac principium in» tellectivum; qua identitate sublata, et Incarnationis Divinae mysterium et animi immor» talitas, et universa doctrina theologica de homine constare amplius non poterant.

» Ex dictis haec statui possunt:

» 1° De modo quo anima est corporis forma, nihil unquam ab Ecclesia directe definitum est. . . . .

» 2° Nulla hinc opinio ceteris praelata, nulla damnata est. Quod et factum ostendit. » Nulla enim catholica schola hac definitione umquam usa est ad suam peculiarem sententiam confirmandam, nulla se per illam vulnerari putavit; sed sententiae omnes quae » prius vigebant, pacifice dein viguerunt, immo novae quoque sententiae sine ulla erroris » suspicione, ac nemine reclamante prolatae sunt. »

Conciliis, sive ab Apostolica Sede. Catalogus autem, de quo in praesentia quaeritur, est multo limitatior: limitatur enim ad propositiones quae sint ab Apostolica Sede damnatae et damnatae simul sint sub poena excommunicationis. Quare in hoc censu non comprehenduntur propositiones damnatae in Conciliis oecumenicis, neque illae propositiones, quae licet damnatae sint ab Apostolica Sede, idest a Romano Pontifice, sive per se sive per S. Congregationem Inquisitionis, ut assolet, non sint tamen damnatae sub explicita poena excommunicationis latae sententiae.

Harum autem propositionum series, ea videtur esse quae sequitur.

Propositiones una et quadraginta damnatae a Leone X in Constitutione, Exurge Domine, *edita die 15 Iunii 1520 contra errores Martini Lutheri. His enim verbis fuerunt damnatae:* « omnes et singulos ar- » ticulos seu errores, tamquam re- » spective haereticos aut scandalosos » aut falsos aut piarum aurium of- » fensivos vel simplicium mentium » seductivos et veritati catholicae » obviantes, damnamus, reprobamus » atque omnino reiicimus, ac pro » damnatis, reprobatis et reiectis ab » omnibus utriusque sexus Christi- » fidelibus haberi debere, harum se- » rie decernimus et declaramus. *Inhi- » bentes in virtute sanctae obedientiae » ac sub maioris excommunicationis » latae sententiae .... poenis .... ne » praefatos errores aut eorum ali- » quos perversamque doctrinam hu- » iusmodi, asserere, affirmare, defen- » dere, praedicare, aut illi quomodoli- » bet, publice vel occulte, quovis quae- » sito ingenio vel colore tacite vel » expresse favere praesumant. »* Sunt autem:

1. Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu coeli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Poenitentiae contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio quae paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium,

et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de caetero non facere, summa poenitentia, optima poenitentia, nova vita.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia venialia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi *Quodcumque solveris* etc. Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In sacramento Poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos: imo, ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis: quod praemiserint orationes suas et praeparatoria: omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum onerum: et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum *Quodcumque solveris super terram* etc. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos Fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Conciliorum; et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi, et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono iustus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34. Praeliari adversus turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura quae sit in Canone.

38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut agendae charitatis.

39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.

40. Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Succedunt propositiones Michaelis Baii, quas damnaverat S. Pius V in Const. Ex omnibus *die 1 Octobris 1567, quam Constitutionem evulgavit et confirmavit Gregorius XIII in Const.* Provisionis nostrae, *edita die 29 Ianuarii 1579 et iterum Urbanus VIII in const.* In eminenti, *edita die 6 Martii 1641.*

Eiusmodi Baii propositiones his verbis fuerunt damnatae: « Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in vigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes respective.... damnamus, circumscribimus, abolemus deque eisdem et similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus (1), qui secus fecerint... *vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus...*»

1. Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna iustis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera: sed iuxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum

(1) Animadvertendum tamen est, eiusmodi interdictum quoquo pacto loquendi, scribendi et disputandi de iis, quod id temporis erat illimitatum ut silentium imponeretur ob rerum circumstantias, ut expressius constat ex citata Constitutione Urbani VIII, *In eminenti*, dein cessasse pro iis, qui loquantur vel scribant vel disputent impugnando eos errores, seu disputent etiam contradicendo, ea tamen de causa, ut magis magisque resultet damnationis iustitia et veritas ut in catholicis scholis factitatur. Cessante autem hoc speciali Interdicto, dici non potest cessasse lata excommunicatio pro iis, qui eos errores nunc docerent: cessavit enim in eam partem, quae prius comprehendebatur pari modo sub amplitudine censurae.

meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro et angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia: sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur quae per Iesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe remanet et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera bona iustorum, non accipient in die iudicii extremi mercedem ampliorem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obedit divinae legi.

16. Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera catechumenorum, ut Fides et Poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria: quam vitam ipsi non consequentur nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad romanos II. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt,*

intelligunt de gentibus Fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, et Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adiutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam iustitiae (hoc est ad aliquam iustitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus iuste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturae rationalis aut otiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Iustitia, qua iustificatur per Fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum iustitia: non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est vera iustificatio: separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis iustitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, fit ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium et habitualiter dominatur parvulo: eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum lasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est eius conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab ini-

tio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad poenam.

57. Unde in sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores); sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta: sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero modo quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius quae fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere iustificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

69. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae quae per eam iustificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem: et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali, hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces:* unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces:* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali.

Hactenus vidimus damnatas fuisse propositiones, quarum aliis nota haereseos conveniret, aliis vero inferior nota; easque esse damnatas sub censuris, et poenis in haereticos inflictis: atque praeterea explicite adiectam esse excommunicationem latae sententiae in omnes qui aliquam propositionem in sensu damnato defenderent. Haec excommunicatio non alia de causa videtur adiecta, quam ut subiacerent excommunicationis poenae illi, qui defendentes aliquam damnatam propositionem, effugerent aut effugere putarent censuras in haereticos latas, quia nota haereseos propositioni a se defensae non conveniret

neque se haereticorum fautores esse affirmarent.

Nunc incipiunt propositiones damnatae sine haereseos nota: ne autem harum propositionum defensores a qualibet censura ecclesiastica essent immunes, adiecta videtur excommunicatio. Eiusmodi propositiones propius Articulum de quo agimus attingere videntur.

Ordine chronologico prima se prodit propositio damnata per Decretum S. U. Inquisitionis probatum a Clemente VIII die 20 Iulii 1602 his verbis concepta:

« Licere per literas seu inter-
» nuncium Confessario absenti pec-
» cata sacramentaliter confiteri et
» ab eodem absente absolutionem
» obtinere. »

Haec propositio damnata est ad minus ut falsa, temeraria et scandalosa: sanctio autem adiecta ita se habet: « Praecipitque *(Clemens VIII)*
» ne deinceps ista propositio in pu-
» blicis privatisque lectionibus, con-
» cionibus et congressibus doceatur
» neve unquam tamquam aliquo
» casu probabilis defendatur, impri-
» matur, aut ad praxim quovis mo-
» do deducatur: quod si quis illam
» docuerit, defenderit, imprimi fe-
» cerit aut de ea etiam disputative
» tractaverit (nisi forsan impugnan-
» do) vel ad praxim directe vel in-
» directe deduxerit, *praeter excom-*
» *municationem latae sententiae quam*
» *ipso facto incurrat*.... aliis etiam
» poenis infligendis subiaceat. »

Alexander VII die 24 Septembris 1665 per S. U. Inquisitionem sequentem propositionum seriem damnavit et unamquamque ipsarum ut minimum tamquam scandalosam. Harum aliquae potius ad rem disciplinae, quam ad res dogmaticas pertinent; ideoque ex mutatione alicuius disciplinae capitis et ipsarum aliquae modificationem possent subire: sunt autem universim damnatae, « ne si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens erumperet christianae vitae corruptela: » *sunt autem :*

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1626, 18 iulii in Consistorio Sacrae Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi con-

stet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum

vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae: ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

*Eiusmodi propositiones hac sanctione fuerunt damnatae: «*SSmus... statuit et decrevit praedictas propositiones et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet, ita ut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem » etc.

Per aliud Decretum eiusdem Sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis editum Feria V die 18 Martii 1666 sub eadem nota et sanctione fuerunt prohibitae propositiones quae sequuntur; atque Decretum emissum est tamquam prioris Decreti continuatio. Sunt autem:

29. In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui benefici fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur* possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Succedunt propositiones damnatae ab Innocentio XI per eandem S. Congregationem Inquisitionis die 4 Martii 1679. Prosecutus est Innocentius XI « salubre opus in segregan- » dis noxiis doctrinarum pascuis ab » innoxiis a fel. rec. Alexandro VII » inchoatum » *ut legitur in eiusdem S. Inquisitionis Decreto, atque* « sta- » tuit et decrevit pro nunc sequen- » tes propositiones et unamquamque » ipsarum, sicut iacent, ut minimum » tamquam scandalosas, in praxi » perniciosas esse damnandas sicut » eas damnat et prohibet. » *Sunt autem:*

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate

sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam qua iustificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris,

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus.

27. Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter, occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi quam legatario, contra iniuste impedientem ne vel haereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut et ius habenti in cathedram vel praebendam, contra earum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam

suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non maioris faciat pecuniam praesentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis hu-

meris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi ersatur, quam potest et non vult committere, quin imo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Sanctio his verbis facta est: « quicumque autem .... illas vel illarum aliquam, coniunctim vel divisim defenderit vel ediderit vel de eis disputative publice aut privatim tractaverit vel praedicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latae sententiae » *etc.*

Redeunt propositiones damnatae tamquam haereticae, suspectae, erro-

neae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, christianae disciplinae relaxativae et eversivae et seditiosae respective. Hae notae in globo inustae sunt propositionibus Michaelis de Molinos haeretici hominis, qui sub praetextu orationis quietis propositiones quae sequuntur inter cetera docebat. Damnatae sunt ab Innocentio XI per Constitutionem Caelestis pastor *editam die 20 Novembris 1687: sunt autem:*

1. Oportet hominem sibi potentias annihilare, et haec est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem : quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad suum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen nec amor nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de praemio nec de punitione, nec de paradiso nec de inferno, nec de morte nec de aeternitate.

8. Non debet vel scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat nec ne : nec opus est ut velit cognoscere suum statum nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui nec Dei nec cuiuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi : et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur nec ne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, cuius spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis

sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae: et illud Evangelii *Petite et accipietis* non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem: imo huiusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita: quia melius est divinae iustitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo res grata nec meritoria quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio et eidem relicta cura et cognitione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum: nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria: et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur, eius locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cuiuscumque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita; quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse: et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui

est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, sanctos, Fidem, et sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis: quia oratio et resignatio, resignatio et oratio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illae viae purgativa, illuminativa, et unitiva sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica: cum non sit nisi unica via scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum sed seipsum: et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante nec post Communionem alia requiritur praeparatio aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in solida resignatione passiva: quia in ista continetur amor, qui modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia huiusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

34. Verbis et lingua gratias age-

re Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem dominicam seu *Pater noster* recitare.

35. Non convenit animabus huius viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia, cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera et poenitentiae quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem potest perveniri absque opere exteriori.

41. Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod huiusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et foeminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio: nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui causando in eis praedictas violentias, faciunt ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Iob blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis: quia fuit ex daemonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiusmodi daemonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago: sed, quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via: et haec est via facilior et tutior.

47. Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet ut satanas

operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obsceni propriis manibus, et etiam peiora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est confiteri, et sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad eius vires enervandas melius est ea non confiteri: quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Iob ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces* (sic interpretando locum ex capite XVI Iob).

50. David, Ieremias, et multi ex sanctis prophetis huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Samsone qui per violentiam se ipsum occidit cum philistaeis, coniugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita et peccata fuissent: de Iuditha, quae Holoferni mentita fuit: de Elisaeo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum huiusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut iurare non posse quod iis consenserint, et videre quod sint animae quae proficiunt in via interna: sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violentia: et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit coniunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient et confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duae leges et duae cupiditates (animae una et amoris proprii altera) tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae leges et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia nec venialia.

58. Ad huiusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes: quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna seiuncta est a Confessione, a Confessariis, a casibus conscientiae, a theologia, et philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuae, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in sacramento reciperent: et ideo huiusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo quia non habet Fidem adeo puram; secundo quia non est adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam salutem; quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Praepositis obediendum est in exteriore et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exteriores pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum

cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec sacra Scriptura nec Concilia, nec canones, nec bullae, nec Sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non iudicat de occultis, et anima ius habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non iudicat de occultis: et propriis animabus praeiudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas nec iurisdictio ad praecipiendum ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae: et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanae.

Eiusmodi propositiones humanae aberrationis, praeter notas haereticales aliasque superius indicatas et in globo seu acervatim eisdem propositionibus inflictas, his sanctionis verbis fuerunt damnatae: « deque eisdem et similibus omnibus et singulis post hoc quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, et contrafacientes.... *vinculo etiam anathematis eo ipso innodavimus,* a quo nisi a nobis et a R. Pontificibus successoribus nostris valeant absolvi etc. »

Succedunt duae propositiones damnatae ab Alexandro VIII die 24 Augusti 1690, quarum tamen prima non comprehenditur sub articulo Constitutionis, Apostolicae Sedis, *de quo agimus: sed comprehenditur sub articulo I de haereticis agente, iuxta ea quae superius scripsi* pag. 162 §. Neque. *Hanc primam propositionem ideo refero, quia ex sanctione et declaratione adiecta confirmatur distinctio quam ibi feci. Sunt autem:*

1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: HINC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO NEQUE IN DECURSU VITAE SUAE MORALIS.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Sanctio autem et declaratio adiecta ita se habet: « SSmus omnibus plene et mature consideratis, primam thesim seu propositionem declaravit *haereticam* et uti talem damnandam et prohibendam esse sicuti damnat et prohibet *sub censuris et poenis*

contra haereticos et eorum fautores in iure expressis. Secundam thesim seu propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam et erroneam et uti talem damnandam et prohibendam esse sicuti damnat et prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit, publice seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, *ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit* » etc.

Idem Pontifex Alexander VIII die 7 Decembris 1690 ope S. R. U. Inquisitionis propositiones quae sequuntur damnavit, idest:

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inernem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides: et etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charite si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a Beata Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris* etc., praetermissis illis: *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia*.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate (1).

30. Ubi quis invenerit doctrinam

(1) Haec propositio modo refunditur in propositiones damnatas in Concilio Vaticano per celeberrimam Constitutionem *Pastor aeternus* cap. 3 et 4; ideoque subducenda est ex hoc propositionum elencho cum comprehendatur sub articulo primo de haereticis pag. 8, et proinde subiiciatur censurae excommunicationis Romano Pontifici speciali modo reservatae.

Quod si abstractione facta a doctrina aliquis pertinaciter in *facto* ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis appellaret ad oecumenicum concilium incideret pariter in excommunicationem speciali modo Romano Pontifici reservatam, art. IV pag. 10. Quod si id facerent corpora moralia in interdictum pari modo reservatum inciderent art. I pag. 49.

in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti* est subreptitia.

Eiusmodi propositiones sub sanctione excommunicationis ipso facto incurrendae fuerunt damnatae; ita enim se habet Decretum: « Quibus mature consideratis, idem Sanctissimus statuit et decrevit XXXI propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticas et haereticas respective esse damnandas et prohibendas sicut eas damnat et prohibet, ita ut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, *ipso facto incidat in excommunicationem* a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio.... nisi a.... Romano Pontifice absolvi.

» Insuper districte et in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Christi fidelibus..... ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. »

Denique sequuntur propositiones sub poena excommunicationis damnatae a Benedicto XIV in Constitutione Detestabilem *die 10 Novembris 1752 quae de duello agentes sunt eiusmodi:*

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux vel Officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio iactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur (1).

Haec duo enim possunt distingui et in facto saepe distinguuntur: *docere propositionem damnatam*, et *in praxim deducere:* quam distinctionem passim faciunt Decreta RR. Pontificum, cuius exemplum habes in ipsa sanctione quae praesenti propositionum elencho est adiecta.

(1) His propositionibus de duello damnatis adde propositionem eadem sanctione damnatam ab Alexandro VII, quae est secunda inter alias damnatas, pag. 177: « Vir equestris » ad duellum provocatus potest illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat. »

Eiusmodi propositionis ab eodem Pontifice definitae « falsae, scandalosae ac perniciosae » *damnatae et prohibitae fuerunt sub excommunicationis sanctione per verba:* « ita ut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputandi gratia publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, *ipso facto incidat in excommunicationem* » etc. *Atque prohibuit de more omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.*

Illi vero qui in praxim seu in factum deducerent eiusmodi opiniones comprehenderentur sub articulo III Constitut. Apostolicae Sedis *quem habes pag.* 17.

APPENDIX IV.

DE VI ILLATA IN HIERARCHICAS ECCLESIAE CATHOLICAE PERSONAS DIGNITATE ECCLESIASTICA FULGENTES, DEQUE POENIS CANONICIS INFLICTIS IN HORUM CRIMINUM REOS.

Inter excommunicationes, quas R. Pontifex speciali modo sibi reservavit, ea continetur quae Art. V. *pag. 10* lata est in *« omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.»*

Post excommunicationem latam ob causam fidei vel schismatis profecto nulla alia fuit in Ecclesia excommunicatio celebrior, quam illa quae lata universim est in Synodo Lateranensi sub Innocentio II, in eos qui violentas manus in Clericos Monachosque iniicerent.

Haec excommunicationis latae celebritas fundamentum habet in singulari gravitate criminis. Namque quemadmodum haeresis et schisma unitatem Ecclesiae tum fidei tum communionis scindere, atque proinde intimam eius vitam labefacere intentant; sic iniuriae violentae illatae in hierarchicas Ecclesiae personas eius sacram et iuridicam constitutionem violant atque proinde externam eius vitam.

Etenim per violentas manus in personas ecclesiasticas illatas non solum simplex sacrilegium committitur, cum personae violantur quae sacrae sunt ob s. ordinis hierarchiam; sed praesertim quando agitur de maioribus Ecclesiae dignitatibus, simul vilipenditur constitutio divina Ecclesiae. Haec secunda delicti qualitas adeo auget sacrilegii crimen, ut illud reddat in catholica societate crimen publicum.

Quod et ipsae civiles leges considerarunt, quae sub finem saeculi IV non solum capitali poena eiusmodi sacrilegii genus mulctarunt, sed ut crimen publicum habuerunt: sic enim in Codice Iustiniani *tit. De Episcopis et Clericis l. 10* statutum legitur. « Si quis in hoc genus » sacrilegii proruperit, ut in eccle» sias catholicas irruens, Sacerdoti» bus et Ministris vel ipsi cultui » locoque aliquid importet iniuriae, » quod geritur a provinciae Recto» ribus animadvertatur. Atque ita » provinciae moderator Sacerdotum

» et catholicae Ecclesiae Ministro-
» rum, loci quoque ipsius et divini
» cultus, iniuriam capitali in convi-
» ctos seu confessos reos sententia
» noverit vindicandum, nec expe-
» ctet, ut Episcopus iniuriae pro-
» priae ultionem deposcat, cui sancti-
» tas ignoscendi gloriam dereliquit.
» Sitque cunctis laudabile factas a-
» troces Sacerdotibus aut Ministris
» iniurias veluti *crimen publicum*
» *persequi* ac de talibus reis ultionem
» mereri. »

Et sane quatenus hoc crimen patretur in Episcopos, in catholica societate habendum est in eo criminum genere, quae de civilibus Principibus appellant *laesae maiestatis*. Iura enim quae in societate civili appellant maiestatica, si rite intelligantur, non alia sunt quam *imperium*, idest consistunt in complexione iurium quae ad perfectam potestatem pertinent (1). Haec autem iura sicut habent in cives pro sua ratione Principes civiles iuxta finem civilis societatis, ita quoque habent pro sua ratione Praesules Ecclesiae iuxta finem catholicae Ecclesiae.

Homines enim quatenus homines sunt, idest quatenus constant corpore et anima rationali, ius et officium habent pertinendi ad duplicem societatem quam Divinae Providentiae ordo in praesenti vita voluit constitutam, idest humanam civilemque societatem et catholicam Ecclesiam: quae duae proinde societates necessariae homini sunt: utraque veram perfectamque potestatem habeat necesse est, in suo quaeque ordine iuxta finem ab Auctore utriusque societatis intentum. Potestas enim civilis societatis a Deo derivat tamquam naturae Auctore et supremo humanae societatis Rectore, respiciens custodiam recti socialis ordinis, ut homo honestus tranquille vitam agat, et temporalem felicitatem, quoad fieri possit, assequatur. Potestas Ecclesiae a Deo derivat tamquam humani generis reparatore, et elevatore ad supernaturalem ordinem, respiciens non solum sanctificationem animarum per Sacramenta (quae est sacra ordinis potestas) sed etiam rectam hominum fidem bonamque vitam (quae potestas iurisdictionis est) ut finem ultimum, idest aeternam felicitatem homines assequantur. Societatis civilis Principes gladium a Deo portant ad criminum socialium vindictam: Ecclesiae Praesules, Petro viventi tantum obnoxii, claves a Deo habent Regni Caelorum, quibus quidquid solvant aut ligent in terris, sine ullo respectu ad civilium Principum potestatem, solvitur aut ligatur in coelis. Haec utraque perfecta potestas in homines non est in eodem genere, sed prima, ratione inferioris finis, est longe inferior; namque et ipsi civiles Principes, si aeternam felicitatem assequi velint, filii Ecclesiae catholicae sint neces-

(1) Cfr praeclarum opusculum, *Iuris ecclesiastici publici Institutiones*, quod vir iuris consultissimus P. Camillus Tarquini scripsit, syllogistica forma stricte servata.

se est, proindeque potestati Ecclesiae catholicae subiecti.

Itaque crimen publicum, de quo agimus, in catholica societate collocandum est in eo publicorum criminum genere, quae si patrentur in civiles Principes laesae maiestatis appellantur.

Quare, qui iniurias inferant in Episcopos maioresve Ecclesiae catholicae Dignitates non solum gravissimi sacrilegii rei sunt ob sacram ordinis potestatem quae ipsis inest et qua personae sacrae sunt, sed in societate catholica rei etiam habendi laesae Ecclesiae catholicae maiestatis, ob iurium violationem quae ad perfectam Ecclesiae potestatem iurisdictionis in catholicos homines pertinent.

Quae quidem ex universali quodam sensu in catholica societate vigente comprobantur, quando Episcopi aliquam ex his iniuriis patiantur de quibus loquimur. Illico enim consurgunt fideles in horum criminum reos, atque vehementius quoque vindictam quaerunt in publici Ecclesiae ordinis reparationem, quam si patrata essent in civilium Principum personas, apprime noscentes ac veluti persentientes, quod si quae sunt Caesaris reddenda sunt Caesari, multo magis, quae sunt Dei, Deo. Quam ordinis reparationem si ab hominibus obtinere non possint a Deo instanter implorant, quemadmodum aetate nostra passim videre contingit.

Et quoniam aetate hac nostra catholici populi atheis Guberniis subiecti, conspicere et experiri coguntur sanctissimam Religionem catholicam publice vexatam, Ecclesiaeque Praesules suis dioecesibus expulsos, in iurisdictione in fideles exercenda impeditos, et Ecclesiam civili imperio mancipari, quasi serva Principum esset et potestate intime propria destituta, expedit recolere uniformem perpetuamque Ecclesiae doctrinam, quae eius petestatem supremam et independentem ostendit: cui doctrinae innixi, praeeunte Angelo Vaticani, recentissima et praeclarissima aetate hac nostra Episcopi cum catholicis populis dederunt exempla; praesertim Germanici Imperii Episcopi, qui vehementer consurgentes, tamquam unus vir, adversus eos, qui in populis dominantes, Ecclesiam catholicam sibi servam facere conantur, nobili fortitudinis exemplo se Domini eiusque Ecclesiae servos, non vero libidinum Principum et Guberniorum esse ostendunt.

In ipso Evangelio legimus, *Lucae XXII, 24 et seqq.* (quem locum seligo, quia scioli eo abutuntur quasi aliquid ex eo in publicam Ecclesiae potestatem inferatur) Christi Domini discipulos, proximam eius mortem audientes, contendisse inter eos, quis videretur esse maior. Christus Dominus in eiusmodi discipulorum contentione removit quidem ambiendi et dominandi studium omnemque superbiae fastum et gloriam; sed clare adsignificavit esse debere in sua Ecclesia maiorem, vera potestate fungentem, eius generis qua

pollent pro sua ratione Reges in societate civili, idest perfecta atque independente ad ducendos homines ad felicitatem aeternam.

Sic enim legitur: *Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Heic animadverte, non potuisse Christi discipulos contendere nisi de aliqua maioritate inter eos minoris momenti: namque rudes illi viri non adhuc plene intellexerant quid esse deberet Christi Ecclesia, neque proinde in eorum mentem venire poterat potestas eius generis, qua pollent in societate Reges, idest perfecta.

Sed quod in eorum mentem venire non poterat, Christus Dominus sic praeclare adsignificavit: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem non sic.* Quasi diceret: vos contenditis maioritatem; erit profecto inter vos maior, immo et vos ipsi eritis super populis maiores, et potestatem habebitis, quemadmodum et Reges gentium potestatem habent super populis (non enim nominavit aut pedaneos iudices, aut quemvis alium Regum ministrum; sed Reges Gentium): at vero cavete, ne abrepti cupidine dominandi potestatem exerceatis quemadmodum exercent Reges gentium, qui fastu nutriuntur et gloriam percupiunt qua benefici vocentur. *Vos autem non sic*: non hoc modo regiam meam supremamque potestatem exercebitis: *sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor.* Putatis ne Reges potestatem suam amissuros, si omissa dominandi gloria, populos gubernarent? Vos autem hoc ambitioso dominandi fastu perlonge repulso, *qui maior est in vobis fiat sicut minor, qui praecessor est sicut ministrator.* Qui maior est in vobis me repraesentabit meaque potestate fungetur: oculos itaque in me convertite: exemplum enim dedi vobis. *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* quamquam omnem potestatem Pater mihi dedit. Quoniam autem *vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* de hac mea suprema potestate de meo regno (quod licet non sit HINC est tamen HIC tamquam in primo suo stadio) vos participes facio. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,* ut tamquam mei consocii, coniudices bonorumque meorum comparticipes *edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Quod si iudicabitis quoque angelos, quanto magis saecularia? *Simon Simon* (qui eris in universa Ecclesia mea maior, meusque Vicarius) *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* per suos ministros et saeculi potestates: ne tamen deterrearis: pugnabis cum Satana eiusque satellitibus; at victor eris. Videbis quidem deficientes fratres, sed macte animo: *ego enim rogavi pro te ne deficiat fides tua,*

et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Quaero itaque, utrum Christus Dominus melius potuerit adsignificare perfectam, publicam supremamque Ecclesiae potestatem futuram? Cuius quidem potestatis exemplum, ceteris omissis, dedit non multo post idem Simon Petrus iidemque Apostoli *Act. V. 28, 29.* Namque coram Magistratu, tamquam perturbatores populi, vocati, haec verba sibi audierunt: *praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.* Ubi animadverte, Magistratum nationis iudaicae causam obiecisse boni temporalis et tranquillitatis publicae: *vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.* Sed nulla habita ratione huius praecepti, *respondens Petrus et Apostoli dixerunt: Oportet obedire Deo magis quam hominibus.*

Quod si in traditionem Ecclesiae oculos convertas passim reperies eiusmodi doctrinam. S. Ioannes Chrysostomus *in 2 Cor. hom. 13*: « At » vero heic aliud quoque *imperii* » genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Ecquod illud est? » Quod in Ecclesia viget, cuius etiam » Paulus mentionem fecit, cum ait: » *Obedite praepositis vestris et subiacete eis:* hoc enim *imperium* » tanto civili excellentius est, quanto caelum terra et quantum inter » corpus et animam discriminis est, » tantum item ab illo hoc distat. »

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 17:* « Submittamus nos tum Deo, » tum invicem, tum iis, qui in terra imperant. Deo quidem omnibus de causis, invicem, pro charitatis foedere, Principibus, propter ordinem. . . . At vos quoque (Principes et Praefecti) *imperio meo ac throno* lex Christi subiecit. *Imperium enim et nos gerimus;* addo et praestantius et perfectius, si quidem aequum videtur spiritum carni, caelestia terrenis cedere. »

Ivo Carnutensis *ad Henricum Regem Angliae ep. 51.* « Quia res » omnes non aliter bene administrantur, nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint » studium, Celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus in » regno vobis commisso verbum » Dei currere permittatis, et regnum » terrenum caelesti regno, quod Ecclesiae commissum est, subditum esse debere, semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, » ita potestas terrena subdita esse » debet ecclesiastico regimini. Et » tantum valet corpus, nisi regatur » ab anima, tantum valet terrena » potestas, nisi informetur et regatur » ecclesiastica disciplina. » Atque ita passim. Videsis laudatum opusculum *Iuris ecclesiastici publici Institutiones, pag. 57 et seqq.*

Redeuntes itaque quo parumper discessimus iampridem Alexander II in *can. 5 caus. 17 q. 4* haec statuerat: « *Si quis deinceps Priorum,*

aut cuiuscumque Dignitatis vel cuiuscumque ordinis Laicorum Episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliqua vi a propria sede expulerit, nisi forte iudicatum canonice, auctores et cooperatores tanti sceleris anathematizentur et bona eorum ecclesiae ipsius iure perpetuo tradantur. Si vero in Presbyterum vel in quemcumque inferiorum graduum Clericum haec eadem praesumpserit, canonicae poenitentiae atque depositioni subiacebit. Si contumax fuerit, excommunicetur.»

Inde de Episcopis et sublimioribus Ecclesiae dignitatibus agentes Romani Pontifices sive in Synodis sive extra Synodos, omnes propemodum coacervarunt poenas sive Ecclesiae exclusive proprias, sive in Ecclesiae potestate pro tempore positas, ut eiusmodi publicum crimen coerceretur et debite puniretur.

De qua re Bonifacius VIII in *cap. 5 de Poenitentia et remissionibus* vestigiis inhaerens Honorii III, sanciens de insequentibus, percutientibus aut capientibus Cardinales et huius criminis sociis, nec non de insequentibus Clericos vel Religiosos familiares Papae vel Cardinalium, et denique de interficientibus Cardinales; post gravissimas multigenasque poenas hanc rationem reddit: « *Quis enim locus regiminis poterit esse tutus, quis rector securitate gaudebit, si Romana Ecclesia (quae omnium ecclesiarum, disponente Domino, caput est et magistra) casibus istis subiicitur* (1)? *si eius filii speciales huiusmodi periculis exponuntur? Quem Ecclesiae filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret et confusio tam aspera non moveret? Porro si filius est dolebit; si fidelis, matre fidei laesa, laedetur.*»

Clemens V in Concilio Viennensi ut legitur in *cap. 1 Clement. de poenis*, agens de percutientibus, capientibus et expellentibus episcopos, mitius quam Bonifacius VIII sanciens, haec constituit: « Si quis » suadente diabolo in hoc sacri» legii genus proruperit, quod quem» vis Pontificem iniuriose vel teme» re percusserit aut ceperit seu ban» niverit vel haec mandaverit fieri » aut facta ab aliis rata habuerit, » vel socius in his fuerit facientis » aut consilium in his dederit aut » favorem, seu scienter defensaverit » eundem: in illis casibus de prae» dictis, in quibus excommunicatio-

(1) Hic obiter animadverte, quomodo haec cohaereant cum eo quod docuerunt Patres Vaticani Concilii in *cap. 3* Const. *Pastor bonus*, de suprema ordinaria et immediata iurisdictionis episcopalis potestate R. Pontificis in singulas ecclesias et fideles, his verbis: « *Tantum abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores, assignatos sibi greges singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni:* « meus honor est honor universalis Ecclesiae: meus honor est fratrum meorum solidus vigor: tum ego vere honoratus sum, cum » singulis quibusque honor debitus non negatur. »

» nem per iam editos canones non » subiret, sit huius nostrae Con- » stitutionis auctoritate (non ob- » stante quacumque consuetudine, » quam reputamus adprobante sacro » Concilio potius corruptelam) ana- » thematis mucrone percussus, a » quo nequeat, nisi per summum » Pontificem (praeterquam in ar- » ticulo mortis) absolvi. A feudis » insuper, locationibus, officiis et » Beneficiis spiritualibus, sive tem- » poralibus, quae ab ecclesia cui » sic offensus praeest Episcopus, » obtinet, cadat hoc ipso, ac ad ean- » dem ecclesiam libere revertatur. » Ipsius filii per masculinam descen- » dentes lineam usque ad genera- » tionem secundam (omni spe dis- » pensationis adempta) reddantur » ipso facto inhabiles ad ecclesiastica » Beneficia in civitate et dioecesi, » in quibus idem Episcopus prae- » sidet, obtinenda. Terra quoque » ipsius (dum tamen ultra unam » dioecesim non contineat) usque » ad condignam satisfactionem eius- » dem; nec non locus aut loca in » quibus captus Episcopus detine- » bitur, quamdiu detentio ipsa in » eisdem duraverit, ecclesiastico » subiaceat interdicto. Quod si ter- » ra eiusdem duas dioeceses vel » ultra contineat, dioecesis domicilii » principalis ipsius et illa etiam in » qua fuerit delictum commissum, » si sua sit et duae aliae quae sub » ipso sint eidem loco magis vicinae, » interdicto subiaceant supradicto. » Et quia eo maior erit ipsius con- » fusio, quo sua fuerit culpa pa- » tentior, quousque dignam satisfa- » ctionem praestiterit per omnes » illius vici, in quo commissum est » facinus, nec non civitatum et » dioecesum vicinarum ecclesias, » quibuslibet diebus dominicis et » festivis, pulsatis campanis et can- » delis accensis excommunicatus » publice nuncietur . . . . Civitas » autem quae praemissa, vel eorum » aliquod in Episcopum suum com- » miserit, interdicto (donec satisfe- » cerit) subiaceat memorato. »

Animadversione autem digna sunt, quae idem Pontifex, sacro eodem Concilio adprobante, adiecit his verbis:

«*Nec super haec quisquam mi-* » *retur], quod praemissa perpetran-* » *tibus, poenas non inferimus gra-* » *viores. Licet enim (quod dicere* » *pudet) haec proh dolor! frequen-* » *ter occurrant, multisque grassan-* » *tibus opus esset exemplo et ex* » *dignitate offensi poenam metiri* » *deceat offendentis. Episcopi e-* » *nim dicuntur sanctissimi* (ob sacri » ordinis potestatem, unde crimen » de quo agimus est sacrilegium), » *Christi legati existunt* (ex quo » consurgit regalis illa Ecclesiae » dignitas, qua perfecta et inde- » pendens est societas. Christi, non » vero saeculi potestate funguntur » Ecclesiae Praesules!) *spirituales* » *sunt partes* (illius nempe aedificii » quod supra Petrum consurgit in » salutem omnium credentium: quo » habes finem supremum, qui Ec-

» clesiam facit longe a civili societate altiorem, eamque supremam, ut supremus est hominum finis) » *nostrique Fratres et Coepiscopi, columnae comprobantur Ecclesiae:* » en totam Ecclesiae catholicae compaginem divinitus constitutam, ad quam societatem inalienabile ius habent et gravissimum officium pertinendi omnes, qui corpore et anima rationali sunt compositi, quorum ius et officium summa iniuria afficitur, quando Ecclesiae Praesules pessumdentur.

Cum praeterea Romani Pontificis potestas in orbe terrarum ex divina institutione non agnoscat territorii limites, Ioannes XXII excommunicationem et interdictum inflixerat in eos, qui S. Sedis Legatos aut Nuntios impedirent, quominus ad loca destinata pervenirent aut persisterent; ita enim sanxit, ut legitur in *Extrav. unica de Consuet:* « Super gentes et regna Romanus » Pontifex a Domino constitutus, » cum personaliter singulas regiones » circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere, necesse habet interdum ex debito impositae servitutis, suos ad diversas » mundi partes (prout necessitates » emerserint) destinare Legatos, qui » vices ipsius supplendo, errata corrigant, aspera in plana convertant, » et commissis sibi populis salutis » incrementa ministrent. Verumtamen aliqui huiusmodi officium » et potestatem ipsius Romani Pontificis, *quam non ab homine, sed a Deo recipit, sub suo arbitrio redigere molientes*, Legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, sibi terras » subiectas (dicentes hoc eis de » consuetudine competere) ingredi » non permittunt. Nos huiusmodi » consuetudinem, non tam irrationabilem, quam nonnunquam animarum saluti contrariam, detrahentemque Apostolicae potestati, Auctoritate Apostolica penitus reprobantes, Legatos ipsos ab omnibus » cuiuscumque praeeminentiae, conditionis, aut status fuerint, debere » admitti decernimus: nec non eos » praetextu cuiusvis consuetudinis » impediri posse a quoquam Christiano nomine gloriante, quominus » regna, provincias et terras quaslibet, ad quae ipsos destinari » contigerit, ingrediantur libere, » ac commissae sibi legationis officium exerceant in eisdem. Qui » vero de cetero super praedictis dictos Legatos, aut etiam Nuntios, » quos quascumque partes pro causis » quibuslibet Sedes ipsa transmiserit, » praesumpserint impedire, ipso facto » sententiam excommunicationis incurrant. Regna, terrae et loca » quaelibet subiecta eisdem, tamdiu » sint eo ipso, ecclesiastico supposita interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia duxerint persistendum. Non obstantibus quibuslibet indulgentiis aut privilegiis, Imperatoribus ac Regibus, » seu quibuscumque aliis sub qui-

» buscumque modis tenoribus et » formis a Sede ipsa concessis, quae » contra praemissa nullis volumus » suffragari. »

Haec quidem quoad vetus ius in societate catholica, cui Imperantes et Reges et Magistratus difficile restitissent: aderat enim, inter ceteras, poena illa ecclesiastica, quae interdictum appellatur, quae satis erat, ut et Magistratus et ipsi Imperantes et Reges in suo officio continerentur si nollent experiri intima et vivissima catholici populi iura, qui interdicto subiiciebatur.

Recentiori autem aetate quomodo excommunicatio Articuli de quo agimus, ex Bulla *Coenae* desumptus, fuerit in foro quoque externo executioni mandatus dignoscitur ex Constitutione Clementis X die 5 Decembris 1672, cuius tenor est qui sequitur:

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

«§. 1. Cum, sicut non sine gravissima animi nostri perturbatione accepimus, venerabilis frater Iacobus Patriarcha Antiochenus, die ultima Novembris proxime praeteriti circa primam noctis horam, dum per viam Iuliam nuncupatam huius almae Urbis nostrae, rheda sua domum revertebatur, a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, uno seu pluribus Archibusii iaculatibus nefarie petitus et gravissime lethaliterque vulneratus fuerit: nos crimen adeo horrendum atque execrandum, et quod nos sui atrocitate confudit, poenis per sacros canones, conciliorum generalium decreta et constitutiones apostolicas inflictis et promulgatis pro officii nostri debito vindicare et punire volentes, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, omnes et singulos, qui nefarium facinus praefatum in personam dicti Iacobi Patriarchae commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seu factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium vel favorem illis dederint, seu illos scienter defensaverunt vel receptaverunt, aut in futurum defensaverint vel receptaverint, et generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices et culpabiles, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, sive ecclesiasticae sive saecularis, etiam specialem et individuam expressionem requirentis existant, anathematis et excommunicationis maioris aliasque poenas quascumque a sacris canonibus, conciliorum generalium decretis et constitutionibus apostolicis, et speciatim illâ quotannis in die Coenae Domini legi solita inflictas, eo ipso damnabiliter incurrisse tenore praesentium declaramus, ipsosque, eorum quemlibet, et quoscumque scientiam de praedictis delinquentibus habentes et non reve-

lantes anathematizamus et excommunicamus, ac anathematizatas et excommunicatas publicamus et nunciamus.

» §. 2. Ab excommunicationis autem et anathematis huiusmodi sententiis nemo praedictorum per alium, etiam maiorem Sedis Apostolicae Poenitentiarium, quam nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam in mortis articulo constitutis, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestita, atque cum reincidentia eo ipso quo convaluerint) etiam vigore seu praetextu iubilaei anni sancti, cruciatae sanctae, aliorumque iubilaeorum, indulgentiarum, indultorum, facultatum et privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel alia maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, etiam s. Ioannis Hierosolymitani, et locis piis, nec non laicis, etiam regali, ducali et alia mundana praecellentia fulgentibus, per nos et Sedem Apostolicam ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere vel in specie concessorum et etiam pluries innovatorum ac concedendorum et innovandorum, absolvi possit.

» §. 3. Et quia eo maior erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint, et absolutionis beneficium, ut supra, se obtinuisse docuerint, omnium et singulorum Urbis praedictae, eiusque Districtus basilicarum ac collegiatarum, parochialium, ceterarumque tam saecularium quam regularium virorum, tamen ecclesiarum respective capitulis, rectoribus, conventibus, collegiis, superioribus et aliis quibusvis administratoribus, seu alias quomodolibet earum curam gerentibus, nec non omnibus et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut capitula quidem, rectores, conventus, collegia, superiores, administratores, et ecclesiarum curam gerentes praefati in eisdem basilicis et ecclesiis Urbis, dicti vero Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et locorum Ordinarii, per se, vel alium seu alios, per omnes civitatum et dioecesum suarum ecclesias respective, quibuslibet diebus dominicis et festivis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis et candelis accensis, praedictos sic excommunicatos et anathematizatos solemniter publicent, seu publicari curent et faciant.

» §. 4. Quod si forte aliqui, contra tenorem praesentium, talibus

excommunicatione et anathemate illaqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri. . . »

Haec referuntur ad modum quo puniebatur gravissimum illud sacrilegii genus coram catholica societate: qui modus et poenae pro rerum et societatis adiunctis possent in huiusmodi criminibus magis minusve renovari, prae oculis habita hac ultima Clementis X constitutione.

Exinde quoque apparet, quam iuste antea in Bulla coenae, nunc in Constitutione *Apostolicae Sedis*, inter excommunicationes speciali modo reservatas recenseatur peculiaris articulus de quo agimus.

Considerantes itaque hunc articulum V *pag. 10* Constitutionis, *Apostolicae Sedis*, quem sibi Romanus Pontifex *speciali modo* reservavit, eodemque collato cum articulo II *pag. 16*, de iis qui violentas manus, suadente diabolo, iniiciunt in Clericos vel Monachos, quem articulum sibi *simpliciter* Pontifex reservavit, quaeri potest: qua relatione se habeant, idest, 1° an qui iniuriam inferant maioribus Ecclesiae dignitatibus iuxta dictum articulum V, incurrant etiam excommunicationem alterius articuli II.

Praeterea, 2° an, si reus violentiae illatae evadat excommunicationem articuli V, quia sub verbis huius articuli ex iniuriae illatae genere non comprehensus, possit tamen incidere in excommunicationem dicti articuli II, propterea quod Episcopi sint etiam Clerici.

Insuper, 3° cum articulus II admittat satis amplam interpretationem, quaeri potest, an eandem amplam interpretationem admittat articulus V, cum de eadem re agat.

Respondeo, dictos articulos ad invicem ita se habere, quemadmodum species se habet ad genus. Cardinales enim et Episcopi pertinent ad ecclesiasticam Hierarchiam tamquam ad commune Clericorum genus, de quo disponit articulus II: sunt praeterea in ipsa Hierarchia principes, de quibus ideo specialis articulus V disponit. Inde apparet quid respondendum sit ad tria quaesita.

Ad primum respondetur, cum in utroque articulo sit excommunicatio lata ob eandem iniuriarum causam, una tantum contrahitur excommunicatio, hoc tamen discrimine, quod excommunicatio contracta vi articuli V graviores secumferat extrinsecos effectus. De qua re sic scripsit Thesaurus, *de poenis, part. 1 c. 8:* « Quando vero in eodem obiecto concurrunt diversae circumstantiae se habentes ut genus et species tunc... quoad poenas latae sententiae distinguendum est; quia si sunt poenae eiusdem speciei, non iterantur, sed confunduntur; ita ut una et eadem censeatur imposita, undo

» excommunicatio lata in Canone » *Si quis suadente diabolo, 17. q. 4* » contra percutientes Clericum non » censetur iterata in *Clement. 1 de* » *poenis*, contra percutientes Episco- » pum, sed una tantum incurritur. »

Ad secundum respondetur, eum, qui ob iniuriae illatae genus, aliamve causam forte non comprehenderetur sub articulo V, posse utique comprehendi sub articulo II; cum articulus II se habeat tamquam genus; et articulus V tamquam species. Quod et de usurpantibus bona ecclesiastica contingit: namque usurpantes bona ecclesiastica, si evadant excommunicationem articuli XI *pag. 14,* non facile evadunt excommunicationem Tridentinam *pag. 35 et seqq.* cum articulus XI se habeat tamquam species et dispositio Tridentina tamquam genus.

Ad tertium respondetur, non videri articulum V eandem latam interpretationem admittere, quam dictus Articulus II admittit: ratio eadem est; quia articulus V, sanciens contra percussores Cardinalium aut Episcoporum est articulus specialis, considerans specialem personarum genus, quod per se iam continetur sub generali articulo II de percussoribus Clericorum: cum itaque articulus V sit nova quaedam et specialis dispositio, graviori censura sancita, manente in suo pleno vigore articulo II, verba articuli V stricto sensu videntur accipienda iuxta communem censurarum et poenarum regulam. Et secundum eiusmodi sensum haec censura, ex Bulla coenae desumpta, fuit ab auctoribus intellecta, qui multos casus de more facientes, quamvis in solutione non semper conveniant, consentiunt tamen locum habere consuetam regulam de stricta interpretatione facienda. Confer Tornacenses ephemerides, quibus titulus *Nouvelle Revue Théologique vol. 3 pag. 160 et seq.* ubi multi casus ab auctoribus propositi exponuntur.

Ut haec aliquo exemplo confirmem, finge casum, Episcopum residere extra suam dioecesim, puta in loco suae nativae habitationis; quaeritur, an si ex hac domo eiiciatur, incurrant eiicientes excommunicationem articuli V ob verba: *aut eos e suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes?* Suarez, *de censuris disp. 21 sect. 2 n. 70,* affirmat, dicens: « Hanc censuram incurrunt » Principes, aut Gubernatores rei- » publicae, qui per huiusmodi exi- » lia aut eiectiones cogunt eiusmo- » di personas ecclesiasticas ad ali- » quid faciendum vel omittendum, » eis mandantes, ut a suis dioece- » sibus vel territoriis exeant. . . . » vel certe ab illis in quibus nati » sunt aut domicilium habent: nam » illae *(terrae)* etiam proprie dicun- » tur terrae suae. » Bonacina, *Tractatus de censuris omnibus disp. 1. q. 12 pun. 1 n. 17 et 18,* tamquam probabiliorem eiusmodi opinionem amplectitur, ait tamen, *quamvis contraria opinio carere non videatur probabilitate.*

E converso Castropalaus, *tract. 29 de censuris disp. 3 pun. 12 n. 4* cum Navarro, *manual. confessar. c. 27 n. 67*, Ugolino *Tract. de censur. Papae reservat. p. 2 excom. 11* §. *1 n 4*, Duardo et Mazzotta, docet, iuxta legis sententiam, eiusmodi casum non comprehendi: agitur enim in lege de eiectione e locis suis, idest e locis suae iurisdictioni subiectis, in quibus iura et functiones suae dignitatis exercent.

Haec secunda opinio videtur probabilior. Nemo tamen denegare poterit, ob eiusmodi vim eiectionis Episcopo illatam, eiicientes certo incidere in excommunicationem inflictam in art. II de iis agente, qui violentas manus in clericos iniiciunt, quae excommunicatio est simpliciter Romano Pontifici reservata.

Item sit aliud exemplum. In articulo V de quo agimus, legimus sub censura comprehensos etiam *ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem*. Quaeri potest, an ille, qui eiusmodi facinora possit impedire et non impediat, ita ut non impediendo existimetur consentiens, habendus saltem sit tamquam fautor seu favorem praestans?

Eiusmodi vir non posset poni inter eos, qui dicuntur *mandantes*; namque mandantium nomine illi intelliguntur, qui crimen mandant, ita ut vi mandati crimen sequatur. Eiusmodi vir poni non posset inter *rata habentes*; namque nomine rata habentium, illi veniunt, in quorum nomine facinus est patratum, quod postea ratum habent: de qua re Bonifacius VIII in cap. *Cum quis, de sententia excom.* sic respondit: « *Cum quis absque tuo mandato manus iniicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris: cum ratihabitio retrotrahatur, et mandato debeat comparari. Si vero iniectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius vinculo innodaris: cum quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non est gestum.* »

Neque videtur eiusmodi vir inter *praestantes in eis auxilium* recensendus; nomine enim auxilium praestantium illi veniunt, qui prudentes ac scientes opem suam tribuunt aut media, quae, iuxta cognitam delinquentium mentem, inserviant ad patrandum crimen; ita ut auxiliantes dici inde vere possint in patratum crimen positiva actione sua aut per collata media, puta per arma, pecuniam, cucurrisse. Quae quidem non aptantur in eum, qui cum possit impedire crimen non impediat, quamquam ex abstinentia actionis dici possit consentiens.

Neque comprehenderetur eiusmodi vir inter *praestantes in eis consilium*, quod praestatur suadendo, rogando, impellendo, instruendo, utilitatem criminis ostendendo; haec omnia tamen agendo intra suasionis aut persuasionis limites, ne praestans

consilium confundatur cum praestante auxilium, aut cum mandante. Consiliarius ergo morali sua consilii actione in patratum crimen verissime concurrit tamquam moralis causa, non tamquam causa principalis; quod non facit ille qui abstinet etsi possit impedire crimen.

Superest itaque videre an eiusmodi abstinens recenseri possit inter *praestantes in eis favorem*. Eiusmodi favoris verbum latius patet quam auxilium et consilium, si eiusmodi verba strictiori sensu accipiantur ut accipienda sunt; nam si late accipiantur, qui favet etiam auxiliatur. Unde Bonacina *loc. cit. disp. 1 q. 12 pun. 1 n. 29* favens idem est scripsit ac « aliquid facere » conferens et iuvans ad finem ab » alio intentum. Quamobrem qui » commendat vel laudat delinquen- » tem ut delictum committat, aut » qui eumdem tuetur, comitatur, » *vel alia simili ratione* adiuvat, » ut crimen tuto perpetret, dicitur » favere; consequenter censuris con- » tra fautorem in tali crimine latis » obstringitur. »

Atque etiam favor, ceu tradunt auctores, influere debet in delictum; atque ita, ut si in delictum realiter non influxerit, puta quia eodem modo patratum fuisset sine praestito favore, fautor quantumvis culpabilis non contraheret censuram (1).

Ille itaque qui sua actione possit impedire crimen, atque ita impedire possit, ut si non impediat censeatur consentiens, neque videtur comprehendi (2) sub eorum nomine qui fautores proprie dicti vocantur, qui scilicet favore praestito in crimen reapse influant, sensu supra a Bonacina exposito. Qua de causa si praesens quaestio vi huius Capitis V esset dirimenda, vel ex Cap. XI Bullae Coenae, ex quo desumptum est, difficillime decerni posset an huiusmodi abstinens inter fautores esset recensendus; quia citati Canones loqui videntur de favore, qui in crimen reapse influat.

Verum quominus ita rem intelligamus, obstat Caput *Quantae 47 de sententia excom. in 6.*, in quo Capite Innocentius III loquens de Canone *Si quis suadente diabolo*, expresse inter fautores recenset, qui cum possint impedire crimen, non impediunt; ait enim: « Ne autem » solos violentiae huiusmodi auctores aliquorum praesumptio existimet puniendos, facientes et consentientes pari poena plectendos

(1) Favor itaque debet praecedere perpetrationem delicti, quo possit in illud influere; attamen si favor promissus fuerit ante delictum, vel si hoc patratum fuerit sub fiducia illius favoris, cuius spes data sit a favente; ab eo excommunicatio incurritur, quia dicendus est favore suo reapse in crimen influxisse. Per actus vero delicto posteriores, quibus favor reo praestitus est, ut si quis ex. gr. eum domi abscondat, pecuniam subministret ad evadendam humanam iustitiam etc., nemo excommunicationem incurrit, quia hi actus nullimode in crimen influxerunt. *Nota continuatoris.*

(2) Hucusque cl. Avanzini ex chartula quae superfuit.

» catholica condemnat auctoritas. » Eos delinquentibus favere inter» pretamur, qui cum possint, ma» nifesto facinori desinunt obviare.»

Innocentius III igitur eos delinquentibus favere interpretatur, qui cum possint, crimen non impediunt; abstinentes igitur inter fautores sunt recensendi.

At ex hoc ipso Capite quaestio dirimenda venit, quae ex naturali verborum sensu exurgit; quinam, scilicet, illi sint qui designantur sub verbis: *qui cum possint*. E sacrorum enim Canonum tractatoribus alii censent, eos tantummodo comprehendi qui ex officio quod exercent et ex iustitia crimen impedire tenentur; alii eos etiam comprehendi iudicant qui tenentur ex charitate.

Et quidem quoad eos qui ex iustitia crimen impedire tenentur res est ex ipso capite manifesta, prout a praecipuis Canonistis exponitur et intelligitur. Dicit enim, eos delinquentibus favere, proindeque excommunicationem incurrere, *qui cum possint*, id est potestatem habeant, *tamen manifesto facinori desinunt obviare*.

Qua de causa ipsa Glossa haec subdit: « Nota quod qui clericum » verberat et qui verberari facit, » vel consentit cooperando, vel qui » auctoritatem habet ex officio, et » non prohibet si potest, est vere » excommunicatus. Et sic nota quod » facientes et consentientes par poe» na constringit. »

Atque paullo post, relatis aliorum opinionibus, ita Glossa concludit: « Haec generaliter dicere (nempe » quod Caput *Quantae* ad quoslibet » fautores quocumque modo nega» tivos se extendat) grave est. Unde » alii dicunt quod ad solos praela» tos, sive iudices, vel alios qui ha» bent potestatem in alios hoc » pertinet; et ad hoc tenentur qui ratione potestatis ad hoc tenentur, » et non alii. Unde si ego qui non » habeo aliquam potestatem video » quod aliquis vult verberare cle» ricum, sive percutere sine meo » consilio vel auxilio, non credo » quod sim excommunicatus si non » prohibeo illum, licet alias forte » peccem, quia ipsum non defendo » cum possim; poena enim non de» bet amplius egredi quam delictum » reperiatur. Et quod dicit *qui cum* » *possint*, intelligo de his qui ra» tione potestatis quam habent in » illos ad hoc tenentur; alias con» sentire videntur, et praestare » auctoritatem si vident illum, et » non prohibent. »

De cetero auctores probatissimi hanc sententiam aperte tuentur. Pirrhing de extensione huius Capitis ait: « Quod intelligendum est » si ex officio et iustitia teneantur » impedire percussionem Clerici, et » non faciunt, incurrunt excommu» nicationem » etsi *non improbabilem* illorum sententiam appellet, qui affirmant, eos quoque in excommunicationem incidere, qui ex charitate percussionem clerici impedire

tenentur. *Ius Can. lib. V. tit. XXXIX n. 36.*

Idipsum vero confirmat Reiffenstuel: « Tandem, inquit, eiusdem » violentae iniectionis et excommu» nicationis rei sunt, qui dum sine » gravi suo incommodo possent, et » ex officio talem iniectionem vio» lentam impedire tenerentur, non » impediunt; consequenter eidem » favent et tacite consentiunt; vel» uti si ab ea proposita vel atten» tata pater filium, dominus servum, » magistratus vel alius superior non » impedit subditum. » *Ius can. univ. lib. V. tit. XXXIX. n. 114.*

Tandem, ut ceteros praetermittam, Schmalzgrueber affirmat, incurrere hanc excommunicationem illum « qui cum sine gravi incom» modo posset, et ex officio sive » iustitia teneretur, non impedit. » *Ius Eccl. univ. Pars IV. tit. 39. n. 220.*

Ex iis vero ruunt quae scripsit clarissimus Roncaglia in sua *Universa morali Theologia tract. IV. q. 3. c. 3.* « Verum si ex taciturnitate, » vel ex non opposito impedimento » delinquens non moveatur ad pa» trandum delictum; probabile mihi » est, non impedientem non ligari » censura praesentis canonis, quia » non impediens in rigore non pot» est dici favere, consulere, auxilia» ri, quae in praesenti canone pro» hibentur. »

Ruunt, inquam; nam in cit. Cap. *Quantae* aperte asseritur, eos qui possunt, id est *potestatem habent,* si manifesto facinori non obviant, delinquentibus favere, proindeque excommunicationem incurrere. Ii vero qui potestatem habent, et tacent, neque manifesto facinori impedimentum opponunt, graviter peccant delinquentem non cohibendo, cum ad impedienda crimina ex iustitia teneantur; et ex hoc quod praefecti in crimina aliquando iuxta statutas leges non animadvertant, animum delinquentes sumant ad crimina perpetranda; ideoque praesumuntur favorem facinorosis hominibus impertire. Neque nocet, quod Roncaglia affirmet in casu *delinquentem non moveri ad patrandum delictum ex taciturnitate vel ex non opposito impedimento:* consequenter aliis de causis moveri; nam semper verum erit, potestatem habentem ex iustitia teneri ad impediendum delinquentis crimen, reumque coercendum, neque posse crimen impune permittere.

Qua de causa Roncallii sententia vera utique erit si de homine agatur qui nullam in delinquentem habeat potestatem, et dummodo dolus non suppetat, falsa autem censenda est si agatur de iudice, de Magistratu, de Praefecto qui ex officio quod exercent crimen impedire teneantur.

Equidem quis subsumere posset: haec generice dici, Roncallii autem sententiam in individuo se habere, in casu scilicet quod aliquis omnimode sit crimen patraturus, nullo respectu habito ad taciturnitatem

illius qui habet potestatem; quo in casu nullo pacto dicendus est ex. gr. praefectus in crimen influxisse. Nam eiusmodi difficultati respondetur, Praefectum, abutatur nec ne delinquens eius taciturnitate, teneri ad impediendum crimen; Caput *Quantae* autem non ad hoc respicere, utrum nempe potestatem habentes *influxerint nec ne in crimen*, sed ad hoc quod *cum possent, manifesto facinori desiverint obviare* (1).

Non me latet tamen virum doctissimum argumentari: ex ipso Cap. *Quantae* constare *non impedientes exprimi quoties Pontifex vult eos censura ligare*. Sed hoc verum esset quoties Pontifex aliquod distinctum caput protulisset, non autem cum latae legis verba interpretatur, edicitque per aliud caput quousque verba illa se extendant; hoc enim in casu adiectum caput declaratio est, iuxta quam lex lata est interpretanda. Nonne enim nos contra ipsum doctissimum Roncaglia ita argumentari possumus: Ex cap. *Quantae* constat, inter favorem praestantes eos esse recensendos qui dum possunt manifesto facinori desinunt obviare. Ergo cum in Cap. XI. Bullae Coenae disertissimis verbis excommunicentur qui favorem praestant, quis unquam dubitare poterit illis praedictos abstinentes esse adnumerandos? Ita enim favoris verbum esse interpretandum declarat Caput *Quantae*. Hoc vero ut exemplo ex subiecta materia desumpto exponatur; omnino certum est, violentas manus, suadente diabolo, in clericos vel utriusque sexus monachos iniicientes excommunicationem incurrere Pontifici nunc simpliciter reservatam. Cum autem anteactis saeculis, in aliquibus regionibus usus vigeret ut si quis alium offendisset, offensor ultro sese correctioni subiiceret, atque ab offenso aliquos verberum ictus acciperet, hinc a Pontifice quaesitum fuit: an Clerici qui ita agebant, permittebant, scilicet, ut ab offenso verberarentur, excommunicationem incurrerent. Respondit: « Fraterni-
» tati tuae super hoc respondemus,
» quod huiusmodi manus iniectio
» etsi non violenta, tamen iniuriosa
» videtur, cum ille Canon non tam
» in favorem Clerici ordinati, quam
» in favorem ordinis clericalis fue-

(1) Arbitror, Roncallii casum practice, in actu scilicet Sacramentalis Confessionis, esse insolubilem, a nulloque confessario posse dirimi. Fac enim ut delinquens minime abusus taciturnitate Praefecti Episcopum percutiat. Praefectus ad Confessarium, eique aperit, se nullum delinquenti favorem praestitisse, attamen cum posset, non impedivisse crimen; se autem nescire an delinquens motus fuerit ad patrandum crimen ex taciturnitate et non opposito a se impedimento quod ex officio opponere tenebatur. Confessarius novit dispositionem Cap. *Quantae*. Sed quid acturus erit? Profecto nihil, nisi prius delinquentem interroget, vel aliunde noverit, motus, nec ne, fuerit ad patrandum delictum ex taciturnitate vel ex non opposito impedimento quod Praefectus opponere tenebatur. Dubium esset de facto, non de iure.

» rit promulgatus. Ideo et volumus » et mandamus ut id de caetero » prohibeas attentari. Si quis au- » tem Clericus post prohibitionem » huiusmodi sponte se subiecerit, » excommunicetur. » Cap. *Contingit de sent. excom. in 6.*

Ex quo capite unusquisque videt, clericum in sui percussionem consentientem esse excommunicandum *si post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit.* Supponit ergo ex Cap. *Si quis suadente diabolo* clericum non esse excommunicatum.

Quid autem si Pontifex simpliciter respondisset: eos Clericos contra caput *si quis suadente diabolo* delinquentibus annumerari qui ultro se sponte verberum ictibus subiecissent? Profecto si Pontifex ita locutus fuisset, Clerici huiusmodi non vi capitis *Contingit,* sed vi Capitis *Si quis suadente diabolo* excommunicationem incurrissent. Ergo a pari cum in Capite *Quantae* ii dicantur favorem praestare *qui dum possunt, manifesto facinori non obviant,* non ex hoc certe capite, sed ex ipso Can. XI. Bullae Coenae excommunicationem huiusmodi abstinentes incurrunt; hi enim duo Canones unum efformare dignoscuntur; quod adeo evidens est ut in Cap. *Quantae* nulla habeatur lata excommunicatio.

Non ita tamen rem se habere quoad eos qui ex charitate crimen impedire tenentur tum caput, tum interpretes, tum ratio demonstrat. Caput enim *Quantae* cum de iis loquatur qui habent potestatem, qua ratione extendi ad illos poterit qui qualibet auctoritate carentes crimen non impediunt? Cum lex odiosa sit, stricto sensu est accipienda.

Neque aliquid suffragatur notissimum effatum: *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* L. de pretio ff. de publican. Nam quid si interpretes, consuetudo, et Canonistae praestantissimi distinxerunt? Quid, quod *verba quae possunt dupliciter intelligi debent in humaniorem partem interpretari?* L. fin. Cod. de comm. Ser. manum. Quid, quod *in poenalibus causis benignius interpretandum?* L. 155 §. 2 ff. de iur. et fact. ignor. Qua de causa cum Barbosa optimo iure concludendum esse censeo; optime distingui posse, *cum alia lex distinguit, vel cum ratio ex illa, vel ex legibus desumpta id facit.* Axiomata 136 n. 4.

Atque est sedulo advertendum, praefatum Canonem huiuscemodi citari: *Excommunicatus est dolose permittens clericum percuti, ex quo poterat prohibere et non prohibuit.* Dolus ergo aliquis in eiusmodi permissione supponendus est ut excommunicatio incurratur; dolus autem aliud non est quam *calliditas, fallacia et circumventio ad aliquem decipiendum;* si ergo dolus absit, permittens, vel abstinens delinquenti favere dicendus non est. Qua de causa Barbosa *Iuris eccl. univ. lib. 1 de privil.*

cleric. Cap. XXXIX. §. 1 n. 50. inquit: « Idem verum esse credo non » solum in eo qui habet potestatem » et iurisdictionem in verberante, » ut sunt iudices, potestates et prae- » fecti, sed etiam in eo qui licet » non habeat ex officio talem po- » testatem, dolose non prohibet. » Atque paullo post: « Quod si talis » non dolose, sed ex negligentia, » vel quia non vult se immiscere » rumoribus aliorum, non prohi- » bet clerici percussionem, tunc » non incidet in excommunicatio- » nem. »

Et quidem omnino rationabiliter; nam ut concludit Glossa: « nul- » lus est excommunicatus ex facto » alterius nisi participando vel in » locutione, vel in oratione, aut in » crimine, vel nisi mandatum vel » auctoritatem praestiterit. Sed hic » (quod probe notandum est) nullo » tali modo participat. »

Non omnis itaque qui eiusmodi facinora possit impedire et non impediat; sed illi tantummodo qui ea possint impedire, et tamen *dolose* non prohibent; vel qui *ex officio et iustitia* ea impedire tenentur et non impediunt dum possunt, hi delinquenti favere, consequenter in excommunicationem incidere dicendi sunt; non autem illi qui ex sola charitate impedire ex. gr. Episcopi percussionem tenerentur, et tamen non impediunt.

Interea abstinentes huiusmodi utique excommunicationem incurrere dicendi sunt ex vi Capitis V, cum in eo capite expressa mentio habeatur favorem praestantium, inter quos et abstinentes in sensu exposito sunt recensendi. An autem abstinentes huiusmodi a prohibenda percussione Clericorum excommunicationem incurrant ex vi Cap. *Si quis suadente diabolo,* perpendemus in illius Capitis tractatione.

Haec vero hoc loco disputavi ut quaestioni ab cl. Avanzinio propositae facerem satis. Nunc oratio ad ordinem ab ipso capite praestitutum revocanda est.

Et primum notanda est differentia quaedam intercedens inter Articulum V. Constitutionis *Apostolicae Sedis* et Articulum XI Bullae Coenae, ex quo ille desumptus est. Articulus XI in Bulla Coenae prout fuit a Benedicto XIV promulgata, ita legebatur: « Item excommuni- » camus et anathematizamus omnes » interficientes, mutilantes, vulne- » rantes, percutientes, capientes, » carcerantes, detinentes, vel hosti- » liter insequentes Sanctae Roma- » nae Ecclesiae Cardinales, Patriar- » chas, Archiepiscopos, Episcopos, » Sedis Apostolicae Legatos vel » Nuncios, aut eos a suis Dioecesi- » bus, territoriis, terris, seu domi- » niis eiicientes; nec non ea man- » dantes, vel rata habentes; seu » praestantes in eis auxilium, con- » silium, vel favorem. »

Porro comparatione duorum capitum instituta, articulus V in uno tantummodo deficit; in eo enim non habetur *vulnerantes;* in aliis

omnibus identicus plane est cum articulo XI Bullae Coenae (1).

Sed ad explanationem capitis pergendum est.

Et quoad *interficientes,* quo nomine illi veniunt qui alicui mortem violenter inferunt, Canonistae nonnulla quaerunt quae mihi, ni tamen fallor, superflua videntur.

Quaerunt enim: quid dicendum sit si mors non vi illatae percussionis aut vulneris vel ictus sequatur, sed ob incuriam vel ignorantiam medici curantis? Item, quid, si quis intendens leviter Cardinalem vel Episcopum percutere, praeter intentionem gravissime percutiat et occidat?

Ad quid enim hae in re nostra quaestiones? Etiamsi enim ultro concedatur, neutro in casu mortem delinquentibus posse imputari, certum tamen est, eos in utroque excommunicationem incurrere, ni ex capite *interficientes,* certe ex capite *percutientes.* Porro de excommunicatione quaeritur hoc in capite, non de homicidii imputabilitate. Neque tot sunt diversae excommunicationes quot tituli, sed una tantummodo incurritur, sive Cardinalem quis interficiat, sive percutiat, sive mutilet; atque tunc tantummodo multiplicabuntur excommunicationes cum quis plures ex illis actionibus posuerit: ex. gr. si quis prius percutiat sine occidendi animo, postea mutilet, demum interficiat.

Atque idem dicendum videtur de illa alia quaestione: quid scilicet sentiendum si mors non ex illato ictu sequatur, sed ex quo Cardinalis volens ictum, fugam arripiendo, evitare, praeceps in terram abierit? Esto enim quod delinquens non incurrat excommunicationem ex Capite *interficientes,* incurret certo certius ex Cap. *hostiliter insequentes,* si tamen Cardinalem insecutus est.

Mutilatio nil aliud est quam abscissio et separatio membri alicuius, quod habeat proprium officium, a corpore. Qua de causa qui discerperet Praesuli aut Cardinali capitis crines, aut dentes pugno abrumperet, aut abscinderet partem aliquam carnis proprio officio destitutae non diceretur mutilare; hic tamen incurreret excommunicationem ex titulo *percutientes,* sicut in articulo XI incurrebat ex Cap. *vulnerantes;* atque omnimodis ex Cap. *Si quis suadente diabolo.*

(1) In quodam Commentario edito anno 1874 adnotatae sunt aliae differentiae inter duos hos articulos; praesertim quod in nostro articulo V legantur verba *capientes, carcerantes, quae in Bulla Coenae* (ita scriptum reperio) *prorsus desiderantur.* Hinc inferunt auctores, quod *in hac parte lex nova veterem legem extendit.*

In Bulla Coenae promulgata a Benedicto XIV, ex qua articulum XI desumpsimus, ea verba minime desiderantur, sed identice habentur. Quod si in antiquioribus desint, non refert. Solent enim singuli Romani Pontifices initio Pontificatus sui illam innovare, eaque addere quae sibi opportuna visa fuerint, ut ex ipsius Bullae lectione etiam patet. Qua de causa lex nova nullimode veterem legem extendit.

Quoad *percutientes*, nil refert an quis percutiat manu baculo, saxo. Cum autem ad incurrendam eiusmodi censuram requiratur percussio proprie dicta; qui sine percussionibus, vestes ex. gr. Cardinalis aut Episcopi laceraret, non esset percutientibus accensendus. Sed hic incurreret excommunicationem ex Cap. *Si quis suadente diabolo*, nisi alia suppetat actio, qua illam ex ipso Cap. V incurrat.

Quoad *capientes*, seu arrestantes adnotetur, non referre an quis capiat Cardinalem vel Episcopum ea intentione ut ipsum postea alteri tradat; ipsa captio aut arrestatio sufficit ut quis excommunicationem hanc incurrat: incurritur igitur effectu secuto.

Carcerare nil aliud est, inquit Bonacina, « quam aliquem in aliquo » loco custodire ne fugiat, seu tra» dere in aliquem locum et custo» dire ne exire possit; ad hunc » enim finem carcer inventus est. » *De Censuris aliisque poenis eccl. disp. VII quaest. 12 punct. 1 n. 4.* Hinc necessarium non est ad excommunicationem ex hoc cap. incurrendam, Episcopum vel Cardinalem in publicos carceres detrudere. Atque de cetero incurritur sive carceratio fiat publica auctoritate, sive privata.

Quaeritur: Si quis Episcopum vel Cardinalem caperet et carceraret, incurreret ne excommunicationem ex duplici capite? R. Certum est excommunicari hoc in Cap. tum capientes tum carcerantes; considerandae sunt itaque veluti duae actiones distinctae. Captio autem potest sine carceratione concipi et dari; potest enim quis capi quin in carcerem detrudatur, quamvis non possit in carcerem detrudi quin prius capiatur. Qua de causa respondendum censeo: Si captio ordinata sit ad carcerationem, ita ut ideo ex. gr. Episcopus capiatur ut in carcerem detrudatur, quoniam hoc in casu hae duae actiones uti una considerandae sunt, non incurritur excommunicatio ex duplici capite. Secus autem si prius alia de causa capiatur, et postea in carcerem mittatur, tunc cum sint duae actiones distinctae, quarum una non ordinatur ad aliam, ex duplici capite excommunicatio incurritur. Atque ideo in absolutione petenda aperienda est duplex illa actio distincta, ne absolutus ab excommunicatione ob unam actionem incursam, ligatus adhuc maneat a censura incursa ob aliam actionem.

Sed quid de militibus de gubernii mandato Cardinalem vel Episcopum carcerantibus?

R. Sunt hi prorsus qui excommunicationem incurrunt ex capitibus *capientes et carcerantes*. Civiles Magistratus incurrerent uti *mandantes*.

Detinere est quovis loco inclusum custodire ne excedere possit *Ex L. 1 D. De Cust. Reor.*; hinc cum versemur in poenalibus, importat physicam actionem violentam

qua detineatur et impediatur persona capta. Roncaglia *Mor. Theol. Univ. Tract. IV de Censuris Quaest. IV R. 1.* Unde iuxta Bonacinam *De censuris dist. 1 q. 10 p. 1 n. 33* non incurreret hanc excommunicationem qui solo praecepto detineret: ex. gr. si civilis magistratus literis datis intimaret Episcopo, ne domo egrediatur.

Custodes carcerum publicorum detinendo Episcopum de gubernii mandato in carcerem coniectum, incurrerent ne hanc excommunicationem?

Respondendum videtur affirmative; ipsi enim sunt qui inclusum, in casu, custodirent Episcopum ne excedat, atque ponerent physicam actionem violentam qua captus Episcopus impeditur. Praesens autem Canon, ut advertit Roncaglia *loc. cit.* non solum vult ligatum excommunicatione qui capit, sed etiam illum, qui postea captum detinet. Canon autem non distinguit inter eum qui propria, et eum qui aliena auctoritate aliquem detinet.

Circa *hostiliter insequentes* adnotandum est, ex hoc Capite hostilem insecutionem haberi cum ordinatur ad percutiendam, capiendam, carcerandam aliquam ex dictis privilegiatis personis, non vero cum ad alium finem ordinatur v. gr. ad eas in honore laedendas. Quare non satis firma censenda sunt quae scribit Roncaglia *loc. cit. Cap. III Q. 2 R. 2.* « Item in praesenti diceretur » hostiliter Cardinalem.... insequi, » qui absque animo graviter offen- » dendi, adhuc tamen publice et » manifeste insequeretur, ita ut valde iniuriosa haec persecutio appareret; id enim solent facere » hostes. » Non enim actio quae in simplici iniuria quantumvis gravi versetur, sed actio seu insecutio quae ordinetur ad interficiendum, mutilandum, capiendum etc. prohibetur, prout etiam ex contextu apparet. Atque insecutio huiusmodi importat motum physicum unius fugientis et alterius insequentis; quae diversa est ab insecutione morali, quae verbis fit, ex. gr. calumniis, falsis testimoniis et multiplici iniuriarum genere. Nil autem refert fiant haec domi vel per viam.

Subscribendum proinde Passerinio est, qui in suis Commentariis in lib. VI Decretal. lib. V. Cap. *Felicis V* de poenis n. 6 satis accurate scribit: « Hostilis insecutio » est quaecumque fit animo hostili, » sed talis censeri non debet quae » fit animo quocumque modo nocendi fugienti in honore aut bonis; » sed illa quae fit ad percutiendum » Cardinalem, vel capiendum, vel » occidendum, ut est de mente » Suarez *De cens. disp. 22. Sect. 3.* » Et ratio est manifesta, quia punitur haec insecutio, etiam alio » effectu non sequuto, ut dicetur » infra. Et sic punitur ut est conatus et attentatio alicuius alterius criminis per hanc legem prohibiti; cum vero hic non prohibeantur nisi percussio, captio, et

» occisio Cardinalis, nec censeri » debet, quod puniatur insecutio, » nisi quae fit ad percutiendum, » capiendum, aut occidendum Car- » dinalem. Nec enim verisimile est, » quod lex prohibeat attentatum » alicuius delicti, quod ipsa non » prohibet, nec punit. »

Ex quibus omnino sequitur, quod si quis simul existens cum Cardinali, ipso non fugiente, vel non advertente, sagittam vel lanceam etc. in illum coniiciat, eumque non feriat neque corporaliter offendat, non subiiceretur huic excommunicationi, quia actus huiusmodi non est, neque potest dici hostilis insecutio.

Quare sequendam omnino censeo Bonacinae sententiam dicentis: « Sequitur, eum qui Cardinalem » persequens telum vel saxum pro- » icit, ut ipsum interficiat, obstringi » vinculo huius censurae, licet ipsum » non attingat; quia haec est hosti- » lis insecutio. Idem dic de eo » qui Cardinalem domi obsidet, ut » eum detineat, mutilet, vel occidat, » ut patet ex allata ratione. Secus » si solum paret se ad insequen- » dum, aut si obsideat, vel sequa- » tur solum ut verecundia aut verbis » contumeliosis afficiat. Summus » enim Pontifex sub excommunica- » tione prohibet actualem insecu- » tionem; actualis autem insecutio » non verba, sed factum significare » videtur. » *Loc. cit. n. 6.*

Quo sensu accipienda sint verba: *aut eos a suis Dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes* declaravit supra cl. Avanzini pag. 207 (1); sicut et declaravit pag. 208 et seq. qui sint *mandantes, ratihabentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, favorem.*

Attamen de mandante et consulente quaeritur: Quid si mandans revocet mandatum, consulens consilium?

R. Eos non incidere in excommunicationem si mandatum vel consilium ante delictum sufficienter revocent, et eiusmodi revocationem notam faciant criminis executori, licet iste deinde pergat in meditato scelere perpetrando; quia tunc non amplius vi mandati aut consilii, sed ex propria malitia scelus committere dicendus est; secus tamen si revocatio criminis executori nota non fuerit, quia tunc

(1) Declarare praestat quid sub nomine illorum verborum veniat. *Dioecesis* est territorium, cuius iurisdictio in spiritualibus et gubernatio unico praelato commissa est. Cap. *Episcopos* 7. q. 1.

Territorium, si proprie sumatur, significare videtur universitatem agrorum inter fines cuiuscumque civitatis, Terrae, Castri, oppidi existentium. Sed hic intellige universitatem locorum quae interiacent regno alicui, aut provinciae, aut Dioecesi.

Terra est urbs, oppidum, castrum quodcumque.

Dominium est locus in quo unus dominus habet potestatem. Non incurrunt hanc censuram illi qui personas, de quibus in Cap. non admittunt in suis terris, dominiis etc. Nam Articulus loquitur *de eiicientibus*, quo nomine intelliguntur qui expellunt ex. gr. Episcopum in possessionem Dioecesis iam ingressum.

ex vi mandati et consilii habiti agere praesumitur (1).

Non tamen sufficit revocatio quaecumque, sed debet esse efficax: quae scilicet tollat virtutem mandati et consilii positi in crimen admittendum. Diversa autem est ratio revocationis mandantem inter et consulentem; nam mandans sufficienter mandatum revocabit, si verbo, epistola, aut nuntio revocationem suam mandatario serio significaverit; aut si pacem et amicitiam aut parentelam cum eo contraxerit, cui malum parabatur, et hoc mandatario innotescat; ex eiusmodi enim pace vel constituta amicitia omnino hic intelligere potest et debet, mandantem meditatum crimen non amplius velle; atque hinc si omnibus posthabitis mandatarius crimen committat, innocens erit mandans. Non ita tamen de praestante consilium loqui debemus, in quo quid amplius requiritur. Hic enim ut *sufficienter* consilium suum revocet, nedum significare tenetur criminis executori mutationem suae voluntatis, sed etiam proponere rationes contrarium suadentes. Quae si prudentis viri iudicio sufficientes existimentur ad consilium praestitum revocandum, consulens non censebitur in crimen influxisse; si autem hae rationes tales non sint quae deterrere executorem a patrando scelere valeant, consulens adhuc censebitur esse delicti causa; nam in consilio nedum auctoritas consulentis sed (et fortasse praecipue) rationes ab ipso allatae influunt; quare si hae per contrarias rationes quodammodo destructae non sint, semper in delictum influere censebitur.

De cetero Confessarius in diiudicandis rationibus a consulente allatis ad praestitum consilium revocandum neque scrupulis angi, neque metaphysicis subtilitatibus indulgere debet. Cum enim consilium datum fuerit ad delictum patrandum, cum rationes adductae fuerint vel circa modum patrandi criminis, vel humanam iustitiam evadendi etc., si consulens consilium revocet, dicatque se pessimum dedisse consilium quod ducat ad interitum aeternamque perditionem, de eo se sincere dolere, se illud revocare, rationesque a se adductas fallaces esse, ut fallaces demonstratae sunt in aliorum criminum executione, ego puto consulentem muneri suo satisfecisse, et si executor delictum perpetraverit, innocens erit consulens. Quaecumque enim rationes ab eo fuerint allatae, nonnisi peccaminosae et pessimae esse

(1) Tenenda autem omnino illorum sententia est qui affirmant, mandantem excommunicationem incurrere post patratum ab mandatario crimen, non ante executionem; quia hoc in Capite primo excommunicantur interficientes, mutilantes, percutientes etc., deinde quasi legem extendendo additur, *nec non ea mandantes*, etc.

Quid autem si mandans praemoriatur antequam mandatarius exequatur crimen? R. Non incurrit excommunicationem, quia mandatum expirat morte mandantis.

potuerunt, cum fuerint adductae ad scelus persuadendum, ad quod fallaces utique, verae rationes esse non possunt. Quare si peccatum, offensam Dei, eiusque iudicia ob oculos executoris ponat, tum fallaciam adductarum rationum, satis id prudenti Confessario esse debet ad sufficientem consilii revocationem.

Hinc non satis mihi placent quae hac de re scripserunt Salmanticenses *Cursus Theologiae moralis tract. X cap. 1 n. 153.* « Si timeat » (consulens) ipsum executurum » opus, quod illi consuluit, tenebi» tur ex iustitia monere laedendum » si spes fructus detur, ut se caveat » vel in particulari a tali homine, » vel in generali dicendo insidias » illi parari, oportereque cautum » et circumspectum se gerere. Et » si secus fecerit, cum posset, et » ad restitutionem tenebitur, et » censura pro tali actu lata liga» bitur; quia iam non modis omni» bus, quibus potuit, damnum alte» rius evitavit, in quod aliquo modo » influxit. » Quibus verbis imponitur consilium praestanti onus monendi partem laedendam.

Sed ego non intelligo quare *modis omnibus quibus aliquis possit,* teneatur evitare damnum alterius, in quod *aliquo tantum modo* influxit. Obligatio enim reparandi damnum tantum extenditur, quantum se extendit causa, ob quam damnum infertur. Sed si, ut dicunt ipsi Salmanticenses, posthabita revocatione a consulente facta, tum rationibus in contrarium adductis, executor in patrando scelere perstet, consulens *aliquo tantum modo* influxit in scelus, qua ratione ducti concludere possunt eum *modis omnibus* teneri ad scelus impediendum, ideoque ad monendam partem, et nisi admoneat tum restitutione tum excommunicatione implicari? *Eiusmodi consulens aliquo modo influxit in scelus. Ergo modis omnibus tenetur illud impedire.* Profecto in ista Salmanticensium ratiocinatione consequens magis patet quam antecedens; aliquid enim continet quod in antecedente non habetur.

Quod si Salmanticensium sententia in casu ab ipsis proposito valeret, valeret etiam in casu, in quo, parte laedenda a consulente admonita, executor tamen crimen perpetraret. Nam duo, ut ego arbitror, semper vera essent; et quod executor scelus admisit consiliorum habitorum intuitu, et quod consulens ea etiam praestando quae Salmanticenses praescribunt, modis omnibus quibus potuit crimen non impedivit; quia ad hoc modis omnibus impediendum necessarium esset, nedum admonere laedendum ut se caveat in generali, vel a tali homine in particulari, sed ei aperire consilia data et modos indigitare quibus scelus committendum est, et fortasse aliquid aliud. Sed eiusmodi onus neque ipsi Salmanticenses consulenti imponunt; esset enim importabile, quodque consulentem gra-

vissimis periculis posset exponere. Neque respondere iuvat, quod si post habitam admonitionem sive in generali, sive in particulari, laedendus ex. gr. interficiatur, id socordiae suae tribuere debeat; nam, si stat Salmanticensium ratiocinium, semper verum remanet, executorem perpetrasse scelus illa vel media, vel modos, vel consilia adhibendo, quae a consulente indigitata sunt; consequenter hunc in scelus admissum influxisse, atque teneri tum et-restitutione tum excommunicatione etiam postquam partem admonuit.

Quid plura? Si vera eiusmodi sententia esset, omnino ad idem praestandum, ut ego arbitror, compellendus esset et *mandans*.

Fac enim, hominem de crimine aliquo neque cogitare, mandans executionem criminis imponit; postea facti poenitens mandatum revocat, atque revocationem mandatario notam *sufficienter* facit. Hic vero, revocatione posthabita, crimine se commaculat. Ad quid tenebitur mandans? Profecto theologi ad nil aliud illum obligant nisi ad revocationem mandati, quae mandatario debeat esse manifesta. At certum est, mandatarium a mandante motum fuisse ad scelus patrandum, quo fortasse numquam sese commaculasset, cum de eo neque cogitaret. Ergo, si stat Salmanticensium sententia; cum, non obstante revocatione mandati, mandatarius perstet in crimine patrando, mandans tenebitur partem laedendam monere, quia mandato quod dedit reapse influit in damnum. Sed Theologi mandantem ad id non obligant; ergo neque obligare ad id debent *praestantem consilium* si et illud revocaverit, et rationes allatas ad persuadendum scelus fallaces falsasque demonstraverit.

Neque satis patrocinii causae suae acquirere possunt qui eiusmodi opinionem tuentur affirmando, a consulente crimen repeti omnino debere, cum executor nonnisi ab eo motus ad illud patrandum fuerit. Nam imprimis id semper verum non est, praesertim quando a mandante lato mandato, mandatarius exquirat a consulente modum exequendi criminis, vel alia adsit causa ob quam culpa ex integro in consulente refundi non debeat; 2. ad id compellendus esset et mandans. Sed esto: executor motus omnino fuerit ad scelus patrandum ob consilia et motiva a consulente praestita. Quid inde? Consulens certe tenebitur ad removendam criminis causam; sed eiusmodi causa fuere consilia data, modi ab ipso indigitati, rationes etc. Ergo si consulens eiusmodi consilia revocet, si modos et rationes indigitatas fallaces proclamet etc. iam criminis causam e medio abstulit. Quod si hisce omnibus posthabitis, executor in suscepto consilio patrandi sceleris perseveret, id eius obstinatae malitiae imputandum est, non consulenti, qui nullo pacto post revocationem consilii et motivorum, ut ita dicam, refutationem, potest dici patrati sceleris causa.

De cetero, cum Caput V. loquitur de consilium praestante, de eo certe loquitur qui malo consilio suo actu influit in crimen; at qui retractavit revocavitque omnimodis praestita consilia nullo pacto dicendus est actu in crimen influere, nam eiusmodi revocatione tantum aufert quantum posuit.

Quod si, hisce omnibus spretis, quis arbitretur, consulentem semper in crimen influere, ideoque teneri ad admonendam partem offendendam, si executor consiliorum revocationi non acquiescat, potest contingere quod numquam consulens obligatione sua solvatur.

Finge casum. Executor in instanti acquiescit revocationi consiliorum et rationum a consulente praestitae. Verum post unum, tres, decem annos iterum ad crimen patrandum adducitur *iisdem prorsus rationibus et consiliis motus quae primum sibi a consulente adducta sunt, atque iisdem modis indigitatis illud exequitur*. Quaero: Consulens tenebitur ne excommunicatione et restitutione? Nemo certe id affirmare auserit. Atqui tamen in Salmanticensium sententia utraque poena mulctari censendus erit, quia consiliis suis, et allatis rationibus in crimen influxit, cum executor iisdem motus crimen sit executus. Quae circumstantia excludit rationes quae desumi possent tum ex laxu temporis, tum ex mutata voluntate. Aut ergo consulens exonerandus est obligatione sua post revocationem consiliorum, et motivorum seriam refutationem; aut sin minus executoris voluntati acceptationem committamus, numquam ea consulens fortasse exonerabitur, si executor aliquando ex motivis indigitatis, praestitisque consiliis crimen perpetret.

Hinc doctissimus Schmalzgrueber hanc mitiorem sententiam tuetur, dum affirmat: « Consulens ut » sufficienter revocet suum consi- » lium praeter significationem mu- » tatae voluntatis, tenetur etiam » proponere rationes suadentes con- » trarium. Et si hae quidem pru- » dentis iudicio existimentur suffi- » cientes ad consilium iniquum » removendum, non amplius con- » sulens censebitur esse delicti cau- » sa. » *Ius Eccl. univ. Part. IV. Tit. XXXIX n. 223.* At si iuxta doctissimum iuris tractatorem, consulens post revocationem consilii, et rationes suadentes contrarium non amplius censetur esse delicti causa, quo pacto affirmari poterit eum in delictum influere, et teneri ad monendum laedendum si executor non acquiescat?

Haec sed vero cum pace omnium illorum dicta sint qui contrariam sententiam tuentur.

Sed quid, siquis consulat huiusmodi sacrilegium illi qui alias firmiter erat illud commissurus; ita ut praestita consilia nullimode in crimen influxerint?

R. Eiusmodi consulentem non incidere in excommunicationem;

nam in Cap. V. dicuntur excommunicationem incurrere *praestantes in eis* (actionibus scilicet mutilationis, occisionis etc.) *consilium*. Ex quo deprehenditur, consilium influere in crimen debere, quo excommunicatio incurratur; in casu autem non influit.

Neque huic responsioni obstant ea quae de *abstinente dum posset* supra scripta reperiuntur; quandoquidem abstinens ille ex Cap. *Quantae* incurrit excommunicationem ex quo dum teneretur ex officio et posset impedire crimen, non impedivit; quae semper subsistunt, abusus nec ne fuerit delinquens taciturnitate et non opposito impedimento. Non adest hinc inter utrumque casum paritas.

De *ratihabente* pariter adnotandum est, quod ut excommunicationem incurrat haec requiruntur.

1. Ut delictum nomine illius factum sit.

2. Ut illud ratum habeat tanquam suo nomine factum; secus si approbet non factum suo nomine.

3. Ut percussio, mutilatio, occisio etc. fiat eo tempore quo possit illam mandare.

4. Ut ratum habeatur crimen per aliquod signum externum, cum mere internus non sufficiat.

Verum circa tertiam conditionem qua asseritur, percussionem fieri eo tempore debere, quo ratihabens possit illam mandare, quaeri potest, et reapse fere ab omnibus Canonistis quaeritur: Si quis ratam habeat occisionem vel percussionem suo nomine factam tempore quo dormiebat, incurrit ne excommunicationem?

Circa eiusmodi quaestionem mihi adhaerere placuit Roncallio in sua *universa morali Theologia Tract. IV Cap. III Q. 1 R. 11* dicenti: « Si quis ratam haberet percussio-» nem Episcopi factam quando ipse » dormiebat, non incideret in hanc » excommunicationem. »

Quam sententiam ut aliquo modo declarem, praemittendum duco, Canonistas propemodum omnes, si Passerinium excipias et Pueronium, necessitatem huius conditionis admittere, quo ratihabens possit excommunicationem incurrere. Quandoquidem Bonifacius VIII textu supra relato *pag. 208 col. 2* apertissime duo affirmat: et *ratihabitionem retro trahi;* et *mandato debere comparari*. Ex quibus omnino sequitur necessitas conditionis praedictae; si enim ratihabitio retro trahitur, et mandato comparanda est, certe ratihabens in ea conditione versari debuit, ut mandare crimen potuerit quando crimen commissum est; secus quomodo ratihabere posset veluti suo nomine gestum quod ipse nec de facto mandavit, sed nec mandare potuit? ratihabitioni enim proprie dictae, de qua hic loquimur, intrinsecum et necessarium est ut actio ratihabentis nomine sit facta, cum Bonifacius VIII expresse dicat: « Si vero » iniectio eadem tuo nomine non

» sit facta, tunc licet peccet ratam » habendo eamdem, non tamen » propter hoc excommunicationis » ullius vinculo innodaris, cum quis » ratum habere nequeat quod eius » nomine non est gestum. »

Exinde inferunt SS. Canonum tractatores, quod si quis ratihaberet percussionem Episcopi in gratiam sui factam eo tempore quo ratihabens laborabat amentia, vel alia de causa usu rationis destituebatur, non incideret in excommunicationem; a qua tamen excommunicatione *ratihabens non excusaretur propter somnum aut ebrietatem*. Hanc sententiam solidis niti argumentis non puto.

Et imprimis, durissimum mihi videtur affirmari posse, SS. Canonum conditores respexisse hoc in capite ad impotentiam absolutam mandandi crimen, ut profecto dici de ratihabente deberet, si tempore quo delictum in sui gratiam patratum est, amentia correptus fuisset; hoc enim in statu mandatum, ut ita dicam, neque posset cogitari, cum mandatum datum ab actualiter amentibus nullum omnino censeatur, imo veluti non latum et non existens habeatur, ea prorsus de causa quod lumine rationis destituitur. Amentes enim, dum amentes sunt, in absoluta impotentia aliquid mandandi versari considerandi sunt, et ab omnibus considerantur. Quis enim umquam moraliter actiones amentibus imputat?

Neque quis dicat, actionem ratihabenti tributam, ab alio fuisse eius nomine positam, ratihabenti vero tribui ratione virtualis mandati, non realis; nam semper verum erit, ideo ratihabitionem retro trahi et mandato comparari, quia a ratihabente mandari reapse poterat. At in statu amentiae nullimode ratihabens crimen mandare poterat, et dato quod mandaverit, mandatum nullius efficaciae habitum foret, utpote ratione destitutus; ergo eius ratihabitio retro trahi nequit, neque mandato alicui comparari. Legislator ergo ad eiusmodi ratihabentium statum, vel alium similem respicere non potuit, eo quod sub lege comprehendisset actionem quae sub lege non cadit, atque mandatum quod numquam poni poterat, quia, ut iterum dicam, in ratione destitutis cogitari non potest neque actuale, neque virtuale mandatum.

Sed dato et non concesso, quod mandatum amentium, aut aliorum qui eo in statu versentur, quo usus rationis ipsis non affulgeat, sub lege comprehendi potuerit; unusquisque novit iurisperitorum sententiam: *Leges adaptantur ad ea quae frequenter accidunt L. Nam ff. de leg.;* legesque pro iis fieri qui rationis usu nedum polleant, sed et uti valeant, ut latas leges observent (1). Quaero autem, an lex Bonifacii VIII circa ratihabentem in casu, qui nempe dementia laboret, pos-

(1) Id luculentissime patet ex fine ipsius Cap. XI, quod latum est ad impediendo eiusmodi facinora tunc temporis frequentiora, ut patet ex iis quae Clemens V dolenter dixit

sit versari circa ea quae frequenter contingunt, aut dici lata pro hominibus qui nedum ratione polleant, sed et uti valeant? Profecto numquam; ni dicere velimus, leges pro amentia correptis, vel ratione quacumque alia de causa destitutis statui et promulgari; quod esset absurdum. Ergo ad eiusmodi hominum statum lex respicere noluit, et fortasse non potuit; respexit ergo ad illum hominum statum, in quo quamvis sana mente potirentur, tamen eo tempore quo delictum commissum est, ab rationis exercitio erant impediti, ita ut dici non potuerint potuisse eo in statu crimen mandare. At hic status est prorsus *somnus* aut *perfecta ebrietas*, imperfecta exclusa, in qua rationis exercitium aliquantulum obnubilatur, non autem amittitur.

Et quidem quoad perfectam ebrietatem res est manifesta; nam, ut omnes tum theologiae moralis, tum Canonum tractatores affirmant, et experientia omnimodis constat, homo in ebrietate perfecta privatur usu rationis, et non distinguit bonum a malo, licitum ab illicito. Atque hinc actiones peccaminosae ut blasphemiae, impudicitiae etc., quae ex perfecta ebrietate plerumque sequuntur, non imputantur ebrio nisi quatenus fuerint praevisae, quia hoc in casu censendae sunt sufficienter voluntariae in causa, ut etiam docet S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 7: « Aliquid potest esse voluntarium » vel secundum se, sicut quando » voluntas directe in ipsum fertur; » vel secundum suam causam quando » voluntas fertur in causam et non » in effectum, ut patet in eo qui » voluntarie inebriatur; ex hoc » enim quasi voluntarium ei impu» tatur quod per ebrietatem com» mittit. » Cum autem ratihabitio mandato debeat comparari; mandatum autem proprie dictum necessario supponat usum rationis in mandante, iam sequitur, in homine perfecte ebrio eiusmodi mandatum supponi non posse; ideoque si quis ratum habeat crimen patratum in sua perfecta ebrietate, iam ratihabitio neque retro trahi potest, neque mandato comparari, quia mandatum supponitur tantummodo in eo qui est *ad mandandum habilis*.

Neque quis dicat, executionem mandati peractam tempore quo mandans ebrius perfecte erat, nullimode hunc ab excommunicatione excusare, cum satis sit ad hanc incurrendam, quod mandans sit sui compos eo temporis momento, quo mandatum dedit, nam haec omnino vera sunt si de mandante proprie dicto loquamur; mandatum enim datum ab eo qui sana mente potitur, et non revocatum, perseverare censetur etiam in mandantis ebrietate; in quo statu, ob privationem usus rationis in mandante, neque revocari potest.

Sed haec argumentandi ratio non

in Concilio Viennensi (supra pag. 202): *Licet enim, quod dicere pudet, haec proh dolor! frequenter occurrant, multisque grassantibus opus esset exemplo etc.*

facit ad rem, cum nos non de mandante sed de ratihabente loquamur; de ratihabente, inquam, in quo mandatum supponitur non *vere et proprie*, sed per *fictionem iuris;* quare cum huius culpa incipiat a ratihabitione, et non a mandato quod numquam dedit; si tempore quo delictum patratum est, ratihabens in perfecta ebrietate versabatur, iam patet, eum mandatum ponere non potuisse, cum rationis usu seu exercitio destitueretur, consequenter non esset habilis ad illud ponendum, neque hinc potuerit ratihabere crimen veluti suo nomine gestum, atque excommunicationem incurrere.

Quod ulterius demonstrari potest ex ipsa argumentatione contra Roncallii sententiam allata. Etenim quaero: Si mandans in perfecta sua ebrietate mandatum de patrando crimine dedisset, posset ne mandatum illud ut *verum et proprie dictum mandatum* acceptari? Numquam profecto, 1. quidem quia mandatum eorum qui actu ratione destituuntur, caret intrinseco et necessario requisito ad mandati constitutionem, quod est rationis usus; 2. vero quia illi ipsi qui contra cl. Roncallii sententiam hoc in loco argumentantur, fatentur, sufficere ut mandans sit sui compos eo temporis momento quo mandatum dedit. Si ergo requirunt ipsimet mentem sanam in mandante dum mandatum porrigit, quomodo mandatum ratihabenti tribui potest, quando mandatum ipse de facto non dedit, et delictum patratum eo temporis momento est, quo illud dare non potuit, utpote qui in perfecta ebrietate versabatur? Mandatum igitur *reale* non dedit, quod de cetero in ratihabitione non requiritur, *virtuale* supponi non potest, quia eo temporis momento quo delictum patratum est, rationis exercitio destituebatur; ergo nullum omnino mandatum in eiusmodi ratihabente supponi potest; nullam hinc excommunicationem incurrisse dicendus est.

De cetero ergo non intelligo ex quo iuris capite contra Roncallii sententiam decertent. Ex cit. enim Cap. *Cum quis* Bonifacii VIII nihil profecto deprehenditur quod excommunicationem incurrat ratihabens violentam manuum iniectionem in clericum actam tempore perfectae ratihabentis ebrietatis; immo cum Bonifacius dicat *cum quis absque tuo mandato manus iniicit in clericum tuo nomine violentas,* supponendus est loqui de mandato in sensu vero et proprio, quamvis per fictionem iuris, lato nempe ab eo qui illo in statu versabatur, quo mandatum dare potuerit; legum enim verba proprio et stricto sensu, praesertim in odiosis, accipienda sunt, ni aliud obstet. Qua de causa, ni fallor, neque ex aliquo iuris capite Roncallii sententia potest impugnari.

Qui insuper, non de ebrietate, sed de somno ratihabentis loquitur. In qua quaestione alicui fortasse videbitur laxam sententiam defen-

dere, quaeque cum iuris dispositionibus pugnet.

Atqui tamen non ita concludi debet, tum ob descriptas supra circa ebrietatem ratihabentis rationes, quae facili negotio etiam ratihabenti somno oppresso aptari possunt, praesertim si cum argumentis comparentur quae contra Roncallii sententiam afferuntur.

Attamen quaero: An dormiens dare possit mandatum sive reale, sive virtuale quale profecto dicitur ratihabentium mandatum? Quod nequeat dormiens realiter aliquid mandare extra omnem controversiam est, nullaque lex homini vere dormienti imputaret, aut aliquando imputavit mandatum aliquod ut ut teterrimum. Sed si homini dormienti tribui mandatum reale non potest, profecto neque per fictionem iuris, quae requirit *habilitatem ad agendum*, quae habilitas sine rationis exercitio neque dari, neque concipi potest.

Quare mihi magis arrideret sententia Passerinii et Pueronii negantium huius conditionis necessitatem, quam eorum qui admittunt supponuntque mandatum etiam virtuale in homine dormiente; omnino enim impossibile est eiusmodi mandata in iis cogitare qui actu ratione non utuntur, et actu, tempore, scilicet, quo dormiunt, uti non possunt.

Atque pro re nostra audiendus est ipse Passerinius qui in suis Commentariis in lib. VI. Decretalium Cap. *Felicis 5 de poenis n. 15* ita loquitur: « Ratihabitio » non habet suam malitiam ex virtuali mandato, sed ex hoc, quia » quis ratum habet quod in gratiam » sui fuit factum. Ad quod non » suffragatur quod quis tempore » commissi delicti fuerit ebrius, » vel dormierit. Et eo amplius quod » mandatum potuit praecedere tempus commissi delicti, quo dato, » non excusaretur mandans (1), licet tempore commissi delicti dormierit, vel esset ebrius. Et quia » ratihabitioni accidentarium est et » extrinsecum quod ratum habens » tempore delicti fuerit impotens » ad mandandum, quia semper fuit » potens ad ratum habendum quod » sui intuitu fuit factum. »

Hoc in textu Passerinius omnino affirmat, in ebrietate vel somno impotentiam haberi ad mandandum delictum; at cum ex Bonifacio VIII ratihabitio mandato debeat comparari, deficiente mandato, deficit et ratihabitio proprie dicta.

Equidem Passerinius dicit, ratihabitioni satis esse, ut quis sit potens tempore commissi delicti ad ratum habendum quod sui intuitu fuit factum. Sed pace tanti viri: de qua potentia loquitur? Si de potentia physica; iam qui tempore somni vel ebrietatis potens est ad ratihabendum crimen in gratiam sui factum, potens est pariter ad illud mandandum; voluntas enim ebrii vel dormientis conservat potentiam

(1) Hic non est casus a Roncallio positus, qui nullum mandatum somno ratihabentis praecedere supponit.

physicam ad utrumque actum; quare ergo Passerinius hoc negat? Si autem loquitur de potentia hominis in exercitio posita; qui impotens est tempore somni vel ebrietatis ad mandandum crimen, impotens pariter est ad illud ratihabendum; utrique enim actui deest applicatio rationis et voluntatis, quae necessaria est ut actus possit dici humanus, et legi subiaceat.

Sed fortasse dicturi sunt qui cum Passerinio sentiunt: Nonne qui dormit vel ebrius est, conservat potentiam ratum habendi crimen in gratiam sui factum? Utique, ego respondeo: sed quid inde? Nonne conservat pariter potentiam ipsum crimen mandandi? Et tamen id Passerinius negat. Ulterius autem: Fortasse ne canones in casu nostro respiciunt ad potentiam physicam quae non possit agere, et non potius ad potentiam quae sit habilis ad ponendum actum? Probet autem quis, hominem in statu perfectae ebrietatis aut somni habilem esse ad ponendos actus, qui possint dici humani, et do manus victas.

Interea hoc certum ex Passerinii ratiocinio est, 1. dormienti vel ebrio tribui non posse neque reale neque virtuale mandatum; 2. ratihabitionem in eius ratiocinio admitti debere sine mandato, ideoque crimen non positum ratihabentis nomine; ergo cum e contra habeamus legem Bonifacii VIII statuentis « Si » vero iniectio eadem tuo nomine » non sit facta, tunc licet pecces » ratam habendo eamdem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius vinculo innodaris; » cum quis ratum habere nequeat » quod eius nomine non est gestum; » omnino stat ex ipso Passerinii ratiocinio Roncallii sententia.

Neque solidiora videntur ea quae circa hanc eamdem quaestionem ratiocinatur Castropalao *Tract. 29 de Censuris, punct. XXIII §. 11 n. 14.* Inquit enim: « Neque » inde inferas, si delictum patratum sit tempore somni, aut ebrietatis non posse illud ratum habere; potes utique; quia somnus » et ebrietas non tollunt usum rationis permanenter; ideoque moraliter censendus es eo tempore » potuisse delictum imperare, qui » poteras facile a somno excitari, » et ebrietatem depellere. »

Quod ebrius facile possit ebrietatem depellere ut homo quilibet somnum, non credo. Castropalao numquam fortasse perfecte ebrios vidit, aut se numquam, neque per accidens, inebriavit; sin minus illa non scripsisset. Quidquid tamen de hac re sit; non me certe suadet ratio, quod quia somnus aut ebrietas non tollunt usum rationis permanenter, ideo moraliter ratihabens censendus est potuisse crimen imperare. Nam imprimis quo argumento probabitur, ratihabitionem retro non trahi, neque habere rationem mandati tunc solum, cum homo permanenter usu rationis destituitur? Iam supra adnotatum est, legem ad eiusmodi casum certe non respexisse, cum admodum raro contingat, et

cum in ratione carentibus nullum omninò mandatum cogitari et supponi possit. Deinde vero etiamsi somnus et ebrietas non tollant usum rationis permanenter, temporanee autem tollunt. At si eo tempore quo delictum patratum est, rationis exercitio quis destituebatur, quomodo mandatum quodcumque criminis ei tribui potest? *At poteras,* inquit Castropalao, *a somno excitari, poteras ebrietatem depellere.* Esto. *At de facto ego dormiebam; de facto ego perfecte ebrius eram;* de facto ergo nullum mandatum dedi, neque dare potui. Quo igitur pacto ratihabitio criminis a me facta potest retro trahi atque mandato comparari?

Ulterius; si ideo mandatum moraliter supponitur in dormiente vel ebrio, quia, iuxta Castropalao, poterat facile a somno excitari, poterat ebrietatem depellere: ergo, ex ipso Castropalao, *homo vigilans et rationis compos supponi debet,* ut virtuale mandatum ipsi tribui possit. Ergo in *dormiente vel ebrio* neque *ipse mandatum supponit;* sin minus necesse ei non fuisset pro ratione addere *poteras facile a somno excitari; poteras ebrietatem depellere;* certe ad crimen mandandum.

Aut igitur haec conditio est de medio tollenda; aut sin minus stat Roncallii sententia dicentis: *Si quis ratam haberet percussionem Episcopi factam quando dormiebat, non incideret in hanc excommunicationem.* Quod vir doctissimus vere dicit.

Ex iis autem iam sequitur, quid sentiendum sit de ratihabente actum continuum; quam quaestionem praestantissimus Suarez *De Censuris, disp. XXI Sect. 2 n. 71* ita resolvit: « Adverto tamen quod licet a prin» cipio non sit actio facta nomine » alicuius, si tamen habet tractum » successivum, ut est detentio vel » incarceratio; et postea illam ra» tam habet, cum alias haberet po» testatem ad irritandam illam, seu » remedium adhibendum, idque fa» cere teneatur et omittat, ex tunc » contrahet hanc censuram; quia » licet non possit proprie ratam » habere v. gr. incarcerationem ut » a principio factam, habet tamen » ratam continuationem eius, seu » detentionem talis personae; quod » satis est ad incurrendam hanc » censuram... »

Cui quidem sententiae subscribendum esse censeo, non tamen propter ratihabitionem, quae ex ipso Suaresio in casu non habetur, sed propter actum ipsum continuationis actui initiali carcerationis supervenientem. Cum enim carceratio nomine ratihabentis posita non fuerit, numquam illa rata haberi poterit in sensu proprie dicto. Cum autem continuatio carcerationis dependeat ab eo qui alias, in hypothesi, haberet potestatem ad irritandam illam, idque facere teneatur et omittat; iam hic non ratam habet, sed mandat continuationem carcerationis; ideo-

que excommunicationem incurrit uti mandans, non ut ratihabens.

Quae quidem sententia tenenda omnino videtur. Etenim 1. incarceratio ratihabentis nomine non fuit facta; 2. ratihabitio carcerationis non factae ratihabentis nomine excommunicationem non infert tum ex Bonifacio VIII, tum ex ipso Suaresio, qui 3. dicit, ideo ratihabentem actum continuum excommunicationem incurrere, quia habet potestatem ad irritandum illum actum, idque facere tenetur. Ergo non propter actum per se, sed propter aliquid aliud ipsi actui superveniens quod cum ratihabitione confundi neque potest, neque debet, excommunicationem incurrit: qui actus utique potest esse mandatum continuationis, non autem ratihabitio, quia eius nomine actus ab initio positus non fuit.

His adde, quod ratihabitio respicit actionem positam ab alio ratihabentis nomine, ratihabente etiam inconsulto; qui autem habet potestatem et obligationem dimittendi ex. gr. Episcopum quocumque nomine, attamen iniusto, in carcerem detrusum, et non dimittit, agit per se et non per alium; eius ergo actio habet rationem mandati, non ratihabitionis. Quod si ratihabitionem actum illum appellare velimus, improprie tamen, qui, scilicet, excommunicationem non infert, cum positus ratihabentis nomine non fuerit.

Sed potest dari casus, ut quis ab initio improbet actionem suo nomine factam, atque demum probet et ratam habeat. Quid respondendum?

Omnino arbitror, eiusmodi hominem excommunicationem incurrere, cum id disertissimis verbis in cit. Bonifacii VIII capite habeatur: « Cum quis absque tuo mandato manus iniicit in clericum » tuo nomine violentas, si hoc ratum habeas, excommunicationem » latam a canone incunctanter incurris. »

Porro qui a principio improbat, et postea probat, ratum habet crimen suo nomine positum. Neque lex dicit quod ad excommunicationem incurrendam illico et immediate debeat actio rata haberi, sed dicit ut quis illam ratam habeat, illico vel paullo post, non officit. Equidem id negat Passerinius *loc. cit.*, eo quod improbatio actionis a principio demonstrat, eam ratihabentis nomine positam non fuisse.

Verum id falsum est. Non enim necessarium est, ut consulto ratihabente ponatur actio eius nomine; quandoquidem hoc in casu non tam ratihabens quam mandans vel consulens fuisset; sed necessarium est ut actio ponatur ab alio ratihabentis nomine; hic vero ratam actionem hanc habeat. Homo autem qui tandem probavit actionem suo nomine positam, eam ratam habuit in sensu vero et proprio, ergo et excommunicationem incurrit.

Quod si improbatio actionis a principio demonstrat, eam ratiha-

bentis nomine positam non fuisse, probatio demum actionis demonstrat ratihabentem contentum fuisse ut actio posita suo nomine fuerit. Quod unum necessarium est ad excommunicationem incurrendam.

Ad huius capitis consummationem aliquid addendum est circa personas privilegiatas, quae in eo recensentur.

Circa Episcopos igitur quaeri potest: an hoc nomine designentur illi etiam qui electi sint et confirmati, nondum tamen consecrati?

R. Intelligendos esse Episcopos consecratos. Primo quidem quia Episcopus proprie quis non vocatur, neque talis est nisi per consecrationem: nam ea quae maiora sunt, et non conveniunt aliis quam Episcopis non possunt administrari ante consecrationem, quia pertinent ad ordinem episcopalem; 2. quia electio et confirmatio est inchoatio quaedam, consecratio vero est consummatio Episcopalis ordinis, ut dicitur in *Cap. fin. post princ. de Translat. Episc.* « Sic et spirituale foedus » coniugii, quod est inter Episcopum » et Ecclesiam, quod in electione » initiatur, ratum in confirmatione, » et in consecratione intelligitur » consummatum ; » ut alia argumenta praetermittantur.

De Archiepiscopis quaeritur: An incurrat excommunicationem hanc qui occideret, percuteret etc. Archiepiscopum ante receptionem pallii? Nam ex cap. *Nisi specialis de auct. et usu pallii,* per pallium confertur plenitudo pontificalis officii et nomen Archiepiscopale: « Non tamen se deberet Archiepi- » scopum appellare, priusquam a » nobis pallium suscepisset, in quo » pontificalis officii plenitudo cum » archiepiscopalis nominis appella- » tione confertur. »

Respondendum est: excommunicationem incurrere si Archiepiscopus sit consecratus, etiamsi nondum pallium acceperit ; primo quidem quia, ut dictum est, Episcopus consecratus gaudet hoc privilegio; ergo et Archiepiscopus consecratus: deinde vero quia etiamsi Archiepiscopus ante pallii receptionem peccaret contra sacros Canones, ea agendo quae sunt potestatis ordinis, non tamen ageret invalide: privilegium autem eiusmodi innititur potestati ordinis.

Quoad legatos aut nuncios communis doctorum sententia est, eorum auctoritatem incipere ab exitu Urbis usque ad reditum, seu ingressum in eam, non antea vel postea; ideoque eo tantum tempore eiusmodi privilegio frui. Attamen si antequam ad Urbem regrediantur, ita finierint legationem suam, ut in reditu neque sint, neque uti nuntii seu legati habeantur, tunc huius Canonis privilegio non proteguntur: verba enim legis stricto sunt sensu accipienda; loquitur enim de Legatis et Nuntiis proprie dictis.

APPENDIX V.

DE IMPEDIENTIBUS EXERCITIUM IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

Gravissimum et perniciosissimum fidelium Christi spirituali saluti semper visum est omnibus esse Ecclesiae iurisdictionem negare, eiusque exercitium impedire. Nostro aevo infelicissimo utrumque fieri videmus; denegatur enim Ecclesiae iurisdictio in fideles qui a Christo ipso ei subditi dati sunt, ut deinceps si quam ferat legem, aut actum iurisdictionis exerceat, possint impedire; vel actus ipsos reapse impediunt, ut deinde proclament, nullam Ecclesiae iurisdictionem competere. Qui vero tanta non audent, ita ecclesiasticam iurisdictionem coarctant, ut modo hoc, modo illud ius intrinsecum nativumque Christi Ecclesiae denegent, quasi Salvator qui tum ecclesiasticam, tum civilem potestatem condidit, huic illam undequaque submisisse putandus sit, atque eos quos posuit Episcopos regere Ecclesiam suam, Romanum praesertim Pontificem, quem reliquit suum in terris Vicarium, saeculari magistratui subdidisset.

At ego ab his quaererem: quid indicere humano generi Christus voluerit, cum *Matth. XXVIII. 18 et seq.* Apostolos suos in universum mundum missurus dixit eis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Quaererem enim: an Apostolos miserit humana praeditos potestate, et non potius illa quam ipse habebat a Patre in coelo et in terra? Quaererem: an saltem eis dixerit, vel aliquo modo insinuaverit ut Evangelium praedicaturi veniam a saeculi principibus peterent? Quaererem: an docere gentes deberent, ut servarent omnia quaecumque eis mandaverat de Tiberii aut Herodis Antipae licentia et beneplacito? Quaererem: an Evangelium sine publico ministerio promulgari possit? et an in una Evangelii praedicatione societas christiana consistat, et non potius in sexcentis aliis, quae omnimodis publicum ministerium requirunt? Et undenam haec? Potestatem ne suam, qua instruxit Apostolos eorumque in Ecclesia successores, Christus hominum potestati submisit? aut Patris sui aeterni imperium Caesarum imperio subiecit? Fortasse ne homines plus quam Patris et Filii et Spiritus Sancti creaturae erant Tiberii et Herodis, aliorumque tunc in orbe terrarum sceptra moderantium? Age itaque: Quid si Reges terrae negassent? quid si convenissent, ut reapse convenerunt, adver-

sus Dominum et adversus Christum eius? Quid, si dixissent, ut dixerunt, nolumus Christum regnare super nos? Debuisset ne Deus omnipotens impiorum Principum mandata revereri, Redemptionem copiosam ad nihilum deducere, Ecclesiae suae institutioni nuntium remittere, Apostolorum missionem revocare, aut sin minus ita Ecclesiam suam instituere, ut veluti ancilla principum cupiditatibus, commentis, et ambitioni famularetur? Nequaquam; Reges enim servi Dei sunt, creaturae Dei sunt, si vero Christiani, sunt filii Ecclesiae. Et ipsi igitur huius mandatis parere debent, et ipsi observare omnia quaecumque Christus Apostolis mandavit; hi vero cunctis qui per suum successorumque ministerium crediturì erant in nomine Christi.

Iam nunc ergo se elevent Reges, Imperatores, Gubernia supra Ecclesiam, iam ei leges imponant: nonne mandatum Christi spernunt? nonne obedientiam Deo detrectant? nonne ethnici fiunt, dicente Domino: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus?* Matth. XVIII. Frustra itaque de christiano nomine blandiuntur qui ita agunt; non enim putandi sunt Christiani qui Christum in Ecclesia sua persequuntur.

Et quidem gratis; numquam enim Ecclesiae potestas in Regum populorumque perniciem converti potest, dum infra limites a Christo praescriptos continetur.

Quid enim civili gubernio aut populis christianis nocet si Episcopi a R. Pontifice sine *regio placito* mittantur? Quid Statui, si qui in sortem Domini vocati sunt ecclesiastico ministerio mancipentur quin cogantur milites agere? Quid, si Evangelii praecones verbum Dei promulgent ea libertate quam a Christo ipso habuerunt? atque populos sibi commissos in fide divinisque mandatis instruant, virtutes christianas civilesque edoceant, arguant, obsecrent, increpent, quo gressus suos in viam veritatis et iustitiae convertant? Quid, si sacrae virgines in claustrìs degant, et viri religiosum habitum induant? Quid, si ecclesiasticas functiones agant iuxta praecepta ritusque constitutos? Quid, si sontes puniant, atque in legem divinam et ecclesiae peccantes?

Profectò haec et alia huiusmodi nullum civili statui detrimentum inferunt, aut inferre possunt, quin potius adiuvant et mirifice confirmant; eo enim solidior civilis est societas, magis Religionis bona in ea promoventur, quo minor est praevaricandi libertas, quo promptior ulciscendi prævaricationes auctoritas.

Atque hinc factum esse putandum est, ut apud ipsas gentes sacerdotes summam in rebus ad religionem spectantibus auctoritatem habuerint a civili potestate discretam atque independentem.

Ne plurima auctorum testimonia in re apertissima, omnigenoque

argumentorum genere comprobata afferamus, unum Dionysium Alicarnasseum in medium producere contenti erimus, qui libro II haec habet de gentilium Pontificum apud Romanos auctoritate: « Summa pol» lent in gravissimis negotiis pote» state, atque sunt iudices omni» bus in causis quae ad religionem » spectant tum inter privatos ho» mines, tum inter magistratus, » Deorumque Sacerdotes. Ea quae » scripta non sunt, aut consuetudi» ne firmata non reperiuntur, lato » decreto constituunt, leges aut » consuetudines constabiliendo prout » libuerit. In Magistratus quibus di» vorum cultus sacrificiaque com» missa sunt inquirunt, sicut et in » Sacerdotes ceteros. In sacrorum » ministros, ne in sacrificiis caere» moniisque peragendis errent so» lerter invigilant, eos vero qui sa» cra ad Deos pertinentia nesciunt, » edocent erudiuntque. Iis qui sa» cris legibus non obediunt multam » irrogant, aequalitate servata. *Ipsi* » *autem neque iudiciis neque multis* » *subsunt, et neque populo, neque* » *senatui rationem reddere compel*» *luntur.* »

Et haec quae apud Romanos, etiam apud ceteros populos obtinuere; ita ut ex omnium populorum, qui christiana saecula praecessere, historia demonstrari posset, sacerdotum potestatem a civili fuisse distinctam, summumque circa religionem, caeremonias, res quaslibet sacras imperium habuisse.

Christus hinc Dominus Noster non quid novum, aut anteactis saeculis inauditum promulgavit, cum omnigena potestate Apostolos suos instruxit, cum Ecclesiae suae praesules a saeculi potestate in spiritualibus, et iis quae ad religionem referuntur, voluit esse exemptos, supremosque sacrarum rerum iudices constituit, sed id quod iam apud omnes populos obtinebat, ita ut nullus e tot tantisque nationibus quae Christi Evangelium erant auditurae, eique nomen daturae mirari posset, quod in rebus ad Religionem spectantibus Christi sacerdotes a saeculi potestatibus independenter agerent.

Nil mirum quapropter, si vix religio nostra sub christianis principibus publice explicari potuit, eam quae a Christo potestatem acceperant, Episcopi et Romani Pontifices praesertim exercere pariter inceperint, nedum in fidei quaestionibus, sed et in iis disciplinae capitibus quae forum, mores etc. tum clericorum tum laicorum respicerent, atque si legibus publicis sive per Concilia, sive per Episcopos promulgatis sanciverint quid ad Ecclesiam, quid ad imperium pertineret.

Non quod primis tribus saeculis christianos etiam laicos Ecclesia potestati suae in re disciplinari subiectos non habuerit; quisque enim novit, ut cetera argumenta praetereantur, poenas temporales iis inflictas qui naufragium circa fidem

passi essent, tum leges circa ieiunium, orationem etc. constitutas, tum alias sanctiones canonicas ad effectum saepissime deductas; sed quod ob ingruentes undique persecutiones illa prima saeculorum periodo Ecclesiae potestas explicari, ut decebat, certe non potuit.

Essent sane luculentissima ea quae circa ecclesiasticae potestatis independentiam ex Ecclesiae monumentis afferri possent; verum ea ultro praetermittimus, ne ecclesiasticae auctoritatis subversores semel adhuc repetant: Quid mirum? Episcopi erant et Papae praesertim, qui laicae potestatis iura usurpando cuncta sibi subigere volebant.

Quid ergo si a laicis Principibus latas leges afferamus ecclesiasticae potestatis liberrimum exercitium statuentes, quaeque simul apertissime profiteantur, ad saeculi potestatem minime pertinere sese in res Ecclesiae ingerere?

Sane primus qui inter Principes Christo nomen dederit, Constantinus Magnus, luculenta adeo de ecclesiastica iurisdictione testimonia tum verbo tum facto tulit, ut operae pretium sit de iis aliquid disserere.

Simultatibus, nedum fide, cum Ariani a Catholicis dissiderent, et viceversa, sed non eodem fine, plurima accusationum capita Constantino porrexere, ut de iis iudicium ferret. Quid vero Imperator? Cum plane nosset sibi imperium, non Ecclesiam subiici, accusationum accipere cognitionem, multo magis de iis sententiam ferre renuit, affirmans id sibi non competere. « Deus, » ita Patres in Concilio Nicaeno » congregatos allocutus est, vos constituit Sacerdotes, et potestatem » dedit de nobis quoque iudicandi; et ideo nos a vobis recte iu» dicamur, vos autem non potestis » ab hominibus iudicari. Propter » quod Dei solius inter vos expe» ctate iudicium, et vestra iurgia, » quaecumque sint, ad illud divi» num reserventur examen. Vos » etenim nobis a Deo dati estis Dii, » et conveniens non est, ut homo » iudicet Deos, sed ille solus de » quo scriptum est: Deus stetit in » synagoga Deorum, in medio au» tem Deos diiudicat. » Rufinus lib. 1. H. E. c. 1.

Non igitur ecclesiastica potestas imperiali aut regali, sed haec illi, si Magno Constantino fidem adhibeamus, in iis quae ad religionem quomodolibet pertinent subiecta est; non ergo laicus de ecclesiae viris iudicium instituat, sententiamque ferat, sed hi de laico si in legem Ecclesiae peccet, si praevaricetur; neque enim Imperator de fidei capite locutus est, sed disciplinae. Eam porro Ecclesiae potestatem in diiudicandis Clericorum et Episcoporum querelis non ab humana sed a divina institutione Constantinus repetit.

Nil mirum quapropter si cum evidenti adeo de Ecclesiae independentia cognitione fulgeret, lato

decreto sanciverit, nedum ut Episcopi ecclesiastica iudicia instituerent perficerentque, sed etiam ut sententiae ab iis latae irretractabiles essent circa laicorum negotia: « Sanximus, ita rescripsit ad Ablavium » Praetorio Praefectum, namque, » sicut edicti nostri forma declarat, » sententias Episcoporum quolibet » genere prolatas, sine aliqua aetatis discretione inviolatas incorruptasque servari, scilicet ut » pro sanctis semper et venerabilibus habeatur quidquid Episcoporum fuerit terminatum. Sive » itaque inter minores, sive inter » maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum summam tenetis, et apud » caeteros omnes iudices, ad exe» cutionem volumus pervenire. Quicumque itaque litem habens, » sive possessor, sive petitor erit, » inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur sive cum iam » coeperit promi sententia, iudicium » eligit sacrosanctae legis antistitis, » illico sine aliqua dubitatione, et» iamsi alia pars refragatur, ad » Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quae » in iudicio captiosae praescriptionis » vincula promi non patiuntur, » investigat et promit sacrosanctae » Religionis auctoritas. Omnes ita» que causae, quae vel praetorio » iure, vel civili tractantur, episco» porum sententiis terminatae, per» petuo stabilitatis iure firmentur; » nec liceat retractari negotium, » quod Episcoporum sententia de» ciderit. » *L. 1 de Episcop. iudic. post Cod. Theodos.*

Tria igitur statuit Imperator. Primo quidem irretractabiles esse prolatas ab Episcopis sententias, easque a laicis iudicibus in discrimen revocari non posse.

2. Reum vel actorem sive litis initio, sive decursu, sive fine posse a laico iudice ad Episcopum appellare, altera parte etiam contradicente.

3. Demum causas omnes seu praetoriales, seu civiles, quae episcopali sententia forent diremptae, retractari non posse (1).

(1) De hac Constantiniana ad Ablavium lege loquuntur tum Eusebius, vel qui alius sit auctor vitae Constantini, tum Sozomenus. Ille quidem lib. IV. cap. 27 haec scribens: *Iamvero Episcoporum sententias quae in Concilio prolatae essent, auctoritate sua confirmavit, adeo ut Provinciarum Rectoribus non liceret Episcoporum sententias rescindere. Cuivis enim iudici praeferendos esse Dei sacerdotes.*

Sozomenus vero Hist. Eccl. lib. I. Cap. 9: *Quin etiam Episcopale iudicium eligere litigantibus permisit si saeculares iudices recusare vellent, iussitque ut Episcoporum sententiae rata esset non secus ac si ab ipso Imperatore fuisset prolata; utque rectores eorumque officiales sententias ab Episcopis prolatas executioni mandarent; ut denique inconcussa essent et inviolata ecclesiasticorum consessuum iudicia.*

Ex horum vero testimonio scriptorum, ut alia argumenta silentio praetereamus, ruunt quae contra huius Constantiniani decreti authenticitatem nonnulli Regalistae proferunt. Eusebius enim coevus et doctissimus, atque Sozomenus Romanorum legum peritissimus certe noverant, quae a Constantino latae fuerunt leges. De cetero, ut liberius loquamur cum Ecclesiasticae potestatis detractoribus, haec lex publici iuris erat cum Isidorus mercator nondum natus esset.

Equidem quis dicturus erit, nimium a Constantino fuisse Ecclesiae concessum, cum permiserit, etiam civiles et praetoriales causas, quod sane iuris imperialis erat, ab Episcopis posse iudicari? Sed quid inde? Id efficiendo etiam facto et Ecclesiae immunitatem liberrimamque potestatem recognovit, et Episcoporum iudicia aequiora atque prudentiora prae laicorum sententiis confessus est. Quidquid vero Regalistae blaterent circa Constantinianae legis extensionem, unum tamen negare non poterunt, Ecclesiasticorum causas ab Episcopis esse iudicandas cognovisse et decrevisse Constantinum.

Id autem et a successoribus confirmatum fuisse, facillime demonstratur. Quid enim aliud Valentinianus Primus Imperator, nisi ecclesiasticam immunitatem, independentiam, libertatem in ferendis legibus iudiciisque instruendis probavit, cum lege lata edixit, ecclesiastica negotia ab Episcopis, et solum ab Episcopis esse dirimenda, ea addita ratione, quod cum Ecclesia proprio iure regatur, ecclesiastico tantum iure eius causae essent definiendae? Id enim in Valentiniani II memoriam luculenter Divus Ambrosius revocavit, haec ei suggerens: « Augustae memoriae » pater tuus non solum sermone, » sed etiam legibus suis sanxit, *in* » *causa fidei vel ecclesiastici alicu-* » *ius ordinis eum iudicare debere,* » *qui nec munere impar sit, nec* » *iure dissimilis.* Haec enim verba » Rescripti sunt; hoc est sacerdo- » tes de sacerdotibus voluit iudica- » re. » Ep. XIII lib. II iuxta antiq. ordinem.

Neque hae clarissimorum Imperatorum leges, protestationes, confessiones in dubium revocatae sunt, aut revocari potuerunt a Valentiniano III, cum sub finem vitae suae vitiis abreptus (nullus enim Princeps qui pietate praestaret, sed omnes vel improbi, vel cum improbi essent in Ecclesiam manus iniecerunt) Ecclesiae libertatem in condendis legibus opprimere visus est. Etsi enim sciamus ab eo, lata constitutione, fuisse sancitum Ecclesiae Praesules iudicare non posse in aliis causis praeter quam ad Religionem spectantibus, nisi de litigantium compromisso et arbitrio: « Quoniam constat, Episcopos et » presbyteros forum legibus non » habere, nec de aliis causis, se- » cundum Arcadii et Honorii di- » valia constituta, quae Theodosia- » num corpus ostendit, praeter » religionem posse cognoscere; ali- » ter eos iudices esse non patimur, » nisi voluntas iurgantium sub vin- » culo compromissi procedat, quod » si alteruter nolit, sive laicus sive » clericus sit, agent publicis legibus » et iure communi; » scimus tamen Imperii sui initio praedecessorum suorum exempla pietatemque imitatum, ecclesiasticorum iudiciorum independentiam confirmasse, legesque imperiales contra Canones Ecclesiae latas abrogavisse, tum pro-

mulgata anno 454 una cum Marciano Augusto lege sequenti: « Omnes » sane pragmaticas sanctiones, quae » contra canones ecclesiasticos, in- » terventu gratiae et ambitionis » elicitae sunt, robore suo, et fir- » mitate vacuatas cessare praecipi- » mus. » *L. Priv. 12 Cod. de Sacros. Eccles.*; tum anno 455 lato decreto in causa Hilarii Arelatensis Episcopi in quo affirmat, et Romanorum Pontificum auctoritati obsistendum non esse, et violatione ecclesiasticorum iudiciorum reverentiam Imperiali dignitati debitam pessumdari, et saeculares magistratus Ecclesiasticarum legum observantiae invigilare debere. Dignum ducimus Constitutionem referre. Ita porro legitur: « Et erat » quidem ipsa sententia (Leonis ma- » gni contra Hilarium) per Gallias » etiam sine imperiali sanctione » valitura. Quid enim tanti Ponti- » ficis auctoritati in ecclesiis non » liceret? Sed nostra quoque prae- » ceptio et ratio probavit, ne ul- » terius vel Hilario, quem adhuc » Episcopum nuncupari, sola man- » sueti Praesulis permittit humani- » tas, nec cuiquam alteri ecclesia- » sticis rebus arma miscere, aut » praeceptis Romani Antistitis liceat » obviare; ausibus enim talibus fi- » des et reverentia nostri violatur » imperii. Nec hoc solum, quod est » maximi criminis, submovimus; » verum ne levis saltem inter ec- » clesias turba nascatur, vel in ali- » quo minui religionis disciplina » videatur, hac perenni sanctione » decernimus, ne quid tam episco- » pis gallicanis quam aliarum pro- » vinciarum *contra consuetudinem* » *veterem liceat, sine viri venera-* » *bilis papae Urbis aeternae aucto-* » *ritate tentare.* Sed hoc illis omni- » busque pro lege sit quidquid » sanxit, vel sanxerit Apostolicae » Sedis auctoritas, ita ut quisquis » Episcoporum ad iudicium Romani » Antistitis evocatus venire negle- » xerit, per moderatorem eiusdem » provinciae adesse cogatur. » *T. I. Opp. S. Leonis M. post Epist. X. Edit. Quesn.*

Haec sed vero quae solidis adeo rationibus ductus sanxit, tum veteri consuetudini innixus, ex qua deprehenditur, Ecclesiam et forum, et propriam legislationem, iudiciaque habuisse, potuit utique Valentinianus III impietate quadam abreptus et sibi contradicendo abrogare, iure nunquam. At nos de iure loquimur; nam violentiam oppressionemque saepe passam esse Ecclesiam ultro profitemur.

Spernendos esse quapropter eos omnes arbitramur, qui ex hac Valentiniani III pragmatica in Ecclesiae libertatem insurgunt, quasi iste omnium anteactorum Imperatorum decreta circa ecclesiastica iura promulgata unus revocaverit; vel quasi unus, neque timens Deum, sexcentorum piorum confessionem in irritum deducere possit.

Quod si eo quod Valentinianus III iniqua lege Episcoporum libertatem oppressit, contra Ecclesiasticam in-

dependentiam declamare praesumunt adversarii nostri, nonne hanc omnimodis profiteri compellentur vix sciant, eius in imperio successores latam ab eo legem abrogasse, atque in pristinum ecclesiasticam libertatem in iudiciis agendis restituisse?

Certum est autem abrogasse. Valentiniano enim occiso, Maiorianum, qui ei in imperio successit, edita contraria sanctione, latam pragmaticam in irritum deduxisse, testis est omni exceptione maior vetustissimus scriptor Anianus *ad novellam Valentiniani III de episcopali iudicio* haec scribens: « De clericis quod » dictum est, ut nisi per compro- » missi vinculum iudicium episco- » pale non adeant, posteriori lege » Maioriani abrogatum est, quae » non extat quoad capitulum de » episcopali iudicio, licet quoad » alios articulos extet. »

Quid insuper in facto pragmatica illa Ecclesiae obfuerit nescimus; scimus enim etiam Valentiniani III aetate, et post latam ab eo sanctionem, Ecclesiam potestate sua usam esse in perversis clericis poena etiam temporali coercendis, ut ex illius aetatis documentis, si tempus, si locus suppeteret, evidentissime demonstrare possemus.

Ne vero haec oratio in immensum excrescat, omnium Imperatorum, Iustiniani praesertim, pragmaticas sanctiones de ecclesiastica libertate in iudiciis instruendis, poenis infligendis etc. afferendo, unum Basilium Macedonem in medium producere sat erit Episcopos in Concilio VIII collectos ita alloquentem, ut omnino profiteatur, eis tantummodo ecclesiastica iudicia competere, laicis numquam. Haec porro ait: « Non datum est laicis, » aut iis qui civilibus officiis man- » cipantur secundum canonem di- » cendi quidquam penitus de ec- » clesiasticis causis; *opus enim hoc* » *Pontificum et Sacerdotum est...* » De vobis autem laicis tam qui » in dignitatibus, quam qui abso- » lute conversamini, quid amplius » dicam non habeo, quam quia » nullo modo vobis licet de eccle- » siasticis causis sermonem movere; » hoc enim investigare et quaerere » Patriarcharum, Pontificum et Sa- » cerdotum est, qui sanctificandi, » qui ligandi et solvendi potesta- » tem habent, qui ecclesiasticas et » caelestes sortiti sunt claves, *non* » *nostrum qui pasci debemus, qui* » *sanctificari, qui ligari, vel a li-* » *gamento solvi debemus.* » Arduin. Tom. V. Conc. Col. 120.

Quoniam vero eorum, quae in Synodo VIII dixerat, Basilius brevi oblitus coepit et ipse Ecclesiae negotia invadere, Stephanus V Romanus Pontifex benignissime illum monere censuit, quae essent Imperatoris officia ei in memoriam revocans. « Licet ipsius Christi Impe- » ratoris, inquit, similitudinem ge- » ras in terris, *rerum tamen mun-* » *danarum et civilium tantum cu-* » *ram gerere debes*, quod etiam » precamur ut ad multos annos

» praestare valeas. Quo igitur pacto » largitus es nobis a Deo terrenis » rebus praeesse; ita etiam nos per » Principem Petrum spiritualibus re- » bus Deus praefecit. Accipe, quae- » so te, benigna fronte quae sequun- » tur: datum est tibi curare ut ty- » rannorum impietatem et feritatem » gladio potentiae concidas, ut iu- » stitiam ministres subditis tuis, ut » leges condas, ut terra marique » militares copias disponas; *haec* » *est praecipua cura potentiae et* » *principatus tui.* Gregis cura vero » nobis commissa est, tanto prae- » stantior, quantum distant a coelo » ea quae in terris sunt. »

Quid ergo? Nihil ne potestatis in Ecclesiam Regibus competere dicemus? Nihil profecto; quam enim eis nos concedere poterimus, si Reges ipsi, Imperatoresque praestantissimi nullam sibi competere ultro professi sunt?

Attamen utantur saeculi Principes potestate sua; sed ut auxilio sint Ecclesiae Praelatis, quo perversi severius et citius coerceantur, quo melius Canonum observantia promoveatur; id enim affirmasse et egisse optimos Principes ex historia novimus.

Quem enim latent ea quae Ludovicus Pius Episcopis in Concilio VI Parisiensi congregatos scripsit de usu regalis potestatis in res Ecclesiae? *Quod vestra*, inquit, *auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra perficere valeatis.* Tom. 1. Capit. Baluz. pag. 634.

Huius vero regalis erga Ecclesiam protectionis rationem asseruit Ludovicus ad Eugenium II Papam, eam esse affirmans, quod ipsi Reges Ecclesiae praesulibus adiumento esse officio compelluntur: « Quia » veraciter nos debitores esse co- » gnovimus, ut his, quibus regimen » Ecclesiarum et ovium dominica- » rum cura commissa est, in omni- » bus causis ad divinum cultum per- » tinentibus opem atque auxilium » pro qualitate virium nostrarum, » et intellectus nostri capacitate fe- » ramus. »

Ita porro loquebantur atque agebant Reges qui pietate praestabant, qui esse Ecclesiae filii sincere gloriabantur. At nos hisce nostris temporibus contraria affirmari et fieri audimus, et videmus; pendere scilicet externas Ecclesiae functiones a Syndicorum arbitrio, Episcopos non posse temporalibus poenis sontes apostatasque ecclesiasticos plectere; religiosos homines e suis monasteriis expelli, Sanctimoniales huc illuc vagari, Ecclesias expoliari etc. etc. etc. Et haec dum *Religio catholica Religio Status* in Codice asseritur!

Cum itaque tanta contra ecclesiasticam libertatem moliantur homines, nemo non videt quam consulto Pius Papa IX in Cap. VI Constitutionis *Apostolicae Sedis* eam tueri adnisus sit, atque excommunicationem quam merito in eos tulerit, qui iurisdictionem ecclesiasticam essent impedituri.

Excommunicat igitur Cap. VI. Constitutionis: *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori;et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.*

Hoc articulo innovavit dispositionem praesertim atque censuram latam Cap. XVI Bullae legi solitae in coena Domini, quam praedictae Bullae S.Pius V. primum inseruit.Ita autem in ea legebatur: « Nec non, *excommunicamus,* qui Archiepiscopos, » aliosque superiores et inferiores » praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa » directe vel indirecte (1) carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec » non consanguineos et affines, aut » alias, impediunt quominus sua » iurisdictione ecclesiastica contra » quoscumque utantur, secundum » quod Canones et sacrae Constitutiones ecclesiasticae et Decreta » Conciliorum generalium, et praesertim Tridentini statuunt; ac » etiam eos qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut alias Fori » Ecclesiastici iudicium eludentes, » ad Cancellarias et alias Curias » saeculares recurrunt, et ab illis » prohibitiones et mandata etiam » poenalia Ordinariis et Delegatis » praedictis decerni, et contra illos exsequi procurant; eos quoque » qui haec decernunt et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, » patrocinium et favorem in eisdem. »

Ut ex utriusque capitis collatione patet, Caput VI nostrae Constitutionis quamvis brevius, clarius tamen expressit quae latius in Bulla coenae continebantur; in plurimis insuper extendit.

Etenim in nostra Constitutione diserte exprimitur exercitium iurisdictionis ecclesiasticae interni fori, quod in Bulla coenae non comprehendebatur, cum loquatur de usu iurisdictionis ecclesiasticae *contra quoscumque* prout exercetur in foro externo, ut patet ex universo Capitis citati contextu.

Advertendum insuper est, ex Bulla coenae incurrisse excommunicationem impedientes iurisdictionem quorumcumque iudicum Ecclesiae qui potestate ordinaria potiebantur; haec vero limitatio sublata est per Articulum VI. Constitutionis *Apostolicae Sedis,* in quo generice dicuntur excommunicari impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, nulla facta limitatione circa iudices qui vel ordinaria vel delegata gaudeant potestate; in hoc igi-

(1) In Bulla Clementis VIII et, praecedentibus non habebantur verba *directe* vel *indirecte*, sed simpliciter *quomodolibet impediunt*. Paulus V ad maiorem declarationem ea verba addidit.

tur Piana Constitutio extendit ipsam Bullam coenae.

In hac insuper exprimebatur exercitium iurisdictionis ecclesiasticae quorumcumque iudicum ecclesiasticorum ordinariorum ; qua de causa excludebantur omnes alii qui iudiciaria potestate, et quidem ordinaria, non gauderent. In nostro vero Articulo, his omnibus sublatis, excommunicatio extenditur ad omnes impedientes iurisdictionis ecclesiasticae exercitium interni et externi Fori, sive personae ecclesiasticae sint iudices, sive non, sive agant per modum iudicii, sive per simplicis iurisdictionis exercitium; quod idem est, nullimode fori contentione adhibita, vel actibus iudicialibus.

Haec vero non comprehendebantur in Bulla coenae, cum in ea exprimerentur actus tantummodo iudiciales, vel per modum iudicii et sententiae exerciti, ut patet ex verbis *quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur*, ex contextu cum superioribus verbis, et iis quae sequuntur. Hinc ex Bullae coenae capite non incurrebat excommunicationem qui ex. gr. impedivisset episcopum quo minus Dioecesim visitaret, Pontificalia exerceret, Ecclesias consecraret etc.; at ex nostra Constitutione incurrit. Substantia quapropter Capitis VI Pianae Constitutionis in immensum, ut ita dicam, prae Bulla coenae excrescit.

Quadruplicis autem generis personae in eo excommunicantur.

1°. *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori.*

2°. *Recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes;* nam verba *et ad hoc* habent vim disiunctivam, ita ut aequivaleant adverbio *insuper* vel *praeterea* ut patet tum ex contextu, tum praesertim ex collatione cum cit. Capite Bullae coenae, in quo habentur verba *ac etiam eos*.

3°. *Edentes* eiusmodi mandata.

4°. *Auxilium, consilium, vel favorem praestantes.*

Sed illico quaeritur: Haec postrema verba, in quibus agitur de praestantibus auxilium, consilium etc. referuntur ne tantummodo ad eos qui recurrunt ad forum saeculare eiusque mandata procurant, vel extenduntur etiam ad impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, ita ut complectantur universum caput? R. Comprehendunt universum caput; excommunicantur enim per verba praedicta cooperatores ad illicita quae in toto capite interdicuntur; non enim censeri possunt excommunicationem incurrere qui auxilium vel favorem praestant recurrentibus ad forum saeculare eiusque mandata procurantibus, atque illi effugere qui cooperantur ad impediendam iurisdictionem ecclesiasticam.

Rem insuper consideranti, idipsum est; semper enim offenditur

libertas ecclesiastica, sive quis directe vel indirecte impediat iurisdictionem ipsam, sive quis ad forum saeculare recurrat, eius mandata procurandi gratia; id enim semper fieret ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. Imitatus est autem R. Pontifex Pius IX modum loquendi Bullae coenae, in qua cooperatores ita in fine exprimuntur: *seu dant auxilium consilium patrocinium et favorem in eisdem;* scilicet in omnibus praedictis.

Excommunicantur itaque primo loco *impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori.*

Impedientes autem hoc loco ii intelliguntur qui obsistunt ei apud quem est iurisdictio ecclesiastica, ita agendo ut ille potestate sua vel uti non possit vel effectum ex sua potestate manantem consequi non valeat. Si quis impediat Episcopum quominus in subditum excommunicationem ferat, impedit eius potestatem; qui impediret quominus latam excommunicationem subdito communicet, impediret effectum ex potestate dimanantem, atque in utroque casu impediret exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. (1)

Ex citatis autem verbis manifesto colligitur, ad excommunicationem incurrendam necessarium omnino esse impedire iudicem ecclesiasticum quominus sua iurisdictione utatur, seu illam exercere possit. Impedire enim proprie ille dicitur, qui obstaculum ponit ne alius perficiat quod cupit. Quare ut quis dici possit alterum impedivisse, requiritur ut sit causa, qua alter invitus et contra voluntatem suam cesset ab opere quod perficere intendit. Qua de causa immunis a censura ille esset ex hoc capite, qui molestias inferret ecclesiastico iudici, quod sua iurisdictione usus sit. Ii igitur saeculares principes qui in carcerem detrudunt Episcopos, eo quod aliquem ex suis ecclesiasticis rebellibus excommunicaverint, vel Pontificias Constitutiones contra Gubernii voluntatem publicaverint, non incurrerent ex praesenti Capite excommunicationem, eo quod in eo agitur de impedientibus; quo nomine illi designantur qui impediunt ecclesiasticos iudices quominus iurisdictione sua vel uti incipiant, vel uti pergant. Impedientes vero, de quibus loquimur, nullum impedimentum de facto iurisdictionem ecclesiasticam habentibus apposuere.

Sequitur insuper, hanc censuram neque eum incurrere qui prohiberet actori ad iudicem ecclesiasticum sese convertere, vel eum cogeret iudicem saecularem adire; nam neque hic in sensu vero et proprio impedit iurisdictionis ecclesiasticae exercitium.

(1) Exinde patet, quod si iudex Ecclesiasticus haberet iurisdictionem etiam temporalem, atque aliquis hanc, non ecclesiasticam impediret, non incurreret excommunicationem.

Non ita tamen eiusmodi res late est accipienda, ut nullo in casu hic in excommunicationem incidere putandus sit. Nam si causa iam fuerit coram ecclesiastico iudice introducta, atque ille compelleret actorem eam avocare ad iudicem laicum, et ex hoc iudex ecclesiasticus non posset amplius uti iurisdictione sua, non arbitror eum excommunicationem effugere. Si ex. gr. quis matrimonium coram Parocho et testibus, attamen clandestine, ut dicunt, contraheret, et postea facti poenitens alteruter e sponsis a contractu vellet resilire, quod affirmet, vel se consensum non praestitisse, vel a parentibus vi et minis compulsum perrexisse ad Parochum, atque haec causa coram ecclesiastico iudice sit introducta dirimenda iuxta Constitutionem *Dei miseratione* a Benedicto XIV latam, si aliquis cogeret actorem evocare eiusmodi causam a tribunali Episcopi, illamque coram magistratu civili huiusmodi causis sacrilege nunc praeposito agere, ex quo sequatur, nullimode posse Episcopum iurisdictione sua uti, hic certe excommunicationem incurreret, quia indirecte saltem impediret iurisdictionis ecclesiasticae exercitium.

Requirenda tamen in cogente videretur quaedam auctoritas in actorem, ut si fuerit pater, dominus etc. vel timoris gravis incussio, puta mortis, vulnerationis; si enim nulla in eum auctoritate praestaret, vel gravem timorem non incusserit, coactio illi non esset tribuenda, sed tantum persuasio, propter quam haec excommunicatio non incurritur.

Attamen si Episcopus post evocationem causae coram civili magistratu nullimode impediretur quominus sententiam ferat; puta si iam tabulae processuales ad normam illius Benedictinae Constitutionis fuerint confectae, ita ut Episcopus possit sententiam tuto ferre, et nullimode a ferenda sententia prohibeatur, cogens non incurreret censuram, eoquod exercitium iurisdictionis ecclesiasticae neque directe neque indirecte impedivit; atque de cetero actori esset imputandum, si spreto episcopali iudicio, obediret potius sententiae latae a civili magistratu.

Manifestum est autem, tribus modis aliquem posse iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire.

1. Efficiendo, ne iudex ecclesiasticus incipiat exercere quae ad iurisdictionem suam spectant; ita enim iudices ecclesiastici frustra iurisdictione praediti essent.

2. Ne prosequatur aut exsecutioni mandet quae iudicavit; inutiliter enim fertur sententia, si haec executioni demandari non possit; finis enim sententiae est ut exsecutioni mandetur.

3. Ut revocet ea quae perfecit et executus est, ex. gr. si aliquis e saeculi principibus, vel Regis administer compelleret Episcopum a revocanda excommunicatione con-

tra aliquem lata et denunciata; ita enim ecclesiastica sententia praepotentium arbitrio subiecta esset. Atque hinc Concilium Tridentinum Sess, XXV. cap. 3 dicit: « Nefas esse » saeculari magistratui prohibere » ecclesiastico iudici ne quem ex» communicet, aut mandare ut la» tam excommunicationem revocet.» Atque hinc non admodum firma illorum sententia habenda est, qui affirmant, non incurrrere hanc excommunicationem eos, qui superiorem ecclesiasticum compellerent ad ponendum actum iurisdictionis, ex. gr. ad aliquem absolvendum, ad auferendam censuram, interdictum etc. quasi hic non esset inter impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae adnumerandus. Nam, ut nobis videtur, et hic impediret. Quid enim aliud sunt ex. gr. excommunicatio, interdictum etc. nisi actuales applicationes legum ecclesiasticarum per iudicem ecclesiasticum? Ergo qui illarum poenarum applicationem impedit, ecclesiasticae impedit iurisdictionis exercitium. Eae vero poenae a iudice ecclesiastico infliguntur, ut per eas delinquens corrigatur, eaque luat quae peccando admisit. Id autem ita necessario connectitur cum exercitio ecclesiasticae iurisdictionis, ut applicatio sanctionis cum lege. Quis autem negabit impediri exercitium cuiusvis potestatis, si compellatur iudex ad tollendam poenam quam iuste delinquenti inflixit? ordo enim iudicialis et coercitivus perturbaretur. Ecclesia insuper hoc in capite consultum suae potestati voluit. Atqui nullimode consuluisset, si vera esset posita sententia. Nam Episcopus excommunicat aliquem, ob crimen ecclesiam pollutam interdicit, vel quod ibi degat aliqua Confraternitas cui et Franco-masones nomen dederunt; Parochus alicui iuste absolutionem denegat, atque huic vel illi matrimonio rationabili de causa assistere non vult. Civilis magistratus, vel alius quicumque Episcopum ad auferendam excommunicationem et interdictum, Parochum ad assistendum matrimonio, impertiendamque absolutionem compellit. Quaero: ubi in casu consisteret ecclesiasticae potestatis exercitium? Quo pacto dicendus esset Romanus Pontifex ecclesiasticae libertati consuluisse? Ni fallor, poenae omnes a Sacris Canonibus constitutae fere inutiles redderentur. Et qui consulere ecclesiasticae potestati voluit, aberrasset a scopo.

Etiamsi vero qui iudici ecclesiastico nunc obsistere, saltem *directe,* possint, ii sint qui potestatem habent, uti magistratus, Praefecti etc; tamen non hi tantummodo, ex vi capitis huius, censura mulctari dicendi sunt, sed omnes, quamvis nulla iurisdictione civili fulgeant, qui eiusmodi ecclesiasticae iurisdictionis exercitium impediunt. Caput enim generice loquitur, nullamque limitationem insinuat vel exceptionem; unum igitur ad eiusmodi excommunicationem incurren-

dam necessarium est; ut quis, quisquis ille fuerit, iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impediverit.

Quare 1. si quis impedire tentaverit, neque ei res pro voto cesserit, non est habendus ex hoc capite excommunicatus, quia non est inter *impedientes* adnumerandus, cum de facto non impediverit.

2. Neque uti excommunicatus est habendus ille, qui violentia, aut metu posthabito, solum precibus vel pecunia impediret exercitium iurisdictionis ecclesiasticae; nam impedire, ut etiam Roncallius observat *Tract. IV. Cap. IV. R. 1.* » est proprie facere quod aliquis » invitus et contra suam voluntatem cesset ab opere quod intendit. » Ille vero volens et sponte desistit a munere suo.

3. Sed neque censuram incurreret qui impediret iudicem ecclesiasticum, ipsum praeveniendo in aliqua cauxa mixti fori, quia licet eum praevenire; Leg. *si pluribus* ff. de legat. 1. et leg. 1. ff. de. Offic. Praesid.

Q. 1. Praelatus Regularis qui impediret Episcopum, quominus tamquam delegatus Sedis Apostolicae visitaret suam Ecclesiam exemptam, incurreret ne hanc excommunicationem?

R. Concilium Tridentinum sess. VII. cap. 8. statuit: « Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare » teneantur, et opportunis iuris remediis providere, ut quae reparatione indigent, reparentur; et cura » animarum, si qua illis immineat, » aliisque debitis obsequiis minime » defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam » ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus » et illorum inhibitionibus penitus » exclusis. »

Episcopi igitur tanquam Sedis Apostolicae delegati possunt et debent visitare ecclesias exemptas; quae visitatio cum sit actus, et quidem e praecipuis, iurisdictionis Episcopalis, nullum dubium est, quod qui eam impediret, hanc excommunicationem incurreret. Neque enim necessarium est, ut exercitium iurisdictionis ecclesiasticae impediatur apud Curiam saecularem, cum in Capite nostro simpliciter habeatur: *impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae,* neque modus, aut impedimenti qualitas determinetur. Hic vero regularis Praelatus, prohibendo Episcopum Ecclesiam exemptam visitare, directe iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impediret.

Q. 2. In Bulla coenae statuebatur excommunicatio in illos qui impedivissent iudices ecclesiasticos quominus *sua iurisdictione utantur secundum quod Canones, et sacrae constitutiones ecclesiasticae, et decreta Conciliorum generalium, et praesertim Tridentini statuunt.* Si quis impediret Episcopum quominus utatur iurisdictione sua, eoquod

contra Canones sententiam dixerit, incurreret ne excommunicationem ex vi nostrae Constitutionis?

R. Sapientissime R. P. Pium IX hanc exceptionem e medio sustulisse, tum quia non pertinet ad inferiorem, generice loquendo, de sententia a Superiore lata iudicare, tum quia adest beneficium appellationis, tum quia improbus quilibet ad iniustitiam sententiae latae confugere potuisset quo evaderet, sin aliud, externos excommunicationis effectus, tum quia praesumendus est, generice loquor, iudex ecclesiasticus praesertim, iuste uti sua iurisdictione, cum ad id praestandum cogatur iure naturali, divino et ecclesiastico. Directe tamen respondendo. Si quis omnino certus sit, iudicem ecclesiasticum non secundum canones usum sua fuisse iurisdictione, non puto hunc excommunicationem incurrere si impediat. Si ex. gr. Titius Presbyter vel homicidii, vel adulterii etc. accusetur apud Episcopum, atque per falsos testes crimen probetur; ita ut iuxta acta et probata de inlatis criminibus constet, Titius non incurreret excommunicationem si eiusmodi sententiam, vel exsecutionem impediret, quia non praesumitur Ecclesia velle ut aliquis iniustae sententiae subiaceat; eo vel magis quod in sententiis praedicta crimina respicientibus, a viris praesertim ecclesiasticis, talis incurritur infamia, ut difficillimum, ne dicam impossibile, postea sit famam et honorem recuperare. Innocens de cetero utitur iure suo, quod a nullo iure suspendi vel elidi potest.

Ex his vero pariter sequitur, quod si quis prohiberet iudicem ecclesiasticum excommunicatum et publice denunciatum iurisdictionem suam exercere, non implicaretur hac excommunicatione, quia talis iudex iniuste uteretur sua iurisdictione, cum per publicam excommunicationis denunciationem sit ab officio et usu iurisdictionis suspensus. *Cap. ad probandum* de sent.et re iud. et Cap. *exceptione*. Neque esset excommunicatus qui vetaret iudicem ecclesiasticum exercere suam iurisdictionem in non subditum, quia iniuste iurisdictione illa uteretur, qua in non subditum caret. Cap. *Sententia* 11. Q. 3.

Sed neque incurreret qui impediret iudicem inferiorem post legitimam appellationem interpositam; quia appellatio impedit effectum rei iudicatae, et reddit nullum quidquid postea a iudice intentatur. Cap. *Non solum* de appell. lib. 6.

Atque idipsum dicito in aliis similibus casibus, in quibus de iniusto iurisdictionis ecclesiasticae exercitio evidenter constaret.

Id autem non valeret in dubio, an iudex ecclesiasticus iuste iurisdictione sua usus sit; nam in dubio possidet auctoritas iudicis.

Potest autem quis iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire *directe* vel *indirecte*. Directe impe-

dit qui obsistit ipsi personae ecclesiasticae iurisdictionem habenti, eamque exercere volenti. Si quis ex. gr. necem intentet Episcopo, quod velit Dioecesis visitationem instituere, vel huius et illius causae matrimonialis, aut illius ecclesiae viri criminum cognitionem accipere. Indirecte vero cum non ipsi personae ecclesiasticae iurisdictionem exercere volenti obsistit, sed aliis vel rebus, vel personis cum ea relationem necessariam, vel necessitudinem habentibus.

Qua de causa implicatur excommunicatione qui Iudici ecclesiastico incutit metum gravem, ex. gr. grave damnum, carcerationem, mortem, ut desistat ab exercitio suae iurisdictionis. Si autem Iudex, minis spretis, non desisteret, atque in exercenda usque ad finem iurisdictione sua pergeret, impediens non incurreret excommunicationem, quia haec incurritur effectu secuto.

Qui eiusmodi metum incuteret consanguineis vel affinibus, quo ipsorum respectu, iudex a iurisdictione desistat; atque haec fuit ratio quare in Bulla coenae illi quoque excommunicarentur *qui carcerabant vel molestabant eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos et affines.*

Qui prohiberet ministros necessarios, sine quibus Iudex ecclesiasticus suam iurisdictionem exercere non posset. Hi postremi *indirecte* impedirent.

Incurrit vero hanc excommunicationem quicumque impediat iurisdictionis ecclesiasticae exercitium sive *interni*, sive *externi* fori. « Iurisdictio ecclesiastica, inquit Berardi » *Commentaria in ius eccl. univ.* » *Dissertatio prooemialis cap. 1.*, » cunctas ambitu suo complectitur, » quae Ecclesiae competunt, facultates. Ferendae sunt leges ab Ecclesia ad definienda fidei dogmata, » ad mores fidelium informandos, » ad disciplinam stabiliendam? Iurisdictio explicari dicetur. Sunt » coercendi rei depositionis, suspensionis, anathematis poena? Id iurisdictionis est. Convocanda ne comitia antistitum, monendus unusquisque praelatus, ut in officium ac munus suum incumbat? Iurisdictio exercebitur. Interponenda ne auctoritas in dedicatione templorum, in erectione, restauratione ecclesiarum, vel beneficiorum, in institutione clericorum in beneficiis, in alienatione rerum ad Ecclesiam pertinentium, et in aliis similibus? Iurisdictio est. Uno verbo: iurisdictio appellatur universalis quaedam potestas ea gerendi atque gubernandi quae ad commodum Ecclesiae pertinent... Igitur iurisdictionis potestas erit si iurgia inter dissidentes componantur, si contumaces poenis coerceantur, si bona administrentur, si leges edantur, promulgentur, abrogentur, si a legibus dispensetur, si erigendae sint sacrae aedes ad publicos sacrosque conventus, si

» instruendi populi, si Dioeceseos » fines stabiliendi, si convocanda » comitia, aut his similia peragen- » da. »

Haec autem ecclesiastica iurisdictio alia dicitur interni, alia externi fori.

« Iurisdictio interni fori, sequi- » tur Berardi loc. cit. Cap. II., » praecipue et directo refertur ad » singularem uniuscuiusque fidelis » spiritualem utilitatem... Exerce- » tur autem in sacramentis admi- » nistrandis pro modo et ordi- » ne illius, qui eadem iurisdictione » pollet, in Sacramentalibus simili- » ter faciendis, in orationibus pu- » blicis fundendis, documentis, ad- » monitionibus atque his similibus, » quae cum leniora officia sint, » nonnisi latiori significatione iuris- » dictionis esse dicuntur.

» Hinc magis proprie iurisdi- » ctio appellatur quae in foro exter- » no consistit, utpote quae valde » similis est iurisdictioni illi quae » publicis magistratibus competit, et » publicam utilitatem directo cu- » rat. Ista est, qua iurgiis de dog- » matibus fidei, de morum doctrina, » de disciplina subortis lata sen- » tentia finis imponitur, leges edi- » ctaque salubria conduntur, legi- » timisque poenis rei criminum » coercentur. »

Iam vero ex iis quae a cl. Berardi, tum a Canonistis utrique foro assignantur omnino sequitur:

1. Incurrere hanc excommunicationem qui impediunt executionem Brevium, Bullarum aliorumque decretorum quae a Rom. Pontifice promulgari, et executioni mandari iubeantur; tum decretorum, Rescriptorum, dispensationum quae a sacris Congregationibus Romanis edantur. Atque idem dicendum de iis qui impedirent iurisdictionem Ecclesiasticam quae competit Archiepiscopis, Episcopis, aliisque superioribus et inferioribus Praelatis, et omnibus aliis quibuscumque Iudicibus ecclesiasticis sive Ordinariis, sive delegatis.

2. Qui prohiberet Episcopum ea exercere quae pertinent ad potestatem Ordinis; nam in nostro Capite disertis verbis excommunicantur impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae *interni fori;* quae iurisdictio cum praecipue consistat in Sacramentis sive conficiendis, sive conferendis, ut supra animadversum est, et haec ita spectent ad potestatem ordinis, ut sine ea fori interni iurisdictio neque concipi possit, patet hanc excommunicationem non effugere eos qui impedirent quominus Episcopus conferret Sacramentum Confirmationis, chrisma conficeret, Clericos ordinaret, etc.

3. Tum qui prohiberent Parochos a celebranda missa, a sacramentis administrandis populo sibi commisso, a praedicando verbo Dei etc.

4. Item ii qui Evangelii praecones ab Episcopo deputatos, verbum Dei praedicare prohiberent.

5. Ii quoque qui confessarios ab Episcopo approbatos, vel etiam non approbatos in casu necessitatis, audire fidelium confessiones vetarent.

6. Qui Vicarios Foraneos, ut vocantur, impedirent quominus munia sua Ecclesiastica adimpleant. Nam hi omnes veram iurisdictionem tum in interno tum in externo foro, pro qualitate personarum habent (1).

7. Sequitur pariter, hanc censuram incurrere religiosos et religiosas, qui impedirent iurisdictionem ecclesiasticam suorum Praelatorum regularium; nam hi in subditos habent veram iurisdictionem. Consequenter per Pianam Constitutionem nullimode imminuta est auctoritas Constitutionis *Quoniam nostro pastorali* editae a Gregorio XIII anno sui Pontificatus tertio contra religiosos utriusque sexus S. Francisci, qui contemnentes Ordinationes Praepositorum sui Ordinis recurrebant ad saecularia tribunalia.

8. Ii etiam excommunicationem incurrunt, qui sese ingerunt in iis quae respiciunt directionem studiorum in Seminariis, quorum cura ad Episcopos spectat, atque ea supprimunt nisi adoptentur libri a Gubernio assignati; vel Seminariorum praesumunt visitationem instituere; nam et hi episcopalem iurisdictionem impediunt (2).

9. Hanc etiam censuram incurrere dicendi sunt, qui impedirent iurisdictionem Episcopi electi et confirmati etsi nondum consecrati, dummodo possessionem Episcopatus fuerit adeptus. Quandoquidem iuxta quod habetur in Extrav. *Iniunctae* de electione inter

(1) Non putarem autem incurrere hanc constitutionem eos, qui prohiberent simplicem presbyterum a missae celebratione; quia celebrare missam in simplicibus sacerdotibus non habetur ut actus iurisdictionis, cum ex officio sive pro populo, sive in commodum populi spirituale celebrare non teneantur.

(2) En quid a S. Poenitentiaria ad mala maiora vitanda circa eiusmodi negotium sancitum fuerit, lato decreto, quod decretum habetur pariter in Actis S. Sedis Fasc. 2. Vol. IX pag 111.

« Cum gubernium italicum constituisset visitare per ministros ad id deputatos Seminaria, istorum moderatores recursum habuerunt ad S. Tribunal Poenitentiariae exposcentes quomodo se gererent.

1. Quoad notitias super eisdem Seminariis a Gubernio requisitas.

2. Quoad Provisoris studiorum visitationem.

Sacrum Tribunal respondere censuit:

Ad 1. Ad evitanda graviora mala quae secus declinari non possent, tolerari ut Moderator Seminarii dare possit Gubernio notitias, quas de ipso Seminario idem Gubernium violenter repetit; praevia tamen protestatione qua declaretur, Seminaria a quacumque laica potestate, prout constat ex Concilio Tridentino, esse omnino libera et exempta; et cauto ne Gubernii ministri in Seminarii studia ac disciplinam, (quod nunquam est tolerandum) se ingerant.

Ad 2. Quatenus adhibitis omnibus mediis et cautelis, quas prudentia et zelus religionis suggesserit, visitatio regii Provisoris evitari nequeat, et aliunde gravia timeantur mala, ac dummodo eadem visitatio sit eiusmodi, ut moderatio disciplinae et studiorum Seminarii integra maneat apud Episcopum, passive se habeat; praemissa tamen protestatione, qua declaretur, Seminaria a quacumque laica potestate, prout constat ex S. Concilio Tridentino, esse omnino libera et exempta. »

extrav. communes, opus est ut Episcopus, ante quam ea quae sunt iurisdictionis exerceat, obtineat literas apostolicas, sine quibus possessionem Episcopatus ei collati consequi non potest, atque indicitur ut nemo, absque literarum apostolicarum ostensione ei pareat, vel uti Episcopum recipiat. Simulque constituitur poena in Episcopos eiusmodi decretum non servantes, ut scilicet, sit irritum et inane quidquid fecerint; sicut et in alios qui ipsum reciperent, simulque obedientiam praestarent.

Cum haec eadem etiamnum a Sede Apostolica observentur, patet 1. neminem teneri obedire episcopali iurisdictioni ante ostensionem literarum Apostolicarum, seu adeptam. Episcopatus possessionem, quae sequitur literarum ostensionem. 2. Cum vero necessarium minime sit ad ea exercenda quae sunt iurisdictionis, in externo foro, ut Episcopus sit consecratus, ii qui Episcopi non consecrati, attamen confirmati et possessionem Episcopatus consecuti iurisdictionem impedirent, excommunicationem incurrerent.

Haec vero pro aliquo speciali casu, qui evenire posset; nam in praesenti disciplina Ecclesiae Episcopi iam consecrati ad Dioeceses respectivas mittuntur.

Quod si quis huius expositionis vel extensionis rationem petat, eam reddimus, quod R. Pontifex vult ut omnes habentes iurisdictionem ecclesiasticam sive in interno sive in externo foro, nullimode quoad eius exercitium impediantur; quod secus ecclesiasticae libertati non admodum consuluisset. Etenim Episcopi plurimos iurisdictionis suae actus exercent per Parochos, Vicarios Foraneos etc. Quare si horum iurisdictio excluderetur, plurimi actus ecclesiasticae iurisdictionis sive interni sive externi fori possent impediri, quin impedientes excommunicationem incurrerent; quod lati Capitis sensui et fini repugnat.

Altera classis eorum, qui hoc in capite censura mulctantur, ii sunt qui recurrunt ad forum saeculare, eiusque mandata procurant: *et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes.*

Cl. Avanzini in suis Commentariis ad hanc Constitutionem, *Editio tertia manualis pag. 22-3* circa verba citata inquit: « Quaestio praeterea erat inter interpretes Bullae » coenae, utrum ad incurrendam » eiusmodi censuram satis esset » recurrere ad Curias saeculares, » etiamsi a iudice nihil obtineretur, » vel opus esset ut mandatum seu » prohibitio contra iudices ecclesiasticos obtineretur, et etiam executioni mandaretur. Prima sententia » recepta fuerat a Sacris Congregationibus, quarum praxis haec » est, ut quoties in causis iudicandis noscant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad » laica tribunalia, indicere soleant » eiusmodi recurrenti: *consulat*

» *conscientiae suae ob recursum ad* » *laicum tribunal*. Ceterum hodie » haec quaestio moveri amplius non » potest, quum in Articulo Consti- » tutionis non alia verba reperian- » tur quam *recurrentes ad forum* » *saeculare* eiusque *mandata procu-* » *rantes*. »

Et quidem vere, tum *ex fine*, tum *ex dictione*. Nam *finis* huius capitis est tueri liberum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium, quod non impedirent recurrentes simpliciter nisi mandata a laicis iudicibus nedum procurent et obtineant, sed etiam executioni mandent; nam si executi ea non fuerint, excommunicationem incurrisse dicendi non sunt, cum de facto exercitium iurisdictionis ecclesiasticae non impediverint. Excommunicatio haec igitur incurritur effectu secuto.

Dictio vero idipsum demonstrat. Nam si recurrentes seiungi a procurantibus mandata deberent, particula *et* esset de medio tollenda, ita ut scribendum fuisset: *recurrentes ad forum saeculare, eius mandata procurantes, edentes* etc.

Addendum vero puto quod cum Constitutio *Apostolicae* lata sit ad limitandas censuras, incongruum est, eas hoc in capite sine evidenti ratione multiplicare.

Neque his obstare possunt et quod Caput nostrum ad formam Capitis XVI Bullae coenae sit expressum, et quod Sacrae Congregationes Romanae iis qui recursum ad Curias saeculares exhibuerint solitae fuerint indicere: *Consulant conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal*.

Nam respondetur, quod etiamsi caput nostrum ad formam capitis XVI Bullae coenae sit expressum, tamen multa in eo addita continentur, multaque ablata, ut ex comparatione legenti patebit. Exempla vero quae ex Romanis Congregationibus afferuntur, praecedunt annum 1869, quo lata est Constitutio *Apostolicae Sedis*. Quare nullam facere possunt difficultatem.

Non me latet tamen, plurimas easque non spernendas difficultates contra cl. Avanzini expositionem congeri posse; praesertim quod cum iuxta eam necessarium sit ad incurrendam excommunicationem, ut quis nedum recurrat ad forum saeculare, sed et eius mandata procuret, spatiosa est via ad illam eludendam.

Nam 1. ad simplicem recursum laicalis potestas posset ex officio agere, et mandata ferre puniendi, carcerandi, eiiciendi è Dioecesi iudicem Ecclesiasticum quin tamen recurrens excommunicationem incurrat, cum mandata non procuraverit.

Item posset quis recursum facere, et alius mandata procurare, quin tamen aliquis eorum in excommunicationem incideret, cum ad

eam incurrendam utraque actio sit necessaria. (1)

Possent et aliae afferri difficultates, quibus ab initio ad contrariam sententiam amplectendam fere movebar. At cum lex sit odiosa, ideoque stricte interpretanda, cum de cetero verba capitis eiusmodi sensum non patiantur, omnino est Avanziniana expositio tenenda.

Recurrentes igitur in genere ii sunt qui opem alterius contra aliquem implorant, quasi ab eo sint passi vel patiantur iniuriam. In re vero nostra recurrere est opem iudicis vel magistratus saecularis contra iudicis ecclesiastici sententiam implorare, ut scilicet ille vel in irritum deducat latam ab hoc sententiam, vel saltem prohibeat, quod in idem recidit, quominus executioni mandetur. Non enim recursus ad quaslibet personas in capite nostro interdicitur, sed recursus ad saeculares magistratus qui iurisdictionem habeant. Forus enim est iudicii, seu exercendarum litium locus.

Falleretur autem summopere qui putaret, hoc in Capite *Forum* stricto sensu esse accipiendum, ita ut tantummodo iudices proprie dicti per eiusmodi vocabulum designari videantur, ceteris quibuscumque magistratibus exclusis. Nam verba: recurrentes ad forum saeculare eo sensu sunt interpretanda, ut aequipolleant verbis: recurrentes ad magistratus saeculares. Etenim in praesenti Capite *Forum saeculare* opponitur *Foro ecclesiastico;* sicut autem forum ecclesiasticum hic non sumitur neque sumi potest stricto sensu, scilicet pro actibus contentiosis fori ecclesiastici, cum finis capitis se extendat ad quemlibet iurisdictionis ecclesiasticae actum quomodolibet exercitum, ita nec forum saeculare stricto sensu sumi potest, pro actibus scilicet contentiosis fori civilis, sed latissimo, seu pro quolibet Magistratu qui potestatem habeat.

Quid enim esse potest ut soli iudices excommunicatione mulctentur quando potiora impedimenta contra ecclesiasticam iurisdictionem a potioribus Magistratibus dimanant? Nonne prudens quilibet ad evitandas litis expensas et excommunicationem ad Magistratus potius quam ad iudices recursum exhiberet? Et tunc ad quid haec pars capitis? Insuper, *mandata* non competunt tantummodo iudicibus proprie di-

(1) Attamen si quis recursum ad Curias saeculares exhiberet certo sciens iudicem et saecularem magistratum ex officio acturum, vel alium mandata procuraturum, hic, meo iudicio, non esset a censura immunis, quia sciens et volens, et saltem indirecte, impediret exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, atque per alium dicendus esset facere quod per seipsum dolose, scilicet ad eludendam excommunicationem, facere non vult, vel non potest.

Quare circa simpliciter recurrentes ad dignoscendum utrum in excommunicationem praesentis Capitis inciderint, eiusmodi criterium prae oculis habendum est.

Recurrens simpliciter excommunicatus vi huius Capitis habendus erit, quoties constet, ipsum recursum saecularibus Magistratibus exhibuisse, certo sciens executioni esse mandandum.

ctis, sed et cuicumque magistratui; sicut qui *edunt* non sunt solum iudices, sed etiam magistratus quicumque, imo hi potius, cum iudicum decreta communi vocabulo mandata appellari non soleant. Cum igitur eiusmodi verba designent personas quascumque quae potestatem habeant, quaeque generice per vocabulum *forum saeculare* indigitantur, patet, eiusmodi vocem stricto sensu non esse accipiendam. Addendum vero quod in prima parte capitis per *impedientes* nedum intelliguntur iudices, sed et Magistratus quicumque potestatem exercentes, imo et privatae personae. Ergo ni velimus dicere (quod fini universi Capitis repugnat) per *forum saeculare* limitatum fuisse sensum quo accipi debent *impedientes*, dicendi sunt per *forum saeculare* indigitari etiam Magistratus quicumque, exclusis personis privatis;quae exclusio ab ipsa voce *forum* innuitur. Ea quapropter tenenda sententia est quod incurrat excommunicationem hanc quicumque ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae recurrat sive ad potestatem legislativam, sive administrativam, sive iudiciariam. Hae enim omnes potestates per *forum saeculare* designari dicendae sunt.

Qua de causa si quis recurreret ad alias personas iurisdictione proprie dicta carentes, non incideret in hanc excommunicationem, licet in eam possit incidere si, illis mediantibus, impedierit exercitium iurisdictionis ecclesiasticae.

Neque pariter incurreret, si non ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae,vel uti in Bulla coenae dicitur, *ad eludendum fori ecclesiastici iudicium*, sed alia de causa recurreret; ex. gr. quod iudex ecclesiasticus nimis et inique differat sententiae executionem, quod sibi suspectus sit, vel quia propter temporum iniquitatem et ecclesiasticae potestatis oppressionem, sententiae ab Ecclesiastico Iudice latae nemo obedire velit. Hoc enim casu cum recursus non habeatur ad impediendam ecclesiasticam iurisdictionem, excommunicatio non incurritur; quod de cetero expresse declaratur in articulo verbis *ad hoc*, scilicet et *propter hanc causam*.

Animadvertendum est tamen, id locum habere, si apud Ecclesiam medium non sit ad sedandos recurrentis timores,et recursus instituatur apud iudicem saecularem, ut impedimenta removeat, vel timores quibus recurrens angitur, atque ecclesiastica sententia executioni demandari non possit. Si enim posset recurrere ad Romanum Pontificem, vel ad aliud tribunal ecclesiasticum potioris auctoritatis, a quo obtinere possit quod petit, non puto eum ab excommunicatione esse immunem, si spreto tribunali ecclesiastico, iudicem saecularem adeat eiusque mandata procuret. Esset enim computandus *inter recurrentes ad*

forum saeculare eiusque mandata procurantes, cum nulla iusta intercedat causa forum saecularem adeundi, et reapse impediret per eiusmodi recursum seu appellationem ad iudices laicos exercitium iurisdictionis ecclesiasticae quae superiori tribunali ecclesiastico competit.

Quod idem dicendum esset si ab ecclesiastico iudice iniqua et iniusta sententia lata fuisset, neque apud Ecclesiam remedium illam corrigendi inveniatur. Recurrendo enim ad forum saeculare tunc quilibet iure suo utitur, cum nemo iniustae sententiae subiacere teneatur.

Inter recurrentes ii sunt quoque recensendi, et quidem praecipue, qui recurrunt ad potestatem laicam per abusum, quem in exercenda iurisdictione iudex ecclesiasticus praesumatur et accusetur admisisse, ideoque corrigi a laico iudice possit et debeat.

Eiusmodi scandalum tribuitur Carolo VII Francorum Regi (1), qui post Concilium Basileense pragmaticam sanctionem edidit anno 1438. Eam in Conventu Mantuano an. 1459 gravissime Pius II reprehendit, adstantibus Regis Galliae Oratoribus atque inter cetera haec protulit: « Quo pacto tolerandum est, Clericorum iudices laicos esse factos, » pastorum causas oves cognoscere ? » Siccine regale genus et sacerdotale sumus? Non explicabimus » honoris causa quantum diminuta » est in Gallia (2) Sacerdotalis auctoritas, et melius norunt qui pro » nutu saecularis potestatis spiritualem gladium nunc exercent, » nunc excludunt. Praesul vero Romanus, cuius Parochia Orbis est, » cuius Provincia nec oceano claudi- » tur, in regno Franciae tantum iurisdictionis habebit, quantum placet Parlamento. Non sacrilegum » Parricidam, non haereticum punire, quamvis ecclesiasticum, nisi » Parlamenti consensus adsit; cuius » tantam esse auctoritatem nonnulli » existimant, ut censuris etiam nostris praecludere aditum possit (3). »

Ii itaque qui ad eiusmodi recursum *per abusum,* suadente prorsus diabolo, sese coniiciunt, atque a laica potestate mandata obtinent ecclesiastica cohibendi iudicia, omnino excommunicationem hanc incurrere dicendi sunt, cum exercitium

(1) Certe sub Carolo VII luculentiori ratione eiusmodi scandalum patuit, et ex eo tempore vox tecnica usurpari coepit. Nam quod Ecclesiae viri, suadente prorsus diabolo, contra ecclesiastica iudicia ad saeculares principes sese converterint recursumque exibuerint, multo ante Carolum VII, et non infrequenter, in Ecclesia contigit. Recursus autem hi facti fuerint sive propter abusum, sive per appellationem, sive per reclamationem etc. est quaestio *de significatione verborum* et de *intentione recurrentium.*

(2) Scripsisset nunc: *in universo mundo.*

(3) Verum haec pragmatica sanctio, instante eodem Pio II abrogata fuit a Ludovico XI Caroli VII successore, datis literis die 27 Novembris an. 1461, maxima Romanae Curiae laetitia.

iurisdictionis ecclesiasticae nedum impediant, sed et incredibilem calumniam ecclesiae iudicibus atque ipsi Romano Pontifici inferant, quasi potestate, quam a Christo Domino acceperunt, abutantur, et laicae potestati hinc eos subiiciant, quorum iudex vel Deus vel Ecclesia tantummodo est.

Tertio loco excommunicantur *edentes* eiusmodi mandata, quo nomine, iuxta praedicta, nedum iudices intelliguntur, sed et magistratus omnes saeculares qui iurisdictione polleant, quique contra ecclesiasticam sententiam mandata praescribant.

Qua de causa illi qui eiusmodi non habent in foro iurisdictionem, aut alias potestate non gaudent, ut actuarii qui mandata exscribunt, cursores qui ea deferunt, et in genere materiales executores hanc non incurrunt excommunicationem, eo quod inter edentes mandata non sunt accensendi, atque in nostro capite relatio innuitur inter recurrentes procurantesque mandata, eaque edentes, qui postremi utique possunt esse iudices et magistratus veram iurisdictionem habentes, non autem actuarii, scribae, et materiales executores qui nulla pollent, et ad quos idcirco recursus non deferuntur.

Sed neque ex hoc capite dicendi sunt Imperatores, Reges, aliique saeculares principes excommunicationem contrahere, quia vox *edentes* coartatur ad magistratus et iudices, inter quos non sunt Reges computandi. Sed hi veniunt sub nomine impedientium.

Ex iis vero quae iam disputata sunt omnino patere arbitror, hanc excommunicationem contrahi *effectu sequuto;* ita ut si laicus mandata edat contra ecclesiasticam sententiam favore recurrentis, et tamen quacumque de causa ad effectum deduci nequeant, iudices et recurrentes excommunicationem non contrahunt. Igitur tum solum contrahitur, cum mandata a laico magistratu edita executioni demandantur, non autem cum postulantur, a recurrente procurantur, et a magistratu feruntur. Cuius expositionis ratio est quia ni mandata exequantur, exercitium iurisdictionis ecclesiasticae nequit impediri et reapse non impeditur; consequenter praedicti non sunt uti impedientes habendi; impedimentum enim dicit factum, non possibilitatem, aut potestatem, aut voluntatem impediendi.

Neque difficultatem ingerit, quod procurantes mandata ii sint, qui instant ad ea obtinenda; quare iis obtentis, procurantium effectus iam secutus censeri debeat. Etenim procuratio, ut ex fine universi capitis patet, referri debet ad executionem, ex qua tantummodo sequitur impedimentum exercitii iurisdictionis ecclesiasticae.

Quod ulterius patebit si consideremus, Romanum Pontificem coniunxisse simul, secus ac ex Bulla

coenae plurimi statuerant, recursum et procurationem mandatorum; quae procuratio referri omnino debet ad executionem; potest enim quis recursum facere quin tamen habeat intentionem ulterius progrediendi; at si procuret mandata, hic censendus est velle et eorum executionem. Quod si procuratio non referretur ad executionem, quisque videt, conditionem eorum qui mandata procurant, quoad effectum, eumdem esse ac eorum qui simpliciter recurrunt, quod verborum sensui repugnat.

Exinde quoque patet, generaliorem esse excommunicationem latam contra *impedientes*, quam contra *edentes;* illa enim omnes complectitur, sive personae iurisdictione fruantur, sive non; haec tantummodo iurisdictionem habentes, principibus exceptis.

Demum excommunicantur *auxilium, consilium, vel favorem praestantes* sive recurrentibus et procurantibus mandata, sive edentibus, si tamen mandata executione compleantur; haec enim excommunicatio, ut iam dictum est, incurritur effectu secuto.

Itaque auxilium praestantes ii sunt in casu qui phisice cooperant vel ad impediendum ecclesiasticae iurisdictionis exercitium, ex. gr. si quis libere ministerium suum praebeat ad eiusmodi impedimentum inferendum; vel recurrentibus auxilium suum praestant, quo possint mandata obtinere; ex. gr. causidici vel advocati qui causam et defensionem suscipiunt pro ipso recurrente ad forum saeculare, atque instant apud iudicem ut contra ecclesiasticam sententiam mandata edat; hi enim nulla sunt digni excusatione, cum liberi sint ab eiusmodi causis suscipiendis atque defendendis.

Quaeritur tamen: Ii qui recurrentibus pecuniam necessariam subministrant, qua vel litem coram laico iudice intentent, vel mandata ab eo obtineant, sunt ne inter praestantes auxilium recensendi?

D. Affirmative si ad hoc prorsus pecuniam subministrent, et sine qua *nec litem intentare, nec mandata obtinere recurrentes possent.* Pecunia enim est medium sine quo, generice loquendo, nihil a causidicis et *tribunalibus* obtinetur. Hinc canebat Senecas: *O causidici venale genus.* Quare cum eiusmodi medio destituti, ii qui *ecclesiasticum iudicium* eludere vellent, nullimode possent ad Curiam saecularem se praesentare, et aliquid obtinere, pecuniam *ad hoc* conferentes sunt praecipue inter praestantes recurrentibus auxilium recensendi. Non incurreret tamen excommunicationem, si pecuniam non ad eum finem conferret, sed alia de causa, etiamsi sciret, recurrentem ad litem intentandam, vel ad mandata obtinenda eam impendere velle.

Praestantes consilium in casu ii dicendi sunt, qui vel suadent iudicem laicum ut impediat exercitium iurisdictionis ecclesiasticae,

vel volentem eludere ecclesiasticam sententiam, ut recurrat ad forum saeculare eiusque mandata procuret, vel iudicem et Magistratum ut recurrentem suscipiat, et eiusmodi mandata edat.

Favorem demum praestantes ii sunt qui vel laudando, vel instruendo de iis quae fieri oportet iudices, Magistratus, aut recurrentes ita in actionem influunt, ut etiam ob eiusmodi favorem ii moveantur ad vetitam actionem ponendam. Non enim in casu favor quilibet excommunicationem inducit, sed favor qui in actionem influat.

Qua de causa si qui vel recurrentem, vel mandata edentem, vel exercitium iurisdictionis ecclesiasticae impedientem laudent post factum completum, nullam excommunicationem incurrunt, eo quod favore suo nullimode in actionem influxerint; sicuti neque eam incurrisse dicendi sunt ob favorem praecedentem, si actiones in hoc capite vetitae effectum sortitae non fuerint.

Sed quid; si quis ad principaliores regni ministros recurrat: si autem iudicibus inferioribus mandent, ut rem expediant, edantque pro recurrente mandata?

R. Principaliores regni ministri excommunicationem incurrunt uti impedientes: mandato enim suo faciunt, ut impediatur iurisdictionis ecclesiasticae exercitium. Iudices vero incurrerent uti edentes; ipsi enim sunt qui reapse edunt mandata.

Sed quid: Si mandatum edatur a praecipuis ministris, qui iudicibus inferioribus mandent, ut illud omnino expediant?

R. Iudices inferiores non incurrerent censuram hanc, quia caput loquitur de edentibus mandata; et in casu iudices vel magistratus inferiores essent executores, non edentes. Cum autem executores, ut ex inferius dicendis patebit, non comprehendantur sub eiusmodi censura, ideo in casu excludendi etiam ab ea eiusmodi iudices videntur.

Quaeres demum: Scribae, Cursores, et in genere executores sunt ne inter praestantes auxilium recensendi?

R. Non sunt recensendi. Scribae enim et cursores sunt inter executores adnumerandi. Executores vero excludi ab eiusmodi censura patet tum ex Comparatione nostri Capitis cum Bulla coenae, in qua executores disertis verbis exprimuntur: *eos quoque qui haec exequuntur;* in nostro capite autem omittuntur; tum quia hi non videntur pertinere ad illud personarum genus quae in hoc Capite designantur, neque eorum actio eamdem videtur induere naturam; nam actiones accessoriae quae prohibentur eae sunt quae influunt in actionem principalem, ut reapse actio illius influeret qui pecuniam subministraret recurrenti, sine qua nec mandata, nec mandatorum expeditionem obtinere posset; at actiones scribarum, cursorum, et executorum in genere, in actiones princi-

pales in capite vetitas nullimode influunt, aut influxerunt, cum sint prorsus materiales, et quae subsequantur ipsas principales actiones.

Quaeres demum: Qui pecunia iudicem aut magistratum corrumperet atque induceret vel ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, vel ad mandata edenda pro recurrente, esset ne inter cooperatores adnumerandus?

R. Negative. Eiusmodi enim pecuniae collatio non praestat iudici aut magistratui neque auxilium neque consilium, neque favorem, ut patet. Sed neque inter impedientes indirecte recenseri eiusmodi vir posset, cum actione sua nullum reapse impedimentum inducat: iuxta sensum, quo haec vox in praesenti capite sumenda est.

APPENDIX VI.

DE COGENTIBUS IUDICES LAICOS AD TRAHENDUM AD SUUM TRIBUNAL PERSONAS ECCLESIASTICAS, ATQUE DE IIS QUI EDUNT DECRETA CONTRA LIBERTATEM ET IURA ECCLESIAE.

Sequitur Caput VII Constitutionis *Apostolicae* quo excommunicantur, *Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Hac canonica dispositione consultum Romanus Pontifex voluit personarum Ecclesiae honori atque securitati, cum congruum imo iustum omnino sit, iuxta Valentiniani II Sanctionem, *in causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis.* Supra pag. 237. col. 1.

Ex iis quae superiori capite scripta sunt id omnino patere arbitror, neque opportunum iudico alia ad idipsum probandum argumenta congerere. Si enim, praeter Romanorum Pontificum et Conciliorum sive generalium sive particularium decreta, non Imperatorum, aliorumque principum saeculi leges, non finis Ecclesiae, non immemorabilis consuetudo non catholicorum sensus non ipsa ratio rei intrinseca ad constabiliendam personarum Ecclesiasticarum immunitatem et fori ecclesiastici necessitatem sufficiant, nescio quid sufficiat. De eiusmodi immunitate Ecclesiae universae certe persuasum semper fuit; Ecclesia autem *est columna et firmamentum veritatis* 1. Tim. III 15. Velle autem dicere, atque ad nauseam usque repe-

tere, hanc immunitatem ortum duxisse ex Episcoporum, Romanorum Pontificum praesertim, praepotentia et dominandi cupidine, est rem dicere quae adversatur omnigenis documentis; est proinde nil dicere. Qua de causa cum RR. Pontifices in Bulla coenae universum, ut ita dicam, ius canonicum poenale concluserint, nil mirum si, spretis detractorum nostrorum quaerelis, etiam hoc caput expresserint. Ita porro in ea Bulla rem nostram sanciverant. Cap. XV. « Quive ex eo-» rum praetenso officio, vel ad in-» stantiam partis, aut aliorum quo-» rumcumque, personas ecclesiasti-» cas, capitula, conventus, collegia » Ecclesiarum quarumcumque, co-» ram se ad suum tribunal, audien-» tiam, Cancellariam, consilium vel » parlamentum, praeter iuris cano-» nici dispositionem trahunt, vel » trahi faciunt, vel procurant dire-» cte vel indirecte, quovis quaesito » colore; nec non qui statuta ordina-» tiones, constitutiones, pragmati-» cas, seu quaevis alia decreta » in genere vel in specie, ex qua-» vis causa, et quovis quaesito co-» lore, ac etiam cuiusvis consue-» tudinis, aut privilegii, vel alias » quomodolibet fecerint, ordinave-» rint, et pubblicaverint, vel factis » et ordinatis usi fuerint, unde li-» bertas ecclesiastica tollitur seu in » aliquo laeditur, vel deprimitur, » aut alias quovis modo restringi-» tur, seu nostris et dictae Sedis, » ac quarumcumque Ecclesiarum » iuribus quomodolibet directe vel » indirecte, tacite vel expresse prae-» iudicatur. »

Eiusmodi autem dispositio, prout iacebat, innumera parere poterat incommoda, ne dicam damna, ob incredibilia, attamen vera, quae nunc temporis contra Ecclesiam moliuntur Gubernia. Et ut aliquid tantum innuam, si firma Bullae coenae in omni sua parte dispositio constitisset, nonne catholicis omnibus via ad magistratum vel tribunalia moderanda fuisset praeclusa, eaque officia tradita vel admodum languidae, vel nullius religionis hominibus, qui contra ecclesiasticos etiam a lege praescriptos limites excessissent?

Qua de causa sapientissime Pius IX dispositionem temperavit, ab excommunicatione incurrenda iudices solvendo, eosque tantummodo plectendo qui ad iudices sive directe sive indirecte traherent personas ecclesiasticas, atque ad iudicia ferenda cogerent.

Duplex vero in capite nostro statuitur excommunicatio. Prima eos afficit qui cogunt sive directe, sive indirecte, iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; altera eos qui edunt leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

Hac autem censura nedum illi ligantur qui novas edunt leges, sed et ii qui iam constitutis legibus innixi (dummodo eae leges non sint

conventiones vel concordato cum Sancta Sede Apostolica probatae, vel saltem per consuetudinem ab Ecclesia toleratam praescriptae) decreta contra libertatem et iura Ecclesiae promulgant; nam et hi ut conditores decretorum sunt habendi.

Advertendum tamen in primis est, nomine iudicum laicorum tum personas, tum, et quidem praecipue, officia designari; quare eo sub nomine nedum veniunt iudices saeculares qui nullo sacro ordine sint insigniti, sed etiam ecclesiastici qui sine Romani Pontificis facultate, et quin ad eiusmodi clericorum causas excipiendas specialiter deputentur, officium illud laicale exerceant. Non effugeret quapropter hanc excommunicationem ille qui cogeret eiusmodi virum sacro utique Ordinis caractere insignitum, sed laicalia iudicia exercentem, ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; nam de facto virum ecclesiae iudici laico subiiceret.

Unicuique vero patet, nomine personarum ecclesiasticarum venire omnes clericos et utriusque sexus monachos, atque eiusmodi nomen hoc in capite tam late patere, quam late patet in Capitulo II. de excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Qua de causa et ille excommunicationem hanc contraheret qui cogeret iudicem laicum ad trahendas ad suum tribunal personas ecclesiasticas excommunicatas et interdictas, quia censurae ecclesiasticae non tollunt privilegia clericalia.

Excipiendum autem est, si agatur de clerico qui amiserit privilegium canonis et fori: nam hic ut laicus habetur. Secus ac vero in Bulla coenae fuerat statutum, in qua excommunicatione mulctabantur iudices omnes qui vel ex suo *praetenso officio,* vel ad *instantiam partis* clericos ad suum tribunal trahebant, in capite nostro excommunicantur non iudices saeculares, sed ii qui eos compellunt ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas.

Id nedum ex verbis capitis diserte patet, cum legatur: *cogentes iudices laicos ad trahendum* etc., sed etiam ex instructione S. Supremae Inquisitionis lata die 1. Februarii 1871, in qua circa presentem articulum haec habentur. « Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem magistratus et Gubernii servos trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis, sive alio modo; quos omnes timebas excommunicatione esse irretitos, quae in dicta Constitutione, *Apostolicae Sedis,* est septima inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici, speciali modo reservatas. Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes,* quod sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui

» subordinati sint, etiamsi iudices » fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia » agunt, vel alios ad agendum cogunt, » quos etiam indulgentiam nullam » mereri facile perspicies. » Ergo 1. Iudices compulsi ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas ab eiusmodi excommunicatione sunt prorsus immunes.

2. Essent etiam immunes si posthabitis iuris remediis vel iudiciorum ordine, tantummodo precibus, suasionibus, consiliis personas ecclesiasticas trahere studerent; nam hoc in casu dicendi non essent, eas trahere ad suum tribunal, cum tribunal, iuxta Isidorum l. penult. ff. de iust, et iur. *Sit locus sublimis et editus, in quo considentes Magistratus ius dicunt.*

Qua de causa ii excommunicationem hanc incurrere dicendi sunt, qui iudices laicos cogunt in causa sive civili, sive criminali (tribunal enim utrumque iudiciorum ordinem complectitur) ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas. Quo cogentium nomine omnes profecto intelliguntur sive personae sint laici ordinis sive clericalis, sive mares sive foeminae.

Essent etiam excommunicati iudices ipsi qui a nemine, nec a lege coacti, sed sponte, vel odio moti, vel alia quacumque de causa traherent clericum ad suum tribunal praeter canonicas dispositiones; nam hoc in casu hi iuxta citatam S. Officii instructionem *talia agerent*, (1) ex quibus ad iudicem laicum traheretur persona ecclesiastica.

Iam vero quis potest iudices laicos cogere *directe* vel *indirecte*. Cogit directe qui Clericum apud iudicem laicum coercendis criminibus praepositum furti, homicidii etc. accusaret, ex qua accusatione necessario iuxta vigentes leges sequeretur iudicis actio in clericum, vel qui in causa civili ex. gr. pecuniae solvendae, beneficii adeundi, et cuiuscumque quaestionis dirimendae ad civile tribunal personam ecclesiasticam citaret et adduci compelleret.

Verum in quaestionibus civilibus, iis praesertim quae vel pecuniae solutionem vel haereditatem adeundam etc. respiciunt, nunc temporis, quo de facto Ecclesia foro privata est, etiam ab timoratae conscientiae viris nescitur qua ratione se gerere debeant ad excommunicationem vitandam, cum et apud iudices ecclesiasticos causam dicere nequeant, et si dicant, executioni sententia lata demandari non possit.

Ex qua necessitate forum saeculare adeundi quidam contendere vellent, non incurri eiusmodi in similibus causis excommunicationem, atque verbum *cogentes* diversam pati significationem, ac sensus naturalis ferat; ita ut denotet legum latores, qui, vulgatis legibus

(1) In nonnullis Commentariis postrema Instructionis verba hoc modo leguntur: *vel talia, vel alios ad agendum cogunt.* Cum interrogassem Supremae Inquisitionis Commissarium generalem, veram lectionem esse suggessit quam dedi.

Ecclesiae libertati adversis, cogunt iudices laicos ad trahendum etc.

Verum neque verba capitis eiusmodi sensum pati possunt, neque relata Supremae Inquisitionis instructio id affirmare permittit. Romanus Pontifex insuper eiusmodi excommunicationem innovavit anno 1869 non pro iis regnis in quibus de facto forum Ecclesiasticum iam abrogatum reperiebatur sed pro iis regnis, Italia praesertim et provinciis Status Pontificii ab italico gubernio occupatis, in quibus spreto quocumque Pontificio decreto, ecclesiastici ut laici quilibet tractabantur, ut post diem 20 Septembris 1870 tractantur Romae. Romanus Pontifex igitur Fori Ecclesiastici iura servari sarta tectaque voluit etiam iis in provinciis, in quibus violenter et sacrilege sublatum fuerat.

At per eiusmodi excommunicationis innovationem non tam respicere voluisse Principes laicos, vel Deputatos Parlamenti edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae, quam personas particulares quae fuissent abusae latis legibus contra viros Ecclesiae, res est manifesta. Nam pro iniquissimarum legum latoribus providit in altera articuli parte; quae pars foret inutilis, si in priori parte quae respicit *cogentes* intelligerentur legum latores. Quandoquidem ea esset ita exponenda: *Legum latores per leges Ecclesiae libertati adversas cogentes iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones;* quae sententia esset identica secundae articuli parti: *item edentes leges vel decreta contra libertatem et iura ecclesiae;* ergo inutiliter et prorsus supervacanee haec pars addita priori fuisset.

Insuper si illa esset expositio admittenda, Romanus Pontifex minime Ecclesiasticae immunitati consulisset. Quid enim emolumenti legum latores excomunicare pro iniquissimis legibus, si subditi illis uti impune potuissent, et trahere ecclesiasticos quoscumque ad tribunal laicale? Etenim non tam illi quam isti causas cum Ecclesiaticis agunt; non tam igitur illi quam isti occasione compelluntur cogendi iudices laicos ad iudicia ferenda circa personas ecclesiae.

Additum est autem *praeter canonicas dispositiones;* quibus innuitur, omnes qui ad canonicarum dispositionum praescriptum cogunt iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas non incurrere eiusmodi censuram. Sed hi sunt omnes et singuli qui in regno aliquo ubi viget forum ecclesiasticum, negotium cum clerico habent. Ergo et e contra.

Neque timendum est exinde iura confligere. Non enim fortasse desunt qui dicant, creditorem iure naturae datam pecuniam repetere posse; quod ius a nullo alio eliditur, sed nec suspenditur. Nam Ecclesia cum interdicit convenire Clericos coram laico iudice, non pro-

hibet laicis datam pecuniam ab eis repetere, sed vult ut eis privilegia fori conserventur: quod cum summa aequitate statutum sit, nullo pacto eiusmodi lex ab Ecclesiae filiis violari debet.

Equidem dicturi erunt: Romanus Pontifex excommunicationi subiectos noluit iudices coactos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas eo quod necessitate quadam compellantur: ergo a pari excommunicatione mulctari dicendi illi non sunt qui in causa civili, ex. gr. pecuniae solvendae, conveniunt ecclesiasticos coram iudice laico, quia cum forum Ecclesiae abrogatum de facto sit, necessario ad id compellantur.

At si eiusmodi ratio aliquid valeret. 1. Non intelligeretur quare cogentes non essent immunes ab excommunicatione etiam quum traherent aliquam personam ecclesiasticam coram iudice laico ob factum criminosum.

2. Neque pariter intelligeretur quare Romanus Pontifex qui probe noverat ea quae, praesertim in provinciis ab italico gubernio occupatis contra Ecclesiam et Ecclesiae viros fiebant, dum ab excommunicatione incurrenda exemit iudices laicos, non exemerit subditos, seu partes contendentes, quae cum ad Forum Ecclesiasticum pergere nequirent, necessitate quadam ducebantur ad adeundum forum saeculare. Quando enim in aliqua iuris dispositione una tantummodo pars excipitur, ceterae omnes intelliguntur comprehensae.

3. Falsum vero esse iudico, Romanum Pontificem ob id unum exemisse iudices laicos ab excommunicatione, quod necessitate compellantur ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones si semel citatio vel accusatio contingat; nam ob eiusmodi rationem debuisset hos iudices etiam ab omnibus fere aliis censuris eximere, quin tamen exemerit; non igitur exemptio iudicum in necessitate constituitur, sed in aliis potioribus rationibus, quarum unam docti quique reponunt in hoc, ne scilicet tribunalia occuparentur ab hominibus pessimis et acatholicis de facto, qui omnia humana et divina subverterent. Atque hinc paritas in coactione omnino excludenda videtur.

Omnes ergo et quicumque, etiam subditi, etiam privati homines hi praesertim, sub verbo *cogentes* comprehenduntur. Qua de causa iis, quibus necessitas incumbit trahendi ad iudices laicos, ob defectum fori ecclesiastici, personas ecclesiasticas, una tantum suppetit via ad eiusmodi excommunicationem evitandam, petere scilicet a S. Sede Apostolica facultates opportunas conveniendi clericum apud iudicem laicum; id vero vel immediate ad Apostolicam Sedem recurrendo, vel saltem mediantibus Episcopis respectivis, qui fortasse eiusmodi facultates iam a S. Sede habuerunt. Qui secus agere

praesumerent, eiusmodi excommunicationem non evaderent, cum lex generalis sit, neque aliquem excludat. De cetero eiusmodi via facillima est, quaque quisque uti tenetur ad sarta tectaque Ecclesiae iura servanda, atque filialem reverentiam erga communem matrem ostendendam, ne undequaque clamandum sit: *Filii matris meae pugnaverunt contra me.* Cant. 1. 5.

Indirecte vero quis cogeret iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, si ex. gr. aliquis eis timorem gravem incuteret mali corporalis, amissionis officii, vel eius familiae damna inferret etc; ad quae damna vitanda iudex ad suum tribunal clericos trahere compellatur. Cogentes eiusmodi excommunicationem incurrunt.

Quoniam vero aliquantisper difficilis Confessariis eiusmodi indirectae coactionis cognitio videri posset, atque aleis plena, hinc sequens criterium hac in re habere procurent.

Si constet de intentione cogentis, atque media adhibita in coactionem influxerint, effectumque sortita sint, cogens ut excommunicatus est habendus.

Qua de causa non admodum solida eorum sententia mihi videtur qui affirmant, habendum esse ut indirecte cogentem, atque consequenter excommunicationem eum incurrere qui in aliqua iudiciali inquisitione revelaret facta, quibus iudices laici ad suum tribunal Clericos trahere moveantur; nam simplex revelatio factorum coactionem, quae de cetero importat aliquam violentiam non constituit; hanc vero in casu iudex aliunde patitur.

Attamen cogentes tunc excommunicationem incurrunt si cogant iudices ad trahendum etc. praeter, non iuxta canonicas dispositiones; quae nominis acceptio hoc in loco late patet, ita ut per eas nedum canones proprie dicti significentur, sed et quaecumque cum S. Sede initae a variis guberniis conventiones; qui enim iuxta eas agit ex praescripto agit R. Pontificis, qui super res disciplinares omnimodam habet potestatem; habeant de cetero conventiones illae, seu concordata rationem pacti vel merae concessionis. Iam vero in iure canonico nonnulli indigitantur casus, quibus tam in civili, quam in criminali licet clericos coram laicis iudicibus convenire; quae canonicae dispositiones cum a Sede Apostolica abrogatae non fuerint, eas vim legis adhuc habere tenendum est.

Porro in civili licet clericum coram iudice laico convenire 1. in causa feudi: quia eiusmodi quaestiones coram Domino feudi tractandae erant ex Cap. caeterum de iudiciis: « Caeterum quia in eos » quos ab ecclesia tua constat pos- » sessiones tenere in feudum, oc- » casione ipsarum excommunicatio- » nis seu interdicti sententia pro- » mulgatur; Nos id districtius inhi- » bemus, quamdiu parati fuerint su-

» per his in tua praesentia (id est » coram domino feudi) iustitiam ex- » hibere. »

2. In causa de immobilibus, quando scilicet ab initio bona immobilia Ecclesiis vel clericis donata fuere cum reservatione iurisdictionis, sive cum pacto vel conditione ut sub eodem foro manerent, sub quo prius existebant; quae conditio cum iusta omnino sit, servari debet *Molin. tract. 5. de I. et 9. D. n. 6. Layman lib. 1. Tract. 4. etc.*

3. Si agebatur contra laicum ad evincendam ab ipso rem, quam emit a Clerico; hoc in casu clericus venditor, si citatus ab emptore fuisset debebat comparare etiam coram laico iudice. *Covar. pract. 99 cap. 8. n. 3.*

4. Si Clericus ratione officii alieno nomine conveniebatur tanquam tutor, curator, vel procurator alicuius laici. *Pirhing. n. 91.*

5. In causa reconventionis, si clericus scilicet laicum conveniebat coram iudice laico; tunc enim poterat laicus eundem clericum vicissim coram eodem iudice in eadem causa reconvenire.

6. Si clericus esset haeres laici, et lis cum defuncto iam coepta fuisset, quia iudicium ibi finem accipere debet ubi incoeptum semel fuit.

In causa vero criminali licet trahere coram laicis iudicibus clericos constitutos in maioribus ordinibus 1. si propter aliquod grave delictum, vel quod emendari noluerint, gradu deiecti fuerint, et Curiae saeculari traditi. Ex cap. *At si Clerici* De iudiciis tit. 1. 2. Si habitum et tonsuram clericalem deseruerint, et ter canonice admoniti sub expressa poena amissionis privilegii clericalis obedire noluerint. *Cap. in audientia* 25 et cap. *contingit* 45 de sent. excom.

3. Si clerici per sententiam declaratoriam rei probati fuerint assassinii; ex cap. per humani. de homicid. in 6, ubi Bonifacius VIII. inquit: *Quicumque tam clericus quam laicus, qui huiusmodi immanitate per assassinum aliquem interfici fecerit, sit a toto christiano populo diffidatus.*

4. Si dimisso habitu clericali, se enormitatibus immiscuerint, sive multa enormia crimina commiserint, et post trinam Episcopi admonitionem non resipuerint.

Clerici vero in minoribus ordinibus constituti conveniri coram laico iudice poterunt, si conditiones a Concilio Tridentino praescriptas non adimpleant. Eae porro descriptae habentur Sess. XXIII. cap. 6 de Reformatione his verbis: « Is » etiam (id est prima tonsura ini- » tiatus, vel etiam in minoribus ordi- » nibus constitutus) fori privilegio » non gaudeat, nisi beneficium eccle- » siasticum habeat, aut clericalem » habitum et tonsuram deferens, » alicui Ecclesiae ex mandato Epi- » scopi inserviat, vel in Seminario » Clericorum, aut in aliqua schola, » vel in universitate, de licentia

» Episcopi quasi in via ad maiores » ordines suscipiendos versetur. »

Quaestio vero exoritur: an qui cogunt iudices vulgo *conciliatores* ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas incurrant hanc excommunicationem.

Cui non parum difficili quaestioni ut respondeamus nonnulla sunt praemittenda.

Et primo quidem, eiusmodi iudices esse constitutos in civili ad dirimendas causas quae non excedant summam libellarum triginta; eos de bono et aequo sententiam ferre, non ad tramites iuris, cum scientia iuris in eis non requiratur; iudicium vero ab eis prolatum dirimi non posse, neque ab prolata ab eis sententia appellari, ne per levissimam pecuniae summam partes in incredibiles tribunalium et litium expensas sese coniiciant; demum tum clericos tum laicos non teneri ad personaliter comparendum, sed posse causam gerere per procuratorem. Hisce tamen non obstantibus S. Sedem velle, ut electi ad eiusmodi Conciliatorum officia facultates petant ad illa exercenda.

Quibus praemissis; indubium est, Caput VII. nostrae Constitutionis loqui de iudicibus proprie dictis, quales certe iudices Conciliatores, haberi non possunt, cum tribunali proprie dicto careant, neque ad instar iudicum sententiam dicant, neque ut iudices constituti sint, sed ut conciliatores qui de bono et aequo minimas quaestiones concilient, ad vitandas in minimis litium expensas; qua de causa cum legem in odiosis stricte interpretari debeamus, non videntur ii qui cogunt eiusmodi iudices ad trahendum coram se personas ecclesiasticas hanc excommunicationem incurrere. Neque obstat quod ad id muneris tuto exercendum a S. Sede facultates opportunae sint postulanda; nam eiusmodi facultates extenduntur ad quodlibet aliud officium ex. gr. Sindici, Notarii etc. praesertim in provinciis Status Pontificii, atque conceduntur ut personae religiosae sine peccato possint usurpatori gubernio inservire, propriis consulere necessitatibus et poenas quas Gubernium reluctantibus, aliquando intentat evitare; tum demum ut officiia sive civilia sive criminalia, non occupentur ab hominibus, qui nihil antiquius habent quam religioni et pietati bellum inferre. Quamobrem ex hoc quod ad eiusmodi conciliatorum officia electi facultates opportunas a S. Sede petere debeant, non sequitur incurrere excommunicationem, qui coram eis personas ecclesiasticas citant.

Quaeri insuper posset: an si conventiones cum S. Sede initae, seu concordata in aliquo regno violatae fuerint, ita ut a principe laico non amplius observentur, licitum adhuc sit Confessariis casus iuxta conventiones illas dirimere, vel potius censenda, sint etiam ex parte Sanctae Sedis abrogatae?

Huic quaestioni responderi posse et debere arbitror, en parte S.Sedis censendas non esse conventiones illas in irritum deductas, ideoque confessarios tuto posse ad earum tramites varios conscientiae casus dirimere. Et hoc quacumque in hypothesi, habeant, scilicet, conventiones illae rationem pacti, vel merae concessionis.

Si enim habent rationem pacti, ex quo una pars conventa pacta non servet, non sequitur etiam aliam partem ea nolle servare, sed ad summum ea posse non servare. Si ex. gr. quis contractum emptionis perfecerit cum hisce et hisce pactis, si venditor pacta violet, atque contractum rescindere velit, non sequitur eum etiam ab emptore velle rescindi, sed posse rescindi. Cum autem Ecclesia numquam adhuc declaraverit se etiam inita concordata in irritum deduxisse, (et eiusmodi declaratio omnino esset necessaria) manifestum esse puto, iuxta illas conventiones posse et debere adhuc quaestiones dirimi.

In quod etiam recidit si concordata rationem habeant merae concessionis ab Ecclesia factae ad vitanda mala maiora: cum enim hac in hypothesi concessio illa ut mera gratia sit consideranda, putari debet in suo vigore permanere usque dum a Romano Pontifice revocetur.

De facto autem certum est, R. Pontificem in regno italico etiam nunc concordata cum antiquis principibus inita servare, etiamsi ab italico Gubernio non dico septies, sed septuagies septies in die violentur, et Ecclesia malis innumeris opprimatur. Romanus ergo Pontifex ex parte sua ea concordata vult servari; ergo nisi declarationes edantur, quibus decernatur in irritum antiquas conventiones esse deducendas, quilibet confessarius iuxta illas agens, aget ex praescripto canonicarum dispositionum.

Sit et alia quaestio: Qui edunt leges contra libertatem et iura Ecclesiae, ex quibus iudices laici cogantur trahere ad suum tribunal personas ecclesiasticas incurrunt ne in duplicem excommunicationem?

Respondendum est, eos unam tantummodo excommunicationem incurrere, quod scilicet ediderint leges contra libertatem et iura ecclesiae.

Cogentes enim non intelliguntur qui edunt leges, sed personae quae vel citationibus, vel accusationibus cogunt iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas: Quaecumque enim leges edantur, nisi ii absint qui cogant iudices ad illarum legum applicationem sine ullo effectu profecto remanerent. Applicatio autem legis ex facto aliquo constituitur quod sub lata lege cadat. Ergo non legum latores, sed qui factum ad laicos iudices deducunt ut cogentes sunt habendi. Quoniam vero iudices laici personas ecclesiasticas ad suum tribunal trahere non possent nisi ex legum praescri-

pto, hinc, exemptis iudicibus qui necessario agere debent, R. Pontifex eiusmodi legum conditores manifesto excommunicavit. Haec igitur excommunicatio legum tantummodo conditores afficit, illa cogentes iudices laicos ad applicandas eiusmodi leges in personas ecclesiasticas.

Manifestum est autem quod si aliquis e legum latoribus ex. gr. deputatus aliquis parlamenti, vel Senatus qui eiusmodi leges probavere et promulgavere etiam facto aliquo particulari ex. gr. accusando, citando cogeret iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, ex duplici capite excommunicationem incurreret.

Advertendum esse demum censeo, eiusmodi censuram non incurri iis in locis, in quibus forum Ecclesiasticum de facto abrogatum iam erat, cum Romanus Pontifex eos excommunicatione perculerit, qui novas violenter indixerunt leges iis in provinciis, in quibus ecclesiastica iurisdictio vigebat, neque credi posse, eum voluisse excommunicatione mulctare Ecclesiae filios qui iam ex consuetudine ab Ecclesia tolerata quascumque personas ad laicalia tribunalia trahebant, atque ita suscitare innumeras tum quaestiones, tum conscientiae angores et perplexitates.

Altera pars huius articuli excommunicatione mulctat *edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae*.

Ne error in verborum intelligentia subrepat advertendum est, hoc in loco per Ecclesiae libertatem et iura non designari libertatem et iura populi christiani, quatenus ex. gr. fidelis quilibet ius habet audiendi sacrum, Ecclesiam adeundi, conciones audiendi, sed eam libertatem et iura qua spectant ad nobiliorem Ecclesiae partem, scilicet clerum, et praesertim ad Romanum Pontificem et Episcopos. Eundem sensum habuisse et in Bulla coenae tradit Alterius *De Excommunic. Bullae Coenae pag. 690* scribens: « Libertas Ecclesiastica, de qua tractabatur in Bulla, » est illa, quae convenit Ecclesiae » ratione suae partis excellentioris » et principalioris quae spiritualis » est, comparatione alterius partis, » quae temporalis est, id est qua- » tenus constat ex personis eccle- » siasticis, et loca ac res specialiter » ad eos attinentes continet. Quare » duo praecipue requiruntur ad » hanc libertatem, unum ut sit im- » munitas, privilegium, exemptio, » vel quovis alio nomine nuncupe- » tur propria Ecclesiae, ut compo- » nitur ex personis ecclesiasticis. » Aliud ut pertineat ad commu- » nem utilitatem Ecclesiae, non » ad specialia privilegia particula- » rium Ecclesiarum, vel persona- » rum Ecclesiasticarum. Quae li- » bertas praecipue consistit in ex- » cellentia potestatis tum ad ordi- » nem tum ad iurisdictionem spe- » ctantis; et ideo complectitur omnia

» privilegia et exemptiones, quibus » Ecclesia secundum praestantiorem » et excellentiorem sui partem, » nempe ratione personarum eccle- » siasticarum et bonorum ad ipsas » spectantium, libera est et exempta » a subiectione vel coactione tem- » poralis potestatis.

Exinde nemo putet excludi ab excommunicatione illos vel Praefectus vel Municipes qui ederent decreta contra libertatem et iura Ecclesiae suae, quod in praesenti Capite loqui videatur R. Pontif. de decretis quae respiciunt Ecclesiam in genere. Nam ea decreta conduntur legibus iam promulgatis, vel non. Si primum, cum R. Pontifex eos disertis verbis excommunicationi subiiciat qui edunt decreta contra libertatem et iura Ecclesiae, decreta vero a quavis potestate non tamen suprema proficiscantur, (Nam *solus Princeps leges facere potest*. L. 9 ff. de iust. et iur.) patet eos ab excommunicatione excludi non posse; multo vero minus, ut per se patet, si arbitrio suo eiusmodi decreta edant.

Etsi vero eiusmodi decreta non afficiant Ecclesiae universalis iura quantum ad extensionem, quia in ea tantum vel Praefectura vel Municipio vigorem habent, in quo eduntur, tamen quantum ad substantiam attinet, offendunt iura et libertatem Ecclesiae universalis quae singulis Ecclesiis componitur, quaeque ius habet sese explicandi iuxta suam intrinsecam constitutionem in qualibet orbis parte. Sin minus quaelibet potestas posset singillatim offendere omnium particularium Ecclesiarum quae in regno sunt libertatem et iura, quin tamen dicenda esset offendere libertatem et iura Ecclesiae universalis, quod repugnat, cum singulae Ecclesiae si privilegia quaedam excipias, agant ex praescripto legum quae tuentur libertatem et iura Ecclesiae in genere. Unde enim Ecclesia ex. gr. Mediolanensis, Neapolitana, Parisiensis, Viennensis illo et illo modo sese explicant, nisi quia illa sunt Ecclesiae universalis iura? Qui ergo ea proscriberet, offenderet iura Ecclesiae in genere.

Non ita tamen putarem, si offenderentur privilegia alicuius Ecclesiae. Nam privilegia etiamsi stent ex concessione vel tolerantia RR. Pontificum (originem non quaero) sunt tamen exceptiones, et plerumque, ne dicam semper, stant contra ipsam Ecclesiae legem. Decretum ergo vel lex privilegia illa abrogans non posset considerari ut editum contra libertatem et iura Ecclesiae, quamvis ad laicam potestatem illa excludere non pertineat.

Ut autem iam monuimus, eiusmodi excommunicatio innovata est contra eos qui novas contra Ecclesiae iura leges essent edituri. Ubi enim haec iura offensa iam reperiebantur per conventiones seu concordata, edentes decreta iuxta easdem conventiones non incurrunt excommunicationem, etsi incurrant

si prater eas edant, excedendo scilicet facultates, seu concessiones quae in conventionibus constabilitae sunt.

Atque heic pariter notanda est differentia inter Bullam Coenae, et hanc alteram partem Articuli VII nostrae constitutionis; in ea enim excommunicationi subiiciebantur nedum *qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quaevis alia decreta.... ordinaverint et publicaverint,* sed etiam *qui factis vel ordinatis usi fuerint.* Qua de causa excommunicationem incurrebant etiam iudices, ceterique magistratus qui latas leges vel decreta applicabant; in nostro autem articulo iudices ab excommunicatione excluduntur, et hanc incurrunt tantummodo *edentes.*

Quoniam vero plurimi sunt modi violandi iura et libertatem Ecclesiae, hinc latissimo sensu sunt verba *edentes leges* vel *decreta* accipienda, innuunt enim quamcumque libertatis et iuris ecclesiastici violationem.

Nos praecipuos indigitabimus, eosque praesertim qui in syllabo recensentur. Hinc in regno seu monarchia absoluta Rex, vel imperator, in regno constitutionali Deputati utriusque Camerae leges statuentes, et Rex eas approbans, in Republica quot quot suffragia ferunt incurrerent excommunicationem, si legibus aut decretis latis auferrent, aut iura Ecclesiae restringerent: *Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Sede Apostolica. Syllab. n. 31.*

Si bona Ecclesiae sive mobilia sive immobilia gubernio addicerent et venderent. *Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi* n. 26 Et: *sacri Ecclesiae ministri, Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt excludendi* n. 27.

Si Ecclesiasticos compellerent milites agere: *Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.* n. 32.

Si ecclesiasticas immunitates abrogarent: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.* n. 30.

Si ad promulgandas Constitutiones Pontificias Gubernii approbationem exigerent: *Episcopis sine Gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas literas promulgare* n. 28.

Si scholas ab inspectione: et directione Ecclesiae subtraherent *Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita qui-*

dem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scolarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. n. 45.

Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim. n. 47.

Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario spectet. n. 48.

Si religiosas Communitates seu familias reformarent ad beneplacitum earumque bona publicarent. *Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere, et solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.* n. 53.

Si Episcopos e Sede exturbarent, vel eorum institutionem impedirent: *Laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.* n. 51.

Si Ecclesiasticos et Christi fideles prohiberent cum Romana Curia communicare. *Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites, et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.* n. 49 (1).

Haec, inquam, et alia his similia quae in syllabo recensentur et Constit. *Quanta cura* a Pio Papa IX edita, quaeque respicere possunt tum potestatem ordinis tum iurisdictionis seu Reges, seu legumlatores promulgent, excommunicationem ipso facto incurrunt ut edentes leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae.

(1) Ad verbum propositiones in Syllabo damnatas reluti, ut lectores identicas novatorum circa Ecclesiasticam iurisdictionem praesertin, sententias habeant, videantque an aliquo pacto posset Ecclesia consistere, si placita illa, et cetera quae praetermittuntur, executioni mandarentur. Vere adstiterunt Reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius. Sed qui habitat in coelis irridebit eos et Dominus subsannabit eos. Ps. 2.

Non incurrunt autem Consiliarii, administri, et ceteri inferiores officiales qui leges et decreta illa non ediderunt (1), si auxilium, consilium vel favorem praestiterint, neque qui iis se defendunt, vel ius dicunt, aut acta conficiunt etc. quia excommunicantur tantummodo edentes. Quoniam vero lex quaelibet vel decretum ante promulgationem non obligat, hinc edentes tum solum excommunicationem contrahere dicendi sunt, cum leges et decreta promulgaverint.

APPENDIX VII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA RECURRENTES AD LAICAM POTESTATEM AD IMPEDIENDAS LITERAS VEL ACTA QUAELIBET A SEDE APOSTOLICA, VEL AB EIUSDEM LEGATIS AUT DELEGATIS QUIBUSCUMQUE PROFECTA.

Ut iam animadversum est, mandatorum, legum et decretorum executio est id quod exercitium cuiuslibet potestatis complet; frustra enim esset potestas, si potestatis acta ad effectum deduci nequirent. Cum vero a S. Sede Apostolica acta plerumque promulgentur immediate vel mediate per literas, quae vario nomine nuncupantur, patet eos quoque iurisdictionis Ecclesiasticae exercitium impedire, atque excommunicationem incurrere qui ad laicam potestatem recurrunt, quo eiusmodi literas impediant.

Octavo loco quapropter in Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicantur: *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa, sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.*

Non semel Romani Pontifices de eiusmodi pravorum hominum temeritate conquesti fuerant, neque semel eos excommunicatione mulctaverant.

Iam enim Bonifacii IX tempore eiusmodi pravitas in catholica Ecclesia invaluerat, eaque de causa decretum contra eiusmodi abusum edidit Bonifacius, quod quidem a

(1) Inter leges et decreta haec est differentia, quod illae a suprema potestate, quaecumque ea demum sit, in perpetuum constituuntur; haec autem a quavis potestate, ex. gr. a Praefecto Urbis, a Municipiis feruntur generaliter, non particulariter, seu in singulos casus vel personas.

Leone X citatur in Constitutione *In Supremo* lata die 1 Martii 1818, in Bullario autem non reperitur; atque Martinus V in Const. *Quod antidota* lata in Concilio Constantiensi die 30 Aprilis 1418, Pontificatus sui anno 1, revocaverat concessiones quasdam, quas Urbanus VI nonnullis Praelatis suae obedientiae fecerat, ne scilicet Apostolicae literae promulgarentur nisi prius ipsis vel Officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, ea ratione ut vitari possent fraudes quae illius schismatis occasione contingere poterant.

« Nos igitur, prosequitur Martinus, censentes rationi consonum » ut quod huiusmodi schismatis calamitas introduxit, pacis tempore » auferatur, concessionem praedictam et quaecumque statuta circa praemissa quomodolibet facta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, hoc sacro Constantiensi approba te Concilio, » revocamus, cassamus, et etiam » annullamus. Ac volumus et decernimus quod iudices et executores quibuscumque in literis » Apostolicis deputati et deputandi, » et alii quicumque ad quos spectabit, nec non notarii et tabelliones super iis requisiti vel requirendi, absque huiusmodi litera » *Vidimus* seu *Placet* nuncupata, » ac etiam licentia vel assensu » quorumcumque Praelatorum, patriarchali aut alia quavis dignitate » insignitorum, et locorum Ordinariorum aut officialium eorum» dem, libere huiusmodi literas » apostolicas exequi debeant atque » possint. Nos enim eadem auctoritate decernimus, omnes et singulas sententias, quas praedicti » praelati et scriptores aut eorum » Officiales contra huiusmodi iudices vel executores seu imperantes propter excommunicationes huiusmodi per eas faciendas » forsan inflixerint, et promulgaverint, irritas et inanes, ac nullius » existere roboris vel momenti.

» Nec non quemcumque, qui » contra praemissa aliquid attentare » praesumpserit, ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae per tres » menses, ipso facto suspensum. »

Verum quia privilegia facile quidem conceduntur, abusus autem qui inde saepissime, ne dicam semper, exurgunt, difficillime extirpantur, atque homines qui aliquid se mereri putant, mutato verborum sensu, illud Augustini dictum usurpant: *si isti et illi, cur non ego?* hinc Martini V Constitutio effrenatorum hominum cupiditatem cohibere non valuit. Opus proinde fuit, ut Leo X cit. const. gravius contra huiusmodi abusus declamaret, atque excommunicatione quoslibet percelleret qui literis Apostolicis quomodolibet contraire praesumerent. Gravissima et rationis plena est eiusmodi Leonina Constitutio, digna proinde quae referatur.

« In supremo Apostolicae Sedis » solio, meritis licet imparibus, con-

» stituti, ad ea libenter intendimus, » per quae debitus honor et reve- » rentia dictae Sedi, a subditis et » inferioribus, praesertim Pontificali » dignitate praeditis, impendantur; » et si quid perverse aut minus » recte per eosdem inferiores fa- » ctum aut gestum reperiatur, » quod in dictae Sedis depressio- » nem, ac malum exemplum et scan- » dalum plurimorum cedat, id per » nostrae providentiae ministerium » revocetur, et ad debitam normam » reducatur, ne membra a capite, » cui obedientiam debitam et de- » votam praestare tenentur, discor- » dare videantur.

» Sane licet felicis recordationis » Bonifacius Papa Nonus praede- » cessor noster, (ad quem fide di- » gnorum relatione pervenerat quod » certi praelati, quibus piae me- » moriae Urbanus Papa VI, etiam » praedecessor noster, concesserat » ut in eorum civitatibus et Dioe- » cesibus executio literarum Aposto- » licarum fieri non posset, nisi li- » terae ipsae praelatis ipsis aut » eorum officialibus prius exhibitae, » et per eos approbatae forent, et » eorumdem praelatorum officiales » in consuetudinem deduxerant; » aliqui vero praetextu statutorum » provincialium seu synodalium, » etiam servabant, quod nullus lit- » teras apostolicas huiusmodi exequi » auderet, nisi postquam praelati » seu officiales ipsi, per suas literas, » quas *Vidimus* nuncupabant, man- » darent et concederent, ut iudices » in ipsis litteris Apostolicis depu- » tati illa exequi possent), provide » attendens quod, propter tales li- » teras *Vidimus* seu *placet* nuncu- » patas, impetrantes apostolici saepe » literarum apostol. (1) consequi » nequiverant, concessionem Urbani » huiusmodi ac statuta quaecumque » super his facta revocavit, cassavit » et annullavit; ac decrevit quod » iudices et executores quicumque » in literis Apostolicis pro tempore » deputati, etiam sine licentia vel » consensu quorumcumque prae- » latorum vel superiorum aut Of- » ficialium eorumdem, literas Apo- » stolicas exequi possent et debe- » rent.

» Tamen nuper in publica si- » gnatura coram Nobis nonnullae » supplicationes propositae fuerunt » continentes quod in Toletana et » Carthaginensi Ecclesiis, sub colore » falsitatibus obviandi, editae fue- » rant constitutiones synodales, qui- » bus caveri dicebatur ut tabelliones » et Notarii, etiam a partibus re- » quisiti, litteras apostolicas nulla- » tenus recipere possent, nisi illae » prius per Archiepiscopum Tole- » tanensem et Episcopum Charta- » ginensem pro tempore existentes » aut eorum Officiales examinatae » forent a Nobisque earumdem » Constitutionum confirmatio pete- » retur. Nos petitionem huiusmodi » uti ratione carentem, cum Roma- » ni Pontificis gesta per inferiores

(1) Deest fortasse executionem. Nota Edit. Taurin. 1860.

» sibi et subditos, sine eius speciali » licentia, examinari non debeant; » indecens et absurdum, quinimmo » temerarium esse censentes, quod » aliquis, quavis occasione, litteras » apostolicas, sine Romani Pontifi- » cis speciali commissione exami- » nare velle praesumat; propterea » supplicationes ipsas, prouti merito » reiiciendae erant, réiecimus et » coram Nobis lacerari fecimus. Ac » constitutiones edentium temeri- » tatem talis castigatione reprimere » ac super his tale remedium adhi- » bere volentes, ut aliis in poste- » rum committendi similia aditus » praecludatur, motu proprio, et » ex certa nostra scientia, ac de » Apostolicae potestatis plenitudine » literas Bonifacii praedecessoris » huiusmodi tenore praesentium ap- » probamus et innovamus, ac per- » petuae firmitatis robur obtine- » re, illasque inviolabiliter observari » debere decernimus.

» Nec non quascumque consti- » tutiones synodales, tam in dictis » Toletanensi et Carthaginensi quam » quibusvis aliis Ecclesiis per uni- » versum orbem constitutis super » his factas, motu, scientia, aucto- » ritate et potestate praedictis, cas- » samus et annullamus, ac statuimus » et ordinamus quod iudices et » executores in litteris Apostolicis » deputati ac notarii et tabelliones » super his requisiti, literas ipsas » Apostolicas, sine alicuius personae, » cuiuscumque ecclesiasticae vel » mundanae dignitatis fuerit, licentia » vel consensu, exequi possint et » debeant.

» Et insuper universis Patriar- » chis, Archiepiscopis, Primatibus, » Episcopis et aliis praelatis et » personis ecclesiasticis, nec non » dilectis filiis communitatibus civi- » tatum et universitatibus castrorum, » oppidorum, terrarum et locorum, » sub interdicti: singularibus vero » personis eorum, etiam saecolari- » bus, sub excommunicationis et » anathematis poenis, quas eo ipso, » si contrafecerint, absque alia de- » claratione, incurrant, et a quibus, » nonnisi a Nobis vel successoribus » Nostris Romanis Pontificibus ca- » nonice intrantibus, praeterquam » in mortis articulo constituti et » debita satisfactione praemissa, ab- » solvi, et interdicti huiusmodi re- » laxationem obtinere possint, in » virtute sanctae obedientiae, di- » stricte praecipiendo mandamus » ne iudices et executores literarum » apostolicarum ac notarios et ta- » belliones super his requisitos, » quo minus litteras apostolicas » huiusmodi exequi possint, quoquo » modo impedire praesumant, ac » eos qui executionem litterarum » huiusmodi impedientibus auxi- » lium, consilium vel favorem, quo- » vis modo, directe vel indirecte, » publice vel occulte praestare » praesumpserint, etiamsi patriar- » chali, primatiali, episcopali et » quavis alia ecclesiastica vel mun- » dana, etiam imperiali, regali, re- » ginali aut ducali vel alia prae-

» fulgeant dignitate, eidem excom-
» municationis et anathematis sen-
» tentiae, a qua nonnisi ut praefertur
» absolvi possint, subiacere; ac ci-
» vitates, terras, castra, oppida, et
» loca praedicta, et ad quae ino-
» bedientes et contrafacientes de-
» clinare, et in quibus moram
» trahere contigerit, ecclesiastico
» supposita interdicto, tamdiu fir-
» miter observando, donec, com-
» puncti corde, huiusmodi interdicti
» relaxationem, debita satisfactione
» praemissa, meruerint obtinere,
» ac ibidem permanserint, et per
» triduum post eorum inde discess-
» sum, motu, scientia, auctoritate,
» et potestatis plenitudine similibus
» decernimus. Ac sub dictis poenis
» etiam mandamus illis, in quo-
» rum libris constitutiones synodales
» et provinciales huiusmodi de-
» scriptae reperiuntur, ita deleri
» et cassari faciant, ut amplius legi
» non possint.

» Non obstantibus etc. »

Attamen iuxta vota Leoni res non cessit, neque Constitutione sua abusum adeo perniciosum extirpare valuit. Etsi enim omnes tam Ecclesiastici quam laici ultro cognoscere deberent Romanorum Pontificum decreta per se, nulla conditione adiecta, executioni esse demandanda, plurimi tamen (et dolendum quod fuerint Ecclesiae Christi praesules) censebant, ad vitandas fraudes, ea esse subiicienda placito Ordinariorum locorum, sine quorum proinde consensu non esse evulganda. Atque rem eiusmodi constitutionibus synodalibus et provincialibus sanciverant. Reversi sunt scilicet ad Urbani VI tempora.

Haec vero agendi ratio, qua specie tenus fraudibus et falsitatibus caveri affirmabatur, reapse vero infligebatur vulnus omnigenae Romani Pontificis auctoritati, Sanctae Apostolicae Sedi neque placuit, neque placere poterat. Qua de causa Clemens VII in sua Constit. *Romanus Pontifex* iterum contra huiusmodi abusum declamavit, atque in Christi fidelium memoriam huius abusus origine reducta, tum recensitis Constitutionibus Bonifacii IX, Martini V et Leonis X iterum excommunicationem R. Pontifici reservatam in eos innovavit qui talia in posterum essent admissuri. Inquit:

« Cum autem nobis summe
» cordi sit conatibus istorum, qui
» executionem literarum, et man-
» datorum apostolicorum sic impe-
» diunt, omnibus, quibus cum Deo
» possumus, modis, viis et mediis
» obviare; quamvis enim de prae-
» senti sint alia turbulentissima
» et deploranda tempora, et in
» nonnullis partibus damnatissimae
» haereses pullulent, tamen his te-
» merariis praesumptionibus duxi-
» mus necessario obviandum. Nos
» igitur, qui sumus, licet immeriti,
» divina providentia, unicus spon-
» sus Ecclesiae sponsae nostrae,
» et non debemus nostram et ipsius
» sponsae nostrae iustitiam ne-

» gligere, qui alios in sua iusti-
» tia confoverunt, inducti eisdem
» rationibus, quibus praefatus Mar-
» tinus praedecessor cum sacro Con-
» cilio praedicto motus fuit, motu
» proprio et ex certa scientia, ac
» de nostra matura deliberatione et
» de simili potestatis plenitudine,
» singulas Bonifacii, Martini, et Leo-
» nis praedecessorum literas huius-
» modi ac omnia et singula in eis
» contenta, auctoritate apostolica,
» tenore praesentium approbamus
» et innovamus, plenamque roboris
» firmitatem obtinere, ac perpetuo,
» inconcusse, et inviolabiliter ob-
» servari debere decernimus.

» §. 9. Nec non quascumque
» Constitutiones provinciales et sy-
» nodales, de non exequendo lite-
» ras Apostolicas sine placito Ordi-
» nariorum locorum, et nisi ipsae
» literae sint prius per eosdem
» Ordinarios seu eorum Officiales
» et sigilliferos vel commissarios
» visae et admissae, in supradictis
» et quibusvis aliis Ecclesiis ac ci-
» vitatibus, dioecesibus et provinciis
» per totum orbem terrarum con-
» stitutis, ut praefertur, editas et
» factas, ac quomodolibet, etiam
» sub dicto colore obviandi falsita-
» tibus et fraudibus, innovatis, motu,
» scientia, auctoritate, et potestatis
» plenitudine praedictis cassamus
» et annullamus, ac ex quibuscum-
» que libris, ubi descriptae repe-
» riuntur, penitus cassari et deleri,
» sub dictis poenis mandamus.

» §. 10. Nec non de novo sta-
» tuimus et ordinamus quod iudi-
» ces et executores in literis apo-
» stolicis pro tempore deputati, ac
» notarii et tabelliones super his
» requisiti ipsas literas apostolicas
» libere et sine alicuius personae,
» cuiuscumque ecclesiasticae vel
» mundanae dignitatis fuerit, licen-
» tia vel consensu exequi possint et
» debeant. Et nihilominus univer-
» sis Patriarchis, Archiepiscopis,
» Primatibus, Episcopis, locorum
» Ordinariis, eorum officialibus, si-
» gilliferis et commissariis ac aliis
» personis tam ecclesiasticis quam
» saecularibus quavis auctoritate ful-
» gentibus, nec non communitati-
» bus civitatum et universitatibus
» castrorum, oppidorum, terrarum
» et locorum, in virtute sanctae
» obedientiae, ac sub excommuni-
» cationis et anathematis poena in
» eorum singulos, quam si contra-
» fecerint, eo ipso, etiam absque
» alia declaratione desuper facien-
» da, incurrant, a qua nonnisi per
» nos aut successores nostros cano-
» nice intrantes, etiam praetextu
» quorumcumque privilegiorum a-
» postolicorum eis, etiam per nos,
» quomodolibet concessorum aut in-
» novatorum, quae eis, quoad hoc,
» nullatenus suffragari volumus,
» praeterquam in mortis articulo
» constituti, et debita satisfactione
» praevia, absolvi possint, districte
» praecipiendo mandamus, ne iu-
» dices et executores literarum Apo-
» stolicarum ac notarios et tabellio-
» nes super his pro tempore requi-

» sitos, quo minus literas Apostolicas huiusmodi libere et absque » eorum placito, licentia et consensu exequantur, quovis modo » impedire praesumant. »

Quoniam vero de re gravissima agebatur, quaeque ipsa Pontificii Primatus iura impeteret; insuper ad impediendam literarum apostolicarum executionem alios praetextus improbi conquisiverant; atque de cetero impedire literarum apostolicarum dispositiones unus sit ex sexcentis illis modis, qui ab humana malitia excogitantur ad excutiendum pontificiae auctoritatis iugum; sicut alia plurima censurarum capita, ita et hoc caput in Bulla coenae relatum est, ut omnibus pateret quam enorme scelus sit contra apostolicam auctoritatem ad laicam potestatem recursus exhibere. Ita porro Cap. XIII legitur nostri Capitis dispositio:

« Item excommunicamus et anathematizamus omnes tam ecclesiasticos, quam saeculares cuiuscumque dignitatis, qui praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione litterarum apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam quam iustitiam (1) concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, et aliorum decretorum (2) a Nobis et a Sede prae-

(1) *Gratiae*, quando ex. gr. Pontifex concedit vel mandat per illas litteras conferri alicui beneficium, relaxari poenam etc.; *iustitiae*, quando rescriptum aliquod latum est ad lites.

(2) Non abs re erit haec omnia iuxta probatos auctores definire. Itaque

Literae apostolicae illae sunt quae publicantur nomine Romani Pontificis sive in forma Brevis, sive in forma Bullae.

Porro *Bullae* dicuntur illae apostolicae literae quae sigillo plumbeo decorantur, cuius altera facies habet impressa capita SS. App. Petri et Pauli, altera vero plana est et nuda.

Brevia vero, ita dicta quia breviori forma scribuntur et summam rerum continent, conficiuntur a solis Papae Secretariis, et in cera rubra signantur sigillo summi Pontificis quod apud se retinet, cum impressione naviculae Petri.

Citatio est actionum instituendarum principium, seu in ius vocatio.

Inhibitio est mandatum Iudicis et Superioris, quo prohibetur alicui aliquid facere, vel ab incepto desistere iubetur; impedit quapropter ea quae sunt facti, non quae iuris.

Sequester dicitur, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt: ipsa rei depositio sequestratio dicitur, et etiam sequestrum, ut in Bulla.

Monitoria sunt monita quaedam ab ordinario Iudice ad instantiam partis, absque causae cognitione alicui facta.

Processus dicitur ordo legitimus secundum quem controversiae causarum definiuntur. Hinc processus dicitur scriptura in qua universa iudicii acta per publicam personam fideliter conscripta continentur.

Executoriales literae illae appellantur, quibus committitur alteri aliquid exequendum, scilicet ut exequatur latam sententiam de possessione alicui tradenda, remoto quolibet illicito detentore.

Decretum in propria sua significatione est id quod, causa cognita, statuitur a Iudice vel pronunciatur; seu sententia quaedam, qua Iudex decrevit actum esse iustum, auctoritatem suam interponendo et approbando. Ampliori vero significatione est etiam omne id quod statutum est a Summo Pontifice.

» dicta, seu Legatis, Nuntiis, Praesidentibus Palatii Nostri et Camerae Apostolicae auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus et Delegatis Apostolicis (1) emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias saeculares et laicalem potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam Fisci Procuratore vel advocato, appellationem huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta capi et retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones et Notarii super huiusmodi litterarum et processuum executione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest tradere debeant, impediunt vel prohibent; ac etiam partes seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores et subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur per se, vel alium, vel alios, publice vel occulte; quive alias quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel alias apud se, aut Notarios seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere praesumunt. »

Iam vero ut legenti patet, Caput VII nostrae Constitutionis paucioribus verbis ea omnia habet quae in relato capite Bullae coenae continentur, si ea excipias quae dicuntur de recurrentibus quoad effectum recursus, atque de iis qui ad negotia prosequenda, vel literas aut gratias impetrandas ad Romanam Curiam pergunt; nam Caput nostrum loquitur de actis a Sancta Sede Apostolica profectis,

(1) Et haec definiri oportet:

A Nobis; id est a Pontifice vivente.

A Sede praedicta: Ab antecessoribus vel successoribus Pontificibus; aliqui putant per ea verba significari etiam Collegium Cardinalium, fortasse Sede vacante.

Legati sunt qui a Pontifice Maximo ad utilitatem Ecclesiarum per provincias mittuntur.

Nuntii, quos Sedes Apostolica mittit ad supremos Principes, quique in Provinciis et regnis, ubi legationis munere funguntur, explicant Pontificiam iurisdictionem.

Praesidentes Palatii et Camerae Apostolicae sunt qui vocantur Clerici Camerae Apostolicae, et alii officiales constituentes idem tribunal.

Auditores sunt quibus articulus alicuius causae committitur audiendus et examinandus.

Commissarii vocantur illi quibus aliquid agendum committitur.

Delegati quibus aliquod negotium gerendum tribuitur.

deoque tantummodo promulgandis vel exequendis.

Triplex autem personarum genus excommunicatione percellitur.

1° *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Sedis Apostolicae Legatis ac Delegatis quibuscumque profecta.

2° *Prohibentes* directe vel indirecte eorumdem actorum promulgationem vel executionem.

3° *Laedentes vel perterrefacientes* partes ipsas, id est personas, quae Rescriptum aliquod sive gratiae sive iustitiae a S. Sede vel eius Legatis obtinuerint.

Et quoad 1^m^ Recurrentium nomine nedum laici veniunt, sed etiam ecclesiastici; non enim personae simpliciter, sed quae vetito crimine se commaculent, designantur in praesenti capite; ecclesiastici vero qui contra apostolicarum litterarum sanctiones ad laicam potestatem recurrerent, prae saecularibus poena essent plectendi, cum nulla digni excusatione haberi possint; graviori enim irreverentia Supremum Ecclesiae Pastorem impetunt.

Nemo igitur excipitur, non Patriarcha, non Primas, non Metropolita vel Archiepiscopus, non Episcopus, non S. R. Ecclesiae Cardinalis, non quilibet alius sive saecularis sive clericus; sed quicumque literis apostolicis per recursum ad laicam potestatem impedimentum apponere quaerat excommunicatione plectitur.

Verum ut haec excommunicatio incurratur, oportet recursum ad laicam potestatem exhibere, sive appellando, sive provocando, sive supplicem porrigendo libellum; qua de causa non quicumque recursus excommunicationem inducit, sed recursus qui fiat immediate vel mediate ad laicam potestatem.

Hinc si quis laicus vel Clericus in ius vocetur etiam coram saeculari iudice ut solvat pensionem literis apostolicis impositam, atque ille excipiat, vel non fuisse iure impositam, vel a se amplius solvi non debere, non est dicendus excommunicationem hanc incurrere, quia recursum non exhibuit ad impediendas apostolicas literas; atqui recursu opus est ad illam incurrendam iuxta literalem verborum sensum. Attamen eam incurrere dicendus est, si a Sede Apostolica perpensis rationibus ab eo adductis, atque nullius ponderis iudicatis, ideoque decretam pensionem solvendam esse decernat, ille tamen apud laicam potestatem insistat ad eiusmodi literas impediendas; quia hoc in casu verificatur recursus. Inferes hinc, non esse illum excommunicatum, qui, nullo facto ad laicam potestatem recursu, literis apostolicis non obediret. Sed neque eum qui literas apostolicas laceraret vel igne conflagraret, si nullum ad laicam potestatem recursum exhibuerit. Esse tamen ex-

communicatum, qui alteri mandet ut recurrat ad laicam potestatem, et literarum apostolicarum dispositiones impediat; nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur.

Nemo tamen putet, ad quamlibet personam recursum porrigere, excommunicationem inducere; nam in capite diserte dicitur, recursum exhibendum esse ad *laicam potestatem;* ideoque, cum verba sint strictae interpretationi subiicienda, si quis ad alias personas etsi magni nominis et auctoritatis, sed quae potestate proprie dicta non gaudeant, recurrat (ni tamen recurrat, ut per eas recursum ad laicam potestatem praesentet), non est censendus excommunicationem incurrere; sicuti neque excommunicatus esset habendus, si ad magistratus, vel quamcumque laicam potestatem quis se convertat, non quidem eo animo ut recurrat ad impediendas literas vel acta a Sede Apostolica profecta, sed ut roget eum mediationem suam interponere penes auctoritatem ecclesiasticam, ne dispositio literarum apostolicarum vel illico effectum suum habeat, vel saltem temperamentum aliquod admittat, dato etiam quod ex eiusmodi mediatione executio literarum Apostolicarum retardetur; quisque enim videt eiusmodi agendi rationem uti recursum considerari non posse, ideoque neque excommunicationem inducere.

Oportet igitur vere et proprie ad laicam potestatem, iudices, scilicet, praefectos civiles, praetores, magistratus, et ministros regni, Regem, Imperatorem, principesque, uno verbo, saeculares, qui proprie dicta potestate pollent, recurrere.

Atque hinc minime puto eum excommunicationem incurrere qui ad impediendas literas vel acta a Sede Apostolica profecta ad Syndicum se converteret, quia Syndici non habentur ut potestate proprie dicta praediti.

Attamen si Syndici, potiorum urbium praesertim, a Rege vel a primoribus Regni ministris speciales facultates ad hoc haberent, considerandi essent ut praediti delegata potestate, ideoque qui ad eos recurreret, esset excommunicatus. Equidem difficillimum cognitu quis putare posset, quando Syndici eiusmodi delegata potestate fruantur. Habeatur hinc prae oculis sequens criterium.

Si quis ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sancta Sede Apostolica profecta ad Syndicum recurrat, eo quod alias reapse impedierit, et hic per se agat, nulla invocata superiori potestate, putandum tunc est eiusmodi delegata potestate praeditum, ideoque recurrentem habendum uti excommunicatum. Difficultas vero exoritur: In antiquis Italiae Guberniis acta a S. Sede Apostolica profecta executioni sine regio placito non mandabantur; et in aliquo ex iis antiquis guberniis adeo rigorosum et scandalosum eiusmodi regium placitum erat, ut ne-

que dispensationes ab impedimentis matrimonialibus sine regio placito executioni committerentur: Regnum italicum se nunc proclamat successisse in iuribus et fortasse etiam privilegiis antiquorum principum. Quid ergo? Si quis recurreret ad laicam potestatem ad impediendas literas et acta apostolica, quod sine regio placito executioni demandari velint, esset ne excommunicationi huius capitis subiectus?

Respondendum est omnino affirmative, habeant conventiones illae rationem pacti vel merae concessionis. Si enim habent rationem pacti, cum pacta conciliata sint cum antiquis principibus, cum illis tenent, non cum hodiernis; si merae concessionis, pendent ex nutu et dispositione S. Apostolicae Sedis, quae hodierno Gubernio eas neque fecit, neque vult facere, ut ex sexcentis aliis factis et dictis patet, et ex hac ipsa constitutione quam expendimus.

Nullum vero dubium esse potest, quod haec excommunicatio incurritur vix recursu exhibito, et antequam effectum sortiatur; quod patet

1° Ex verbis *recurrentes ad impediendas literas vel acta quaelibet* etc. ex quibus nullimode deprehenditur, impedimentum ex recursu facto sequi debere, ut excommunicatio incurratur.

2° Ex comparatione cum Cap. VI huius constitutionis, quo excommunicantur *impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae,* ex quibus verbis factum deprehenditur, non conatus ad factum.

3° Ex quo ibidem recurrentes diserte excommunicentur post effectum secutum, ut deprehenditur ex verbis *eiusque mandata procurantes;* in cap. vero nostro haec nedum omittantur, sed neque indigitentur.

4° Ex diversitate locutionis quae intercedit hoc caput inter et Cap. 13 Bullae coenae; in ea enim effectus consecutio aliquatenus innuitur, cum legantur excommunicari qui *ad Curias saeculares et laicalem potestatem recurrunt, et ab ea appellationes huiusmodi admitti, ac literas... et alia praedicta capi et retineri faciunt.* At in nostra Constitutione haec omnia omittuntur, et absolute excommunicantur *recurrentes ad impediendas* etc.

Sed potest dari casus ut quis iuste ad Curiam saecularem recurrat ad apostolicas literas impediendas. Si quis ex. gr. Parochus apud S. Sedem sollicitationis ad turpia in actu Sacramentalis Confessionis accusetur; haec vero auditis testibus, sententiam proferat iustam quidem secundum acta et probata, iniustam vero per se, quod testes inducti falsum exposuerint; mandet vero S. Sedes Episcopo ut Paroecia removeatur, vel alia gravi poena, iuxta crimen, mulctetur; si hic ad Curiam saecularem recurrat ad impediendam huiusmodi S. Sedis dis-

positionem, esset ne uti excommunicatus habendus?

Huic quaestioni, vel similibus, quaeque raro admodum contingunt, respondendum esse censerem, a Presbytero nullam excommunicationem incurri; primo quidem, quia cum innocens ab impactis criminibus reapse sit, neque Ecclesia vult ut iniustae punitioni subiaceat.

2° Quia innocens ex iure naturae habet, ut se modis omnibus, quibus possit, dummodo intrinsece mali non sint, tueatur, ne condemnationem iniustam subeat.

3° Quia in ipso Bullae coenae Capite, cuius dispositionem Caput nostrum integram servat, dicebantur ii excommunicationem incurrere, qui *praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine... ad Curias saeculares et laicalem potestatem recurrunt*. Frivola autem appellatio ea dicitur quae fit sine rationabili causa. Ergo si quis ad laicam potestatem recurrat ad impediendam manifestam iniustitiam, ut in casu, eamque de cetero aliter depellere non possit, dici nequit interponere frivolam appellationem, ideoque neque excommunicationem incurrere.

4° Demum quia excommunicatio incurritur pro gravi peccato; non intelligitur autem quale peccatum innocens committat recurrendo ad Curiam saecularem ne iniustae condemnationi subiaceat, quando ad Curiam ecclesiasticam recurrere non possit, praesertim si tempus non suppetat, et lata in literis apostolicis dispositio sit peremptoria.

Neque quis dicat, scandalum ex eiusmodi recursu oriri; nam ab innocente non provenit, atque de cetero inter Christi fideles scandalum pariter, et fortasse gravius, oritur, dum inter eos sacerdotum crimina iniuste propalantur et puniuntur.

Attamen hic sedulo monendus est, ut antequam ad laicam potestatem recursum ferat, modis omnibus quaerat apud legitimam potestatem se tueri. Si enim a SS. RR. Congregationibus iudicium latum sit, atque in iisdem supersit adhuc, ut superest, appellationis beneficium et tempus suppetat, apud Ecclesiasticam potestatem instare debet, ut lata sententia revocetur.

Quod si huiusmodi appellationis beneficium spernat, et illico ad Curiam saecularem sese convertat, etsi ex praesenti capite excommunicationem non incurrat, ut ex allatis rationibus patet, incurrit tamen ex Cap. VI, quo decernitur excommunicatio in *impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori;* quia hic reapse impediret eiusmodi exercitium, beneficium appellationis coram Ecclesiastico iudice spernendo.

Patet autem, certum omnino debere esse Laicum vel Clericum de sua innocentia: in dubio enim (quod dubium non habet locum in casu, sed in aliis qui contingere possent) omnino obedire tenetur,

quia possidet auctoritas; neque ipse Ecclesiasticorum Praesulum, Romani praesertim Pontificis, iudex est aut esse potest.

De cetero, omnino constare arbitror, per illa verba « *literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta* » designari acta quaelibet quae a Romano Pontifice immediate, sive mediantibus Sacris Congregationibus Concilii, Inquisitionis, Episcoporum et Regularium etc. proficiscuntur; siquidem Decreta, sententiae, dispositiones quae a Sacris Congregationibus dimanant, vel nomine R. Pontificis, vel certe ex eius audientia seu ipso consulto, dimanant. Romanus Pontifex enim saepissime circa ecclesiastica negotia mentem suam mediantibus Sacris Congregationibus aperit.

Differentia in eo est, quod per *literas* designari videntur *literae* apostolicae proprie dictae, seu quae vel in forma Bullae vel in forma Brevis a supremo Ecclesiae Pastore emittuntur; per *acta quaelibet,* dispositiones, vel decreta quas S. Sedes apostolica per suos Legatos aut Delegatos quoscumque, seu per Romanas Congregationes emittit.

Altera huius articuli parte excommunicantur *prohibentes directe vel indirecte promulgationem vel executionem literarum et actorum quae a S. Sede Apostolica, vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque sint profecta.* Prohibentium nomine non alios venire puto quam potestatem proprie dictam habentes. Praetermisso enim argumento quod deduci fortasse posset ex relatione utriusque partis, siquidem recursus supponitur ad laicam potestatem factus, et consequenter hanc ex recursu habito prohibere promulgationem vel executionem literarum et actorum S. Sedis etc.; quod ad eiusmodi sententiam firmiter amplectendam me movet, est quod legislator dum de prohibentibus huiusmodi loquitur, de iis loqui intendit, qui semper et potestate qua praediti sunt possunt prohibere, et quorum actio iuridice, seu mediantibus regni legibus, ut ut pessimis sustineatur, non autem de illis qui vel numquam, vel raro admodum et certe numquam iuridice. Patet autem, quod privatae personae vel numquam, vel saltem in aliquo tantum casu seu circumstantia literarum Apostolicarum et actorum promulgationem et executionem prohibere possent, et praepotentia et arrogantia quadam, numquam autem iuridice. Et ut sincere loquar, prorsus non video quomodo privatae personae possent prohibere eiusmodi promulgationem et executionem, cum ad id requiratur vis proprie dicta seu iuridica, quam utique semper laica potestas posset adhibere, private vero persona numquam, aut si aliquando, non sine maximo sui periculo, cum iuris remediis coerceri possit, effectu insuper privari cum

prohibitio per violentiam huiusmodi obtenta a privata persona nullimode sit iuridica, sed crimen. Legislator itaque inter prohibentes privatas personas noluit accensere, eo quod frustra accensuisset; et loqui supponendus est iuxta ea quae communiter fiunt, non vero quae perquam raro aut numquam eveniunt.

Hi autem, ut excommunicationem incurrant, debent prohibere directe vel indirecte promulgationem vel executionem literarum apostolicarum etc.

Prohibitio erit directa, si magistratus lato decreto vel mandato aut misso Curiae Officiali praescribat ne literae apostolicae promulgentur aut executioni mandentur: *indirecta* vero, si praetermisso eiusmodi mandato vel decreto, media tamen adhibeat, quorum causa apostolicae literae et acta neque promulgari, neque executioni tradi possint; ut si ex. gr. prohibeat eum, cui est literarum apostolicarum commissa executio, ingredi civitatem vel locum in quo sunt executioni tradendae, vel executorem in carcerem coniiciat, et literas auferat; vel ab officio, in quo literae dispensantur, (vulgo la posta) subtrahat acta ab apostolica Sede profecta, ne possint evulgari. Falleretur proinde qui putaret in verbo *prohibentes indirecte* indigitari etiam privatas personas, quae suasionibus, minis, pecunia inducerent laicum magistratum ad prohibendam literarum apostolicarum promulgationem. Etenim designantur expresse *prohibentes directe vel indirecte*, qui alii esse non possunt quam potestatem habentes: qua de causa qui magistratum quomodolibet inducerent ad eiusmodi promulgationem prohibendam, etsi gravissime peccarent, tamen excommunicationem non incurrerent, cum nullimode possint inter prohibentes accenseri, sed inter auxilium, consilium, vel favorem praestantes, qui in capite non excommunicantur.

Tenenda vero ea sententia est, qua affirmatur, agi in capite de promulgatione iuridica, quae, scilicet, fit forma et more consueto. Romanus enim Pontifex supponendus est loqui ad tramitem iuris, adhibere scilicet voces iuxta eum sensum qui eis in iure tribuitur; porro cum in iure statuatur, quibusdam solemnitatibus et modis literas et acta Sedis apostolicae promulgandas esse, de eiusmodi promulgatione, et non de evulgatione eum loqui tenere debemus. Hinc si literae apostolicae forma et more consueto promulgatae sint, laica vero potestas evulgationem impediat, non incurrit excommunicationem; aliud siquidem est promulgatio, aliud evulgatio. Decretum autem vel lex obligat post promulgationem proprie dictam, non post evulgationem, quae sine promulgatione stare potest, et proinde nullimode obligare. Quoties enim contingit, ut et in regnis, et apud

ipsam S. Sedem aliquid evulgetur antequam promulgetur? Et tamen quis putet quemquam decreto obstringi ante proprie dictam promulgationem? Attamen cum ad substantiam promulgationis spectet aliquod temporis intervallum, si laica potestas illud ita prohibeat ut nullimode literae apostolicae possint innotescere, putanda est promulgationem impedivisse, et excommunicationem incurrere. Id vero locum habet in decretis generalibus; si enim latum sit pro aliqua persona particulari, satis est proprie dicta intimatio vel communicatio decreti, quo illud satis promulgatum censeri debeat: promulgatio enim ad id requiritur ut lata lex, sententia, mandatum, decretum in notitiam eorum perveniat, ad quos spectat. Neque difficultatem parit, quod incurratur excommunicatio ob impedimentum sive directum, sive indirectum; nam utrumque impedimentum conducit ad prohibendam promulgationem iuridicam. Vel enim huiusmodi Magistratus edat legem aut decretum de non promulgandis literis apostolicis, vel has literas de manu eorum qui eas afferunt, vel ex officio quo literae dispensantur, rapiat, ad id unum tendit, ut prohibeat iuridicam literarum apostolicarum promulgationem.

Quapropter ideo additum est *indirecte*, ne quis evadere posse excommunicationem putaret, alia media adhibendo ad prohibendam promulgationem, praeter publicum decretum vel apertam militum manum.

Advertendum tamen quod nunc temporis Ecclesia ob mala undique ingruentia, et persecutiones quas a Guberniis etiam quae catholica dicuntur patitur, literas apostolicas et decreta promulgat iis in regnis modo quo potest, scilicet non servato in omnibus more et forma consueta. Exinde putandi non sunt sive principes, sive laici magistratus excommunicationem evadere. Nam cum extrinsecae solemnitates non afficiant substantiam actus; cum per R. Pontificem non stet quod hae solemnitates extrinsecae omittantur sed per Gubernii iniquitatem, spectet insuper ad R. Pontificem etiam ab his solemnitatibus extrinsecis dispensare, nullum dubium esse potest quod prohibentes hoc in casu promulgationem literarum apostolicarum quocumque modo faciendam, excommunicationem incurrant. Si enim fraus et dolus nemini patrocinari debent, multo minus aperta violentia.

Itaque sive prohibentes Principes sint, sine magistratus inferiores, sive nativam sive delegatam potestatem habeant, sive per se sive per alios, sive directe sive indirecte, vix prohibuerint excommunicationem capitis incurrunt.

Verum hoc loco quaestio exoritur: an excommunicatio incurratur a prohibentibus ob latam tantummodo prohibitionem, antequam scilicet effectum sortiatur, vel ne-

cessarium sit ad eam incurrendam, ut latam prohibitionem effectus sequatur.

Et quidem interpretes digladiantur, alii pro affirmante, alii pro negante decertantes.

Utrorumque rationes pro ingenii mei mediocritate expendere curavi, atque tandem illa mihi sententia ut vera placuit, quae affirmat, excommunicationem incurri ob simplicem prohibitionem, et ante secutum effectum.

Et en argumenta.

1° Prohibentes directe vel indirecte promulgationem vel executionem literarum et Actorum quae a S. Sede profecta sint, accensendi inter eos sunt qui edunt leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae; etenim promulgatio et executio literarum et actorum S. Sedis pertinet ad ius Ecclesiae, cum promulgatio et executio necessario sequantur potestatem ferendi leges, constituantque ius societatis cuiuscumque. Inutilis enim esset alicui potestas ferendi leges et decreta, si deesset potestas, libertas, et ius eas promulgandi et exequendi, cum executio praesertim sit complementum potestatis.

Edentes vero leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae anathemate percelluntur capite VII huius Constitutionis.

Si igitur prohibentes directe vel indirecte promulgationem et executionem literarum et actorum S. Sedis tunc solum excommunicationem incurrerent, cum prohibitio effectum consecuta est, posset dari casus, ut quis vel ederet leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae, et tamen excommunicationem non incurreret; aut sin minus quod etiam edentes eiusmodi leges et decreta tunc solum excommunicationem incurrant, cum ea effectum consecuta sunt. Atqui hoc dici nequit, cum in cit. capite VII excommunicentur iniqui legislatores simpliciter et antequam consequantur latarum legum effectus: ergo neque illud admitti potest quin negetur prius, prohibere promulgationem et executionem actorum S. Sedis, esse edere leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae; quod, ut arbitror, nescio an et quomodo negari possit.

Legislator vero sibi consentiens putandus est in lege ferenda, neque sibi contradicere: at dissentiens et contradicens sibi inveniretur si excommunicando in Cap. VII edentes leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae, in cap. VIII eos immunes statueret qui prohiberent promulgationem et executionem literarum et actorum Apostolicae Sedis, quod est ius Ecclesiae.

Neque quis dicat, prohibentes huiusmodi melius annumerari inter *impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae externi fori;* ideoque cum hi excommunicentur effectu secuto, etiam illi. Nam et inter eos annu-

merari fateor, si ultro prohibitionis effectum consecuti sint; non enim dico, eos excommunicationem contrahere ante secutum effectum et non postea. Attamen inter utrumque caput disparitas in eo est, quod in Cap. VI agatur tantummodo de actis fori contentiosi ecclesiastici, de iis vero non agatur in praesenti capite; in cap. VI designentur impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae; et ut patet, utrumque verbum dicit factum, nam nemo impedivit nisi reapse impediverit; caput vero nostrum loquatur de prohibentibus, qui vere et proprie tales esse possunt tantummodo per latam legem, decretum, mandatum, etiam effectu non secuto.

2° Ulterius; Constitutionis nostrae Caput innovat dispositionem Cap. XIII Bullae coenae; in hac porro excommunicari dicebantur omnes qui « illa simpliciter, vel sine eo» rum beneplacito et consensu vel » examine executioni demandari, » aut ne tabelliones et Notarii super » huiusmodi literarum et proces» suum executione instrumenta vel » acta conficere, aut confecta parti, » cuius interest, tradere debeant, » *impediunt, vel prohibent.* »

Manifestum est autem per verbum *impediunt* designari factum extrinsecum et modos ad impediendum adhibitos, siquidem hoc in loco *impedire* significat obsistere ei qui literas apostolicas promulgat vel exequitur, ut ex contextu patet; per verbum autem *prohibent* indigitari legem, seu melius, decretum vel mandatum prohibitionis.

In Bulla coenae igitur utraque actio optime distinguebatur, atque utraque excommunicatione percellebatur. Hinc Roncaglia *de censuris* Tract. IV Cap. III Q. III R. 2 inquit optimo iure: « ad incurrendam » hanc censuram non esse necesse, » quod de facto impediatur execu» tio, sed satis esse si prohibeatur; » nam Summus Pontifex sub disiun» ctione excommunicat eos qui *im» pediunt, vel prohibent* » plurimique alii Bullae coenae Commentatores insignes eiusmodi amplectuntur et tuentur sententiam.

In Capite vero nostro, sublato verbo *impediunt*, Romanus Pontifex unum verbum *prohibent* conservat, quod verbum etsi improprie aliquando sumatur pro ipso verbo *impedire,* attamen proprie, praesertim dum de Magistratibus agitur, significat prohibitionem mediante mandato vel decreto aliquo; nam postea impedimentum reale apponitur per inferiores ministros, quaestores, cursores, et gubernii agentes.

Sensus autem expositus consonus reperitur cum nonnullis aliis sanctionibus latis in Capitibus praecedentibus; quomodo ergo defendi potest, R. Pontificem excommunicasse prohibentes eiusmodi secuto tantummodo effectu, et non ante? Nonne decretum de non promulgandis vel exequendis apostolicis literis est vera prohibitio, etsi nul-

lus sequatur effectus? Ergo cum prohibentes excommunicentur, hi excommunicationem incurrent etiam ante effectum secutum; eo vel magis quod per ipsos non stet quod effectus non sequatur.

Atque ruit argumentum illud a plerisque allatum, quod scilicet verba, praesertim in materia poenali intelligenda sunt cum effectu. Utique, sed cum lex aliud non dicat praescribatque; si enim ex lege contrarium habeamus, ut in praesenti habemus, effatum vi sua careț.

Quod si eiusmodi effatum semper et in omni casu verum esset in materia poenali, plura essent excommunicationum capita quae a nostra ipsa Constitutione delenda essent, quia sine effectu secuto certe incurruntur. Ex.gr. Cap. IV. excommunicantur *appellantes ad universale futurum concilium*, et ii omnes *quorum auxilio, consilio, favore appellatum fuerit.* Numquid haec excommunicatio incurritur effectu secuto? item Cap. VII excommunicantur *edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae,* quae pariter excommunicatio incurritur ante effectum secutum.

Demum, sequatur nec ne effectus, prohibere directe vel indirecte promulgationem vel executionem literarum et actorum S. Sedis est certe culpa gravissima, quam R. Pontifex vult impedire lata excommunicatione, punire vero si admittatur; duo igitur sunt effectus quos R. Pontifex impedire excommunicatione lata intendit, culpam eius qui prohibere potest, et exteriores effectus qui ex culpa dimanant: dato ergo quod hi non sequantur praeter intentionem prohibentis, remanet culpa eius gravissima quae punienda est. Hoc vero in casu nostro particulari; ultro enim libenterque concedo, hanc rationem nedum extendi non posse ad omnes casus, sed neque ad omnia huius Constitutionis capita. Si enim ex lege deprehendatur effectum ad excommunicationem incurrendam sequi debere, haec non incurritur nisi effectu secuto, ut patet.

Contra eos vero qui ex legis latae fine argumentantur, ut Castropalao, *Tract. XXIX de Censuris, disp. III. punct. XVI. n. 15.* dicentes, quod huiusmodi finis est, ne executio literarum apostolicarum impediatur, ideoque non incurri excommunicationem nisi impedimentum reapse sequatur, facilis est responsio. Quandoquidem finis legis a laica potestate latae est impedire promulgationem et executionem literarum apostolicarum; hic finis a potestate laica certe obtinetur, cum ad eius executionem ministri atque Officiales Gubernii invigilent, et leges promulgentur ut executioni mandentur, non ut simpliciter in corpore iuris inserantur; quod si aliquando non obtineatur, id non contingit per potestatem laicam, sed ecclesiasticam, quae solerter prohibitionem eludit. Sapientissime igitur R. Pontifex excommunicavit

prohibentes simpliciter, et ante effectum; atque id necessario facere quodammodo debuit; cum enim leges et mandata, seu decreta, utcumque iniquissima executioni fere semper demandentur, et in intentione legum latorum executioni semper demandanda sint; hae vero leges vel decreta Ecclesiam Christi, et supremam Romani Pontificis potestatem gravissima afficiant iniuria, si excommunicasset prohibentes huiusmodi tantummodo post secutum effectum prohibitionis, 1° non eos punivisset qui Ecclesiastica iura gravissime laederent, contra finem et apertissimum sensum plurimorum Capitum ipsius nostrae Constitutionis, 2° non excommunicasset finem quem legislator non assequeretur praeter suam intentionem; quod affirmare satis ineptum esset. Demum etiamsi finis directus nostri Capitis sit tueri promulgationem et executionem literarum apostolicarum, indirectus, ne dicam aeque directum, est tueri Ecclesiastica iura, et libertatem. Haec vero per eiusmodi prohibitiones semper gravissime offenduntur, etiamsi effectum non sortiantur.

Relate ad tertium caput, quo excommunicationi subiiciuntur ii qui causa literarum et actorum a S. Sede profectorum sive ipsas partes, sive alios laedunt et perterrefaciunt, advertendum primo loco est, eiusmodi laesiones vel timores inferri debere sive partibus sive aliis intuitu actorum quae a S. Sede obtenta fuerint, non alia de causa; nam in capite diserte dicitur « *aut eorum*, scilicet actorum apostolicorum, *causa*. » Quare si quis partes vel alios non laedat aut perterrefaciat hoc intuitu, sed aliis de causis, non incurrit excommunicationem.

Advertendum secundo loco est, hac in parte comprehendi nedum potestatem laicam habentes, ut magistratus, Praetores qui minis illatis, vel aliis mediis, sed etiam particulares personas, quae et laesionibus, et timoribus incussis ipsas partes vel alios laedunt et perterrefaciunt intuitu actorum a S. Sede, vel ab eius Legatis aut Delegatis obtentorum.

Laedi autem dicuntur personae quibus damnum infertur. Quoniam vero damnum sive personae alicui inferri potest, sive eius bonis, hinc excommunicantur utriusque generis damna inferentes.

Quare si quis ipsas partes, sive alios, puta patrocinatores earumdem partium, aut executores, vel personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur, vulneret, et percutiat, aut eorum bona immobilia, vel mobilia incendat, occidat, aut aliis modis laedat, excommunicationi subiici putandus est.

Circa vero timores illatos unum adverto, quod scilicet, non timor quilibet, sed qui gravis dicitur excommunicationem inducit; nam ad excommunicationem incurrendam requiritur grave peccatum, quod

non committitur, generice loquendo, per metus levis incussionem.

Atque hic pariter observare debeo, veram eam sententiam haberi non posse, qua docetur, laedentes vel perterrefacientes tum demum excommunicationem incurrere cum laesio vel timor incussus effectum habuerint. Eiusmodi sententia enim adversatur tum verbis, tum capitis fini; verbis quidem; quia expresse in capite dicuntur excommunicari laedentes vel perterrefacientes partes seu alios causa literarum et actorum a S. Sede obtentorum; porro cum laesiones aut terrores intulerint, sunt vere laedentes vel perterrefacientes, patrarunt scilicet crimen, quod excommunicatione in capite plectitur. Neque in eo aliquid innuitur, ex quo deduci possit, sequi debere effectum prohibitionis vel non executionis literarum et actorum ut excommunicationem laedentes vel perterrefacientes incurrant; sed neque innui id potest, nam quis posset utique laedere vel perterrefacere partes seu alios, prohibere vero promulgationem aut executionem actorum S. Sedis, ad laedentes vel perterrefacientes, dummodo praediti potestate non sint, (quo in casu nescio an iis mediis uterentur, cum via expeditiori incedere possent, directe scilicet prohibendo promulgationem) non pertinet; sed ad magistratus aut caeteras laicas potestates: qua de causa, vel numquam hi excommunicationem incurrerent, si partes aut alii in sententia maneant quantumvis offendantur; vel possent laedere et perterrefacere ad libitum usque dum, scilicet, partes laesionibus victae atque minis et terroribus inlatis concussae dent manus victas laedentibus, qui tum demum excommunicationem incurrent. Finis vero capitis huius est tueri liberam promulgationem vel executionem actorum, et in genere iurium Sanctae Sedis; quam libertatem, et iura graviter ii offendunt, qui laedunt et perterrefaciunt eos pro quibus, sive iustitiae sive gratiae titulo, Romanus Pontifex vult agere.

APPENDIX VIII

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA FALSARIOS LITTERARUM APOSTOLICARUM, CONTRA EAS FALSO PUBLICANTES, ET FALSO SIGNANTES SUPPLICATIONES SUB NOMINE ROMANI PONTIFICIS.

Pessimum litteras apostolicas depravandi facinus merito excommunicatione coercetur; ex eiusmodi enim corruptione sexcenta mala exoriri tum publica, tum privata possunt.

Equidem non adeo frequens haec nunc temporis fraus occurrit, cum plurima sint media ad dolos malorum hominum praecavendos; attamen contigit, et quidem antequam Constitutio *Apostolicae Sedis* promulgaretur, et postea.

Pius igitur Papa IX Cap. IX praedictae Constitutionis excommunicat: « *Omnes falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis; et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices praedictorum.* »

Renovata, scilicet, est ad verbum excommunicatio quae in Bulla coenae continebatur sub n° VI: « Item » excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum » Apostolicarum, etiam in forma » Brevis, ac supplicationum gratiam » vel iustitiam concernentium, per » Romanum Pontificem, vel Sacrae » Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, » aut de mandato eiusdem Romani » Pontificis, signatarum; nec non » falso publicantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, et etiam » falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut » gerentium vices praedictorum. »

Tria itaque personarum genera hoc in Capite excommunicatione percelluntur. 1° Falsarii litterarum Apostolicarum et supplicationum. 2° Falso eas publicantes. 3° Falso signantes.

E contra tria sunt acta ab Apostolica Sede profecta quae defenduntur: 1° Bullae. 2° Brevia. 3° Supplicationes.

Quid Bullarum vel Brevium nomine significetur supra dictum est pag. 279.

Supplicationes vero hoc in loco sunt petitiones illae quae vel ad Romanum Pontificem, vel ad Vice-Cancellarium, aut vices ipsorum gerentem in scriptis diriguntur.

Non enim putandi sunt omnes excommunicationem incurrere qui acta quaelibet ab Apostolica Sede utcumque profecta corrumpant, falso publicent vel signent; sed ii tantummodo qui falsitatem introducunt in actis enumeratis personarum quae in Capite nominatim recensentur.

Qua de causa si quis supplicationem corrumpat, falso signet et publicet nomine vel Emi Urbis Vicarii, vel Praefecti alicuius e Sacris Romanis Congregationibus, dummodo tamen non constet, (quod patere ex litteris debet) eas de mandato Romani Pontificis fuisse signatas; vel falsitatem introducat in Epistola particulari Vice-Cancellarii, et ipsius Romani Pontificis, non est inter excommunicatos hoc in capite accensendus. Lex enim cum sit odiosa stricte est interpretanda.

De cetero personae, in quarum actis admitti falsificatio debet, ut incurratur excommunicatio, sicut et acta ipsa, disertis verbis exprimuntur; lex ergo ad alia vel ad alios extendi nec debet nec potest.

Proscribitur vero hoc in loco crimen falsi, quod communiter definitur: *Veritatis immutatio vel suppressio in fraudem alterius facta.* Hinc falsarii sunt illi qui ita addunt, minuunt, radunt de Apostolicis litteris, ac supplicationibus gratiam vel iustitiam concernentibus, ut sensus et significatio verborum immutetur.

Quoniam vero haec excommunicatio ideo fuit inducta ut et consuleretur honori et integritati litterarum Apostolicarum, et damnis quae partibus pro quibus expediuntur possent inferri, obviaretur; ita ad eam incurrendam necessarium est: 1° *Ut falsarii veritatem vel suppresserint, vel saltem mutaverint.* 2° *Ut hoc dolo malo,* ut par est, *alicui nocendi admiserint;* quae duo si desint, crimen falsi non habetur, ideoque neque excommunicatio incurritur.

Exinde vero nemo concludat, ad excommunicationem incurrendam, necessariam esse realem damni illationem, seu finis dolosae falsificationis consecutionem; nam haec ut quid extrinsecum iudicanda est; atque id unum sufficere arbitrari debemus, ut, scilicet, falsitatis crimen admissum fuerit dolo malo nocendi; tum quia sine illo extrinseco damni effectu iniuria litteris Apostolicis illata est per dolosam veritatis suppressionem vel immutationem, tum quia falsarius nullam excommunicationem incurreret, si per accidens, fructum ex illata fraude nullum reportaret; quod est absurdum.

Hinc 1° Si quis litteras Apostolicas corrumperet quin sensus immutetur, non incurreret censuram; in eiusmodi falsario enim deesse supponendus est dolus malus, et irreverentia erga Sedem Apostolicam, cuius sensus in litteris expressos sartos tectosque servare cupit; dummodo tamen ex eius ignorantia non contigerit, ut verborum significatio immutata non fuerit; id au-

tem in vaferrimis huiusmodi hominibus neque cogitandum est; dolus enim sine evidenti calliditate non fit.

E contra excommunicationem incurreret quicumque in Apostolicis litteris punctum aut virgulam immutaret, ex quo etiam significatio verborum et sensus immutaretur.

2° Neque excommunicationem contraheret qui vel per iocum, vel probandi gratia habilitatem suam in imitandis characteribus litteras Apostolicas falsificaret sine ulla has deinceps evulgandi intentione, licet postea per accidens evulgentur; ab iis enim abest dolus, neque ad hos Caput respicit.

At excommunicationem incurreret qui falsificaret litteras Apostolicas, quas novit obreptionis aut subreptionis vitio laborare; nam et hae sunt, manentque, donec revocentur, litterae Apostolicae.

3° Pariter immunis ab excommunicatione ille censendus est, qui in litteris Apostolicis errorem aliquem grammaticalem corrigeret; id enim reverentiam et amorem Religionis sapit, potius quam dolosam aliquam fraudem, et potius restituit quam corrumpit veritatem.

Hinc cl. Suarez *Tract. de Censuris Disp. XXI. Sect. II. n. 49:* « Vix » cernitur ibi aliqua culpa; quia si » naturam rei inspiciamus, ibi nihil » contra iustitiam, charitatem, aut » aliam virtutem, aut reverentiam » Pontifici debitam fit; immo vide» tur perspici honori seu decentiae » litterarum eius. Si vero conside» remus ius positivum, illud pro» hibet et damnat falsificationem; » haec autem revera falsificatio non » est. »

Subiungit autem vir prudentissimus: « Cavendae tamen sunt si» miles emendationes, quia odiosae » sunt, et possunt sinistram suspi» cionem ingerere. »

4° Dubitandum pariter non est, neque eum excommunicationem incurrere qui alios errores corrigeret non grammaticales. Si quis ex. gr. dispensationem petierit a quarto gradu consanguinitatis pro Titio Dioecesis Veronensis, et errore posita fuerit ex. gr. Dioecesis Mantuana, non incurreret excommunicationem qui Veronensem Dioecesim in litteris Apostolicis restitueret.

Quid vero si quis petierit dispensationem ab impedimento consanguinitatis, et Officialis Curiae scripserit affinitatis, incurreret ne excommunicationem restituendo *consanguinitatis?*

Resolutio pendet ex minuta, seu supplicatione quae praesentata fuit Romano Pontifici. Nam si in supplicatione reapse petita fuerit dispensatio ab impedimento consanguinitatis, nulla fit litteris Apostolicis iniuria, si indagata prius veritate, error corrigatur; id enim ponitur quod R. Pontifex concessit. Si autem in minuta petita fuit dispensatio ab impedimento affinitatis, neutiquam, sine excommunicationis incursu, licet aliquid immutare. Summus enim Pontifex supponendus est

dispensasse in eo impedimento quod fuit in supplici libello expressum, et non in alio; quare qui gratiam dispensationis obtentae immutaret, corrumperet Apostolicas litteras, cum concessum affirmaret quod reapse concessum non fuit. Error hic igitur per auctoritatem tantummodo Summi Pontificis et a Curiae officialibus corrigi potest, nisi per alios ipse R. Pontifex corrigi velit.

Optime hinc scribit Reginaldus *Praxis fori poenitentialis* lib. IX. n. 289: « Immo per illos (Romanum » Pontificem scilicet, vel ipsius Offi» ciales) tantum potest fieri cum » error fuerit non solum in Bulla, » sed etiam in minuta manibus Sum» mi Pontificis oblata; quia Pontifex » ipse intendit tantum concedere » illud quod ei expressum fuit in » supplicatione, unde corrigere mu» tando sensum tam supplicationis » quam Bullae, esset pro concesso » habere quod non est concessum; » quod quidem est falsificare litteras » Apostolicas, et per consequentiam » dare sufficientem causam incur» rendae huius excommunicationis. »

5° Ex iisdem rationibus neque illum excommunicatum censerem, qui litterarum Apostolicarum partes aliquas deleret, causa eas in elegantiorem stylum scribendi, servatis tamen ad unguem sensibus a R. Pontifice expressis. Neque enim hic falsarius dici potest, cum falsarius proprie ille sit *qui veritatem corrumpit*.

Non me latet equidem, antiquos ss. Canonum tractatores contrarium prorsus de re sentire; verum eorum argumentis non moveor. Ita enim apud *Alterium de Excom. Bullae Coenae* lib. V. Cap. 11. pag. 512. argumentantur.

« Excommunicatio lata est simpliciter et absque ulla distinctione » in falsarios litterarum Apostolica» rum; sed ille qui in huiusmodi » litteris mutat aliquid *etiam mini» mum, vere falsat illas.* Ergo est » excommunicatus. »

Ad eiusmodi argumentum respondeo negando minorem. Id est enim quod in quaestione versatur, an sit falsarius ille qui in litteris Apostolicis mutat aliquid etiam minimum, nullimode tamen sensum immutando. Quod nescio an solida ratione probari ab aliquo possit. Romani Pontifices enim tum in Bulla Coenae, tum Pius IX in nostra Constitutione loquuntur et excommunicatione plectunt *falsarios litterarum Apostolicarum;* assumunt ergo eiusmodi nomen iuxta communem, tritam, vulgatamque definitionem quam habet. At falsarius est qui committit crimen falsi; *falsum* autem *est quod animo corrumpendae veritatis in alterius fraudem dolo malo fit*. Leg. 20. Cod. ad leg. Corn. de falsis. Qui autem in litteris Apostolicis *mutat aliquid etiam minimum*, servando ad unguem sensum ibi expressum potest ne dici quod *habeat animum corrumpendae veritatis in alterius fraudem dolo malo?* Lectores iudicent.

Eiusdem vero vis sunt quae Paul

lo post subdit Alterius *loc. cit.*: « Si » quis integram propositionem in » rescripto Papae raderet, immu- » tando tantum verba, *alia appo-* » *nendo elegantiora, quae eundem* » *prorsus sensum redderent, quem* » *priora cassa et deleta significa-* » *bant,* utique falsarius esset et ex- » communicatus; immo crimen fal- » sitatis committeret, si corrigeret » in ea parte, *in qua expresse con-* » *staret de errore.* »

Et hoc in loco pariter nego suppositum, cum falsarius sit ille, iuxta vim nominis, qui *corrumpit veritatem dolo malo.* Quando vero clarissimus Alterius dicit, crimen falsitatis committi etiam cum litterae Apostolicae corriguntur in ea parte, *in qua expresse constaret de errore,* vere excedit.

Utique apud Alterium habetur pag. 511. antiquos nonnullos Canonistas affirmare, falsarios, quos ego defendo, fuisse excommunicatos *in processu annali, qui solet legi Feria Quinta in Coena Domini,* proindeque « latam esse excommuni- » cationem in quemcumque (exce- » ptis Officialibus deputatis) qui in » Rescripto Bullato vel notato, *sal-* » *tem unam figuram, vel litteram,* » vel etiam *dimidiam* abraserit, de- » leverit, *minuerit, compleverit,* vel » mutaverit sine licentia illius ad » quem spectat. »

Verum 1° hisce nihil prorsus obstantibus, ipse Alterius *pag.512* plurimorum doctorum auctoritatem adducit contrarium statuentium; quos inter citat Toletum affirmantem « tum solum locum esse huic ex- » communicationi ex mutatione ali- » cuius litterae vel puncti *quando* » *variatur sensus litterarum Aposto-* » *licarum,* ut quando fiunt validae » si erant invalidae, vel validiores » si antea erant validae. »

Hoc autem omnes concedunt.

2° vero cum in Bulla Coenae legi solita posteriori tempore illa verba praetermissa fuerint, neque restituta in nostra Constitutione, patet, nomen *falsarii* nunc assumi iuxta vim nominis, non vero iuxta id quod aliqui Pontifices peculiaribus fortasse circumstantiis moti, assumendum esse decrevere.

6° Neque sub excommunicatione hac illi comprehenduntur, qui ab Apostolica Sede rescripta obreptitia vel subreptitia obtinerent, vel sub ementito nomine; aut Apostolicas litteras lacerarent, igne consumerent, aut alio quovis modo penitus destruerent. Caput enim loquitur de *falsariis:* « Nomine autem falsi- » ficationis, inquit Bonacina *Tracta-* » *tus de censuris omnibus ecclesia-* » *sticis in particulari disp. 1. q. VII,* » in hoc loco intelligitur *additio,* » *mutatio, vel detractio aliqua* a » praefatis litteris vel supplicationi- » bus; nam falsa redditur scriptura » quoties *aliquid additur, vel mi-* » *nuitur quod antea positum, seu* » *concessum non erat.* »

In casu vero nihil horum habetur.

7° Quid vero de iis qui falsificarent litteras Apostolicas vel Rescri-

pta supplicationum ad tempus concessa, et tempus iam praeterlapsum fuerit ?

Respondendum est, neque hos excommunicationem incurrere, cum eiusmodi litterae ob lapsum temporis praefixi inutiles omnino redditae sint.

Excipe tamen 1° corruptionem in temporis consignatione, vulgo *data*, ut si falsificans extendat ad quinquennium, decennium etc. quod ad triennium ex. gr. concessum fuerat, ita ut ex eiusmodi corruptione litterae Apostolicae, vel Rescripta adhuc vigorem habere existimentur.

Excipe 2° si, ibi, aliqua veritas vel ad fidem vel ad mores pertinens posita, etiam per accidens, fuerit, atque haec corrumpatur ; omnino enim hoc in casu excommunicatio incurritur. Quandoquidem licet quod ad gratiam vel iustitiam attinet litterae illae nullius sint roboris, utpote quod tempus praefixum iam fuerit praeterlapsum, manent tamen ut Apostolicae Sedis documentum, ideoque in iis, quae de fide vel moribus etiam per accidens posita sunt, manent semper magnae auctoritatis ; atque gravissima infertur Romano Pontifici iniuria corrumpendo sensus ab eo iis in epistolis prolatos.

Et 3° idipsum dicito, si inibi aliquid addatur contra fidem vel bonos mores, ut deinde tanquam a Romano Pontifice dictum traduci possit. Etenim esset corruptio seu falsificatio litterarum Apostolicarum.

8° Ex dictis autem iam patere puto, quid sentiendum de illo sit, qui litteras Apostolicas sine cuiuspiam damno aut praeiudicio corrumpit.

Nam ideo falsificatio litterarum Apostolicarum prohibita sub censura fuit tum ne parti aut fisco detrimentum, tum ne iniuria Romano Pontifici inferretur: « Falsificatio litterarum Apostolicarum, inquit Castropalao *Tract. XXIX de Censuris disp. II. punct. VII. n. 4*, non tam ob damnum parti aut fisco illatum prohiberi censenda est, quam ob iniuriam litteris factam, cuius auctoritas falsificatione contemnitur. Quod manifestum est in litteris gratiae, dispensationibus, et indulgentiis a Sede Apostolica concessis, quae in nullius damnum cedunt. » Utrumque igitur evitari debet ad evadendum excommunicationem. Porro si qui corrumpit sine cuiuspiam praeiudicio litteras Apostolicas primum evitare concedam, non evitabit certe alterum, ut iniuria, scilicet, Romani Pontificis auctoritatem afficiat. Excommunicationem igitur incurrere dicendus est. Neque ab hoc dolum malum abesse supponi potest ; nam dolus malus semper in falsariis supponendus est, nisi constet litteras aut supplicationes Apostolicas corrupisse vel per iocum, vel errores per accidens in eis incursos corrigendi vel probandi gratia habilitatem suam in imitandis characteribus etc., quae in falsario proprie dicto neque locum habere credo.

Falsificatio enim proprie dicta sine alterius damno absque scopo deprehenditur, et defectus finis in falsariis neque supponi potest; haec quapropter potius ad eruditionem, quam Confessariorum utilitatem dici posse arbitror.

9° Patere etiam ex dictis contendo, quid illi quaestioni, quam nonnulli Canonistae proponunt, respondendum sit, de eo scilicet, qui litteras Apostolicas corrumpit, sine ulla iis utendi intentione, immo animo eas immediate post falsificationem destruendi.

Nam hic per iocum agit, vel alia de causa quae dolum malum non attingit, non serio, non ex animo alicui laedendi, vel Sedem Apostolicam afficiendi iniuria; in facto autem nemini detrimentum infert. Porro aliquid horum necessarium est ad incurrendam huiusmodi excommunicationem; hinc eam non incurrere fidentissime dico.

Quin imo neque eam incurrere putarem, si oblitus corruptas epistolas destruendi, per accidens et sine eius culpa evulgarentur. Caput enim loquitur de falsariis proprie dictis, qui tales sunt et habentur etiamsi semel crimen perfecerint, de iis nempe falsariis qui ex animo, ex intentione, et ex fine pravo ducti litteras corrumpunt. At falsarius, de quo in casu, proprie dictus dici non potest, cum neque pravo fine, neque animo alicui nocendi ad corruptionem vel falsificationem ducatur, et sine eius culpa, et omnino per accidens factum sit, ut corruptae ab eo litterae fuerint evulgatae.

Manifestum est insuper, sine gravi peccato excommunicationem non incurri. Potest ne vero de gravi peccato insimulari qui litteras Apostolicas corrumpit sine intentione iis utendi, imo cum animo eas immediate destruendi?

10° Pariter neque illum excommunicatum censerem qui falsificationem inchoaret, ad finem vero facti poenitens non perduceret, et partem iam corruptam in pristinum restitueret; hic enim non esset falsarius; falsi enim crimen dicit factum completum.

E contra excommunicatione percelli certum est eum, qui litteras falsificaret animo iis utendi, et postea facti poenitens non utitur; hic enim factum completum posuit, vereque falsi crimen admisit.

11° Omnes autem intell gunt, nil interesse an quis falsificet litteras Apostolicas latas pro se, vel pro aliis; nam falsificatio interdicitur.

Innocentius Papa III iuris canonici peritissimus *Cap.* Licet 5. *de crimine falsi* novem enumerat modos, quibus litterae Apostolicae corrumpi suo tempore poterant, vel reapse corrumpebantur. At nunc homines sunt malitiosiores prae hominibus saeculi XII et XIII, et possent aliquem novum modum falsificationis excogitare qui sub censura cadat, dum non omnes modi ab Innocentio III indigitati excommunicatione plectuntur. Atque de cetero

glossator illius Capitis alios enumerat falsificandi modos, qui in Capite Innocentiano desunt.

Equidem melius est nescire malitiam quam scire, ne qui nesciunt postea sciant perficiantque; sed magnus ille et emunctae naris Pontifex ad praecavendas certe et dignoscendas hominum iniquorum fraudes, modos indigitare voluit; hinc et ego illos oculis lectorum ipsius verbis subiicio. Aliqua attentio in iis intelligendis requiritur, quam ni praestiterint, non irascar idcirco lectoribus meis. Inquit autem Innocentius:

« Ut autem varietates falsitatis » circa nostras litteras deprehendere » valeatis, eas vobis praesentibus litteris duximus exprimendas. Prima species falsitatis haec est, ut » falsa bulla falsis litteris apponatur. » Secunda, ut filum de vera bulla » extrahatur ex toto, et per aliud » filum immissum falsis litteris inseratur. Tertia, ut filum ab ea » parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis litteris immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis cannabis » restauratum. Quarta, cum a superiori parte bullae altera pars fili » sub plumbo rescinditur, et per » idem filum litteris falsis inserta » reducitur intra plumbum. Quinta, » cum litteris bullatis et redditis, in » eis aliquid per rasuram tenuem » immutatur. Sexta, cum scriptura » litterarum quibus fuerat apposita » vera bulla, cum aqua vel vino » universaliter abolita seu deleta, » eadem charta cum calce et aliis » iuxta consuetum artificium dealbata de novo rescribitur. Septima, cum chartae, cui fuerat apposita vera bulla, totaliter abolitae » vel abrasae, alia subtilissima charta » eiusdem quantitatis scripta cum » tenacissimo glutino coniungitur. » Eos etiam a crimine falsitatis non » reputamus immunes, qui contra » Constitutionem Nostram scienter » litteras non de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. Illos » quoque, qui accedentes ad bullam » falsas litteras caute proiiciunt, ut » de vera bulla cum aliis sigillentur. »

Ut quisque videt, non omnes modi ab Innocentio indigitati sub hac censura comprehenduntur; in capite nostro enim falsarii excommunicantur, non qui confingunt supponuntque litteras apostolicas; falsare autem apostolicas litteras, ut iterum idipsum cum Alterio *pag. 510* dicam, « non est novas » litteras confingere, sed veras litteras apostolicas ab earum sincera » auctoritate immutare. »

Ergo qui earum veritatem non immutat, sub excommunicatione non cadit.

Falsarii itaque proprie dicti litterarum apostolicarum excommunicatione plectuntur.

Quid autem mandantes? Nam iura clamant: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur;* et plerumque gravius peccat mandans quam mandatarius.

Respondendum tamen est, neutiquam mandantes falsificationem litterarum apostolicarum hoc in capite excommunicari; primo quidem, quia cum lex sit odiosa non debet extendi: secundo, quia cum Romanus Pontifex in hac ipsa Constitutione voluit mandantes excommunicatione percellere, eos disertis verbis expressit; tertio demum, quia eos conclusit sub Cap. III de Censuris Episcopis reservatis: *Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes.*

Attamen ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* incurrebant excommunicationem ab Innocentio III latam Cap. *Ad falsariorum 7 de crimine falsi.* Utentes vero, si Clerici, fuisse omni officio et beneficio spoliatos, si laici, excommunicationi subiectos donec satisfecissent competenter.

« Nos enim omnes falsarios litte-
» rarum nostrarum, qui per se, vel
» alios vitium falsitatis exercent,
» cum fautoribus et defensoribus
» suis anathematis vinculo decerni-
» mus innodatos. Qui vero sub no-
» mine nostro literis falsis utuntur,
» si clerici fuerint, officiis et bene-
» ficiis ecclesiasticis spolientur; si
» laici, tamdiu maneant excommu-
» nicationi subiecti, donec satisfa-
» ciant competenter. »

Sed quid, si unus vel plures componant sensus litteris Apostolicis inserendos, alius vero in imitandis characteribus peritissimus inserat? Vel omnes corruptioni adsunt, ita ut uni dictent verba inserenda et alius scribat inseratque, et tunc cum omnium actiones tanquam unica spectandae sint, omnes excommunicationem incurrere dicendi sunt; vel uni scriptori tradunt verba et sententias inserendas, ipsi vero nullimode se in scriptione immiscent, et hoc in casu habendi sunt uti mandantes, et ab hac excommunicatione immunes.

Excipe tamen scribam si nesciat, operi tam pravo manum suam praestare.

Ne vero error circa hanc explanationis partem obrepat, animadvertendum postremo est, litterarum apostolicarum nomine eas intelligi quae iam sigillo seu plumbo et subscriptione munitae sunt, quaeque iam expeditae censeantur et sint; non autem illae quae cum sint subscriptione et sigillo destitutae nondum valorem habent.

Altera huius Capitis pars excommunicatione ferit *falso publicantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis.*

Eiusmodi igitur excommunicatio non se extendit ad falso publicantes *supplicationes sive gratiam sive iustitiam concernentes,* hinc minus patet quam praecedens.

In antiquis Bullae coenae exemplaribus legebatur *falso fabricantes.* At haec verba immutata sunt in *falso publicantes* post Pontificatum Alexandri VII. Antea quapropter excommunicatione afficiebantur qui

falsas literas Apostolicas fabricarent, non vero qui publicarent; nunc vero qui falso publicant, non qui falso fabricant.

Dura quidem haec sententia aliquibus videri potest, cum poena digniores plerumque sint fabricantes falsas litteras quam eas publicantes. Hi insuper ab omni censura immunes esse possunt, si ignorantia ducti eas publicent, secus ac de fabricantibus possit affirmari.

Sententia tamen ut certa tenenda est. Caput enim loquitur de *falso publicantibus apostolicas litteras*, non vero *de fabricantibus;* ergo illi non isti excommunicatione plectuntur.

Id vero a Romanis Pontificibus fortasse factum est, quia inutilis fabricatio falsarum litterarum redditur, neminique, nisi publicentur, sunt detrimento; atque hinc quod ad factum externum attinet, maiora damna *falso publicantes inferunt, quam falso fabricantes.*

Verum circa hos postremos duo quaeruntur.

1° An sub falsariorum censu comprehendantur, et sub tali nomine excommunicationem incurrant?

2° An saltem si fabricatas a se apostolicas litteras publicari mandent excommunicatione percellantur?

Ad utrumque negative mihi respondendum esse videtur.

Falsarii enim, ut ex dictis patet, sunt qui authenticis literis apostolicis aliquid ita addunt, vel detrahunt, vel immutant, ut germanus earum sensus immutetur. « Falso » autem fabricare litteras Apostolicas, inquit Alterius, *loc. cit.* » *pag. 515,* significat conficere litteras sine mandato Summi Pontificis, nec ab eo subsignatas, neque ab officialibus (ad quos ex consuetudine et stylo Curiae spectat) subscriptas et revisas, quae retineant formam, et similitudinem sub qua expediuntur literae apostolicae, ita ut appareant verae litterae, licet falsae sint. » Paucis: falso fabricantes sunt qui litteras apostolicas ex integro condunt, ita ut nihil de veris litteris depravent, nihil omnino. Qua de causa sub falsariorum censu, prout hi definiuntur, venire non possunt, neque debent. Et iuxta rei veritatem loquitur saepe citatus Alterius *loc. cit. pag. 516:* « Haec excommunicatio differt ab illa quae » fertur in priori parte canonis; » prohibentur enim duae actiones » diversae, licet versentur circa » eamdem materiam et subiectum » in genere, id est circa litteras » Apostolicas et supplicationes. In » priori parte excommunicantur qui » falsant et corrumpunt veras litteras apostolicas, vel veras supplicationes per Romanum Pontificem, vel S. R. Ecclesiae Vice-Cancellarium vel gerentes ipsorum vices signatas. In posteriori » parte excommunicantur qui componunt et fabricant falsas litteras » habentes illas pro veris litteris » Apostolicis. »

Adde quod cum lex sit odiosa, eam stricto sensu interpretari debemus.

Ulterius autem: si falso fabricantes sub falsariorum nomine comprehendebantur, ad quid eos in altera capitis parte excommunicatione plectere? Ipse igitur Legislator in antiquis Bullae coenae exemplaribus eos a falsariis apprime secernebat.

Equidem quis nunc suspicari posset, eos fortasse a Romanis Pontificibus, et ab ipso Pio Papa IX sub falsariorum nomine fuisse comprehensos, quod falso fabricantibus substituerint *falso publicantes;* incredibile autem videri, illos excommunicationem non incurrere, qui fortasse falsarios ipsos iniquitate antecellunt.

Verum ad hos respondendum censerem 1° quod in lege disertis verbis recensentur *falsarii,* et *falso publicantes,* non autem *falso fabricantes;* neque ad nos pertinet inquirere quare legislatores hos praeterierint.

2° vero quod si ita argumentari fas esset, plures essent in hac ipsa Constitutione ut excommunicati habendi, qui tamen sub excommunicatione non cadunt.

Exemplum desumo ex Capite II, quo excommunicantur scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos.

Atqui sunt Diaria quaedam et ephemerides quae haeresim publice propugnant, erroresque perniciosissimos; sunt libri neque haereticorum neque apostatarum, (qui scilicet ut tales agnoscantur) neque per litteras apostolicas proscripti, et tamen iniquiores ipsis libris haereticorum et schismaticorum et in Indicem relatis, et tamen prohibiti sub excommunicatione non sunt, quia ephemerides, dum folia manent, uti libri non sunt habendae, aliique non sunt libri haereticorum et apostatarum, qui uti tales publice habeantur. At si staret ratiocinatio adducta, etiam legentes has ephemerides et libros essent excommunicationi subiiciendi. Aliquando enim sunt periculosiores. Ergo si illi, multo magis isti censendi sunt sub excommunicationis poena interdicti. Haec tamen quis affirmabit?

In eodem capite excommunicantur retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes libros eorumdem haereticorum et apostatarum, et praetermittuntur *mandantes,* pecuniam ad impressionem *malitiose subministrantes* etc. Quis autem dixerit hos esse innocentiores retinentibus et imprimentibus, qui postremi praesertim, aliquando angustia rei familiaris ducuntur ad eiusmodi facinus patrandum? Et tamen dum scelestiores sunt merito habendi, excommunicatione non plectuntur. At plectendi essent, iuxta adductam ratiocinationem.

Atque idipsum dicito de aliis

exemplis quae ex collatione aliorum Capitum adduci possent.

Nullimode igitur falso fabricantes sub nomine falsariorum comprehenduntur, nullaque quapropter plectuntur excommunicatione.

2° Sed neque si fabricatas a se litteras publicari mandent, excommunicationi subiiciuntur.

Etenim falso publicantes diversi omnino sunt a mandantibus publicationem; et illi non isti excommunicantur in praesenti capite. Adde, quod in hac ipsa Constitutione solet R. Pontifex mandantes expresse nominare, cum vult eos excommunicationi subiicere. Unicuique vero patet, eos qui apostolicas litteras confingunt tum solum excommunicationem contrahere cum eas publicaverint; quousque igitur apud se eas retinuerint, excommunicationem non contrahunt.

Quid, si quis coeperit falsas litteras apostolicas publicare, et facti poenitens, exemplaria illico subduxerit?

R. Publicatio falsarum litterarum apostolicarum ideo prohibita fuit, ne tanquam a Romano Pontifice decretum vel prolatum haberetur quod decretum prolatumque non fuit, verum vel falsum sit quod hae suppositiae literae demum continent. Requiritur vero publicatio non eorum quae falsae literae continent, sed ipsarum literarum; expresse enim in capite habetur: *nec non falso publicantes litteras apostolicas etiam in forma Brevis.* Manifestum est autem quod ab eo, qui poenitens coeptae publicationis exemplaria omnia illico subducit, non fit publicatio earumdem litterarum: nam publicatio dicit evulgationem et diffusionem, ita ut litterae perveniant in notitiam plurimorum, vel ad loca constabilita affixionem ita ut omnes possint et de facto suppositiias literas legant. Neque hic punitur intentio, ut in falsariis, qui proinde etiamsi falsatas literas non promulgent, excommunicantur, sed ipsum publicationis factum. Qua de causa cum publicatio fieri debeat per evulgationem ipsarum falsarum litterarum, omnia vero exemplaria illico subducta sint, iam patet, publicationem deesse, consequenter poenam excommunicationis in casu non incurri.

Contrarium autem affirmarem si falsae literae per aliquem diem vulgatae manserint, ita ut earum tenor in plurimorum notitiam pervenerit. Etenim haberetur publicatio.

Tertio demum loco excommunicantur *falso signantes supplicationes sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices praedictorum;* ii scilicet qui Rescripto alicui subscribunt nomine Romani Pontificis etc. sine eius mandato. « Falso signare supplica» tiones, inquit Alterius, *loc. cit.* » *pag. 516*, est signare dictas sup» plicationes sub nomine Papae, » aut Vice-Cancellarii, vel eorum » vices gerentium sine consensu et

» mandato Papae, quia cum debeant » signari a Papa, vel ab eius man- » dato, si aliter fiat dicuntur falso » signatae. »

Cum itaque in hac tertia Capitis parte excommunicentur *falso signantes supplicationes*, nullam excommunicationem incurreret, qui falso signaret litteras apostolicas, Bullas scilicet aut Brevia; quia haec omnino diversa sunt a supplicationibus gratiam aut iustitiam concernentibus, ad quas tertia haec pars restringitur.

MONITUM AD LECTORES

Pag. 294 scripsi: *Dummodo tamen ex eius ignorantia non contigerit, ut verborum significatio immutata non fuerit.*

Hanc sententiam retracto. Falsarius est enim in Constitutione nostra non qui habet intentionem falsandi, et tamen etsi praeter intentionem, non falsat, sed qui falsitatem reapse per dolum malum inducit in literis Apostolicis. Ille autem qui ignorantiae suae causa fecit ut significatio verborum non immutaretur, de facto non est falsarius, quia falsitatem non induxit: immunem ergo eum ab excommunicatione censeo.

Ita pag. 301 scripsi, mandantes falsificationem excommunicatione esse immunes, tertio quia R. Pontifex Pius IX eos conclusit sub Cap. III. de censuris Episcopis reservatis, scilicet sub verbis: *vel crimini in ea re cooperantes.*

Hanc pariter sententiam retracto; re enim melius perpensa, in verbis citatis non comprehenduntur mandantes falsificationem, sed cooperantes in usu falsarum literarum Apostolicarum, ut in expositione cit. capitis demonstrabo.

APPENDIX IX

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA ABSOLVENTES COMPLICEM IN PECCATO TURPI

Decimo loco in Constitutione *Apostolicae Sedis* Pius Papa IX excommunicat: « *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.* »

Non quid novum statuit, sed quod a Benedicto XIV statutum iam fuerat tum in Constitutione *Sacramentum Poenitentiae* lata die 1 Iuni; anno 1741, Pontificatus sui septimo; tum in alia quae incipit *Apostolici muneris* lata die 28 Februarii 1745 Pontificatus sui anno quinto.

Cum Constitutionis Pianae Capitis intelligentia rectaque explanatio ex citatis Benedicti Constitutionibus pendeat, utriusque partes quae pro re nostra faciunt, referre dignum duco, ut lectores, nedum intelligant, sed etiam percipiant

quantopere Romani Pontifices in extirpando eiusmodi numquam satis detestando facinore solliciti fuerint. In prima itaque haec habentur (1).

N° 4. « Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis iudicii et » sacri Tribunalis sanctitate omnem » turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae iniuriam longe submovere, » et tam exitiosa huiusmodi mala » prorsus eliminare, et quantum in » Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi » quidam, daemonis potius quam » Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo ac nostro » reconciliandi, maiori peccatorum » mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum Nostrorum sanctae » Romanae Ecclesiae Cardinalium, » et aliquorum in theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, » accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a » pluribus Episcopis per Synodales » suas Constitutiones iam factum » esse novimus, omnibus et singulis » Sacerdotibus, tam saecularibus » quam regularibus cuiuscumque » Ordinis, ac dignitatis, tametsi » alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio et indulto, etiam speciali » expressione, et specialissima nota » et mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, et Nostrae » potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, ne aliquis » eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc » quocumque alio Sacerdote, qui » Confessarii munus obire possit, » confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi » atque inhonesto, contra sextum » Decalogi praeceptum commissa, » excipere audeat, sublata propterea » illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi » culpa absolvendam, adeo quidem, » ut absolutio, si quam impertierit, » nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui » iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria pri-

(1) Ante Benedictum XIV. inter auctores controversia erat, utrum huiusmodi absolutio valida foret, et communis opinio stabat pro eius validitate, cum nulla esset lex, quae illius invaliditatem induceret. Quaestio item erat, num absolutio licita esset, atque opinio communis ad licitum propendebat, quoties non minus poenitens quam confessarius commune peccatum abhorreret, neque novi consensus periculum subesset.

Attamen Episcopi variarum Dioecesium, considerantes rem hanc, quidquid de ea in abstracto dici posset, in praxi perniciosam esse, coeperunt in Synodis subtrahere Confessariis, licet a se approbatis, iurisdictionem absolvendi personas sibi complices in peccato turpi; atque ad Summum Pontificatum Benedicto XIV evecto, ei supplices libellos porrigere ut generali Constitutione huic inconvenienti opportuna remedia adhiberet. Primus itaque qui Confessariis in personas complices circa VI iurisdictionem lata generali lege subtraxit, eosque, si aust fuissent absolvere, excommunicatione perculit, fuit magnus Benedictus XIV.

» vatus existit, quam ei per prae-
» sentes has nostras adimere inten-
» dimus; et nihilominus si quis
» Confessarius secus facere ausus
» fuerit, maioris quoque excommu-
» nicationis poenam, a qua absol-
» vendi potestatem Nobis solis No-
» strisque successoribus dumtaxat
» reservamus, ipso facto incurrat.»

N° 5. « Declarantes etiam et de-
» cernentes, quod nec etiam in vim
» cuiuscumque Iubilaei, aut etiam
» Bullae, quae appellatur Cruciatae
» Sanctae, aut alterius cuiuslibet
» Instituti, confessionem dicti com-
» plicis huiusmodi quisquam valeat
» excipere, eique Sacramentalem
» absolutionem elargiri; cum ad
» hunc effectum, et in hoc casu,
» nullus Confessarius, utpote qui
» in huiusmodi peccati et poenitен-
» tis genere, iurisdictione, ut prae-
» fertur, careat, et absolvendi fa-
» cultate a Nobis privatus existat,
» habendus sit pro confessario le-
» gitimo et approbato. Non obstan-
» tibus Constitutionibus et ordina-
» tionibus Apostolicis, praesertim
» quae nuncupantur Cruciatae San-
» ctae, vel Iubilaei universalis et
» plenarii, nec non quibusvis Ec-
» clesiarum et Monasteriorum, et
» ordinum quorumlibet, quorum
» ipsi Sacerdotes fuerint, etiam
» iuramento, confirmatione Apo-
» stolica, vel quavis firmitate alia
» roboratis, statutis et consuetudi-
» nibus, privilegiis quoque, indul-
» tis et Litteris Apostolicis sub
» quibuscumque tenoribus, et for-
» mis, ac cum quibusvis clausulis
» et decretis, etiam motu proprio,
» aut alias quomodolibet concessis,
» etiam iteratis vicibus approbatis
» et innovatis; quibus omnibus, eo-
» rum tenores praesentibus pro ex-
» pressis habentes, hac vice dum-
» taxat specialiter et expresse de-
» rogamus, caeterisque contrariis
» quibuscumque. »

Verum cum dubia nonnulla, ut plerumque contingit, circa sensum, quo essent accipienda verba *in ipsius mortis articulo* exorta fuissent, atque alii in rigidiores, alii in laxiores sententias abirent, Benedictus XIV, ad quodlibet e medio dubium eliminandum, Constitutionem edidit *Apostolici muneris*, in qua pro re nostra haec statuit.

N° 2. « Hinc est, quod Nos o-
» mnem dubitandi rationem, quan-
» tum cum Domino possumus, de
» medio auferre cupientes, motu
» proprio, ac ex certa scientia, et
» matura deliberatione Nostris, de-
» que Apostolicae potestatis pleni-
» tudine, memoratam Constitutio-
» nem Nostram *(Sacramentum Poe-*
» *nitentiae)* cum omnibus et singu-
» lis in ea contentis, tenore prae-
» sentium, quatenus opus sit, con-
» firmamus, illamque integre, pe-
» nitus, et omnino, atque ab illis,
» ad quos spectat, et pro tempore
» quandoque spectabit, inviolabili-
» ter et inconcusse observari prae-
» cipimus et mandamus. Praeterea
» habita super his cum Venerabili
» Fratre Nostro Vincentio Episcopo

» Praenestino S. R. E. Cardinali » Petra nuncupato Poenitentiario » Nostro maiori, ac dilectis filiis » Officii Poenitentiariae Apostolicae » ministris, qui rem iussu Nostro » mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, et potestatis » plenitudine paribus edicimus ac » declaramus, eadem Constitutione » singulis, ut supra, Sacerdotibus » quemadmodum interdictum non » est in mortis articulo personam » in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque » ab huiusmodi quoque culpa rite » contritam absolvere, deficiente » tunc quocumque alio Sacerdote, » qui Confessarii munus obire possit; ita interdici reipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire » et absolvere, ut si alius aliquis » Sacerdos non defuerit, etiamsi » forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias » ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse » Sacerdos simplex Confessionem » excipere, ac absolutionem impertiri. »

N° 3. « Porro, si casus urgentis » qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, » eiusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in » dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine » gravi aliqua exoritura infamia, vel » scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset » atque deficeret; ac proinde in eo » rerum statu non prohiberi socio » criminis Sacerdoti absolutionem » poenitenti ab eo quoque crimine » impertiri. Sciat autem complex » eiusmodi Sacerdos et serio animadvertat, fore se reipsa coram » Deo, qui irrideri non potest, reum » gravis adversus praedictam Nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut » scandali pericula sibi ultro ipse » confingat, ubi non sunt; immo » intelligat, teneri se graviter, huiusmodi pericula, quantum in se » erit, antevertere, vel removere, » opportunis adhibitis mediis, unde » fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis, » absque ullius infamia vel scandalo » audiendae. Ita enim ipsum teneri » vigore memoratae nostrae Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse, dis» tricte mandamus et praecipimus. »

N° 4. « Quod si idem Sacerdos, » aut quovis modo sese nulla gravi » necessitate compulsus ingesserit, » aut, ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, » ipse ad id periculum avertendum » congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, » eoque in articulo, ut praefertur, » constitutae, sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla,

» sicut praemittitur, necessaria cau-
» sa cogente, praesumpserit, quam-
» vis huiusmodi absolutio valida fu-
» tura sit, dummodo ex parte poe-
» nitentis dispositiones a Christo
» Domino ad Sacramenti poeniten-
» tiae valorem requisitae non de-
» fuerint; (non intendimus enim pro
» formidando mortis articulo eidem
» Sacerdoti, quantumvis indigno,
» necessariam iurisdictionem aufer-
» re, ne in hac ipsa occasione ali-
» quis pereat); nihilominus Sacer-
» dos ipse violatae ausu eiusmodi
» temerario legis poenas nequaquam
» effugiet; ac propterea latam in
» dicta Constitutione maiorem ex-
» communicationem eodemque pla-
» ne modo, quo ibidem decernitur,
» Nobis et huic Sanctae Sedi re-
» servatam incurrere declaramus,
» volumus, atque statuimus. Non
» obstantibus omnibus et singulis
» illis, quae in praefata nostra Con-
» stitutione voluimus non obstare,
» caeterisque contrariis quibuscum-
» que. »

Igitur tum in citatis Benedicti XIV Constitutionibus, tum in praesenti Capite Constitutionis *Apostolicae Sedis* excommunicatione feriuntur Confessarii omnes absolventes complicem in peccato turpi.

1. Qua de causa excommunicationem evaderet qui complicem in peccato alterius speciei, ex. gr. furti, homicidii, detractionis etc. absolveret, cum interdicatur tantummodo absolutio complicis in peccato contra VI Decalogi praeceptum.

2. Ut eiusmodi excommunicatio incurratur necessarium est nedum ut Confessarius confessionem complicis audiat, sed etiam absolutionem reapse impertiatur; quare si, confessione audita, vel complicem sine absolutione dimittat, vel simulet illum absolvere, et non absolvat, excommunicationem non incurrit. Lex enim aperta est: *Absolventes complicem in peccato turpi.* Si qua enim dubitatio ante nostram Constitutionem exoriri de re potuit, nunc nullimode dubitandum est, ad incurrendam excommunicationem hanc, omnino necessarium esse ut Confessarius complicem non ficte, non simulate, sed reapse absolvat.

Quamquam, ut sincere loquar, nec antea dubitari poterat, cum Benedictus XIV in sua Epistola encyclica *Inter praeteritos,* data ad Poenitentiarios et Confessarios pro anno Sancto in Urbe deputatos, et in qua agit de controversiis olim excitatis circa opera iniuncta pro Iubilaei acquisitione, et circa facultates concessas, earumque usum, de hac re loquens §. 59. inquit: «Explicantes (*in* » *Const.* Apostolici muneris) casum » articuli mortis, et in quo nullus » alius, praeter Sacerdotem compli- » cem adesset, qui poenitentem » personam moribundam *absolvere* » posset, iniunximus, quod in di- » ctis circumstantiis posset complex » *absolvere,* etiamsi alius esset Sa- » cerdos, cui tamen si moribundus » confiteretur, posset exinde infa- » mia, aut scandalum in Sacerdotis

» complicis, aut personae poenitentis praeiudicium redundare..... » Praeterea non minus Sacerdoti » complici, qui vel extra mortis articulum *confessionem excipit poenitentis eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit*, cum » alius Sacerdos non desit, sive qui, » cum alius sit Sacerdos, sibi fingit, » quod si Poenitens illi confiteatur, » infamia aut scandalum inde oriturum sit, et ideo *eius confessionem excipit atque eum absolvit.*»

Ex quibus omnino patet, necessariam etiam Benedicti XIV tempore fuisse complicis absolutionem ad eiusmodi excommunicationem incurrendam, neque solam peccatorum auditionem satis fuisse ad illam inducendam.

Observatu pariter dignum est, peccatum complicis non esse, neque vocari posse peccatum reservatum; quandoquidem peccatum reservatum illud est, a quo confessarius quicunque sine speciali facultate non potest absolvere, cum superior eiusdem absolvendi sibi potestatem reservaverit; at quilibet Sacerdos potest absolvere tum Sacerdotem, tum poenitentem qui inter se peccarunt, et solus Sacerdos qui complex et reus eiusdem criminis est excipitur; huic enim quaecumque in praedictum peccatum a Benedicto XIV potestas adimitur: *Ad hunc effectum, et in hoc casu, nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati et poenitentis genere, iurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato.*

Qua de causa cum absolvendi facultate peccatum eiusmodi Confessarius privatus existat, numquam absolutionem complici in eodem contra VI peccato impertiri poterit, nisi vel a R. Pontifice a quo ei omnis illud absolvendi potestas sublata est, facultatem obtineat, vel in aliquibus circumstantiis de quibus inferius sermo habebitur, versetur, quibus necessario ad absolutionem complicis compellatur.

R. enim Pontifex diserte asseruit numquam censeri Sacerdoti complici eiusmodi facultatem concessam; *nec etiam in vim cuiuscumque Iubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cuiuslibet Instituti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri.*

Aliquibus fortasse asperior eiusmodi Benedicti XIV disciplina videri poterit; etenim fortasse dicturus erit: et complicis pudori parcendum erat, et humanae fragilitati quae aliquando tanta est, ut etiam ii, quos Deus omnipotens Deos vocavit, labantur, et praecipites in peccatum ruant. Verum si res attente consideretur, sapientia atque iudicio redundantem Benedicti XIV sanctionem reperiemus.

Imprimis enim doctissimus ille Pontifex rem *non in abstracto*, sed *in concreto* consideravit; noverat

enim, utique posse Sacerdotes aliquos per humanam fragilitatem labi et peccare, verum et illico peccata admissa dolore animi, lacrimisque detergere; atque ad poenitentiam tum semetipsos, tum complicem adducere; at generice hanc ad sanctiorem vitam conversionem, per exceptionem confessionis et absolutionem complicis non obtineri, adesse e contra novum seductionis periculum et relapsus.

Deinde vero a plurimis Episcopis petitum fuerat ut eiusmodi absolutiones generali sanctione proscriberet; Episcopos vero solitos esse non eorum criminum quae raro, sed quae frequenter contingunt proscriptionem seu reservationem a S. Sede postulare.

Atque de cetero auctores probatissimi magis experientia ducti, quam speculativa scientia confisi scriptum reliquere, in eiusmodi complicum confessionibus talia subesse pericula, ut tutius, immo opportunissimum omnino foret eas generali lege proscribere.

S. Thomas Summa theolog. Supplem. q. XX. art. II. ad 1. diserte docet: *In tali casu nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere; nec illa debet ei confiteri... tum propter periculum, tum quia est minor verecundia.*

Sumus enim homines mortales, fragiles, lutea vasa portantes quae faciunt invicem angustias.

Amort vero *De Poenitentia disp. X. §. II. 2. 6.*: « In tali confessione, » inquit, iudicio authorum in praxi » peritorum raro reperitur verus » dolor ac propositum; concurrit » periculum novae seductionis ex » parte poenitentis; praebetur nova » occasio ruinae spiritualis ex parte » confessarii et poenitentis recipro- » ca; ex diminutione verecundiae » diminuitur firmitas propositi et » sinceritas doloris. »

Ut alios praetermittam auctores. Haec vero seductionis iteratae pericula magis magisque incrementum suscipient, devenientque ad certissima facta, si post primum peccatum, primamque absolutionem in alia labantur eiusdem speciei peccata, quae a Sacerdote complice semper absolvantur; tum enim impossibile est ut complices in profundum malorum non ruant, et ut Sacramentum poenitentiae, secùnda post naufragium tabula, in medium seductionis, et peccatorum occasionem non commutetur; quin imo impossibile est, ut in huiusmodi inter complices confessionibus, non deveniatur etiam ad sollicitationem ad turpia, sin minus ex illo capite, *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.* Unde enim contineri se poterunt, cum omni rubore amisso, omni conscientiae angore posthabito, divina gratia destituti, sine animi dolore, sine emendationis proposito nil habeant quo a peccato re-

trahantur, et diabolus stet a dextris eorum ?

Non diffiteor dari exceptiones, ut inferius dicam, sed fateor, sincere fateor plerumque eiusmodi confessiones occasionem esse ruinae perniciosioris, et Benedictum XIV tum propria tum aliorum experientia doctum sapientissime absolutionem complicum, lata severiori et generali lege, prohibuisse.

Ut autem Confessarius absolvendo complicem excommunicationem incurrat, necessarium primo loco est, ut complicem agnoscat; secus enim nedum excommunicationem non incurrit sed nec peccatum ullum committit, sine quo excommunicatio non incurritur; atque de cetero Benedictus XIV, cuius sanctionem dispositio nostrae Constitutionis integram ex omni parte servat, diserte excommunicationem fert in eos Confessarios tantummodo, qui absolvunt complices qua tales ab eis agnitos, ut ex universo contextu relatarum Constitutionum deprehenditur. Qua de causa hoc veluti inconcussum principium in huiusmodi re habendum est: *Excommunicationem a Confessario in absolutione complicis circa sextum Decalogi praeceptum non incurri, si complicem non agnoscat, vel dum eum absolvit, non advertat eum esse suum complicem.*

Verum hic salebrosa exurgit quaestio, an scilicet absolutio ab inconsciente Confessario suo complici collata valida, nec ne, sit.

Universum autem quaestionis caput in eo situm est, quod Benedictus XIV omni facultate complicis contra VI peccata absolvendi Confessarium privaverit; *sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus.*

Nihil tamen eiusmodi sanctione obstante, auctores inter se digladiantur; et quidem cl. Scavini *Theologia moralis universa, Tom. 3. Tract. X. Disp. 1. Cap. IV. Art. III. Schol. II.* de Sacramento Poenitentiae, *Not. 3.* ad quaesitum: Quid vero si confessarius complicem inadvertenter absolveret? absolute respondet: *Valet absolutio, quia Bulla praesumptionem et temerarium ausum requirit ad nullitatem.* At alii eiusmodi opinionem acriter oppugnant, ea ducti ratione quod Benedictus XIV Confessario quamlibet absolvendi facultatem suum complicem ademerit, quod exceperit tantummodo mortis articulum, et exceptio firmet regulam, hanc insuper absolutionem nullam esse commune sit apud auctores (1).

(1) Vide Nouvelle revue theologique Tom. III. pag. 587. Nota 2.

Quoniam igitur diversi diversa opinantur, neque decretum aliquod circa praesentem casum a S. Sede prodivit, licitum erit et mihi ea qua par est reverentia erga contrarium sentientes, illam, quam magis rationi consonam iudicem, sententiam exponere.

Ultro igitur libenterque Scavini eorumque qui in casu stant pro absolutionis valore sententiam amplector et sequor.

Et imprimis omnino evidens est, citatas Benedicti XIV Constitutiones poenales esse, in poenalibus vero non licere neque verborum significationem extendere, neque de casu in casu poenam applicare, ita ut si legislator de iis qui poenam incurrunt sub uno sensu et respectu locutus sit, licitum non sit sub alio sensu et respectu legem exponere, poenamque inferre. Qui secus ageret, puniret quos lex non punit, excommunicatum iudicaret quem lex non excommunicat, invalide et sine auctoritate agentem, quem lex auctoritate non privat. Non puto haec ab aliquo posse negari.

Atqui pariter neque negandum est, Benedictum XIV in citatis Constitutionibus, tum Pium Papam IX in praesenti capite, loqui de Confessario qui sciens volensque complicem a turpi peccato absolvit, cuius proinde absolutionem nullam esse declarant; non vero de confessario qui inadvertenter absolutionem impertit. Ergo non licet ad hunc extendere sanctiones contra illum tantummodo latas.

Revera Benedictus illos Confessarios excommunicatione percellit, et auctoritate privat absolvendi complicis turpe peccatum, qui *Daemonis potius quam Dei ministri animas in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt;* qui *complicem absolvunt extra casum extremae necessitatis;* atque qui *spreta Pontificia Constitutione secus facere ausus fuerit;* qui, etiam in articulo mortis ipsius complicis, media opportuna ad scandalum et infamiam evitandam adhibere debent, ne complicis Confessionem audiant, aliumque idcirco Sacerdodem substituere; tales vero confessarii omnino supponendi sunt complicem agnoscere, cum peccati complice de re conferre, et vicissim ab eo cognosci.

At si Benedictus XIV de iis Confessariis locutus est qui complicem uti talem cognitum absolvunt, quo pacto eius lex extendi poterit ad Confessarios qui dum complices non cognoscunt, eos inadvertenter absolvunt? Circumstantiae sunt diversae, respectus, sub quo Confessarius a Benedicto XIV consideratur, est pariter diversus; non est igitur lata ab eo lex extendenda.

Ad quid vero magnus ille Pontifex voluit ne Confessarii complices complicem sui peccati contra VI absolverent? *ut*, scilicet, *omnem turpitudinis occasionem a Sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis sanctitate, Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae iniuriam longe submo-*

veret, ut animarum periculis occurreret, quae ex huiusmodi confessionibus et absolutionibus *in profundum iniquitatis barathrum* magis magisque *submerguntur*. At, quaero, timenda ne sunt tot mala a confessario qui complicem non agnoscens, illum omnino inadvertenter absolvit? neutiquam; ergo in his confessariis cessat finis legis latae; at cessante fine, cessat ipsa lex.

Addo, quod ad inducendam poenam certam, requiritur lex certa, in qua scilicet nullum exoriatur dubium de quibus personis agatur, de qua specie et malitia peccati. At omnino ex demonstratis certum est, Benedictum XIV locutum esse de confessario absolvente complicem *reduplicative,* ut scholae loquuntur; ergo, ut parum dicamus, dubium valde est, legem ab eo latam extendi debere ad illos Confessarios qui complices per ignorantiam absolvunt. At vero *lex dubia non obligat.*

Quid plura? Poena nulla incurritur sine peccato; omnes autem concedunt, a Confessario qui complicem per inadvertentiam absolvit nullum peccatum committi; quare ergo sine peccato poenam referre debet?

Scavini quapropter, dum affirmat, eiusmodi absolutionem valere, *quia Bulla praesumptionem et temerarium ausum requirit ad nullitatem,* vere et optime scribit, quia, praeter additas rationes, reapse *praesumptio et temerarius ausus* a Benedicto XIV requiruntur; haec vero in Confessario complicem per ignorantiam absolvente omnino desunt.

Velle autem Scavinio contradicere quod falsa scripserit, eo quod Benedictus praesumptionem et temerarium ausum requisiverit ut excommunicatio incurreretur, non ut invalida foret absolutio, est, ni fallor, ea scribere quae solide refutari possunt. Ideo enim Benedictus excommunicationem intulit, quod Confessarii adfuturi fortasse erant, qui lege Ecclesiae spreta, complices forent absoluturi; temerarius ergo ausus et praesumptio semper ad absolutionem referuntur; cuius praesumptionis et temerarii ausus excommunicatio ut poena addita est. Nullimode enim eiusmodi Confessarii excommunicatione percelluntur, nisi praesumant et audeant complices suos absolvere.

Hinc nullius ponderis illa difficultas esse videtur, quae desumitur ex ipsius Benedicti verbis; *adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum careat;* Benedictum, scilicet, privasse Confessarium complicem facultate absolvendi complices.

Nam de quibus Confessariis loquitur? De iis, nempe, qui scientes volentesque complices suos absolvunt. Ergo nisi prius ab iis qui contrarium defendunt, probetur, Benedictum etiam contra illos Confessarios qui complices per inadver-

tentiam absolvunt, legem latam statuisse, atque de iis etiam locutum fuisse, nihil profecto efficient. Lex enim est poenalis, et lex poenalis non potest extendi de casu in casum.

At, meo iudicio, difficillime id ex Benedictinis Constitutionibus probabitur.

Quod enim subsumere fortasse possent, doctissimum illum Pontificem privasse quoslibet Confessarios facultate absolvendi peccatum turpe sui complicis, et generice locutum esse nullumque excepisse, facile retunditur; de quibus enim Confessariis locutus sit sapientissimus ille Pontifex, ex contextu diiudicari debet, non ex cuiuslibet arbitrio; ex contextu autem constat, locutum fuisse de iis Confessariis, eosque absolvendi facultate privasse, qui complicis confessionem secus audivissent, et absolvissent, atque eos excommunicatione perculisse, qui lata lege posthabita, ausu temerario complicibus absolutionem forent impertiti. Hi vero non sunt, neque esse possunt qui per ignorantiam et inadvertenter complicem de peccato turpi absolvunt.

Neque ea difficultate moveor, quod Benedictus sanciverit, absolutionem a Confessario suo complici collatam in mortis tantummodo articulo validam fore; ab eiusmodi vero exceptione regulam firmari. Nam hac difficultate potius mea sententia adiuvatur: de quo enim Confessario loquitur Pontifex? Evidentissime de eo qui novit, degentem in articulo mortis, suum complicem esse, ideoque praecipit, omnia media adhiberi, ut alius, licet non approbatus, eius confessionem excipiat absolvatque; at non loquitur de Confessario qui ignoret se cum suo complice rem agere: exceptio quapropter in eo est, atque in eo firmat regulam, quod excepto mortis articulo, numquam Confessarii complicis scientis atque volentis valida futura erit absolutio, non vero Confessarii inadvertenter complicem absolventis.

Neque aliud ad idipsum probandum mihi deerit argumentum: leges enim fiunt pro iis quae frequenter accidunt; ea enim quae raro admodum eveniunt, praeter intentionem, nullum inferunt detrimentum, neque in latae legis spretum fiunt, legislator neque considerat, neque sub lege fortasse comprehendit. At manifesta sunt tria. 1° Benedictum ad legem edendam inductum fuisse Episcoporum querimoniis, qui ex complicum absolutione innumera oriri mala, plurimamque animarum ruinam deflebant: qui alii esse non poterant quam Confessarii volentes et scientes complices suos absolventes. 2° Eum legem tulisse contra Confessarios illos, qui, complicum suorum absolutione ea damna, peccataque inferebant, quae ipse acriter reprehendit; et hi pariter sunt qui scientes volentesque complices suos absolvunt. 3° Absolutionem complicum inadvertenter et per accidens raro admodum contingere, neque

inferre ea mala quae cavenda esse Benedictus praescribit. Hos igitur sub lege comprehendere noluit, quia sin minus punivisset eos qui neque contra Ecclesiam, neque contra legem formaliter peccant, quique insuper legem ex animo observassent, si peccatorem complicem agnovissent.

Quin imo non adeo lex Benedicti et Pii Papae IX circa absolventes complices coarctanda videtur, ut eorum absolutio valida tantum censenda sit in mortis articulo, et deficiente tum quocumque alio Sacerdote, licet ad Confessiones non approbato.

Est enim et alius aliquis casus, quem a lata lege, ut ipsum mortis articulum, legislator fore ut exclusisset iudicandus est, si praevidisset.

Hic casus proponitur a praestantissimo Ballerinio in suis adnotationibus ad Theologiam moralem Petri Gury (1). Et licet vir doctissimus sententiam non dicat, tamen rationes ab ipso allatae eiusmodi sunt, ut ad dicendam sententiam lectorem fortasse compellant. Dignum duco ipsius verbis et argumentis casum referre:

« Hic se nobis offert quaestio multo salebrosior, inquit. Quid enim fiat, si alicubi mulier, quae misere in eiusmodi peccatum cum Sacerdote lapsa fuerit, nullum alium, quocum peccatum illud sacramentaliter confiteatur, Sacerdotem ibi habeat, ea vero sint personae, loci etc. adiuncta, ut ad quaerendum Confessarium alio divertere non possit, nec spes affulgeat (ut contingere v. gr. in locis Missionum potest) alium Sacerdotem umquam illuc adventurum? Dicemus ne, mentem Pontificis Benedicti XIV, (et ego addo, mentem Pii Papae IX) dum istas Constitutiones promulgavit, hanc fuisse, ut miserrima mulier in hisce adiunctis per totius vitae decursum carere Ecclesiae Sacramentis debeat, quousque in extremis vivendi momentis a Sacerdote peccati complice, prouti Benedicti XIV Constitutio fert, tandem absolvi possit? Quin imo cum subinde ex insperato nec ullo morbo, quasi adventus sui praemisso nuncio, mors adveniat, dicemus ne, eandem mulierem hac etiam horrenda necessitate constringi, ut post illud peccatum iam periculum decedendi ex hac vita, ad plurimos quoque annos protracta, sine absolutione Sacramentali subire debeat? Verum ecquid deinde agat, ubi annuae confessionis et communionis praeceptum urget? Dices, eam perpetuo sola contritione praemissa ad sacram mensam accedere posse, immo et debere? Quid, ubi et populi scandalum, et mulieris sequatur infamia, si palam fiat, eam ad poenitentiae Sacramentum numquam per plures annos accedere? Suggeret quis forte, in hac necessitate cum eiusmodi poenitente agi posse non secus, ac

(1) Tractatus de Sacramento Poenitentiae - Appendix I. pag. 140. Vol. II. edit. 1876.

» cum habente reservatum, atque » ideo praetermissa culpa, in quam » Sacerdos non habet iurisdictio- » nem, subiici absolutioni posse » reliqua peccata; hoc autem pacto » etiam culpam illam indirecte re- » mitti. At enim ubinam et quando » ista culpa clavibus Ecclesiae de- » mum subiicietur? Fatendum est » itaque, gravissimas, quocumque » te denique verteris, difficultates » occurrere; nec facile, ut videtur, » quispiam ad aliquid in re tam » gravi definiendum proprio tantum » innixus iudicio progredietur.

» Duo tamen sunt quae satis per- » spicua videri possunt. Unum est, » Benedictum XIV, dum Confessario » criminis complici iurisdictionem » ad absolvendum ab eodem cri- » mine complicem abstulit, voluisse » quidem gravissimi scandali occa- » sionem removere, nequaquam au- » tem poenitenti viam reconciliatio- » nis a Christo Domino constitutam, » ac fidelibus omnibus impositam » praecludere; immo vero idcirco » Confessarium criminis complicem » ad huius reconciliationis ministe- » rium inhabilem effecisse, quo aptius » et certius haec alterius Sacerdotis » ministerio obtineretur; supposuis- » se id igitur, quod fere contingit, » (ac multo magis per eam aetatem » contingebat) alios non deesse Sa- » cerdotes, a quibus poenitens iuxta » legem a Christo constitutam pec- » cati sui remissionem per confes- » sionem et Sacramentalem absolu- » tionem quaereret. Quocirca haud » longissime forte a veritate ille » aberraverit, qui putet, de prae- » senti hypothesi utpote prorsus » extraordinaria frustra in illis Con- » stitutionibus definitionem requiri.

» Alterum est, Ecclesiae mentem » et praxim numquam hanc extitis- » se, ut quandocumque iurisdictio- » nem ad quaedam remittenda pec- » cata restringit seu aufert, eorum- » que absolutionem certis quibus- » dam reservat, committere per hoc » voluerit, ut posthabita Christi lege » de peccatorum venia per Sacra- » mentum poenitentiae quaerenda » et obtinenda, iustificationis gra- » tiam solum per contritionem aut » etiam solum per indirectam cri- » minum remissionem fideles con- » sequerentur. Utcumque enim haec » media ad gratiam reconciliationis » cum Deo, atque adeo ad aeternae » salutis consecutionem sufficientia » videantur, ac reipsa sint; Ecclesia » tamen oeconomiam a Christo prae- » stitutam, quantum in se est, ne- » gligi non permittit. Hinc illa Tri- » dentini Concilii *(Sess. 14. Cap. 7)* » sententia. *In Ecclesia Dei custo- » ditum semper fuit, ut nulla sit » reservatio in articulo mortis; at- » que ideo omnes Sacerdotes quos- » libet poenitentes a quibusvis pec- » catis et censuris absolvere possunt.*

» Neque vero existimandum est, » id ab Ecclesia pro mortis tantum- » modo articulo seu periculo cau- » tum fuisse. Ex eiusdem nimirum » Ecclesiae sensu, qui manifestis- » sime se nobis prodit in sacris Ca-

» nonibus et unanimi catholicarum » scholarum sententia, quoties contingat, ut quis *ad illum, a quo » alias de iure fuerat absolvendus, » nequeat propter legitimum impedimentum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio* » (C. Eos, qui 22 de Sent. Excom. » in VI) hic absolvi possit. Quod » idem in Cap. Ea noscitur 13 de » Sent. Excomm. et Cap. Quamvis » 58 eod. tit. constitutum reperimus.

» Porro iuxta scholarum catholicarum doctrinam id obtinet, » quando impedimentum adeundi » eum, qui facultate absolvendi pollet, ad longum tempus, quod a » *Sex* computatur mensibus, perseveret.

» Quid vero, quod catholicis, in » schismaticorum regione degentibus, si forte gravatos se peccatis » sentiant, nec satis consultum putent paci conscientiae per contritionem, Ecclesia non interdicit, » ut deficiente catholico Sacerdote » absolutionem sacramentalem a schismatico sacerdote requirant? Alienissimum igitur ab Ecclesiae mente » et consuetudine est, iurisdictionem » ad poenitentiae Sacramentum administrandum necessariam ita coarctare aut ligare, ut haec coarctata » seu ligata tum etiam maneat, » quando ad eos, qui illam ligatam » seu coarctatam non habent, peccatori nullus per diuturnum tempus ac multo magis per totius » vitae decursum aditus pateat.

» Diffitendum tamen non est, inter praesentem quaestionem et » generalem quaestionem de peccatis reservatis haud leve intercedere discrimen. Nam licet par » videatur utriusque casus conditio, » ubi in confitendi necessitate solus » consideratur alterius Confessarii » defectus, dispar tamen est ratio » incommodi, quod in praesenti ex » confessione *cum tali Sacerdote* » peragenda timeri potest.

» Cui quidem difficultati illud » unum responderi forte poterit, » metum incommodi, quod voluntarium dici queat, quia voluntatis » nostrae sit libere illud admittere » vel removere, efficere nec posse » nec debere, ut ea omittantur quae » necessaria videantur. Exinde ipse » quoque Benedictus XIV eiusmodi » incommodum non eo usque veritus est, ut Confessarium complicem ab excipienda complicis » confessione etiam, ubi necessitas » urgeret, arcendum putaret. Piae » matris Ecclesiae nimirum est, filiis » suis in iis adiunctis non subtrahere necessarium Sacramenti praesidium, ne si quis pereat, huius » perditio in matris potius incuriam » aut severitatem, quam in filiorum » proterviam refundatur.

» Sed et aliis quoque de causis » contingit, ut confessio Sacramentalis vel Sacerdoti ob alicuius poenitentis conditiones, vel poenitenti ob conditiones Sacerdotis » haud inanem alicuius incommodi » timorem ingerat. Ecquis tamen

» idcirco aut Sacerdotem a minis-
» sterio exhibendo, aut poenitentem
» a confessione peragenda abster-
» rendum dicat, ubi sacramenti sus-
» ceptio necessaria appareat? Quan-
» do scilicet sacramenti usum neces-
» sitas postulat, necessarium prae-
» sidium hinc quidem nullo modo
» est negandum, inde vero non ne-
» gligendum. Quo praesidio si quis
» abutatur, culpa ruinae in illius
» malitiam, qui bono uti bene no-
» luit, tota recidet. »

Hae vero duae postremae conclusiones praestantissimi theologi consonae undequaque tum rationi, tum religioni, tum menti et Ecclesiae praxi videntur, atque cum iis optime universa Benedicti legislatio circa absolventes complices conciliari potest et debet.

Quantumcumque enim eae Constitutiones prudentissimae severitati niti videantur, locum tamen indulgentiae pro animarum in peccatis sordescentium subsidio, dare videntur et dant. Nonne enim ipse Benedictus ad vitandum infamiae periculum, Sacerdoti complicem absolvere permittit? Si autem istud, ad solam vitandam infamiam, licet in catholicis regnis, ubi aliquis alius Confessarius suppetit, illicitum ne erit in regnis acatholicis, in locis Missionum, ubi Sacerdotes apparent veluti rari nantes in gurgite vasto, ubi fideles ter, bis, aut etiam fortasse semel in anno missam audiunt ob Sacerdotum penuriam; idque non solum ad vitandum infamiae periculum, quod facillime subesset, sed ad medendum conscientiae quae iam longo tempore peccatorum pondere oneratur?

Utique Benedicti lex est dura; sed quo leges severiores eo magis exceptionibus locum praebent; quaecumque autem sit lex, ea semper conciliari debet cum circumstantiis loci, temporis, personarum, cum Ecclesiae sensu, cum religionis instituto. Qua de causa si casus suppetit qualis a Ballerinio proponitur, posset, meo iudicio, Confessarius complicem absolvere.

Neque hic locum habere puto Gousseti effatum, quod saepe a rigidioris sententiae patronis recantatur, quodque tamen non semper veritati respondet, neque semper ad propositum probandum allegatur; scilicet: *Verum, si quis pudor maneat in Sacerdote qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor Sacramento debitus, numquam in posterum complicis confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis poenitentis facile subire potest. Avertendi igitur sunt fideles quoad fieri potest, ne umquam in posterum, secluso necessitatis casu, illum adeant confessarium, a quo semel sollicitati fuere* (1).

Quod quidem monitum fortasse ne et illum confessarium urgebit, qui miseranda fragilitate semel aut

(1) Apud Scavini Tract. X. De Sacramento Poenitentiae, disp. 1. Cap. IV. Art. III. Nota 2.

iterum lapsus, poenitentiae lacrymis peccata sua detersit, atque de cetero officio suo solerter satagere studet, idque forsitan ipsi poenitenti complici innotescit?

Etsi enim omnes norint, Sacerdotes Angelos esse, esse tamen Angelos lapsorum protoparentum carne indutos; qui proinde in peccata etiam turpissima labi possunt, et utinam numquam lapsi sint et labantur! Consequenter scandalum quod ex peccato acceperunt, illico, meo iudicio, cessabit, si complices post peccatum Confessarium videant sanctiori vitae operam dare.

In ipsa vero Confessione quosnam in complicis animo pietatis et contritionis sensus non excitabit vox confessarii clamantis: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, malum coram Domino perpetravimus, poenitentiam huius sceleris agamus; et ego quidem multo te gravius peccavi, et propter mei ordinis sanctitatem, et quod temet ad peccatum pertraxi?* Profecto haec et alia quae a Confessario sincere de admisso scelere compuncto dicantur, plus valitura fortasse erunt quam ea quae a Confessario non complici fore ut proferrentur. Quomodo enim poenitens mirari non poterit, et proinde compungi, dum viderit Confessarium, patrem, scilicet, doctorem Deique ipsius administrum se in crimen vocare, scelera admissa confiteri et detestari, ipsum quoque tum ab hoc, tum a reliquis peccatis deterrere, eique media opportuna suggerere, quibus ab iis de cetero caveat? Poterit ne de peccatis non dolere? Poterit non erubescere? Poterit de Confessario scandalum sumere? Neutiquam.

Qua de causa Gousseti monitum utique attendendum erit si agatur de Sacerdote qui poenitentiae sanctaeque conversationis indicia nulla praebeat, non autem de illo, quem constet ad Deum esse sincero animo reversum.

Atque hinc et Ballerinii sententiam omnino tenendam esse putarem, quando talis casus et tales circumstantiae contingant; abstinendum autem poenitenti suaderem ministerio Confessarii complicis, si ab eo sordidiora sibi forent timenda, si eum videat vitiis abreptum, si nullo bono nomine potiri, si, paucis, lupum oves diripientem atque mactantem, non pastorem pro eis animam ponentem, seque de cetero ad vitia pronum agnoscat.

Non enim eiusmodi poenitentem tali Confessario deterrerem, (semper in casu Balleriniano) si se divina gratia conversum sentiens, atque anteactis sordibus undequaque abhorrere, paratumque se potius mori quam in Deum suum iterum peccare, confidat, suggestionibus pessimi Confessarii se posse resistere, eique in faciem, ut ita dicam, stercus praevaricationum eius proicere; abesset enim *iis in circumstantiis* periculum novi lapsus, adesset autem ipsius Confessarii potens correctio; non erubescere enim de sua iniquitate non posset, cum videret

nitentem quandoque complicem suum sanctiore spiritu renovatum, se vero adhuc in sordibus volutari.

Nec quisquam me laxioris sententiae arguat: iis enim in angustiis atque necessitate quibus infelix poenitens versatur, ius ad Sacramentum reconciliationis habere diffitebitur nemo, Confessarium vero etsi peccatis indulgeat, etiam Sacramentorum administratione velle abuti, rem dubiam esse, idque poenitenti non innotescere; hunc insuper aut tali Confessario aut nemini toto fortasse vitae suae decursu posse peccata exponere in propatulo esse: quid ergo infelix poenitens erit acturus? Respondeant rigidioris sententiae patroni.

Regerere enim et usque ad nauseam repetere, Benedictum XIV tantummodo mortis articulum excepisse, legem esse clarissimam, manifestissimamque, legem non darê exceptioni locum, ideoque Ballerinii sententiam diris esse devovendam, est semper id unum respondere: poenitenti in casu articulum mortis esse expectandum, quo possit confiteri; haec vero neque Ecclesiae, neque Benedicti XIV, neque Pii Papae IX mens unquam fuit, aut esse potuit. Credite fratres.

Quaecumque autem sit lex contra absolventes complices lata, illud semper certum erit, sub lege non omnes casus comprehendi; legem dare exceptioni locum; legem subiacere necessitati, non e contra; mentem legislatoris ea semper clausula esse intelligendam, nisi aliud ratio et circumstantiae suadeant; de voluntate legislatoris in quibusdam casibus non costare, sive casus dari, quos si legislator praevidisset a lege excepisset etc. Casum vero Ballerinianum iis omnibus defendi nemo non videt. Concludendum igitur: *Legibus omissum quod est, non omittatur religione iudicantium.* L. Quamvis ff. de in ius voc.

Quod si ultra hac in controversia progredi velimus, eamque ex ipsa theologorum agendi ratione in aliis quaestionibus enucleare; Tridentini nonne lege cautum est, non habentes potestatem in casus reservatos, eos non posse absolvere nisi in mortis articulo, prorsus ut cautum est in Benedictinis Constitutionibus? « Veruntamen pie ad-
» modum, ne hac ipsa occasione
» aliquis pereat, in eadem Ecclesia
» Dei custoditum semper fuit, ut
» nulla sit reservatio in articulo
» mortis; atque ideo omnes sa-
» cerdotes quoslibet poenitentes
» a quibusvis peccatis et censuris
» absolvere possunt; extra *quem*
» *articulum* sacerdotes cum *nihil*
» *possint* in casibus reservatis, id
» unum poenitentibus persuadere
» nitantur, ut ad superiores et
» legitimos iudices pro beneficio
» absolutionis accedant ». Sess. XIV, cap. 7 de Poenitentia..

Et tamen quanta et quot casus non excipiunt theologi? Illum enim mortis articulum interpretantur et de militibus qui ad bellum profi-

ciscantur, et de iis qui longam navigationem suscipiant, et de iis qui gravi vel periculoso morbo correpti sint, et de mulieribus quae in difficili partu versentur, et de iis de quibus timetur ne in amentiam prolabantur, atque etiam de iis qui captivi apud infideles detineantur sine probabili spe aut libertatem recuperandi, aut ibi inveniendi Sacerdotem a quo possint absolvi.

Certum est autem, horum neminem in articulo mortis reperiri; et tamen a reservatis et censuris posset per simplicem sacerdotem absolvi: Quod si comparationem instituere velimus inter eos qui, nunc praesertim temporis, longae navigationi se committunt, vel apud infideles in captivitate nunc pariter temporis degunt, et inter mulierculam illam infelicissimam, de qua Ballerinius loquitur, quaero an non in aequali, ne dicam potiori difficultate haec alium inveniendi sacerdotem prae illis versetur? Si ergo illos absolvere licet, quare complici hanc absolvere non licebit?

Hisce tamen non obstantibus, Confessarius modis omnibus tenetur sibi consulere, et facultates opportunas saltem ad cautelam, sibi comparare; etiamsi enim in casu quo versatur, absolutionem complici impertiri possit, tamen id potest ex circumstantia particulari quae exceptionem constituit; lex autem in quantum possibile est, observari debet; hinc ipse quam cito aut ad Episcopum loci, aut ad Romanum Pontificem se convertat, quo deinceps iuxta legem absolutionem complici conferre in Domino valeat.

Sed et illud addo, Gousseti effatum neque ad rem allegari. Imprimis enim vir clarissimus et ipse excludit necessitatis casum, *secluso necessitatis casu;* deinde *periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis* timet non in una vel altera Confessione, sed *in directione talis poenitentis;* directio autem supponit continuationem confessionum; tertio affirmat, avertendos esse fideles ab illo confessario, *a quo semel sollicitati fuere;* numquid in actu Sacramentalis confessionis? In casu vero nostro non agitur de confessario sollicitante, sed de complicem absolvente; quod non supponit necessario lapsum ob sollicitationem in actu vel occasione Confessionis; demum Goussetus loqui videtur de iis locis ubi adest confessariorum copia; a quibus enim, secus, averterentur fideles ne illum adeant confessarium?

Verum de hac quaestione satis; sunt enim aliae quaedam circa complicum absolutiones enucleandae, de quibus tamen breviter.

Et 1. Quid dicendum de absolutione illius Confessarii, qui complicem quidem agnoscit, ab eo autem non agnoscitur?

Eiusmodi absolutionem invalidam esse, et Confessarium, si eam impertierit, maiorem quoque excommunicationem incurrere, apertissima

Benedicti XIV verba suadent; affirmat enim, nonnisi in casu *extremae necessitatis* confessariorum eiusmodi absolutionem validam esse; hic vero nullam apparere absolvendi necessitatem ; addit insuper, se illi auferre quamcumque auctoritatem et iurisdictionem *ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam ;* quod correlativum *qualemcumque* etsi fortasse indigitet personam cuiuscumque gradus, nobilitatis etc. indigitare etiam potest personam in quocumque statu subiectivo versetur; demum ex Benedicti constitutionibus certum est, Confessarium complicem carere facultate absolvendi sui complicis peccatum; hic autem est vere et proprie complex peccati.

2. Quid de absolutione Confessarii qui peccatum cum complice ante ordinationem commisit ; illud vero hic nunc primum confitetur ?

Et hanc absolutionem invalidam esse, et Confessarium excommunicationem incurrere respondendum est. Benedictus enim dum affirmavit se Confessariis complicibus quamlibet in peccatum turpe complicis jurisdictionem et potestatem auferre, Confessariorum nomine non intellexit eos qui confessarii essent dum peccato se commaculârunt; ex quo deduci posset, quod cum ex. gr. Titius dum peccatum commisit nedum non esset Confessarius, sed nec sacerdos, prohibitione Benedicti non obstringitur, sed eos qui Confessarii sunt dum peccatum absolvunt.

3. Quid de Confessario absolvente peccatum turpe complicis iam ab alio rite absolutum, quodque tamen vel cum aliis peccatis , vel solum, iterum clavium potestati subiicit ?

Circa eiusmodi absolutionis valorem theologos discrepare reperio, neque in rationibus adducendis concordes.

Scavinius ex. gr. absolutionem valere putat, quod *cesset omnino in hoc casu indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur iurisdictionem Confessario abstulisse.* Tract. X. Disp. 1. Cap. II. Art. III. Q. 3. quae ratio valet tam pro poenitente qui iterum Confessario complici peccatum turpe complicitatis cum aliis peccatis , quam pro illo qui solum complicitatis peccatum confitetur.

Alii e contra putant, in eiusmodi peccatum licet aliunde absolutum , numquam ferri posse absolutionem Confessarii complicis, sive cum aliis peccatis, sive solum- iterum poenitentiae clavibus subiiciatur.

Atque si solum illud iterum complex confiteatur, absolutionem inde habitam nullam omnino esse aperte contendit cl. Ballerinius scribens , loc. cit. pag. 539 Nota a) *rem eo redire ac si quis solum peccatum reservatum confiteatur non habenti facultatem in reservata , de quo dictum est absolvi non posse, quia sic nulla adest Sacramenti apta materia.*

Si vero alia quoque peccata con-

fiteatur, perinde erit, ac si quis reservata simul et non reservata afferat, quando scilicet materia partim apta proponitur, partim inepta; tunc autem utique poenitens absolvi potest.... verum absolutio tum ex rei natura, tum ex mente absolventis in solam materiam aptam cadit.... In casu praesenti.... nihil opus est ut peccatum illud iam remissum clavibus iterum subiiciatur; ac propterea accusatio eius ceu quid mere Confessioni impertinens accidit.

Ex qua Cl. Ballerinii ratiocinatione illud concludendum esse videtur, absolutionem numquam cadere in peccatum complicitatis licet alias rite absolutum, atque complicem ea tantum ratione absolvi a Confessario posse, quod cum peccatum complicitatis sit quid mere Confessioni impertinens, in illud veluti in materiam Sacramenti non aptam absolutio non cadat.

Balleriniana igitur sententia, si rite perpendatur, recidit in sententiam eorum, qui decertant, peccatum complicitatis a Confessario complice numquam directe absolvi posse.

Ut veritatem dicam, anceps haesi cui sententiae adhaererem; at perpensis, pro ingenii mei mediocritate, utriusque partis rationibus, iisque cum lege collatis, vera mihi illorum sententia visa est, qui propugnant, Confessarium numquam posse directe absolvere complicitatis peccatum.

Revera Benedictus XIV Confessariis in peccatum complicis omnem potestatem abstulit: *sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam.* Lex vero est generalis, nil distinguens, limitans nihil; atque de cetero peccatum complicis, dum illud clavibus subiicitur est semper peccatum complicis, sive illud ab alio fuerit rite absolutum, sive non. 2. Ideo Benedictus prohibuit quominus peccatum turpe a Sacerdote complice absolveretur, ne mala, scandala, pericula iterum in peccata relabendi, et irreverentiae Sacramento poenitentiae irrogarentur. At nonne haec contingere possunt et renovari sive peccatum fuerit ab alio absolutum sive non? Ipsa peccati confessio, non aliud quidquam, pericula renovat. Neque in huiusmodi poenitente qui sine ulla necessitate peccata sua iterum Confessario complici, quem fugere debet, et quem scit esse fugiendum, (Poenitentes enim postquam Confessariorum suorum malitiam et improbitatem experti sunt, nullam in posterum existimationem habent) exponit, et sine ulla prorsus necessitate etiam complicitatis peccatum, dispositiones necessarias ad rite Sacramentum percipiendum (praesertim si mulier sit) tam facile admitterem; non enim in casu locum habet ratio pudoris et verecundiae, cum peccatum ab alio iam absolutum supponatur; et potius putarem malitia quadam ad illud iterum

Confessario complici (nisi tamen id fiat post plurimum temporis intervallum, in confessione quadam generali, post perspectam Confessarii ad Deum conversionem) confitendum induci, quam ratione virtutis et poenitentiae.

Non satis igitur Sacramenti honori et animarum periculis Benedictus XIV consuluisset, si Confessario permisisset audire et absolvere peccatum complicis licet aliunde rite absolutum.

Neque de cetero rationes pro contraria sententia decertantium solidiores videntur: Scavinius dicit, ideo validam censeri deberi absolutionem in casu, quod cesset omnino indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur iurisdictionem Confessario abstulisse.

Sed pace tanti viri; cuiusnam indispositionis suspicio cessat? Poenitentis? et quonam id probat argumento? Quod ne alii Confessario peccatum illud exposuerit? Sed quid, si id fecerit, quod sciret a Confessario complice illud absolvi non posse, et non alia de causa sanctiori? Quid, si ab ipso complice ad alium confessarium missus fuerit, ut ipse excommunicationis periculum evadere possit, et fortasse sollicitationis, et si neutiquam castus, ne compellatur poenitentem turpissimo peccato deterrere? Atque hisce omnibus posthabitis, profecto non video cessare indispositiones in illo complice, qui vix obtenta ab alio confessario peccati absolutione, iterum ad Confessarium complicem revertitur; peiora potius mala timeo; factum enim huiusmodi nescio an aliquod conversionis indicium praebeat; certissimum autem obdurationis in malo, saltem aliquando. Et expertus loquor.

Certum est autem, absolutionem quam ab alio Confessario poenitens habuit, relate ad Confessarium complicem nil dicere, aut ad summum eum excommunicationis poenam velle evitare, non autem a peccato cessare.

Velle autem absolute affirmare, Benedictum XIV ob unicam hanc indispositionis suspicionem inductum fuisse ad privandum Confessarium auctoritate in peccatum complicis, nescio an undequaque verum sit; ni fallor enim, verba Benedicti aliquid gravius, quam suspicionem indispositionis, dicunt. Occasio furem constituit, inquit proverbium quoddam italicum: (L'occassione fa l'uomo ladro) quamvis ille non sit fur, neque ad furandum dispositus.

Quid insuper? Si valeret eiusmodi ratio pro poenitente qui a peccato iam fuerat ab alio absolutus; valeret etiam pro illo poenitente, qui oblitus peccati complicitatis, dum alii confessario actus suos confiteretur, ab eo tamen fuit indirecte absolutus; etenim et in isto cessare dicenda est indispositionis suspicio. At id nemo dixerit.

Quin et illud addam, suspicionem indispositionis esse non posse rationem, qua eiusmodi quaestio sit dirimenda. Si enim illa ratio vale-

ret, valeret etiam ratio contraria, id est dispositionis necessariae quae in poenitente requiritur, certitudo. Atqui si certitudo dispositionis necessariae dat poenitenti ius ad absolutionem peccati complicitatis, dato quod Poenitens habeat dispositiones necessarias, poterit de peccato ab ipso confessario complice directe absolvi. Ratio enim, qua Confessarius prohibebatur complicem absolvere, omnino cessavit. At *cessante ratione legis, cessat lex.* L. *Quod dictum ff. d. pactis.* Ratio igitur a cl. Scavinio adducta, ni fallor, undequaque nutat, et auctoritate tantum extrinseca defendi posse videtur.

Verum quominus huic argumento Lectores omnimodis acquiescant, impedit contraria sententia, quae a non spernendae notae theologis defenditur, et intrinsecis rationibus solidius innititur; manifestum autem est, sententiam tum intrinseca tum extrinseca auctoritate gaudentem pluris faciendam illa esse, quae tantum extrinseca fruitur (1).

(1) Inter illos qui pro contraria sententia decertant allegatur etiam Roncaglia. *Universa Moralis Theologia Tract. XIX. Cap. III. De Sacramento Poenitentiae. Regulae in praxi observandae Reg. V.* At, ni opinio me fallit, immerito. Imprimis enim Roncaglia nullimode loquitur de Benedicti XIV Constitutionibus, sed de prohibitione quadam synodali suae Dioecesis, quae ita apud ipsum legitur; *Confessarii socium criminis, et a peccato, in quo ipse participans seu cooperans fuit, numquam absolvant, in his enim casibus illos omni facultate privamus.* 2. Eiusmodi prohibitione nedum peccatum contra sextum Decalogi praeceptum sed etiam alia peccata graviora comprehendebantur *in delictis gravioribus, quae solent cum socio patrari, puta in furto, homicidio etc.* secus ac statutum sit in relatis Benedicti XIV Constitutionibus. 3. Affirmat eiusmodi peccata posse a confessario complice absolvi tantummodo indirecte: *si quis iam absolutus fuerit ab alio confessario quoad crimen commissum, potest iterum idem peccatum exponere Confessario, qui fuit socius vel particeps in eodem crimine, etenim cum iam directe fuerit absolutum, non obstat non esse in illo confessario potestatem illud absolvendi, nisi indirecte.* 4. Addit demum: Illud advertant confessarii, in ordine ad eos, in quorum peccato fuerunt socii, cooperatores, seu participes, taliter se habere, ac si non fuissent approbati: « unde in synodo » dicitur quod illas *numquam absolvant*, sicut nec peccatum, in quo fuerint socii etc: adeo- » que talis confessarius nullam habet auctoritatem et circa crimen complicitatis et circa » personam complicis. Ita etiam suadet ratio talis prohibitionis, ideo enim prohibentur con- » fessarii ab absolvendo socio crimi nis, tum quia timeri potest deesse in poenitente sin- » cerum dolorem, dum peccatum confitetur Confessario, quem in eodem habuit socium vel » cooperatorem, tum quia si refricetur memoria de peccato cum illo commisso, maxime si » sit in genere luxuriae, periculum adesse potest in lethalem complacentiam labendi; » tum quia indecens est iudicem esse peccati illum, qui in eo fuit cooperator. Haec » autem suadent omnino auferri potestatem a Confessario in ordine ad totam illam con- » fessionem, in qua explicandum est peccatum, cuius fuit socius etc. » Fortasse ex hisce postremis verbis *in ordine ad totam illam confessionem, in qua explicandum est;* putarunt aliqui Roncallium validam statuisse etiam absolutionem directam peccati complicis ab alio confessario absoluti. At falso, nam superius Roncallius ipse dicit, id fieri non posse *nisi indirecte;* et de absolutione directa numquam loquitur. Ut autem liberius loquar, rationes a cl. viro adductae mihi videntur vel nihil probare, vel probare etiam peccatum complicis absolvi non posse neque indirecte: Etenim pericula illa quae timet, locum habere possunt tam in prima peccati confessione, quam in secunda; ea autem quae subdit: *in ordine ad totam*

Haec autem spero lectores facilius admissuros. Huic tamen affinis alia est quaestio, de qua nescio quodnam sint prolaturi iudicium; quid scilicet sentiendum sit de valore absolutionis circa alia peccata, quae una cum complicitatis peccato poenitens Sacerdoti complici confiteatur. Sententiam meam sincero animo exponam, et tanti fiat quanti valet. Dico igitur, eiusmodi absolutionem nullam esse. Et en rationes quibus nitor.

1. Certum omnino est, Benedictum XIV Confessario in peccatum complicis quamlibet auctoritatem abstulisse, ita ut statuerit eius absolutionem nullam atque irritam esse omnino; excommunicatione insuper Confessarium mulctasse qui complicem suum audire et absolvere ausus esset. Lex haec est absoluta, clara, aperta, nullisque ambagibus obnoxia.

Ut igitur dicatur valida absolutio complicis quoad alia peccata quae una cum peccato complicitatis iterum confitetur, oportet aliquo modo dignoscere legislatorem prima tantum vice, non ceteris illam potestatem Confessario abstulisse. Id autem non aliunde dignosci posse arbitror, quam vel ex lege ipsa, ex qua aliquid huiusmodi deprehendatur, vel ex alia aliqua sanctione a legislatore circa rem profecta, vel ex eius mente utcumque manifestata, vel ex aliis legibus, qubus lata in casu lex contradicat, et cum quibus conciliari oporteat. At in facto nihil horum haberi res est manifesta.

Et quoad legem. Per Constitutionem Sacramentum Poenitentiae Confessarius *quacumque auctoritate ac iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam privatus existit, ita ut absolutio, si quam impertierit nulla atque irrita omnino sit.* Id autem ita firmiter atque absolute, *ut nec in vim cuiusque Iubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur cruciatae sanctae, aut etiam cuiuslibet Instituti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in eiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione careat, et absolvendi facultate privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo et approbato.*

Benedictus XIV igitur qualibet potestate privat Confessarium complicem in *eiusmodi peccati et poenitentis genere.* Negari autem non potest, peccatum complicitatis contra sextum licet alias confessum, esse idipsum peccatum quod iterum

illam confessionem in qua explicandum est etc. mihi in animo ingerunt, non cogitasse doctissimum virum, eo temporis momento quo scribebat, pauca admodum explicanda esse Confessario complici de peccato complicitatis; hoc enim novit ipse ut poenitens; ideoque circa eiusmodi peccatum, sive in prima sive in secunda confessione eadem brevitatis ratio servanda esset, *ne si refricetur memoria etc.*

poenitentiae clavibus subiicitur, atque poenitentem esse illam ipsam identicam personam, quae cum Confessario peccavit.

Cum igitur absolutio nulla atque irrita declaretur in universum, idque nedum ex verbis legis, sed et sententia probatissimorum auctorum, patere arbitror, nullam atque irritam eam esse, licet peccatum complicitatis aliunde fuerit absolutum; Benedictus enim duo expresse coniungit, *peccatum* et *poenitentis genus*, quae duo semper et in omni casu verificantur si poenitens confessario complici peccatum complicitatis accuset.

Si autem latarum Constitutionum finis attendatur nonne ad eamdem conclusionem luculentius deveniemus? Finis enim est, ut iterum verba legis producam, *a sacerdotali iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, Sacramentorum contemptum, Ecclesiae iniuriam longe submovere, tam exitiosa huiusmodi mala* (non hodie vel cras, non primum vel secundo, sed *prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Daemonis potius quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt.*

Quaero autem, an iterum confessario complici turpe peccatum subiicere non sit dare occasionem novae turpitudini, quam prorsus eliminare a sacri tribunalis sanctitate vult Benedictus? quaero, an non sit Confessarium exponere mortali complacentiae, poenitentem seductionis novo periculo, iisque omnibus quae Benedictus cavenda prorsus ideoque semper decernit? Nemo id negaverit, vel ille tantum qui inficiari velit tum Confessarium, tum poenitentem esse Adae filios, qui insuper propriam fragilitatem reapse sunt experti. Ergo si magnus Benedictus facultatem Confessario complici fecisset peccatum complicis aliquando audiendi et absolvendi, non admodum sacramenti sanctitati et animarum periculis consuluisset, cum altera vice eadem renovari possent. At, si haec dicantur, ad quid tantus verborum apparatus, ad quid tanta ostensio zeli? ad quid illud *prorsus eliminare?* Eliminasset hodie, non cras, praesertim si agatur de poenitentibus et confessariis, qui sanctitati non admodum studere satagunt.

Nec quisquem dicat, quod si ita res se habeat, sequeretur poenitentem Confessario complici in aeternum esse prohibendum, cum ipsa confessionis occassione possent pericula renovari; nam huic responderem non ita rem se habere; cum Confessarius et etiam poenitens occassione destituantur opportuna sermonis inchoandi, et aliquid dicendi quod proprium peccatum respiciat; difficillime autem Confessarium se

ad inopportunam interrogationem de peccato habito conferre, ne sollicitationis aliquando accusari possit, et si ad saniorem mentem reversus sit, ne scandala et pericula renovet.

In hac itaque altera complicitatis peccati confessione finis a Benedicto XIV intentus integer omnino manet, ratio legis integra omnino servatur; at *manente ratione legis, manet ipsa lex.*

Qua de causa optime mihi ratiocinari videtur auctor tractatus casuum reservatorum in Dioecesi Gandavensi dum scripsit pag. 84: « Observa, quod nequidem Confes» sarius suum complicem absolvere » possit, dum complex peccatum il» lud, solum tamquam materiam li» beram, iterum in confessione expo» nit; generatim enim adempta est » iurisdictio pro simili peccato; et » deinde inspiciendo finem, ob quem » illa potestatis restrictio facta est, » qui est ad cavendum novum pe» riculum, praesertim sollicitationis, » tam bene periculum hoc adesse » potest, dum subiicitur peccatum » clavibus, tanquam materia libera, » quam dum subiicitur tanquam ma» teria necessaria; in iis autem quae » sunt ad cautelam, si dubium sub» sit, practice pars tutior est eli» genda; et consequenter in casu » non posset confessarius compli» cem absolvere. »

Neque minus me praestantissimorum theologorum opinio movet, qua defenditur, a Confessario complice numquam *directe* absolvi posse complicitatis peccatum, licet aliunde rite confessum et absolutum. Ex quo concludere licitum erit, peccatum illud semper esse sacerdoti complici reservatum; at si peccatum complicitatis Confessarius numquam absolvere potest, quomodo valida putanda erit ceterorum peccatorum absolutio, quando Benedictus XIV nullam aque irritam universam illam absolutionem declaravit, in qua potestati clavium peccatum complicitatis subiicitur?

Dicet quis, id de prima vice esse intelligendum? Sed in qua Constitutionum Benedicti parte ista limitatio deprehenditur? Et quare, si eiusmodi limitatio si admittenda, non potest a complice *directe* absolvi ipsum complicitatis peccatum ab alio iam absolutum? Si enim Benedictus de prima tantum absolutione loquitur, nulla ratio aderit quare idipsum peccatum a confessario complice non possit post primam absolutionem aliunde habitam directe absolvi. Dicet fortasse, hanc alteram absolutionem numquam vocari posse directam, quod ab alio peccatum illud iam fuerit absolutum, et poenitentiae clavibus iterum subiiciatur tanquam materia libera, et sufficiens, non autem necessaria? Sed quis unquam docuit, idem peccatum non posse altera vice directe absolvi? Nonne si dubitetur an materia confessioni subiecta sit sufficiens, vel poenitens sine absolutione dimittitur, vel adi-

gitur ad confitendum aliquod aliud peccatum licet centies fortasse confessum et absolutum, in quod proinde feratur ipsa absolutio, ut habeatur materia certa et apta Sacramenti? Ex lege itaque a Benedicto XIV lata circa praesentem quaestionem nihil omnino deprehenditur, validam esse eiusmodi absolutionem.

At certissimum est, nullam aliam sanctionem ab eo profectam esse, qua hoc caput declaravit, et nunquam mentem sua manifestasse qua mitiori sensu accipiendum esse praescripserit. Quin imo, si verum est, Benedictum XIV, olim interrogatum ab Episcopo Brugnatensi, an sacerdos posset complicem de peccato turpi iam ab alio absolutum absolvere, respondisse, complicem a sacerdote complice absolvi non posse, etiamsi centies ab alio absolutus fuisset, si inquam, id verum est, verbalem utique sanctionem habemus, qua contraria sententia expungitur, illaque, quam defendimus, confirmari. Quaenam vero sunt aliae leges, quibus haec sententia contradicit, et cum quibus proinde conciliari oportet? Ignorantiam meam profiteor, nullas agnosco.

Quod enim responderi forte poterit, peccatum complicitatis iam aliunde absolutum esse materiam neptam, et quid mere confessioni impertinens, et absolutionem tum ex rei natura tum ex mente absolventis in solam materiam aptam cadere, ut affirmat doctissimus Ballerinius, est respondere, absolutionem numquam cadere posse in peccatum complicitatis neque directe neque indirecte. Cuius ratio alia esse non potest, quam quod si in complicitatis peccatum absolutio quomodolibet caderet, universa absolutio foret invalida. Sin minus enim ad quid restrictio illa mentalis absolvendi cetera peccata, excluso peccato complicitatis? Nonne enim in eiusmodi absolutione peccatum complicitatis tum ex rei natura tum ex intentione absolventis excipitur, et minime absolvitur? Istud vero qua de causa, nisi quia complicis absolutio omnino prohibetur? atqui tamen absolutio complici collata ex lata lege nulla atque irrita est in universum.

Dices ne cum Roncallio, quod cum peccatum illud iam directe fuerit absolutum, non obstat esse in illo confessario potestatem illud absolvendi nisi indirecte? Verum iam animadversum est, Roncallium de Benedicti Constitutionibus non loqui, sed de lege Synodali suae Dioecesis; ratio proinde adducta expendenda est ad tramites latarum Constitutionum; cum autem in illis interdicatur absolutio peccati complicitatis, indeterminate, absolute, et quidem ad eum finem, qui ibi exponitur et ad eliminanda ea animarum pericula quae ibi cavenda prorsus praecipiuntur, quae tamen in altera peccati illius accusatione renovari possent, ut compertum est, nihil omnino Roncallii ratio valet.

Fortasse ne Benedictus distinxit absolutionem directam inter et indirectam? Fortasse ne apparet invalidam statuisse primam non ceteras absolutiones? locutum esse de prima tantum accusatione et non de reliquis? Quin e contra ex verborum sensu et ex fine latae legis omnino deprehenditur, de peccato complicitatis inter confessarium et doenitentem agi nec debere nec posse.

Dices: peccatum complicitatis fuisse per directam absolutionem aliunde habitam omnino sublatum, illud que amplius non existere, Lege vero prohiberi absolutionem peccati existentis?

Quare ergo theologl praestantissimi putant, illud peccatum numquam posse directe absolvi etsi aliunde fuerit absolutum? Dicendi ne sunt hi sine ratione loqui? Dato autem quod peccatum illud amplius non existat, nonne dum iterum poenitentiae subiicitur, *tanquam peccatum subiicitur*, ex cujus confessione ea mala renovari possunt quae lege cavenda prorsus praecipiuntur? tanquam peccatum neutiquam a complice absolvendum? *In ejusmodi peccati et penitentis genere* inquit Benedictus.

Quid ergo agendum Confessario, ad cuius pedes complex provolvitur?

Confessarius de more interroget complicem de postremae confessionis tempore et de absolutione, et si ex responsione noverit, post peccatum confessionem apud alium confessarium peregisse, atque absolutionem reportasse illum audiat; sin minus advertat ut alii Sacerdoti peccata sua accuset; si poenitens obedire renuat, Ecclesiae legem de non absolvendo complice, de nullitate absolutionis, et de excommunicationis poena ipso facto incurrendae aperiat, et dimittat. Huius sapientissimae legis cognitio Ecclesiae et Romanis Pontificibus summam animi venerationem conciliat, a relapsu poenitentem praeservat, horrorem insuper de admisso peccato cordi ingerit. Decursu vero confessionis vix confessarius advertit, (et in hoc attente vigilare debet) poenitentem etiam peccatum complicitatis iterum accusare velle, illico silentium imponat, dicatque de eiusmodi peccato sermonem inter se haberi non posse: quod si respondeat poenitens, vel illius fuisse in postrema confessione oblitum, vel rubore victum studio praetermississe, ei suggerat quod supra dictum est, et dimittat.

Verum hoc in facto, praesertim in parvis oppidis, ubi duo sunt tantummodo Sacerdotes, neque admodum amicitia coniuncti, timor subrepere posset Confessario complici apud alium Confessarium dedecus incurrendi, si ad eum complicem suum remittat, praesertim si puella sit, et alterius Confessarii consanguinea; haec insuper omnino nolit Confessario illi peccatum suum confiteri. Quid agendum in casu?

De timore dedecoris apud alium confessarum incurrendi nullimode Confessarius complex sollicitus esse debet, caveatque ob timorem eiusmodi absolutionem complici impertire; etenim in Constitutionibus relatis eiusmodi timor fuit praevisus, cum praescribant complicem etiam in mortis articulo a Confessario complice absolvi non posse si adsit alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones; de cetero vano timore angeretur, cum sigillo Sacramentali quaelibet infamia tegatur.

Si autem puella sit alterius Confessarii consanguinea, Sacramentis frequenter assueta, quae insuper ultra oppidum egredi non possit ut peccata sua extraneo confiteatur, ad oppidum vero Confessarii raro accedant, eaque nullis suasionibus moveri possit ad Confessarium consanguineum adeundum; ni a Confessario complice absolvatur haec duo certissime sunt timenda; vel puella Sacramenta sacrilege recepturam, vel si plurimo tempore sacramentis abstineat suspicionem maximam de peccato cum Confessario habito ingessuram parentibus praesertim, et infamiam tum sibi tum Confessario comparaturam. His positis, Benedictus XIV facultatem Confessario complici fecit in mortis articulo complicem absolvendi, si secus infamia et scandalum vitari non possit; periculum igitur infamiae fuit potissima et unica ratio quae sapientissimum Pontificem induxit ad temperandum legis rigorem. Neque dicamus id esse sancitum tantummodo pro mortis articulo, nam et in hoc puncto magnus Benedictus non respexit ad salutem aeternam morientis, quam absolute consequi potuisset per absolutionem alterius Sacerdotis, sed ad infamiam quam Confessarius complex certo certius incurrit, ni confessionem morientis ipsemet audiat et absolvat. Apertissima sunt eius verba: « Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem proinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. »

Benedictus igitur fidelium scandalum et Sacerdotis infamiam vult omnino eliminare; ergo si aliquo in casu eiusmodi ratio evidentissime habeatur, arbitror non agere contra legem Sacerdotem qui complicem suum absolvat; at omnino evidens puto, in casu proposito infamiam et scandala vitari non posse nisi per continua sacrilegia quae infelix puella comittat.

Confessarius igitur curet imprimis alium modis omnibus accire in oppi-

dum confessarium, cui puella peccata sua confiteatur; quod si haberi non possit, eam serio ut consanguineum adeat adhortetur; legem de non absolvendo complice aperiat, bis vel ter sine absolutione dimittat, atque interea facultates opportunas quaerat illam absolvendi. Quod si ad has obtinendas diuturnum tempus sit necessarium, et puella timorem atque ruborem consanguineo sese aperiendi vincere nequeat, ideoque sacrilege ad Confessionem semper accedat, puto eam posse a peccato complicitatis indirecte absolvere, ea tamen conditione ut ei onus imponat subiiciendi alii Confessario illud peccatum vix occasio opportuna sese exhibuerit, quo directam absolutionem referat. Aliter enim non video quomodo vel sacrilegia, vel infamia tum confessarii tum poenitentis possint evitari. Paucis; pro hoc casu militant plus munus omnes eae rationes quae pro casu militant a cl. Ballarinio supra proposito, atque iisdem criteriis est resolvendus.

Exinde vero Confessarii serio considerent in quantis angustiis sese et poenitentes suos coniiciant ob eiusmodi peccata, et caveant, summopere caveant.

Non puto tamen iisdem cautelis et anxietatibus esse Confessario agendum si dubitet, an qui confitetur sit suus complex; quandoquidem, dubio perseverante, absolvere eiusmodi poenitentem licere, multa suadent. Et 1. Suadent verba legis, quae prohibet absolutionem complicis in sensu vero et proprio, qui scilicet uti talis a Confessario certe cognoscatur; at poenitens, de cuius complicitate dubitatur, non potest dici complex in sensu vero et proprio, non est enim certus.

2. Suadet natura ipsius legis quae est poenalis; poena vero non incurritur nisi ob crimen certum; at peccatum commissum cum eo de cuius complicitate dubitatur, non est certum relate ad legem, qua prohibetur absolutio peccati ab ipso confessario cum suo poenitente commissi, ideoque non afficit peccatum tantummodo, sed peccatum una cum persona.

3. Suadet finis legis, qui est removere scandala, periculum seductionis, irreverentia Sacramenti etc. quae omnia absunt in casu, ut patet. Ob haec, inquam, Sacerdos poterit absolvere poenitentem, de quo dubitat an sit suus in peccato turpi complex, non autem vel quod sit durum, imo durissimum, Sacerdotem adigere ad se prodendum et turpitudinem suam manifestandam cum ingenti honoris iactura; cum enim Confessarius sit iudex qui non tenetur de negata absolutione rationem reddere poenitenti, posset, quin ullimode manifestet, poenitentem sine absolutione dimittere, et legem observare; atque de cetero si eiusmodi ratio valeret in praesenti casu valeret etiam in casu quo Confessarius agnoscat quidem suum complicem, ab eo autem non

cognoscatur; nonne enim etiam hoc in facto durissimum esset Sacerdotem adigere ad se prodendum!

Neque quis instauret difficultatem opponendo, eiusmodi Sacerdotem absolvere cum potestate dubia atque denegari in casu facultatem absolvendi non in poenam delicti, sed ad cautelam; quando autem agitur de iis, quae ad cautelam deserviunt, casus dubii non sunt excludendi. Nam quoad 1. potestas certa, qualis est potestas absolvendi peccata legitime collata, Sacerdoti non amittitur nisi per crimen certum; si enim certa potestas posset per dubium crimen impediri, posset innocens aliquando poena mulctari. Fac enim quod poenitens de quo dubitatur, non sit reapse complex, nonne poena irrogaretur tum Confessario, tum poenitenti, si ob eiusmodi rationem, dubio perseverante, hic sine absolutione dimittatur? *In dubio non praesumitur delictum. L. Marito ff. pro seq.* ideoque nec poena irroganda.

Quoad rationem vero desumptam ex cautela, ea refunditur in finem quem sibi in lege ferenda legislator praestituit. Atqui finis apprime in casu servatur; Sacerdos enim certe cavebit se prodere, et turpitudinem suam manifestare, dato etiam quod per opportunas interrogationes tandem detegat poenitentem esse reapse suum complicem.

Confessarius igitur qui *per aptas atque prudentissimas interrogationes,* quas instituere debet ad veritatem assequendam, detegere nequivit an reapse poenitens sit suus complex, tuto illum absolvat. Ipse enim hoc in facto agit partes actoris contra se; *at actore non probante reus absolvitur.* L. Extat 25 ff. de iur. fidei. Dubio autem perseverante, crimen nullimode probatum dicendum est.

At lex diserte excipit mortis articulum, quo confessarius complex potest complicem audire et absolvere, si tamen deficiat quicumque alius sacerdos, qui confessarii munus obire possit.

Duo ergo sunt necessaria, et ut poenitens complex in mortis articulo sit constitutus, et ut desit alius quicumque sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, qui eius confessionem possit excipere.

Iam vero articulus mortis dicitur quando mors proxime morali certitudine instat; periculum autem quando sub dubio et timore probabili expectatur.

Quid igitur? Articulus mortis, de quo in nostra Constitutione, comprehendit ne etiam mortis periculum?

Respondendum est affirmative. Non enim censenda est pia Mater Ecclesia discrimini voluisse aeternam filiorum suorum salutem committere; at profecto commisisset si tantum in mortis articulo huiusmodi poenitentes permisisset absolvere; quis enim praevidere potest, praesertim in nonnullis morbis, quantum mors distet? Aliquando

a periculo ad articulum, ipsamque mortem repente fit transitus; aliquando ab articulo ad sanitatem; incerta hinc cum valde sit morborum varietas, possent sine absolutione ad tribunal Dei poenitentes sistere et in aeternum perire.

His adde quod incredibili anxietate angerentur Confessarii qui in similibus casibus reperirentur; nescirent enim, ut plerumque nesciunt etiam artis medicae periti, an infirmus versetur in periculo vel in articulo mortis; ideoque an in illo infirmitatis statu possit, nec ne absolvi etc. quae omnia aliena sunt omnimodis a sensu et Ecclesiae pietate. Confessarius hinc in similibus casibus vel Medici iudicio, vel propriae experientiae acquiescat, et si viderit infirmo mortis periculum imminere vel imminere iudicet, neque alius adsit sacerdos, tuto complicem audiat et absolvat; tuto, inquam, antequam maior morbi vis superveniat; quo enim maior vis morbi, eo difficilius confessio bona instituitur, cum infirmo vel mens, vel animus, vel vires corporis deficiant, ut experientia constat.

De cetero etiam in relato testimonio Tridentini Patres de articulo mortis loquuntur, et tamen theologi ad periculum aptant, ut ceteris praetermissis, videre est apud S. Ligorium *Theologia Moralis*. Tract. IV. Cap. II. n° 558 §. II.

Qui vero in periculo mortis etiam in praesenti quaestione versari censeantur supra dictum est.

Sed ut absolutio a Sacerdote complice in mortis articulo collata valida censenda sit, deesse debet alius quicumque sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, qui illum audire et absolvere valeat. Hinc plurima quaestionum capita.

Et 1. quid si adsit quidem alius sacerdos, sed sit vel suspensus, vel excommunicatus?

Huic quaestioni ut fiat satis, sunt tria probe consideranda; primo quidem nomine sacerdotis non adprobati ad confessiones in comuni usu loquendi illum venire, cui facultas excipiendi fidelium confessiones nondum collata fuit, non autem eum qui ob admissa scelera fuerit ea privatus, vel illum cui nequeat conferri; secundo hanc legem esse odiosam, ideoque stricte interpretandam; tertio demum, Benedictum per eiusmodi absolutionem collatam a Sacerdote licet ad confessiones non approbato voluisse nedum sacramenti sanctitati, nedum aeternae morientis saluti, sed etiam eius quieti et tranquillitati aliquo pacto consulere.

Iam vero si dicamus in casu, Confessarium excommunicatum vel suspensum praeferendum esse Confessario complici, puto eum Sacramenti sanctitati et decori non admodum consuluisse; quaestio enim esset instituenda quis sit magis improbus, sacerdos excommunicatus et suspensus, vel Confessarius, qui semel fortasse, miseranda libidine abreptus, cum moriente peccavit.

Neque quis dicat, id Benedictum sancivisse etiam in poenam Confessarii complicis; nam hoc etiam dato et non concesso, certe id sancivit sine sacramenti dedecore; credibile ne est, eum voluisse facultate absolvendi Confessarium iniquum privare, ut eam conferret alteri fortasse iniquiori? Dices ne sanctiori ratione acturum sacerdotem suspensum et excommunicatum? sed credibile ne est in mortis articulo a Confessario complice poenitentem suum in infernum demersum iri? Est illud momentum a quo pendet aeternitas; est momentum, quo etiam iniquissimi deterrentur; et est momentum, quo confessarii complices, ni prorsus omnem conscientiam abiecerint, horribilibus stimulis anguntur, dum vident animam illam de aeterna salute ob reciproca crimina periclitari; quare modis omnibus eam ab aeterno interitu eripere satagent. In hoc igitur casu non puto Benedictum XIV voluisse Confessario complici potestatem adimere; in peiori enim conditione morientem, ni fallor, constituisset. Quid insuper? Poenitens in articulo mortis constitutus, scit sacerdotem illum esse vel suspensum vel excommunicatum, eum itaque quodammodo horrescit, atque cum eiusmodi animi horrore, nescio qua animi quiete Confessionem sit peracturus; omnes enim dum moriuntur meliores atque sanctiores, quos noverint, habere ad se sacerdotes volunt, ut cum animi securitate atque maiori fiducia agere possint quae sibi agenda sciunt. In casu vero quid de his?

Utique respondebis, morienti perspectam esse sui Confessarii malitiam, ideoque in pari conditione versari; nam prorsus id nego: quandoquidem Confessarii sui moribundo nota sunt quaedam determinata peccata contra sextum: de sacerdote vero suspenso vel excommunicato novit Deus quae per vicos et plateas vulgata fuerint; ideoque potiori existimatione circa proprium Confessarium quam erga alium feretur; illi potius quam huic securius peccata accusabit, ab illo potius quam ab isto monita salutis se auditurum sperabit.

De ceterò manifestum esse puto in comuni usu loquendi receptum esse, per sacerdotem non adprobatum ad Confessiones intelligi eum, cui nondum eiusmodi facultas facta fuit, non autem suspensum vel excommunicatum; cum autem, ut dixi, lex sit odiosa, stricto sensu eam interpretari debemus.

Equidem quis dicturus erit, etiam suspensos et excommunicatos dici posse non adprobatos ad confessiones, et tales esse reapse; nam quod dici possint concedo; quod usu comuni loquendi dicantur concedere non possum; hi enim dicuntur sacerdotes suspensi, presbyteri suspensi, Religiosi suspensi ab audiendis confessionibus; Benedictus XIV autem certe usus est comuni loquendi ratione. Hisce addo,

quod plurimam sapientiam animique pietatem in tanto ac tam perspicaci Pontifice cernimus, si intelligamus eum contulisse sacerdoti nondum ad Confessiones approbato facultatem excipiendi morientis in casu confessionem, ut modis omnibus consuleret tum sacramenti sanctitati, tum decedentis ex hac vita paci et quieti; at perspiceremus, si eam facultatem publicis peccatoribus, quales plerumque sunt sacerdotes suspensi et excommunicati, contulisset? Non credo.

Demum Benedicti verba satis clara videntur, ut ea omnino sint intelligenda de simplici sacerdote nondum ad Confessiones approbato. Dicit enim in Constitutione *Apostolici muneris* §. 2. « Edicimus, ac declaramus » interdici reipsa ac prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos » non defuerit, etiamsi forte iste » alius *simplex tantummodo sacerdos fuerit,* sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus *ipse sacerdos simplex* confessionem excipere » ac absolutionem impertiri. Et in » Constitutione *Apostolicae Sedis* » ipsis verbis repetitur: Si alius » Sacerdos *licet non approbatus ad confessiones, possit excipere morientis confessionem* ».

Loquuntur igitur RR. Pontifices de simplicibus sacerdotibus, de iis nempe qui ad confessiones nondum approbati sunt, quales certe non intelliguntur neque suspensi neque excommunicati.

Neque minoris ponderis argumentum deducitur ex periculo scandali et infamiae, quod Benedictus vult omnino vitari dum dicit: « Si » casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae... eiusmodi fuerint, ut alius Sacerdos » vocari et accedere sine gravi » aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat » Atqui nemo difficillimum non putabit evitari posse scandalum et infamiam, dum fideles viderint publice suspensum vel excommunicatum excipere morientis confessionem, et Parochum qui optime novit nullum alium Sacerdotem adesse, qui illud necessarium officium adimplere valeat, vel se subtraxisse, vel renuisse, vel excusationes adduxisse. Porro quae difficillima sunt, in lege pro impossibilibus habentur, neque praecipiuntur.

Paucis: Lex haec est odiosa et stricte interpretanda: verba tum Benedicti tum Pii Papae IX obvio sensu, possunt, imo debent intelligi de Sacerdote nondum ad confessiones approbato, idque nedum ex significatione verborum, sed etiam Ecclesiae sensu, quae administrationem sacramentorum sacerdotibus notorie indignis, quales plerumque sunt suspensi et excommunicati, non vult committere, neque eos iis Sacerdotibus praeferre, qui quamvis indigni et ipsi sint, tamen eorum iniquitas soli Deo nota est; per hos Sacerdotes suspensos et excommunicatos minime paci et tranquillitati

morientis Romani Pontifices consuluissent; non sunt ergo hi in casu Confessario complici praeferendi; qua de causa hic, praesente sacerdote publice suspenso vel excommunicato ita agere potest ac debet veluti si nullus alius adsit sacerdos qui morientis confessionem excipere possit, ideoque illum audire et absolvere

Quin et illud addo, me nescire quibus argumentis innitantur contrariae sententiae patroni; dicere enim, ut aliqui dicunt, (et nullam aliam rationem reperi) verba Benedicti esse prorsus generalia, eaque comprehendere quemlibet Sacerdotem licet suspensum vel excommunicatum, est rem dicere quae adhuc probari debet. (1)

Verum non in hoc tantummodo casu confessario in articulo mortis licitum erit complicem absolvere, sed et in aliis de quibus breviter:

Et 1°. poterit absolvere si morientis confessionem alius audire recuset; tunc enim putandus est alius sacerdos abesse.

Hinc optime Salmanticenses: « Si » praesens sit (alius Sacerdos) et » nolit absolvere, idem est ac si » non esset copia Confessoris; sed » dum non est copia confessoris, » potest quilibet Sacerdos in tali » articulo poenitentis confessionem » excipere; ergo si sacerdos voca- » tus accedere renuat ad audien- » dam confessionem personae prae- » dictae, poterit Sacerdos complex » absolutionem illi impendere. »

2°. Poterit, si moribundus alii

(1) Quid dicendum de sequenti casu? In oppido N. sunt duo Confessarii, quorum quisque suam amasiam habet, et ne peccandi occasionem deserant, neve suspicionem aliquam suae turpitudinis ingerant, excommunicationem insuper in absolventes complices latam evitent, paciscuntur inter se, ut unusquisque alterius complicem audiat atque absolvat, nulla de eiusmodi diabolico pacto puellis facta mentione.

Quid de harum absolutionum valore?

R. Absolutiones eiusmodi validas esse. Constitutiones enim loquuntur de absolventibus complices proprios, non alienos. Porro puellae non sunt complices propriae confessarii qui eas audiunt et absolvunt. Sacerdotes vero absolvi reciproce se non possent, quod complices reapse sint in turpissimo sermone et pacto. Id autem respective ad legem sermonem instituendo.

Quantum enim attinet ad dispositiones necessarias quae in poenitente requiruntur, ut valide absolvatur, eiusmodi absolutiones prorsus esse invalidas quis umquam in dubium revocare poterit? Sacerdotes enim interesse habent ne puellae peccatum deserant, ideoque nescio quasnam correctiones instituant, remediaque suggerant; puellae peccatum relinquere vel nolunt, vel non curant, atque ideo ad dictos Sacerdotes accedunt, quia absolutionem repetitam et amplissimam de repetitis peccatis et repetendis referunt. Dolor igitur et propositum non peccandi de cetero in praedictis poenitentibus vix, aut ne vix quidem, concipi potest.

Attamen si Confessariis aliquando innotescat, puellas turpissimum pactum detexisse, nullimode sine excommunicatione illis eas absolvere licebit; cum enim pactum ad hoc initum sit, ut puellae tuto cum propriis confessariis peccata perpetrent, absolutio reputanda est veluti explicitum ad peccatum incitamentum, et Confessariorum pacti puellae ipse fiunt participes; quare hi Confessarii nedum essent habendi ut complices absolventes, sed etiam uti ad turpia sollicitantes.

sacerdoti peccata sua accusare renuat, nullisque suasionibus ad confessionem cum eo instituendam induci valeat.

Nullimode enim permittendum est ut sine absolutione moriatur, vel exponatur periculo sacrilegam confessionem instituendi; atque de cetero causae gravissimae adesse possunt quare alteri confiteri peccata recuset. Hinc iterum Salmanticenses dicunt in casu ita sese agendum veluti *si alius Sacerdos revera abesset.* Appendix Cap. VI. n. 259.

3°. Poterit infirmum complicem audire et absolvere si hic simulata prius, vel instituta cum alio confessione sacrilege, expectet tempus, quo ei Sacrum viaticum deferatur, et publice petat se antea velle sacerdoti complici peccata confiteri, vel ut vulgo dicitur, reconciliari; sine scandalo enim, infamiae periculo, et quin infirmum sacrilegae comunioni exponat, ab illo audiendo Sacerdos se subtrahere nequit. Cum autem contra infirmum plurima indispositionis indicia hoc in casu militent, quaerat sacerdos complex modis omnibus illum disponere, et loquatur sicut bonus dispensator multiformis gratiae Dei. Postquam autem ad sinceram peccatorum detestationem animique dolorem disposuerit, quod in mortis articulo assequi non est adeo difficile, illum absolvere non vereatur. Ut plurimum verecundia est causa rei huius; praesertim si puella sit, si uxor quae bono nomine fruatur; huic autem titulo, in mulieribus praesertim, quaeque in mortis articulo sint constitutae, valde deferri debet.

De cetero Confessarius hoc in casu potuit, ad scandali et infamiae periculum vitandum, poenitentem audire; et durante eadem causa, nempe mortis articulo, illum absolvere, quia iudicium incoeptum perfici debet, cum iure incoeptum fuit.

4°. Poterit pariter poenitentem complicem absolvere, si, dum non sit nisi unus alius Sacerdos, certo sciat, eum fuisse in peccato luxuriae infirmi complicem; siquidem et hic recusaret infirmi confessionem audire cum eadem obstringatur prohibitione, eademque conditione versetur, et aliter agendo Confessarius propriam nequitiam proderet. Hoc igitur in casu agendum est veluti si nullus alius adsit Sacerdos.

5°. Ita Parochus complicem absolvere poterit, quamvis adsit alius Sacerdos ad Confessiones adprobatus, si poenitens in mortis articulo constitutus publice petat, se velle Parocho praesenti confiteri, vel si absit per aliquem advocetur, nullamque habeat se recusandi causam, veluti si in Ecclesia, aut in via, aut in platea, aut in aliquo alio loco nulla occupatione impeditus reperiatur; non posset enim sine scandalo et infamiae periculo confessionem infirmi declinare. Idque

multo magis si alius Sacerdos non sit ad confessiones approbatus.

Quid autem si poenitens confessionem incoeperit, et antequam Confessarius ei absolutionem impertiatur omnino cesset mortis periculum?

Auctores plerique pro valore absolutionis decertant eo innixi principio quod iudicium incoeptum compleri debet. Id vero probant, desumpta similitudine a iudicio civili vel criminali, ex Cap. *Relatum 19*, et ex Cap. *Gratum 20 de officio et potestate Iudicis Delegati;* quorum primum ita legitur: « Nos ita- » que consultationi vestrae respon- » dentes, quod si lis fuerit ante » praedecessoris nostri obitum con- » testata, mandatum morte mandato- » ris nullatenus expiravit. Si vero » ante litiscontestationem decessit, » non est a iudicibus quos delega- » verat, ex delegatione huiusmodi » procedendum. »

Cap. vero Gratum ita se habet: « Inquisitioni tuae taliter re- » spondemus, quod cum in casu » priori citatione facta, negotium » sit quasi coeptum, et maxime » si delegatus non sit certus de o- » bitu delegantis, potest et debet » in causa procedi, tenebitque quod » iustititia fuerit praevia defini- » tum. »

Cum igitur, inquiunt affirmantes, confessio sacramentalis sit iudicium, ab eo perfici debet a quo fuit incoeptum.

Atque ad eiusmodi sententiam confirmandam plerosque citant auctores, quos inter S. Alphonsum de Ligorio Theol. Mor lib. VI Tract. IV. de Sacramento Poenitentiae n. 563. V.

Quin tantorum auctorum sententiae contradicam, nonnulla mihi liceat exponere quae utique expositae sententiae adversantur, an vero subvertant, nescio.

Et 1°. Verum quidem esse in civilibus vel criminalibus statutum esse iudicium compleri ab eo debere qui illud incoepit; atque idipsum esse generice tenendum de sacramentali iudicio. At verum pariter est, nulla alia lege prohiberi, iudicia ab iis perfici posse qui ea incoeperunt. Quin imo eiusmodi iudicia incoepta comuni lege, atque undequaque constabilita perfici, non excluso iudicio sacramentali inchoato a simplici sacerdote quod ab ipso perficiendum est, licet alius interea approbatus superveniat: Ecclesia enim in casibus similibus potestatem idoneam Sacerdoti etiam simplici confert.

At in casu nostro res, ni tamen fallor, diversimodo se habet. Sacerdoti complici in extrema tantummodo necessitate absolvere complicem permittitur, deficiente scilicet quocumque alio sacerdote, licet non adprobato ad confessiones, et ad vitandum scandalum vel infamiae periculum; ipsum teneri removere scandali et infamiae pericula, quae realia esse debent, non idealia; atque praesentem excommu-

nicationem incurrere, si hisce post habitis, absolutionem complici impartiri ausus fuerit. Benedicti verba manifesta sunt.

» Quod si idem Sacerdos aut » quovis modo sese nulla gravi ne» cessitate compulsus ingesserit, et » ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdo» tis opera requirenda sit, ipse ad » id periculum avertendum congrua » media adhibere de industria ne» glexerit, atque ita personae in di» cto crimine complicis, *eoque in* » *articulo,* ut praefertur, *constitu*» *tae* sacramentalem confessionem » excipere, ab eoque crimine ab» solutionem largiri, *nulla*, sicut » praemittitur, *necessaria causa co*» *gente,* praesumpserit; quamvis hu» iusmodi absolutio valida futura » sit.....nihilominus sacerdos ipse » violatae ausu eiusmodi temerario » legis poenas nequaquam effugiet » atque in synodo Dioecesana lib. VII. cap. n. XV 4 « Declaravimus, inquit, » ad rem de qua agimus, perinde » esse nullum adesse sacerdotem, » praeter illum, cum quo poenitens » inhoneste peccavit, aut eum tan» tum adesse, quem idem poeni» tens constitutus in mortis articu» lo, eligere nequit sine periculo » seipsum infamandi, aliisque ma» lam sui suspicionem ingerendi, » atque ideo in eo rerum statu, non » prohiberi diximus, sacerdotem » suae impudicitiae complicem ab» solvere; eumdem tamen simul mo» nuimus; ne praedictae infamiae » aut scandali pericula sibi confingat » quae revera absint: Quin imo vo» luimus ut ea, cum potest, ante» vertat et removeat; secus enim » poenas non effugiet in nostra » prima Constitutione inobedienti» bus inflictas.»

Ex his vero constat. 1°. non esse in intentione legislatoris ut Confessarius confessionem complicis excipiat, eique sacramentalem absolutionem largiatur. 2°. id permitti tantummodo in mortis articulo, et deficiente quocumque alio sacerdote. 3°. eum teneri ad eliminanda scandali et infamiae pericula quae timeri possint. 4°. excommunicationem incurri ob absolutionem non ob peccatorum auditionem 5°. nullam esse legem, quae statuat iudicium eiusmodi ab eo compleri debere a quo incoeptum fuit, sicut extant pro aliis iudiciis, de quibus in Capp. *Relatum* et Gratum. 6°. Contrarium ex lata lege erui.

At pariter certum est, pro poenitente in casu quodlibet mortis periculum cessasse, antequam absolutionem recipiat....Absolvi ne a Confessario complice poterit?

Equidem dices: iudicium incoeptum compleri debet? Quid verò si ex lege constet, illius iudicii iudicem complicem esse nec posse nec debere, et tantum, extremae necessitatis causa permitti? quae de caetero causa ante iudicii complementum omnino cessavit? Sententiam doctiores dicant.

Illud ego animadvertam, S. Al-

phonsum loco cit. non loqui de sacerdote complice, sed de simplice, sacerdote: *Si confessarius approbatus superveniat iam incoepta confessione cum sacerdote simplici, quia tum compleri debet iudicium iam incoeptum;* atque citat pro sua sententia tresdecim auctores, quos inter Lugo, Sanchez, Lacroix.

At inter Sacerdotem simplicem in casu, et Sacerdotem complicem magnam intercedere differentiam nemo non novit. Non vides enim ipsum Benedictum illum huic omnimodis praeferre ?

Quin imo, cum S. Alphonsus immediate post subiungat: *VI et ultimo casu, quo Sacerdos approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi; tunc enim omnino praeferri debet Sacerdos simplex:* et nihil omnino pro complice excipiat, magna suspicio ingeritur, an S. Alphonsus pro complice eamdem ac pro simplice sacerdote opinionem tenuerit, et illum scilicet debuisse iudicium incoeptum complere.

Quidquid tamen de hisce sit, extra legem a Benedicto statutam egredi cl. Gury videtur, cum proponit casum Confessarii qui complicis confessionem excipiat, etiam alio sacerdote praesente; facti tamen poenitet antequam absolutionem impertiatur; innixus tamen principio quod iudicium ab eo complendum sit a quo fuit incoeptum, absolvit complicem; atque, iuxta praefatum auctorem, quin excommunicationem incurrat. Ita enim ratiocinatur « 1°. Non incurrisset poenam pro » sola confessione incoepta, quia » non incurritur illa poena, nisi » confessio absolutione compleatur. » 2°. Neque incurrisset absolvendo » post mutatam voluntatam in melius et contritionem de illo peccato elicitam, nam nemo incurrit » excommunicationem per actum, » qui ex una parte omitti amplius » non potest, et ex altera parte omni culpa caret, imo factus est obligatorius. Etenim tunc incurritur » excommunicatio quando sine ulla » necessitate absolutio a complice » impertitur. At Albinus, audita » Theresiae confessione, eam absolvere cogitur: ergo excommunicationem non incurrit. »

Ista praestantissimi Theologi resolutio merito ab auctoribus reprehenditur. In casu enim nullimode Albino suffragatur principium, quod iudicium ab eo perficiendum sit a quo fuit incoeptum; principium enim eiusmodi tum solum vim habet, cum iuridice iudicium incoeptum fuit, non vero contra legem; cum iudex auctoritate legitima pollet iudicium incipiendi, non autem cum sine ulla auctoritate, et inique prorsus illud incoepit. Id nedum ex citatis Capitibus *Relatum* et *Gratum*, in quibus sermo est de iudicio incoepto ex delegatione et legitimo mandato, apparet, sed etiam ex evidentissima ratione. Si enim iudicium incoeptum compleri debet etiam a iudice qui illud incipiendi nulla praeditus est aucto-

ritate, poterit iudex quilibet alienam provinciam invadere, in extraneosque iudicia inchoare, eo quod, etsi inique et iniuste, tamen iudicium ab eo compleri debet a quo fuit inceptum. At hoc in casu ad quid tot sanctiones in codicibus civilibus, canonicis et criminalibus de nullitate actorum ob incompetentiam iudicis et Fori? Et in ipso sacramentali iudicio nonne sacerdos, qui confessionis decursu animadverteret, poenitentem suum aliquo esse reservato peccato irretitum, ex principio allegato, posset illum absolvere quin ad Superiorum remittat, vel petat opportunas facultates? De cetero novi ab ipso auctore principii expositionem citatam respui: Nam Casus Conscientiae Tom. II. N. 631 omnino affirmat, iudicium tum compleri debere cum iuridice fuit incoeptum « Ratio est, quia quando con» fessionem audire incepit, id tan» tum ex iurisdictione a Pontifice » habita facere potuit. Atqui iuris» dictio valens tempore inchoatae » confessionis perdurat, donec poe» nitens absolvatur; nam collata est » pro confessione peragenda; non » peragitur autem confessio, nisi ad » complementum deducatur.

Cum iis vero omnino pugnare deprehenditur resolutio casus ab auctore exhibita. Nam in casu Albinus sine ulla iurisdictione Confessionem audire incoepit; ergo nullo pacto iudicium complere potest, et complicem absolvere; ideoque latae excommunicationi subiacet. Neque ei suffragatur quod eum incoeptae confessionis ante absolutionem poenituit, contritio enim coram Ecclesia non sufficit ad tollendam excommunicationem, quam quis incurrit propter legem, cuius violationi adnexa censura est. Sed neque admitti potest, absolutionem in casu factam esse actum obligatorium tum ex allegata ratione, tum quia absolutio fit actus obligatorius, cum nulla suppetit ratio ipsam vel differendi vel omnino negandi, ut patet cum Confessarii rem agunt cum indispositis, vel peccata reservata, vel censuras reservatas habentibus; in casu vero nullimode Albinus ad absolvendum complicem procedere poterat.

Unica igitur ratio quae Albino in casu faveret haec esset, si scilicet confessionis decursu adverteret infirmum complicem viribus destitui, ita ut non amplius alteri confessario peccata esponere valeret; tunc enim ex eiusmodi superveniente necessitate, quae in lege optime consideratur, posset sine excommunicatione absolutionem infirmo complici largiri; eiusmodi enim superveniente necessitate, ita agere potest veluti si nullus alius adsit sacerdos; nova enim infirmitas cum nullimode fuerit praevisa, et ab Albini agendi ratione sit plane independens, novam ei rationem agendi suppeditat, et ei confert auctoritatem iudicium complendi, quia convalidat actionem antea invalide positam iudicium inchoandi. Ab ex-

communicatione tamen non censerem immunem ob infamiam quam timeret absolutionem omittendo; nam eiusmodi casus in lege Benedicti praevisus fuit, et minime exceptus; valide tantummodo Confessarius absolveret.

Neque ea probanda esse censeo quae subdit, hanc excommunicationem scilicet, incurri, *quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur:* Si enim vera haec sententia esset, vera esset etiam haec altera: Ergo cum aliqua necessitate absolutionem complex valide impertitur. Atqui tamen haec propositio e diametro opponitur Benedicti XIV constitutionibus, in quibus casus necessarii ad valide complicem absolvendum duo tantummodo sunt, mortis articulus, et scandali et infamiae periculum.

Ex iis vero sequitur, Albinum et invalide Theresiam, ni tamen in articulo mortis constitutam, ut supra dictum est, absolvisse, et excommunicationem incurrisse (1).

Sed persequamur cetera. Pluries animadversum est; peccatum huiusmodi esse peccatum contra sextum Decalogi praeceptum et non aliud.

Ut autem a complice absolvi nequeat, peccatum illud debet esse externum, mortale, et utrinque mortale.

Externum quidem; consideranti enim universas Benedicti Constitutiones illico apparebit, agi in iis de

(1) Editor Georgius Ioseph Manz in editione prima huius Operis, quam paravit Ratisbonae anno 1865 ad verba cl. Gury: *tunc incurritur excommunicatio quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur*, hanc notam apponit: *Ne hoc principium perperam intelligatur, perpendantur circumstantiae in casu appositae.* Verum quantumvis circumstantiae perpendantur nil melius solutio se habet. Non enim solutio datur ad secundum quaesitum: *quis e duobus sacerdotibus praeferendus in secundo casu, num complex an excommunicatus?*; cui auctor respondet: *praesente excommunicato publico complex valide et licite absolveret, si secus periculum infamiae publicae aut scandali secuturum esset. Periculum autem illud facile evenire posset, si sacerdos complex excommunicato locum cederet; hoc enim esset argumentum non obscurum turpitudinis suae praebere;* ex quibus intelligunt lectores, praestantissimum Gury in ea fuisse sententia, quod, remoto scandali et infamiae periculo, sacerdos publice suspensus et excommunicatus praeferendus in casu ipsi complici sit; qua de causa, ni alter fuisset publice suspensus et excommunicatus, Albinus semper indebite, atque sine ulla necessitate praeripuisset locum Flaviano suspenso, et bona editoris intentio nullomodo auctori suffragatur.

Attamen non ad secundum quaesitum, sed ad tertium per illa verba Gury respondet; hoc autem ita se habet: *An vero censuram effugisset Albinus, si loco Flaviani indebite accepto complicisque audita confessione, ipsum facti poenituisset, et deinde tamen ob circumstantiam inchoatae confessionis absolvisset?* Et respondet ut supra. Ergo in Quaesito: 1. Supponitur Albinus indebite locum Flaviani accepisse; quare nullimode consideranda est circumstantia quod hic fuerit etiam publice suspensus vel excommunicatus, ex quo proinde oriri scandali et infamiae periculum potuerit, et proinde Albinus debite, iuste, et licite ei locum praeripuisset. 2. Supponit Gury, Albinum complicem absolvere ob circumstantiam inchoatae confessionis, et nulla alia de causa; ad quam circumstantiam universam responsionem coarctat. Aliae igitur circumstantiae locum non habent, quia ab ipsomet excluduntur: Ego vero potius puto, cl. Gury casum resolvisse Ituriagae, a quo casus proponitur tom. V. cap. 50. iudicio, quam suo.

peccato quod contemptum sacramento, Ecclesiae iniuriam, animabus nova damnationis pericula inferat, sacerdotesque per illud maiori peccatorum mole animas onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefario submergant; quae de peccato tantum externo intelligi possunt et debent. Apparet insuper sacerdoti non licere audire vel absolvere complicem, quae prohibitio supponit Confessario notam esse Poenitentis complicitatem, saltem ut plurimum, antequam confessionem incipiat; haec autem cognitio in peccato mere interno non haberetur; demum Benedictus locutus certe est de complicibus obvio et vulgari sensu, ii autem sunt qui in una re animum operamque spondent. De cetero in suo conceptu formali complicitas communicationem consilii, virium collationem, actionis communem executionem dicit, atque complicitas mere interna vix aut ne vix quidem cogitari potest.

Plerique auctores disputarunt an turpiloquium esset inter peccata in citatis Constitutionibus prohibita adnumerandum, atque sententiam negantem amplexi sunt. Verum eorum opinio a theologis reiicitur et iure merito. Nam 1°. Lex loquitur *de peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum:* negari autem non potest turpiloquim ad eiusmodi peccati genus pertinere.

2. Neque negari potest, turpiloquium esse plerumque omnium peccatorum contra Sextum fontem atque funestissimam originem. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.

3. In confessione eiusmodi peccati confessario complici occasionem praeberi inopportunas interrogationes instituendi, periculum mortalis complacentiae, praesertim si poenitens affirmet se interne consensum praebuisse, et fortasse sollicitationis; qua de causa ea omnia mala timenda sunt, quibus per praefatas Constitutiones Benedictus occurrere satagit. Praeclare hinc argumentantur Salmanticenses « Intentio seu finis » memoratae constitutionis, ut liquet » ex ipsius contextu, est omnem » turpitudinis occasionem a Sacer- » dotalis iudicii et sacri tribunalis » sanctitate prorsus eliminare; sa- » cramentorum contemptum et Ec- » clesiae iniuriam longe submovere; » animarumque periculis, quae ex » absolutione complicis oriebantur » vigili providentia occurrere. Sed » haec omnia inveniuntur in qua- » libet actione mortaliter culpabili » in materia luxuriae; nec Pontifex » omnem turpitudinis occasionem, » sed praecise aliquam de medio » tolleret, si de quibusvis turpibus » actionibus in materia gravi non » loqueretur. Loc. cit. n. 287.

4. Theologi magni nominis huic sententiae subscribunt, inter quos S. Alphonsus ita de quaestione loquitur: *Certe dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc iudicio ab aliis immerito in dubium revocato* loc. cit. n. 554.

5. Rationes a contrariam sententiam defendentibus adductae non ita solidae esse videntur quae refutari nequeant. Prima est, quod Benedictus XIV loqui videatur de peccato turpi consummato; turpiloquium vero non censeri esse peccatum contra castitatem satis consummatum, sed tantum inchoative seu reductive.

Secundo: quod per peccatum turpe ac inhonestum iuxta communem sensum ac intelligentiam, quid plus intelligatur, quam turpiloquium; si quis enim alium de turpi peccato accuset, menti auditorum certe quid plus occurrit quam quod obscaenum colloquium ab eo factum fuerit.

3. Quod ubi Pontifices voluerunt turpiloquium includere, de illo expressam mentionem fecerunt, ut patet ex statutis contra confessarios sollicitantes, si hi cum poenitentibus illicitos ac inhonestos sermones habuerint. Ergo a contrario, cum ubi egerunt de confessario complice quoad absolutionem socii vel sociae in peccato turpi ac inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum, quoad turpiloquium nihil expresserint, hinc coniicere fas est, hoc non intendisse comprehendere sub huiusmodi peccato turpi ac inhonesto; et sic nomine istius non venire turpiloquium.

4. Neque per hoc, subiungunt a fine legis argumentando, aperitur via huic interpretationi quoad peccata mere turpiora et graviora, cum enim ultra haec dentur alii actus externi praeseferentes non modicam turpitudinem practicam ac inhonestatem exercitam, de his quoque accipiendo ac intelligendo verba *peccatum turpe ac inhonestum contra sextum*, tum mens Pontificis, cum finis Constitutionum eiusdem satis attingi videntur, etiamsi non includatur turpiloquium.

Verum quoad primum difficultatem patere arbitror tum Benedictum, tum Pium Papam IX generice loqui: *absolventes complicem in peccato turpi*, hic dicit, *complicis in peccato turpi ac inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso* dicit ille: sed turpiloquium esse peccatum turpe atque inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum nemo negaverit; unde ergo excipi lege poterit? Neque ex citatis verbis aliquid desumitur, quod in iis sermo sit de turpi peccato opere consummato, ut consideranti patet.

Indubium vero esse puto, Romanos Pontifices voluisse quodlibet turpe peccatum per verba citata sub lege comprehendere, neque turpiloquium excludere, quod est aliquando, ratione scandali, ipsa fornicatione et adulterio gravius, atque principium et causa ceterorum peccatorum. Credibile ne est ipsos peccatorum originem exclusisse? Addo quod in suo genere, turpiloquium est peccatum consummatum; addo quod in turpiloquio complices sunt reapse complices,

sicut sunt reapse complices alicuius rebellionis, qui eam verbis tantummodo fovent.

Quod vero mihi turpiloquium sub lege videtur evidenter includere, sunt Benedicti verba : *cupientes a sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem eliminare*; certum vero quisquam arbitrabitur, turpiloquium turpitudinis occasionem in poenitentiae sacramento praebere. Qua de causa etiamsi dici velit peccatum *inchoative seu reductive,* sub lege tamen comprehenditur ea ratione quod turpitudini occasionem praebeat. Nullimode vero spernenda illa consideratio est, quod hi sacerdotes ideo tantopere a Benedicto detestentur, quod *daemonis potius quam Dei ministri, loco* animas *per Sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt;* quibus a peccatorum consuetudine, et a gravioribus peccatis Benedictum cavere velle nemo non videt. At finge turpiloquium sub lege non comprehendi, atque a Confessario complice posse absolvi; nonne centies peccatum huiusmodi repeti poterit, centies pravis consensibus locum praebere, et ad graviora peccata conducere, Confessarium vero in ea conditione collocari ut illud vel non redarguat, vel ad graviora poenitentem inducat, cum hic nullum de eo horrorem sit concepturus, aque fortasse ad ipsam sollicitationem impellere; si enim haec plerumque contingit ex turpium peccatorum accusatione, ex inclinatione, quae in poenitente conspicitur ad eiusmodi peccata, nonne difficillimum erit eiusmodi scelere Confessario sese abstinere, cum hinc ipse huiusmodi peccato sit inclinatus, illinc vero poenitentem in eodem complicem cognoscat? Proinde nonne uterque iis omnibus periculis expositus reperitur, quae Benedictus deflet amare? Unde ergo excipi lege poterit?

Solidior autem altera difficultas non videtur. Quaero enim an turpiloquium non sit, etiam iuxta communem sensum et intelligentiam, peccatum turpe ac inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum; quaero an turpiloquium non sit in sexto Decalogi praecepto prohibitum? Utique : At nonne in sexto Decalogi praecepto dicitur : non moechaberis? Fortasse ne quod iuxta communem sensum et intelligentiam quid plus per eiusmodi negativum praeceptum intelligitur, inde turpiloquium excludes? Neutiquam, sin minus et impudicos tactus excludere deberes et plurima alia peccata.

Atque animadverte, Benedictum peccati gradus non recensere, neque enumerare; non dicit enim, ut dicere debuisset, si turpiloquium voluisset excludere, qui concubuerit cum foemina vel eam obscene tetigerit; sed mentem ad ipsum Dei prae-

ceptum convertens, *contra sextum*, inquit, *Decalogi praeceptum:* Atqui sextum Decalogi praeceptum comprehendit etiam turpiloquium; etiamsi iuxta communem sensum et intelligentiam quid plus dicere videatur, et reapse dicat; ergo et nostra lex.

3. Quid autem tertia difficultas? Ideo enim Romani Pontifices cum contra sollicitantes legem indixerunt de turpiloquio mentionem diserte fecerunt, eo quod sollicitatio praecipue, et plerumque verbis perficitur; ineptum enim fuisset alios sollicitandi modos recensere, qui rariores, quique, ut ita dicam, sub naturali et obvio sollicitationis conceptu non cadunt. At exinde nihil; sicut enim ad falsam conclusionem deveniret ille qui, ex quo dum de sollicitantibus agitur, mentio nulla fit de aliis, praeter sermones turpes, sollicitandi modis, argumentaretur turpes ex. gr. tactus, turpissimos aspectus sub lege non cadere, eo quod iuxta communem sensum, sollicitatio verbis completur, ita falso ratiocinantur qui turpiloquium excludunt, quod per peccatum turpe et inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum quid gravius communiter homines intelligant. Romani Pontifices in lege contra absolventes complices ferenda, non ad actionem individuam quae peccatum constituit, respexere, sed ad peccati genus; *contra sextum Decalogi praeceptum;* cum autem sexto praecepto quaelibet peccati species in materia luxuriae interdicatur, inter quas et turpiloquium, patet et hoc sub lege comprehendere voluisse.

Haec quapropter causa est, quare RR. Pontifices de turpiloquio nihil expresserunt, scilicet, quia peccati genus proscripsere, nulla de speciebus singulis, nulla de actibus individuis, facta mentiones, quos si expressissent, turpiloquium praetermittendo, utique coniicere licitum fuisset, hoc excepisse; non autem cum peccati genus recensuerint, singulis actibus non recensitis.

Quarta difficultas autem nihil aliud affirmat, quam quod legis finis servari possit turpiloquium excludendo, eo quod cum praeter peccata graviora, ex gr. fornicationem, adulterium etc. dentur alii actus pravi ac inhonesti, scilicet tactus, aspectus turpes; si de iis etiam lex accipiatur, necessarium non erit turpiloquium includere. Verum nescio an haec serio dic possint. Cum enim lex generice loquatur de aliquo peccatorum genere, qua ratione hoc includitur, excluditur vero illud? Atque si eiusmodi commentum legi divinae, vel etiam aliis legibus applicetur, quanta subtrahi possent, quae tamen sub lege concluduntur? Si ex. gr. in quinto praecepto eadem ratiocinandi methodo uti vellem, atque dicere: Finis huius mandati optime servari potest, etsi ab eo excludantur alapae seu ceterae verberationes; cum enim ultra haec dentur

alii actus praeseferentes graviorem noxam, ex. gr. vulnera, percussiones gravissimae, de iis quoque accipiendo verba « *non occides* » finis praecepti servatur, etiamsi non includantur alapae; quam expositionem nescio an in faciem suam arguens admitteret. Atque idipsum dicito de ceteris mandatis, atque de ceteris legibus sive humanis sive divinis: singulae enim hominum noxae habent gradus quosdam pravitatis; haec levior, illa gravior, illa gravissima; verum exinde non licet concludere leviores sub lege non comprehendi, quod possint comprehendi graviores.

Mens autem legislatoris, et finis legis, ni costet aliunde, ex ipsa lege dimetiendus est, quae tam late patebit, quam late se extendunt obiecta quae sub verbis cadunt; si igitur lex prohibens erit, ea omnia hominum facta excludet, quae sub genere prohibito comprehendentur: atqui lex prohibet *peccatum turpe ac inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum:* turpiloquium ad eiusmodi peccatorum genus pertinet; ergo et turpiloquium sub Constitutionibus Benedicti comprehenditur.

Etiamsi vero fatear, praeter obscaenos sermones, in genere luxuriae, dari actus externos qui praeseferant non modicam turpitudinem exercitam, nescio tamen num hi actus semper sint turpiloquio leviores; scilicet, nescio an turpis tactus unius momenti sit levius peccatum turpiloquio unius horae; ex quo sequeretur, Legislatores sub lege comprehendisse leviora peccata, comparative loquor, et exclusisse graviora. Neque illud praetermittendum; maiorem impudicitiam animique pravitatem prodere homines plerumque in turpiloquio, quam in aliis actibus carnalibus, sacerdotes vero scandalum horrendum porrigere. Qua de causa nec mens Legislatoris, neque finis legis servaretur, si a praedictis Constitutionibus excluderetur turpiloquium.

Dubitari autem non potest de veritate secundae conditionis, quod scilicet peccatum istud debeat esse mortale. Imprimis enim censenda non est Ecclesia voluisse poenae adeo gravi tum poenitentem tum sacerdotem subiacere ob culpam venialem; deinde cum venialia citra culpam possint in Sacramento poenitentiae reticeri, et aliis mediis expiari, inutiliter pro venialibus peccatis lex edita fuisset. Atque idipsum dicito, si dubitetur de gravitate peccati, tum quia ea quae in aetatis Constitutionibus flentur nonnisi de peccato mortali certo intelligi possunt et debent; tum quia poena gravissima non incurritur nisi per crimen certum, tum quia putandi non sunt legumlatores atque Praesules mortalia dubia reservare, et adeo graviter punire voluisse.

Atque hinc ex duabus assignatis conditionibus, quod scilicet peccatum debeat esse externum et

grave, concludas oportet, quod si interius gravissime Confessarius peccaverit, minime vero ad externas actiones prosiluerit, peccatum sub lege non cadit.

Ex conceptu vero complicitatis patet veritas postremae conditionis, quod scilicet peccatum tum Confessario tum poenitenti debeat esse commune; ubi enim unitas propositi, voluntatis, et actionis deest, complicitas esse non potest; atque de cetero cum Confessario complicis absolutio interdicatur, si poenitens, vel ipse dissenserit, iam deest quaecumque complicitas, secus vel irrogaretur poena virtuti Confessarii, vel poenitentis, prout hic vel ille seductionem respuerit.

Concludas hinc oportet quod si graviter peccaverit Confessarius, dubitet vero an graviter peccaverit poenitens, poterit absolutionem impertiri, et viceversa; lex enim loquitur de complice formali, quae complicitas in dubio non habetur: Salmanticenses qua de causa optime ratiocinantur: « Idem dicendum est, » quando Confessarius v. g. certo » peccavit, dubitatur tamen, an pec- » caverit poenitens; quia cum prae- » sens Constitutio ad complicem » formalem restringatur, non est » ratio, quare ad illum, qui dubie » solum est talis, sit extendenda. » *Loc. Cit.* n. *280.* »

Concludes insuper cum Gury *Casus Conscientiae Tom. II n. 621. et 622.* et aliis « 1°. Non est peccatum complicis, de quo hic sermo est, osculum obeunter datum, aut tactus momentaneus manuum vel honestarum partium ex ioco vel levitate. 2°. Idem est, si Confessarius puellam manu, brachio, vel collo prehendat, atque ipse quidem patiatur delectationem veneream ex sua parte, quamvis etiam externe declaratam, si nullam excitet in poenitente. 3°. Idem si Confessarius puellam dormientem, vel omnino invitam inhoneste tangeret vel opprimeret; idem iterum a contrario, si puella idem faceret Confessario 4°. Si Sacerdos induceret foeminam ad credendum, nullum esse peccatum, si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea ab ipso decepta, bona fide se turpiter tangi pateretur, quin formaliter peccaret, non esset complex, et ab eo Sacerdote absolvi posset. 5°. Si muliere ebria vel dormiente ad libidinem explendam uteretur, quia neque ebria neque dormiens ut complex formaliter haberetur: » Verum hi duo postremi casus rari admodum sunt.

Cetera vide penes probatos auctores.

Monitum ad lectores.

Pag. 333 Col. 1. Scripsi et casui proposito hanc dedi resolutionem: « Puto illam posse a peccato com- » plicitatis indirecte absolvere, ea » tamen conditione, ut ei onus im- » ponat subiiciendi alii Confessario » illud peccatum vix occasio op-

» portuna sese exhibuerit, quo di-
» directam absolutionem referat ».

Erravi. Cum enim Benedictus XIV universam absolutionem invalidam et nullam esse decernat, utpote quia Confessarius iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existat, nullo pacto posset cetera peccata directe absolvere, et indirecte peccatum complicitatis. Quare in casu exposito Confessarius potest complicem suum directe absolvere, veluti si in mortis articulo esset constitutus; omnino enim in casu exposito legis vigor est mitigandus, atque Salmanticensium tenenda sententia, qui de praecepto annuae Confessionis loquentes haec dicunt: « Dum urget praeceptum Confes-
» sionis, quod non adimpleri non
» potest absque infamia, valet sa-
» cerdos inferior absolvere directe
» peccata non reservata, et indirecte
» peccata reservata; ergo complex
» in peccato turpi poterit in casu
» quaestionis absolvere poenitentem
» ab aliis peccatis directe, et a
» peccato turpi indirecte. Adde
» quod peccatorum reservatio debet
» esse in aedificationem, non in
» destructionem; et si in tali casu
» lex rigorose observaretur, potius
» destrueret quam aedificaret; unde
» mitiganda est ». Appendix Cap. VI n. 262. Etsi ego quoad absolutionem indirectam, ob rationes expositas, Salmaticensium sententiam amplecti verear, atque putem, Romanos Pontifices in hisce casibus extremae necessitatis Confessariis complicibus iurisdictionem et facultatem restituere, prout eis in articulo mortis restituunt, tamen Salmanticensium conclusionem amplector, et teneo.

Neque quoad indirectam absolutionem comparatione moveor peccatorum reservatorum; nam in peccata non reservata Confessarius legitimam habet iurisdictionem et facultatem: quare illa directe absolvere potest; at dum de complicibus sermo est, Confessarius auctoritate absolvendi privatus existit etiam relate ad alia peccata quae poenitens una cum complicitatis peccato accuset; qua de causa neque illa directe absolvere potest. Ne igitur dicantur Romani Pontifices etiam casus extremae necessitatis excepisse, et pro iis legem in destructionem non in aedificationem evulgasse, putandi sunt in praedictis casibus facultates opportunas Confessariis complicibus restituere, prout in articulo mortis restituerunt. Ad quot autem casus Theologi articulum mortis extenderint, lectores sciunt.

APPENDIX X.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA USURPATORES BONORUM ECCLESIASTICORUM

Aegro prorsus animo Caput XI *Apostolicae Sedis* pertractandum suscipio. Etsi enim in eo excommunicatio lata sit contra *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes;* tamen tanta inter fideles ipsos eorum bonorum est aviditas, ut latam excommunicationem omnino spernere videantur, quin et in tantam insipientiam nonnulli proruunt, ut, dummodo vel domum, vel agrum Ecclesiae emere a Daemanio possint, aere alieno se gravare non metuant.

Hi vero innocentiores prae ceteris, qui nimio fortasse religionis pietatisque fervore abrepti, revertendum esse inquiunt, ad illa beata Ecclesiae tempora, quando Christus pauper et in laboribus a iuventute sua mittebat Apostolos sine sacculo et sine pera et sine calceamentis ad praedicandum Evangelium universae creaturae; quando Apostoli et discepuli habentes alimenta et quibus tegerentur, his contenti erant; quando honores, divitias, possessiones, cetèraque mundi bona arbitrabantur ut stercora ut Christum lucrifacerent; atque eiusmodi religionis zelo, et Christi Domini nostri amore ferventes, e Monasteriis utriusque sexus monachos expellunt, ut eorum bona occupent; et quoniam charitas benigna est et non agit perperam, dant eis pensionem, quae si fortasse eorum necessitatibus plene non subveniat, mementote, inquiunt, quod Apostolus argentum et aurum non concupivit, atque ad ea quae ei et iis qui cum ipso opus erant ministraverunt manus eius. Ita et vos facite.

Bona verum Ecclesiarum Patriarchalium et Cathedralium vel *conversione* diripiunt, vel *daemaniatione;* et ne Canonicorum guttura in dei laude deficiant, pensionem pariter submínistrant, detractis expensis omnibus pro cultu, pro administratione quam ipsi gerunt, ne Deo militantes implicent si negotiis saecularibus. Equidem aliquando Canonici Cathetralium, ut ego ipse vidi, eleemosinam ab Episcopo quaerunt, cum pensio nullimode eorum necessitatibus faciat satis, atque ita miserrime vivunt, praesertim si parentibus penuria laborantibus circumdentur, ut melius villici et baiuli se habeant atque vespertitiones. Sed quid inde? Non vides quanta bona? Et Canonici imitatores fiunt discipulorum Christi, et Episcopi eleemosinae porrigendae frequentiorem nabent occasionem.

Quid igitur de Episcoporum bonis? Papae; Episcopatus Italiae sunt nimis opulenti; Episcopi plurimis servis stipantur, curru incedunt atque ornatu elegantiori: atqui id minime convenit Apostolorum successoribus, qui pedites, et sin absque sacculo et pera, viaria fortasse onusti sarcina, huc illuc fidem praedicaturi peregrinabantur; Episcopatuum igitur bona convertantur, Episcopi morem Apostolicum gerant, atque detur et ipsis pensio pro quantitate reddituum, omnibus expensis detractis. Sed hae quantae erunt? Novit Daemanium; et Daemanium iustitia et religione praestat.

Quid autem quod Episcopi pauperibus subvenire debeant, Clericorum seminariis, Ecclesiis egentibus, viduis, pupillis et orphanis? Collectas more apostolico instituant. Nonne etiam apostolorum et primaevae Ecclesiae temporibus calamitosi aderant et tamen Apostoli et Episcopi in nulla re eis deerant? Si illi ita faciebant, quare idipsum moderni Episcopi non faciunt? Apostolica charitas undenam abiit? Ehu quomodo defecit!

Sed quid? quod tunc fideles ferventiores erant, et Evangelicos operarios, iuxta Christi Domini sententiam, dignos mercede sua reputantes, quae ad victum atque vestitum necessaria erant, suppeditabant? Quid; quod vendebant agros pretiaque ad pedes Apostolorum ponebant? Quid quod domibus excipiebant etc. etc. etc. Revertantur Ecclesiastici ad illam beatam paupertatem, et haec heroicae charitatis exempla renovabuntur. Quomodo vultis ut fideles Ecclesiasticis subveniant, cum vident eos undequaque bonis omnibus abundare, se autem eorum comparatione egere? illos epulones, se autem Lazaros esse? Fiat conversio, et omnes et omnia ad loca sua redibunt.

Atque hinc nedum Religiosorum et sanctimonialium monasteria, nedum Cathedralium, Collegiatarum. Patriarchalium ecclesias diripuerunt, sed ut omnes, qui aliquo modo ad Ecclesiam pertinere dignoscuntur, tanto beneficio et beata paupertate gaudeant, nunc et Parochorum et Confraternitatum bona quaerunt, ut ea vel convertant, vel daemanio capiant, ita ut ecclesiasticis vitam aeternam relinquant, et ipsi pro se temporalem eligant.

Ne huius Commentarii lectores Commentatori irascantur, si omnimodis praetermitteret rationes et argumenta, quibus Ecclesiam bona temporalia iure possidere probatur, atque nullimode bona quae primitiva Ecclesia possidebat recenseret; hanc tractationem Capitis expositioni praemittere iudicavit, ut qui nesciunt per summa capita quid, circa hanc quaestionem, tenendum sit sciant.

Itaque 1°. Ecclesiam universitatem et perfectissimam societatem esse nemo negaverit; quamlibet autem societatem bonis communibus et temporalibus ad conventus exer-

cendos, ad stipendia ministris exhibenda, ad opera externa praestanda sive quae charitatis sunt, sive ea quae necessaria existimantur ad sui propagationem vel conservationem, indigere, res est adeo explorata, ut exploratum est, nullam unquam in orbe fuisse societatem, quae bona temporalia non possederit. Fortasse ne Ecclesia spirituum et Angelorum, qui nec victu nec vestitu indigent, neque domibus vel templis in quibus commorentur, non hominum societas est, qui corpore et anima costant? Hi ergo homines ad Ecclesiam pertinentes in iis quae communia atque necessaria cum ceteris hominibus habent ita regi debent ut ceteri reguntur, ea iura tribui quae ceteris tribuuntur: Si ergo his ius possidendi, acquirendi, conservandique bona temporalia quisque tribuit atque vindicat, quare eodem iure privabitur Ecclesia, iisdem laicorum necessitatibus subiacens?

Neque contrarium ex aliquo evangelico textu deduci posse arbitror. Quamvis enim ultro libenterque concedam, viris in sortem Domini vocatis nullimode laicorum more bonis temporalibus esse inhiandum, eosque victu atque modesto vestitu contentos corda sursum ad Dominum erigere debere, atque temporalibus ita uti, ut auxilio iis sint securius ac liberius quae Dei sunt, non quae mundi, praestandi; eos tamen ab illa sordida paupertate excludere necesse erit, quae mundo ipsi comptemptui est, quaeque a Christo certe non fuit Ecclesiae praecepta. Etsi enim Apostolus 2. Cor. VI. 10 dixerit: *nihil habentes*, dixit etiam: *omnia possidentes:* Etsi Christus discipulos interrogaverit Luc. XXII. 25 *Quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis?* Illi tamen responderunt: *non:* Etsi dixerit: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* Luc. 33.; dixit etiam; *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Matth. XIX 29. Quamvis Apostolis suis dixerit Matth. X 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* tamen haec ita dixit, ut nihil esset Apostolis defuturum: *dignus enim est operarius cibo suo.*

Etsi apertissime fassus sit: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* Luc. IX. 38; tamen neque domo neque tecto, dum regni Evangelium praedicavit, caruisse Christum legimus; et legimus e contra loculos habuisse, ut et fidelibus oblata conservaret, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribueret; non enim loculos illos adeo miserabiles fuisse

arbitrari debemus ut apostolorum victui quotidiano satis tantummodo fuerint. Unde enim hi secus emere potuissent *ducentorum denariorum panes?* Marc. VI. 37. Unde *in omnem hanc turbam escas?* Luc. IX. 13. Unde *abire in civitatem ut cibos emerent?* Ioan. IV. 8. Quamvis itaque paupertatem, humilitatem, mundique contemptum Apostolis et Discipulis verbo et exemplo Christus persuaserit, non illam tamen paupertatem, ut victum mendicando quaererent. Voluit enim ut nihil deesset Apostolis.

Atqui eis cui nihil deesse debet, aliquid certe, ne dicam plurimum, habendum est, ne desit aliquid.

Ex Christi verbis igitur, multo minus exemplo, non sequitur Ecclesiam nihil possidere debere neque posse; contrarium potius sequitur: At si Ecclesia aliquid possidere potest, possideat agros, domos, vel pecuniam, res adiaphora est. Unum igitur Christus voluit, ut Apostoli scilicet, eorumque in Sacerdotio Successores, ii etiam qui Ecclesiae ministerio mancipandi essent, ab omni terrenarum rerum affectu essent immunes bonisque temporalibus uterentur tum in propriam decentem sustentationem, tum in divinum cultum splendidius peragendum, tum pauperum levamen et adiumentum; non autem ut nihil Ecclesia ab ipso instituta possideret. Si enim his contraria dicamus, difficillime explicari posset ipsa Ecclesiae agendi ratio in prima illa aetate, quando vel Apostoli et discipuli vivebant, vel ii qui eos fuerant allocuti, eorumque magisterio edocti.

Nullimode enim negandum est, primis tribus saeculis Ecclesiam bona stabilia, ut inferius videbimus, possedisse; atqui haec possedisse Christi voluntate, et non aliqua hominum lege inde patet, quod Christiana Respublica ab initio contra voluntatem eorum qui tunc imperio potiebantur fuerit instituta, cui proinde civiles leges aliquid possidere negabant, cum esset coetus iuribus publicis dissociatus.

Quid ergo dicemus? Ecclesia tunc temporis bona habuit: haec vero iure civili non possedit; possedit igitur iure proprio et nativo; ius ergo illud non erat contra Christi voluntatem; sin minus enim Ecclesia ab exordio nuncium voluntati et mandato Christi remisisset.

Quod si dicere velimus, ethnicos aliquos imperatores christiano coetui possidere permisisse, in idipsum res recidit; cum nullimode putanda sit Ecclesia contra evidentissimum Christi mandatum Caesarum edicto vel permissioni ob temperasse.

Ut autem aliquid de Ecclesiae bonis primis tribus saeculis scribatur, ultra fateor, non potuisse certe tunc temporis multa stabilia bona ab Ecclesia possideri, persecutionum, quae tum ingruebant, causa.

Cum enim qui christiani essent, nedum mortis damnarentur, sed

eorum etiam bona addicerentur fisco, imprudentissime se gessisset Ecclesia si bona immobilia, quae a fidelibus offerebantur, sibi reservasset; tunc enim non ad pauperum inopiam, non ad proprias necessitates sublevandas, sed ad persecutorum avaritiam explendam reservasset.

Minime tamen negandum est, saeculo secundo et tertio, sua fuisse Ecclesiae stabilia bona. Lampridius enim in vita Alexandri Severi refert, ab hoc Imperatore templum Christianis addictum, de quo caupones controversiam agebant. « Cum » Christiani quemdam locum, qui » publicus fuerat, occupassent; con» tra popinarii dicerent sibi eum » deberi, rescripsit, melius esse ut » quomodocumque illic Deus cola» tur, quam popinariis dedatur. »

Ergo saeculi tertii initio, Christiani loca publica occupabant; habebant scilicet templa, in quibus, religionis causa, convenirent; quae cum Imperatorum Rescripto possiderent, omnino credere debemus, Ecclesiam domos quoque et agros possedisse, quorum redditibus et sacri ministri, et pauperes alerentur, et impensis pro Religionis cultu subveniretur.

Certum insuper omnino est, saeculo tertio a civili auctoritate agnitum approbatumque fuisse ius christianorum publica coemeteria possidendi, cuius iuris indubia vestigia sub Pontificatus Zephirini, Romae praesertim et in Africa Proconsulari apparent; atque cum huius Pontificatus initio coincidit Rescriptum Septimii Severi, qui confirmavit, et in universo Romano imperio ratum haberi voluit privilegium Coemeteriorum collegialium atque societatum sub eiusmodi titulo institutarum; quae coemeteriales areae adeo publicae erant, ut Chartagine a gentilibus conclamatum sit contra *areas sepulturarum* Christianorum.

At hisce societatibus collata fuisse cetera iura quae cuilibet societati pertinerent, a Gaio discimus, qui in Digesto III. 4. 1. §. 1. ait: « Qui» bus permissum est corpus habere » collegii, societatis, sive cuiusque » alterius eorum nomine, proprium » est ad exemplum reipublicae ha» bere res communes, arcam com» munem, et actorem sive Syndi» cum, per quem tanquam in Re» publica, quod communiter agi » fierique oporteat, agatur, fiat. » Vixit Gaius Antoninorum tempore.

Atqui Ecclesiam christianam, seu christianorum coetum veluti corpus collegiale spectatum et habitum fuisse, praeter argumenta supra allegata, omnino demonstravit D. Ioannes de Rossi in sua *Roma Subterranea* Tom. 1. pag. 104.

Ergo Ecclesia Christiana et iura possidendi habuisse dicenda est.

Quoniam vero pax christiana primaevis illis saeculis res valde inconstans erat, fidenter asserimus, ab Ecclesia primaeva non adeo bona immobilia possessa fuisse, quomodo hodiedum contingere videmus; id

enim christiana prudentia vetabat; Ex hoc vero nihil contra iura Ecclesiae sequitur; sicut nil sequitur contra eum qui nihil possideat, quod possidere non possit; at nos de iure quaerimus.

Attamen plura stabilia primis tribus saeculis Ecclesiam reapse possedisse, testis omni exceptione maior est Eusebius, qui H. E. lib. II. Cap. 39 Constantini legem profert, qua iubet restitui Ecclesiis domos, possessiones, agros quibus persecutionis tempore expoliatae fuerant. « Omnia » ergo quae ad Ecclesiam recte visa » fuerint pertinere, sive domus ac » possessio sit, sive agri, sive horti, » seu quaecumque alia, nullo iure » quod ad dominium pertinet im» minuto, sed salvis omnibus atque » integris manentibus restitui iube» mus. »

Ecclesia igitur possidebat agros, domos, possessiones; habere ergo se putabat eadem iura ac quaelibet alia societas.

Unde autem arbitrabimur haec possidendi iura sibi Ecclesiam arrogasse nisi ex quo omnino persuasum haberet, nullimode contra legem Christi se agere, ita agendo? Dicas enim vel edicto imperatorum possedisse, vel contra, id unum dicturus eris, Ecclesiam semper putasse iure potuisse possidere; non enim dicenda est Imperatorum edictum praecepto Christi praetulisse.

Attamen praeter haec immobilia bona, alia plurima habebat Ecclesia, quibus abundanter tum Ministris, tum cultui divino, tum pauperum necessitatibus subveniebat. Fideles enim ea, qua aestuabant charitate, abundanter adeo Ecclesiis tribuebant, ut de oblationibus eiusmodi pulcherrime Tertullianus in Apologetico, tum Iustinus in sua Apologia secunda pro christianis: « Qui copiosiores sunt, hic inquit, » et volunt, pro arbitrio quisque suo » quod visum est contribuunt; et » quod ita colligitur, apud praepo» situm deponitur, atque inde opi» tulatur pupillis et viduis, et his » qui propter morbum vel aliam » causam egent. »

Ille vero, « Praesident probati » quinque seniores honorem istum » non pretio, sed testimonio adepti, » neque enim pretio ulla res Dei » constat; etiamsi quod arcae genus » est, non de oneraria summa quasi » redemptae religionis congregat. » Modicam unusquisque stipem men» strua die, vel cum velit, et si » modo possit, apponit; nam nemo » compellitur, sed sponte confert. » Haec quasi deposita pietatis sunt. » Nam inde non epulis, non pota» culis, non ingratis voratrinis di» spensatur, sed egenis alendis hu» mandisque, et pueris ac puellis » re ac parentibus destitutis, aeta» teque domitis senibus, item nau» fragis; et si qui in metallis, et si » qui in insulis, vel in custodiis, » dumtaxat ex causa Dei Sectae, » alumni confessionis suae fiunt. »

Hae autem largitiones etsi voluntariae, ita tamen copiosae erant,

ut neque christiani pauperes se his abstinerent. Qua de causa Cyprianus, sermone de eleemosyna ita avaritiam divitum increpandam duxit.

« Pudeat divites sterilitatis atque infelicitatis suae; vidua et inops vidua in opere invenitur. Cumque universa quae dantur, et pupillis et viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere, ut sciamus quae poena divitem sterilem maneat, cum hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant.

Quid; quod ipsi Ethnici conquerebantur, a christianis possessiones vendi, earumque pretium apud Ecclesiam deponi? De eiusmodi incredibili charitate ita Prudentius Poeta canit in hymno S. Laurentii Mart.

Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sexterciorum millia.
Addicta avarorum praedia
Foedis sub auctionibus
Successor exheres gemit
Sanctis egens parentibus.
Haec occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.

Hymn. 2. de coronis.

Ne quisquam tamen putet, voluntariis tantum tunc temporis fidelium largitionibus vixisse clericorum coetum; quandoquidem Episcopi et collectas et tributa fidelibus imponebant ad sublevandas Ecclesiarum fideliumque necessitates. Tertulianus hinc iam montanisticae sectae addictus Episcopis improperat quod a gentium magistratu pecunia redimerent potestatem fideles in religiosas synaxes congregandi: « Massaliter, totae Ecclesiae tributum sibi irrogaverunt! Hanc Episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi. Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo et Apostoli, fide non pecunia tuti. »

Et adversus Psychicos. « Episcopi universae plebi mandare ieiunia assolent; non dico de industria stipium conferendarum, ut vestrae capturae est. »

Hae vero eleemosynae tantae erant, ut nedum propriis ecclesiis sed etiam alienis sublevandis pares essent; atque hinc de Ecclesia Latina ad Soterem Papam scribit Dionysius Corinthus, Ecclesiae Romanae liberalitate universis Orbis Ecclesiis fuisse subventum. « Haec vobis consuetudo est iam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis et Ecclesiis quamplurimis, quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis; et hac ratione tum gentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis. »

At exinde argumentum duci posse censeo ad probandum, nedum pecuniarum vim ingentem ex fide-

lium largitionibus collectam Ecclesiam Romanam possedisse, sed etiam stabiles redditus habuisse, quibus tanta et tam universaliter praestare posset.

Sed esto; fuerit illa pecunia ex largitionibus collecta: quid inde? Nonne aerarium, quoddam ut ita dicam, erat Ecclesia, ex quo omnibus tum officiis tum personis subveniebatur? Quid autem interest pecuniam possidere vel domos aut agros?

Atque ex eiusmodi persuasione, quam semper Ecclesia habuit, ius scilicet nativum et proprium sibi possidendi bona immobilia ut mobilia competere, factum esse puto, ut contra illorum invasores aut usurpatores in plurimis Conciliis excommunicationem iniecerit.

Ut nonnullos, ad Lectorum eruditionem, canones antiquae Ecclesiae subiiciam; in Concilio Aurelianensi III. anno 538 habito, Can. XXII. statutum fuit, ut a communione Ecclesiastica suspenderetur quicumque non tantum res Ecclesiae debitas, sed proprias ipsius Sacerdotis occupasset aut retinuisset.

« Si quis res Ecclesiae debitas » vel proprias Sacerdotis, horrendae cupiditatis instinctu, occupaverit, retinuerit, aut a potestate » ex competitione perceperit (1); » aut eas non restituat, nullis rebus » excusetur. Sed si agnito iure ecclesiastico, non statim Ecclesiae » vel Sacerdoti reformaverit, aut » ut ipsum agnoscere possit, in » iudicium electorum venire distulerit; tamdiu a communione ecclesiastica suspendatur, quamdiu » restitutis rebus tam Ecclesiam » quam Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his, qui » oblationes defunctorum legaliter » dimissas quolibet ordine assignare » tardaverint, vel retinere praesumpserint, districtionis ecclesiasticae iuxta priores canones forma servetur. Cui etiam sententiae » subiacebit, quisquis ille quolibet » ordine, qui quod pro devotione » sua Ecclesiis dedit, revocare praesumpserit. »

Ecclesia scilicet adeo persuasum semper habuit, ius sibi competere quaelibet bona possidendi, ut et iu-

(1) Potestas igitur, ex cuius imperio bona ecclesiastica possidet christianus, nullimode hunc ante supremum Iudicem Deum excusabit. Praestat hoc loco referre, quae narrat Gregorius Turonensis lib. 4. de Gestis Francorum Cap. 2. « Clotarius Rex indixerat, ut omnes » Ecclesiae regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent. Cui licet inviti sancti Epi» scopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Iniuriosus respuens, subscri» bere dedignatus est, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum auferet;* » *quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea* » *repleantur*. Et iratus contra regem, nec vale dicens abscessit. Tunc commotus Rex, ti» mens etiam virtutem Beati Martini, emisit post eum cum muneribus veniam petens, et » hoc quod fecerat, damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem beati Martini Antistitis » exoraret. » Haec lectores conferant cum iis quae nunc fiunt.

Competitio autem habetur quando plures rem eamdem petunt, praesertim a iudicibus. Pro re nostra intellige licitationem.

dicia atque excommunicationem in eos instituerit, qui illa quomodolibet usurparo praesumpsissent.

Qua de causa haec ipsa repetita invenimus in Concilio Aurelianensi V. (an. 549) Can. XIII, in quo Patres contra usurpatores sententiam dixerunt, quod bona ecclesiastica invadendo, pauperum necatores efficerentur.

« Ne cui liceat res aut facultates » Ecclesiis, aut Monasteriis, aut Xe» nodochiis pro quacumque eleemo» sina cum iustitia delegatas retenta» re, alienare, atque subtrahere. » Quod quisquis fecerit, tanquam » necator pauperum, antiquorum » canonum sententiis constrictus ab » Ecclesiae limitibus excludatur, » quamdiu ab ipso ea, quae sunt » ablata vel retenta reddantur. »

Una igitur e potissimis rationibus, qua Ecclesia in usurpatores huiusmodi multa severitate animadvertit, ea fuit, quod bona Ecclesiastica pauperum sint patrimonia, in pauperes, in cultum divinum, in ministrorum alimenta impendenda.

Atque haec praecipua ratio fuit, qua Patres Concilii Meldensis anno 845 celebrati Carolum Calvum libertate quae Episcopis decet, monendum censuere, ut ablatas res ecclesiasticas restitueret, utque eas depraedari ultro prohiberet:

Can. XVII. « Ut res ecclesiasti» cae tempore principatus vestri » ablatae ex integro praesentialiter » restituantur, et restitutae conser» ventur, sicut tempore avi et pa» tris vestri fuerunt, et excepto » superposito, quod ad usus possi» dentium absumtum est, quomodo » tunc erant, quando vos illas inde » tulistis, sine refragratione reddan» tur. Hinc enim in Canone quinto » Aurelianensis quinti, tit. 14 scri» ptum est: Ne cui liceat res etc. » *ut supra.* »

Atque inde Regem enixe exorant Can. XXIV. « Ut contra de» praedatores et oppressores Eccle» siarum et rerum ad easdem per» tinentium defensores secundum » ministerium vestrum, quantum » Deus posse dederit, existatis; et » praecepta, quae avus et pater Ec» clesiis ditioni vestrae subiectis fe» cerunt, ac firmaverunt, et stabilita » confirmaverunt, quaeque vos con» firmastis, de cetero rata in omni» bus conservetis. »

Sed dicunt hi: Fortasse ne Ministri altaris in pauperum alimenta et Ecclesiarum divinique cultus splendorem proventus erogant ecclesiasticos, et non potius in alios usus? ad acquirendas, scilicet, vel augendas familiarum suarum divitias, in victum atque superfluum vestitum, in venationes, itinera etc.?

Et utinam hic ecclesiasticae pecuniae abusus a plerisque numquam factus fuerit, neque fiat! Sed quid inde? Fortasse ne quod divites divitiis abutantur suis, fures et latrones illi non erunt, qui iniuste bona eorum occupent diripiantque? De iure contendimus, non de usu.

Etiamsi vero eiusmodi abusum

a plerisque factum fuisse concedam, atque ob hanc causam Deum in Ecclesiasticos fortasse expoliatione animadvertisse, nullimode tamen negandum est, ingentem eorumdem bonorum vim in pauperum, Ecclesiarum, cultusque divini nitorem consumptam fuisse.

At tu qui ita Ecclesiasticis improperas, in quos usus diremptam pecuniam nostram, ablataque Ecclesiarum bona consumpsisti?.... (1).

Haec autem firmiter adeo custodita in Ecclesia reperiuntur, ut in Concilio Turonico sub Alexandro Papa III, anno 1163 celebrato, poenae statutae fuerint in ipsos Episcopos et clericos qui laicis aut decimas, aut alia bona ecclesiastica concessissent.

« Quamvis, inquiunt Patres, gra» ve nimis et divini dignum animad» versione iudicii habeatur, quod » laici quidam quod Sacerdotum est » usurpant in ecclesiasticis rebus ; » maiorem id incutit formidinem ac » dolorem, quod fomitem sui erro» ris dicunt in ipso Clero aliquo» ties invenire; dum quidam fra» trum et Coepiscoporum nostro» rum, aliorumque Praelatorum Ec» clesiae decimas eis et Ecclesiarum » dispensationes indulgent, et in » devia eos mortis impellunt, qui » praedicatione illorum ad vitae » viam fuerant revocandi. De qui» bus dicit Dominus per Prophetam: » *peccata populi mei comedunt, et* » *ad iniquitatem provocant animas* » *eorum*. Unde statuimus, ut si quis » alicui laico in saeculo remanenti » Ecclesiam, decimam, (2) oblatio» nemve concesserit, a suo statu » tanquam arbor, quae inutiliter

(1) Has tamen contra Ecclesiasticos querimonias, Daemaniatores nostri a gentium magistratibus mutuati sunt. In hymno enim S. Laurentii Prudentius Poeta ita gentiles magistratus loquentes inducit :

Hunc esse vestris orgiis
Moremque et artem proditum est;
Hanc disciplinam foederis
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Non me latet, de Exuperio Tolosatium Episcopo narrare Hieronymum, *Christi corpus in canistro vimineo, et sanguinem* portasse *in vitro*, alios in ligneis calicibus sanguinem Christi consecrasse etc. Sed hi erant qui in redemptionem captivorum, in solamen pauperum, in aliosque eximie et heroicae charitatis usus, vasa sacra argentea et aurea, vel vendiderant, vel confregerant.

(2) Multi nesciunt, vel nescire se simulant, quibus rationibus Ecclesia decimas solvere iusserit. Eas legant in sequenti Can. XIII. Concilii Triburiensis an. 895 celebrati « De do» cimis Augustinus doctor mirabilis sub brevi ratiuncula rem satis dilucidasse videtur, cum » ait: Decimae ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe, meus es homo, mea est » terra quam colis, mea semina quae spargis, mea animalia quae fatigas, meus est solis » ardor, et cum omnia mea sint, tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris, sed

» terram occupat, succidatur, et do-
» nec se emendet, lapsum suum
» deflens, subiaceat dolore prostra-
» tus. »

Hic canon habetur Cap. *Quamvis* De decimis.

Velle autem contendere haec ab Ecclesia fuisse constituta turpissimae avaritiae causa, atque contra divinaque et humana iura, est ipsi religioni nuntium remittere.

Vestigiis igitur antiquorum Patrum inhaerere Concilii Tridentini Praesules cum sess. XXII. Cap. XI de Reformatione paenas statuere contra bonorum Ecclesiae aut locorum piorum usurpatores:

« Si quem Clericorum vel lai-
» corum, quacumque is dignitate,
» etiam imperiali, aut regali prae-
» fulgeat, in tantum malorum
» omnium cupiditas occupaverit,
» ut alicuius Ecclesiae, seu cuius-
» vis saecularis vel regularis bene-
» ficii, Montium pietatis, aliorum-
» que piorum locorum iurisdictio-
» nes, bona, census ac iura etiam
» feudalia et emphyteutica, fructus,
» emolumenta seu quascumque ob-
» ventiones, quae in ministrorum et
» pauperum necessitates converti
» debent, per se, vel alios, vi vel
» timore incusso, seu etiam per sup-
» positas personas clericorum aut
» laicorum, seu quacumque arte,
» aut quocumque quaesito colore,
» in proprios usus convertere, illas-
» que usurpare praesumpserit, seu
» impedire ne ab iis, ad quos iure
» pertinent, percipiantur; is ana-
» themati tamdiu subiaceat, quam-
» diu iurisdictiones, bona, res, iura,
» fructus et reditus, quos occupa-
» verit, vel qui ad eum quomodo-
» cumque, etiam ex donatione sup-
» positae personae, pervenerint, ec-
» clesiae, eiusque administratori,
» sive beneficiato, integre restitue-
» rit; ac deinde a Romano Ponti-
» fice absolutionem obtinuerit. Quod
» si eiusdem Ecclesiae patronus fue-
» rit, etiam iure patronatus, ultra

» servo tibi novem, da mihi decimam? Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si » dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo quaerit aliquis, cur decimae dentur, » sciat quod ideo dandae sunt, ut hac devotione Deus placatus largius praestet quae neces- » saria sunt; et ut ministri Ecclesiae exinde relevati liberiores fiant ad spiritualis servitu- » tis expletionem, et ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, » nec non secundum statuta canonum in sustentationem pauperum, et restaurationem Ec- » clesiarum proficiant, quatuor enim fieri partes iuxta canones iudicamus de decimis et obla- » tionibus fidelium; ut una sit Episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaura- » tioni Ecclesiarum servetur ».

Prosequitur vero S. Augustinus in cit. Sermone *de rebidendis decimis:* « Quod si deci- » mas non habes fructuum terrenorum, quas habet agricola, quodcumque te pascit ingenium. » Dei est; et inde decimas expetit unde vivis: de militia, de negotio, de artificio redde deci- » mas. Aliud enim pro terra dependitur; aliud pro usura vitae pensatur. » Decimae igitur ad fovendam pietatem, ad recognoscendum supremum Dei in res omnes dominium, eiusque mutuam charitatem, ad promerendam Omnipotentis providentiam et peccatorum veniam, ad religionis divinique cultus incrementum conferuntur.

» praedictas poenas, eo ipso priva-
» tus existat. Clericus vero, qui
» nefandae fraudis et usurpationis
» huiusmodi fabricator, seu consen-
» tiens fuerit, eisdem poenis sub-
» iaceat, nec non quibuscumque
» beneficiis privatus sit, et ad quae-
» cumque alia beneficia inhabilis
» efficiatur, et a suorum ordinum
» executione, etiam post integram
» satisfactionem et absolutionem, sui
» Ordinarii arbitrio suspendatur.

Ita ut Tridentini Patres poenas contra huiusmodi usurpatores vel alienatores bonorum ecclesiasticorum hoc vel in illo Concilio sancitas, simul collegerint atque rennovaverint, nullum excipientes, non regem, non principem, non laicum, non ecclesiasticum. Cum autem tanto iure sibi bonorum Ecclesiasticorum possessionem competere Ecclesia perspiceret, nil mirum si inter caeteros, e iam eiusmodi bonorum usurpatores in Bulla coenae excommunicaverit:

§ 17. « Quive iurisdictiones, seu
» fructus, reditus et proventus ad
» Nos, et Sedem Apostolicam, et
» quascumque ecclesiasticas perso-
» nas, ratione Ecclesiarum, Mona-
» steriorum, et aliorum Beneficio-
» rum ecclesiasticorum pertinentes
» usurpant, vel etiam quavis occa-
» sione, vel causa, sine Romani Pon-
» tificis, vel aliorum ad id legiti-
» mam facultatem habentium ex-
» pressa licentia, sequestrant.

Porro caput nostrum inter et Bullae coenae paragraphum nonnullae differentiae intercedunt, quae probe sunt notandae.

Et 1°. In Bulla Coenae Pontifices loquuntur de iurisdictionibus, fructibus, redditibus et proventibus, nulla de *bonis* facta mentione; at in Constitutione nostra Pius Papa IX bona disertis verbis expressit: *usurpantes bona.*

2°. *Iurisdictiones*, quas in numero plurali Bulla coenae commemorat, Constitutio nostra singulari numero recenset: *usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem.*

3° In Bulla coenae commemorantur fructus, redditus, proventus etiam *monasteriorum* seu Ordinum religiosorum: omittuntur vero in Constitutione *Apostolicae Sedis.*

Hae vero differentiae, ut infra videbitur, non uni quaestioni facient satis.

Summus Pontifex itaque excommunicatione plectit usurpantes aut sequestrantes: 1° iurisdictionem, 2° bona, 3° reditus ad personas ecclesiasticas non quacumque de causa, *sed ratione Suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.*

Usurpare autem in genere est rem alienam sibi adscribere; stricto autem sensu est sibi tamquam proprium quod aliorum est vindicare. Quo sensu Bonacina *Tract. de Censuris omnibus ecclesiasticis in particulari Disp. 1. q. XVIII. punct. 1. n. 3.* scribit: « hoc verbum accipi
» pro actione, qua quis rem alie-
» nam sibi adscribit tamquam pro-
» priam, seu tamquam sibi debi-

» tam, licet sciat ad alium perti-
» nere; vel ut alii loquuntur, pro
» actione qua quis rem alienam ra-
» pit, non tamquam alienam, sed
» tamquam propriam, seu ac si ad
» se pertineret. »

Sequestratio autem, vel sequestrum proprie dictum, est rei controversae, seu fructuum eius apud tertium, securitatis gratia, legitime facta depositio; qua de causa tum reus tum actor concurrunt ad rem, de qua controversia est, apud eum deponendam, qui sequester est. Verum non hoc sensu sequestratio hoc in capite accipitur; sequestrare enim in eo est impedire ne bona, reditus, fructus ab iis ecclesiasticis personis percipiantur, ad quas ratione Ecclesiarum, vel beneficiorum pertinent. Atque quantum ad sequestrantium actionem attinet, sequestrum hoc in capite eumdem sensum habet ac ipsa usurpatio; et hi enim tamquam suum quod aliorum est sequestrant. Differunt sequestrum et usurpatio; quod haec fiat auctoritative, scilicet a potestatibus superioribus; illud vero mediante iudicio iniusto, ideoque intervenientibus quoque potestatibus inferioribus.

Ex iis vero manifestum est, in hanc excommunicationem omnes illos incidere, qui iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes usurpant vel sequestrant, praesumentes id sibi competere aut licere ratione auctoritatis aut potestatis, qua praediti sunt, aut ratione sententiae plane iniustae latae a iudice aliquo, ut ex. gr. si quis Praetor sententiam dicat pro Titio ut sequestrum apponat fructibus ad Caium ratione beneficii aut Ecclesiae pertinentibus.

Qua de causa usurpatorum nomine venire non possunt privatae personae, (licet haec sequestrantes esse possint), quae bonum aliquod Ecclesiae, sive fructum usurpent; cum in iis usurpatio stricto sensu, prout hic accipienda est, vix aut ne vix quidem concipi possit, cum legibus latis obstringantur, et potius ut fures et latrones sint habendae, quorum actio sub excommunicatione non cadit, quam usurpatores proprie dicti. Optime proinde scribit Roncaglia *De censuris, Tract. IV, Cap. IV. Q. II. R. 1.* « Ad incur-
» rendam hanc censuram interve-
» nire debet usurpatio, hoc est quod
» aliquis surripiat... *auctoritative.* »

Quod si pro Bulla Coenae id valuit, multo magis valet pro Constitutione nostra, quae lata est, ut bona Ecclesiastica a Guberniorum rapacissimis manibus defenderentur, et nihil a privatis personis timendum erat.

Equidem verba generalia sunt; sed quid inde? Nonne sunt expendenda et intelligenda tum in se, tum ad tramites praesertim legum et morum vigentium? Quae autem privata persona bona, fructus, iurisdictionem Ecclesiasticam usurpare

aut sequestrare nunc potuisset etiam attentis legibus guberniorum? Nulla. Usurpatio vero in suo cõnceptu nonne potestatem dicit et requirit? Et ipsa sequestratio, dummodo voluntaria non sit, nonne iudiciali sententia interveniente fieri debet? Qua ergo ratione possumus inter usurpatores privatas personas annumerare?

Privatae igitur personae ab eiusmodi censura sunt excludendae, et tantummodo illae accensendae quae potestatem habent et auctoritatem sumendi tanquam suum quõd Ecclesiae est et erat.

Quid autem iurisdictionis nomine hic loci intelligitur? Comprehendit ne tum spiritualem tum temporalem; vel ad hanc tantummodo coarctatur?

Et quidem dũbitationi locum praestat ipsa Bulla Coenae, in qua numero plurali *iurisdictiones*, recensebatur. Verum ipsum Bullae Coenae caput impellit quominus de unica temporali iurisdictione, exclusa spirituali, Constitutionis nostrae iurisdictionem intelligamus.

Et 1°. Pius Papa Nonus censuras limitare voluit, non multiplicare; atqui in Bulla Coenae *iurisdictionum* nomine voluisse Pontifices temporales non spirituales iurisdictiones indigitare, multa sunt quae suadent. Atque suadet 1°. quod de spirituali iurisdictione disertis verbis egerant Capitibus XIV, XV et XVI; qua de causa putandi non sunt eamdem excommunicationem voluisse repetere sub dubia verborum forma etiam Cap. XVII.

2° Hoc in Capite agunt Romani Pontifices de rebus omnino temporalibus, uti sunt reditus, proventus, fructus; quibus proinde miscenda non erant spiritualia.

3°. Utuntur vocabulo *iurisdictiones*, numero scilicet plurali; quo quidem vocabulo optime iurisdictiones temporales designari possent, quae variae sunt, prout vario modo tunc competebant eidem praelato ratione eiusdem praelaturae, at iurisdictio spiritualis una est prout respondet dignitati qua quis est insignitus. Atque hinc capite praecedenti ad indigitandam iurisdictionem spiritualem, singulari numero Pontifices usos esse reperimus: *quominus iurisdictione sua ecclesiastica contra quoscumque utantur*.

Cum igitur de iurisdictione temporali, saltem probabilius, ut puto, ageretur in XVII Bullae Coenae Capite noluit certe Romanus Pontifex Pius IX etiam ad spiritualem iurisdictionem Caput illud extendere, atque hanc cum bonis Ecclesiae temporalibus iterum recensere; eo vel magis quod de ea superioribus Capitibus, sexto praesertim, abunde et amplissime egerat.

Neque quis dicat, praedictis Capitibus Pium IX eos excommunicasse qui spiritualis potestatis exercitium essent impediturí; ideoque sub diverso respectu, ac fit in praesenti capite, excõmunicationem tulisse: nam nescio quomodo ipsa po-

testas impediri possit, nisi exercitium impediatur: et multo minus nescio quomodo spirituali iurisdictioni sequestrum possit apponi; dum tamen in Constitutione excommunicentur *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem*.

Quod vero quis subsumat; legem nil distinguere, nobisque proinde nullum distinguendi ius suppeditare; id locum habere respondeo, quando in ipsa lege distinguendi nulla ratio reperiatur; id autem in capite nostro nullo modo contingere rationes expositae, ni tamen fallor, diserte probare possunt.

Quid? Dices ne in Italia iurisdictione temporali nullum tunc Episcopum vel Praelatum potitum fuisse; ideoque frustra in hanc usurpantes Pontificem excommunicationem tulisse?

Sed dato et minime concesso quod hi affirmant, fortasse ne Constitutio *Apostolicae Sedis* pro sola Italia lata fuit, vel solos Italos obstringit? aut tantum Italicum gubernium Ecclesiae iuribus adversatur? Deinde, si ita res est, quare etiam alii *Constitutionis* interpretes de temporali iurisdictione Pontificem loqui fatentur, licet et spiritualem adnectant? Difficultas quapropter et ipsos arguentes premit. Ego vero illud addo quod cum in Superioribus Capitibus semper de spirituali iurisdictione, aut de iis quae ad spiritualem iurisdictionem referuntur, locutus sit R. Pontifex: in duobus vero postremis Capitibus nonnisi de temporalibus Ecclesiae rebus, rationabilius concludere possum, in hisce postremis eum noluisse spiritualem iterum cum temporali iurisdictione confundere, et quia inutile erat, et quia confusionem pariebat.

Unicuique vero manifestum esse arbitror, ut ad rem nostram redeamus, praesenti Capite Romanum Pontificem voluisse Patrimonium Ecclesiae integrum a guberniorum unquibus servare, quae vel hoc, vel illo praetextu in illud saepe manus iniecerunt, et iniicere pergunt. Qua de causa ad incurrendam eiusmodi excommunicationem necessarium omnino est, 1° ut iurisdictio, bona, redditus ab Clericorum ad quos ratione vel Ecclesiae vel beneficii pertinent, manibus eripiantur, et ad laicorum potestatem transeant:

Si enim, iurisdictio, bona, reditus Ecclesiae maneant, usurpantes aut sequestrantes excommunicationem non incurrunt, cum patrimonium Ecclesiasticum integrum servetur, et Constitutionis latae finis nullimode violetur.

Ex quo sequitur, quod si quis Ecclesiae Praesul, vel Beneficiatus, vel Parochus bona alterius Episcopi vel beneficiati, aut Parochi non sibi individuo, sed Ecclesiae suae aut beneficio adnectat, excommunicationem non incurrit, quia possideat hic vel ille, patrimonium Ecclesiae integrum servatur.

2° Necessarium est, ut usurpatio aut sequestratio iniuste fiat; si enim quis bona sua quamvis ab Ec-

clesia possessa iuste invadat, vel sequestret, hic non usurpator vel sequestrator habendus est, sed ut ille, qui quamvis modo in lege non praescripto, quod suum est repetit; atque Pontifex de cetero usurpatores patrimonii Ecclesiastici excommunicatione plectere voluit, non propriorum bonorum occupatores, quamvis non servato iuris ordine illa occupent.

Hinc cum mica salis intelligendum est quod affirmat Cardinalis De Luca *Theatrum veritatis et iustitiae Lib. III. Part. 1. De Iurisdictione Discept. 48. n. 7.* scilicet: « Non enim ex eo quod aliquis, » etiam probabilem, beneque fundatam praetensionem habeat ad » bona per alium possessa, sequitur » quod ei licentia tribuenda sit, de » facto ac propria auctoritate se » intrudere, ac pacificum possessorem perturbare; nam debet servatis servandis coram possessoris » iudice competente eius iura experiri; alias semper erit spolium » et illicita turbatio ».

Cum mica salis, inquam, haec sunt intelligenda. Nam quamvis ultro sit concedendum eiusmodi bona, servato ordine iuris esse repetenda ab eo qui certus est ea ad se pertinere, nullimode tamen concedendum est occupatorem excommunicationem incurrere, si spreto ordine in iure constituto, bona illa sibi de facto vindicet; nam excommunicatio lata est contra usurpantes aut sequestrantes ecclesiastica bona; bona autem, de quibus in casu, non sunt Ecclesiae; ergo nullimode occupator illorum lata excommunicatione percelletur.

Probanda exinde mihi quoque videtur opinio a doctissimo Ferraris exposita in sua prompta Bibliotheca. V. Bona Art. 1. n. 30. « Probabiliter credentes Bona Ecclesiae ad se pertinere, si illa occupent, non incidunt in excommunicationem Bullae Coenae et Concilii Tridentini (consequenter neque in excommunicationem latam hoc in capite Constitutionis nostrae), quia ad hanc incurrendam requiritur certa scientia, quod res occupata sit Ecclesiae; unde eam non incurrunt occupantes, qui bona Ecclesiae praetendunt esse sua aliquo iure, quia tunc nec direptio, nec usurpatio cadit in rem uti ecclesiasticam; et sic cessat censura tam Concilii quam Bullarum, ad quam incurrendam requiritur dolus ex proposito ».

Probanda, inquam, haec sententia mihi videtur; cum enim et in nostra Constitutione excommunicentur usurpantes aut sequestrantes bona ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione vel Ecclesiae vel beneficii, iam hi qui ea occupant quod sua aliquo iure esse credunt, neque malum propositum habent, neque iniuriam ecclesiastico coetui inferre volunt, quod probe notandum est, sed tantum id sibi vindicare quod suum esse iure putant.

Advertendum tamen est, ratio-

nes quibus ad ita agendum huiusmodi homines moventur, non futiles, aut inanes esse debere, sed bene in iure fundatas, ita ut certitudinem praebeant; in dubio enim melior est conditio possidentis.

Neque hi in foro externo uti excommunicati essent habendi, dummodo constet, eos ita egisse, quod bona ab Ecclesia possessa sua esse fuerint arbitrati, et titulos ostendant.

Haec vero eruditionis potius causa, quam necessitate ducti scripsimus; cum enim supra affirmaverimus eiusmodi usurpationem auctoritative fieri debere, eam in privatis personis vel nunquam, vel casu admodum raro evenire posse credimus, cum lege ipsa ab huiusmodi usurpatione coerceantur, a daemanii ipsius directoribus, inquam, qui si quem laicum videant in res ecclesiasticas iura allegare, illam modis omnibus cribrant, ne e suis manibus controversa bona excidant.

Exinde quoque fluit, nullimode esse excommunicatos usurpantes bona, vel fructus quos Sacerdos percipit ex bonis patrimonialibus, ad quorum titulum ordinatus fuit; eiusmodi enim bona vel fructus non pertinent ad eum ratione beneficii vel Ecclesiae. Multo minus illos excommunicationem incurrere, qui clerico cuilibet tantum ex fructibus, etiam qui ad eum pertinerent ratione Ecclesiae vel beneficii, sequestrarent, quantum suo credito respondet, modo tamen creditum non excedat. Nam et hi quod suum est accipiunt non quod Ecclesiae, neque alicui iniuriam inferunt.

Sed neque fures, latrones, milites fructus aut bona Ecclesiae surripientes, cum non agant auctoritative, neque ea principaliter ut bona Ecclesiae furentur, sed ut sibi consulant. De qua re nedum habemus Sacrae Congr. Concilii decretum in *Sorana* sub die 27 Februarii 1696 ita expressum « Fu- » res surripientes res Ecclesiae vel » locorum piorum non incurrere » excommunicationem Bullae coe- » nae, neque Concilii ». Sed relate ad Constitutionem nostram propositum fuit sequens dubium S. U. Inquisitioni : « Censura undecima » specialiter reservata Sum. Pontifici » sic exprimitur etc. : Sub nomine » usurpantes comprehenderentur ne » fures, qui furarentur beneficiariis » fructus suorum beneficiorum ».

Feria IV die 9 Martii 1870 Emi DD. dixerunt : *non comprehendi.*

Pariter excommunicati non sunt qui debita beneficiatis vel Ecclesiis non solvunt, ut constat, tum quia hi neque ut usurpantes aut sequestrantes sunt habendi; tum quia pariter in eadem *Sorana* ita a S. Congregatione Concilii definitum esse reperimus his verbis: *Neque qui debita non solvunt, licet possint, ut in Caietana 15 Novembris 1659.*

Sed nequidem Clerici qui ex agris beneficiorum vel Ecclesiae concidunt arbores, quas concidere

non debent, etiamsi earum fructibus Ecclesia vel successores in beneficio fraudentur; nam hi non sunt inter usurpatores proprie dictos accensendi, sed potius inter fures, et ad restitutionem tenentur.

Neque usurpantes et sequestrantes bona vel redditus Cappellaniarum laicalium; nam Cappellaniae laicales non appellantur nec vero sensu sunt beneficia, sed potius piae fundationes vel pia legata, neque eriguntur voluntate Episcopi; qua de causa eiusmodi Capellaniarum bona stricto sensu vocari ecclesiastica non possunt, etiamsi ex voluntate fundatoris et rei natura cedant in utilitatem Ecclesiae et plerumque alienari non possint sine Apostolicae Sedis venia.

Sed neque illi qui usurpant vel sequestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertineant ad personas ecclesiasticas rationa. suarum Ecclesiarum aut beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum locorum, id est nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium; hi tamen incidunt in excommunicationem latam a Concilii Tridentini Patribus Sess. XXII. de Reform. Cap. XI, quarum supra retulimus (*a*).

In hanc pariter excommunicationem latam a Tridentinis Patribus, non vero in eam quae hoc Cap. XI. Constitutionis nostrae speciali modo Romano Pontifici reservata est, incidunt ii omnes qui bona ecclesia-

(*a*) Actuales usurpatores eiusmodi bonorum in Tridentini excommunicationem incidere clarum esse puto. Quid autem dicendum de illorum bonorum usurpatione, quae quidem ad pia loca pertinebant, sed ante actualem invasionem iam in potestatem laicorum transierant, ita laicis administrabantur sine ulla ab Episcopis dependentia?

In eiusmodi bonorum usurpatione valde attendendam esse censerem praescriptionem, seu diuturni temporis intervallum, et tacitam permissionem Ecclesiae. Si enim bona illa iam a multis annis a laicis administrabantur, et Ecclesia nullam de re querelam movit, uti mere laicalia bona illa considerari possunt, et usurpatores ab excommunicatione immunes. At non idipsum censerem, si initio actualis aggressionis bona illa ex. gr. Hospitalium, Montium pietatis etc. ad Laicorum manus transierint, et hisce diebus sub licitatione vendantur: cum enim nulla praescriptio, nullusque tacitus Ecclesiae consensus supponi possit, tum usurpatores, tum ementes in Tridentini excommunicationem incidere certissime tenendi sunt.

Advertendum insuper esse arbitror, sub nomine piorum locorum, de quibus in cit. Tridentini Capite agitur, esse ea pia loca tantummodo intelligenda quae vel ab Ecclesia, vel cum dependentia ab Ecclesia administrantur, non illa vero quae vel a privatis personis, vel a solo gubernio sine ulla ab Ecclesia dependentia reguntur. Concilii enim Tridentini Patres dum sub eorumdem bonorum nomine ea comprehenderunt, *quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent*, non id intellexerunt ut omnes illi excommunicationem incurrerent, qui bona quaelibet, dummodo in pauperum sustentationem cederent, usurparent, sed illi tantummodo qui usurparent eadem bona quae ad Ecclesiam aliqua ratione spectarent: Id ipsi Tridentini Patres indigitant, dum praedictis bonis etiam iura feudalia et emphyteutica adnectunt, quae de iuribus tantummodo ecclesiasticis sunt intelligenda. Atque demum concludunt, personas Ecclesiasticas tantummodo enumerando: *is usurpator, anathemati tamdiu subiaceat quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, et reditus quos occupaverit,...* ecclesiae, eiusque administratori, sive beneficiato *integre restituerit*. Sin haec admittamus, erunt, vi Tridentinae dispositionis, excommunicati etiam qui usurpant bona Capellaniarum mere laicalium. Quod nemo dixerit.

stica usurpata ab usurpatoribus emunt, vel alio contractu accipiunt; hi enim usurpatores non sunt habendi, quamvis sciant illa esse usurpata; cum enim lex sit odiosa strictae interpretationi subiacet; et cum hic agatur non de natura aut gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inflicta, locum habet regula iuris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit, noluisse censendus est. De cetero habetur in re decretum S. U. Inquisitionis, quod ita propositum fuit: « N. N. Episcopus Dioecesis F. » sequentia dubia S. U. Inquisitio » Congregationi proposuit.

I. « Qua parte Tridentinae Cen- » surae a Constitutione *Apostolica* » *Sedis* confirmatae adhuc vigeant? » Quod idem est ac quaerere: an » peccans in materia, quam et Con- » stitutio Apostolicae Sedis, et Con- » cilium Tridentinum attingunt in » duplicem excommunicationem in- » cidat, alteram Romano Pontifici » specialiter reservatam vi supra- » dictae Constitutionis, alteram sim- » pliciter reservatam vi Concilii » Tridentini. Et proinde an usur- » patores bonorum Ecclesiasticorum » duplici innodentur excommuni- » catione?

II. « An qui emunt ecclesiastica » bona ab usurpatoribus usurpata » incidant in excommunicationem » Romano Pontifici specialiter re- » servatam vi Articuli XI. memoratae » Constitutionis?

III. « An saltem in excommu- » nicationem Romano Pontifici sim- » pliciter reservatam vi Capitis XI » de Reformatione Sess. XXII a » Concilio Tridentino editam ».

S. U. I. Congregatio die 8 Iulii 1874 respondit:

Ad I. *Negative.* Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata.

Ad II. Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam; etenim praescindendo an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constit. Apostolicae Sedis Art. XI, nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione Cap. XI de Reform. Sess. XXII. Concilii Tridentini.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Paucis Confessariis dum varii casus vel in fidelium Confessionibus excipiendis exhibentur, vel consilio requiruntur, prae oculis habendum est, quod hic agatur de lege strictae icterpretationi subiecta, et de usurpatione proprie dicta, et quidem auctoritativa, non privata. Qua de causa ubi proprie dicta usurpatio deest, deest et censura. Non ergo sub usurpatorum nomine venire possunt, qui decimas, locationum pretia, Canones emphyteticos, debita personis Ecclesiasticis non solvunt, neque qui non restituunt res usurpatas quas vel emerunt; vel dono acceperunt, neque qui bona

Ecclesiarum et beneficiorum vastationibus, rapina, incendiis affecerunt; nam hi non sunt usurpatores proprie dicti.

Si igitur supremos magistratus, Deputatos utriusque Parlamenti, et Reges excipias, qui iniquissimam legem de bonis Ecclesiasticis usurpandis approbarunt, vel confirmarunt, nemo alius fortasse huic excommunicationi subiicitur. Idipsum autem de sequestrantibus dici neque potest, neque debet. Cum enim hi etiam inferiores iudices esse possint, qui iniqua sententia praecipiant, bona ecclesiae vel beneficii illius sequestro esse subiicienda, omnino patet, et hos esse ex hoc capite excommunicatos.

At iniqua sententia diximus: cum, scilicet, iudex sine ullo iustitiae fundamento, et mala prorsus fide sententiam dicit de sequestrandis ecclesiasticis bonis. Si enim sententiam proferat vel ad tramites iuris vigentis, vel bona prorsus fide, nulla eum excommunicatione irretiri sentio. Iudices enim iuxta leges vigentes iudicare compelluntur: hi autem ex Cap. VII huius Constitutionis excommunicationi non subduntur, sed ii qui illos cogunt ad trahendum sive directe sive indirecte, sive in civili, sive in criminali, prout ibi exposuimus, ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Cum autem ad sequestrum apponendum requiratur iudicium, iam iudices qui iuxta leges vigentes id facerent, excommunicatione essent immunes. Atque idipsum dicito, si bona prorsus fide sententiam dicant, putantes, scilicet jura illi qui sequestrum petit, iuxta acta et probata favere; putandi enim sunt ad tramites legis iudicasse: ex hoc igitur capite non sunt excommunicati eo quod ut coacti habeantur; at neque ex eo quod sententiam iniustam dixerint; cum enim haec bona fide lata sit, et sine ullo dolo, culpa caret. At sine culpa excommunicatio non contrahitur.

Idipsum autem de eo qui sequestrum a iudice petit dici non potest; hic enim ex duplici capite excommunicationem incurrit; ex capite quidem VII quod cogat iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personam ecclesiasticam praeter canonicas dispositiones; et ex capite praesenti quod iniuste, quamvis per sententiam iudicis, bona ecclesiastica sequestret; nullo enim pacto lata sententia eum ab excommunicatione liberat, cum ipsi notum apprime sit eam esse iniustam, et de cetero vere et proprie sub sequestrantium nomine veniat, sub quo, ut iam animadverti, etiam privatae personae venire possunt.

Quid vero de Monasteriorum bonis? Incurrunt ne excommunicationem qui illa vel usurpant vel sequestrant?

Et quidem ad quaestionem impellit ipsum quod pertractamus Caput, cum in eo praetermissa sint monasteriorum bona, quae in Bulla coenae recensebantur.

Interpretes vero digladiantur; et hi quidem affirmativam sententiam tuentur, illi negantem.

Qui affirmant, ab usurpantibus aut sequestrantibus monasteriorum bona excommunicationem praesentis Capitis incurri, rationi innituntur, quod etiam eiusmodi bona pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum, saltem aliquo modo.

Qui negant, firmioribus argumentis nituntur; et horum sententiam sequor et amplector.

Et 1° nullimode dubitandum est, in Capite praesenti illos tantummodo excommunicari qui usurpant vel sequestrant bona ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Iam vero Monasteriorum bona sub hoc censu venire non possunt; nam si loquamur de individuis religiosis, qui monasterium constituunt, tam certum est ad eorum neminem Monasterii bona pertinere, quam certum est quemquam illorum voto paupertatis obstringi; cuius voti causa regularium nemo potest bona sive immobilia, sive mobilia possidere. « Nemini Regularium, » inquiunt Concilii Tridentini Patres » Sess. XXV Cap. II, tam virorum, » quam mulierum liceat bona im- » mobilia vel mobilia, cuiuscumque » qualitatis fuerint, etiam quovis » modo ab eis acquisita, tamquam » propria, aut etiam nomine Con- » ventus possidere, vel tenere; sed » statim ea superiori tradantur, » Conventuique incorporentur. Nec » deinceps liceat Superioribus bona » stabilia alicui Regulari concedere, » etiam ad usumfructum, vel usum, » administrationem aut commen- » dam. Administratio autem bono- » rum Monasteriorum seu Conven- » tuum ad solos Officiales eorum- » dem, ad nutum Superiorum amo- » vibiles, pertineat; Mobilium vero » usum ita Superiores permittunt, » ut eorum supellex statui paupert- » tatis, quam professi sunt, con- » veniat; nihilque superflui in ea » sit; nihil etiam, quod sit neces- » sarium, eis denegetur. Quod si » quis aliter quidquam tenere de- » prehensus aut convictus fuerit, » is biennio activa et passiva voce » privatus sit; atque etiam iuxta » suae Regulae et Ordinis constitu- » tiones puniatur ».

Bona itaque et reditus bonorum nullimode ad religiosos pertinent; qua de causa hi in praesenti capite comprehendi nequeunt sub nomine personarum ecclesiasticarum; nam hae sunt illae ad quas *iurisdictio, bona, reditus pertinent*.

Sed 2° neque eos afficit particula *Suarum Ecclesiarum* : nam Monasteriorum bona, ad Ecclesias non pertinent, sed vel ad ipsa Monasteria, vel ad Ecclesiarum Sacristias.

Non equidem inficior, pleraque ex iis bonis ad Ecclesias monasteriorum pertinere, cum in iis fundatae Capellaniae reperiantur, atque

testatorum voluntate bona relicta inveniantur Ecclesiae ex.gr. S.Francisci, S. Pauli, S. Ignatii, quod in illis Ecclesiis praesertim contingit, quae prius erant sub Cleri saecularis dominio, at id Religiosis familiis nullas fert suppetias: Capite enim nostro non excommunicantur tantummodo usurpantes bona ecclesiastica, sed usurpantes bona quae pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum; cum autem bona haec quae relicta sint religiosorum Ecclesiis non pertineant neque pertinere possint ad religiosos, hinc eiusmodi bona sub censu bonorum, de quibus in Capite non comprehenduntur; et consequenter illa usurpantes vel sequestrantes excommunicationem non incurrunt. De cetero et bona haec vi Tridentinae dispositionis sunt Conventui incorporanda.

Nulla vero quaestio quod ad ipsos pertinere non possint ratione beneficiorum.

Non iis tamen argumentis tantummodo haec sententia innititur, sed et aliis quae probe sunt enucleanda:

In Bullae coenae Cap. 17 excommunicationi subdebantur ii qui *iurisdictiones, seu fructus, reditus et proventus ad.... quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant vel.... sequestrant.* Ita ut Monasteriorum reditus quoscumque Legislatores disertis verbis expresserint; qua de causa nullum dubium quod qui ante Constitutionem Pianam avidas in Monasteriorum reditus manus iniecissent, excommunicatione plectebantur.

At in nostra Constitutione Pius Papa IX Monasteriorum bona praetermisit, et quidem dum excommunicationem in citato Bullae coenae capite latam instaurare voluit. Hinc vim omnimodam hoc in loco habet effatum illud: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est.* Omnimodam inquam, vim eiusmodi effatum hoc in loco habet; non enim putandus est legislator vel legem non observasse, vel obliteratam Constitutionem ad memoriam non revocasse, cum eam sub oculis habuerit, atque interdum verbis identicis eiusdem sanctiones innovaverit. Quod praetermisit igitur, studio praetermisisse, putandus est. Demum cum lex sit odiosa strictae interpretationi subiicienda est; cum itaque in ea Monasteriorum bona praetermissa sint, nullo modo huius Articuli XI excommunicationi usurpantes aut illa sequestrantes subdi possunt; attamen cadunt sub censura Tridentina, Romano Pontifici simpliciter reservata, ut in decursu huius Commentarii videbimus; sub qua et illi cadunt qui ab usurpatoribus bona ecclesiastica emunt.

Quid insuper de bonis Ecclesiarum vacantium? Illa usurpantes vel sequestrantes incidunt ne in praesentem excommunicationem?

Secernenda plane est hoc in Capite usurpatio illa quae regalio-

rum, vel regaliae nomine cohonestatur, ab usurpatione illorum bonorum Ecclesiarum vacantium aut beneficiorum quae sub regaliae, ut vulgo dicitur, iure non cadunt.

Circa haec postrema, quaecumque aliorum fuerit vel sit opinio, tenendum est, illa usurpantes aut sequestrantes excommunicationem huius capitis incurrere.

Eiusmodi enim bona, fructus, reditus pertinent ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum. De qua re ne quis miretur; in Concilio Chalcedonensi anno 451 sub S. Leone M. habito Canone XXV statutum fuit, ut bona vacantis Ecclesiae apud Oeconomum servarentur: *Ut viduae Ecclesiae reditus apud Ecclesiae Oeconomum salvus custodiatur.*

Atque hinc Can. XXVI Chalcedonenses Patres sancivere ut Ecclesiae bona ab Episcopo et oeconomo e clero electo administrarentur: « Quoniam in nonnullis Ecclesiis, « ut saepe a nobis auditum est, « Episcopi absque oeconomo tra- « ctant res ecclesiasticas, placuit « omnem Ecclesiam Episcopum habentem ex proprio Clero Oeconomum habere; ut nec sine testibus Ecclesiae sit administratio, « nec ideo res eius dissipentur, et « probrum ac dedecus Sacerdotio « inuratur. Si autem hoc non fecerit, divinis etiam Canonibus subiici. »

Haec vero vacantium Ecclesiarum bona successoribus esse fideliter conservanda vel in utilitatem Ecclesiae eroganda in pluribus Conciliis sancitum esse scimus: Ex. gr. in Concilio Ravennatensi V. sub Ioanne XXII anno 1317 celebrato sancitum fuit: Vacanti Ecclesiae « statim per ipsum Episcopum « oeconomus deputetur diligens « et discretus, qui redditus pro- « ventus ac bona ipsius colligat « et conservet, ad eiusdem Eccle- « siae, et successoris defuncti Re- « ctoris utilitatem et statum. » (1)

Bona igitur vacantis Ecclesiae cum omnimodis sint custodienda, ut deinde vel successori tradantur,

(1) Disciplina circa oeconomum cui administratio bonorum vacantis Ecclesiae committeretur, aliquando immutata reperitur, attamen quoad substantiam integra. Ex. gr. in Concilio Aurelianensi secundo sub Childeberto rege an. 533 celebrato viciniori Episcopo haec cura Canone XVI committitur. « Ut Episcopus qui ad sepeliendum Episcopum venerit, evocatis presbyteris in unum, domum Ecclesiae adeat, descriptamque idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat, ut res Ecclesiae ullorum improbitate non « pereant. »

Successivis temporibus eiusmodi curam Archidiacono vel Clero commissam reperimus, quibuscumque saecularibus exclusis. Ita in Concilio Parisiensi V. an. 615, regnante Clotario, habito Canone VII statutum fuit: « Ut defuncto Episcopo, non per praefectum neque per « iudicem, nec per qualemcumque personam res Ecclesiae vel Episcopi propriae a nullo « penitus contingantur, sed ab archidiacono vel Clero in omnibus defendantur et defensentur. Quod si quis immemor huius definitionis temere aliquid exinde auferre praesumpserit, « aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, et de dominatione ipsius Ecclesiae abstulerit, ut necator pauperum communione privetur. »

vel iis conserventur qui Ecclesiae illius curam habent, dici nequeunt ad neminem spectare; spectant enim ad eos qui ad sacrorum Canonum praescriptum in Ecclesia vacante succedunt: spectant ergo ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum. Nullimode enim refert quod eiusmodi bona aliquando, ut ex. gr. cum successori tradenda sint, hinc et nunc ad nullam determinatam personam pertineant, cum certum sit ad personam aliquam ecclesiasticam pertinere; neque in Capite affirmatur, personas esse determinatas debere ut incurratur excommunicatio; hac enim in hypotesi nedum finis latae legis quo consulitur integritati patrimonii Ecclesiastici, violaretur, sed remedium usurpatoribus excommunicationem vitandi pluribus in casibus porrigeretur, tempus scilicet expectando quo beneficia vacent, ut eorum bona usurpare possint.

Unum ergo attendendum est: Ut bona scilicet usurpata vel sequestrata pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Ab eiusmodi quapropter excommunicatione illos excipiendos esse censerem, qui fructus et reditus usurparent alicuius vacantis ecclesiae non successori, vel sacerdotibus Ecclesiae illius distribuendos, sed haeredibus defuncti tradendos; hi enim fructus et reditus non pertinent ad personas ecclesiasticas, licet ab aliquo ecclesiastico beneficio deriventur; neque per illorum usurpationem aut sequestrationem patrimonium ecclesiasticum imminuitur, sed neque coetui ecclesiastico iniuria irrogatur, cum fructus illi ad nullam ecclesiasticam personam spectent. Casus esset si quis usurparet aut sequestraret fructus maturos Parochi mox defuncti consanguineis tradendos.

E contra excommunicationi subiecti essent illi qui pensionem Ecclesiasticam a Gubernio statutam viro alicui Ecclesiae usurparent, quod nonnisi ab ipso gubernio fieri potest, vel iniuste sequestrarent: cum enim pensiones illae tribuantur ratione vel Ecclesiae vel beneficii habendae sunt ut bona, fructus, redditus pertinentes ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Non eodem tamen ratiocinio uti debemus, cum de regaliorum iure loquimur, ac usi sumus dum sermonem habuimus de usurpationibus bonorum Ecclesiarum vacantium, etsi quoad substantiam par causa sit.

Regaliae porro iure Principes saeculares reditus Ecclesiarum vacantium suos faciunt, conferunt beneficia quae conferre ad Episcopum spectabat, donec novus Episcopus iuramentum fidelitatis praestiterit, et in dioceseos possessionem immissus fuerit; demum praesentant personas idoneas ad beneficia maiora.

Ne igitur error subrepat, ad-

vertendum est eiusmodi regaliae abusum, in plurimis regnis legitimum evasisse sive per concessionem sive per tolerantiam Romanorum Pontificum. Qua de causa ubi adhuc viget, Reges nullam excommunicationem contrahunt reditus vacantium Ecclesiarum sibi usurpantes.

At si a Romanis Pontificibus abrogatum fuerit, et Reges vel Gubernia iterum, ne Antecessorum praerogativis fraudentur, illud conservare pertentaverint, vel noviter in regno introducere conentur, nullimode dubitandum est quin excommunicationem huius Capitis incurrant. Usurpant enim fructus, et reditus ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum pertinentes. (1)

(1) In Concilio Lugdunensi II. generali XIV sub Gregorio X circa regaliam haec statuta fuere.

« Universos et singulos, qui regalia, custodiam sive guardiam, advocationis vel defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare » conantes, bona Ecclesiarum monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium usurpare » praesumunt, quantacumque dignitatis honore praefulgeant clericos etiam Ecclesiarum, » monachos monasteriorum, personas ceteras locorum eorumdem, qui haec fieri procurant, » eo ipso excommunicationi subiacere. Illos vero Clericos, qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum seu locorum ipsorum pro tempore, quo » praemissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus.

Verum non exitale abusus cessavit. In concilio enim Herbipolensi anno 1287 sub Honorio IV celebrato Cap. VI iterum statutum fuit: « Qui vacantium Ecclesiarum et decedentium clericorum bona immobilia seu mobilia de cetero usurpabunt, aut usibus propriis » deputabunt, sint ipso facto excommunicati. » Atque idipsum in plerisque posterioribus Conciliis. Ita ut quisque perspicere possit quantopere a principibus saecularibus Lugdunensium Patrum decretum observatum fuerit!

APPENDIX XI

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA EOS QUI INVADUNT, DESTRUUNT, DETINENT CIVITATES ET LOCA QUAELIBET AD ECCLESIAM ROMANAM PERTINENTIA, VEL IN EIS SUPREMAM IURISDICTIONEM USURPANT, ET RETINENT.

Postrema quae speciali modo reservata sit Romano Pontifici, est excommunicatio lata in *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*

Contra dominium temporale Romanorum Pontificum pluries conclamarunt antiqui et moderni, non certe Ecclesiae filii; atque pluries vi et armis invasum fuit; et veluti in illud omnes iura possiderent, nunc hac nunc illa provincia decurtatum, quolibet legitimae possessionis iure conculcato.

Ne autem quocumque invadendi iure destituti viderentur postremi usurpatores se scire affirmabant quod: *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.* Syllabus §. IX. Prop. 75. ex Litteris Apostolicis *Ad Apostolicae* 22 Augusti 1851; quasi eiusmodi compatibilitas in dubium revocari possit post factum mille annorum, vel quasi ex eo quod perduelles nonnulli de alicuius iure disputent, licitum sit huius iura invadere et impune conculcare. Et tamen haec Nuytz Professor iuris canonici in Universitate Taurinensi docebat.

Quid vero quod alii affirmarunt, quod: *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret?* Syllabus §. IX. Prop. 76. Ex Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849.

Ad quae profecto quid respondendum sit nescio. Unusquisque enim novit ad quantam libertatem felicitatemque conducta sit Ecclesia postquam Apostolica Sedes civili imperio expoliata fuit!!!. Non ego itaque, non quilibet alius, sed facta respondent. Iis vero qui tanta pietate moventur ignoscenda mensura votorum est; verbis enim Ecclesiae libertatem felicitatemque exoptant, dum reapse servitutis eam iugo premunt.

Et quidem quanto sacrilegio quisque novit. Cum enim Ecclesia Christi perfectissima inter omnes societas sit, cui munus commissum docendi omnes gentes viam verita-

tis et iustitiae, easque propterea ab erroribus undequaque sparsis revocandi, ut vitam aeternam assequi possent; nullimode se poterat a civili societate segregare, cum ut hanc edoceret instituta fuerit, sed inter homines versari ut muneri sibi a Christo commisso faceret satis.

Illa itaque tempora, quibus in catacumbis et in cavernis terrae, egens, angustiata, afflicta degebat Ecclesia, non ipsi naturalia fuere, sed difformia; non enim Apostolis suis Christus dixerat: euntes, in solitudinibus errate, in desertis poenitentiam agite, in speluncis cum scorpionibus ferisque habitate, hominum societatem et consortium fugite, sed: *euntes, docete omnes gentes baptizantes eas:* sed: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* sed: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* Marc. XVI. 15.

At docere omnes gentes, at praedicare Evangelium omni creaturae nonne importat magisterium et auctoritatem? Christi igitur Ecclesia auctoritate divina fruitur in iis quae ad religionem spectant cunctis hominibus gentibusque praesidendi, et cum nulli alii a Christo eiusmodi munus traditum fuerit, non Imperatori, non Regi, non principi, nullus alius se potest debetque in eiusmodi magisterio ingerere. Ecclesia igitur Christi non potest neque debet a statu separari; homines enim qui per Ecclesiae magisterium edocendi sunt anima et corpora constant; erant Imperatorum Romanorum aliorumque regum subditi, ut modo quorumcumque Regum subditi sunt; atqui hi subditi Ecclesiam per baptismum ingrediuntur, quin cives esse desinant; sunt eodem tempore Ecclesiae, et principum saecularium subditi; horum et illius legibus obstringuntur, et utrique societati obedientiam debent, Ecclesiae praecipue, quia huius finis nobilior.

Sed si universae creaturae obedientiam et obsequium Ecclesiae debent, in conceptu igitur Ecclesiae includitur quod Regina, princepsque sit, non famula, non ancilla; proindeque ab eiusmodi conceptu excluditur incompatibilitas civilis principatus Romani Pontificis, qui huius Ecclesiae iure divino princeps et Caput est.

Nonne enim indecens valde est, eum qui divino iure cuncto populo christiano in varias mundi plagas disperso praesidet, imperioque potitur quali nullus unquam Princeps potitus fuit, saeculi Regibus subiacere?

Sed nonne per octo circiter saecula subiacuit? Quid ergo? Fortasse ne eiusmodi subiectio munus subiacendi infert? Nullimode: et tanto minus infert quanto temporum, locorum personarumque circumstantiae calamitosiores erant, quanto minus ecclesiastica potestas explicare se potuit, quantoque acrius pugnare debuit ut illam potestatis

externae plenitudinem assequeretur, qua a Christo fuerat instructa?

Quod si eiusmodi argumentum aliquid valeret, ad aliaque extenderetur; nemo populis praeesse posset qui aliquando subiacuit; nemo Rex fieri qui quandoque subditus fuit.

Unde vero munia principatus civilis pugnare cum officiis potestatis ecclesiasticae deprehenduntur? Utraque potestas enim ad felicitatem adducit; laicalis quidem ad naturalem, spiritualis ad aeternam consequendam; et sicut naturalis felicitas non opponitur supernaturali, ita neque potestas politica spirituali opponitur; mirifice quin immo mutuo adiuvantur, si consociatae maneant. Cum enim utraque potestas ad felicitatem aeternam adducere subditos debeat, et ecclesiastica quidem immediate; huic vero concredita sint eloquia Dei, ex quorum observantia salus aeterna credentium pendet; atque de cetero quae credenda quaeque agenda infallibiliter suggerat proponatque; haec prae laicali potestate, melius cognoscere potest et cognoscit, quid illi aeternae felicitatis assecutioni opponatur, proindeque prae laicali, tutius relate ad finem humanae societatis populos regere atque moderari.

Haec autem dicimus non ut Ecclesiae imperium universale vindicemus; absit! sed ut demonstremus quantopere a veritate aberrent illi, qui de spiritualis cum temporali potestate compatibilitate disputant.

Profecto hi et intrinsecum utriusque potestatis conceptum in quo nihil pugnans reperitur, et historiam nescire se demonstrant. Nonne enim apud antiquissimos populos, iidem reges ac Sacerdotes? Unde vero in primaeva illa gente utriusque potestatis unio nisi ex iure naturali, ex quo, ut minimum dicamus, deprehendebant, nullimode sacerdotalia laicalis potestatis muniis contradicere, ut simul in uno stare non possent? Et Romani Imperatores nonne summi sacerdotii potestatem sibi adiunxerunt? Quod vero apud haebraeorum gentem iidem iudices et Sacerdotes essent notum omnibus est.

Haebraicae vero nationis *statutum*, si ita loqui fas est, Deus ipse condidit. Deus igitur ipse nullimode Sacerdoti supremo disconvenire iudicavit populo suo et in civili praeesse, cunctaque regere ac moderari?

Si qui ergo sunt qui de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant, hi non veri catholici, non veri Ecclesiae filii, sed ii sunt qui et intrinsecum ecclesiasticae atque laicalis potestatis constitutionum, et ius naturale divinumque, insuper communem privitivorum saltem populorum consensum vel nesciunt vel perfricte negant. De iis vero impugnatoribus gloriamur.

Quod enim ex verbis Christi: *regnum meum non est de hoc mundo, regnum meum non est hinc*

aliquid contra dominium temporale Romanorum Pontificum obiicere serio possint,non video. Christus enim neque Regem illis verbis se esse (erat enim Rex Regum et Dominus dominantium atque Pilato sciscitanti: Ergo Rex es tu; ex animo respondit: Tu dicis quia Rex sum ego) neque in mundo se regnare aut regnaturum esse negavit.

Putabat autem Pilatus, Christum ad instar Tiberii Caesaris, aut Herodis Antipae accusari quod regnum affectaret, id enim ex accusatione deprehenditur; atque, quod probe notandum est, accusatio erat personalis. Quid igitur Christus Dominus? Negavit utique ad instar Tiberii aut Herodis aut aliorum qui tunc mundi sceptra moderabantur, se regem esse; atque citatis verbis refellere impactam sibi calumniam voluit, quod in detrimentum Romanorum affectaret imperium.

At ex hoc quid contra politicum Romanorum Pontificum dominium? Nihil profecto.

Christus enim dum affirmavit se Regem esse, locutus est vel de temporali, vel de spirituali suo regno. Si de temporali, cum Christus Rex temporalis fuerit, nullimode repugnat, ut Romanus Pontifex qui Christi vices gerit in terris, sit et ipse Rex: Si autem locutus est de regno suo spirituali quid ex hoc? Nihil; utraque enim potestas simul in uno optime stare potest, ut tum in iure naturae, tum sub lege scripta stetit, ipsius Dei Omnipotentis constitutione.

Id vero plurimi ex iis qui de convenientia civilis principatus in Romano Pontifice disputarunt, perbelle intellexerunt: qua de causa seposito Evangelio, ad conditiones hodiernae societatis, italicae praesertim, recursum habuere, ut aliquo pacto se sustinerent.

Dixerunt quapropter; etsi optime factum fuisse ut Romani Pontifices etiam principatum laicalem habuerint, atque illa aetate qua illud arripuere utillime tum in Ecclesiae bonum tum societatis laicalis arripuisse; nunc autem circumstantias esse mutatas, diversas esse populorum aspirationes, proindeque nunc in detrimentum omnium vergi, quod ab initio in omnium utilitatem institutum fuit.

Qui respondeant, rogo. In quo populorum, italici praesertim, civilitati scientiae, et prosperitati adversatur civilis Romanorum Pontificum principatus? Fortasse ne Romani Pontifices Reges civilitati aliquando bellum indixerunt? aut populos sibi subiectos, scientiis opportunis fraudabant, duraque servitute premebant? Est ne ullimode subditorum Pontificii status prosperitas comparanda cum ea, qua nunc sub italico gubernio fruuntur?

Profecto ego Gregorii XVI ex parte, et integrum Pii Papae Noni Pontificatum vidi. Partibus non studeo, adulandi cupidine non moveor, neque miseria ad loquendum indu-

cor. Sed utriusque regni, cum eo sub quo nunc vivimus, facta comparatione, nullimode ad bonorum ecclesiasticorum depraedationem habito respectu, et non ad ecclesiasticum, sed ad laicalem coetum respiciens: utinam, omnes conclamare compellimur, utinam ad illa tempora revertamur quando comedebamus panem in saturitate; quando pax et iustitia obviabant sibi, quando unusquisque securus dormiebat sub ficu sua et sub vite sua quando poenis plectebantur improbi, honesti vero homines ea libertate fruebantur, quam frustra nunc quaerimus.

Nunc autem quid? Utique per vias et plateas, in senatu et Foro libertatem ad caelum usque extolli audimus; sed quae libertas? Omnimoda licentia! Homicidium, scilicet, furtum, fornicatio, adulterium, blasphemia, periurium, fraus, mala fides, irreligio, inundaverunt! De cetero taxae et gabellae.

Hanc vero libertatem masonicam qua certe sub Romanis Pontificibus destituebamur, praesertim si ad partem moralem attendas, utique Masones atque cuiuslibet honestatis hostes exoptant et aspirant ; alii minime.

Quinam vero sint illi, cum quorum aspirationibus conciliari Romanorum Pontificum principatus nequeat , omnes norunt ; ita ut mendacissimi sint qui affirmant , saniores et cordatiores Catholicos , vel etiam maiorem Italorum partem abrogatum velle politicum Romani Pontificis principatum !

Hunc vero ei moraliter necessarium nunc esse ex eo quoque ostenditur , quod cum Christianus populus variis principibus in Europa praesertim subiaceat , secus ac ab initio fuit, qui uno imperio romano fere contringebatur ; si Romanus Pontifex alicui ex iis subditus fuisset, timendum erat ne ceteri eum uti communem patrem repudiarent, ea etiam ducti suspicione quod eius auctoritate in agendis premeretur , ei morem gereret , eius gratiam exoptaret; horribilibus autem in angustiis versari si quandoque contigisset , ut vel princeps diversam fidem profiteretur , vel offensum a Romano Pontifice se putaret , vel eius auctoritatis magnitudine invidia abriperetur. Ut prorsus sub Imperatoribus Constantinopolitanis contigit , a quibus etiam Romani Pontificis confirmatio petenda erat.

Qua de causa divina providentia factum esse credere debemus , ut Romanus Pontifex independens omnino a quibuslibet saecularibus principibus fieret, quo liberius et tutius munus sibi commissum pascendi et gubernandi universam christianam plebem exequi posset.

Divina , inquam , providentia factum id esse credere debemus etiam attenta eiusdem principatus origine. Dum enim alii principes vi plerumque et armis imperium assecuti sunt , Romanus Pontifex populorum libera atque voluntaria deditione Rex creatus fuit. Falsa

enim omnino scribunt, qui vel fraude, incensis ad rebellionem contra Graecorum Imperatorem subditis, vel Francorum Regum munificentia et liberalitate, politicum sibi principatum Romanos Pontifices sibi comparasse dicunt.

Primum enim diserte excluditur a Paulo Diacono, qui libro VI Capit. 49 de gestis Longobardorum scribit, Leonis Isaurici impio edicto contra cultum sacrarum imaginum, adeo Italiae populos, Ravennates praesertim et Venetos excanduisse, ut omnino imperatorem super se constituere fuissent moliti nisi eos Pontifex Gregorius II deterruisset: « Omnes Ravennae exercitus vel » Venetiarum talibus iussis uno a- » nimo restiterunt et nisi eos pro- » hibuisset Pontifex, Imperatorem » super se constituere fuissent ag- » gressi ».

Gregorius igitur obedientiam utique graeco imperatori persuasit, rebelliones non fovit.

Quid quod Anastasius Bibliothecarius in eius vita referat, Gregorium et imperiali Nuncio vitam servasse, gentemque Romanam deprecatum ne a fide Imperatoris deficeret? Digna sunt quae tanti scriptoris verba excribantur, ut omnibus notum sit quibus Romani Pontifices fraudibus sint imperium civile assecuti : « Cumque Leo » mitteret hominem proprium Ro- » mam cum scriptis suis, in quibus » continebatur, ut Pontifex occide- « retur cum optimatibus, Romani » cognita crudelitatis infamia pro- » linus ipsum Patricium (Spatarium » Marinum) occidere voluerunt, » nisi defensio Pontificis nimia prae- » pedisset .... His ita habentibus » elegit maius praesidium pater » ille, distribuere pauperibus lar- » gissima manu quae reperiebat, » incumbens orationibus, et ieiuniis, » et litaniis Deum quotidie depre- » cabatur; et spe ita manebat sem- » per fultus plusquam hominum. » Gratias tamen voluntati populi » referens pro mentis proposito, » blando omnes sermone, ut bonis » in Deum proficerent actibus et » in fide persisterent, rogabat. Sed » ne desisterent ab amore et fide » Romani imperii admonebat ; sic » cunctorum corda molliebat, et » dolores continuos mitigabat ».

Ad quid vero tot ieiunia tantasque preces multiplicaret Pontifex tradit ipse Anastasius dum scribit: « *sperans conversionem Principis* ».

Unum igitur exoptabat Gregorius, conversionem scilicet Leonis Isaurici qui tantopere contra cultum sanctarum imaginum debaccabatur. De cetero populorum quare rebellionem non foverit, sed compescuerit eius religio in causa fuit, qua fretus potius martyrium subire exoptabat, quam contra Imperatorem aliquid moliri, etsi nosset Universum Occidentem ad se oculos convertere: « Utinam, scribit ipse Leoni » Isaurico, utinam Dei munere no- » bis contingat, ut per Martini viam » incedamus, tametsi ob plebis uti-

» litatem vivere volumus, et super-
» vivere ; quandoquidem Occidens
» universus ad humilitatem nostram
» convertit oculos ».

Quamvis vero Pontifex Italorum defectionem a Graeco Imperatore prohiberet, minime arbitrari tamen debemus eam executioni non fuisse demandatam.

Cum enim Gregorius II omnino desperaret ad saniorem mentem se Imperatorem adducere posse: « re-
» spiciens, inquit Anastasius, pro-
» fanam principis iussionem, iam
» contra Imperatorem quasi contra
» hostem se armavit, scribens ubi-
» que, cavere se christianos, eo
» quod orta fuisset impietas talis ».

Quae etiamsi ad servandam avitam patrum fidem circa cultum Sacrarum Imaginum referenda sint, Pentapolitanae tamen Provinciae, exercitus Venetiarum, aliaeque Italiae gentes cum Imperatoris edicto etiam eius obedientiam repudiarunt, electis sibi novis Magistratibus, sub quorum obedientia securi persisterent. « Igitur permoti, prosequitur
» Anastasius, omnes Pentapolenses
» atque Venetiarum exercitus contra
» Imperatoris iussionem restiterunt;
» sibi omnes ubique in Italia duces
» elegerunt, atque sic de Pontificis;
» deque sua immunitate cuncti stu-
» debant. »

Romanos vero Romanumque ducatum Pontifici sponte se dedisse, sibique ut politicum principem imposuisse historica res est.

Gregorius enim fuit, qui ad Luitprandi Longobardorum Regis preces, Ravennae Exarcho permisit ut Romam ingrederetur et incoleret, veluti alius quilibet civis sine ulla prorsus auctoritate.

Gregorius fuit, qui contra Tiberium Petasium regnum sibi in Italia aucupantem et provincias Romanas occupantem misit exercitum et duces, qui Petasii occisione cuncta in ordinem redegeruut. Et Gregorius pariter fuit qui a Longobardis Sutrinam civitatem pretio redemit. Gregorius igitur politicam potestatem Romae et in Ducatu saltem Romano iam fuerat assecutus.

Hanc autem non fraudibus, non rebellionem Romanorum contra Graecum Imperatorem fovendo: libera igitur Romanorum deditione consecutus est.

Exinde vero quoque patet quantopere a veritate exorbitent illi, qui dominium temporale Romanorum Pontificum ex Francorum Principum munificentia repetunt.

Cum enim ex certissimis documentis historicis ea quae praemissa sunt constent ; constet insuper Gregorium III immediatum Gregorii II successorem binam legationem misisse ad Carolum Martellum qui sub titulo Maiordomus Galliarum regnum moderabatur, ei patriciatum offerens si Ecclesiae Romanae provincias a Longobardis defenderet ; quod munus nullimode offerre potuisset, si ipse Romanorum non fuisset princeps politicus, patriciatui enim adnexa erat potestas provincias cum summa

auctoritate sub Principum imperio administrandi, constet insuper Zachariam qui Gregorio successit a Luitprando Longobardorum Rege Hortam, Bomartium, Bleriam et Ameriam, quas ille armis occupaverat, recuperasse, ceteris praetermissis argumentis quae praesto essent, patere arbitror et hos Pontifices in Romanos supremam potestatem exercuisse, et a Francorum gente nullimode illam habuisse.

Franci utique defenderunt, et Romanorum Pontificum dominium dilatarunt; numquam vero crearunt.

Hunc vero principatum, cui omnigeno iure originis, possessionis, praescriptionis, Principum aliorum recognitionis, Romani Pontifices praeerant, hinc perduelles nostrates et externi e medio tollere conati sunt, et aliquando abstulerunt, etsi semper in propriam perniciem, hinc Romani Pontifices tum spirituali tum temporali gladio, ut par est, defendere. Quare et in ipsius Bullae Coenae Cap. XX excommunicatione percellebantur qui illius vel iura vel loca occupare aggressi fuissent. « Item » excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se seu » alios, directe vel indirecte, sub » quocumque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare et » detinere praesumpserint in totum » vel in partem almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae » et Corsicae, Terras intra Pharum, » Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaisinum, Sabinensem, » Marchiae Anconitanae, Massae Trabariae, Romandiolae, Campaniae » et marittimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis Commissionis Arnulforum, » civitatesque nostras, Bononiam, » Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca, vel iura ad » ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate » subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis » modis praesumunt: nec non adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes ».

Porro instituta comparatione relatum inter Bullae Coenae caput et nostrae Constitutionis sanctionem, invenimus in hac praetermissos fuisse *adhaerentes fautores, et defensores eorum,* qui loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia usurpare tentaverint.

Verum cum sub die 26 Martii an. 1860 idem Pius Papa Nonus speciales Apostolicas literas evulgaverat, quibus et praedictos excommunicationi subiicit, et renovasse visus in omnibus sit in Bulla Coenae latam excommunicationem; maxi-

mumque de cetero literae illae cum praesenti Capite Constitutionis nostrae habeant nexum, ad dicendorum declarationem illarum literarum partem aliquam referre ducimus: Inquit ergo Pontifex:

« Itaque post divini Spiritus lumen, privatis publicisque precibus imploratum, post adhibitum selectae Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis consilium, auctoritate Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, invasionem, et alia huiusmodi, de quibus in Nostris Allocutionibus die vigesima Iunii et vigesima sexta Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, Maiorem excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum Tridentini praesertim (Sess. XXII Cap. XI de reform.) Decretis inflictas incurrisse (1), et si opus est de novo excommunicamus et ana-

(1) In citato Tridentini Capite Patres loquuntur de bonis omnibus ecclesiasticis et de iuribus etiam feudalibus et emphyteuticis, etiamsi nulla expressa habeatur mentio de dominio temporali. Cum itaque R. Pontifex eos qui urbes, loca sui temporalis status usurpent, occupent, retineant excommunicationem incurrisse dicat a Tridentinis Patribus statutam contra bonorum ecclesiasticorum usurpatores, manifestum est, eum status sui politici provincias veluti ecclesiasticum patrimonium considerasse, et habuisse.

In hac eadem Constitutione rationes habentur, quibus iure RR. Pontifices dominium temporale se possidere confirmant, easque referre praestat ad lectorum eruditionem: « Cum » catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salu» tem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea » proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati » subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae tem» porum conditioni ac necessitati congruerent, ideirco singulari prorsus divinae providen» tiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divi» sum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae Caput centrumque consti» tuit, civilem assequeretur Principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, » ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate, Summus Pontifex illa frue» retur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, aucto» ritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane » decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium pote» statum vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem » illam, *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam con*» *venire.*

» Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae principatus, licet

» thematizamus, item declarantes, » ipsos omnium et quorumcumque » privilegiorum, gratiarum et in- » dultorum sibi a Nobis, seu Prae- » decessoribus Nostris quomodolibet » concessorum amissionis poenas eo » ipso pariter incurrisse; nec a cen- » suris huiusmodi a quoquam, nisi » a Nobis, seu Romano Pontifice pro » tempore existente (praeterquam in » mortis articulo, et tunc, cum re- » incidentia in easdem censuras eo » ipso quo convaluerint) absolvi ac » liberari posse; ac insuper inha- » biles et incapaces esse qui abso- » lutionis beneficium consequantur, » donec omnia quomodolibet atten- » tata publice retractaverint, revo- » caverint, cassaverint, et abo- » leverint, ac omnia in pristinum » statum plenarie et cum effectu re- » dintegraverint vel alias debitam » et condignam Ecclesiae ac Nobis » et huic Sanctae Sedi satisfactio- » nem in praemissis praestiterint.

« Idcirco illos omnes etiam spe- » cialissima mentione dignos, nec » non illorum successores in officiis » a retractatione, revocatione, cas- » satione, et abolitione omnium ut » supra attentatorum per se ipsos » facienda, vel alias debita et con- » digna Ecclesiae ac Nobis et di- » ctae Sanctae Sedi satisfactione re- » aliter et cum effectu in eisdem » praemissis exhibenda, praesen- » tium litterarum, seu alio quocum- » que praetextu minime liberos et » exemptos, sed semper ad haec » obligatos fore et esse, ut absolu- » tionis beneficium obtinere valeant » earumdem tenore praesentium de- » cernimus et pariter declaramus.

Ut ad expositionem huius capitis pergamus, tria personarum genera in eo excommunicatione plectuntur

1. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca, aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia.

2. Usurpantes, perturbantes et retinentes supremam iurisdictionem in eis.

3. Praebentes ad singula praedicta auxilium, consilium et favorem.

Iam vero invadunt qui vel inopinato, vel bello indicto in status Pontificii provincias exercitu insiliunt.

Destruunt qui vel arces, vel urbium moenia, vel ipsas urbes et lo-

» suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae quam » habet destinationis, et arctissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianae rationibus » coniungitur. Quod tamen nihil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque » populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontifici- » bus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

» Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, » mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare mul- » tiplici insidiarum et conatuum genere contenderint; in quo tamen nefariâ illorum molimina, » Deo Ecclesiam suam iugiter adiuvante, in irritum serius ocius ceciderunt ».

(1) Hae Pontificiae Constitutiones habentur Vol. VI. Ephemeridum harum.

ca deiiciunt. Detinent, qui sub sua potestate urbibus terrisque pontificiis redactis, eas suo nomine gubernant, et supremam in illis iurisdictionem retinendo, tributa indicunt, magistratus creant, ius vitae et necis exercent etc. Quare non de quibusvis iuribus sermo hoc in capite habetur, sed de principaliоribus, quae scilicet a suprema iurisdictione, soli principi competente, dimanare possunt.

Quid vero? Incurrunt ne hanc excommunicationem qui invadunt destruunt, detinent urbes et loca illarum etiam provinciarum quae in relato Bullae coenae capite numerantur; vel tantum illi qui provincias quas Romanus Pontifex ante praesentem invasionem possidebat?

Post praesentem Constitutionem puto hos tantummodo: Loca enim et provinciae quae in cit. Bullae coenae capite recensentur non amplius ad Ecclesiam Romanam pertinebant, sed ad diversos principes, qui eas vel usurpaverant, vel in feudum a Romanis Pontificibus habuerant, et tacito saltem eorum consensu pacifice possidebant. Cum insuper illae prorsus provinciae, antequam Status Pontificius proprie dictus invaderetur occupatae fuerint; nullamque de re Romanus Pontifex querelam moverit, nullam pro illarum invasione invadentes incurrisse censuram tenendum esse existimo.

De cetero norunt omnes, lecturam Bullae coenae quae quotannis fiebat, a Pio Papa IX fuisse interdictam, ita ut ex hoc quisque intelligere potest, neminem illis censuris obstringi.

Equidem quis dicturus erit, praedictum Bullae coenae caput in genere, non in specie vel in individuo in Constitutione nostra fuisse recensitum, ideoque nihili allatas rationes esse faciendas.

Sed praeterquamquod id gratis asseratur; et e contra putandus legislator non est explicite praetermisisse ea quae volebat recensere, cum sub oculis praedictum caput habuerit, id enim maximam peperisset confusionem; si tantum se extendere Caput nostrum arbitrabimur, quantum Bullae coenae caput, alios quoque principes, praeter italicos excommunicatione teneri confiteri debebimus; recensentur enim et urbs Avenionensis et insula Corsicae quae Gallis subiiciuntur.

Nullimode dubitandum insuper est, undecimo hoc Capite voluisse R. Pontificem integritati status Pontificii consulere, qui iam fere ex integro occupatus ab italico gubernio fuerat; qua de causa lata excommunicatio extendenda non est ad alias provincias vel urbes quae a Romanorum Pontificum potestate plurimis ab hinc annis iam defecerant.

Sed si expendamus varias apostolicas literas quibus de invasoribus Pontificiae ditionis conqueritur Pontifex, inveniemus ipsum semper loqui et excommunicationi subiectos eos tantummodo declarare, qui statum Pontificium prout tunc possi-

debatur invaserunt. Id enim constat tum ex literis *Ad gravissimum* diei 20 Iunii 1859, tum ex aliis *Cum Catholica Ecclesia* diei 26 Martii 1860, tum ex aliis universis quas circa praesentem quaestionem edidit. Qua de causa cum praesenti capite dominium temporale R R. Pontificum tueri voluerit, de illo certe loqui volùit, quod Romani Pontifices reapse possidebant, et de quo semper locutus fuerat.

Neque pariter dubitandum est, invasionem eiusmodi iniustam esse debere. Cum enim R. Pontifex ut alius quilibet saecularis princeps provincias status sui regat, iisdem conditionibus subiicitur; sicut igitur nulla culpa in eo est qui alienum regnum iuste invadat; nulla pariter culpa, et nulla excommunicatio incurreretur ab eo, qui iustis de causis Pontificium statum invaderet.

Nemo tamen putet, ad invasionem instituendam necessarium esse, ab extraneis in provincias vel civitates pontificias hostiliter insilire; nam id unum necessarium est, ut quis hostiliter invadat civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia. Perduelles igitur qui facta seditione in aliqua civitate ad Pontificem pertinente supremum imperium adipiscantur, excommunicationem hanc incurrunt nam et hi proprie et vere invadunt.

Ex verbis vero huius capitis manifestum est, hanc excommunicationem incurrere tum qui per se, seu immediate tum qui per alios seu mediate invadunt: scriptum est enim *tum per se tum per alios;* neque enim eiusmodi verba referenda sunt tantummodo ad verbum *Detinentes,* sed ad omnia superiora, tum ex sensu obvio, sin minus enim excommunicationi subiicerentur, qui vel per se vel per alios supremam iurisdictionem status Pontificii retinerent, non vero qui invaderent, vel destruerent; quod absonum est; tum ex collatione cum citato Bullae coenae capite, in quo relata verba ad triplicem illam actionem *invadendi, destruendi et detinendi* aperte referuntur « » Excommunicamus et anathemati- » zamus omnes illos, qui per se, » seu alios, directe vel indirecte, » sub quocumque titulo vel colore, » invadere, destruere, occupare et » detinere praesumpserint in totum » vel in partem Almam urbem etc » De hac itaque re nulla dubitandi ratio esse potest.

Quid autem dicendum de ducibus, et de militibus qui invadunt et statum Pontificium et almam urbem reapse invaserunt?

Certe quoad illos milites vel duces qui prorsus voluntarie Pontificium statum invaserunt nullimode dubitari potest quin excommunicationem incurrerint; sunt enim veri et proprie dicti invasores. Idipsum pariter dicendum est de iis militibus et ducibus qui quamvis conscrictionis vi adacti, tamen voluntarie et ex animo invaserunt atque dimicarunt. Quoad eos autem

duces et milites, qui vi conscrictionis militiae addicti, involuntarie, et compulsi invaserunt, non censerem eos excommunicationi subiectos: hinc enim se subducere non poterant, neque obsistere quin et gradu deiicerentur, poenisque gravissimis subiicerentur; qua de causa illud effatum locum hic habere puto: Lex Ecclesiae non obbligat cum gravi incommodo; illinc vero uti invasores habendi non sunt; qui enim invadunt voluntarie invadunt; milites autem huiuscemodi nulla voluntate ducti, sed prorsus coacti in Status Pontificii Provincias insiluerunt.

Romanus Pontifex insuper in iis Constitutionibus, allocutionibus, et Encyclicis, quibus de Subalpino Gubernio tam iuxte quam acerbe queritur, illudque excommunicatione ferit, dum ad moderatores, aliosque Magistratus praecipuos sermonem convertit, eosque excommunicatos esse declarat, de militibus invadentibus nec verbum facit. Praestat varias illarum Allocutionum partes referre in rei probationem.

Igitur in allocutione: *Ad gravissimum* lata die 20 Iunii 1859, qua in excommunicationem incidisse declarat invasores Bononiae, Aemiliae, et Umbriae eos omnes excommunicatos edicit « qui Bo» noniae, Ravennae, Perusiae et alibi » civilem nostram et huius Sanctae » Sedis potestatem et iurisdictionem, » ac Beati Petri patrimonium, opera, » consilio, assensu, et alia quacum» que ratione, violare, perturbare, » et usurpare ausi sunt.

Loquitur porro Pontifex in universa illa allocutione de perduellibus, qui vix profectis Austriacis copiis, seditione facta, Legatum Pontificium eiecerunt, atque dictaturam Sardiniae Regis invocarunt et proclamarunt. Loquitur ergo Pontifex de invasoribus prorsus voluntariis quales sunt rebelles et acceptantes rebellionem, qua de causa relata verba neque ad rem allegari possent.

In literis Apostolicis *Cum Catholica Ecclesia* latis die 26 Martii 1860, quibus invasores et usurpatores Pontificiae ditionis excommunicati declarantur, et quatenus opus est denuo excommunicantur, Romanus Pontifex conqueritur et loquitur semper de *ipsius Ecclesiae hostibus qui persaepe principatum illum multiplici insidiarum et conatuum genere convellere et labefactare contenderunt;* loquitur *de infensissimis Catholicae Ecclesiae et Sanctae Sedis osoribus, qui ipsam Sanctam Sedem, proculcatis divinis, humanisque iuribus, eam principatu expoliare nequiter adnituntur;* loquitur de iis: *qui non erubescunt nefandam suadere populis rebellionem contra legitimos principes;* loquitur de *subalpino gubernio*, de *instigatoribus missis* ad rebellionem excitandam, *de fautoribus* subalpini gubernii a quibus regia dictatura proclamata est; paucis; loquitur de iis qui partem voluntariam et acti

vam habuerunt in pontificiae ditionis invasione, scilicet de formaliter invadentibus ; ac demum excommunicatos declarat *eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae ditionis provinciis* rebellionem, et earum usurpationem, occupationem, invasionem et alia huiusmodi, vel eorum aliqua perpetrarunt, *itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes vel alios quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu, et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes maiorem excommunicationem.... incurrisse :* Porro milites qui conscrictione coacti, et involuntarie prorsus invasionem illam peregerunt, habendi non sunt neque *fautores, neque adiutores, neque adhaerentes, neque exequentes, neque executionem praedictarum rerum procurantes;* haec enim omnia per se *voluntarietatem* dicunt; militibus vero de quibus sermo est, aut obediendum erat, aut vel moriendum, aut sin minus subeundae gravissimae codicis militaris poenae.

Haec vero quae ex citato testimonio satis manifesta puto, manifestiora fieri videntur ex iis, quae Pontifex invadentibus imponit quo ab excomunicatione possint absolvi. Dicit enim « eos esse incapaces qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia *quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint,* vel alias debitam et condignam Ecclesiae ac Nobis et huic sanctae sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. »

Quid autem, quaeso, milites ducesque qui involuntarie prorsus in status Pontificii provincias vi conscrictionis ducti sunt, *attentarunt?* Nihil. Absolutionis igitur sunt capaces.

Neque aliquod speciale decretum afferri potest, quo contrarium statuatur. In plurimis enim responsionibus, quas sacra Poenitentiaria requisita edidit, quaeque in hisce ephemeridibus relatae sunt, nihil invenitur, quibus milites qui contra voluntatem Statum Pontificium invadere coacti sunt, excommunicationem incurrisse declarantur.

Ita in facultatibus concessis sub die 1 Iunii 1869 Confessariis occasione indicti Iubilaei, ad quaesitum: « An vigore facultatum, quae ex » literis Apostolicis die undecima » Aprilis datae sunt, Confessarii » adprobati ab ordinariis possint » eos absolvere, qui executioni » mandarunt invasionem seu re» bellionem in ditione Sanctae Se» dis, eorum mandantes, adhae» rentes, cooperantes, atque eos » qui leges iniquas promoverunt » et auxiliarem dederunt operam » ad executionem eiusdem inva» sionis seu rebellionis ». Sacra Poenitentiaria respondit: « affirma» tive, dummodo Poenitentes ex» hibeant verae resipiscentiae signa

» scandalum reparaverint, aut sal-
» tem parati sint quam primum il-
» lud reparare meliori modo quo
» poterunt, atque obedientiam San-
» ctae Sedi eiusque mandatis de-
» super ferendis sincere promise-
» rint. ».

Ut quisque videt tum in quaesito, tum in responsione sermo habetur de iis qui executioni mandarunt invasionem seu rebellionem de eorum mandantibus, adhaerentibus cooperantibus; in quibus omnibus nedum pars activa, sed etiam voluntaria supponitur; atque de iis utique intelligi potest, quod antequam absolvantur debeant exhibere verae resipiscentiae signa, scandalum reparare etc, non autem de iis militibus qui prorsus compulsi, et necessario ad vitam vel libertatem servandam invasionem peregerunt, de quibus nec dici potest quod eam executioni mandaverint.

Sed neque ex iis quae a Sacra Poenitentiaria prodierunt sub die 10 Decembris anni 1860: Interrogata enim n. 8 Quid de iis (militibus civicis) dicendum, qui inviti conscribuntur, et ad eamdem militiam ineundam adiguntur?

Respondit « posse tolerari mili-
» tes civicos coactos, qui militiam
» absque gravi damno seu incom-
» modo deserere nequeunt, dum-
» modo tamen animo parati sint
» eam deserere quamprimum po-
» terunt, et interim ab omnibus ac-
» tibus hostilitatis in subditos et
» milites legitimi principis, et ab
» actibus contra bona, iura, et per-
» sonas ecclesiasticas.

Neque haec, inquam, contra faciunt; primo quidem quia agitur de liceitate actionis, non de facto ex quo excommunicatio incurratur. 2. agitur de militia civica, quae plurimum a militia proprie dicta discrepat; haec enim graviori disciplinae subiicitur et actionibus, quibus non subest illa, cum statuta sit ad tranquillitatem, et ordinem in propria regione servandum, non autem ad bellandum, nisi in extrema patriae necessitate; quare actus quos S. Poenitentiaria recenset, milites civici optime praetermittere possunt, cum ad ipsos non pertineant. 3. Demum quia sub n. 26 eadem Sacra Poenitentiaria respondit; *Censuras ecclesiasticas juxta literas Apostolicas diei 26 Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni Ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia.*

Nullimode autem in dubium revocari poterit, quod milites conscripti qui contra propriam voluntatem et ex animo repugnantes ducti sunt ad invadendum Pontificium statum *formaliter* neque cooperati sunt, neque praedictae rebellioni adhaeserunt; quare discussa cum fuerit a Confessariis eorum conscientia, si hoc deprendant, eos ab excommunica-

tione immunes iudicent, et, nisi aliud obstet, absolvant.

In Bulla Coenae insuper habebantur verba *in totum vel in partem*, quae in praesenti capite praetermissa sunt; id autem nihil impedire arbitramur quominus excommunicationem et illi incurrant qui aliquam Pontificii Status partem invadant; primo enim etiam in unius civitatis invasione verificatur proprie dicta invasio; secundo quia sin minus quis excommunicationem evaderet, nunc illam, nunc hanc invadendo provinciam: tertio quia et in unius loci invasione irrogatur iniuria, Sanctae Sedis iura, et status Ecclesiastici integritas violantur; demum quia Romanus Pontifex in Allocutione *Ad gravissimum* excommunicatos esse declaravit eos, qui Bononiam aliasque Aemiliae urbes invaserant, etiamsi nondum universum statum Pontificium invasissent.

Quod igitur relata Bullae Coenae verba in capite nostro praetermissa sint, nihil officit; substantia enim est eadem, atque ex ipsa Bulla Coenae excommunicationem incurrisset, qui unam ex urbibus vel provinciis ibi recensitis invasisset; non enim copulative, sed disiunctive locorum et urbium recensio accipienda est.

Idipsum vero dicito de destruentibus; et hi enim etiamsi nedum unam urbem, sed partem eius destruant, excommunicationem incurrisse habendi sunt. Nonne enim etiam in una parte habetur realis destructio, realis iurium Sanctae Sedis violatio, realis illius iniuria, realis illius bonorum, et supremae iurisdictionis ablatio?

Haec excommunicatio, inquit Catalanus, *Universi iuris theologico moralis Corpus integrum Part. IV. Quaest. VIII Cap. 1, n. 2. Clausola 20*,, lata est specialiter in defensionem et favorem bonorum temporalium Sanctae Sedis, illiusque supremae iurisdictionis. Cum autem qui partis unius urbis vel loci destruant et bona temporalia et supremam Sanctae Sedis iurisdictionem offendant, excommunicationem hanc incurrere dicendi sunt.

Id autem minime intelligas ex. gr. de praedonibus aut latronibus qui aliquam aggrediantur pontificiam urbem, ut eam depraedentur, et incendio comburant; Caput enim loquitur de invadentibus illis, et destruentibus, qui deinceps in locis occupatis supremam iurisdictionem exerceant; ad alios quapropter excommunicatio non est extendenda.

Invasio itaque et destructio debet fieri animo hostili et iniusto. Neque enim probanda in omnibus videtur Bonacinae sententia, qui quaest. XXI. Prop. II affirmat, invasionem ex sua natura non importare *hostilem incursum, sed injustam aggressionem;* qua de causa concludit: ergo hostilis animus ad invasionem frustra requiritur:

Etiamsi enim ultro libenterque

concedam; in perduellionibus, et seditionibus praesertim, rebelles animum hostilem contra urbem aut cives plerumque non gerere; certum tamen est, eos animum hostilem gerere contra legitimos illius civitatis principes. Atque de hac etiam invasione Romanum Pontificem loqui tum in plerisque suis allocutionibus, tum in praesenti capite certissime tenendum est; loquitur enim et queritur de subducta sibi obedientia, et conculcata a perduellibus Pontificum obedientia.

Nihil igitur obstat quod adverbium obstiliter tum in posterioribus Bullae caenae exemplaribus, tum in Capite nostro ablatum sit; invasio enim sive ab externis peragatur sive a concivibus et subditis, respectu ad principem semper est hostilis.

Haec autem dicenda multo magis sunt de destruentibus, quorum actio ab hostilitate numquam separari potest.

Id vero edisserui, quia casus dari posset, ut sine ullo armorum strepitu perduelles civitatis alicuius Pontificiae Rectorem pecunia corruperint; hic vero eis arces et supremam potestatem ultro dimiserit, Fortasse ne hi uti veri et proprie dicti invadentes non essent habendi? Et nonne reapse occuparunt urbem et iura ad Sedem Romanam pertinentia? Fortasse ne id animo hostili non peregerunt? Utique: principem enim legitimum potestate expoliarunt: Atqui id etiam injuste moliti sunt; ergo duo semper in vera invasione sive interna, sive externa habentur injustitia et hostilitas. Quare utique excommunicatio non incurritur si in invasione desit iniustitia, sed incurritur si desit tantum hostilitas erga civitatem, quae invaditur, quia haec habetur semper respectu ad legitimum Principem.

Detinere est rem iniuste occupatam non restituere, vel rem acquisitam sponte tenere. Qua de causa ad excommunicationem ex Capite *detensionis* incurrendam satis est ut quis detineat urbem etc, licet fuerit non a se sed ab alio iniuste invasa, et occupata; satis est etiam ut urbem illam non per se sed per alium detineat et regat. In Capite enim expresse dicitur; detinentes per se, vel per alios.

Hinc sequitur, quod filius vel haeres iniusti invadentis et detinentis hanc excommunicationem incurrit, nisi ablata Pontificiae ditionis loca Sanctae Sedi in integrum restituat; et ipse enim iniuste detineret.

De cetero de hac re mentio habetur expressa in literis Apostolicis diei 26 Martii 1860 his verbis; » Nec non illorum successores in » officiis a revocatione, et abolitione » omnium, ut supra, attentatorum » per seipsos facienda, vel alias de- » bita et condigna Ecclesiae, ac No- » bis, et dictae Sanctae Sedi sati- » sfactione realiter et cum effectu » in eisdem praemissis exhibenda, » praesentium litterarum, seu alio

» quocumque praetextu, minime li-
» beros et exemptos, sed semper
» ad hanc obligatos fore et esse, ut
» absolutionis beneficium obtinere
» valeant, earumdem tenore prae-
» sentium decernimus et pariter
» declaramus.

Frustra igitur sibi blandirentur invadentium Regum successores ab excommunicatione se liberos esse, quod vel non ipsi invaserint, vel haereditate loca invasa acceperint, vel aliqua Status ratione impediri quominus ea restituant; nam nisi vel restituant, vel alias condignam Sanctae Sedi satisfactionem praestiterint, semper excommunicatione praesenti implicabuntur.

Excipe semper ni Romano Pontifici aliter decernere visum fuerit.

Unicuique vero compertum est, ob quamlibet sive invasionis, sive destructionis, sive detentionis actionem excommunicationem incurri; disiunctive enim verba sunt accipienda; si enim copulative, nec invasor, nec destructor, nec detentor excommunicatione plecteretur, sed ille tantummodo qui tres illas prohibitas actiones compleret: quod dici non potest.

Qua de causa invasor Pontificiae ditionis excommunicatione plecteretur quamvis a militibus Pontificiis repulsus, nullam urbem occupare potuisset; invasisset enim territorium Pontificium iniusto animo et hostili vere et proprie.

Pariter excommunicaretur si aliquam pontificiam urbem destruxerit quamvis eam ingredi non potuerit; esset enim vere et proprie destructor.

Consequenter ab excommunicatione non esset immunis si eam detineret, quamvis non invaserit.

Auctores plerique affirmant hanc excommunicationem eo tantum in casu incurri cum loca aut bona occupata ad Ecclesiam Romanam pertineant, ea fortasse ducti ratione quod in Capite legatur: *loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia*. Quare concludunt non incurri excommunicationem ab eo, qui invaderet, destrueret, et occuparet locum aliquem alicuius incolae Status Pontificii, eo quod locus ille non pertineret ad Ecclesiam Romanam.

Ni fallor, haec loquendi ratio confusionem ingerit, et in errorem inducere potest; quare rem declarare oportet.

Non est ullimode negandum, hanc excommunicationem ab invasore non incurri, si locus invasus degat extra ditionem, seu fines Status Pontificii, in eumque Romanus Pontifex nullam iurisdictionem temporalem habeat, cum enim in eum supremam iurisdictionem, de qua Caput loquitur, Romanus Pontifex non retineat, locus ille ad privatam personam pertinere censendus est, nullimode vero ad Romanam Ecclesiam; non refert autem quod persona subdita sit Status Pontificii; Etenim Caput loquitur de invadentibus, destruentibus, et de-

tinentibus civitates, terras loca aut iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, non ad privatas personas.

Idipsum autem dicendum non est, si locus invasus ad privatam personam pertinens degat intra fines potificiae ditionis; etenim quoad supremam jurisdictionem et dominium locus hic ad Romanam Ecclesiam seu Romanum Pontificem pertinet; cuius proinde jura violantur injusta invasione. Fortasse ne loca omnia quae sunt in statu Pontificio ad Romanam Ecclesiam pertinent? Nequaquam; maxima eorum pars ad personas privatas pertinet; et tamen sunt loca spectantia ad Statum Pontificium quia degunt intra fines illius; sicut quamvis loca omnia et bona quae sunt in Anglia, Gallia, et Germania non pertineant ad illorum regnorum moderatores, pertinent tamen ad nationes; et illarum integritas atque jura violantur, etiamsi unius privatae personae territorium invadatur.

Paucis: sermo hoc in Capite est de territorio Status Pontificii; certum est autem bona cuiuscumque privatae personae quae intra fines degant, ad Statum Pontificium pertinere. Qui igitur illa invadunt, loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia invadunt.

Idipsum quapropter dicito, etiamsi illa privata persona Pontifici non subdatur sed alicui alii externo principi, ob eamdem rationem.

Satis enim est ut bona ad illam pertinentia et invasa sint in Statu Pontificio.

Secundo loco excommunicantur *usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis*, scilicet civitatibus terris et locis ad Ecclesiam Romanam pertinentibus.

Usurpare autem, ut jam in praecedenti capite animadversum est, in genere est rem alienam sibi adscribere; stricto autem sensu tamen est sibi tanquam proprium quod aliorum est vindicare.

Usurpare itaque supremam jurisdictionem est sibi adscribere supremum dominium in aliquo vel provincia vel loco, vel statu quod alteri legitime competebat.

Perturbare autem jurisdictionem supremam est impedire, et verbis aut factis obstare quominus legitimus Princeps dominium suum exerceat.

Retinere demum est de facto exercere supremam iurisdictionem loco legitimi principis.

Retentio itaque duplicem actionem importat; impedire scilicet quominus legitimus princeps supremam iurisdictionem exerceat, et hanc exercere loco legitimi principis.

Cum autem in Capite suprema jurisdictio dicatur, hinc non omnes actus jurisdictionis sub excommunicatione cadunt, sed praecipui tantummodo qui principi competunt.

Ad rem Bonacina loc. cit. « Nomine supremae iurisdictionis, eam » intelligo, quae competit Summo » Pontifici ut princeps est, circa » res magni praeiudicii, ut sunt

» causae status, causae sanguinis,
» confiscationis bonorum, et similia.
» Haec enim in statu ecclesiastico
» ad supremam Romanae Ecclesiae
» auctoritatem pertinent, et in his
» de re magni momenti agitur ».

Qua de causa Magistratus inferiores et iudices qui ex praescripto legum ab usurpatore indictarum auctoritatem exercent, non sunt ex hoc capite excommunicati, quia non exercent supremam iurisdictionem.

Si excipias quapropter Regem et utriusque Parlamenti deputatos qui invasionem Pontificii status approbarunt, et praeceperunt, fere nullus alius ex hoc capite *usurpantes* excommunicatione plectitur.

Circa *perturbantes* animadverte, quod cum perturbare sit verbis aut factis obstare quominus legitimus princeps supremae suae iurisdictionis actus exerceat sive per se, sive per alios, eorum actio ad factum externum prosilire debet, quo excommunicationem incurrant. Non enim excommunicati dicendi essent, si nullum impedimentum supremae legitimi Principis iurisdictioni attulissent.

Haec autem non ita intelligenda sunt, ut si Princeps firmioribus viribus eorum conatus repellat, suamque supremam iurisdictionem retineat conservetque, perturbantes excommunicationem non incurrant; nam de facto perturbassent; sed ita, ut si ex. gr. clamoribus tantum agant, et neque magnis, neque minacibus, ex quibus ordo publicus et civium quies, tum Principis potestas nullatenus perturbentur, ex hoc tantummodo non essent uti excommunicati habendi, quia supremae legitimi principis iurisdictioni impedimentum non attulissent.

Confessarii quapropter diligenter poenitentes huiusmodi excutiant, ut culpae qualitatem et quantitatem assequantur, decernantque utrum reapse perturbantium titulo in excommunicationem inciderint.

Ex iis autem colligito, quod omnes illi qui in Pontificiis provinciis arma contra supremam temporalem Pontificis iurisdictionem arripuere, per vicos et plateas una cum iis qui arma arripuerant conclamarunt: *Abbasso il governo del Papa, abbasso il governo dei Preti, vogliamo il regno costituzionale del Re Vittorio Emanuele,* esse uti excommunicatos habendos. Sunt enim perturbantes proprie dicti.

Circa *retinentes supremam iurisdictionem*, unusquisque novit, in actuali regno Italico constitutionali supremam iurisdictionem retineri tum a Rege, tum ab utriusque Camerae Deputatis.

Quod Rex sit excommunicatus nemini in dubium venire potest.

Quaeri tamen potest, cum ipse usurpator, perturbator, et retentor sit supremae iurisdictionis in Statu Pontificio, triplici ne excommunicatione innodatum credere debemus, vel una tantummodo?

Et quidem dictum est singulis hisce prohibitis actionibus singulas excommunicationes respondere, verba enim disiunctive sunt accipienda.

Attamen dum de Rege sermo est, una excommunicatione eum innodari credere debemus; actiones enim ceterae subordinantur unicae actioni usurpandi vel retinendi supremam iurisdictionem in provinciis status Pontificii; hanc enim retinere non potuisset nisi invasisset, usurpasset, detinuisset per se vel per alios loca, terras, civitates et iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia.

Etiamsi itaque in aliis actiones prohibitae disiunctive accipiendae sint, quia potuerunt vel invadere, vel destruere, vel perturbare, non autem retinere supremam iurisdictionem; in rege sunt copulative accipiendae tum quia subordinantur, tum quia pleraeque reapse confunduntur, ne dicam identicae fiunt: usurpare enim supremam iurisdictionem est detinere per se vel per alios civitates, terras et loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia, et est etiam retinere supremam iurisdictionem in eis loco legitimi principis. Qua de causa tria haec unicam prohibitam actionem constituunt.

De cetero manifestum esse puto, Romanum Pontificem dum varias personarum classes, sive hoc in Capite, sive in suis allocutionibus recensuit, prout operam suam praestiterunt iniquissimae usurpationi, varias actiones enumerare voluisse, quibus excommunicationem possent incurrere. Cum itaque usurpare et retinere supremam iurisdictionem tantummodo Rex posset, ut interea Camerae utriusque Deputatos praetermittamus, eum sub usurpantium aut retinentium supremam iurisdictionem nomine excommunicatione feriit.

Atqui non ita de Deputatis loqui debemus.

Primo enim non omnes Deputati et Senatores sacrilegae invasioni aut manum aut assensum praestiterunt; hi quapropter qualibet excommunicatione sunt immunes.

Secundo: alii simplex suffragium porrigere potuerunt vel porrexerunt, quin tamen se immiscuerint in invasione aut pertubatione; et hos excommunicatos censebimus quod consilium et favorem praestiterint.

Tertio; alii tum suffragium porrexerunt, tum armis pecunia etc. auxilium praestitere, tum etiam pertubarunt; et in his cum actiones vetitae subordinatae non sint, nec ad unam actionem retinendi supremam potestatem concurrant (non enim suprema potestas singulis Deputatis distributive, sed omnibus collective convenit), tot excommunicationibns eos esse innodatos credere debemus quot vetitas actiones posuere.

Et quidem de antiquis Deputatis qui tum praeerant Italiae regno cum invasio peracta fuit, res est manifesta.

Quid autem de iis, qui postquam invasio peracta fuit et ante translationem Camerae Romam in Deputatos electi fuere?

Manifestum est, iis excommunicationem convenire non posse nisi ex capite *retinentes supremam iurisdictionem in eis*; dummodo aliqua alia vetita actione sese non commaculaverint.

At animadversum est, supremam iurisdictionem non competere Deputatis distributive sed collective. Qua de causa Deputati ex capite *retinentes supremam jurisdictionem* censendi sunt excommunicati cum collatis votis et assensu, in causa sunt quare supremam jurisdictionem retineant in territori Pontificio.

Deputati illi quapropter vel senatores qui nullam partem, aut contrariam hac in re habuerunt, non sunt irretiti excommunicatione lata in praesenti capite. Considerari enim non possunt neque sicut praebentes auxilium, consilium, favorem, cum nihil pro invasione, usurpatione, retentione praestiterint, nihil praestent.

Hi autem ab excommunicatione excusari non possent, si leges libertati, immunitati, et iuribus Ecclesiae adversas suffragio suo probaverint. Verum hoc ex aliis capitibus, non ex praesenti.

Quid ergo? Tuto ne quis officium Deputati acceptare et procurare potest?

Ut sincere loquar; etiamsi non agnoscam qua lege directe prohibeantur; etsi fatear magnum bonum eos peragere posse legibus iniquis obsistendo, suae nationis utilitatem tum spiritualem tum temporalem procurando, iniquorum hominum pravas opiniones et perniciosissimas retundendo, tum pessimis consiliis sese obversando, aliaque praestando quae in Religionis decus et Dei gloriam cedunt; tamen ultro fatebor, nemini simpliciter vel tuto licere Deputati munus acceptare, multo minus procurare, praesertim postquam ab italico gubernio etiam Roma occupata fuit, ibique Regni sedes posita.

Imprimis enim id vetat iuramentum quod ab italico gubernio a Deputatis exigitur: Iurant enim se Regi fidelitatem servaturos, sincere Statutum et alias leges Status observaturos, atque suum adimpleturos officium pro inseparabili Regis et patriae bono. Cum autem inter has leges plurimae sint quae divino et ecclesiastico iuri adversentur, iuramentum ad illas indefinite observandas praestare non licet.

Sed non licet etiam ex alio capite: Quamvis enim Deputatis distributive suprema auctoritas non competat, sed collective; negandum tamen non est, quod inchoative et imperfecte singulis competat; certum est autem non licere tuto munus acceptare quod, quamvis inchoative, aliena tamen iura impetit, vel labefactat.

Qua de causa putarem eos sine Romani Pontificis venia, cui supre-

ma potestas in suis provinciis competit, non posse munus Deputati acceptare.

Cum vero hoc in capite de suprema iurisdictione agatur, facile comperies sub eo non comprehendi sindicos, municipes, iudices, aliosque inferiores magistratus (1); quibus supremae potestatis exercitium non competit.

Excommunicatione tertio loco animadvertitur in *praebentes ad singula* praedicta *consilium, auxilium, favorem.*

Porro ut iam in praesenti Commentario non semel adnotatum est, praestantes auxilium sunt qui scientes volentesque operam suam aut media tribuunt quae ad finem inserviant a delinquentibus sibi praestitutum consequendum, in casu autem ad invadendas, destruendas, usurpandas, retinendas Status Pontificii provincias; ita ut auxiliantes vere et proprie dici possint in patratam invasionem, usurpationem etc. positiva actione sua, aut per collata media concurrisse.

Praebentes vero consilium illi habendi sunt, qui suadendo, rogando, impellendo, instruendo, rei utilitatem ostendendo, difficultates quae subinde oriuntur removendo; sive Sabaudiae Regem, sive ceteros invasores, perturbatores ad opus aggrediendum impulerunt verbis tamen solummodo non factis, aut per collata media, secus enim et ipsi essent inter praestantes auxilium accensendi.

Demum favorem praestantes in casu illi habendi sunt qui aliquid fecerunt et adiuvarunt ad finem ab usurpatoribus, invasoribus, et perturbatoribus intentum. Ii quapropter qui eos commendarunt vel approbarunt ut prohibitas in hoc capite actiones, principales exequerentur sunt uti excommunicati habendi.

Duo tamen sunt notanda 1. quod favor reapse in actiones principales vetitas influxerit, nisi enim influxerit, eo quod, ex. gr. actiones vetitae eodem pacto ad finem perductae fuissent, excommunicatio non incurritur; hinc illi qui invadentibus vel perturbantibus vel usurpantibus vivat conclamarunt « viva NN. non sunt uti excommunicati habendi; horum plurimi, villici

(1) Circa municipes requisita Sacra Poenitentiaria: « An licet dare suffragia ad com- » ponenda consilia, et municipales representativas personas; et an electi possint officio » fungi consiliarii et magistratus municipalis. »

Die 10 Decembris 1860 respondit: *Dummodo municipales non adigantur ad ea, quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis; et se abstineant a praestando iuramento iuxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.* Iuramentum autem ita se habet: Iuro fidelitatem et obedientiam Victorio Emmanueli Italiae Regi, eiusque successoribus. Iuro me statutum, omnemque aliam status legem pro inseparabili et Regis et Patriae Italiae bono observaturum.

Italice: Giuro fedeltà ed obbedienza a Vittorio Emmanuele Re d'Italia, e suoi successori. Giuro di osservare lo statuto ed ogni altra legge dello Stato pel bene inseparabile del Re, e della patria Italia.

caupones, baiuli clamabant ut clamarent, quia ceteros clamantes audiebant, ut aliquid et ipsi clamarent, demum quia biberant; et nulla alia de causa. Hi certe favorem nullum praestiterunt.

Adde quod favor praecedere delictum debet, ut in illud influere aliquo modo possit; Plurimi autem post invasionem provinciarum Status Pontificii favorem suum ostenderunt.

Secundo vero ob praestitum favorem excommunicationem non incurri, nisi actio principalis sequatur. Cum enim faventes in ordine ad actionem principalem excommunicentur, nisi illa effectum suum sortiatur, nullimode, favorem in illam influxisse tenendum est. «Cum actio» nes accessoriae, inquit Bonacina loc. » cit. p. 27. intuitu principalium » prohibeantur, excommunicatio non » incurritur, non secuta aliqua principali actione. Atque cum Bonacina alii probatissimi auctores sentiunt.

Hic tamen ardua exurgit quaestio; quid scilicet dicendum sit de principibus illis externis, qui Italiae Regem non prohibuerunt Statum Pontificium invadere; vel apud ipsum postea Oratores seu legatos miserunt?

Ne in errorem quis incidat, secernenda illorum actio est.

Siquis enim positive, pacto inito, permisit imo concessit Sabaudiae Regi territorium Pontificium invadere, nullimode de hoc dubitari potest quin in excommunicationem inciderit. Habendus enim est praebens, ut parum dicamus, favorem manifestum.

Si qui neque permiserunt, neque concesserunt; affirmarunt tamen se nullimode invasionem impedituros, hi non sunt dicendi excommunicationem incurrisse, cum non praebuerint neque consilium, neque auxilium, neque favorem; neque bellum gerere tenebantur ob Status Pontifiicii defensionem aut aperte declarare sibi invasionem illam displicere. Etiamsi igitur ob illam negativam responsionem Regi Italiae animi sint additi ad invasionem peragendam, (Papa enim relictus solus, atque auxiliatoribus destitutus nullimode tum Regi Sabaudiae, tum internis perduellibus resistere poterat) tamen illa in invasionem positive influxisse dicenda non est; qua de causa non sunt, neque possunt uti excommunicati haberi.

Siquis demum nedum permiserunt, sed etiam invasionem et usurpationem antea probarunt; hi certe in excommunicationem inciderunt; horum enim actio positive influit in vetitas actiones, atque quodammodo Regem Italiae impulit ad illas opere complendas.

Non eodem tamen ratiocinio uti quis debet dum sermo est de oratoribus post usurpationem Status Pontificii apud Italiae Regem missis. Factum enim huiusmodi non importaret nisi adhaesionem quamdam, et explicitam recognitionem Regis Sabaudiae in Regem Italiae. Verum

si rem presse consideremus, per se oratorum missio neque adhaesionem et recognitionem importat; mittuntur enim ad agenda negotia sui Status et Principis, quae inter unam nationem et aliam semper intercedunt, vel intercedere possunt; qua de causa quilibet externus princeps oratorem mittere apud Italiae Regem posset, quin ullimode probaverit, aut probare intendat invasionem et usurpationem Status Pontificii; haec enim cum Oratoris et Legati munere nullam habent affinitatem. Discutienda proinde eorum conscientia est. Cum enim censurae ecclesiasticae in casu nostro incurrantur tantum ab iis, qui formaliter cooperantur, vel adhaerent rebellioni Ditionis Pontificiae, si constet, Principum Oratores id non peregisse, non sunt propter munus quod exercent uti excommunicati habendi. Adhaerere enim rebellioni ditionis Pontificiae est sequi politicam Regis Italiae, spolium proinde probare et quodammodo ni factis, consilio et favore adiuvare.

Attamen dum de *adhaesione* loquimur, animadvertendum est, adhaerentes excommunicatos reperiri in Bulla Coenae, at in Tridentino et in nostro Capite praetermitti. Concordant autem cum Bulla coenae tum literae Apostolicae diei 26 Martii 1860, in quibus Pius Papa IX excommunicat *ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes;* tum literae Apostolicae diei 1 Novembris 1870, in quibus haec eadem identice repetit et instaurat.

Cum autem Constitutio *Apostolicae Sedis* in qua affirmatur, exinde robur non habituras nisi excommunicationes, suspensiones, et interdicta *quae in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus,* anterior solido anno sit literis latis Anno 1870, quaeri iure potest an adhaerentes et sint excommunicati, et quanam lege.

At extra omnem controversiam esse arbitror, adhaerentes huiusmodi esse excommunicatos; adsunt enim literae Apostolicae, in quibus expresse excommunicantur; minime tamen vi nostrae Constitutionis, sed vi literarum Apostolicarum diei 1 Novembris 1870.

Per verba enim quae in Constitutione *Apostolicae Sedis* habentur, quaeque paullo superius relata sunt, non intellexit Pontifex, nullas alias censuras ferendas esse, sed iam latas limitari ad recensitas in Constitutione praedicta; valituras autem, et adiungendas si quae aliae in posterum a Romanis Pontificibus ferantur.

Qua de causa etiamsi *adhaerentes* in Constitutione *Apostolicae Sedis,* lata anno 1869 praetermissi sint, excommunicationem tamen incurrunt vigore literarum, diei 1 Novembris anni 1870.

Elucidandum tamen superest, qui veniant nomine adhaerentium; atque hac in re auctores discrepare reperio. Bonacina *Tractatus de censuris omnibus ecclesiasticis in par-*

ticulari disp. 1. Quaest. XXI, Punct. 1. n. 26. eos ita definit: « Is ad» haerere dicitur, qui alicuius fa» ctionem libere sequitur absque » praevio pacto, ad distinctionem » confoederationis, quae pactionem » requirit. »

Iuxta Bonacinam igitur adhaerens est, qui manifeste sequitur invasorum partes quin antea aliquid pactus sit, consequenter quin consilium, aut vota antecedenter praestiterit; paucis, sequitur partes ab aliis praestabilitas. Ex quibus idem Bonacina concludit; quod si adhaerens huiusmodi adstiterit delinquentium consiliis, eaque mente probaverit, excommunicationem incurrit. « Sequitur, eos qui consiliis huius» modi delinquentium assistunt, il» lisque in sua mente consentiunt, » licet positive ad illorum consilium » non concurrant, nec votum fe» rant, censura huius Canonis ob» stringi; quia adhaerere dicuntur.»

Haec autem adeo severe citatus auctor propugnat, ut excommunicatos adhaerentes proclamet, etiamsi eorum adhaesio reipsa non influat in delictum.

« Et hoc verum arbitror, etiam» si huiusmodi approbatio, seu ad» haesio reipsa non influat in de» lictum; potest enim quis alicui » factioni adhaerere, etiamsi con» tingat factionis auctores ipsius ope » non uti, nec ad patrandum de» lictum ob ipsius adhaesionem mo» veri; alioquin si potius eius in» fluxus exigeretur, frustra addita » fuisset haec particula *adhaeren*» *tes*, cum ii qui aliqua ratione » opem et influxum exhibent, sub » verbis subsequentibus (id est nec » non fautores et defensores eorum » seu illis auxilium, consilium, vel » favorem quomodolibet praestan» tes) sufficienter exprimantur. Ad» ditam autem existimo particulam » *adhaerentes*, tum in detestationem » peccati, tum ad praecavendum » cooperationis et damni pericu» lum; quia facillime fieri potest, » ut qui mente adhaeret, et volun» tatem suam delinquentibus, aut » aliis prodit, opem etiam et au» xilium praebeat. »

Eiusdem vero sententiae est Cl. Roncaglia; qui *Tract. IV de Censuris* Quaest. V. R. II. ita disserit: « Sicut autem illi dicuntur confoe» derati, qui praevio pacto aliquam » factionem sequuntur, ita illi di» cuntur adhaerentes, qui absque » pacto sequuntur libere eamdem. » Hinc in casu nostro qui solum » assisteret consiliis personarum de » quibus supra, quamvis ad eadem » positive non concurreret; vel qui, » antequam perpetraretur, ipsarum » delictum approbaret, diceretur » illis adhaerere. » Consequenter excommunicationem incurrere.

Neque praefatos auctores nimii rigoris arguendos esse quis existimet; imprimis enim excommunicantur *adhaerentes;* qui cum ii sint qui factionem aliquam libere sequuntur absque praevio pacto, sunt omnimode separandi ab iis qui fa-

vorem, consilium, vel auxilium praestant. Secundo adhaerentes huiusmodi aliquo modo semper in rem vetitam influunt, sive iis consiliis assistendo, quibus interesse non debent, et praesentia sua quodammodo actiones vetitas probando, praesertim si existimatione fruantur, et nomine, et apud vulgus magnae sint auctoritatis. Tertio augendo adhaesione sua factiosorum numerum. Demum verbis et aliis modis rebellionem adiuvando; impossibile enim est, ut qui ex. gr. rebellioni Status Pontificii adhaesit, nil dixerit vel fecerit.

Hinc adhaerentes huiusmodi non sunt cum iis confundendi qui potius *indifferentes* vocandi sunt, quique nihil prorsus sive pro, sive contra praesentem invasionem peregerunt; sed dicebant: *nil mea interest; obediam iis qui imperabunt: si regnum Ituliae tandem aliquando consurget, gaudebo;* atque de coetero nemini vel suaserunt rebellioni adhaerere, vel aliquid aliud peragere; ii enim non sunt inter adhaerentes computandi cum factionem rebellium nullimode sint secuti; et de cetero adhaerentium actio semper quid positivum importat, et positive in vetitam actionem influit.

Nullimode qua de causa eorum mihi sententia placet, qui eos tantummodo ut adhaerentes habent qui iis actionibus sese immiscent, quibus sese alii commáculant.

Ita Filiuccius *Morales Quaestiones* Tract. XVI. n. 69. « Respondeo » breviter, inquit, *adhaerentes,* qui » scilicet nulla pactione intercedente, sed libere alicuius factionem » sequuntur, *si praesumant aliquam* » *ex praedictis actionibus prohibitis* » *facere,* etiam esse excommunicatos. »

At qui facit aliquam ex proscriptis actionibus nedum adhaerens, sed est etiam vel consilium, vel auxilium, vel favorem praestans, et hac de causa excommunicationem incurrit.

Alterius autem ultra progreditur, et adhaerentibus tot tantasque imponit actiones ut veluti principales agentes sint habendi. Scribit enim *Disputationes de censuris ecclesiasticis lib. V. Disp. XXI. C. 1 pag. 758.* « Itaque omnes qui adhaerent iis, qui locum sub dominio Ecclesiae Romanae praesumunt invadere, detinere aut destruere, adiuvando eos consiliis, opibus, armis, victuariis et alia quacumque re; subministrando milites, equos; concedendo transitum tutum per sua loca; intercedendo pro illis apud principes ad eumdem finem; excitando ad invasionem et occupationem; denique quomodolibet opem illis ferendo ad plures, vel saltem ad unam ex actionibus principalibus damnatis, ipso iure sunt censura excommunicationis innodati. »

Et quidem indubitanter; sed ii qui tot tantaque pro invadentibus, detinentibus etc. agunt, nedum adhaerentes, sed haben-

di sunt uti manifesta auxilia praestantes.

Concludendum itaque est, *adhaerentium* nomine non illos venire, qui nihil prorsus agunt, sed eos qui positive in actiones praesenti capite vetitas influunt; adhaerentes autem manifesti et proprie dicti semper influere existimandi sunt; sequuntur enim libere factionem aliquam; qui autem factionem aliquam libere sequitur, eiusdem est voluntatis, eam defendit ni factis, certe verbis, eique plurimum defert, eam apud ceteros commendat, probatque quae a factiosis peraguntur; qua de causa iure merito excommunicationi subduntur.

Caveant autem Confessarii eos inter adhaerentes accensere, qui nihil moliendo, et tantummodo aliqua circumstantia clamando, sese propensiores fortasse ostenderunt erga Pontificii Status invasores; de cetero alienos semper sese praebuere a rebellione erga legitimum principem; tum caveant etiam eos adhaerentibus annumerare qui sese indifferentes ad invasionem exhibuere. Hi enim ut excommunicati haberi non possunt, neque debent.

Si ergo quis de hac re angoribus conscientiae prematur, Confessariique iudicium exoptet, Confessarius interroget, videatque quasnam actiones commiserit, quamnam voluntatem habuerit, quibusque de causis egerit quod confessioni subiicit; et si deprehendat actione sua nullimode in patratam invasionem influxisse, ita egisse vel timore, vel quia alios ita agere videbat, sine ulla voluntate rebellibus sese consociandi, eum ab omni excommunicatione immunem iudicet. Certum enim cuilibet confessario esse debet, adhaesionem non importare momentaneam consociationem et interruptam sive voluntatis sive actionis, sed continuam saltem per aliquod temporis spatium.

Hoc autem diserte deprehenditur etiam ex relata superius S. Poenitentiariae declaratione diei 10 Decembris 1860, in qua adfirmatur *censuras ecclesiasticas incurri ab iis* qui formaliter.... *adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae*. Eos autem de quibus supra, adhaesisse formaliter rebellioni ditionis Pontificiae nemo dixerit.

De adhaerentibus demum proprie dictis, et de cooperatoribus adnotandum superest, nullatenus eos excommunicationem incurrere ni actio principalis sequatur, quia cum actiones accessoriae intuitu principalium prohibeantur, excommunicatio non incurritur, non secuta aliqua principali actione.

APPENDIX XII

CAPUT IV

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN EOS QUI AB ORDINATIONIBUS ET MANDATIS ROMANI PONTIFICIS APPELLANT AD UNIVERSALE FUTURUM CONCILIUM

Clarissimus et doctissimus Petrus Avanzini praesentem Articulum praetermisit, ea de causa quod esset exemplum in specie consideratum et extensione personarum auctum de pertinaci recessione ab obedientia Romani Pontificis; casus scilicet contentus in Capite tertio huius Constitutionis, quo excommunicantur Schismatici et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

Et iure quidem merito; cum enim schisma sit subtractio ab obedientia Capitis Ecclesiae formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiae; qui ab ordinationibus et mandatis Romani Pontificis ad universale futurum Concilium appellant, de facto Ecclesiae Capiti debitam obedientiam pertinaciter detrectant, atque de facto, saltem hic et nunc, ab unione universalis Ecclesiae, quae sine capite stare non potest, recedunt.

Non putavimus tamen praesentem Articulum praetermittere, ne Lectores nostri mutilum commentarium haberent, quamvis circa praesentem materiam pauca conscribenda esse noverimus.

Verum enim schisma eiusmodi appellatio habenda erat ante Vaticanum Concilium. Cum enim obedientia Romano Pontifici debita dimanet a Primatu honoris et iurisdictionis in universam Ecclesiam; hic vero Primatus de fide statutus fuerit in Concilio Florentino his verbis: « Definimus Sanctam Apo» stolicam Sedem et Romanum Pon» tificem in universum orbem tenere » primatum, et ipsum Pontificem » Romanum successorem esse B. Pe» tri principis Apostolorum, et ve» rum Christi Vicarium, totiusque » Ecclesiae caput, et omnium chri» stianorum patrem et doctorem » existere, et ipsi in B. Petro pa» scendi, regendi et gubernandi » universalem Ecclesiam a D. N. I. » Christo plenam potestatem tradi» tam esse; quemadmodum etiam » in gestis oceumenicorum Conci» liorum, et in Sacris Canonibus » continetur: » nullum dubium intercedere poterat quin a Romani

Pontificis sententia appellantes ad futurum universale Concilium ut veri Schismatici essent habendi.

Post Concilium Vaticanum autem, de re contendere vel dubitare est luci meridianae oculos claudere. In eiusmodi enim Concilio nedum Primatus Romani Pontificis evidentissime adsertus est (1) sed etiam infallibilitas personalis, ut est Ecclesiae caput et magister (2).

Qua de causa post Vaticanam definitionem appellare a sententia Romani Pontificis ad futurum Concilium universale, est appellare a primate supremo et infallibili ad iudicem nec supremum nec infallibilem; nullum concilium enim a Romano Pontifice segregatum potest esse vel oecumenicum vel infallibile (3).

Puto quapropter, praesens caput adiectum in nostra Constitutione esse, quod edita sit ante Vaticanum Concilium; praetermissum enim certe fuisset, utpote nunc inutile, vel fere inutile pro iis saltem qui catholici vocantur et sunt, si post Vaticanam Definitionem promulgata Constitutio fuisset (4).

Hoc caput ita legebatur in Bulla Coenae prout a Benedicto XIV promulgata fuit:

§ 2. Item « excommunicamus et

(1) Si quis dixerit., Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

(2) Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

(3) In 1. *Inter haeresim* 26. caus. 24. q. 4. refertur quaedam S. Hieronymi sententia, quam subnectere dignum puto: « Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod » haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia » pariter separat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

Haec autem maximi Doctoris sententia ex historia luculentissime probatur.

(4) Etenim in Concilio Vaticano diris devota fuit quaecumque de re sententia his verbis:

« Docemus etiam et declaramus eum (Romanum scilicet Pontificem) esse iudicem su» premum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius » posse recurri iudicium. Sedis vero apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium » a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a vero » veritatis tramite aberrant qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad Oe»cumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. »

Sess. IV. Cap. 3.

» anathematizamus omnes et singu-
» los cuiuscumque status, gradus,
» seu conditionis fuerit; universita-
» tes vero, Collegia et Capitula
» quocumque nomine nuncupentur
» interdicimus, ab Ordinationibus
» seu mandatis nostris, ac Romano-
» rum Pontificum pro tempore exi-
» stentium ad universale futurum
» Concilium appellantes, nec non
» eos, quorum auxilio, consilio vel
» favore appellatum fuerit. »

Constitutio *Apostolicae*, eamdem poenam renovat; atque excommunicationem in praesenti Capite, interdictum in postremo de interdictis. Habet enim § 4. « Omnes et » singulos cuiuscumque status, gra-
» dus, seu conditionis fuerint, ab
» ordinationibus seu mandatis Ro-
» manorum Pontificum pro tempore
» existentium ad universale futurum
» Concilium appellantes; nec non
» eos, quorum auxilio, consilio, vel
» favore appellatum fuerit. »

Merito autem huiusmodi appellantes fuisse excommunicatione irretitos, inde patet, quod per hanc appellationem gravis auctoritati Apostolicae Sedis iniuria irrogatur, cum supra ipsam, cuius auctoritate nulla maior est, cuius iudicium a nemine retractandum est, neque alicui licet de eius iudicare iudicio, tribunal constituatur; cum per eam schismata et dissensiones in Ecclesia introducantur, multiplicentur crimina, et disciplina ecclesiastica pessundetur, quin remedium possit apponi.

Congregare enim Concilium oecumenicum res non est adeo facilis; sine Romani Pontificis auctoritate congregari non potest; a Romano Pontifice dissentiens, et ab eo non confirmatum, nullius est auctoritatis; atque hinc rebellibus et obstinatis in malo semper innumerae cavillationes praesto essent ad eludendam certam et praesentem auctoritatem Romani Pontificis, appellando semper ad futurum universale Concilium; quod si convocatum fuerit, neque eius sententia appellantibus arriserit, iterum iterumque ad aliud futurum universale Concilium appellando.

Interea nemo non videt quaenam peccata, scandala, inobedientiae, dissensiones in Ecclesia introducerentur.

Sapientissime hinc Pius II. in Constitutione *Execrabilis* appellationes ad futurum universale Concilium solidissime aggressus est et execratus his verbis:

« Execrabilis et pristinis tem-
» poribus inauditus tempestate no-
» stra inolevit abusus, ut a Romano
» Pontifice Iesu Christi Vicario, cui
» dictum est in persona Beati Pe-
» tri; *Pasce oves meas, et quodque*
» *ligaveris super terram, erit liga-*
» *tum et in coelis;* nonnulli spiritu
» rebellionis imbuti, non sanioris
» cupiditate iudicii, sed commissi
» evasione peccati, ad futurum Con-
» cilium provocare praesumant quod
» quantum sacris Canonibus adverse-
» tur, quantumque Reipublicae chri-

» stianae noxium sit, quisquis non » ignarus iurium intelligere potest.

» Namque (ut alia praetereamus » quae huic corruptelae manifestissime refragantur) quis non illud » ridiculum iudicaverit, quod ad id » appellatur quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit? » Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent » impunita scelera, nutritur adversus primam sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et » omnis ecclesiastica disciplina, et » hierarchicus ordo confunditur.

» Volentes igitur hoc pestiferum » virus a Christi Ecclesia procul pellere, et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque » materiam scandali ab ovili nostri » Salvatoris arcere.... huiusmodi » provocationes damnamus, et tanquam erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes et penitus » annullantes, si quae hactenus taliter interpositae reperiantur, easque tamquam inanes ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus et declaramus. Praecipientes deinceps, ut nemo audeat, » quovis quaesito colore ab ordinationibus, sententiis, sive mandatis » quibuscumque nostris ac Successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositae per alium adhaerere, seu eis » quomodolibet uti.

» Si quis autem contrafecerit, » a die publicationis praesentium in » Cancelleria Apostolica, post duos » menses, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiamsi imperiali, regali, vel » pontificali praefulgeat dignitate, » ipso facto sententiam execrationis » incurrat, a qua nisi per Romanum Pontificem, et in mortis articulo absolvi non possit. Universitas vero sive collegium ecclesiastico subiaceat interdicto, et nihilominus tam collegia et universitates, quam praedictae et aliae » quaecumque personae, eas poenas ac censuras incurrant, quas » rei maiestatis et haereticae pravitatis fautores incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper ac » testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, et generaliter qui scienter consilium, auxilium dederint, » vel favorem talibus appellantibus, » pari poena plectantur. »

Hanc vero Constitutionem Iulius II nedum confirmavit, in Const. *Suspecti regiminis* lata die 1 Iulii 1509 sed etiam scripsit in ea, appellantes huiusmodi *tanquam erroneos* et *detestabiles* damnatos fuisse *efficacissimis et palpabilibus rationibus; ipsos et eorum quemlibet habendos esse pro veris et indubitatis Schismaticis et inconsutilis tunicae Domini Nostri Iesu Christi violatoribus et dissipatoribus, ac de catholica fide male sentientibus,.. poenis canonicis et legalibus subiacere, et cum Dathan et Abiron partem et damnationem habiere.*

Ut autem quisque animadvertit, lex est generalis, adeo ut nemo exci-

piatur, non princeps non subditus, non ecclesiasticus cuiuscumque praeminentiae et dignitatis, non laicus; non homo, non foemina; ac unica actio ad excommunicationem incurrendam requiritur, appellatio scilicet ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium.

Nomine de cetero ordinationum seu mandatorum intelliguntur etiam sententiae, praecepta, leges, censurae, poenae sive generales sive particulares in aliquem indictae, etc., haec enim omnia ordinationes et mandata sunt, et ordinationum vel mandatorum vim habere dignoscuntur.

Neque excommunicationem quis evaderet appellationem interponendo tanquam a mandato iniusto; nulla enim in articulo citato exceptio datur; non pertinet insuper ad inferiorem de sententia Romani Pontificis judicare; frustra demum haec excommunicatio lata fuisset, cum delinquentes semper se tueri possent, affirmando, ordinationes et lata a Romano Pontifice mandata esse iniusta; atque ita latissima aperiretur via iniuriam Sanctae Sedi irrogandi, quasi scilicet Concilium generale auctoritate Romano Pontifici praecellat, dum ad eiusmodi gravissimas iniurias eliminandas atque tot illa mala quae Pius II in superius relata Constitutione deflet, haec praesentem tulit excommunicationem.

Triplex tamen quaestio institui posset. Quarum prima sit.

In praesenti articulo dicuntur, excommunicati appellantes *ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium.* Potest autem dari casus ut post latam ordinationem seu mandatum, Romanus Pontifex moriatur, et post eius mortem quis ad futurum universale Concilium appellet. Quid?

Non mediocrem difficultatem praesens casus inducit. Impellit enim ad absolvendum eiusmodi appellantem ratio, quod nomine Pontificum pro tempore existentium intelligantur, in communi usu loquendi, Pontifices vivi, et non mortui; et cum lex sit odiosa strictae est interpretationi subiicienda: Romanus insuper Pontifex, a quo appellatum est, in iudicium venire non posset, dum reus semper est audiendus; quare eiusmodi appellatio inutilis esset.

Verum re maturius considerata; omnino in eiusmodi appellantem excommunicatio est decernenda.

Imprimis haec excommunicatio lata est, ut e medio tollatur scandalosa et erronea sententia, quod auctoritas Concilii oecumenici praestet autoritati Romani Pontificis; quae ratio militat tam pro Pontificibus viventibus quam defunctis.

Secundo: In Bulla Coenae habetur: *ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pon-*

tificum pro tempore existentium. Certum est autem verba *a mandatis nostris* referri ad Pontifices viventes; quorum ordinationes ni a successoribus abrogentur, vim legis habent etiam post eorum mortem; sequeretur quapropter in citata interpretatione, Pontifices statuisse leges et praecepta tantum pro sui Pontificatus tempore, quod est absurdum. Utique in nostra Constitutione praedicta verba praetermissa sunt, sed ratio est quod illa continerentur in subsequentibus *Romanorum Pontificum scilicet, pro tempore existentium.*

Tertio ordinationes et mandata a Romanis Pontificibus frustra ferrentur. Posset enim quis eorum mortem expectare, et deinceps appellare ad futurum Concilium generale.

Quarto. Quin imo omnes cuiuscumque sectae haeretici vel schismatici, vel male feriati Catholici, Iansenistae praesertim, possent nunc appellare ad futurum concilium oecumenicum ab ordinationibus et mandatis latis contra ipsos ab omnibus defunctis Pontificibus, et ita bellum iterum instaurare sine ulla prorsus excommunicatione, atque ita inutiles reddere omnes Constitutiones a Romanis Pontificibus in eos latas, et tot curas in ipsos impensas.

Atque ita de ceteris dicito qui se a Romano aliquo Pontifice male habitos quererent.

Obiectis vero responderi potest: verba ordinationibus *et mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium*, idem valere ac a *mandatis Papae*, ut ex subiecta materia constat, et ex absurdis quae secus sequerentur.

Etiamsi vero Romanus Pontifex defunctus in iudicium venire non posset, submitterentur tamen iterum examini ordinationes et lata ab eo mandata; quo gravissima iniuria apostolicae Sedi irrogatur.

Altera quaestio est. Quid scilicet de eo dicendum qui a mandatis et ordinationibus Romani Pontificis appellaret, non qua Caput est et Pastor universalis Ecclesiae, sed qua Princeps temporalis?

Et quidem discrepant auctores; alii enim affirmant incurri excommunicationem in utroque casu; alii vero in primo tantum.

Illi dicunt 1°., Romanum Pontificum absolute excommunicare appellantes a suis ordinationibus; et ubi ius non distinguit, distinguendum non esse.

2°. Eamdem Romano Pontifici iniuriam irrogari sive appelletur ab eo ut Pontifex est et Christi Vicarius, sive ut est Princeps temporalis.

3°. Romanos Pontifices per huiusmodi prohibitionem voluisse e medio tollere schismata et rebelliones quascumque, quae dimanare possunt etiam ab appellatione contra ipsum interposita ut est princeps temporalis.

Verum alii, ni tamen fallor, so-

lidiori argumento nituntur, dum dicunt, a Romanis Pontificibus ideo latam eiusmodi excommunicationem fuisse, ut praecipue suam in spiritualibus auctoritatem tuerentur; appellationem vero ab ordinatione et mandato absolute temporali, nullum detrimentum spirituali potestati inferre. Et haec quidem sententia mihi verior videtur.

Quoties enim Romani Pontifices appellationes ad futurum universale Concilium proscripsere, illo semper argumento usi sunt, quod supremus Ecclesiae pastor a nemine iudicari potest, quod appellatio sit provocatio ab iudice inferiore ad superiorem; nullus autem supra Romanum Pontificem constitutus est iudex, cui uni dixit Christus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.*

Atque omnibus praetermissis, nonne Concilii Vaticani Patres huic prorsus argumento innixi sunt dum eiusmodi appellationes prohibuere? Romanum Pontificem *esse iudicem supremum fidelium; Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum;* hinc eiusmodi appellantes a *vero veritatis tramite aberrare.* At hae rationes uni innituntur supremae Romanorum Pontificum spirituali potestati.

Manifestum est autem, Romanos Pontifices, quatenus sunt principes temporales non esse omnium supremos, neque supra ceteros principes potestatem habere. Sicut ergo ordinationes et mandata aliorum principum subesse possunt, et non semel reapse subiecta fuere auctoritati Conciliorum, et Romanorum Pontificum, ita repugnare non videtur ut mandata Romanorum Pontificum quatenus sunt Principes temporales subsint auctoritati Conciliorum oecumenicorum. Adde quod lex est odiosa, et strictae interpretationi subiicienda.

Equidem lex non distinguit; sed ex subiecta materia, ex rationibus adductis, ex verbis adhibitis optime distingui posse suademur.

Neque verum putandum est, eandem Romano Pontifici iniuriam irrogari si appelletur ab eo vel ut Vicarius Christi est, vel ab eo ut est princeps temporalis; gravior enim est illa quae irrogatur Christi Vicario. De cetero haec non est unica ratio quare eiusmodi appellationes fuerint proscriptae.

Esto demum quod per hanc excommunicationem voluerint Romani Pontifices e medio tollere schismata et rebelliones.

Sed non eodem fine: schismate enim quis subtrahitur ab Ecclesiae unitate, rebellione non item; de duplici quapropter hoc fine diversa ratione et intentione diiudicandum est.

Quidquid tamen sit de adductis pro et contra argumentis, certum est, auctores discrepare an incurrat excommunicationem qui appellat a Romano Pontifice ut est Princeps temporalis in causa mere temporali; Ecclesia nihil definivit; verba e con-

tra quibus lex lata est, potius auctoritatem spiritualem quam temporalem indigitant; lex proinde quoad hanc partem est dubia; at lex dubia non obligat. Ergo excommunicationem indubitanter incurrunt illi qui ab ordinationibus et mandatis Romanorum Pontificum, quatenus sunt Christi Vicarii, appellant ad universale futurum Concilium; alii non item; nemo enim ut praevaricator legis habendus est, nisi de lege certo constet.

Attamen ut quis hanc excommunicationem incurrat appellare debet ad Concilium oecumenicum; non ergo nationale aut provinciale; quare si ad eiusmodi particularia Concilia quis a sententia Romani Pontificis appellaret, non esset excommunicatus; sed neque si appellaret ad futurum Pontificem; caput enim loquitur de Concilio Oecumenico, et quidem futuro.

Quid ergo? Nonne excommunicationem incurreret si quis appellaret ad Concilium oecumenicum quod in praesenti celebratur?

Et quidem validae rationes id suadere videntur; eadem enim iniuria Romano Pontifici irrogatur, eius auctoritas auctoritati Concilii oecumenici subiicitur, scandalum fidelibus paratur.

Concilium insuper etiamsi actualiter celebretur, tamen sessio in qua diudicanda esset eiusmodi causa post appellationem interpositam nondum celebrata est; quare quoad hanc Sessionem Concilium est futurum.

Hisce tamen non obstantibus, lex excommunicatos pronuntiat qui a mandatis Romanorum Pontificum appellant ad universale futurum Concilium; appellatio vero ad futurum universale concilium complexive sumitur, et importat convocationem, celebrationem et exitum, seu confirmationem. Concilium autem quod actualiter celebretur iam convocatum est; et ex parte celebratum; qua de causa cadere non potest sub praescriptione legis.

Addendum autem est, Romanos Pontifices praefatas appellationes interdixisse praesertim ut Gallicanos configerent, qui dum affirmabant, Romanae Ecclesiae Praesules Episcopis omnibus distributive sumptis superiores esse, inferiores vero Episcopis collective acceptis sive dispersis, sive in Concilio congregatis. Concilium autem quod actualiter celebratur, si de mandato Romani Pontificis congregatum fuerit, atque ei iure nativo et proprio praesideat, in tantum auctoritatem habet, in quantum eius decreta auctoritate Pontificia confirmantur. Quare appellare a sententia Rom. Pontificis ad Concilium eiusmodi, est provocare a Pontifice ad Pontificem.

Sed neque si eiusmodi actuale Concilium oecumenicum, dissentiente Romano Pontifice, collectum fuerit, quis ad illud appellans excommunicationem praesentem incurrit. Est enim actuale, non futurum. Et appellatio non ad futurum Concilium interponeretur, sed ad

praesens, quod sub verbis legis non cadit.

At Caput nostrum nedum appellantes, sed etiam eos, *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit* excommunicatione ferit.

Qua de causa si quis faveat, vel consilium aut auxilium praestet postquam appellatio interposita fuerit, excommunicationem non incurrit, quia lex loquitur de coadiutoribus ad appellationem interponendam; sed neque si quis praestet consilium, auxilium, favorem ante appellationem; appellans autem non amplius eam interponat; nam in casu nullimode appellatum fuit.

APPENDIX XIII

ADDITIO AD EXCOMMUNICATIONES SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAS

Iam animadversum est, Constitutionem *Apostolicae Sedis* multiplices illas limitasse censuras, quae ad annum usque 1869 latae fuerant, nullum vero attulisse, vel afferre posse detrimentum iis, quae in posterum latae aut ferendae sunt.

Adest quapropter alia excommunicatio Romano Pontifici speciali modo reservata, quam duodecim illis iam explanatis subnectimus.

Excommunicatio scilicet lata in Canonicos et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium vacantium, qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu; et in electos ac praesentatos qui ultra in eiusmodi administrationem sese ingerere praesumant. Demum in eos qui praemissis auxilium, consilium aut favorem praestiterint

Haec excommunicatio lata fuit in Constitutione *Romanus Pontifex*, quam Pius Papa IX edidit die 28 Augusti 1873, quamque integram fere referimus, tum ut lectores intelligant quid in ea Romanus Pontifex praecipiat, tum ut historicam aliquam notitiam de re habeant.

Ita ergo sese habet.

« Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum SS. Canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia praebeatur, atque inde ecclesiasticae disciplinae unitas rumpatur, cum magno ecclesiastici regiminis detrimento.

« Sane iuxta antiquam Ecclesiae » disciplinam, Sede Episcopali va- » cante, dioecesis administratio ad » Capitulum cathedralis Ecclesiae » devolvitur; quod olim per seipsum, » dioecesim, toto tempore, quo se- » des vacabat, administrare pote- » rat, vel uni aut pluribus dioe- » cesim administrandam commit- » tere, libera eidem relicta pote- » state deputatos eligendi, eisque » delegatam iurisdictionem, si- » ve quoad usum, sive quoad » tempus arctandi et constrin- » gendi.

« At vero Concilii Tridentini Pa- » tres animadvertentes gravissima » quae passim oriebantur incom- » moda ex administratione viduatae » Ecclesiae coetui personarum di- » versi fere ingenii concredita, ad » ea vitanda sapienter decreverunt » ut *Capitulum Sede vacante, of- » ficialem seu Vicarium, infra o- » cto dies post mortem Episcopi, » constituere, vel existentem con- » firmare omnino teneatur, qui, » saltem in iure canonico sit do- » ctor, vel licentiatus, vel alias » quantum fieri poterit idoneus. » Si secus factum fuerit, ad Metro- » politanum deputatio huiusmodi » devolvatur, et si Ecclesia ipsa » Metropolitana fuerit, aut exem- » pta, Capitulumque, ut praefertur, » negligens fuerit, tunc antiquior » Episcopus ex suffraganeis in Me- » tropolitana, et propinquior Epi- » scopus in exempta, Vicarium » possit constituere.*

» Huiusmodi vero decretum varie » interpretati sunt privati canoni- » carum rerum scriptores. Quidam » enim censuerunt posse Capitulum » in constituendo Vicario aliquam » iurisdictionis partem sibi reserva- » re; alii putaverunt fas esse Ca- » pitulo ad certum tempus Vica- » rium deputare; nec defuerunt » qui arbitrati sunt, licere Capitulo » Vicarium pro arbitrio removere, » et alium substituere.

» Recensitae Scriptorum senten- » tiae a nonnullis Capitulis libenter » exceptae sunt: quo factum est, » ut in hac re tam magni momenti » disciplinae uniformitas deficeret, » et Tridentinum decretum opta- » tum finem plene non attingeret. » Quamvis autem SS. Urbis Con- » gregationes has sententias, suis » responsis in casibus occurrentibus » pluries reprobaverint, ita ut ex » earum responsis manifeste appa- » reat quae fuerit mens Patrum » Tridentinorum in edendo Decreto » superius relato; attamen cum » nondum omnia ubique ad eam » mentem exigi videamus, ad sub- » movendam prorsus quamlibet du- » bitationis causam vel obtentum, » iisdem responsis et Declarationibus » Apostolicae auctoritatis robur ad- » iiciendum censemus.

» Quocirca motu proprio, ac » certa scientia, et matura delibe- » ratione Nostris deque Apostolicae » auctoritatis plenitudine declara- » mus et decernimus: totam ordi- » nariam Episcopi iurisdictionem,

» quae vacua Sede Episcopali ad » Capitulum venerat, ad Vicarium » ab ipso rite constitutum omnino » transire; nec ullam huius iuris- » dictionis partem posse Capitulum » sibi reservare, neque posse ad » certum et definitum tempus Vi- » carium constituere, multoque mi- » nus removere, sed eum in officio » permanere quousque novus Epi- » scopus Litteras Apostolicas de » collato sibi Episcopatu, Capitulo, » iuxta Bonifacii VIII Praedecesso- » ris nostri Constitutionem (1), vel » Capitulo deficiente, ei exhibuerit, » qui, ad normam SS. Canonum, » vel ex speciali Sanctae Sedis dis- » positione, vacantem Dioecesim » administrat, vel eiusdem Admi- » nistratorem, seu Vicarium depu- » tat.

» Quamobrem pro nullis haben- » dae sunt limitationes, seu quoad » iurisdictionem, seu quoad tempus » adiectae a Capitulo electioni Vi- » carii Capitularis, qui idcirco, iis » non obstantibus, officium semel » sibi rite collatum, toto tempore, » quo Sedes Episcopalis vacua fue- » rit, totamque ordinariam iuris- » dictionem Episcopalem libere et » valide exercere perget, donec » novus Episcopus Apostolicas ca- » nonicae suae institutionis litteras, » ut diximus, exhibeat.

» Hac autem occasione declara- » mus etiam et decernimus, ea quae » a Gregorio X decessore nostro » in Concilio Lugdunensi secundo » de electis a Capitulis constituta » sunt (2) comprehendere etiam » nominatos et praesentatos a su- » premis publicarum rerum mode- » ratoribus, sive imperatores sint, » sive reges, sive duces, vel prae- » sides, et quomodocumque nun- » cupentur, qui ex Sanctae Sedis » concessione, seu privilegio, iure » gaudent nominandi, et praesen- » tandi ad Sedes Episcopales in » suis respectivis ditionibus vacan- » tes; abolentes idcirco, cassantes » et penitus annullantes usum, seu » potius abusum sub quovis titulo, » vel praetenso et asserto privilegio, » quaesito colore, et quacumque

(1) Extravag. *Iniunctae* de electione inter comm.

(2) Cap. *Avaritiae* de electione in 6.

Avaritiae caecitas et damnandae ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quae sibi a iure interdicta, noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis iure prohibente non licet ante confirmationem electionis celebratae de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tanquam procuratoribus seu oeconomis committi procurant. Cum igitur non sit malitiis hominum indulgendum, Nos latius providere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut nullus de caetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub oeconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum gerere vel recipere, aut illis se immiscere praesumat. Omnes illos qui secus fecerint, iure, si quod eis per electionem quaesitum fuerit, decernentes eo ipso privatos.

» causa, licet speciali et expressa » mentione digna, in quibusdam » regnis seu regionibus praesertim » longinquis invectum, quo Capi- » tulum Ecclesiae Cathedralis va- » cantis obsequens invitationi seu » mandato, licet verbis deprecatoriis » concepto, supremae civilis pote- » statis concedere et transferre prae- » sumit, ac de facto concedit et » transfert in nominatum et prae- » sentatum ad eamdem Ecclesiam » illius curam, regimen et admi- » nistrationem, eamque nominatus » et praesentatus sub nomine Pro- » visoris, Vicarii generalis, aliove » nomine gerendam suscipit ante » exhibitionem Litterarum Apostо- » licarum, uti superius dictum est, » de more faciendam, remoto pro- » inde Vicario Capitulari, qui ex » iuris dispositione, toto tempore » vacationis Ecclesiae eam admini- » strare ac regere debet.

» Confirmantes autem alia etiam » Decessorum nostrorum, et prae- » sertim sa: me: Pii VII decreta » et dispositiones, declaramus et » decernimus, ut si interea Vicarius » Capitularis decesserit, aut sponte » sua muneri renuntiaverit, aut ex » alia causa officium ipsum legitime » vacaverit, tunc Capitulum, vel » Capitulo deficiente, qui Potesta- » tem habet deputandi vacantis Ec- » clesiae administratorem, seu Vi- » carium, novum quidem Vicarium » vel administratorem eligat, nun- » quam vero electum in Episcopum » a Capitulis, aut a laica potestate » nominatum seu praesentatum ad » dictam Ecclesiam vacantem; cuius » electionem ac deputationem, si » eam Capitulum vel alius, uti su- » pra, peragere praesumpserit, » cassamus, annullamus, ac omnino » irritam declaramus.

« Confidimus autem Dignitates » et Canonicos Cathedralium Ec- » clesiarum vacantium, ac illos, qui » deficientibus Capitulis, Vicarios » deputant, aut vacantes Ecclesias » legitime administrant, plene exe- » quuturos, quae hisce nostris Lit- » teris declarata et decreta sunt.

» Ubi vero, quod Deus avertat, » ea exequi detrectaverint, ac con- » cedere et transferre in nomina- » tum et praesentatum ad eamdem » Ecclesiam eius curam, regimen, » et administrationem sub quovis » titulo, nomine, quaesito colore » ausi fuerint, praeter nullitatem » iam decretam praedictae conces- » sionis et translationis praefatos » Canonicos ac Dignitates excom- » municationis maioris, nec non pri- » vationis fructuum ecclesiastico- » rum Beneficiorum quorumcum- » que, aliorumque reddituum ec- » clesiasticorum per eos respe- » ctive obtentorum, similiter eo » ipso incurrendis poenis inno- » damus, et innodatos fore decer- » nimus et declaramus, ipsarumque » poenarum absolutionem seu re- » laxationem nobis et Romano » Pontifici pro tempore existen- » ti dumtaxat specialiter reser- » vamus.

» In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, in eos peractam.

» Nec non ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis fuerint.

» Praeterea nominatos, et praesentatos, iure quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

» Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, Sanctae Sedi pariter reservatam.

» Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur, et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque valoris, momenti et efficaciae esse, et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

» Haec volumus, statuimus, ac mandamus: etc. »

Ne simus nimii in iis repetendis quae in relata Constitutione continentur:

1°. Tota ordinaria iurisdictio Episcopi, quae vacua Sede Episcopali ad Capitulum venerat, transit ad Vicarium a Capitulo rite constitutum.

2°. Capitulum nullam huius iurisdictionis partem posse sibi reservare, sed integram ad Vicarium Capitularem transire.

3°. A Capitulo costitui non posse Vicarium ad certum et definitum tempus, sed hunc debere in officio perdurare quousque novus Episcopus de collato sibi Episcopatu Literas Apostolicas Capitulo exhibeat.

4°. Nullas omnino esse limitationes seu quoad iurisdictionem seu quoad tempus a Capitulo adiectas electioni Vicarii Capitularis; hanc vero validam esse, nisi aliud obstet, non obstantibus ipsis limitationibus.

5°. Ea quae in Concilio Lugdunensi II constituta reperiuntur, comprehendere etiam nominatos et praesentatos a supremis rerum moderatoribus; non dari quapropter exceptioni locum.

6°. Qua de causa nullimode attendendam esse praesentationem supremae civilis potestatis, et nullius roboris esse acceptationem praesentati et electi factam a Capitulo, etiamsi praesentatus et electus re-

gimen Ecclesiae suscipiat sub nomine Provisoris, aut Vicarii generalis.

7°. Ecclesiam vacantem per mortem Episcopi regendam esse usque ad praesentationem litterarum apostolicarum a novo Episcopo peragendam, a Vicario Capitulari rite constituto.

8°. Vicario Capitulari decedente, vel renuntiante, vel alia de causa deficiente, eligendum esse novum Vicarium Capitularem, numquam vero acceptandum, sub poenis comminatis, praesentatum a Laica potestate.

Haec autem sapientissime constituta esse nemo non videt; praecluditur enim ambitioni aditus, ecclesiastici canones atque ecclesiae potestas sarta tectaque servatur.

APPENDIX XIV.

De excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata, in eos lata qui dant nomen « Societati catholicae italicae pro recuperatione iurium spectantium ad populum christianum, et specialiter ad populum Romanum in electione Summi Pontificis. »

S. Poenitentiariae Apostolicae anno 1876 expositum fuit sequens dubium. « Eme et Rme Domine » Nonnulli Sacerdotes Confessarii in alma Urbe humiliter exponunt, hoc tempore per eam circumferri quoddam folium continens programma typis impressum cum adnexis schedis associationis, quo fideles sollicitantur ad adhaerendum cuidam Societati in eum finem institutae vel instituendae, ut quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus Romanus concurrat in Pontificis electione.

Societati nomen inditum est - *Società cattolica italiana per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano ed in ispecie al popolo romano nella elezione del Sommo Pontefice.*

Qui autem huic societati dant nomen declarare expresse debent, prout ex schedarum forma, se assentire doctrinis in programmate enunciatis, et obligationem coram duobus testibus contrahunt, se operam daturos, ut tales doctrinae propagentur, et Societas ipsa dilatetur. Itaque accedentibus (Dei opitulante gratia) ad Sacramentalem Confessionem iis qui huius pravae Societatis promotores extiterunt, vel qui subscripserunt, coeterisque adhaerentibus et fautoribus, praefati Confessarii, ut eos rite absolvere valeant, programmatis et schedarum exemplum S. Poenitentiariae expen-

dendum remittunt; et sequentium dubiorum solutionem expostulant.

1. An omnes et singuli praedictae Societati nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, vel adhaerentes, Excommunicationis poenam ipso facto incurrant?

2. Et quatenus *affirmative*, an huiusmodi excommunicatio sit Romano Pontifici reservata?

Sacra Poenitentiaria attentis omnibus expositis et inspecta natura ac fine huiusmodi Societatis; facta praemissorum relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, et eodem Sanctissimo Domino approbante, ad proposita dubia respondet ut sequitur.

Ad primum. *Affirmative.* Ad secundum. *Incurri excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 4 Augusti 1876.

R. Card. Monaco Pro P. M.
Hip. Can. Palombi S. P. *Secr.*

Gravissimo perculsi infortunio, inopinato scilicet Romani Pontificis obitu, inter amantissimorum filiorum gemitus huic quaestioni pertractandae, dum Romana sedes interim vacat, non inopportune manus admovemus, et animum applicamus.

Non est equidem in proposito themate quod difficultatem ingerat, cum manifeste excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam incurrant omnes cuiuscumque status, sexus, conditionis, dignitatis qui praedictae societati vel dant nomen, vel eam promovent, vel ei quomodocumque favent aut adhaerent.

Et quidem iuste sapienterque. Agitur enim de re gravissima, quae et varias Romanorum Pontificum Constitutiones in irritum deducit, et electionem Romani Pontificis perturbare potest et retardare, schismata et acres in Ecclesia Christi dissensiones introducere.

Programma illud insuper et conditiones adiectae in Apostolicam Sedem Romanosque Pontifices tot convicia congerunt, ut stomachum moveant.

Ad lectorum nostrorum notitiam programmatis partes necessarias deducimus, et nemo scandalum sumat.

« Equidem Papatus sicut ab initio se constituit, ita et nunc » permanet in suis perniciosis in- » stitutionibus, legibus contra mo- » rem inductis, praesumptis juri- » bus, ut populum christianum ty- » rannide opprimat. In suis usur- » pationibus roboratus favore cu- » iusvis nationis praepotentium, ple- » bium ad fanatismum, atque stu- » pidum feticismum impulsarum, » numquam e Vaticana arce civili- » tati, progressui, scientiae et liber- » tati maledicere intermisit.

» Nos ea in sententia versamur, et » manet alta mente repostum, divi- » nam Providentiam sicut olim Ro-

» mae idolorum cultui addictae gloriosum munus concredidisse constituendi et fundandi bases essentiales iuris nationalis, ita Romae Christianae concredidisse Missionem excellentiorem, Primatus cuiusdam in quodam morali influxu constituti, mediante scilicet libera electione sui Episcopi inter omnes Ecclesiae Episcopos primatum habentis, inita populari suffragio, quod amputat, destruit, in nihilum deducit illam malam arborem effraenis, et arrogantis theocratiae, quae barbarica aetate nomen Papatus assumpsit. »

Huic eximiae praefationi, in qua nescio quid primatum habeat, impietas vel ignorantia, subnectuntur conditiones sequentes :

1ª. Programmati adhaerenti propria manû subscribenda erit associationis schedula coram duobus testibus, qui pariter illi subscribent.

2ª. Socio cuilibet incumbit onus tum doctrinas in programmate contentas diffundendi, tum subscriptiones procurandi.

Hisce vero praemissis sequitur Conclusio.

« Sit igitur nos inter pax et concordia; et tunc coniuncti atque » fortes iurium nostrorum, in aciem » prodibimus aggrediendi et diruendi gratia hanc postremam » arcem papalis tyrannidis, cui iam » nil aliud superest, quam crudeliter fidelium conscientias ad libitum perturbare. Nemo de victoria dubitet. Quamvis enim papatus, prout semetipsum constabilivit, spem omnem reformationis excludat, iuramentorum horribilium causa, quibus perversitati colligatur, attamen sicut Ecclesia, etiam iuxta rigidiorum » Canonistarum sententiam, neque » in solo Papatu, neque in solo » Episcopatu, neque in solo clero » constituitur, sed in unione omnium fidelium; ita isti iure gaudent, imo et munere, petendi et » exigendi ut malum cuius caussa » tantopere tristitia afficiuntur, tandem aliquando finem habeat, insuper apta remedia proponendi » ut iterum opus Christi resplendeat in sua antiqua puritate, et » nativa simplicitate (1).

Ut quisque videt, programma

(1) *Italice* Pur troppo il Papato rimase come da se stesso erasi organizzato forte delle sue perniciose istituzioni, delle sue leggi immorali, delle sue invadenti pretensioni, a tiranneggiare la cristianità fino al giorno d'oggi, favorito nelle sue usurpazioni, dai prepotenti d'ogni nazione, dalle plebi fanatizzate col più stupido feticismo, nè cessò mai di maledire dalla rocca Vaticana alla civiltà, al progresso, alla scienza, alla libertà.

Noi siamo convinti che come la Divina Provvidenza affidò alla Roma pagana il compito glorioso di stabilire e di fondare le basi essenziali del diritto nazionale, così abbia affidato alla Roma cristiana la missione anche più eccellente di un tal quale Primato d'influenza morale, mediante la libera elezione del suo Vescovo (primo tra i pastori della cristianità) fatta col suffragio popolare, che tronca, distrugge, annichilisce la mala pianta di quella sfrenata orgogliosa teocrazia che in barbari tempi ebbe nome di Papato.

ejusmodi doctrinas adeo insanas circa Pontificatus institutionem infert, atque tot convicia et calumnias in Romanos Pontifices congerit, ut merito esset proscribendum.

Ignoscendum quidem ignorantiae auctoris est, quem nedum institutio primaeva Pontificatus latet, sed et historia quaelibet Romanae Ecclesiae Pontificum.

Attamen in citato programmate auctor unum confitetur, de quo ei gratias plurimas agimus, Pontificatum scilicet Romanum in suis institutionibus ita permansisse, ut ab initio fuerat constitutus. Quoniam vero in Romano Episcopo Primatus praecipue attenditur, quod egregius programmatis auctor quomodocumque confitetur: (primo tra i pastori della Cristianità); primatus vero a Christo fuit institutus et Petro collatus; qui de cetero illum ut a Christo acceperat suis in Episcopatu Romano successoribus, ut par erat, reliquit, ex confessione praestantissimi auctoris iure meritoque inferimus, Pontificatum Romanum usque nunc in illis institutionibus permansisse quae a Christo traditae et a Beato Petro Apostolo exercitae fuerunt.

Quod si auctor loqui intendat de dominii temporalis assumptione, quod iuxta communiorem sententiam a Gregorio II coepit, nemo non videt in quanta confusione versetur. Confundit enim iura temporalia cum iuribus spiritualibus; quin imo, ut mihi videtur, nescit omnino quid dicat, cum quaeratur non de dominio temporali, sed de fidelium conscientiis | tyrannide oppressis. Primatus autem praecipue fuit institutus, ut per Romanos Pontifices scirent fideles quid credendum quidque agendum, quid consonum divinae scripturae et traditioni, quidque dissonum; lege autem conscientia ligatur, non opprimitur.

Verum hisce praetermissis, societas ista in Constitutione *Apostolicae Sedis* fortasse non comprehendebatur, ideoque novo anathemate erat percutienda.

Si enim eam comprehendi dicemus, in duobus fortasse capitibus

Art. 1. Chi aderisce al Programma dovrà di suo pugno sottoscrivere la scheda di associazione alla presenza di due testimonii che egualmente la firmeranno.

Art. 3. Ogni Socio assume l'obbligo di adoperarsi per le adesioni alle idee del programma e per le iscrizioni alla Società.

Sia adunque pace e concordia fra noi, e allora uniti e forti dei nostri diritti, potremo scendere in campo combattere e crollare quest'ultimo baluardo della tirannide papale cui oggimai null'altro più rimane che sbizzarrirsi atrocemente nello strazio delle coscienze. La vittoria non può fallire perchè, sebbene il Papato, come si fu costituito, da sè escluda ogni speranza probabile di riforma pei tremendi giuramenti che lo legano al disordine; tuttavia siccome la Chiesa, anche giusta le più rigide forme canoniche, non è nè il Papato solo, nè l'Episcopato solo, nè il Clero solo, ma l'unione di tutti i fedeli; così questi hanno il diritto, e aggiungasi pure il dovere, di chiedere e di esigere la cessazione del gran male che li contrista, e di proporre i mezzi adatti a far risplendere di nuovo l'opera di Cristo nella sua antica purezza e nativa semplicità.

primo scilicet et tertio. Primo quidem, quo excommunicantur omnes a christiana fide apostatae, et omnes ac singuli haeretici quocumque nomine censentur, et cuiuscumque sectae existant. At manifestum est, in citato Capite comprehendi haereticos et sectas notorias, quae scilicet nomen habent, non vero novas sectas quae in futurum fortasse exorientur; sin minus enim nulla erit circa futuras haereses excommunicatio inferenda, cum omnes in citato capite excommunicatione perculsae reperiantur. Addo quod auctor programmatis tanta in scribendo confusione laboret, ut non adeo facile sit determinare quale fidei caput impetat et negare conetur.

Scopus autem societatis illius non est fidei dogmata denegare, sed populo christiano, Romano praecipue, iura vindicare quae ad ipsos spectare dicit in electione Summi Pontificis; ut Pontifex scilicet eligatur non a Cardinalibus vel a clero tantummodo, sed etiam a populo.

Et in hoc nullam haeresim deprehendi datur.

Sed e contra programmatis auctor ita imperitus deprehenditur, si eius verba nude sumantur, ut, nedum populo Romano, sed etiam populo christiano universo iura tribuat in electione Summi Pontificis (rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano, e specialmente al popolo Romano nella elezione del Sommo Pontefice); quasi contigerit aliquando, ut praeter populum Romanum, etiam aliarum Urbium populi suffragium in electione Romani Pontificis dederint.

Sed neque in Capite III quo excommunicantur schismatici et illi qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt, comprehendi nomen huic dantes societati videntur.

Schisma enim, ut iam monitum est, est subtractio ab obedientia capitis Ecclesiae formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiae. Iam vero ex primo capite qui eiusmodi Societati Italicae nomen operamque tribuunt, dici schismatici non possunt, cum reapse ab Rom. Pontificis hic et nunc existentis obedientia non se subtrahunt, eiusque obitum expectent, ut plebi christianae, et populo Romano praesertim sua iura in electione Summi Pontificis restituant. Qua de causa, tunc essent uti schismatici habendi, cum a Romani Pontificis obedientia de more a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus electo sine populi suffragio sese subtraherent, non autem ante eiusdem electionem. – Sed neque ex altero capite, quo recedere putarentur ab unione universalis Ecclesiae.

Haec enim separatio considerari potest vel tempore Sedis vacantis, vel post Pontificem electum; si post Pontificem electum sine populi suffragio, nulla quaestio esse potest quod schisma proprie dictum ha-

beatur; recederent enim ab Ecclesiae capite formaliter sumpto; sed etiam hoc in casu, non vi initae societatis, sed ex reali separatione quae post electionem pontificis haberetur.

Si autem separatio consideratur tempore Sedis vacantis, quisque cogitet, nomen dantes huic societati non se ab unione universalis Ecclesiae vel separare velle, vel de facto se separasse, sed tantummodo intendere ut electio Romani Pontificis ad pristinam, ut aiunt, consuetudinem reducatur; in quo proprie dicti schismatis definitio non includitur, cum ex hoc quod quis vel novam consuetudinem introducere in Ecclesia conetur, vel antiquam in pristinum revocare, nequeat uti schismaticus haberi. Schisma enim non est quid speculativum, sed res de facto, subtractio scilicet realis vel ab obedientia Romani Pontificis, qua est Ecclesiae caput, vel ab unione universalis Ecclesiae. Haec autem in praefata Societate de facto non deprehenduntur, etiamsi ingenue affirmandum sit, ideas in programmate contentas ad schisma deducere.

Demum nemo uti Schismaticus est habendus ni vel ab Ecclesia uti schismaticus iudicetur atque damnetur, vel ipsemet aperte profiteatur se ab Ecclesia recedere.

At Romanus Pontifex etiamsi illa molientes excommunicationi specialiter reservatae subegerit, schismaticos autem nullimode declaravit; ipsi vero nullimode se ab unione universalis Ecclesiae segregare se velle affirmarunt.

Nomen igitur dantes huic italicae societati non comprehendebantur sub censuris in Constitutione Apostolicae Sedis latis, sed erant nova excommunicatione merito plectendi.

Iam vero, ut hoc caput historice pertractemus; nemini dubium esse potest quin ab initio de Ecclesiae Romanorumque Pontificum consensu Romani etiam Episcopi electio a Clero et Romana Plebe facta fuerit, quae circa electum et praesentatum a Clero suffragium ferebat; quod suffragium referebatur ad bonum testimonium de vita et idoneitate praesentati.

Etenim et in Ecclesia Romana mos obtinebat qui in Ecclesia universali per dictum consensum vigebat.

Attamen in electione Summi Pontificis sive ob muneris gravitatem, sive ob plura suborta schismata, quibus non adeo facile occurri poterat, varia et inconstans Pontificis eligendi disciplina fuit, et variis vicissitudinibus obnoxia, inde ortum habentibus, quod ob varias circumstantias, et speciales rationes generali disciplinae circa electionem Romani Episcopi derogatum legitime fuit.

Haec igitur singularia (non tamen omnia) quae in electione Summi Pontificis pro temporum varietate inducta sunt ad lectorum eruditionem primum investigabimus, et postea formam eligendi Pontificis, ut nunc habetur, trademus.

Itaque circa eiusmodi caput, quid singulare primum introduci coepit tempore Bonifacii I circa annum 419. Orto enim schismate ob electionem Bonifacii et Eulalii, circa quos Clerus et populus suffragia diviserant, quod deinceps schisma pacatum fuit a Concilio 250 Episcoporum, qui Bonifacii iura recognoverunt, hic ut futurae electioni sui Successoris consuleret, primum quidem statuit, ut nemo per ambitum Apostolicam Sedem conscenderet, deinde, ut si inter medium schisma duo ordinati forte fuissent, uterque iure caderet, et ad novam electionem deveniretur. Haec autem cum sine ullo populi suffragio statuisset, iam tunc patebat plebis christianae testimonium ad validitatem electionis necessarium non esse; si enim necessarium fuisset, illa statuere sine populi consensu Bonifacius per se minime potuisset. Quae enim ad valorem actus sunt necessaria, sine partium saltem consensu variari non possunt. Attamen et tunc temporis populus Romanus ad electionem a Clero faciendam admittebatur, et saeculis subsequentibus, ut patet ex libro diurno Romanorum Pontificum, in quo circa electionem Romani Praesulis haec Clerus Romanus scribere ad Ravennae Exarchum solitus erat: « In unum convenien» tibus, ut moris erat, cunctis Sa» cerdotibus, ac proceribus Eccle» siae et universo Clero, atque opti» matibus, et universa militari prae» sentia, seu civibus honestis, et » cuncta generalitate populi Roma» nae Urbis, a parvo usque ad ma» gnum. » *Tit. 2 Decretum de electione Pontificis.*

Neque inficiamur temporibus, quibus Romana Urbs Graecis Imperatoribus subdebatur, id Romanum Clerum consuevisse, ut talem Pontificem eligeret qui Imperatori foret acceptus; ne scilicet, si ab illo electus Pontifex respueretur, dissensiones, caedesque exorirentur; sicut neque inficiamur, ob illorum temporum calamitates resque Ecclesiae adversas petitam ab Imperatoribus Graecis Pontificum electorum confirmationem, quin imo ipsis quamdam pecuniae summam seu tributum solutum pro confirmatione fuisse (1), qui deinceps abusus a Constantino Pogonato sublati fuere, primum condonato Agathoni tributo, deinde circa annum 685 facta Benedicto II Papae potestate, ut in posterum quicumque a Clero et populo in Pontificem electus legitimis suffra-

(1) Ex Can. 22 Dist. 63. Agatho natione Siculus, cuius legatione fungens Ioannes Episcopus Portuensis dominico die octavo paschae in Ecclesia Sanctae Sophiae publicas missas coram principe et patriarcha latine celebravit; hic suscepit ab illo divalem, id est regiam epistolam secundum suam postulationem, per quam relevata est quantitas pecuniae quae solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda; sic tamen ut si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, ut cum eorum conscientia et iussione debeat ordinatio prosperari.

guis fuisset, is, etiam irrequisito Imperatore, Romanae Ecclesiae Episcopus pleno iure haberetur.

At plane negamus, ab Hadriano postquam Imperium a Graecis ad Francos translatum fuit, circa annum 780 factam fuisse Imperatori potestatem tum eligendi Pontificem, tum Apostolicam Sedem ordinandi; quae ortum habuere ex Can. XXII Dist. 63 (1).

Merito enim hic canon a criticis ut apocryphus reiicitur, tum quia eius auctor Sigebertus scriptor undecimi saeculi et Henrico Imperatori pontificales investituras sibi adserenti acceptus, tum quia nullus antiquior historicus, ne ex iis quidem qui Caroli Magni gesta scripserunt, et ad sidera extulerunt de illa concessione Hadriani ullam fecere mentionem; tum quia Legati Ludovici II in electione Hadriani II etsi Romae adessent, tamen ad Pontificem eligendum advocati non fuere; ut patet ex Can. 29 eiusdem distinctionis: « Cum Hadrianus II » ad Romanum Pontificatum ab Ec» clesia Dei Genitricis dominae no» strae quae dicitur ad praesepe, » traheretur ad Lateranense Patriar» chium; certatim a populo et cle» ro et proceribus deportatus est, » quod audientes missi Ludovici » Imperatoris moleste tulerunt et » indignati sunt, quod dum prae» sentes essent, non fuerunt invi» tati, nec optatae a se futuri prae» sulis electioni interesse meruе» runt; qui accepta ratione, quod » non causa contemptus Augusti, » sed futuri temporis prospectu hoc » commissum fuerat, ne videlicet » legatos principum in electione » Romanorum Praesulum expectan» di mos per huiusmodi fomitem » inolesceret, omnem indignatio» nem medullitus sedaverunt, et » ad salutandum electum etiam ipsi » humiliter accesserunt. »

Haec autem si vera sunt, commentum de facta ab Hadriano Primo Carolo Magno potestate tum eligendi Pontificem, tum Romanam Ecclesiam ordinandi funditus evertunt; quomodo enim praeteriri Legati Ludovici Secundi poterant, quando ad ipsos pertinebat electio? Vel quomodo placari ea responsione poterant, dum per eam ius imperatorium evertebatur?

His tamen praetermissis, certum

(1) Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesiae postulavit. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit; ibique relicto exercitu, in sancta resurrectione ab Hadriano Papa Romae honorifice susceptus est. Post sanctam resurrectionem reversus Papiam cepit Desiderium Regem; deinde Romam reversus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in patriarchatu Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris; quae Synodus celebrata est a 153 Episcopis religiosis et Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo ius et potestatem eligendi Pontificem et ordinandi Apostolicam Sedem; dignitatem quoque patriciatus ei contulerunt. Insuper Archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit; ut nisi a Rege laudetur et investiatur Episcopus, a nemine consecretur; et quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit; et nisi resipisceret, bona eius publicari praecepit.

ex historia est, plebem Romanam in electione Pontificis admissam fuisse usque ad saeculum XII, etiamsi Cardinales iam praecipuas partes in eligendo Pontifice habuisse constet, ut patet ex iis quae Nicolaus II constituisse an. 1059 fertur. « Decernimus atque statuimus ut obeunte » huius Romanae Ecclesiae univer» salis Pontifice, imprimis Cardina» les Episcopi diligentissime simul » de electione tractantes, mox Chri» sti clericos Cardinales adhibeant; » sicque reliquus Clerus et popu» lus ad consensum novae electio» nis accedant. » Can. 1 Dist. 23.

Paullatim vero factum est, ut soli Cardinales, saltem ab Innocentii II tempore, Romanum Pontificem eligerent.

Id vero edita Sanctione decretum fuit ab Alexandro III in Concilio Lateranensi III an. 1179. Cum enim in eius electione pauci Cardinales suffragia contulissent primum in Octavianum, seu Victorem IV, deinde in Guidonem, seu Paschalem III, demum in Ioannem, seu Callistum III, id vero praepotentia et suasione Friderici I Germanorum Imperatoris, Alexander tot tantisque malis finem imponere curavit; propterea-que sancivit 1°. ut soli Cardinales ad electionem Pontificis admitterentur. 2°. ut is rite electus haberetur, in quem duae ex tribus Cardinalium partes consensissent, 3°. ut a tertia tantummodo parte electus excommunicationi subiaceret, si Pontificatum suscipere moliretur; 4°. ut eidem poenae subiaceret qui electus a paucioribus quam a duabus partibus Pontificatu non abstineret, nisi maior concordia intercesserit, id est nisi qui dissenserant, electioni consentirent, et eiusmodi consensione duas ex tribus partes plenas conficerent. « Licet de vitanda discordia in ele» ctione Romani Pontificis manife» sta satis a Praedecessoribus Nostris » constituta manaverint; quia tamen » saepe post illa per improbae am» bitionis audaciam gravem passa » est Ecclesia scissuram, nos etiam » ad malum hoc evitandum, de con» silio fratrum nostrorum et sacri » approbatione Concilii aliquid de» crevimus adiungendum. Statui» mus ergo ut si forte (inimico ho» mine superseminante zizaniam) » inter Cardinales de substituendo » summo Pontifice non poterit esse » plena concordia, et duabus par» tibus concordantibus, pars tertia » concordare noluerit, aut sibi alium » praesumpserit nominare, ille abs» que ulla exceptione ab univer» sali Ecclesia Romanus Pontifex » habeatur qui a duabus partibus » concordantibus electus fuerit et » receptus. Si quis autem de ter» tiae partis nominatione confisus, » quia rem non potest, sibi nomen » Episcopi usurpaverit, tam ipse, » quam ii qui eum receperint, ex» communicationi subiaceant, et to» tius sacri Ordinis privatione mul» tentur, ita ut viatici etiam eis » (nisi tamen in ultimis) communio » denegetur; et si non resipuerint

» cum Dathan et Abiron (quos terra vivos absorbuit) accipiant portionem. Praeterea si a pauciori» bus quam a duabus partibus aliquis electus fuerit ad apostolatus » officium, nisi maior concordia in» tercesserit, nullatenus assumatur, » et praedictae poenae subiaceat, si » humiliter noluerit abstinere.

» Ex hoc tamen nullum canoni» cis constitutionibus et aliis eccle» siis praeiudicium generetur, in » quibus debet maioris et sanioris » partis sententia praevalere; quia » quod in eis dubium venerit, su» perioris poterit iudicio definiri. » In Romana vero Ecclesia speciale » aliquid constituitur, quia non po» terit ad superiorem recursus ha» beri. »

Nil scilicet Summi Pontifices praetermiserunt in iis statuendis, quae tum ad canonicam, tum ad pacificam Vicarii Christi electionem conferre possent. At etiam post Alexandrum III inimicus homo in sacro Cardinalium Collegio et in Ecclesia ipsa superseminavit zizania; quare a successoribus Pontificibus novae edendae Constitutiones fuere.

Hinc Summus Pontifex et Beatus Gregorius X cum vidisset S. R. E. Cardinales Viterbii in Conclavi collectos triennio pro eligendo Pontifice decertasse, ita ut Christi fideles thaedio, et fortasse ira abrepti Conclavis tectum discooperuerint, in Concilio Lugdunensi II Generali XIV an. 1274 multa iterum statuit, atque Conclavis disciplinam primus instituit (1).

Definivit igitur, ut cum Pontifex moriatur ea in civitate, in qua cum sua Curia residebat, Cardinales qui fuerint ipsa in civitate praesentes teneantur expectare absentes spatio decem tantummodo dierum, quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in palatium, in quo Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis vel laicis,

(1) Constitutionem referre ducimus. Can. II. « Ubi periculum maius intenditur, ibi » procul dubio est plenius consulendum. Quam gravibus autem sit onusta dispendiis, quot » et quanta sit plena periculis Ecclesiae Romanae prolixa vacatio, exacti temporis consideratio » edocet, et considerata prudenter illius temporis discrimina manifestant. Hinc Nos evidens » evocat ratio ut dum reformandis etiam minoribus nostra solerter vacat intentio, ea quae » periculosiora sunt, nequaquam absque remedio reformationis accommodae relinquamus. » Ideoque omnia, quae pro vitanda discordia in electione Romani Pontificis a nostris sunt » Praedecessoribus et praecipue a felicis recordationis Alexandro Papa tertio in Concilio » Lateranensi salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, (nihil » enim illis detrahere intendimus, sed quod experientia deesse probavit, praesenti constitu» tione supplere) hoc sacro Concilio approbante statuimus:

» Ut si eumdem Pontificem in civitate in qua cum sua Curia residebat diem claudere » contingat extremum, Cardinales qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes expectare » decem diebus tantummodo teneantur; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, » ex tunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli » singulis tantummodo clericis servientibus vel laicis, prout duxerint eligendum; illis ta» men, quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, eiusdem » electionis arbitrio reservato.

prout duxerint eligendum, nisi patens necessitas postulet duos ad famulatum adsciscere.

Sic congregatis Cardinalibus praecipitur ut in eodem palatio, in uno conclavi, nullo intermedio pariete,

» In eodem autem Conclave, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent » in communi; quod (servato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut » nullus intrare valeat vel exire; nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas » secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de » voluntate omnium Cardinalium inibi praesentium, pro iis tantum, quae ad electionis in- » stantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum » alicui nuncium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel » nuncium , aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo, ipso facto sententiam excommuni- » tionis incurrat. In conclave tamen praedicto aliqua fenestra competens dimittatur, per » quam eisdem Cardinalibus ad victum necessaria commode ministrentur; sed per eam nulli » ad ipsos patere possit ingressus.

» Verum si, quod absit, infra tres dies, postquam, ut praedicitur iidem Cardinales in- » traverint, non fuerit ipsi Ecclesiae de pastore provisum, per spatium quinque dierum » immediate sequentium, singulis diebus in prandio quam in coena, uno solo ferculo sint » contenti. Quibus provisione non facta decursis, ex tunc tantummodo panis et vinum et » aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque huius » modi pendente negotio, dicti Cardinales nihil de Camera Papae recipiant, nec de aliis » eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undequaque, sed ea omnia vacatione » durante, sub eius, cuius fidei et diligentiae Camera eadem est commissa, custodia ma- » neant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, » teneantur ex tunc a perceptione quorumlibet reddituum ad ipsos spectantium abstinere, » donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant.

» Iidem quoque Cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se de alio » negotio nequaquam intromittant, nisi forsan necessitas adeo gravis incideret, quod eos » oporteret de terra ipsius Ecclesiae defendenda, vel eius parte aliqua providere, vel nisi » tam grande tamque evidens aliquod periculum immineret, quod omnibus et singulis Car- » dinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.

» Sane si aliquis de praedictis Cardinalibus Conclave praedictum, ut supra exprimitur, » non intraverit, aut intrans absque aliqua manifesta causa infirmitatis exierit, ipso mi- » nime requisito, nec in eiusdem electionis negotia ulterius admittendo, per alios ad eli- » gendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente, idem » Conclave aliquem ex eis exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante poterit eius suf- » fragio non requisito ad electionem procedi. Sed si ad alios post sanitatem sibi redditam » seu antea redire voluerit; vel etiamsi alii absentes, quos post decem dies diximus expe- » ctandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiae sit de pastore provi- » sum; in eodem negotio, in eodem statu, in quo ipsam invenerint, admittantur, praemissa » tam de clausura, quam de servientibus, cibo ac potu et reliquis cum aliis servaturi.

» Porro si quando Romanum Pontificem extra civitatem praedictam, in qua erat cum » sua Curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in civitate, in » cuius territorio, seu districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta » vel contra Ecclesiam romanam in aperta rebellione persistat. Quo casu in alia viciniore » conveniant, quae similiter nec interdicto subiaceat, nec sit, ut praedicitur, aperte rebellis. » In hac etiam civitate tam quoad aspectationem absentium, quam quoad habitationem comu- » nem, clausuram et cetera omnia in domo episcopali, vel alia qualibet eisdem Cardina- » libus deputanda, eadem observentur, quae superius obeunte dicto Pontifice in ea in qua » cum sua residebat Curia, sunt expressa.

» Praeterea quia parum est iura condere, nisi sint qui eadem tueantur, adiiciendo san- » cimus, ut Dominus, aliique Rectores et officiales civitatis illius, in qua Romani Pontificis

seu alio velamine, omnes in communi inhabitent, quod, reservato libero ad secretum cubiculum aditu, ita claudatur undique, ut nemo illud intrare valeat, vel eo exire; item ut nemini ad eosdem Cardina-

» celebranda fuerit electio, auctoritate nostra et eiusdem approbatione Concilii, potestate sibi
» tradita, praemissa omnia et singula plene ac inviolabiliter sine fraude ac dolo aliquo faciant
» observari, nec Cardinales ultra quam praemittitur arctare praesumant. Super his autem
» taliter observandis statim audito Summi Pontificis obitu, coram Clero et populo universo
» civitatis ipsius ad hoc specialiter convocandis praestent corporaliter iuramentum. Quod
» si forte in praemissis vel circa ea fraudem commiserint, aut ipsa diligenter non observa-
» verint, cuiuscumque sint praeminentiae, conditionis, aut status, omni cessante privilegio,
» eo ipso excommunicationis sint vinculo innodati, et perpetuo sint infames, nec umquam
» eis portae dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur; ipsos insu-
» per feudis et bonis ceterisque, quae ab eadem Romana, vel quibuslibet aliis Ecclesiis
» obtinent, ipso facto decernimus esse privatos, ita quod ad Ecclesias ipsas plene ac libere,
» revertantur, administratorum earumdem Ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua
» disponenda. Civitas vero praedicta non solum sit interdicto supposita, sed et Pontificali
» dignitate privata.

» Ceterum quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquid
» obligationis cuiuscumque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi,
» Cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiae Dei nostri, per aspersionem sui
» pretiosi sanguinis obtestamur, ut pensantes attentius quid eis imminet, cum agitur de
» creatione Vicarii Iesu Cristi successoris Petri, Rectoris universalis Ecclesiae, gregis do-
» minici directoris, omni privatae affectionis inordinatione deposita, et cuiusvis pactionis,
» conventionis et obligationis necessitate, nec non condicti et intendimenti contemplatione
» cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, non quae sua sunt
» quaerant, non commodis privatis intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicio,
» nisi Deo, puris et liberis mentibus, huda electionis conscientia utilitatem publicam libere
» prosequantur. Omni conatu et sollicitudine, prout possibilitas patitur, illud acturi tan-
» tummodo, ut eorum ministerio acceleretur utilis et pernecessaria totius mundi provisio,
» idoneo celeriter eidem Ecclesiae Sponso dato. Qui autem secus egerint, divinae subia-
» ceant ultioni, eorum culpa, nisi gravi propter hoc peracta poenitentia, nullatenus abo-
» lienda.

» Et nos nihilominus pactiones, obligationes, condicta et intendimenta omnia, sive iura-
» menti, sive cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, et
» viribus decernimus omnino carere; ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit
» adstrictus; nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servatae, sed
» non indignae laudis potius titulum mereatur, cum lex etiam humana testetur, Deo magis
» transgressiones huiusmodi, quam iurisiurandi observationes acceptas.

» Quia vero fidelibus non est tam de sollicita quantumcumque inventione fidendum,
» quam de instantia humilis et devotae orationis sperandum, huic adiicimus sanctioni ut
» in omnibus civitatibus ceterisque locis insignibus, ut primum de memorati Pontificis obitu
» certitudo claruerit, a Clero et populo solemnibus pro exequiis celebratis, singulis diebus,
» donec de Ecclesiae ipsius provisione indubitatus rumor pertulerit veritatem, humiles
» preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse qui con-
» cordiam facit in sublimibus suis, sic officiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo
» concordia, quod provisio celer, concors et utilis, prout animarum salus exigit, et totius
» requirit orbis utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur.

» Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum ignorantiae negligi praetextu con-
» tingat, districte praecipimus, ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum
» Praelati, ceterique, quibus concessum est proponere verbum Dei, Clerum et populum
» propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum pre-

les aditus pateat, nec facultas secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant nisi eos qui de voluntate omnium Cardinalium ibi praesentium pro iis tantum, quae ad electionis instantis negotium pertinent vocarentur. Insuper ut nemini fas sit ad ipsos Cardinales, vel eorum aliquem nuncium mittere vel scripturam, indicta ipso facto adversus eos, qui colloquia habuerint, vel nuncium literasque miserint, sententia excommunicationis. Imo ut cautius haec fierent, statutum est, ut quae Cardinalibus ad victum necessaria forent, per fenestram ad id apertam inferrentur.

Quod si intra tres dies electio Pontificis secuta non fuerit, statutum est, ut Cardinales per quinque subsequentes dies, tam prandii quam coenae causa, uno ferculo contenti essent; elapsis autem etiam quinque diebus, accipiant tantummodo panem, vinum et aquam. Insuper adiectum est, ut vacante Sede, Cardinales nihil de Camera Papae recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undecumque, sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub eius, cuius fidei et diligentiae camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere, donec de receptis plenariam satisfactionem impendant.

Praeterea mandatur Cardinalibus ut quantocius in electionem incumbant, eamque ob rem ab aliis negotiis vacent, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, ob quam oporteret, eos de terra ipsius Ecclesiae defendenda, vel eius parte aliqua providere; vel nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum immineret, cui omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus concorditer videretur celeriter occurrendum.

Quod si aliquis ex Cardinalibus Conclave non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit, facultas facta est ceteris Cardinalibus, eo minime requisito, ad electionem libere procedendi. Si vero ob infirmitatem idem conclave ex eis aliquem exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, potest, eius suffragio non requisito, electio fieri. Sed si reparata salute vel etiam adhuc infirmitate detentus redire voluerit, vel etiam si alii absentes post decem superius designatos dies supervenerint, re integra, id est ante factam electionem, admitti in conclave poterunt, easdem regulas servaturi.

Porro si quando contingat, Romanum Pontificem extra civitatem,

» cum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter hortentur. Et » ipsis eadem auctoritate solum orationum frequentiam, prout circumstantia pensandae » suaserint, ieiuniorum indicant. »

in qua cum curia residebat, obire, obligantur Cardinales in civitate in cuius territorio, seu districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in alia viciniore conveniant, quae nec interdicta sit, nec Ecclesiae Romanae rebellis, eodem ritu observando in ceteris in hac urbe, qui Romae observaretur, si Romae Pontifex obivisset.

In §. *Praeterea* eiusdem Capituli executio huius constitutionis mandatur dominis, aliisque rectoribus et officialibus civitatis illius, in qua electio fuerit celebranda, certis ibidem indictis poenis adversus eos, qui Concilii formam non essent servaturi.

In §. *Coeterum* monentur Cardinales ut sincere religioseque ad optimi Pontificis electionem deveniant, pactionibus omnibus penitus improbatis.

Denique in §. ultimo suadetur universo populo christiano, ut pro optimi Pontificis electione preces ad Deum enixas fundat, quod ut commodius fiat, Episcoporum omnium sollicitudo excitatur.

Vim huius Constitutionis Hadrianus V et Ioannes XX suspenderunt vel abrogarunt, sed eam restituit confirmavitque S. Coelestinus V, ratamque habuit Clemens V qui et nonnulla adiecit; scilicet 1° ut officia camerariorum (1) ac poenitentiariorum morte Pontificis non expirent; 2° si vacante pontificia Sede camerarium aut poenitentiarium quemdam mori contigerit ut valeat Cardinalium coetus ad tempus vacationis alios Camerarios pro numero deficientium, item alios poenitentiarios etiam in ulteriore numero, si videatur concorditer expedire, subrogare; tertio ut nomine territorii civitatis, in qua Pontifex obierit extra urbem designati in laudato Concilio Lugdunensi, intelligatur

(1) Eo tamen proviso quod sit eiusdem Ecclesiae Camerarium, aut maiorem, vel aliquos » alios ex poenitentiariis (quorum officium per obitum eiusdem Pontificis nolumus expirare) » per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem coetus ad tempus » vacationis huiusmodi, pro numero deficientium, vel ampliori etiam quantum ad poeni- » tentiarios, si hoc eidem coetui concorditer expedire videbitur, alios surrogare.

» Sane cum iuxta Constitutionem praedictam Papa extra civitatem, in qua cum sua » erat Curia, moriente, in civitate in cuius districtu seu territorio moritur, sit regu- » lariter successoris electio celebranda, districtus seu territorii nomine dioecesim hoc casu » intelligenda fore censemus. Eo tamen adiecto, quod si in certo loco causarum et litera- » rum apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, sed ubi » praedicta fuerit audientia, memorata electio celebretur, etiamsi eadem audientia tempore » mortis huius vacare noscatur, nisi forsan ante mortem eamdem ordinatum esset per » Papam de Curia transferenda: quo casu servetur provisio Constitutionis praedictae.

» Porro si Romano non electo Pontifice Cardinales omnes simul vel successive (quod » absit) exire contingeret conclave deputatum eisdem, hi ad quos pertinet executio Consti- » tutionis praedictae, illos ex ipsis, quibus infirmitas corporis aut nota debilitas excusa- » tionem non dabit, idem conclave quam cito poterunt reintrare compellant; poenas in dicta

Dioecesis; eo etiam adiecto, ut si in certo loco causarum et litterarum Apostolicarum audientia remanente, Pontificem alibi mori contingat, non ibi, sed ubi praedicta fuerit audientia, electio celebretur, etiamsi audientia tempore mortis huius vacare noscatur; nisi forsan ante mortem Pontificis Papa mandasset Curiam transferri.

Quarto, si Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes vel simul, vel successive contingeret exire Conclave, ut ii, ad quos pertinet executio iuxta Constitutionem laudatam Gregorii X, Cardinales legitime non impeditos iterum, et quam cito poterunt, ingredi Conclave compellant, ad electionem processuros secundum statum, in quo erant in conclavi unde exiverunt.

Postremo ut nullus Cardinalium cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti praetextu a dicta valeat electione repelli.

Porro hae Constitutiones, multis etiam adiectis, confirmatae sunt a Clemente VI in Constitutione *Licet* anni 1351; ab Iulio II, in Constitutione *Cum tam divino* anni 1503; a Clemente VII in Constitutione *Cum carissimus* anni 1529, et in Constitutione *Licet variae* anni 1533.

Paulus IV novam edidit de re Constitutionem anno 1558 adversus eos, qui ambitu curarent, ut ad Sedem Pontificiam promoverentur, et vivente adhuc Pontifice de successoris electione tractarent. Incipit: *Cum secundum Apostolum.*

Clarius etiam explicavit laudatas Constitutiones, quibus et nonnihil adiecit anno 1562 Pius IV in sua Constitutione *In eligendis;* et supremam manum admoverunt Gregorius XV in Constitutione quae incipit *Ad Romani* anni 1625. Alexander VII in Constitutione *Inter ceteras* anni 1669. Et Innocentius XII in sua Constitutione *Romanum decet* anni 1692.

In his porro Constitutionibus nihil praetermiserunt Romani Pontifices quo electio Vicarii Christi in terris integre sancteque perficeretur. Ex iis insuper patet, electionem eiusmodi ad Cardinales esse devolutam, tum quia hi constituerent Romanae Ecclesiae Clerum, tum ex approbatione Conciliorum generalium, tum ex consensu universalis Ecclesiae, tum ex antiqua consuetudine; ita ut a veritate vere exorbitent illi, qui in dubium re-

» constitutione contentas, nisi hoc fecerint incursuri. Cardinales autem huiusmodi Conclave » reintrantes ad electionem iam dictam procedant, et alias Constitutionem praefatam ob- » servarent secundum statum, in quo erant in eodem Conclavi, quando ipsum, ut praemit- » titur, exiverunt.

» Coeterum ut circa electionem praedictam, eo magis vitentur dissensiones et schismata, » quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas, decernimus ut nullus Cardinalium cu- » iuslibet excommunicationis, suspensionis aut interdicti praetextu, a dicta valeat electione » repelli. Iuribus aliis circa electionem eamdem hactenus editis plene in suo robore du- » raturis. »

vocant legitimam Romanorum Pontificum electionem, quod hi a Cardinalibus eligantur.

Ut autem de modo eligendi Pontificis aliquid dicamus.

Primo die post Pontificis obitum in generali Congregatione Cardinales audiunt, et iurant pontificias Constitutiones in eligendo se observaturos; sigilla eius frangunt, gubernatorem Urbis eligunt (loquor quasi adhuc re integra), aliquot ipsorum operi conclavis praeficiunt, et funus deducunt. Secunda die ministros et officiales confirmant, qui alias confirmari ipso iure praesumuntur, urbis conservatores audiunt et praefectos conclavis. Tertia die confessarium Conclavis eligunt, et sepulturae tradunt cadaver defuncti Pontificis. Quarta et quinta, medicos, chirurgum, aromatarium, barbitonsores Conclavis destinant. Sexto cellas conclavis sorte distribuunt. Tum caeremoniarum magistri non participantes exhibent indulta brevium sibi concessa ingrediendi conclave. Septimo audiuntur, qui tertium conclavistam indulgendum sibi postulaverint, nam duo cuilibet Cardinali ordinarie assignantur. Octavo Cardinales duos eligunt ad inquirendas et probandas qualitates conclavistarum. Nono tres alios Cardinales praeficiunt custodiae et curae conclavis. Decimo celebrata Missa de Spiritu Sancto Conclave ingrediuntur, et indulta Cardinalium, qui sacros ordines non susceperint disquirunt, nam qui in sacris constituti non sunt iure eligendi carent, destinant coementarium et lignarium. Undecimo ad clausuram Conclavis ritu solemni procedunt, relectasque inibi constitutiones Apostolicas, iurant iterum eas se observaturos, Concionem Decani audiunt, atque ad inchoandam electionem procedunt.

Hae autem variae actiones ex Coeremoniali Gregorii XV ita per singulos dies fuere distributae; non quod in cit. Caeremoniali prout refertur in Constit. *Decet Romanum Pontificem*, ita distributae reperiantur.

Electio autem Romani Pontificis tribus modis perfici potest, *per scrutinium, per compromissum,* et *quasi inspirationem.*

Fit scrutinium, electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quae *certa,* sine *ulla conditione,* et sine *ulla ambiguitate* esse debent. Eaque colligenda sunt secreto, ut plurimum in scriptis *singillatim* non a pluribus coniunctim; *iusto ordine,* ut scrutatores invicem a seipsis suffragia excipiant, deinde a ceteris secundum ordinem et praerogativam gradus, quem unusquisque obtinet; *diligenter,* ut vel ipsi, vel iis praesentibus, tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, seu patefaciant, ut electus censeatur, in quem, ut dictum est, duae ex tribus Cardinalium partes consenserint.

Cum electio fit per scrutinium

etiam *accessus* adhibetur. Nimirum cum publicato scrutinio, nemo electus deprehenditur a duabus vel tribus eligentium partibus, novum *in accessu* suffragium ferre possunt Cardinales illi qui mutato consilio alium eligunt, non vero illi qui Cardinali, pro quo fit accessus, iam suffragium dedere; sin minus hi duo suffragia in unum conferrent.

Scrutinii forma tres actiones continet; altera ante scrutinium, altera quae scrutinium, altera quae post scrutinium appellari potest.

Actus antescrutinii ex Caeremoniali Gregorii XV quinque sunt; praeparatio schedularum scrutinii et accessus; extractio scrutatorum, et deputatorum pro votis infirmorum per sortem; scriptio schedularum scrutinii; earum complicatio et obsignatio. Scrutinii autem actus sex numerantur; nimirum delatio schedulae, iuramentum (1), positio schedulae in calicem, schedularum in filum insertio, depositio.

Si postscrutinii electio secuta non sit, septem sunt actus; accessus, sigillorum et signorum aperitio, adnotatio, suffragiorum examen, eorumdem numeratio, recognitio et schedularum combustio

In accessu eadem servantur ac in scrutinio quoad inscriptionem, obsignationem, complicationem, delationem, positionem in calicem, numerationem, publicationem, notationem suffragiorum, insertionem in filum, et depositionem. Excipe 1.° quod schedulae pro accessu sumantur ex disco schedularum accessus. 2.° Quod fieri non possit accessus, nisi ad eum cardinalem, qui in illo scrutinio saltem unum obtinuerit suffragium, non vero ad eum qui ab ipsomet Cardinali fuit in scrutinio nominatus. 3.° Quod quamvis non liceat plures nominare, licebit tamen accedere uni ex pluribus a se nullimode nominatis, dummodo eidem ab alio saltem suffragium non nulliter datum sit. 4.° Quod non praestetur iuramentum aliud. 5.° Quod denique Cardinales infirmarii deferant ad infirmos tum schedulas accessus, tum folium impressum, in quo notatus sit suffragiorum numerus palam recognitus.

Ad haec fit aperitio sigillorum et signorum, eorumdem adnotatio, et suffragiorum examen, numeratio, recognitio, combustio.

Denique si per scrutinium electio sortita sit, postscrutinii tres erunt actus, scilicet numeratio schedularum, recognitio suffragiorum, et schedularum combustio. Hinc signo tintinnabuli facto Capellam ingrediuntur. Secretarius S. Collegii et magister caeremoniarum, quorum adsistentia Cardinales Decanus, primus Episcopus, primus Presbyter, primus Diaconus, et Camerarius ad electum accedunt, quem Decanus rogat: *acceptas ne electio-*

(1) Iurant huiusmodi. *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.*

nem de te canonice factam in Summum Pontificem?

Habito consensu, cognito nomine, quod sibi imponere vult, primus magister caeremoniarum coram testibus rogat publicum instrumentum. Denique indutus vestibus Pontificalibus ad osculum manus et ad amplexum excipit electus ipse ordine Cardinales, et primus Diaconus alta voce novi Pontificis creationem manifestat in superiore magno ambulacro, quod valvae maiori S. Petri innixum est.

Secundus modus est per compromissum (excribo ipsum Caeremoniale Gregorii XV in cit. Const. *Decet.*) quando scilicet Cardinales, ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore. Cuius formae praxis potest esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, ex. gr. in hanc formam. *In nomine Domini. Amen. Anno ab eiusdem etc. mense etc. die etc. nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet NN.* (et singillatim omnes nominentur Cardinales) *elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios NN. et N. Cardinales etc. quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore, sub hac forma, videlicet etc.* (hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam compromissarii debebunt eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida prius proponere debeant sacro Collegio personam vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de collegio, vel etiam aliquem extra collegium, et his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromissioni solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: *Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem Domini Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum;* vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accommodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, et de electione facienda tractant, et solet inter eos praemitti

protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se sine praeiudicio uti possint.

Tertio, facta per compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et servatis iis quae Gregorius XV in sua Constitutione iussit, electus per huiusmodi viam compromissi est canonicus et verus Papa.

Tertius modus, qui in cit. Constitutione primo loco recensetur, est qui quasi per inspirationem vocatur; quando scilicet omnes Cardinales, quasi Spiritu Sancto afflati, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant, circa quem modum ex Constitutione Gregoriana infrascripta notari possunt.

Primum haec forma electionis practicari potest solum in conclavi, et eo clauso. Secundo debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona tractatu, et per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri.

Exemplum autem huius potest esse huiusmodi: si aliquis patrum, clauso conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: *Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate R. D. N., iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam.* Deinde hoc audito, si ceteri patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo *eligo* intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eumdem N. de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa, secundum hanc electionis formam, quae dicitur per inspirationem.

Post haec Dominum Deum nostrum humiliter deprecemur, ut cum Ecclesiae Suae vigilem sanctumque Pontificem concedere dignatus sit, illum incolumem conservet.

APPENDIX XV.

IN CLAUSULAM QUA ABSOLVUNTUR EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

Recensitis excommunicationibus speciali modo reservatis, aliquid dicendum superest in clausulam, qua absolvuntur. Inquit ergo Pontifex; » A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro » tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea » generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano » Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus; revocatis insuper earumdem respectu quibusque indultis concessis sub quavis » forma et quibusvis personis etiam » Regularibus cuiuscumque ordinis, » Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione » dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam » quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici » reservatae innodatos se sciant, » dummodo non agatur de mortis » articulo, in quo tamen firma sit » quoad absolutos obligatio standi » mandatis Ecclesiae, si convaluerint. »

Scilicet et in hac clausula instauravit ea quae in Bulla coenae continentur, ut legenti patebit: « Coeterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis » articulo constitutus, nec etiam » tunc, nisi de standO Ecclesiae » mandatis, et satisfaciendo, cautione praestita, absolvi possint, etiam » praetextu quarumvis facultatum » et indultorum, quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus, » et quorumvis Ordinum, etiam » mendicantium, ac militiarum Regularibus, etiam episcopali vel » alia maiori dignitate praeditis, » ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus et domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, » Hospitalibus, et locis piis, nec » non Laicis, etiam imperiali, regali, et alia mundana excellentia » fulgentibus, per nos et dictam » Sedem, ac cuiusvis Concilii Decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere vel » in specie concessorum et innovatorum, aut concedendorum et innovandorum.

» Quod si forte aliqui contra te-
» norem praesentium talibus excom-
» municatione et anathemate la-
» queatis, vel eorum alicui excom-
» municationis beneficium impen-
» dere de facto praesumpserint,
» eos excommunicationis sententia
» innodamus, gravius contra eos spi-
» ritualiter et temporaliter, prout
» expedire noverimus, processuri ».

In clausula igitur qua concluduntur excommunicationes hucusque recensitae sequentia continentur.

1. Absolutionem a praedictis censuris esse Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam.

2. Nullo pacto sufficere ad valide et licite ab iis absolvendum generalem concessionem alicui factam absolvendi a censuris et casibus Romano Pontifici reservatis.

3. Revocata esse quaecumque indulta sub quavis forma et quibusvis personis ad hoc concessa:

4. Praesumentes absolvere, etiam quovis praetextu, a dictis excommunicationibus, innodari excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae, dummodo non agatur de mortis articulo.

5. Constitutis tamen in dicto articulo imponendam esse obligationem standi mandatis Ecclesiae si convaluerint.

Et quidem quoad primum Caput, adeo Romano Pontifici eiusmodi censuras reservatas esse affirmamus, ut ab iis absolvere neque Nunciis aut Legatis Pontificiis etiam a latere sit licitum. Quamvis enim sub nomine Sedis Apostolicae veniant etiam legati a latere, numquam tamen hi veniunt sub nomine Romani Pontificis, quo persona, et personalis auctoritas papalis intelligitur. Qua de causa Legati a latere, multo minus Nuncii, ab iis censuris absolvere non possunt, nisi eis per Romanum Pontificem fiat specialis potestas. Quod etiam ex praxi demonstratur, cum Legati a latere sine speciali auctoritate, numquam a casibus Romano Pontifici reservatis absolvere consueverint, eisque a Canonistis haec facultas denegetur, quamvis hi affirment, eos absolvere posse in casibus Sanctae Sedi reservatis.

At ex secundo capite omnino liquet nedum Praelatis Regularibus, sed etiam Episcopis ablatam fuisse potestatem eis a Concilii Tridentini Patribus factam Sess. XXIV c. VI de Reformat. absolvendi a quibuslibet censuris ex delicto occulto Apostolicae Sedi reservatis; quae facultas ita in Tridentino legitur: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis

» absolvere, imposita poenitentia sa-
» lutari. Idem et in haeresis crimi-
» ne in eodem foro conscientiae
» eis tantum, non eorum Vicariis
» sit permissum.

Quandoquidem hanc revocationem diserte asseruit in nostra Constitutione Romanus Pontifex, dum ait: « Firmam tamen esse volumus » absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam » *Sess. XXIV. c. VI de Reformat.* » in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus ».

Episcopis quapropter utique a censuris Romano Pontifici simpliciter reservatis, dummodo sint occultae, absolvere licebit, non autem a censuris speciali modo eidem Pontifici reservatis, quae in praesentiarum quatuordecim numerantur.

Cum autem hae censurae neque ab Episcopis, neque a Nunciis, aut a Legatis a latere absolvi possint, sed tantummodo a Romano Pontifice, quid agendum cum eo qui Romam ad absolutionis beneficium impetrandum se conferre nequiret?

Quandoquidem in iure antiquo et Clemens III. Cap. *Quod de his 26 De sententia excommunicationis* (1) et Bonifacius VIII Cap. 22 de sententia excommunicationis in 6. (2) Episcopis hanc facultatem concesserant.

Revocata igitur est ne per Constitutionem Apostolicae eiusmodi concessio Episcopis facta, cum praesertim in ea dicantur excommunicati absolventes *quovis praetextu, dummodo non agatur de mortis articulo?* excipiatur scilicet tantummodo mortis articulus?

Ut iam animadversum est dum ageretur de absolventibus complices, pia mater Ecclesia non vult ut aliquis vel sine poenitentiae sacramento decedat, vel ad diuturnum tempus Sacramentorum fructu, quibus ad gratiam divinam redimus, privetur. Cum vero excommunicationes recensitae speciali modo reserventur Romano Pontifici, ita ut nullus alius ab iis absolvere possit, qui impedimento vel perpetuo, vel diuturno laboraret Romam se conferendi, in manifesto periculo versaretur vel sine absolutionis beneficio decedendi, vel saltem ad diuturnum tempus gratia divina carendi; quod non est in inten-

(1) « Is qui asserit se in Canonem latae sententiae incidisse, non aliter quam per » sedem Apostolicam, vel eius legatum absolutionis potest beneficium obtinere; nisi forte » in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel senectute tanta gravaretur, quod » ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento » canonico retrahatur. »

(2) « Eos qui a sententia Canonis vel hominis, cum ad illum, a quo alias de iure » fuerunt absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedi- » mentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur. »

tione Ecclesiae; qua de causa de eiusmodi impedimento idem iudicium ferendum esse existimarem ac de articulo mortis; ac talem absolvendum conditione adiecta ut Romam se conferat, vel ad habentem facultatem a censuris contractis absolvendi si tandem convalescat.

Haec autem nedum ex rationibus adductis, sed etiam ex Ecclesiae praxi et consuetudine demonstrari possunt. Etenim et in Bulla Coenae Domini, et in Constitutionibus latis a Benedicto XIV contra sollicitantes et absolventes complices eadem restrictio continetur quae habetur in Constitutione *Apostolicae Sedis*, ut nemo scilicet tales absolvere posset, nisi essent in mortis articulo constituti; et tamen omnes tum Canonistae, tum Theologi affirmarunt, posse eos absolvi qui Romam ad Romanum Pontificem, vel alibi ad Superiorem facultates opportunas habentem se conferre nequirent; cum igitur eaedem rationes militent, non videtur R. Pontifex hunc casum excipere voluisse.

Neque ulla afferri potest declaratio SS. RR. Congregationum, quae hanc sententiam respuat; quin immo cum Episcopus Patavinus Secretarium S. Poenitentiariae interrogasset: « utrum per Constitutio» nem *Apostolicae Sedis* derogatum » ulla ex parte fuerit potestati, » quam ius et consuetudo univer» salis Episcopis concesserat circa » impeditos personaliter Romam » proficisci. » Secretarius S. Poenitentiariae, quamvis privato prorsus modo, rescribere dignatus est: *Nihil esse innovatum.* (1) Cavisset autem Rmus Secretarius, quamvis privata auctoritate, haec respondere, si aliquo in dubio versari S. Poenitentiariae Patres vidisset.

Neque quis scrupulis angi debet in inquirendo quinam sint illi qui impedimento laborant Romam proficiscendi; illi enim sunt qui in iure canonico recensentur, nonnullis ob praesentes circumstantias rationabiliter exceptis.

Itaque 1. personae quae sui iuris non sunt, uti uxores, filii familias qui sub parentum potestate vivunt, mancipia proprie dicta, non autem servi aut domestici, et milites militiae actualiter addicti hoc impedimento laborant. Ex Capp. *Mulieres* (2) *Relatum* (3) *De sententia excommunicationis in 6.*

2. Senes sexagenarii et septua-

(1) Comment. Patav. Par. 1. pag. 109.

(2) « Mulieres vel aliae personae quae sui iuris non sunt, ab Episcopo Dioecesano absolvi » possunt si manus in Clericum iniecerint violentas.

(3) » Relatum est nobis quod cum aliqui servi propter iniectionem manuum in clericum » violentam, in canonem incidunt sententiae promulgatae, allegantibus Dominis eorumdem » quod carere mancipiis suis nolunt, venire ad Sedem Apostolicam absolvendi non curant » per occasionem huiusmodi eludentes ecclesiasticam disciplinam. Quocirca mandamus » quatenus eos venire compellas ad Sedem Apostolicam absolvendos, cum plus sit Deo quam

genarii atque impuberes, qui absolvi ab Episcopo poterunt etiamsi absolutionem excommunicationis incursae ante pubertatem, post pubertatem petant. Ex Capp. *Ea noscitur 13* (1). *Et Pueris* (2) *60 de sententia excommunicationis.*

3. Personae religiosae, et ii qui communem vitam sub superiore et sub regula ducunt. Ex capp. *Monachi 2.* (3) *Cum illorum 32* (4) *De Monialibus 33* (5) *De sententia excommunicationis.* Hi quapropter poterunt a propriis Episcopis, non amplius a propriis superioribus absolvi, etiamsi excommunicationem incurrerint ante ingressum in religionem. Atque Episcopi eandem absolutionem poterunt impertiri alumnis in Seminariis vel in Collegiis aut universitatibus degentibus, cum et sint filii familias, et plerumque impuberes, et non modico damno afficerentur ratione studiorum intermittendorum, praesertim si ex regionibus valde dissitis Romam se conferre deberent; uti pauperes deinde sunt considerandi, cum nil proprii habeant; atque demum pro eis militet Caput *Quoniam 9 de vita et honestate clericorum* quo S. Gregorius VII Episcopis potestatem facit absolvendi a censuris bb Clerici percussionem eos qui simul vivunt : « Indulge» mus etiam ut si quispiam eorum » qui simul vivunt, pro manus » iniectione in socium a commu» nione meruerit fieri alienus, re» conciliandi et poenitentiam im-

» homini deferendum, nisi fecerint hoc in fraudem, at sic detrahant se obsequio domino» rum aut ipsi domini propter hoc sine culpa sua grave damnum incurrant. Tunc enim in » utroque casu poteris eos ex indulgentia nostrae provisionis absolvere, cum nimis sint ab » Apostolica Sede remoti.

(1) » Consultationi tunc duximus respondendum quod mulieres senes, et valetudinarii, » seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, ab » Episcopis valeant fidelium communioni restitui, satisfacto iuxta facultates suas his quibus » per eos constiterit iniurias irrogatas.

(2) » Pueri si in canonem inciderunt sententiae promulgatae sive ante,sive post pubertatem » postulent se absolvi, potest dioecesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum » propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine tem» perandus.

(3) » Monachi vero et Canonici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, » non sunt ad apostolicam Sedem mittendi, sed secundum providentiam sui abbatis disci» plinae subdantur. Et si discrectio abbatis non sufficit ad eorum correctionem, est provi» dentia Dioecesani Episcopi adhibenda.

(4) » Cum illorum absolutio etc. « Nos in religionis favorem, et ut evagandi materia » subtrahatur, maiorem eis gratiam exhibere volentes, eorum praelatis, quod etiam talibus » (Monachis violentas manus in Clericum vel monachum iniicientibus) absolutionis beneficium » impertiri valeant indulgemus.

(5) » De monialibus tua a nobis fraternitas requisivit, per quem eis sit beneficium » absolutionis impendendum, si vel in se invicem,...vel conversas suas... manus iniecerint » temere violentas. Super hoc igitur consultationi tuae respondemus, ut per Episcopum, in » cuius dioecesi monasteria fuerint, absolvantur. »

» ponendi potestatem plenariam ha-
» beatis, nisi forte atrocitas facti
» poenam graviorem expectet ».

Cum enim circa eos qui Romam ad absolutionis beneficium consequendum se conferre non possunt, nil sit innovatum; dispositio iuris antiqui in suo robore et integritate manet; qua de causa hac iuris dispositione ii omnes etiam nunc gaudent, qui ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* gaudebant.

Hinc mulieres quamvis nulla infirmitate laborent, nullaque alia de causa impediantur quominus Romam sese conferant, unica ratione excusantur fragilitatis sui sexus. Hoc autem ex Cap. *Quamvis 58 de Sententia excommunicationis*, quod integrum referimus, cum plurimi alii casus in eo contineantur: « Quamvis incidens in canonem la-
» tae sententiae propter violentam
» manuum iniectionem, iuxta pro-
» prias facultates eis satisfaciat qui-
» bus iniuriam irrogavit, non ta-
» men aliter quam per Sedem Apo-
» stolicam, vel eius legatum abso-
» lutionis potest beneficium obti-
» nere. Nisi imminente mortis ar-
» ticulo, infirmitate, inimicitia, aut
» inopia, puerili vel senili aetate,
» fragilitate sexus seu alia corporis
» impotentia, sive quolibet impe-
» dimento canonico retrahatur, quo-
» minus Romanum Pontificem possit
» adire, vel nisi iuris beneficio a la-
» bore huiusmodi exscusetur. Cete-
» rum quibusdam praedictorum, vi-
» delicet qui temporali impedimen-
» to laborant, exceptis pueris, sub
» debito iuramenti, quod secundum
» Ecclesiae formam praestare tenen-
» tur, consuevit iniungi, ut impedi-
» mento cessante, ad apostolicam
» sedem accedant, mandatum ipsius
» humiliter suscepturi ».

Neque ab eiusmodi concessione excipiendae videntur sanctimoniales foeminae clausura exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione *Decori* praescriptam (1) quae

(1) S. Pius V. in Constitutione *Decori* edita die 24 Ianuarii 1570 haec constituit. § 1. « Sane periculo et scandalo plena res est, ut regulari observantiae vehementer adversatur sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia filiationes minquata, etiam eis subiecta, visitandi, vel infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximia quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt. § 2. Unde Nos malo huic, pro nostro pastoralis Officii debito salubriter occurrere volentes inhaerentes etiam decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris litteris desuper huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus et ordinamus, nulli abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et mendicantium, et quorumcumque aliorum ordinum etiam militarium, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis, leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta*

praeterquam a Romano Pontifice, a nullo alio, nisi in mortis articulo, absolvi poterant; quae lex firmiter adeo observabatur, ut, referente Fagnano in Comment. ad V libros Decretalium, Cap. *Dilectus 15 De temporibus Ordinationum* n. 32. et 33, cum Episcopus Florentinus a Sancta Sede postulasset, an Episcopus posset saltem eiusmodi sanctimoniales absolvere, si casus esset occultus, responsum ei fuerit negative. Nec, inquam, hic casus est excipiendus. Cum enim excommunicatio lata in Sanctimoniales clausuram violantes sit n. VI in Constitutione *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici simpliciter reservata, per hanc novam dispositionem, atque declarationem, « quod ex quibus» cumque censuris sive excommu» nicationis, sive suspensionis, sive » interdicti, quae per modum latae » sententiae, ipsoque facto incur» rendae hactenus impositae sunt, » nonnisi illae quas in hac ipsa » Constitutione inserimus, *eoque* » *modo* quo inserimus, robur exin» de habeant »; patet specialissimam a S. Pio V inductam reservationem nunc esse abrogatam, illamque excommunicationem esse simpliciter Romano Pontifici reservatam.

Cum autem in hac ipsa Constitutione integra servetur facultas a Tridentinis Patribus Episcopis facta absolvendi *a quibuscumque censuris Apostolicae Sedi* simpliciter *servatis;* manifesto liquet Episcopos, dummodo casus sit occultus, posse absolvere sanctimonialem quae exeundo Monasterii septis, clausuram violavit.

Neque quidquam refert quod S. Pius V Episcopo Florentino negative responderit. Potuit enim voluitque tantus Pontifex severius agere, integramque dispositionem suam servare; sed hic agitur quod illa dispositio fuerit abrogata; qua de causa tanti valet, et ad tantum extenditur quanti valet, et ad quantum extenditur in Constitutione *Apostolicae Sedis.* Non enim S. Pii V dispositio lata fuit pro aliquo Monasterio particulari, aut locis peculiaribus, quae particulares dispositiones intactae in hac ipsa Constitutione servantur, sed erat dispositio generalis, cuius tenor etiamsi quantum ad substantiam attinet innovatus fuerit, non tamen quantum ad poenam adiectam omni ex parte, cum excommunicatio inducta per Constitutionem *Decori* prius esset specialissime Romano Pontifici reservata, nunc autem simpliciter.

Ex citato cap. *Quamvis* Romam pariter abire excusantur qui pauperes sunt, neque itineris expensas

» esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis » exire, sed nec in praedictis casibus extra illa nisi per necessarium tempus stare licere. » Aliter autem quam ut praefertur egredientes, excommunicationis maioris latae sententiae » vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo praeterquam a Romano » Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. »

sustinere possunt, (excipe tamen mendicos, qui mendicare de loco in locum soliti sunt) qui inimicitias gerunt, timentque ne ab hostibus offendantur; infirmitate aliqua laborantes, nam in cit. cap. aperte distinguuntur infirmi a constitutis in mortis articulo, tum pueri et qui alio quolibet impedimento detinentur quominus ad Romanum Pontificem pergere possint; atque exinde theologi excusant etiam captivos et in carceribus detentos, qui libertate destituuntur; insuper eos qui munia publica seu magistratum exercent, vel qui iter suscipere nequirent, quin vel sibi, vel suis, vel subiectis grave praeiudicium sive temporale, sive spirituale inferrent.

Hi, inquam, omnes in antiquo iure ut impediti habebantur quominus Romam proficiscerentur. Et quidem causae, quibus excusabantur gravissimae tunc temporis erant.

At vero circa nonnullos ex. gr. inimicitias, etiam capitales gerentes etc. causae quibus Romam venire excusabantur nunc non ita sunt graves, ut tunc erant: quid enim iis timendum est ne ab hostibus interficiantur, et aliis etc. ne ob loci distantiam grave praeiudicium inferant sibi vel subiectis, cum nunc viarum ferrearum velocitate, distantiae fere sublatae sint, uti et expensae plurimae, neque ulla propemodum sint ab inimicis timenda pericula, ut patet? Qua de causa rationes quibus Romani Pontifices moti fuere ad temperandos aliquorum Canonum rigores nunc temporis vel omnino cessarunt, vel tales evaserunt ut omnino sint parvipendendae quoad nonnullas praesertim causas et loca; atque putandi sunt legum latores, nullimode a se latas poenas temperaturos si iis in circumstantiis versati essent, quibus nos versamur. Ratio legis igitur cessasse putanda est; at cessante ratione legis, cessat ipsa lex.

Episcopus itaque ad quem aliqua excommunicatio occulta defertur speciali modo Romano Pontifici reservata, duo omnino investigare tenetur.

1. An rationes, quibus Romam excommunicatus abire prohibetur ita in Sacris canonibus recenseantur, ut veluti favorabiles simpliciter habendae sint, ut quae ex. gr. latae pro pueris, mulieribus, sanctimonialibus, infirmis etc. Hisce enim in casibus, cum circa eos qui Romam pergere non possunt, nil sit innovatum, atque rationes, quibus canonum rigor temperatus est, immobiles et nunc maneant, tuto ad eos absolvendos procedere potest.

2. Si autem rationes illae, quibus canonum rigor mitigatus est fundentur in circumstantiis temporum, locorum, personarum, quae cum Canones lati sunt reapse gravissimae erant, nunc autem vel omnino cessarunt, vel parvipendendae sint, non puto posse Episcopum absolutionem ab incursa cen-

sura impertiri; cum ob defectum et cessationem rationum lex cessasse putanda sit.

His adde, quod omnino evidens videatur, novum legislatorem antiquis privilegiis favoribusque limitem apposuisse atque velle, ut in casibus, quibus ad Romanum Pontificem recursus haberi nequit, causae reapse gravissimae intercedant, quales nunc illae haberi non possunt quas recensuimus; neque enim lex sine ullo incommodo observari debet. Qua de causa etiamsi circa praesentem casum nil sit innovatum quoad aliquas personas, v. e. sanctimoniales, infirmos, mulieres quae sola sexus fragilitate excusabantur etc. et quoad eos qui gravissimis de causis etiam nunc existentibus Romam vel pergere omnino non possunt, vel non sine gravissimo aut saltem gravi incommodo; innovatum tamen aliquid est circa extensionem iuris antiqui, ut scilicet nullae sint nunc temporis habendae rationes aliquae, quibus antiquitus excusabantur, quo ad Romanum Pontificem se praesentarent fideles ad beneficium absolutionis impetrandum, cum rationes illae nunc non amplius existant.

Cum igitur reale impedimentum existit Romam abeundi, Episcopus ab incursa excommunicatione fideles absolvere potest; at non omnes eodem pacto. Considerare enim debet an impedimentum sit temporaneum vel perpetuum: Cum enim in impedimento perpetuo beneficium absolutionis impendere possit sine praestita promissione Romani Pontificis adeundi; id in impedimento temporaneo peragere non potest, cum impeditus temporaliter non sit absolvendus nisi praestita prius promissione quantocius ad Sedem Apostolicam se praesentandi, eiusque standi mandatis, ni velit in excommunicationem iterum incidere ut patet ex relato Capite *Eos qui 22 De sententia excommunicationis* in 6°, in quo dicitur: « Si cessante postea periculo vel » impedimento huiusmodi, se illi » a quo his cessantibus absolvi de» bebant, quam cito commode pote» runt, contempserint praesentare, » mandatum ipsius super illis pro » quibus excommunicati fuerant, » humiliter recepturi et satisfactu» ri, prout iustitia suadebit; decer» nimus, ne sic censurae illudant » ecclesiasticae, in eamdem senten» tiam recidere ipso iure ».

Ex quo sequitur, hanc reincidentiae poenam etiam nunc vigere etiamsi de ea nulla in Constitutione *Apostolicae Sedis* mentio occurrat. Cum enim illa constituat partem iuris ipsius, et ratio adducta, *ne sic censurae illudant ecclesiasticae,* posset verificari in singulis casibus, idque certe Romani Pontifices nolint, hoc ipso servata videtur.

Quod si in dicta Constitutione mentio reincidentiae non occurrat, id fortasse factum est, quod cum prima censurarum classis Romano Pontifici sit specialissime reserva-

ta, ablataeque singulis, quibus in iure antiquo licebat, eas absolvendi facultates, de poena reincidentiae sermo non erat instituendus, cum per ipsum Romanum Pontificem absolverentur.

Exinde vero, nemini concludendum erit: ergo reincidentiae poena sublata est; potius enim contrarium sequitur; cum enim Romani Pontifices per seipsos eiusmodi excommunicationes absolvere velint, semper putandi sunt id velle, nisi de contraria intentione expresse constet, ac proinde reincidentiae poenam integram servare, cum haec ipsorum Pontificum expressam voluntatem compleat.

Dictum est, in iure antiquo aliquas numerari causas absolutas, perpetuas ipsi personarum conditioni inhaerentes, quibus hae excusantur Romam pergere. Hinc in decernendo quando impedimentum sit temporaneum vel perpetuum, ne in maximos prolabamur errores et legem in favorabilibus restringamus, causas illas omnino attendamus oportet. Si enim impedimenta tantummodo physica ex. gr. infirmitates consideremus, quisque videt mulieres, filias familias, pueros, sanctimoniales sanitate fruentes etc.. esse omnino ad Sedem Apostolicam mittendas cum physico impedimento neque perpetuo, neque temporali, pueris exceptis, laborent; et ipsae sanctimoniales parere mandatis S. Sedis, clausura nihil obstante, compelluntur.

Cum igitur SS. Canones mulieres quasque, pueros, senes, viros religiosos, sive quod iuris sui non sint, sive ratione aetatis, sive quod simul vivant, sive ob sexus debilitatem a Romano itinere instituendo diserte excludant, hi censendi sunt impedimento perpetuo laborare, etiamsi perfecta sanitate fruantur; absolvendi proinde sunt sine ulla conditione.

Quoad ceteros qui in Sacris Canonibus non excluduntur absolute, impedimentum tunc censendum est perpetuum, cum quis nedum ex.gr. incurabili infirmitate detinetur, vel aliquo membro ex. gr. brachio, pede, non tamen oculo, destituitur, sed etiam si tali infirmitate laboret, ut in ea diuturno tempore versari oporteat, puta per quinque, sex, septem annos. Hi enim ab Episcopo poterunt sine conditione absolvi. Qui vero secus, hi censendi sunt impedimento temporaneo laborare, et absolvendi tantummodo conditione adiecta se ad Sedem Apostolicam praesentandi, si et quando convaluerint.

Episcopis igitur in hoc tantummodo casu quo excommunicati speciali modo Romam venire non possent facultate etiam num manet eos absolvendi absolute vel conditionate iuxta qualitatem impedimenti, si tamen casus sint occulti. Si enim sint manifesti, vel Romam mittendi sunt, vel si impedimento adeundi Romanum Pontificem laborant, petenda est toties quoties facultas eos absolvendi.

Verum laborantes impedimento Romanum Pontificem adeundi, laborare etiam possent impedimento adeundi Episcopum, praesertim si excommunicatus vasta in Dioecesi degat, neque adeo faciles et commodi commeatus reperiantur; Episcopis quapropter deneganda non est facultas subdelegandi nedum in casibus particularibus, sed etiam generaliter alios Sacerdotes ad ejusmodi excommunicatos absolvendos, cum hi secus vel diu, vel semper, iuxta impedimenti qualitatem, absolutione carere deberent; quod est contra expressam et absolutam Ecclesiae voluntatem. Addo, quod cum in hisce casibus Episcopis ex iure communi restituatur absolvendi facultas, si quando absolvunt, potestate ordinaria, quae proprio officio inhaeret, absolvunt; at qui potestate ordinaria fruitur, potest eam aliis subdelegare. Quin immo in hisce casibus excommunicati neque tenentur ad Nuntium seu Sanctae Sedis legatum sese praesentare, neque ad Pontificem pro absolutione consequenda litteras mittere: cum in iure sit omnino provisum, Episcopis concessam esse facultatem absolvendi ab censuris Romani Pontifici speciali modo reservatis eos, qui quominus Romam se conferant impediuntur, neque ullo modo praecipiatur, Episcoporum loco adeundos S. Sedis, Legatos si in eo regno adsint.

Paucis praecipitur personalis praesentatio ad Romanum Pontificem; quare si reus id praestare non potest, ad aliud ex iure non tenetur.

Verum hic ardua exurgit quaestio, an qui nedum Romanum Pontificem, sed ipsum Episcopum adire non possunt, absolvi queant a quocumque Sacerdote ad Confessiones excipiendas approbato.

Et quidem pro utraque sententia rationes adsunt. Affirmantes enim ab illo principio argumentantes, *hac in re nihil esse innovatum*, ergo, concludunt, cum in iure antiquo ex concessione Innocentii III licitum esset hoc in casu (1) simplicibus sacerdotibus poenitentes absolvere aliqua Pontifici ipsi excommunicatione reservata perculsos, etiam nunc licet.

Deinde; causa qua Romani Pontifices ducti fuere ad eiusmodi absolutionem etiam simplicibus Confessariis, concedendam, fuit, ne fideles periculum vitae aeternae subirent ob absolutionis dilationem; at haec ratio etiam num militare videtur pro iis qui neque Episcopum adire possunt.

Attamen contrariam sententiam tenentes, dicunt, revocatas nunc esse quascumque facultates et privilegia absolvendi ab excommuni-

(1) En Innocentii III sanctio. « Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa quod ad » ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut praestita iuxta » formam Ecclesiae cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, a suo absolvatur » Episcopo, vel proprio Sacerdote. »

cationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis, nullum excipi casum; simplicibus Confessariis quapropter post Constitutionem *Apostolicae Sedis* non esse hanc tribuendam facultatem.

Nemo non videt rationes utriusque partis gravissimas esse, atque summopere attendendas. Quid nobis videatur humiliter pro mediocritate nostra exponimus.

Certum itaque unicuique esse debet, non esse in intentione Ecclesiae ut poenitentia, quam per absolutionis Sacramentalis beneficium plerumque et ordinario consequimur, differatur, quia dilatione etiam periculum subire possumus illam numquam assequendi. Haec Ecclesiae voluntas, quae ipsius Christi voluntas est, cuicumque legi supereminet; aliaeque leges latae intelligendae sunt sub huius legis universalis, constantis, et absolutae moderatione. Neque quis dubitare de re poterit, si consideret, Ecclesiam in inductis a se etiam durissimis reservationibus, excepisse semper mortis articulum; hunc autem ad tot casus extendi, quot alibi in hoc ipso Commentario enumeravimus.

Casus vero de quo loquimur eiusmodi est, ut si quis nequiret Episcopum pro absolutionis beneficio adire, poenitens deberet diu sine sacramentali absolutione manere; comprehendi itaque, in aliquibus praesertim circumstantiis ex. gr. paupertatis, infirmitatis, debilitatis, longae distantiae etc. sub eo casu videtur, quo quis impediatur quominus Romanum Pontificem adeat. Sicut igitur hic casus nunc quoque excipitur, etiam alius exceptus esse censetur.

Dictum est insuper, circa praesentem quaestionem per Constitutionem *Apostolicae Sedis nihil esse* innovatum, ni decreto edito, saltem de facto. Si nihil innovatum est, concessiones ergo illae quae in animarum salutem factae a Romanis Pontificibus reperiebantur, immotae perseverare debent. Sed Innocentius III omnino sancivit casu quo poenitens non possit neque Romanum Pontificem, neque ipsum Episcopum adire, a proprio sacerdote, iuramento praestito absolveretur; ergo haec sanctio immota permanere censenda est.

Neque quis verbis Pianae Constitutionis niti potest ad contrariam sententiam statuendam, cum in ea nihil reperiatur quo vetusti Canones abrogati putandi sint in peculiari hac circumstantia. Quid enim dicit Piana Constitutio? 1. generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere ut quis collatam sibi putet facultatem absolvendi ab excommunicationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis. 2. revocata insuper esse earumdem respectu quaecumque indulta concessa sub quavis forma, et quibusvis personis etiam regu-

laribus cuiuscumque Ordinis etc. Atqui Decretum Innocentii III neque sub nomine Indulti, neque sub nomine generalis concessionis comprehendi potest; decretum ergo illud revocatum censendum non est. Qua de causa, in casu hoc speciali Confessariis simplicibus servatur facultas sub praescriptis conditionibus illos absolvendi, qui Episcopum adire non possunt.

Neque quis moveri debet ex quo dicantur in Piana Constitutione illi excommunicationem incurrere qui quovis praetextu praesumant sine debita facultate ab his censuris absolvere; quandoquidem ratio Innocentianae indulgentiae inter praetextus numerari nequit, neque praesumptionis argui qui ea ductus absolveret.

Quid autem de difficultatibus a contrariam sententiam statuentibus adductis?

Quoad revocationem indultorum et facultatum iam solutae desuper reperiuntur; quod vero subsumant, Romano Pontifici has excommunicationes esse speciali modo reservatas, respondendum esse, id prorsus esse quod in quaestione versatur, an scilicet, non obstanti reservatione, sit casus ille excipiendus, quo quis neque Romanum Pontificem, neque Episcopum possit adire; qua responsione premitur etiam quod ultimo loco addunt, nullum excipi casum; etenim prorsus inquiritur an iste excipiendus saltem sit; addo demum, hanc difficultatem nimis probare, proptereaque nihil; sequeretur enim, neque ipsis Episcopis facultatem absolvendi in casu servari, quod nullus casus, excepto mortis articulo, excipiatur.

Ni itaque opinio me fallit, simplices confessarii poenitentes eiusmodi tuto etiam num absolvere possunt; atque id unum advertant 1. ut causae excusantes verae et reales sint, non praetextus se a laboribus et etiam ab aliquibus expensis eximendi. 2. ut promissionem exigant, iuxta impedimenti qualitatem, adeundi Episcopum si quando possint, atque parendi mandatis Ecclesiae ab ipsis exponendis.

Excepto itaque casu, quo quis neque Romanum Pontificem, neque Episcopum (quo nomine intelliguntur quotquot iurisdictione Episcopali praediti sunt, hinc et abbates qui habent dioecesim, ut abbas S. Pauli, Montis Cassini etc) pro absolutionis beneficio adire possit, in ceteris omnibus a recensitis excommunicationibus nullus alius, praeter quam Romanus Pontifex, potest absolvere. « A quibus omnibus » excommunicationibus hucusque » recensitis absolutionem Romano » Pontifici pro tempore speciali mo» do reservatam esse et reservari; » et pro ea generalem concessio» nem absolvendi a casibus et cen» suris, sive excommunicationibus » Romano Pontifici reservatis, nullo » pacto sufficere declaramus.

3. Atque hinc, ne scrupuli et anxietates orirentur ob privilegia et

facultates amplissimas Ordinibus religiosis concessas, Romanus Pontifex illas omnino revocavit. « Revocatis » insuper earumdem respectu qui- » buscumque indultis concessis sub » quavis forma et quibusvis perso- » nis etiam regularibus, cuiuscum- » que Ordinis, Congregationis, So- » cietatis et Instituti etiam speciali » mentione dignis, et in quavis di- » gnitate constitutis. »

Qua de causa ii qui ob fidelium necessitatem utilitatemque ab eiusmodi excommunicationibus absolvendi facultates habere cupiunt, eas a Romano Pontifice omnino petere tenentur; quas si nihil excipiendo concesserit, Confessarius tuto etiam ab excommunicatione ob haeresim absolutionem concedere potest, cum hic casus in Constitutione *Apostolicae* non excipiatur, sicut exceptus erat in iis facultatibus quae concedebantur pro absolvendis censuris in Bulla Coenae reservatis; quam ob rem specialis facultas petenda erat.

Nemo tamen hinc putet, per descriptam clausulam revocatas esse facultates quae a S. Poenitentiaria plerumque ad biennium, si agatur de simplicibus Confessariis, vel ad quinquennium, si de Episcopis, concedi solent; illae enim in suo robore permanserunt, cum sint facultates personales quae alicui vel Episcopo, vel Sacerdoti a S. Sede conceduntur; et in Piana Constitutione revocatae sint facultates reales, quae nempe ex Romanorum Pontificum concessione inhaerebant alicui dignitati, Ordinibus religiosis etc.

Extat insuper hac de re S. Officii instructio data die 15 Iunii 1870 ad cuiusdam Ordinarii quaesita, in qua haec ad rem habentur: « Quod » denique quinto loco addebas, » *utrum habeas facultatem absol-* » *vendi a praedictis excommunica-* » *tionibus,* censuerunt Emi Patres, » id a te quaeri ob clausulas dero- » gatorias, quae in Constitutione » *Apostolicae Sedis* leguntur; nam » ceteroquin quid facultatum Tibi » datum sit, nosse ipse debes. Ita- » que decreverunt, ut declaratio » circa praedictas clausulas de man- » dato Sanctitatis Suae ab hac su- » prema Congregatione edita Tibi » communicetur, quae est tenoris » sequentis: « *Per Constitutionem* » *Sanctissimus Pater nullatenus* » *intendit, ne minimum quidem,* » *detrimentum inferre facultatibus* » *cuiuscumque indolis, quae a San-* » *cta Sede ante promulgationem* » *eiusdem Constitutionis concessae* » *fuerint, sive hae quinquennales* » *sint, sive extraordinariae, sive* » *respicientes praesens Iubilaeum;* » *atque vult ut in suo pleno vigo-* » *re permaneant, tempore perdu-* » *rante in dictis concessionibus sive* » *Indultis praefinito.* »

Hanc vero a Beatissimo Papa Pio declarationem emissam per S. Congregationem S. Officii Emus Card. Bizzarri communicavit Patribus in Vaticano Concilio congregatis.

Quaecumque tamen sint hae facultates, et quamtumvis amplae, excepti semper habendi sunt casus de quibus in Bulla Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae,* calumniosa scilicet accusatio Sacerdotis sollicitantis ad turpia in actu Sacramentalis confessionis, et absolutio impertita a confessario complice in peccato turpi.

Etenim Feria IV, 27 Iunii 1866 Suprema S. Officii Congregatio sequens emisit Decretum. « Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, auditis suffragiis Eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit, ut facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, *excipiendos semper in posterum* et *exceptos habendos esse* casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae.* Et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide iniunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum, post verba. » Absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis in Bulla Coenae – addatur – Exceptis casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae.*

Haec autem Apostolica reservatio, nullimode per Constitutionem *Apostolicae Sedis* abrogata fuit. Cum enim relatum decretum omnibus Episcopis communicatum fuerit, atque in facultatibus quas Sacerdotibus ad Missiones abeuntibus Sacra Congregatio de Propaganda Fide concedit, addita illa reservatio fuerit, omnino necessariam erat novum Decretum derogatorium Episcopis, et praedictae Congregationi communicare, ut de revocata illa reservatione constare posset; quod numquam factum fuit. Episcopi quapropter etiam post Pianam Constitutionem decreto illi sese omnino conformant, et qui ab iis etiam casibus absolvendi facultatem habere voluerunt, a Sancta Sede illam impetrarunt.

Ex disputatis hucusque sequitur 1. nullum posse absolvere a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis 2. excipi casum quo quis neque Romanum Pontificem, neque Episcopum pro absolutionis beneficio adire possit. 3. Facultates personales per Pianam constitutionem non esse revocatas, 4. In iis tamen exceptos semper esse intelligendos duos casus in Bulla Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae* numeratos.

4. Manifestum autem ex ipsa Constitutione est, eos qui excommunicatos huiusmodi absolvere sine debita facultate praesumunt, dummodo non agatur de mortis articulo, incurrere excommunicationem Romano Pontifici, non quidem speciali modo, sed simpliciter reser-

vatam. « Absolvere autem praesu-
» mentes sine debita facultate, etiam
» quovis praetextu, excommunica-
» tionis vinculo Romano Pontifici
» reservatae innodatos se sciant;
» dummodo non agatur de mortis
» articulo. »

Attamen ad eiusmodi excommunicationem incurrendam tria sunt omnino necessaria, ut ipsa Constitutionis verba nos aperte monent. Necessarium est enim 1. ut absolvens debita facultate sit destitutus. 2. ut vera et realiter absolvat. 3. ut id agat praesumptione ductus, id est certo sciens, se esse opportuna facultate destitutum, poenitentem vero esse excommunicatione speciali modo reservata innodatum.

Qua de causa excommunicationem non incurrit qui vel vere et proprie non absolvit, vel inculpabiliter non advertit poenitentem esse censura innodatum, vel ignorat censuram illam esse reservatam, vel dubitat non adesse censuram, vel si inopinato aliquo casu infirmitatis, putet infirmum moriturum, etiamsi morbus gravis non sit, attamen ipse putet esse gravem, et *ad effectum* infirmum absolvat; nam hisce in casibus deest praesumptio, et proinde excommunicatio non incurritur. Qui vero absolvere praesumeret poenitentes huiusmodi ex pertinaci persuasione quod neque Episcopi, neque ipse Romanus Pontifex habeant facultatem sibi reservandi peccata, hic esset haereticus.

Etenim in Concilio Tridentino Can. 2. Sess. XIV de poenitentia definitum est: « Si quis dixerit
» Episcopos non habere facultatem
» reservandi sibi casus, nisi quoad
» externam politiam, atque ideo ca-
» suum reservationem non prohi-
» bere, quominus Sacerdos a reser-
» vatis vere absolvat, anathema sit.

Casus igitur, quo simplex Confessarius potest poenitentes eiusmodi vere, proprie, et directe absolvere, est mortis articulus, nedum ex Tridentino declarante, *in articulo mortis nullam esse reservationem, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibuslibet peccatis et censuris absolvere posse,* quae lex nunquam revocata fuit, neque potest revocari, sed ex ipsa Piana Constitutione, in qua articulus mortis disertis verbis excipitur; *dummodo non agatur de mortis articulo.*

Articulus autem mortis non eo sensu accipiendus est, ut infirmus proxime sit certe moriturus, sed eo sensu ut in periculo mortis reperiatur aut vere, aut iudicio prudentum, et etiam ipsius Confessarii.

Quare si quis gravi prematur infirmitate, aut longo itineri et periculoso, aut longae navigationi se committere debeat, aut ad bellandum proficisci; item si mulier paritura sit, et alias cum maxima difficultate, et vitae periculo pepere-

rit; pariter si quis in dementiam prolapsurus credatur, aut apud infideles captivus degat sine probabili libertatis spe, potest hic putari veluti in articulo mortis constitutus, et tuto absolvi. Breviter de hoc capite, cum de hac re alias pertractaverimus.

5. Attamen quibuslibet in articulo mortis constitutis imponenda a Confessario est obligatio standi mandatis Ecclesiae si convaluerint. *In quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae si convaluerint.* Haec autem obligatio duo importat, et se ad superiorem praesentare, et parere eius mandatis, quae dantur vel loco poenitentiae et satisfactionis, vel tanquam remedium ne deinceps in easdem censuras poenitens prolabatur etc. Quare si postquam convaluerit, haec implere negligat, et graviter peccat, et iisdem censuris iterum obstringitur.

Atque est advertendum, huic obligationi poenitentem obstringi, etiamsi illam, oblivionis vel ignorantiae, aut inadvertentiae causa Confessarius non imposuerit; non enim praesentare se debet superiori ideo quod id praecipiat Confessarius, sed quia praecipit Ecclesia, cuius lege ipse Confessarius obstringitur. Qua de causa si poenitens postea sciat se ad hanc obligationem teneri, sub illatis poenis illam implere debet; sin autem ignoraverit, manifestum est in censuras relabi non posse, neque aliquo peccato aut inobedientia teneri.

Cavendum est autem Confessario ne poenitenti onus imponat absolute sistendi coram Romano Pontifice; satis enim est ut sistat coram eo qui facultates habet absolvendi. Ideo enim hae facultates a Romano Pontifice conceduntur, ut in variis locis sint qui eius personam et potestatem repraesentent, atque ideo sollicitius fidelium saluti consulatur. Qua de causa poenitentes qui mittuntur ad habentes facultatem absolvendi, veluti ad ipsum Romanum Pontificem mittuntur, a quibus proinde audire debent Ecclesiae mandata, atque illa diligenter adimplere.

Onus autem eiusmodi praetermittendum absolute est in absolutione excommunicationum simpliciter reservatarum, cum in iis non imponatur, et in pueris.

Attamen dari potest casus ut dum simplex confessarius ad infirmum advocatur, intersit Sacerdos qui facultate pollet ab eiusmodi censuris absolvendi; posset ne ille infirmum absolvere?

Equidem Ecclesia cuilibet sacerdoti facultatem tribuit homines in articulo mortis constitutos absolvendi a quibuslibet peccatis et censuris ne aliquis pereat; et in ipsa hac Constitutione diserte mortis articulus excipitur. At verum est etiam, hanc ab Ecclesia facultatem ideo cuicumque tribui Sacerdoti,

quia contingere potest hac vel in illa circumstantia ut desit Sacerdos qui opportunas habeat absolvendi facultates; hac autem Ecclesiae intentione limitatur coram approbato facultas non approbati. Concessio enim illa sequenti propositioni aequipollet. In articulo mortis constitutus potest a quolibet sacerdote a quibuslibet censuris absolvi, si desit Sacerdos habens facultates opportunas. Secus enim circa reservationem Ecclesiae intentio non servaretur.

Neque quis opponat, in articulo mortis quamcumque esse reservationem sublatam; nam id apprime verificatur et in nostro ratiocinio, cum verum semper et ubique sit, cuicumque Sacerdoti opportunas facultates concedi si desit Sacerdos approbatus; in nostro autem casu quaestio est de Sacerdote non habente facultates absolvendi a censuris speciali modo reservatis Romano Pontifici, quando adest Sacerdos cui opportunae facultates concessae fuere.

Theologi ad negandam eiusmodi facultatem Sacerdoti non approbato quando adest Sacerdos approbatus utuntur et alio argumento; scilicet a Confessario eiusmodi imponendum esse poenitenti mandatum superiori sese praesentandi si convaluerit; ergo, concludunt, si ante confessionem potest se superiori praesentare, (et superior in casu est Sacerdos qui habeat absolvendi ab eiusmodi censuris opportunas facultates) debet id omnino peragere, ut postea absolutionem a peccatis obtinere possit.

At eiusmodi ratio, meo iudicio, non sufficit ad negandas facultates debitas simplici Confessario coram approbato; si enim absolute, et sine ulla restrictione, cuilibet Confessario eiusmodi facultates in articulo mortis conceduntur, poterit absolvere etiam coram Sacerdote approbato; habet enim facultates absolute et independenter.

Neque refert quod onus morienti imponere deberet sistendi coram superiore si convaluerit; nam eiusmodi obligatio nullum praeiudicium inferre posset concessis ab Ecclesia pro tempore mortis cuicumque Sacerdoti facultatibus. Obligatio enim illa esset conditio quaedam pro absolutione concedenda; at conditio apponenda in aliquo facto, et in casu in absolutione, non negat, neque in dubium revocat facultates factum ponendi, vel absolvendi, immo illas supponit et probat.

Qua de causa adducta ratio si quid probat, id unum certe, ideo Sacerdoti non habenti facultatem absolvendi a censuris cedendum esse locum eiusmodi facultates habenti, quia coram habente facultate Sacerdos simplex etiam in articulo mortis potestate destituitur.

Quisque autem videt id locum habere ante confessionem incoeptam, vel quando notum est extra confessionem, infirmum censuris

speciali modo reservatis obstringi, vel quando ipse infirmus petit se peccata sua confiteri velle Sacerdoti NN. qui facultates habet.

Si enim Sacerdos approbatus superveniat confessione iam incoepta, vel sit complex in peccato turpi, vel ita poenitenti invisus ut timendum sit ne cum illo sacrilegam confessionem instituat etc. iudicium compleri ab eo potest et debet qui illud incoepit, praesertim si casus sit occultus.

Videndum superest quid Regularibus, vel etiam eorum praelatis, qui tamen dioecesi carent, et proinde iurisdictione quasi episcopali, facultatem remaneat post pianam Constitutionem tum quoad externos, tum quoad sibi subditos. Et quidem negandum non est, a S. Pio V, in Constitutione *Romani Pontificis* tot tantasque facultates fuisse viris religiosis tributas, ut aequiparari possent ipsis Episcopis; quod enim hi in Dioecesanos poterant et illi in proprios subditos (1). Quid ergo de huiusmodi facultatibus post pianam Costitutionem?

Equidem abrogatae omnino censendae sunt; primo quidem, quia in ea expresse revocantur « quae- » cumque indulta concessa sub qua- » vis forma et quibusvis personis » etiam regularibus cuiuscumque » ordinis, Congregationis, Societa- » tis, et Instituti etiam speciali men- » tione dignis et in quavis dignitate » constitutis. » Et... « Ceterum de- » cernimus in novis quibuscumque » concessionibus et privilegiis, quae » ab Apostolica Sede concedi cui- » vis contigerit, nullo modo ac ra- » tione intelligi umquam debere » aut posse comprehendi facultatem » absolvendi a casibus et censuris » quibuslibet Romano Pontifici re- » servatis nisi de iis formalis expli- » cita, ac individua mentio facta » fuerit: quae vero privilegia aut » facultates, sive a Praedecessoribus » nostris, sive etiam a Nobis cuili- » bet Coetui, Ordini, Congregatio- » ni, Societati et Instituto etiam re- » gulari cuiusvis speciei, etsi titulo » peculiari praedito, atque etiam » speciali mentione digno a quovis » umquam tempore huc usque con- » cessae fuerint, *ea omnia easque* » *omnes Nostra hac Constitutione* » *revocatas, suppressas, et abolitas* » *esse volumus, prout reapse revo-*

(1) §. 3. Et insuper, quia Sacrum oecumenicum generale Tridentinum Concilium concessit Episcopis ut absolvere possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, prout Sess. XXIV Cap. VI habetur, ne Prior conventualis et Superiores praelati dicti totius Ordinis, tam in dicta provincia, quam extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici aut saeculares existant, eisdem Priori conventuali et superioribus praelatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in patres et moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate et tenore etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam declaramus.

» *camus, supprimimus et abolemus*, » minime refragantibus aut obstan» tibus privilegiis quibuscumque » etiam specialibus, comprehensis, » vel non, in corpore iuris, aut » Apostolicis Constitutionibus, et » quavis Confirmatione Apostolica, » vel immemorabili etiam consue» tudine, aut alia quacumque firmi» tate roboratis, quibuslibet etiam » formis ac tenoribus, et cum qui» busvis derogatoriis, aliisque effi» cacioribus et insolitis clausulis, » quibus omnibus, quatenus opus » sit, derogare intendimus et dero» gamus. » Quibus verbis revocantur omnes facultates quae competebant ordinibus religiosis cuiusvis naturae, ratione officii, perpetui privilegii, vel dignitatis.

Secundo, quia in hac ipsa Constitutione tantum pro Episcopis confirmatur facultas eis a Concilii Tridentini Patribus facta absolvendi in quibuscumque censuris simpliciter Sanctae Sedi reservatis, non autem ab iis quae speciali modo reservantur. Porro legislator quod voluit expressit.

Quod melius tertio, patet ex quo dum agitur de excommunicationibus Romano Pontifici simpliciter reservatis Cap. II, quo excommunicantur violentas in Clericos manus iniicientes, disertissima fit exceptio « exceptis quoad reservationem » casibus et personis, de quibus » iure vel privilegio permittitur, » ut Episcopus vel alius absolvat. » Ergo dum superioribus verbis haec exceptio non fiat, abrogatae illis in casibus censendae sunt Regularium Praelatorum facultates.

Demum quia S. Poenitentiaria id expresse definivit sequenti Recripto:

« Quum post promulgationem » Constitutionis SSmi D. N. Pii Pa» pae IX, quae incipit *Apostolicae* » *Sedis*, non obstante praestantis» simo in eamdem Constitutionem » Commentario cl. doctoris Petri » Avanzini, disputaretur a nonnul» lis theologis, utrum firma re» manerent privilegia Praelatis re» gularibus antea concessa in suos » subditos quoad absolutionem cen» surarum Romano Pontifici simpli» citer reservatarum (de speciali » enim modo reservatis, quae primo » loco dictae Constitutionis nume» rantur nulla quaestio); cumque » variae essent hinc inde opiniones, » ad finiendam hanc non parvi mo» menti quaestionem sequens du» bium propositum fuit. »

Dubium: An Praelati regulares post Constitutionem *Apostolicae Sedis* iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, id est possint, nec ne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis?

Respons. Sacra Poenitentiaria proposito dubio respondet: *Negative*, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.

Dat. Romae in S. Poenitentiaria Die 5 Decembris 1873.

Nulla igitur quaestio post cita-

tam declarationem instituenda est circa Regularium Praelatorum facultates.

Qua de causa probe est intelligendum quod superius scripsimus de potestate eorum Praelatorum regularium, qui iurisdictione quasi Episcopali gaudent, ex. gr. de Abbatibus qui Dioecesim habent. Cum enim hi, exceptis excipiendis, quaeque in iure numerantur, potestate quasi Episcopali fruantur in suos dioecesanos, comprehendi certe possunt et debent inter Episcopos, de quibus in cit. Cap. VI Concilii Tridentini Sess. 24; possunt scilicet suos Dioecesanos absolvere in casibus et censuris occultis Romano Pontifici simpliciter reservatis.

At non ita dicendum est dum agitur de religiosis sibi subiectis; quoad hos enim sunt habendi uti praelati regulares simpliciter, qui potestate quasi episcopali non fruuntur; qua de causa nulla quoad eos datur exceptio, et comprehenduntur in citato S. Poenitentiariae Rescripto. Hi tamen et praelati regulares quicumque possunt suos religiosos absolvere ab iis censuris quamvis reservatis quae sunt peculiares coetuum vel locorum; quoad has enim earumque absolutionem nihil per Constitutionem *Apostolicae Sedis* innovatum est; eius tenor enim refertur ad enumeratas vel indicatas censuras, non ad alias particulares coetuum vel locorum; hinc si quis Religiosus incurrat censuram specialem sui Ordinis poterit a regulari Praelato, iuxta facultates ei concessas, absolvi, excepto tamen semper haeresis crimine, quod constituit legem communem; cuius proinde reservatione abrogata censenda est etiam aliquibus Ordinibus concessa facultas absolvendi suos subiectos ab haeresis crimine prima vice commisso.

Et satis quoad primam excommunicationum classem.

COMMENTARII

PARS ALTERA

APPENDIX XVI.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATAE SENTENTIAE ROMANO PONTIFICI RESERVATIS.

De excommunicatione lata in defendentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas, et in docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis.

Excommunicationi latae sententiae, inquit Pius IX, Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus.

I

« Docentes vel defendentes sive » publice, sive privatim propositio- » nes ab Apostolica Sede damnatas » sub excommunicationis poena la- » tae sententiae; item docentes vel » defendentes tamquam licitam pra- » xim inquirendi a poenitente no- » men complicis, prout damnata est » a Benedicto XIV in Constitutione » *Suprema* 7 Iulii 1745; *Ubi pri-* » *mum* 2 Iulii 1746, *Ad eradican-* » *dum* 28 Septembris 1746. » Praesens caput quoad primam partem ea qua sapientia pollebat, pertractatum fuit a cl. Petro Avanzini in prima parte huius Commentarii a pag. 148 ad 195. Atque ad eam lectores nostros remittimus.

Hic pauca tantummodo perstringere putamus, scilicet ad incurrendam eiusmodi excommunicationem duo esse omnino necessaria.

1. Ut quis doceat vel defendat sive publice sive privatim propositionem aliquam ab Apostolica Sede damnatam. Qua de causa satis non est ut quis propositioni damnatae interno assensu adhaereat, vel utcumque eam manifestet; cum Pontifex interdicat docere et defendere; qualiscumque autem proscriptae propositionis manifestatio non importat proprio sensu ut quis eam vel docere vel defendere dicatur; sin minus blasphemi qui haereticales propositiones ore infernali saepissime evoment, hac censura abstringi essent dicendi; pariterque excommunicati illi essent habendi, qui aliquas ex huiusmodi pro-

positionibus manifestarent, non quidem eas docendo vel defendendo, sed levitate et vanitate quadam, quo scilicet sibi nomen captent hominum praeiudiciis minime abreptorum, (italice di uomini spregiudicati) aut per iocum, aut aliqua alia de causa quae neque doctrinam neque defensionem attingat. Cum enim in lege odiosa versemur, strictae interpretationi subiicienda est.

Id vero probe a Confessariis perpendendum est. Multi enim sunt, praesertim nunc temporis in Italia nostra, qui nescio quanam de causa increduli videri volunt, et sin minus homines singulares, dum interno animo credunt et profitentur quidquid S. Romana Ecclesia ad credendum proponit, non excepta Romani Pontificis infallibilitate. Attamen cum societates certe non admodum catholicas frequentent, vel cum hominibus versentur non admodum christianis, qui pietatem, et pios risu et cachinnis prosequuntur, ne talia patiantur et ipsi aliquid dicunt vel dicere volunt quod cum ecclesiasticis dogmatibus, vel cum sententiis ab Romano Pontifice in Sillabo praesertim propositis plus minus discordant, quin tamen peculiarem finem sibi praestituant, illo excepto, ut a se sociorum subsannationes repellant. Hi sub hoc capite comprehendi non possunt, cum quod proferunt neque doceant, neque defendant, et animo suo quod dicunt respuunt.

At non ita de illis sentiendum esset, qui vel turpis lucri gratia, vel vanitate, aut alia de causa docerent et defenderent propositiones ab Apostolica Sede damnatas, quamvis ab illis interne dissentirent. Huiusmodi enim homines id prorsus ponunt, quod in praesenti capite prohibitum est, atque excommunicationem incurrunt. Etenim reapse et externe iniuriam Sanctae Romanae et Apostolicae Sedi irrogant id impugnando quod ipsa profitetur, scandalum fidelibus ponunt, tum religionem quodammodo, tum reverentiam Apostolicis decretis debitam ex eorum animis subducendo, tum alia patrando, quae et a schismaticis et ab haereticis fiunt in catholicae fidei et unitatis detrimentum.

De coetero dum Romanus Pontifex docere et defendere prohibet propositiones ab Apostolica Sede damnatas, factum externum prohibet; et cum hoc factum excommunicatione mulctaverit, patet eum esse excommunicatum qui proscriptas a Sancta Sede propositiones doceat vel defendat, quamvis ipse interno animo ab suis erroribus dissentiat, integrumque fidei depositum, aliasque Romanas doctrinas assensu suo complectatur.

Atque probe secernenda est excommunicatio lata in Capite primo quo haeretici impetuntur ab ea lata in praesenti capite: Ibi enim excommunicantur *defensores eorum* scilicet manifeste haereticorum, sive

quis de cetero personas sive doctrinas defendat; qua de causa doctrinae sive propositiones de quibus illo in capite agitur, debent esse omnino haereticae, et qua tales ab Ecclesia condemnatae; in praesenti vero capite nullimode necessarium est ut propositiones proscriptae sint haereticae, sed ut sint ab Apostolica Sede damnatae, quocumque tandem sensu damnatae sint.

Duo tamen haec Capita in unum apprime convenire reperimus, ut scilicet excommunicentur, non qui vel haeresim proferat, vel propositionem ab Apostolica Sede proscriptam, sed *defensores* et *docentes*. Qua de causa si haec desint, ex simplici aliquorum verborum prolatione quis excommunicatus censeri non debet.

Patet autem non esse necessarium utrumque, scilicet *docere* et *defendere* ad excommunicationem incurrendam, sed alterutrum sufficere, praesertim cum plerumque defensio et doctrina reciprocentur.

Ex eadem vero ratione patet, neque excommunicationem incurrere qui propositiones doceret vel defenderet ab aliquo Concilio oecumenico, multo magis nationali vel provinciali damnatas, etsi eiusmodi Concilia a Romano Pontifice confirmata fuerint; expresse enim indigitantur propositiones *ab Apostolica Sede* damnatae, quo nomine Concilia non veniunt. Hinc etiamsi iis in Conciliis in docentes vel defendentes damnatas propositiones lata excommunicatio sit, ni sanctiones illae in praesenti Constitutione renovatae fuerint, ut pleraeque Concilii Tridentini poenae innovatae reperiuntur, docentes vel defendentes propositiones illas nullam amplius excommunicationem incurrunt, cum in ea decernatur, *ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant.*

Ex quo sequitur, quod si aliquo in Concilio edita pro alicuius ex. gr. propositionis defensione excommunicatio fuerit Romano Pontifici vel speciali modo vel simpliciter reservata; robur illa exinde habeat, si, et prout innovata in Constitutione praesenti reperitur.

Ut res exemplo illustretur, in Concilio Tridentino Sess. XIII. C. II. *De Sacrosancto Eucharistiae Sacramento* excommunicati declarantur qui docere non erubescunt, non esse Eucharisticae Communioni necessario praemittendam Sacramentalem confessionem ab illo, qui dum se sentit mortali culpa gravatum, habet Confessarii copiam, quo illa se lavet: « Ne tantum Sacramentum » indigne atque ideo in mortem et » condemnationem sumatur, sta» tuit atque declarat ipsa sancta » Synodus, illis, quos conscientia » peccati mortalis gravat, quantum-

» cumque etiam se contritos existi-
» ment, habita copia Confessarii,
» necessario praemittendam esse
» confessionem Sacramentalem. Si
» quis autem contrarium docere,
» praedicare, vel pertinaciter asse-
» rere, seu etiam publice disputan-
» do defendere praesumpserit, eo
» ipso excommunicatus existat. »
Haec autem excommunicatio nemini erat reservata. Cum vero Constitutio Piana excommunicatos et nunc habeat *quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit;* patet et nunc Tridentinam censuram nemini esse reservatam. Sed esset vel specialiter, vel simpliciter reservata Romano Pontifici, si eam huiusmodi reservationi Pius Papa IX subiecisset.

Exinde pariter sequitur, nulli excommunicationi eum subiacere qui doceret vel defenderet propositiones ab aliqua Romanarum Congregationum sub anathematis poena proscriptas; Congregationes enim non veniunt sub nomine Apostolicae Sedis. Attamen si hae decretum nomine et auctoritate Romani Pontificis publicaverint, nullimode dubitandum esset quin docentes et defendentes proscriptas propositiones excommunicationem incurrerent, cum hoc in casu Congregationes essent medium et organum quo Romani Pontifices voluntatem suam manifestarent.

At. 2. Ad eiusmodi excommunicationem incurrendam necessarium est ut propositiones damnatae fuerint sub *excommunicationis poena latae sententiae;* ergo non ferendae, multo minus si simpliciter reprobatae fuerint, nulla scilicet adiecta poenae comminatione.

Cetera videant lectores in citata Commentarii parte.

Progredientes ad expendendam alteram huius Capitis sanctionem; excommunicantur in ea omnes *docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV.*

Iam vero doctissimus hic Pontifex, triplicem Constitutionem promulgavit quo e sinu Ecclesiae tantum malum eradicaret. Primam, quae incipit *Suprema,* dedit die 7 Iulii 1745, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regnorum Portugalliae et Algarbiorum, ubi perniciosa haec praxis invalescebat, atque exordio praestituto de sollicitudine a Romanis Pontificibus iis regnis praesertim impendenda, quae fide, religione et pietate florent, ad rem quod attinet ita scribit:

« Pervenit enim haud ita pri-
» dem ad aures nostras, nonnullos
» istarum partium Confessarios, fal-
» sa zeli imagine seduci se passos,
» sed a zelo secundum scientiam
» longe aberrantes, perversam quam-
» dam et perniciosam praxim in au-
» diendis Christi fidelium confessio-

» nibus, et in saluberrimo Poeni-
» tentiae Sacramento administrando
» invehere atque introducere coe-
» pisse ; ut videlicet, si forte in
» poenitentes incidissent socium cri-
» minis habentes, ab iisdem poeni-
» tentibus socii huiusmodi, seu com-
» plicis nomen passim exquirerent;
» atque ad illud sibi revelandum
» non inducere modo suadendo co-
» narentur, sed quod detestabilius
» est, denuntiata quoque, nisi re-
» velarent, absolutionis sacramenta-
» lis negatione, prorsus adigerent,
» atque compellerent; immo etiam
» complicis eiusdem nedum nomen,
» sed habitationis insuper locum si-
» bi exigerent designari. Quam illi
» quidem intolerandam imprauden-
» tiam tum procurandae complicis
» correctionis, aliorumque bonorum
» colligendorum specioso praetextu
» colorare, tum emendicatis quibus-
» dam Doctorum opinionibus defen-
» dere non dubitarent; cum revera
» opiniones huiusmodi vel falsas et
» erroneas sequendo, vel veras et
» sanas male applicando, perniciem
» tam suis, quam poenitentium ani-
» mabus consciscerent; ac sese prae-
» terea plurium gravium damnorum,
» quae inde facile consecutura fore
» praevidere debuerant, reos co-
» ram Deo aeterno iudice constitue-
» rent. »

Rationes tamen quibus haec praxis perniciosa reapse probatur, magnus hic Pontifex numerare satagit in Opere De *Synodo Dioecesana* Lib. VI. Cap. XI. n. 1. ut inde quisque percipiat quanto iudicio et prudentia illam corripuerit atque auctoritate apostolica improbaverit, tum quanto zelo atque obedientia sit ab illa recedendum. Ait enim: « Huius vero
» perniciosae praxis hanc profere-
» bant causam, videlicet, ut ipsi
» complicem postea corriperent, at-
» que ita in eius tantum utilitatem
» huiusmodi uterentur revelatione. »

Ex quo quisque intelligit, huius improbandae praxis principium, minime habuisse originem ex vana Sacerdotum curiositate, aut alia de causa minus honesta, sed ex zelo animas a peccatis subducendi, atque scandala et pravas consuetudines extirpandi. Hae tamen non improbari a Benedicto XIV non potuere, habito respectu ad gravissima quae inde mala oriebantur. Prosequitur enim.

« Verum nos gravia consideran-
» tes mala, quae inde necessario
» consequebantur; proximi enim
» laedebatur fama, arctum Sacra-
» mentalis confessionis sigillum pe-
» riclitabatur, absterrebantur fideles
» a suis culpis Confessario integre,
» prout caeteroquin opus est, ma-
» nifestandis; rixae et discordiae
» disseminabantur, et tota demum
» perturbabatur communitas; idcir-
» co, pro nostri supremi apostola-
» tus munere, praedictum tunc pri-
» mo pullulantem abusum, prius-
» quam inolesceret, praefocandum
» duximus nostris apostolicis lite-
» ris. »

Haec vero non speculative, et quasi divinando Benedictus protulit,

sed experientia doctus, atque ex delatis ad Apostolicam Sedem querelis, ut ipsemet in citata Constitutione fatetur: §. 2. « Et vero iam » secuta fuisse multa eiusmodi damna, infelici experientia compertum est; nec fieri potuit quin ea » de causa et oblocutiones et scandala, et non ministrorum tantum, » sed Sacri etiam ipsius Ministerii » odium, et animorum ingens conturbatio exorta sint. Tristia Nos » haec nuntia cum accepissemus, simul audivimus, contra exitialem » huiusmodi abusum protinus iusta » indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos filios nostros » S. R. C. Cardinales etc. »

Ex quibus deprehendimus, cordatioribus Ecclesiasticis huiusmodi praxim numquam placuisse, eamque paucis falso zelo abreptis fuisse acceptam atque usu introductam, nihil obstante illa peccatorum atque malorum sequela, quam Romanus Pontifex acriter deflet et reprehendit.

Procedit hinc ad illius improbationem, atque Episcopis mandat ut ad illam extirpandam collatis viribus incumbant.

« Nos autem, ne in tam gravi » animarum discrimine, ulla ex parte Apostolico nostro ministerio desse videamur, neve mentem hac » super re nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus; notum vobis esse volumus, » memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes nostras in forma Brevis literas reprobari atque damnari tanquam » scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi » etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli » Sacramentalis violationem, atque » ab eiusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.

» §. Eapropter, venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est quod dubitemus, supremi tamen officii » quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostrae aperta significatione, » et apostolicis insuper adhortationibus nostris intensius acuere et » excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis » rationibus, et efficacioribus quibuscumque Iuris remediis, quoad » opus fuerit, contra delinquentes » ministros adhibitis, noxiam eiusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis » curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo » posita est, ab eoque divinae misericordiae fonte illas averti ac » deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas » dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. »

Haec autem apostolica sententia adeo erat aperta, rationesque ad-

ductae adeo praeclarae, ut incredibile sit reperiri potuisse qui contra apostolicam constitutionem obloquerentur. Et tamen inventi sunt. Qua de causa Benedictus XIV die secunda Iunii an. 1746 Constitutionem *Ubi primum* edidit, in qua nedum primam confirmavit, et memoratam praxim iterum reprobavit, sed et poenas in delinquentes multiplicavit et auxit, indicta tum excommunicatione, a qua non posset Confessarius huiusmodi a nemine, praeter quam a Romano Pontifice, absolvi, mortis articulo excepto; tum poenitentibus, qui de peccati complice interrogati fuerint, onere denuntiationis imposito ad supremos Inquisitores, quod delinquentes huiusmodi suspecti pravi dogmatis essent habendi; tum poena suspensionis, ferendae tamen sententiae, ab audiendis confessionibus etc. « Statuentes insuper ac decernentes, ut quicumque cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali et individua, ad effectum, ut hisce Nostris praesentibus comprehendatur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse huiusmodi praxim, prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem; vel ea quae in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

» Et quia non modo cavendum est, ut quae sunt a nobis in praeinsertis literis decreta ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint et immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus et singulis Confessariis utriusque Cleri tam saecularis quam Regularis, quamtumvis exempti, et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione iudicii, atque in virtute sanctae obedientiae prohibemus, ne conformiter ad praedictam reprobatam praxim, poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cuius socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis huiusmodi adiunctis, sive circumstantiis, expressionem, magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem poenitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem de-

» negando; alioquin noverint sese, » ultra peccati lethalis incursum, » suspensioni ab officio audienda- » rum confessionum, aliisque etiam » gravioribus poenis fore subiicien- » dos.

» Praeterea quoniam contra da- » mnatum huiusmodi exitialem ab- » usum, ne cum animarum perni- » cie radices agat, necesse ducimus » modum ac formam etiam in foro » externo procedendi, et ultrices » adversus reos poenas imponendi, » statuere atque ordinare; omnes- » que super hoc exorituras, vel » etiam iam exortas dissensiones com- » ponere et penitus amputare; vo- » lumus, decernimus, ac declara- » mus, quod docentes, ut supra, » licitam esse praxim a Nobis iam » reprobatam; vel in eiusdem pra- » xis defensionem scribentes aut lo- » quentes, vel eiusdem reprobatio- » nem in memorato nostro Brevi » contentam impugnantes, aut per- » verse interpretantes, in Officio » Sanctae Inquisitionis praedictorum » regnorum atque Ditionum severe » puniantur, et contra eos, et eo- » rum quemlibet in eodem officio » procedatur, non minus ac contra » illos ibidem procedi solet, qui as- » serunt, tradunt, tuentur opiniones » scandalosas, perniciosas et uti ta- » les a Sede Apostolica reiectas et » condemnatas.

» Similiter in eodem officio pro- » cedendum erit et procedi volu- » mus ac statuimus contra Confes- » sarios quosque ut supra delin- » quentes, ac de nomine complicis » poenitentem interrogantes, eidem- » que poenitenti, nisi illud sibi ma- » nifestet, absolutionem denegantes. » Dummodo tamen huiusmodi in- » terrogandi ac denegandi actus ta- » libus circumstantiis coniunctus sit » ac convestitus, quae sic agentem » Confessarium de adhaesione ad » praedictam reprobatam praxim, » tanquam ad licitam, vel alio quo- » vis modo de prava credulitate su- » spectum reddant.

» Itaque contra praedictos omnes » et singulos delinquentes tam sae- » culares quam regulares, quam quo- » rumvis etiam quomodolibet exem- » ptorum, ac Sedis Apostolicae im- » mediate subiectorum Ordinum, » Institutorum, Societatum et Con- » gregationum Regulares, cuiuscum- » que dignitatis ac praeminentiae, » aut quovis privilegio muniti exi- » stant, et quorum specialis et no- » minatim mentio facienda sit, prae- » dictorum Regnorum ac Ditionum » Inquisitores, potestate a Nobis » tradita, quatenus opus sit, prae- » sentium tenore de novo concessa, » prout in causis fidei, iuxta sa- » crorum Canonum formam, nec » non Sancti Officii Inquisitionis hu- » iusmodi Constitutiones, privile- » gia, consuetudines et decreta di- » ligenter inquirant, et procedant, » et quos in aliquo ex eiusmodi » excessibus culpabiles repererint, » in eos, pro criminum qualitate » et circumstantiis, suspensionis ab » officio confessiones audiendi, vel

» etiam ab executione Ordinum, » privationis beneficiorum, Dignita- » tum, ac perpetuae inhabilitatis ad » illa, nec non vocis activae ac » passivae, si Regulares fuerint, » aliasque poenas decernant; omnes » etiam, vel earum tantum aliquas, » in perpetuum, vel ad tempus in- » fligendo.

» Quicumque vero alium quem- » libet aliquo ex supradictis modis » deliquisse cognoverit, eum, intra » terminum dierum, in edictis S. Of- » ficii eiusmodi Inquisitionis prae- » figi solitum, eidem S. Officio de- » nunciare teneantur; alioquin poe- » nas non denunciantibus per ea- » dem edicta infligi consuetas in- » currant. Verumtamen ab huius- » modi onere denunciandi iustis de » causis eximi volumus, et eximimus » personam ipsam poenitentem dum- » taxat in causa propria, idest in » casu, quod suum peccatum con- » fitens, a Confessario adigatur ad » sibi manifestandum nomen com- » plicis in eodem peccato; tunc e- » nim poenitentem huiusmodi ab » obbligatione eumdem confessa- » rium denunciandi liberamus. Sed » quando aliunde quam ex propria, » ut dictum est, confessione nove- » rit Confessarium aliquo ex supe- » rius enumeratis, et Sancto Officio » denunciandis modis deliquisse, » tunc eum et ipse denunciare ex » ista aliunde habita notitia tenea- » tur.

» Quod si confessarii de compli- » cis nomine perperam interrogan- » tis, absolutionemque, ni sibi de- » tegatur, denegantis actum contin- » gat eiusmodi esse, ut quamvis » imprudens et malus, simplex ta- » men quidam et nudus actus fue- » rit, id est iis circumstantiis de- » stitutus, quae de prava credulitate » vel de mala adhaesione ad praxim » in saepe dicto Nostro Brevi re- » probatam, eumdem Confessarium » suspectum reddant, tunc istius- » modi delictum, neque denuncia- » tionis oneri, neque Sancti Officii » praedicti cognitioni subiectum e- » rit; sed de illo cognoscere, atque » in delinquentem Confessarium, » per suspensionem ab audiendis » Confessionibus, vel alias canonicas » et legitimas poenas pro delicti » modo animadvertere, ad locorum » Ordinarios in sua cuiusque Dioe- » cesi omnino spectabit. »

Hisce tamen Constitutionibus, qui cavillis indulgebant, spretis, magis falsae aliquorum Doctorum sententiae adhaerere maluerunt, quam apostolicis sanctionibus; et cum nil aliud possent, spargere coeperunt, praedictas Constitutiones in provinciis regni Lusitaniae et Algarbiorum vim habere, cum de illis in eis mentio fieret, in aliis vero minime: qua de causa dum in praefato regno abusus minui, in aliis perniciosa praxis diffundi coeperat, ita ut ad Sanctam Sedem de re quaerelae sint delatae.

Benedictus hinc XIV die 28 Septembris 1746 Constitutionem edidit *Ad eradicandum*, qua declaravit

memoratam praxim semper et ubique locorum uti proscriptam sub sancitis poenis esse intelligendam. »

» Quoniam vero nullam pastoralis vigilantiae cautelam superfluam » esse ducimus, ubi de fidelium » animarum pernicie, deque subvertenda sanae doctrinae integritate, et recta Sacramentorum administratione, periculum subesse » dubitetur; neque vero ignoramus, » alibi quoque auditas esse poenitentium querelas de importunis » nonnullorum Confessariorum perquisitionibus, pro investigandis » complicum nominibus aliisque notitiis, iuxta praxim in praeinsertis Nostris Apostolicis literis relatam atque damnatam; erroneas » vero quorumdam Doctorum hac » de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes et applicationes in eisdem » literis enunciatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari » per ipsas praemissas literas, quas » utpote ad Lusitaniae regnorum » atque ditionum opportunitatem » accommodatas, et pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis et legis vim auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit.

» Ideo nos motu proprio atque » ex certa scientia, huius nostrae » generalis sanctionis tenore, ac de » Apostolicae potestatis nostrae plenitudine, easdem praeinsertas literas iterum confirmantes et roborantes, decernimus et declaramus, memoratam praxim in seipsa, et ubique locorum ac temporum, apostolica auctoritate reprobatam, atque damnatam esse et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato Nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire; sub poenis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas et condemnatas; et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis et ecclesiasticis sanctionibus statutis, atque praescriptis. »

Praefatas Benedicti XIV Constitutiones diligenter considerantibus illico apparebit, eum excommunicatione aliisque poenis illos tantummodo percellere, qui, non quomodolibet poenitentes de nomine complicis interrogant, sed ita interrogant, ut et suspicionem ingerant se damnatae praxi adhaerere, et ni poenitentes complicem detegant, eis absolutionem sacramentalem negant. Qua de causa, si curiositate, vel malitia nomen complicum exquirant, quin aut damnatae praxi adhaereant, vel poenitentibus complices revelare recusantibus absolutionem negent, quamvis contra obedientiam legibus Ecclesiae debitam graviter peccent, excommunicationem tamen neque incurrunt, neque ad Supremam Inquisitionem, aut Episcopum sunt denunciandi.

Confessarii quapropter, ad quos a poenitentibus similes casus deferuntur, ne ruant praecipites in imponendo denunciationis onere Inquisitoribus deferendae vix audiunt, poenitentem a Confessario de nomine complicis interrogatum fuisse; sed solerter et prudenter inquirant, an talis interrogatio iis circumstantiis convestita sit, ut possint arbitrari (simpliciter enim suspicari non sufficit) Confessarium interrogantem damnatae praxi adhaerere, eaque de causa absolutionem denegasse.

Hinc videant et poenitentem interrogent 1.° an ipse de nomine complicis interrogatus responderit se illum detegere noluisse quod id vel esset illicitum, vel de peccato timeret, et Confessarius e contra responderit, nullum adesse in re peccatum, imo complicem revelandum esse.

2.° Inquirant an dum ipse persisteret in neganda revelatione complicis, Confessarius ei minitatus fuerit negationem absolutionis nisi revelaret; et an absolutionem tandem largitus sit quod revelaverit.

3.° Inquirant, an dum nomen complicis revelare noluit, sine absolutione idcirco Confessarius eum dimiserit. Idcirco, inquam; potuit enim contingere, ut Confessarius levitate, malitia, aliisque de causis nomen complicis exquisiverit; absolutionem tamen largitus minime sit, non quod poenitens revelare negaverit, sed quod esset vel prava consuetudine, vel proxima peccandi occasione, vel peccatis reservatis irretitus; id autem apprime cognoscere poterunt ex statu conscientiae, et ex repetitione praeteritae confessionis. Hinc si in inquisitione perceperint, poenitenti iuste fuisse absolutionem a Confessario denegatam ratione peccatorum, et independenter ab complicis inquisitione, non possunt, neque debent ei onus denunciationis apud Inquisitores instituendae imponere. Eiusmodi enim onus ex certa lege oritur; qua de causa etiam ex certa legis transgressione; in casu autem legis transgressio certa non est, cum omnino constare debeat absolutionem fuisse denegatam, vel impertitam, quod de nomine complicis poenitens interrogatus illud revelaverit, vel revelare noluerit, atque insuper quod idcirco nomen complicis Confessarius exquisiverit, quod adhaerere damnatae praxi dignoscatur; e contra in casu exposito Confessarius denegare absolutionem potuit, quod aliis peccatis poenitens subiaceret, quae vel absolvere non potuerit, vel prudenter noluerit. Prudentissime quapropter iis in circumstantiis agendum a Confessariis est, ne in ruinam innoxios vel simpliciter imprudentes impellant. Cum enim Inquisitoribus revelandi sint; hi vero quamvis prudenter admodum agant, tamen agant, atque ad audiendum verbum illos advocent, immo possint eos ab audiendis Confessionibus suspendere, et aliis poenis mulctare,

timendum valde est ne Sacerdos qui semel ab Inquisitoribus punitus est, bono nomine omnino privetur, atque impotens quodammodo in posterum reddatur ad bonum operandum.

Tria enim Confessario, ad quem casus eiusmodi deferuntur constare debent ut onus denunciationis ad Inquisitores deferendae poenitentibus imponat: et a *Confessario poenitentem interrogatum de nomine complicis fuisse;* et idcirco *interrogatum, quod damnatae praxi adhaerere Confessarius dignoscatur;* ob eamque causam *absolutionem poenitenti vel largitum fuisse, vel denegasse, prout hic nomen complicis vel revelavit, vel revelare noluit.*

Nisi haec tria simul constent, et unum vel alterum desit, non sunt poenitentes ad Inquisitores Sancti Officii mittendi; sed ad Episcopum talis Confessarius est denunciandus.

Unde vero haec tria Confessarius deprehendere plerumque poterit nisi ab ipso poenitente? Sedulo ergo inquirat, antequam ad revelandum Confessarii nomen compellat, an recensitae conditiones adsint; atque cum eas adesse prudenter cognoverit, tunc poenitenti denunciationis onus imponat; alias numquam. Itaque ad id dignoscendum criteria supra exposita, vel alia, prout ei prudentia suggesserit, adhibeat.

Diffiteri tamen non debemus, quod nunc temporis, cum vel nemo, vel rari admodum sint illi qui damnatae a Benedicto XIV praxi adhaereant, vel numquam vel raro admodum casus eiusmodi contingit; quod ad maiorem prudentiam in imponendo denunciationis onere Confessarios quosque inducere debet.

Id autem relate ad denunciationem ad Supremos Inquisitores deferendam scripsimus. Benedictus autem XIV quamlibet de nomine complicis interrogationem eliminare voluit; qua de causa sancivit, Confessarium quemlibet, qui imprudentia vel malitia ductus poenitentem de complicis nomine interrogaverit, ad Episcopum esse denunciandum, ad quem unice in casu animadvertere in delinquentem spectabit.

Ex praefatis insuper Constitutionibus patere compertum est, eidem denunciationi vel Inquisitoribus supremis, vel Episcopo, pro criminis qualitate, subiacere illos Confessarios, qui quamvis de expresso complicis nomine poenitentem non interrogent, tamen talia adminicula et circumstantias inquirant ad Confessionem prorsus impertinentes, ut ex iis facillime, imo certe complicem agnoscant.

Ex. gr. Sacerdos quidam in aliquam regionem pergit verbum Dei praedicaturus, vel alia de causa; libidine abreptus cum aliqua muliere peccat; haec ad Confessarium suum postea pergit, et hic audiens, illam cum viro ecclesiastico concubuisse, incipiat inquirere, an ecclesiasticus ille Sacerdos nec ne sit; an saecu-

laris vel regularis, an oppidanus vel externus, ex quo tempore in oppidum advenerit, an adhuc degat in oppido, an vero profectus sit, quantum temporis ibi moratus sit, et quando profectus, etc: quaero, nonne Confessarius iste in cognitionem complicis omnino devenit? nonne Constitutiones Apostolicas violat? et proinde nonne denunciandus Episcopo? Nemo certe in dubium revocaverit.

Quin et illud addo, quod si huiusmodi Confessarius solitus sit cum poenitentibus suis ita plerumque agere, et tales instituere interrogationes ut in cognitionem complicis deveniat, suspectus omnino censendus est vel de adhaesione ad damnatam praxim, vel de confessionis revelatione, et, meo saltem iudicio, Supremis Inquisitoribus denunciandus. Pessimus enim Sacerdos et Confessarius habendus est, qui ita Sacramentis abutatur, qui in iis administrandis ita graviter Deum offendat, et Ecclesiasticas sanctiones aspernetur; quique proinde sacrilege vivat sacrilegiis habitualiter indulgendo.

Haec insuper, ut experientia constat, contingere iis in Confessariis solent, qui in prava consuetudine cum muliere vel mulieribus versantur; quaeque ut securius peccent eisdem peccata sua in Sacramentali Confessione deferunt; quas proinde si audiant cum aliis peccasse, detegere subdolis interrogationibus complices quaerunt. Hi quapropter nedum de damnata sunt praxi denunciandi, sed etiam veluti absolventes complices, et fortasse indirecte vel directe sollicitantes. Tales enim plerumque sunt, ut Confessariis diligenter poenitentes interrogantibus patebit.

Verum contra ea quae circa denunciationem ad Episcopum deferendam scripsimus maxima difficultas exoriri potest. Etenim in Constitutione *Ubi primum* disertis verbis excipitur ab incurrenda denunciationis poena ad Inquisitores deferenda Sacerdos qui agnoscatur interrogasse poenitentem de nomine complicis, non ob adhaesionem ad damnatam praxim, vel malam credulitatem, sed ob imprudentiam quamdam. « Quod si Confessarii de » complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi » detegatur, denegantis contingat » actum eiusmodi esse, ut quamvis » imprudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, » vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto Nostro Brevi » reprobatam, tamquam ad licitam, » eumdem Confessarium suspectum » reddant: tum istiusmodi delictum » neque denunciationis oneri, neque » Sancti Officii praedicti cognitioni » subiectum erit, sed de illo cognoscere etc. ad Locorum Ordinarios » in sua cuiusque Dioecesi omnino » spectabit »:

At vero in Constitutione *Apo-*

stolici ministerii lata die 9 Decembris 1749 Benedictus XIV et eam indulgentiam in imprudentem Confessarium adhibendam revocat, mandatque, illius crimen non ad Episcopum, sed ad supremae Inquisitionis tribunal deferri.

§. 7. « Imprimis itaque, exceptis » dumtaxat personis poenitentium » in causa propria, ut supra declaratum est, quas quidem iustis ex » causis ab omni denunciationis » onere eximimus, et pro exemptis » in tali casu semper haberi decernimus, omnibus et singulis, qui » Sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem cuiuscumque » gradus et conditionis et cuiuscumque ordinis, Congregationis et » Instituti, etiam speciali et indivi- » dua mentione digni, ad hoc, ut » praesenti sanctione comprehendatur, existat, quocumque alio » modo, praeterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum » peracta, cognoverint in adminis- » strando poenitentiae Sacramento » interrogasse poenitentem de nomine complicis, eidemque indicare recusanti, absolutionem denegasse, sive id fecisse intellexerint propter adhaesionem praedictae reprobatae praxi, aliave de » causa erroneae opinionis suspicionem ingerente, sive id etiam » per imprudentiam egisse, et per » actum praefatis destitutum circumstantiis, propter quas, iuxta » praecedentem Constitutionem nostram, praedicto Inquisitionis officio esset denunciandus, et quibus deficientibus, iuxta ipsius » Constitutionis tenorem, eius delicti cognitio ad Ordinarii tribunal spectare debuisset; iniungimus » et mandamus, atque in virtute » sanctae obedientiae sub eisdem » poenis, quibus ad debitas aliorum delictorum denunciationes » adstringuntur, praecipimus et iubemus, ut huiusmodi Confessarium quocumque modo in praemissis delinquentem, saepe dicto » Sanctae Inquisitionis officio intra » consuetum praefiniti temporis » spatium omnino deferant et denuncient. »

Rationes autem, quibus ad immutandam priorem dispositionem inductus fuit, allegatae paullo superius a Benedicto fuere; scilicet. « Verum cum deinde Nobis ex parte nonnullorum ecclesiasticae pacis zelo flagrantium fuerit insinuatum, in huiusmodi methodi » executione (in decernendo scilicet » quando denunciatio esset ad Epi- » scopum vel ad Supremam Inquisitionem deferenda) novis perturbationibus procul dubio aditum apertum iri; propterea quod nemo esset » qui in casibus discrepantiae iudicium proferret; quoniam delictum idem in certis quibusdam » circumstantiis ad Tribunal Sancti » Officii, in aliis vero ad Ordinarii » iudicium deferendum fore statueramus; ac propterea demonstratum nobis fuerit quod, dempto » in aliquibus circumstantiis metu

» denunciationis eidem Inquisitio-
» nis Officio faciendae, id sane sub-
» latum dici poterat, quo maxime
» homines a patrando tam perni-
» cioso et profligato delicto retra-
» herentur. Idcirco nos etc. »

Quid igitur? Post Pianam Constitutionem obligat ne dispositio eiusmodi? aliis verbis; denunciandus ne adhuc est Sacerdos imprudens Supremae Inquisitioni, vel Episcopo tantum?

Ni fallor; dispositio Constitutionis *Apostolici Ministerii* circa Sacerdotis imprudentis denunciationem ad S. Officii inquisitores post Pianam Constitutionem neminem obstringit. In capite enim de quo agimus expresse dicitur prohiberi haec perniciosa praxis juxta Constitutiones Benedicti XIV, quae recensentur; ergo non iuxta Constitutionem *Apostolici Ministerii*, cuius citatio praetermissa fuit. In illis vero denunciatio Sacerdotis imprudentis Episcopo non Inquisitoribus S. Officii facienda praescribitur: ergo et nunc Episcopo facienda est. Legislator enim quod voluit expressit: quod non expressit noluisse censendus est.

Addendum, quod in lege odiosa versamur, quae proinde strictae interpretationi subiacet. Neque quis opponat, postremam Constitutionem esse declarationem quandam trium illarum, quae in Capite nostro citantur, eiusque consequenter tenorem obligare sicut et ceteras; Etenim id profecto negandum est; cum in Constitutione *Apostolici Ministerii* abrogetur dispositio Constitutionis *Ubi primum* iis de causis quae relatae sunt, et nova dispositio inducatur; non est igitur declaratio, sed nova lex plane a praecedenti diversa, quae proinde, ut obbligaret, erat disertis verbis a Legislatore exprimenda; quod factum non est. Ex iis vero liquet, quod cum eiusmodi lex non amplius obbliget, corruunt etiam poenae contra transgressores illatae.

Concludendum igitur, quod etiam num certa transgressio huius prohibitionis connexa cum denegatione absolutionis atque prava suspicione adhaesionis ad damnatam praxim, ad Sancti Officii Inquisitores denuncianda est; alii casus, in quibus Confessarius de imprudentia tantummodo arguendus est, vel certa transgressio legis, iuxta conditiones a Benedicto XIV appositas non deprehenditur, ad Episcopum vel loci Ordinarium sunt deferendi.

Haec vero de iis locis lectores intelligant, in quibus Supremae Inquisitionis tribunal institutum reperitur, vel ii adsunt qui Inquisitorum munus peculiariter gerunt; ni enim adsint, denunciatio ad Episcopum vel loci Ordinarium est deferenda, cum neminem lateat, Episcopos esse Inquisitores, ut ita dicam, Dioecesis naturales, quorum auctoritas nonnisi per Supremi Pontificis legem coarctari potest.

Neque difficultatem quis urgeat ex citata Constitutione *Apostolici*

Ministerii, qua denunciatio facienda solis Inquisitoribus imponitur.

Etenim 1° huius Constitutionis obligatio cessavit. 2° Eius etiam vi admissa, Benedictus loquitur de iis regnis locisque, in quibus Inquisitionis tribunal reperiebatur: quod patet ex facultate quam concedit Episcopis defendendi in eodem Inquisitorum tribunali suae Curiae iura, si crimen eiusmodi non (1) esse putarent, ut ad Inquisitores

(1) — En Constitutionis verba §. 8. « Ubi vero Sacerdos delinquens eidem Sancti » Officii tribunali denunciatus fuerit, vel etiam illius carceribus inclusus, quatenus proba- » tiones ad carcerationem sufficientes habeantur; si forte Ordinarii illius, cuius iurisdictioni » reus subiectus erit, Procurator in ipso Tribunali S. Officii *de more* interveniens eas adesse » circumstantias crediderit, ob quas delicti cognitio iuxta praecedentem Constitutionem » nostram ad Ordinarii forum spectare deberet, ac propterea institerit, se super huiusmodi » pertinentiae articulo ulterius aut fusius audiri, vel etiam scripto easdem circumstantias » et rationes exponere, suaeque Curiae iura tueri se velle declaraverit; volumus et statuimus, » ut iuxta eiusdem tribunalis consuetudinem, satis temporis illi ad scribendum assignetur, » neque interea idem tribunal ad aliam irretractabilem, multoque minus ad definitivam » sententiam adversus reum devenire possit, donec idem Procurator, intra praescriptum » sibi tempus, iura Curiae Episcopi constituentis sui, vel voce vel scripto exposuerit.

§. 9. « Quoties autem praefatus Ordinarii Procurator controversiam de pertinentia » causae proponat, eamque examinari postulet; tunc volumus, in ipso Sancti Officii tribu- » nali huiusmodi examen fieri, nec omitti posse, absque totius consequentis processus » nullitate. Simul autem omnibus et singulis tum eiusdem officii Inquisitoribus et Con- » sultoribus, tum ipsis ordinariorum Procuratoribus districte mandamus, ut deposita qua- » cumque animi affectione, aut praeoccupatione, qua erga proprium respective tribunal, » facile ferri possent, coram Deo disquirant ac videant, an reus de praefato delicto inqui- » situs illud cum eiusmodi circumstantiis patraverit, ob quas illius causa, iuxta praecedentem » Constitutionem nostram, ad Inquisitionis tribunal pertinere deberet, an vero cum aliis » quae causam ipsam ex eiusdem Constitutionis lege in Ordinarii foro iudicandam con- » stituunt.

§. 10. « Prolato demum ab Inquisitoribus iudicio super causae pertinentia, volumus » et statuimus, ut si quidem causa adiudicata fuerit Tribunali S. Officii, in huius potestate » reus permaneat, et iuxta ipsius Officii leges et regulas puniatur; si vero iudicatum » fuerit, causam ad Sancti Officii tribunal non pertinere, idem Officium, ut eius fert con- » suetudo, reum dimittat, et Procurator de reo ita dimisso certiorem faciat Ordinarium sui » constituentem, ut ea accepta notitia, adversus eumdem reum, servatis servandis iuxta » canonicas sanctiones possit procedere.»

Ex iis vero patere arbitror, utique singulis factam esse facultatem delinquentes quomodolibet Confessarios eiusmodi ad S. Officii Inquisitores denunciandi, praetermissa Episcopi Curia, ad quam deferendus erat Sacerdos reus de actu *iis circumstantiis destituto, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem.... suspectum redderent;* sed non prohibitum hos Confessarios etiam ad Episcopum denunciare: sin minus enim quomodo fieri facultas potuit Episcopis respectivis defendendi in Tribunali S. Officii propriae Curiae iura iuxta Constitutionem *Ubi primum?* Qua ratione S. Officii tribunal compelli ad reddendum reum Episcopo, si probatum semel fuerit, casum controversum eiusmodi non esse ut foret Inquisitoribus denunciandus? Ergo lex a Benedicto XIV statuta non erat lex obbligatoria, ex qua singuli fideles tenerentur, praetermisso Episcopo, ad Inquisitores S. Officii absolute Confessarios, qui quomodocumque de nomine complicis interrogare poenitentes ausi fuissent, denunciare.

Id vero confirmari posse puto ex quo, cum per subsequentem legem lex anterior abro-

S. Officii esset deferendum. His adde Sacerdotis in carceres inclusionem, e quibus non esset dimittendus, nisi antea procuratoris Episcopalis rationes fuerint auditae. Porro ni admittamus Benedictum loqui de locis, in quibus Inquisitionis tribunal fuisset constabilitum, haec causae disceptatio tunc temporis brevi spatio fieri non poterat, et Sacerdos in carceribus Inquisitionis erat fortasse longiori tempore detinendus, quam proprium crimen exigeret, si ex. gr. fuisset e Lusitania vel Hispania Romam delatus.

Neque praetermittere puto rationem quae deduci potest ex titulo Constitutionis *Apostolici Ministerii*, qui ita se habet: *Tribunali Sanctae Inquisitionis in Portugalliae et Algarbiorum regnis adiudicatur cognitio pertinentiae Causarum contra Confessarios exquirentes a Poenitentibus complicum nomina cum denegatione absolutionis.*

Porro titulus appositus solet substantiam Constitutionis exprimere.

Cum igitur ipsa Benedicti Constitutio loquatur de iis locis in quibus adest S. Officii tribunal, quaelibet denunciatio ad Episcopum facienda est, si Inquisitorum tribunal desit. Neque fideles tenerentur ad Supremos Inquisitores Romanos scribere; nulla enim ratio est, qua scribendum sit ad Inquisitores aliorum

gatur, soliti sint legumlatores eiusmodi abrogationem annunciare verbis. abrogamus, annullamus, in irritum deducimus, revocamus etc: De hac tamen abrogatione vel revocatione nullum in Constitutione citata verbum reperitur, et tantummodo praecipitur, ut quocumque modo admissum crimen ad S. Officii tribunal deferatur.

Ratio vero adducta ex parte nonnullorum ecclesiasticae pacis zelo flagrantium; scilicet et per adsertam in Constitutione *Ubi primum* methodi executionem, *novis perturbationibus procul dubio aditum apertum iri*, propterea *quod nemo esset, qui in casibus discrepantiae iudicium proferret.... et dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio faciendae, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines a patrando tam pernicioso et profligato delicto retraherentur;* haec inquam ratio quae constituit finem ob quem lata est Constitutio *Apostolici Ministerii*, nihil contra nos facit. Cum enim quilibet Confessarius sciret crimen quomodocumque admissum non ad Episcopum tantum, sed etiam ad S. Officii tribunal deferri posse, cavebat profecto ne in eiusmodi negotio neque per imprudentiam peccaret; atque si ab Episcopo vel Ordinario loci reclamatum non fuisset, quod non admodum frequenter evenire solet, cum Episcopi valde contenti sint ab eiusmodi sordibus suas lavare manus, res acta ab Inquisitoribus esset et ad complementum deducta; timor, inquam, de Inquisitoribus constans permanebat. Qua de causa si in Capite Primae Constitutionis recensita Constitutio *Apostolici Ministerii* fuisset, fideles potuissent imprudentem Sacerdotem tam ad Episcopum quam ad S. Officii tribunal etiam num denunciare; cum autem omissa sit, integra manet dispositio anterior lata in Constitutione *Ubi primum*, ut scilicet earus eiusmodi sint vel ad Episcopum vel ad Inquisitores pro qualitate criminis deferendi.

Atque, ni tamen fallor, sapienter postremam Benedicti XIV Constitutionem praetermisit Pius Papa IX, tum quia haec crimina nunc temporis rariora facta sint, tum quia nulli fortasse Confessarii reperiantur, neque in Lusitaniae et Algarbiorum regnis neque alibi, qui damnatam praxim defendant, vel illi pertinaciter adhaereant; pro crimine itaque, quod nunc temporis vel numquam vel raro admodum committitur, non erant amplius supremi Inquisitores in labores et anxietates excitandi.

regnorum: nam cum Romanus Pontifex praecipiat delinquentes Confessarios denunciare Inquisitoribus regni illius, vel dioecesis, cuius est delinquens, si inquisitores ibi desint, ad scribendum non tenentur.

Ex Benedicti Constitutionibus insuper manifestum est, Sacerdotem qui se reum huiusmodi peccati agnoscat, non teneri semetipsum denunciare, cum istud non praecipiatur, et nimis durum sit semetipsum accusare. Cum autem experientia constet, difficillime, saltem iis in locis ubi plurimi Confessarii reperiuntur, et ubi a fidelibus Poenitentiae Sacramentum frequenter suscipitur, eiusmodi peccatum manere posse secretum, hinc eiusmodi Confessario suaderem ut sponte peccatum suum ad Inquisitores vel Episcopum deferat, cum in spontanea accusatione mitissime agant cum reo.

Quod multo magis suaderem in casu solicitationis ad turpia; melius est enim peccatum suum sponte confiteri, et tantillum pudoris sponte pati, quam ad Supremae Inquisitionis tribunal coacte vocari, ad quod qui semel vocatus est, et apud fideles Sacerdotalem honorem amittit, et difficillime illum recuperat.

Attamen, cum in Sacramentali Confessione nedum peccatorum numerus sed etiam species, et circumstantiae aggravantes sint aperiendae, dari potest casus, et saepissime datur, ut quis circumstantias, vel peccati speciem inquirendo, in complicis cognitionem, vel praeter intentionem, vel etiam cum praevisione huius cognitionis deveniat. Ex. gr. si quae puella confiteatur se esse fornicatam; Confessarius vero interroget an criminis socius sit nec ne uxoratus, item an consanguineus, item an versetur in occasione proxima peccandi, an occasio sit libera vel necessaria etc, ex quibus criminis socium detegat.

Haec, inquam, inquirendo, Confessarius munere suo fungitur, et nullimode contra relatas Benedicti Constitutiones peccat, nullique poenae subiacet.

Neque pariter peccat, si dum peccati speciem et circumstantias necessarias inquirit, ultro poenitens sponte sua complicis nomen aperiat, qui casus non raro contingit, praesertim in rudibus; crimen enim a Confessario dimanare debet, ut poenae incurrantur, non a poenitente, neque praeter illius intentionem, vel per accidens, dum scilicet munere suo fungitur.

Quibus addo, iuxta Doctorum omnium sententiam, posse a Confessario poenitentem compelli ad revelandum complicem illis ad quos pertinet, si agatur de gravibus malis inferendis alicui Societati vel Reipublicae, vel etiam alicui personae privatae, nec sit in poenitentis potestate ea impedire nisi complicem revelando. Quisquis enim tenetur gravia mala Reipublicae aut proximi impedire; quae si aliter

impediri nequeant nisi complicum revelatione, ad id poenitens tenetur.

Ordinario tamen non expedit ut Confessarius in se onus suscipiat complices corripiendi, monendi etc. sed si a poenitente gravibus de causis id fieri nequeat, neque ab ipso possint ex. gr. suprema potestas vel alii ad quos pertinet moneri de malis imminentibus, tunc Confessarius poenitenti iniungat, ut de eo negotio extra Confessionem sibi loquatur; atque hoc pacto remedium malis apponat (1).

Duplex igitur personarum classis proprie et per se excommunicatione per citatas Constitutiones plectitur.

1° Qui ausi fuerint docere vel defendere tanquam licitam damnatam inquirendi complicis nomen praxim, et hoc independenter a facto inquisitionis in actu Sacramentalis confessionis.

2° Qui in Sacramento Poenitentiae administrando a poenitentibus nomen complicis exquirant, et revelare renuentibus absolutionem denegent.

Utrumque enim ad excommunicationem incurrendam necessarium est; neque unum sufficit.

Verum circa denunciationis onus quisque videt, hoc fideles obstringi tantum in casu, quo de complicis nomine, iuxta praemissa, in actu Sacramentalis confessionis interrogarentur, non vero si extra et nullo habito ad Sacramentalem confessionem respectu, ex. gr. Si quis alicui Sacerdoti amico, sive consilii, sive auxilii etc petendi gratia turpitudinem suam revelaret; hic vero complicis nomen exquireret; cum enim casus sit plane diversus, et nullimode exinde timenda sint mala illa in Sacramentalis Confessionis detrimentum, quae Benedictus XIV detestatur, obligatio denunciationis haberi non potest.

(1) Putamus tamen Doctoris S. Alphonsi verba ad rei declarationem subiicere.

« Nulli dubium, inquit *Lib. VI. Tract. IV. n. 492.*, quod aliquando tenetur poenitens » complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum; sed spectata tam rigo- » rosa, ut vidimus, Pontificis prohibitione, ad finem vitandi proximi infamiam, Sacramenti » iniuriam, sigilli violationem, scandalum etc., prout exprimitur in Bulla, non est licitum » confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde casu quo » poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit confessarius poenitenti im- » ponere in genere, ut complicem revelet alicui, qui scandalum possit impedire, sed num- » quam licebit Confessario dicere: *revela mihi.* Si vero poenitens ex se, et sponte sua ro- » garet Confessarium, ut complicem corrigeret, tunc Confessario multa prudentia opus est, » nam ordinarie loquendo non expedit ut se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum » incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra Confessionem, » non extra; et ex alia parte Confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine » periculo scandali et offensionis Sacri Ministerii. »

Haec vero relate ad prudentiam a Confessario adhibendam a S. Doctore proferuntur. Cum enim poenitens ad revelandos complices tenetur, nulla excommunicatio a Confessario incurritur, si cum non possit poenitens mala gravissima impedire, det Confessario licentiam illos ad quos pertinet monendi. Non enim sunt isti casus qui a Benedicto prohibentur.

Contrarium vero affirmandum esset, si ex. gr. quis sciat vel a tali Confessio doceri et defendi praxim reprobatam, vel poenitentem aliquem ab eo fuisse de complicis nomine interrogatum; tenetur enim, ad denunciationem. Quomodo enim, etiam praetermissa Benedicti Sanctione, Episcopi vel Inquisitores in notitiam delinquentium venire possent, nisi sint qui denuntient ?

Si quis igitur in actu Sacramentalis Confessionis de complicis nomine interrogatur, ad Confessarium denunciandum tenetur iuxta terminum a Supremis Inquisitoribus praefixum, qui in singulis regnis non est idem. In edicto Romanae Inquisitionis anni 1677 praefigitur terminus dierum triginta: qui terminus servandus certe erat saltem pro universo Statu Pontificio; nam in aliqua alia Italiae Provincia assignabatur terminus duodecim dierum, ut patet ex edicto generali S. Officii edito Cremonae anno 1639. In Hispania vero praefigebatur terminus sex dierum.

Cum vero in Benedicti Constitutionibus ad denunciationis adimplementum generice dicatur observandus terminus in edictis S. Officii praefigi solitus; a singulis Confessariis praescribendus est sub illatis poenis dierum numerus qui in edictis suae Dioecesis praestituitur.

Ex relatarum demum Constitutionum lectione quisque intelligit eximi a denunciationis onere tum Confessarium qui crimen Sacerdotis ex confessione agnoscat; tum poenitentem ipsum in causa propria, cum scilicet ipse est qui cum complice revelando peccavit (1).

(1) Meminerint hic lectores in Piana Constitutione eos omnes excommunicari *quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit.*

Atqui circa praesentem articulum sunt duae a Patribus Tridentinis sub anathematis poena nemini reservati propositiones proscriptae, quas recensere debemus.

Prima illorum est, qui asserere non verentur, existenti in mortali peccato non esse necessariam Confessionem Sacramentalem si Eucharistiam recipere velit.

« Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum: an. sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existimet, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Sess. XIII. de Eucharistia. Can. XI. »

Altera eorum est, qui affirmare non dubitant, matrimonia clandestina inita ante vel post Concilium Tridentinum iis in locis ubi Concilii Decretum publicatum non est, vel contracta sine consensu parentum, esse irrita; a parentibus insuper ea posse rata vel irrita fieri.

« Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu paren-

APPENDIX XVII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA INIICIENTES, SUADENTE DIABOLO, VIOLENTAS MANUS IN CLERICOS, VEL UTRIUSQUE SEXUS MONACHOS.

Caput secundum huius excommunicationum Classis complectitur celeberrimum illud Clericorum privilegium, quod *Canonis* appellatur, de quo tot latae sunt in antiquo iure declarationes, ut tot fortasse de nullo alio Capite latae sint.

Pius Papa Nonus in Constitutione quam expendimus, ita illud expressit:

» Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel » utriusque sexus monachos; excepti quoad reservationem casibus » et personis, de quibus iure vel » privilegio permittitur, ut Episcopus vel alius absolvat. »

Porro articulus iste desumptus est ex Canone Concilii Lateranensis secundi general. X. sub Innocentio II. an. 1139 celebrati, qui ita legitur.

« Si quis, suadente diabolo, in » Clericum vel Monachum violentas » manus iniecerit, anathemati subiaceat; et nullus Episcoporum illum » praesumat absolvere, nisi mortis » urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur, et » eius mandatum suscipiat. »

Instituta utriusque Capitis collatione, intelligimus, Pium IX Lateranensem Canonem declarare voluisse quoad alteram partem. Cum enim in eo omnes prohiberentur ab eiusmodi excommunicatione absolvere, eaque uni Romano Pontifici esset reservaretur si eadem ratione ac in Concilio Lateranensi habetur, relatus a Pio Papa IX in sua Constitutione fuisset, merito quis suspicari potuisset, ab ipso revocatas esse illas absolvendi concessiones, quae sive iure, sive privilegio antiquitus Episcopis et locorum Ordinariis factae fuerant.

Atqui post Pianam declarationem neutiquam de hac re dubitare debemus; cum Episcopis et locorum

» tum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Sess. XXIV. De » reform. Matrim. Cap. 1. in principio. »

Qui haec igitur docere, praedicare vel asserere ausi fuerint excommunicatione nemini reservata multantur.

Ordinariis etiam nunc integra potestas servetur absolvendi ab eiusmodi excommunicatione illis ipsis in casibus, in quibus antea absolvere poterant.

Ne Lectoribus in explanatione huius Capitis confusio ingeratur, animadvertant, illud plane esse distinctum a Capite V huius Constitutionis, quo excommunicatione mulctantur omnes interficientes, mutilantes, percutientes S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos etc. tum quia et in antiquo iure haec duo capita distincta erant, tum quia et in praesenti Constitutione distincta sunt, tum quia in Capite V agitur de supremis in Ecclesia dignitatibus et potestatibus, in praesenti vero articulo de inferioribus clericis, tum quia excommunicatio lata in articulo V. est specialiter Romano Pontifici reservata, lata in hoc articulo secundo simpliciter.

At quantum ad censurae extensionem; quae fertur in praesenti Capite, latior ea est quae fertur in Capite V. Cum enim in eo actiones proscriptae numerentur, si contingat in aliquem Cardinalem, Patriarcham, Episcopum etc, tale quid committi quod sub capitis verbis non comprehendatur, nullo pacto reus dici potest incurrisse excommunicationem speciali modo reservatam, sed simpliciter.

Ut res exemplo declaretur. In Capite V excommunicatione feriuntur tantummodo *interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, hostiliter insequentes, eiicientes.* Si igitur quis in Cardinalem vel Episcopum aut Nuntium lutum, aut sputa immittat, cum hae actiones minime recenseantur, delinquens specialissimam illam excommunicationem Capitis V non incurret, sed illam quae habetur in Capite II; quia Cardinales et Episcopi sunt etiam Clerici. E contra si quis interficiat, vel mutilet vel capiat inferiorem Clericum, vel in eum lutum et sputa coniiciat vel aliquid aliud committat, quod in hoc Capite secundo prohibitum iure merito censetur, excommunicatione simpliciter Romano Pontifici reservata ferietur. Latior proinde excommunicatio haec prae illa Capitis quinti est, seu maiorem personarum numerum complectitur; cum in illo nulla actio in utroque Capite prohibita excommunicationem vel speciali modo vel simpliciter reservatam evadit, in hoc utique.

Hisce praemissis quaerenda iam plurima veniunt, quae maxime ad praxim spectare dignoscuntur. Quaerimus ergo?

1.° Qui nomine *iniicientes* veniant?

2.° Quousque se extendant verba: *violentas manus*?

3.° Quousque illa alia: *in clericos vel utriusque sexus monachos?*

4.° Quaenam huius censurae limitationes, seu quandonam non incurratur, etiamsi quis Clericum vel monachum percutiat?

3.° Quibus in casibus hanc censuram absolvere possit Episcopus vel loci Ordinarius? seu quandonam iure vel privilegio etiam num ab aliis quam a Romano Pontifice illa possit absolvi.

Et relate ad primum quaestionis caput, *iniicientium* nomine comprehenduntur omnes et singuli utriusque sexus fideles quavis auctoritate fulgentes, si diabolo suadente, violentas manus in monachum vel clericum iniiecerint. In textu enim adhibetur vox *iniicientes*, quae universalis est, omnesque comprehendit; vox illa insuper exprimit pronomen *si quis* Lateranensis Canonis, quod pariter universale est, nullamque excipit personam. Adde usum et traditionem significationis vocabuli ipsius.

Excommunicationem istam quapropter incurrunt etiam pueri et in minori aetate constituti, modo perfectum rationis usum adepti fuerint, ut colligitur ex Cap. *Pueris* de sentent. *excommunicationis in 6* (1); tum ii qui defunctum clericum iniuriose percuterent; tum Clerici ad invicem sese percutientes, vel alios clericos aut monachos. Ab hac vero excommunicatione incurrenda nullimode excusaret ratio quod Clericus illam promeritus sit iniuriam, quia Clerico delinquenti ab ecclesiastico iudice poena est irroganda; sed neque quod Clericus in sui percussionem consensum praestiterit; privilegium enim Canonis concessum fuit non in favorem alicuius privati hominis, sed totius status Clericalis, cui proinde nullus Clericus renuntiare potest.

Verum dum ante Pianam Constitutionem nullum dubium circa illorum excommunicationem, qui aliquo pacto hunc canonem violassent fortasse exoriri amplius poterat, amplissima enim erat traditio et declaratio Canonis *si quis suadente;* post illam gravissima exurgit quaestio, quam facile dirimere non est concessum, cum et Commentatores inter se discrepent, et utriusque partis argumenta nec futilia nec spernenda videantur, atque, ut sincere nostram sententiam proferamus, sine Apostolicae Sedis iudicio dirimenda non est.

Quaestionem primum proponemus, deinde utriusque partis argumenta, demum nonnullas ad argumenta observationes.

Norunt omnes, ante Pianam Constitutionem excommunicationem hanc incurrisse nedum violentas manus iniicientes sed etiam mandantes ex Cap. *Mulieres* de sent. excom. in 6, in quo dicitur: « Illi » vero qui non per seipsos, sed » eorum auctoritate vel mandato » alii iniiciunt manus in Clericos,

(1) Pueris qui in canonem inciderunt Sententiae promulgatae, sive ante sive post pubertatem postulent absolvi potest Dioecesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri; cum propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

» ad sedem Apostolicam sunt mit-
» tendi, cum is committat vere, cu-
» ius auctoritate vel mandato deli-
» ctum committi probatur. »

Atque idipsum dicendum de illis erat, qui eiusmodi iniuriosas actiones quidem non mandabant; suo tamen nomine, vel intuitu, vel gratia factas signo aliquo externo, non mere interno, ratas habebant. In Cap. (*si quis 23*) id declaratum reperitur.

« Cum quis absque tuo mandato
» manus iniicit in Clericum tuo
» nomine violentas; si hoc ratum
» habueris excommunicationem la-
» tam a canone incunctanter incur-
» ris, cum ratihabitio retrahatur, et
» mandato debet comparari. Si vero
» iniectio eadem tuo nomine non
» fuit facta, tunc licet pecces
» ratihabendo eamdem, non tamen
» propterea excommunicationis ul-
» lius vinculo innodaris, cum quis
» ratum habere nequeat, quod eius
» nomine non est gestum. »

Hanc eamdem demum excommunicationem et illi incurrebant, qui auxilium, consilium, favorem praebuerant, ut patet ex Clement. 1 *de poenis,* ubi inter alios huius violentae iniectionis et excommunicationis reos numeratur etiam is, qui iniuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel haec mandavit fieri, « vel facta ab aliis rata habue-
» rit, (intellige tamen si suo nomine
» facta fuerint) vel socius in his
» fuerit facientis, aut consilium in
» his dederit aut favorem. »

Quin immo ex Cap. *Quantae 47* de sent. excomm. in 6 et illi hanc excommunicationem incurrebant, qui, cum possent, Clerici percussionem non prohibebant: « Eos de-
» linquentibus favere interpreta-
» mur, (et consequenter excom-
» municationem incurrere) qui cum
» possint, manifesto facinori desi-
» nunt obviare. »

Quaestio igitur in eo versatur, an mandantes, consulentes, ratihabentes etc. comprehendantur etiamnum in hoc secundo Capite Pianae Constitutionis, vel exclusi censendi sint.

Et quidem Commentatores hinc inde inter se discrepare in sententia reperiuntur.

Clarissimus Avanzini, qui coeteris Commentatoribus praeivit, in Commentario quod vulgo editio Manualis appellatur an. 1872. pag. 86. proposita sibi quaestione: an etiam mandantes etc. in Capite praesenti comprehendantur, respondet:

« Puto omnes enumeratos casus
» comprehendi; namque ubi est
» eadem lex, et eadem ratio legis,
» ibi eadem esse debet interpre-
» tatio. Etiam sub verbis citati Ca-
» nonis, *Si quis,* stricto sensu ac-
» ceptis non omnes enumerati casus
» comprehendebantur; et tamen
» Romani Pontifices eos compre-
» henderunt. Ratio autem quae tradi
» solet, cur haec poena intellecta
» fuerit in omnes cooperatores ex-
» tensa, quaecumque fuerint perso-
» nae percussae, dummodo eccle-

» siasticae Hierarchiae se mancipa-
» verint, aut nomen dederint reli-
» gioso Instituto, quo Deo perpe-
» tuo sacrarentur, est, quia agitur
» de re Ecclesiae favorabili, id est
» de immunitate personarum Eccle-
» siae, de privilegio ordinis cleri-
» calis; sed haec quamquam sit
» aliqua ratio, non est tamen adae-
» quata; namque repeti posset de
» omni censura ob Ecclesiae immu-
» nitatem illata, quod verum sem-
» per non esset.

« Ratio adaequata Canonis, *Si* » *quis suadente,* haec esse videtur.
» Semper in catholica Ecclesia uti
» gravissimum sacrilegium conside-
» rata est impia vis in personas Deo
» dicatas illata: gravis autem cen-
» sura adiecta est non tantum ad
» arcenda eiusmodi sacrilegia; sed
» quia censura consentanea et cohae-
» rens videbatur gravissimo sacri-
» legio a fidelibus horrore quodam
» semper reprobato; ideoque quan-
» tum pateret et protenderetur sa-
» crilegii reatus ex vi illata, tan-
» tum patere et protendi intelli-
» genda erat censura.

« Quare hac in re non valet
» principium: legislator quod ex-
» pressit voluit, quod non expres-
» sit noluisse censetur; sed articu-
» lus intelligendus est iuxta Cano-
» nis, ex quo desumptus est, tradi-
» tionem.

« Articulus Constitutionis, de
» quo agimus est expressio dicti
» Canonis, ipsis fere verbis facta;
» censura reservata est Romano
» Pontifici, servatis tamen limitatio-
» nibus iure vel privilegio permis-
» sis; quibus satis indicatur, eius
» articuli interpretationem eamdem
» esse, quae in iure iam facta repe-
» ritur... »

Nemo diffitebitur, allatas a clarissimo Avanzinio rationes gravissimas esse; eas quapropter auctores Commentarii Patavini anni 1875 prae ceteris summopere probarunt, alias addiderunt, et contraria argumenta refellere conati sunt. Eas referre tum in auctorum laudem, tum ad rei veritatatem melius assequendam putamus.

Commentarii itaque Parte II. pag. 146, n.° 205 proposita quaestione:

An censura huius Articuli ad omnes personas extendi debeat, ad quas hactenus extendi consuevit

Respondent: « censura huius
» Articuli sine ulla dubitatione ex-
» tendenda est ad omnes personas,
» ad quas hactenus extendi consue-
» vit. Et sic probo. Nova censura
» quatenus concordet cum antiquo
» canone, ex eodem canone vim
» suam totam, ac simul totam eius-
» dem authenticam interpretationem
» accipere debet. Atqui praesens
» censura plenissime concordat cum
» Canone Lateranensi. Ergo etiam
» nunc tota integra Lateranensis
» censura, ac simul tota eiusdem
» authentica interpretatio vigere
» debet, atque idcirco personae
» omnes quae hactenus obnoxiae
» erant Censurae Canonis, sine ulla

» exceptione censurae nostri Arti-
» culi subiiciuntur. »

Quoniam vero censurae lateranensis canonis obnoxii erant nedum percutientes cuiuscumque gradus, status, conditionis, sexus etc., sed *Mandantes, Instigantes, Consulentes, Sollicitantes, Auxiliantes, Faventes, Adsistentes percussioni; item ratihabentes percussionem suo nomine factam, denique* non impedientes *si ex officio aut ex iustitia impedire tenerentur;* exinde concludunt Rmi Auctores « omnes ac » singulas enumeratas personas nunc » quoque subiiciendas esse excom- » municationi articuli II simplici » modo Romano Pontifici reservatae; » propterea quia, licet omnes ac » singulae sub stricta verborum si- » gnificatione contineri non videan- » tur, continentur tamen vi authen- » ticae interpretationis, quae singu- » lis Articuli verbis revera maximam » extensionem monet esse attri- » buendam. » pag. 147.

Atque allegato in suam sententiam egregii Avanzinii iudicio, Commentatorum Reatini et Nolani contrarium statuentium rationes ea qua par est reverentia, refellunt; atque quominus cum iisdem non conveniant rationes addunt.

« Prohibet enim, inquiunt huius » articuli Commentatores, cum ma- » teriae, de qua agitur indoles; » nam tota favorabilis est, atque » idcirco in dubio, amplae interpre- » tationi subiicienda; ampla autem » interpretatio est quae favet magis » coetui clericorum, prout est certe » quae mandantes, consentientes, » faventes, ratihabentes, et non im- » pedientes sub nomine percusso- » rum complectitur.

» Prohibet vero imprimis ipsa » Pontificis Pii IX expressa decla- » ratio. Ipse enim in Prologo novae » suae Constitutionis, non solum » sanxit, ut in posterum non aliae » censurae latae sententiae robur » essent habiturae, quam quae in- » sertae sunt in eadem Constitutione; » sed etiam decrevit unamquamque » censuram e veteri canone confir- » matam et cum eo prorsus concor- » cordantem, ex eodem veteri ca- » none vim suam prorsus accipere » debere. Iam vero in nostro Ar- » ticulo II Canon Lateranensis, » ne uno quidem mutato verbo, » renovatur et confirmatur. Ergo » eamdem prorsus interpretationem » postulat, perinde ac si nova Con- » stitutio edita non esset. Quamob- » rem omnes et singulae personae, » quas accurate superius recensui- » mus, quo iure ex authentica in- » terpretatione obnoxiae excommu- » nicationi erant, eodem plane etiam » in posterum obnoxiae erunt ». Pag. 147-8

Praetermittimus praestantissimum Redactorem Ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique,* qui, postquam Anno 6. n. 2. pag. 119 rationes collegerit, ut ab eiusmodi censura mandantes et cooperantes excluderet, assentitur tamen doctissimo Avanzinio, cuius verba excribit.

E contra tamen res videtur tum eruditissimo Auctori Commentarii Reatini, cui adstipulatur etiam clarissimus P. Ballerini e Societate Iesu, tum Rmo Formisano Nolanae Ecclesiae Episcopo.

Reatinus, auctor laconice iuxta morem, ita disserit: « An huic excommunicationi sunt obnoxii, ut » veteri iure, et is qui mandavit et » qui ratum habuit?

» Non puto, tum quia heic, ut » alias, verba propria et stricta significatione accipienda sunt, tum » quia quando Legislator hos teneri » voluit, eos nominatim recensuit. » Pag. 50.

Huic assentitur cl. Ballerini in notis ad Theologiam Moralem Patris Gury Vol. 2. pag. 992. Not. 6. Edit. 1876 prudentius inquiens: « Immo, ut videri merito potest, » nec mandantes, aut ratum habentes quippe lex, quae alios expresit (V. N. V. inter excom. speciali modo reservat.), hosce hic » praeterit. »

Rmus vero Formisanus ita ratiocinia instituit. « Et huic censurae » subiici tantummodo percutientes » videntur, non autem mandantes, » ratum habentes, et non impedientes.

» Etenim in Constitutione *Apostolicae Sedis* expresse dicuntur » in posterum vigorem non habiturae nisi censurae quae in citata » Constitutione insertae reperiuntur, et eo modo quo insertae sunt. » Iam vero Romanus Pontifex cum » locutus est de censura speciali » modo reservata, nominatim recensuit *mandantes, rata habentes, seu* » *praestantes in eis auxilium, consilium, favorem;* dum vero locutus est de excommunicatione » simpliciter reservata, nullam mentionem de mandantibus, auxilium » atque favorem etc. praestantibus, » habuit; ergo hos excommunicatos » noluit » (1).

Utriusque partis argumenta in compendium redigentes, manifestum est eos, qui affirmant, etiam mandantes, auxilium atque favorem praebentes sub eiusmodi censura comprehendi, his niti rationibus.

1. Caput *Violentas* Constitutionis *Apostolicae Sedis* apprime respondere Can. *Si quis suadente diabolo* Concilii Lateranensis; ideoque eam-

(1) Ed in questa censura in tal modo riservata pare, che cada soltanto chi percuote il chierico, ma non già chi comanda la percussione, chi l'approva e chi non la impedisce. Invero nella costituzione *Apostolicae Sedis* espressamente è detto, che d'indi in poi non debbano aver vigore, se non quelle sole censure inserite nella lodata Costituzione, e nel modo come sono state inserite; ora il Papa quando ha parlato della scommunica riservata in modo speciale, ha espressamente fatto menzione del mandante, di chi approva, o presta consiglio, favore od aiuto a commettere le nominate azioni; quando poi ha parlato della scommunica riservata in modo generale non ha fatto menzione nè di chi comanda, nè di chi approva, nè di chi presta aiuto, consiglio, o favore; dunque non ha inteso d'includere nel caso tali persone.

dem latitudinem et interpretationem habere.

2. Idque tanto magis quod Pius Papa IX sanciverit, excommunicationes a se latas robur esse habituras tum ex veteribus Canonibus, ex quibus desumptae sunt, tum ex Apostolica sua auctoritate. « Decernimus ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. »

Ex quibus concludunt, Articulum secundum nostrae Constitutionis eamdem prorsus interpretationem postulare ac Lateranensem Canonem, perinde ac si nova Constitutio edita non esset.

3. Indolem vero ac materiam utriusque Capitis totam favorabilem esse; atque idcirco in dubio amplae interpretationi subiiciendam; comprehendere quapropter etiam mandantes, consentientes, faventes, ratihabentes, et non impedientes.

At pars adversa ad contrariam illationem devenit hisce nixa argumentis.

1. Verba legis propria et stricta significatione accipienda sunt: at in propria et stricta significatione mandantes, faventes. etc. non includunt.

2. Legislator cum mandantes et auxiliantes subiectos voluit excommunicationi, illos nominatim recensuit; atqui in praesenti Capite id non praestitit.

3. Pius Papa IX expresse in Prologo sancivit, excommunicationes in sua Constitutione insertas in posterum robur habituras eo modo quo insertae sunt. Cum itaque hoc in Capite non inseruerit mandantes et auxiliantes etc., hi ab excommunicatione sunt excludendi.

Absit ut sententiam dicamus. Quid autem sentiamus, quidque in praxi agi possit, libere exponemus.

Itaque de valore argumentorum ab utraque parte adductorum agentes, firmiora nobis ea videntur quae adducuntur ab iis qui ab eiusmodi excommunicatione *mandantes* et *faventes etc.* excludunt, prae iis quae adducuntur ab affirmantibus.

Atque in primis, nullius roboris esse putamus argumentum deductum ex concordia Capitis II. huius Constitutionis cum Capite *Si quis* Concilii Lateranensis, etiam eiusmodi concordia tantisper concessa. Ipsi enim fatentur, mandantes, faventes etc. stricta verborum significatione non contineri sub Canone *Si quis*; contineri autem vi authenticae interpretationis, quae singulis Articuli verbis maximam revera extensionem monet esse attribuen-

dam. Decertare ergo videntur non ipsis Canonis verbis, sed authentica Canonis interpretatione.

Sed nonne quaestio est: an in Capite *Violentas manus* a Pio Papa IX confirmata etiam sit integra Canonis *Si quis* traditio? nonne quaestio est: an etiam post Pianam Constitutionem Canon *Si quis* tantum extendatur, quantum extendebatur in veteri iure? Quomodo igitur urgere argumentum poterunt, quin illico supponant quod in quaestione versatur? Ab excludentibus quapropter iure negabitur maior syllogismi propositio, quousque ab adversariis non probetur.

At certum est nullimode ab ipsis probari; et nos nescimus qua ratione probari possit. Quod enim dicant, inter veterem Canonem, et Caput II Constitutionis Apostolicae Sedis adesse perfectam identitatem, ideoque et adesse debere eandem et identicam interpretationem, rem dicunt quae eadem responsione refellitur, cum semper probandum ab ipsis sit, post Pianam Constitutionem Caput *Si quis* eamdem extensionem habere.

Quod si Canonum identitate, nullo ad traditionem habito respectu, decertare velint, nonne argumenti retorsione elidentur? Nam: ubi sunt iidem canones ibi debet esse identica interpretatio. Atqui, ipsis fatentibus, sub Canone *Si quis*, stricta verborum significatione, *mandantes, faventes, ratihabentes* non comprehendebantur: quomodo ergo comprehendi poterunt sub Capite *violentas manus*?

Neque quidquam adiumenti sibi comparabunt ex illo axiomate a praestantissimo Avanzinio adducto: ***Ubi est eadem lex, et eadem ratio legis, ibi eadem esse debet interpretatio.***

Nam quid demum dicit eiusmodi effatum? Utrumque scilicet Canonem identicum esse, eadem de causa esse latum, ideoque eidem interpretationi subiiciendum. Quod nemo negaverit.

Verum ex hoc sequetur tantummodo, interpretationem utriusque Canonis illam esse quam habent ex vi indita verborum, quibus constant, non autem eam quam habent vi traditionis et declarationum. Si enim hoc dicas de veteri Canone *Si quis*, iam supponis quod in quaestione versatur; si de recentissimo Piano, falleris, cum nullam adhuc de eo authenticam interpretationem habeamus.

Ex utriusque legis quapropter identitate aut ad nullam conclusionem devenitur, aut ad oppositam; mandantes scilicet, faventes etc. sub Canone non comprehendi, quia stricto verborum sensu neque in veteri Canone comprehendebantur, neque comprehenduntur in novo.

Quid autem de ratione legis; quod, scilicet, in catholica Ecclesia semper uti gravissimum sacrilegium considerata sit impia vis in personas Deo dicatas illata?

Haec ratio considerari potest *in facto* et *in se*. Et in facto quidem non negamus, in veteri iure excommunicationem eiusmodi extensam fuisse etiam ad *mandantes, faventes, ratihabentes* etc. Sed ex hoc nihil; nam ex quo in veteri iure etiam praedicti excommunicationi fuerint subiecti, sequitur ne eidem et in novo iure esse subiiciendos? Norunt contradicentes, in hoc quaestionis statum versari.

Si autem *in se* allatam rationem consideremus; ex hoc quod violentia Clericis vel Monachis illata considerata semper in Ecclesia fuerit uti gravissimum sacrilegium, inferri ne legitime potest: ergo excommunicationi contra eiusmodi sacrilegos lata subiiciendi sunt etiam mandantes et faventes? Peritiores in logica sententiam dicant.

Nos id solum affirmabimus, quod si sequeretur illatio, in quot aliis casibus et sacrilegiis, quae semper Ecclesia summo horrore detestata est, et excommunicatione mulctavit, idipsum inferri posset? Et fortasse in aliquo etiam Capite huius Pianae Constitutionis.

Addimus, rationem utique normam intelligendae legis praebere, non autem esse unicam, multo minus supremam.

Capitalis est enim illa quae dicit: *a sensu verborum, quibus lex concepta est, non esse recedendum*; et: *legem, praesertim odiosam, non esse extendendam ultra quam naturalis verborum sensus patitur*. Et: *legislator quod voluit expressit; quod non expressit noluisse censendus est.*

In quot aliis legibus, ne dicamus omnibus, *mandantes, faventes, auxiliantes, executores* etc. comprehenduntur sub eadem ratione legis, et tamen eidem poenae non subiacent? Quare?

Quia ratio legis, quaecumque ea demum sit, subest menti et voluntati legislatoris; quia mens et voluntas legislatoris primum et ordinario ex verbis, quibus legem promulgat, patet, non autem ex ratione, qua impulsus fuit ad legem ferendam.

Ex iis vero etiam patere arbitramur, gratis affirmari, hac in re non valere principium: Legislator quod voluit expressit; quod non expressit noluisse censendus est; sed articulum intelligendum esse iuxta Canonis, ex quo desumptus est, traditionem; nullo enim pacto intelligitur, quo argumento innixi id affirment.

Ea enim quae dicunt, sub verbis Canonis *Si quis* stricto sensu acceptis, mandantes, faventes etc. non comprehendi, et tamen a Romanis Pontificibus comprehensos fuisse, nil ponderis habere videntur. Nam ex quo Romani Pontifices sub praedicto Canone illos comprehendere voluerint, sequitur ne, Pium Papam IX illos sub Capite *Violentas manus* comprehendere voluisse? Non sequitur.

Interea illud observamus, mandantes faventes etc. comprehensos

sub Canone Lateranensi fuisse, ob peculiares Romanorum Pontificum decisiones, ut legentibus hac super re varias illorum responsiones patebit, non vero ob verba Canonis illius presse sumpta. Si autem antiquiores ad sibi certitudinem comparandam, an mandantes etc. revera comprehenderentur sub Canone *Si quis* necessarium putarunt Romani Pontificis sententiam exquirere, quare nos idipsum facere necessarium non putabimus? Dicturi ne erunt: eo quod id iam definierunt atque declararunt quoad Canonem *Si quis*?

Sed declararunt ne vel id definierunt quoad Caput *Violentas manus*? Dixerunt ne saltem, Caput hoc intelligendum esse iuxta traditionem Canonis *Si quis*? Minime. Et tamen hic est, ut iterum dicamus, quaestionis cardo et status.

Ex relatione igitur, similitudine et ratione utriusque Capitis vel nullum, vel valde infirmum argumentum exurgit ad probandum, mandantes etc. sub eiusmodi censura comprehendi.

Neque Romani Pontifices insuper, neque ulla e Romanis Congregationibus eos comprehendi declararunt: quomodo ergo affirmari potest, Censuram huius Articuli *sine ulla dubitatione* extendendam esse ad omnes personas, ad quas hactenus extendi consuevit?

Quid? quod nobis videatur, adeo necessarium esse de re Romanum Pontificem interrogare, ut si ex solo capite quaestionem dirimere velimus, mandantes, favontes etc. ab eiusmodi excommunicatione sint fere excludendi?

Manifestum est enim, in renovatione vel confirmatione alicuius legis, vel canonis antiqui tum praesertim locum et vim maximam habere legumperitorum effatum: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est;* cum evidenter constet, Legislatori perspectam fuisse legem vel canonem atque illorum traditionem, interpretationem et usum; de Canone vel antiqua lege aliquid recensuisse in nova lege vel canone, aliquid vero praetermisisse. Hoc enim in casu nulla ratio afferri potest qua ad contrarium dicendum feramur. Legislatori enim omnia perspecta erant; universa legis traditio sub eius oculis versabatur, ex quo sive ignorantia, sive oblivio excluditur; hoc tamen recensuit et renovavit, illud vero praetermisit; ergo vere et proprie, *quod voluit expressit, quod non expressit, noluit:* At si praesentem quaestionem ex allegato principio diiudicemus, iam actum de causa videbitur.

Quod enim Legislatori universa Canonis *Si quis* traditio perspecta fuerit, praeterquam quod id supponendum est, evidentissime patet ex altera parte Capitis *Violentas manus*, in qua, quoad reservationem excipit *casus et personas, de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus vel alius absolvat.* In capite autem *Si quis* habebatur: *Et*

nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat; habebatur scilicet opposita dispositio; et Caput Pianae Constitutionis non recensuit hac in parte Caput *Si quis*, sed recensuit et renovavit traditionem qua Caput et intelligebatur, et deducebatur in usum.

Quare ergo Romanus Pontifex Pius IX hanc traditionis partem recensuit, alteram vero praetermisit? illam renovavit, hanc silentio praeteriit? Norunt enim omnes, mandantes et cooperantes in veteri iure excommunicationi non tam vi Capitis fuisse subiectos, quam vi declarationum quas Romani Pontifices in Caput tulerunt.

Ex iis insuper patet, imprudenter saltem affirmari, vel adesse perfectam aequalitatem inter utrumque Canonem, vel Canonem *Si quis* in Piana Constitutione renovari et confirmari *ne uno quidem mutato verbo.* Siquidem altera pars Capitis *Violentas manus* ex integro diversa est ab altera parte Capitis *Si quis.*

Utique pars prior identica est in utroque canone; sed cum mandantes et cooperantes stricto verborum sensu in veteri non comprehenderentur, comprehenderentur autem traditione, erant certo certius in novo exprimendi, ne dubiis et anxietatibus abriperemur: quod factum non fuit.

Haec sed vero praetermissio contra relatae sententiae defensores maximum pondus habere dignoscitur. Nonne enim Legislator cum in nova Constitutione mandantes, faventes excommunicationi subiectos voluit, eos nominatim recensuit? Ita profecto egit Capitibus I. IV. V. VI. XII. excommunicationum primae Classis. Quare igitur in praesenti capite praetermisit? Nonne si praetermisisset in aliis Capitibus, fuissent omnino ab excommunicatione excludendi? Qua ergo de causa illos excommunicationi praesenti subiiciemus?

Atque animadvertendum est, in vero sensu legis alicuius assequendo firmissimum esse principium, oportere dignoscere tum Legislatoris intentionem, tum finem latae legis, tum rationem loquendi a Legislatore adhibitam; et hanc praesertim, cum de Legislatoris intentione non constet. Finis vero latae a Pio Papa IX Constitutionis fuit limitatio excommunicationum latae sententiae; intentio in ferendo et renovando Canone praesenti, fuit consulere immunitati et libertati Clericorum. At ex intentione et fine nihil pro defendentibus, nihil contra oppugnatores eruitur. Decernenda est ergo extensio Capitis *Violentas manus* ad mandantes et cooperatores ex ratione loquendi legislatoris in hac ipsa Constitutione.

At patet, eum nominatim recensuisse mandantes etc. cum in aliis capitibus illos excommunicationi subiicere voluit; ergo ex ratione lo-

quendi a Legislatore adhibita concludendum erit, nullimode excommunicationi esse subiiciendos cum illos praetermisit; aut saltem rem admodum dubiam esse.

Equidem Patavini Commentarii auctores eiusmodi argumentum omnino spernunt, ita ratiocinia ducentes: « Nihil pariter roboris habet » quod secundo loco opponunt duo » citati commentatores (Reatinus et » Nolanus) ex eo quod Pontifex in » Articulo V. primae Classis explicitam mentionem facit de mandantibus, de ratum habentibus, » de auxilium vel favorem praestantibus; dum contra in Articulo » nostro secundae classis percussores tantum nominat; ex quo concludunt ipsi, noluisse Pontificem » censuram articuli II. extendere » ad mandantes etc. Verum *haec conclusio aperte falsa nobis apparet.*

» Re enim vera ad nostra usque » tempora in violantes privilegium » personale (clericorum) non una » aderat lex et censura, quae deinceps per novam Constitutionem in » duos Articulos bipartita fuerit, ita » ut si quis nunc offendat Cardinalem » Episcopum, aut aliam eminentem » personam, in excommunicationem » cadat Romano Pontifici speciali » modo reservatam; si quis vero » percutiat alium quemcumque inferiorem clericum, incidat in » excommunicationem R. Pontifici » simpliciter reservatam. Si ita res » se haberet nonnihil roboris adversariorum ratio posset habere.

» Verum ad tuendum privilegium personale personarum ecclesiasticarum duae semper extiterunt leges, inter se prorsus distinctae, propriam historiam et » propriam interpretationem habentes, sicut paullo superius toto » n. 200 demonstravimus.

» Utraque porro lex plene integra et immutata servata est; altera in Articulo V. primae classis, » altera in Articulo II. secundae classis.

» Ex hoc consequitur, quod cum » Pontifex Pius IX vellet omnino » in Articulo V. complecti *mandantes, ratihabentes, auxiliantes et faventes,* eos omnino singillatim » notare debebat; expressa enim » eorum mentio legebatur etiam in » Bulla coenae, ex qua excriptus » fuit ille articulus.

» Illud item consequitur, quod » cum Pontifex in Articulo II secundae classis vellet anathematis » iaculo percutere non solum *percussores,* sed etiam *mandantes, ratihabentes, non impedientes* et » alios omnes, de quibus supra » sermo fuit, satis superque illi fuit, » singula verba Canonis Lateranensis in eodem Articulo excribere: » et minime necessarium fuit, quod » aliqua nova verba adderentur.

» Semel enim statuta norma, » quod quicumque novae Constitutionis Articulus, quatenus concordet cum antiquo Canone, integram canonis eiusdem vim et » interpretationem habere debeat,

» quasi si nulla nova Constitutio » edita esset; diligens quisque lector » evidentissime intelligit ea verba, » *iniicientes manus violentas*, ex- » tendenda esse sicut in antiquo » iure ad *mandantes, consulentes,* » et alios omnes et singulos, quos » supra recensuimus. »

Haec quidem pulchre disserunt Commentatores Patavini.

Verum utrum adductae rationes in se spectatae aliquid probent, et insuper subvertant Reatini et Nolani Commentarii ratiocinia, doctiores decernant.

Nos non intelligimus quodnam probationis genus constituat argumentum ex eo deductum quod etiam in antiquo iure leges quae tuebantur privilegium personale Clericorum fuerint inter se semper distinctae, propriam historiam et propriam interpretationem habentes: de hac re nulla quaestio movetur; sed quaestio est: an Caput *Violentas manus* eiusdem sit extensionis ac Caput *Si quis*.

Affirmant utique Patavini Commentatores, sed quo argumento? Quia lex Capitis *Si quis integra et immutata servata est in Articulo II. secundae Classis.* Supponunt ergo quod in quaestione versatur; cum quaestio prorsus sit: an lex Lateranensis integra et immutata servata sit in Constitutione *Apostolicae Sedis*.

Quod autem addunt, Romano Pontifici Pio IX necessarium fuisse *mandantes, auxiliantes, faventes* etc. in Articulo V. recensere, quod hi nominatim recenserentur etiam in Bullae Coenae articulo, nihil aliud demonstrare videtur, quam quod si illos in Capite V. praetermisisset, nullimode fuissent excommunicationi subiecti: eadem igitur ratione nullimode sunt excommunicationi subiiciendi mandantes et faventes etc. in Articulo II, quia illos Romanus Pontifex praetermisit. Qua difficultate nullimode se expedient affirmando, satis superque fuisse Romano Pontifici singula verba Canonis Lateranensis excribere in eodem articulo, et minime ei necessarium fuisse aliqua nova verba addere. Qua enim de causa? Quod traditio ne Canonis *Si quis* sub excommunicatione etiam mandantes etc. complecteretur? Sed hac responsione nonne redibunt in id quod in quaestione versatur?

Equidem non hoc, sed dicunt; « quod semel statuta norma, quod » quicumque novae Constitutionis » articulus, quatenus concordet » cum antiquo Canone, integram » Canonis eiusdem vim et interpre- » tationem habere debeat, quasi si » nulla nova Constitutio edita esset; » diligens quisque lector evidentissime intelligit, ea verba *iniicientes manus violentas* extendenda esse sicut in antiquo iure, ad *mandantes, consulentes,* et alios omnes et singulos supra recensitos.

Verum etiamsi nostram mediocrem diligentiam ad eiusmodi consequentiam intelligendam adhibuerimus, nedum *evidentissime*, sed

nullimode comprehendere potuimus, caput *Violentas manus* eamdem habere extensionem ac caput *Si quis*.

Et 1. id non intelleximus ex norma a Pio IX statuta. *Verba* enim *legis sunt stricte et proprie intelligenda*. L. 1. ff. de exercit. Pius autem IX loco cit. declaravit, censuras cuiusvis generis a se in Constitutione *Apostolicae Sedis* latas vim suam accipere debere etiam ex *veterum Canonum auctoritate;* Canonum, inquit, non traditionum aut declarationum Canonum; et non solum id, sed ex *veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt*; quae clausula coarctat et restringit extensionem *veterum Canonum ipsorum*, qui si paulisper a Constitutione ab se lata discordent, in eo in quo discordant, non sunt attendendi.

Unde vero probant praefatae sententiae defensores 1. quod verba *Veterum Canonum auctoritas* compiectantur etiam ipsorum Canonum traditionem et declarationes, cum verba legis sint stricte et proprie intelligenda? Et 2. quo probant argumento, illam veterum canonum traditionem atque declarationes; et in casu, traditionem et declarationes Canonis *Si quis* a Pio Papa IX suscipi et renovari in Capite *Violentas manus* suae Constitutionis?

Profecto non ex Cap. *Si quis*; nam stricto verborum sensu, fatentibus ipsis oppositoribus, mandantes et faventes sub canone contineri non videntur; non vi traditionis et declarationum Canonis ipsius; nam id affirmare nequeunt quin supponant quod in quaestione versatur; non ex verbis Pii Papae IX; nam quaestio primum est: an eius verba eo sensu sint accipienda, quem oppositores proponunt.

Deinde falsum omnino est 1. ipsum statuisse normam, quod quicumque novae Constitutionis articulus, quatenus concordet cum antiquo Canone, integram Canonis eiusdem vim atque interpretationem habere debeat; eo enim sensu, quo id oppositores affirmant quasi scilicet novae Constitutionis articulus, quatenus concordet cum antiquo Canone, complectatur etiam declarationes et traditionem eiusdem canonis, Pius Papa IX non deprehenditur dixisse; et 2. multo magis falsum est id ita absolute dixisse, quasi nulla nova Constitutio edita esset; nam oppositum dixit; scilicet antiquas censuras vim suam habere etiam ex *hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint;* ita ut Constitutionis auctoritas auctoritati veterum Canonum praestet, qui nisi cum illa conveniant, nullius roboris sunt habendi.

Ex qua postrema observatione liquido fluit, sensum et extensionem veterum Canonum decernendam esse et dimetiendam ex sensu Pianae Constitutionis, non e contra; illi enim, vim et auctoritatem

habent quatenus cum hac Constitutione conveniant, a qua reapse veteris iuris censurae vel abrogatae, vel limitatae fuere.

Non licet quapropter ita ratiocinari: ante Pianam Constitutionem Canon Lateranensis *Si quis* extendebatur etiam ad *mandantes et cooperatores:* ergo etiam post Pianam Constitutionem ad ipsosmet extendendus est; nam veterum Canonum auctoritas firma consistit, quatenus cum Piana Constitutione conveniant, non econtra. Edicant vero oppositores in quo Pianae Constitutionis loco deprehendatur, Caput *Violentas manus* extendendum esse etiam ad *mandantes, faventes* etc. tantum scilicet patere, quantum Caput *Si quis* non presse sumptum, sed cum traditionibus et declarationibus suis, et dabimus manus victas.

Praetermittimus alterum oppositorum argumentum expendere, quod iam solutum in praecedenti responsione reperiatur. Unum tantummodo observamus, ex verbis Pianae Constitutionis ad oppositam consequentiam litigantes devenire.

Qua de causa nonnihil dicemus de postremo argumento, cuius vis reponitur in indole et materia utriusque Capitis, quae tota favorabilis est, atque in dubio amplae interpretationi subiicienda.

Et imprimis concedere non possumus, hanc legem totam favorabilem ita esse ut odia quaelibet excludat. Norunt enim omnes, legem semper quid odiosum complecti.

Legenti autem tum Canonem *Si quis*, tum Caput *Violentas manus* illico patebit, verba legis omni ex parte converti ad punitionem eorum qui violentas manus, diabolo suadente, in Clericos iniiciant; quae manuum iniectio quamvis iure humano divino et naturali sit prohibita, non tamen illa sanctione, ut excommunicatione puniretur.

Qua de causa, quamvis ultro libenterque concedamus, legem Ecclesiastico coetui favorabilem hinc esse, illinc autem fatebimur esse odiosam, tum quia sanctio legis poenam gravissimam infert, tum quia verba legis ad poenam irrogandam omni ex parte convertuntur, tum quia legumlatores ita sese exprimunt, ut directe intendere illorum punitionem videantur qui Clericorum privilegium violare ausi fuerint. Lex autem, cuius sanctio gravissima poena sit, quaeque directe violatores legis respiciat, nescio an tota favorabilis dici possit.

Oppositores insuper optime norunt, interpretationem legis cuius libet esse genuinam eius explicationem iuxta mentem legislatoris; in qua explicatione, quando est *extensiva,* verba accipiuntur ultra sensum naturalem verborum, quibus legislator legem proposuit. At eiusmodi extensivae explicationes, ni sint authenticae, factae silicet a legitimo superiore, vel ab ipso Legislatore, aut saltem ita usu receptae, ut praescriptione vim suam obtinuisse censendae sint, nullam vim

habent: cum enim sub verbis legis non contineantur, veluti novae leges sunt habendae, de quarum proinde authenticitate et promulgatione constare omnino debet, ut obligationem inducant.

Iam vero manifestum omnino est, nullam quoad extensionem Capitis Piani etiam ad mandantes, faventes etc. factam esse vel ab ipso Legislatore vel a legitimo superiore *authenticam declarationem vel explicationem*; ex iis vero, quae supra edisseruimus, satis patere confidimus dubium valde esse an Pius Papa IX sub Capite *Violentas manus*, etiam mandantes etc. comprehendere voluerit; Legem autem totam favorabilem non esse sed etiam odiosam, in dubium revocari posse non putamus; quin immo fidenter asserimus eiusdem esse indolis ac Capita V. VI. VII. XI. XII, in quibus vel ecclesiastica potestas et iurisdictio, vel personarum Ecclesiae dignitas, vel bona Ecclesiastica, et S. Petri patrimonium defenduntur; et tamen ni hisce in Capitibus mandantes, faventes etc. exprimerentur, quis unquam eos excommunicatos haberet? vel quis excommunicatos habet cum in aliquo ex citatis Capitibus praetermittuntur? Qua igitur ratione mandantes etc. sub hac lege Piana comprehendemus?

Ut itaque quid in facto agere Confessarii tuto possint, dicamus; Ex disputatis satis patere arbitramur, dubium saltem esse, an mandantes, faventes etc. sub Capite *Violentas manus* comprehendantur; Legem vero dubiam obligationem non inducere neminemque ligare norunt omnes.

Confessarii quapropter, quibus casus eiusmodi deferantur, tuto possunt mandantes etc. percussionem Clerici, vel utriusque sexus monachi absolvere, quousque a Sancta sede Apostolica opposita declaratio facta non fuerit.

Verum eadem argumenta urgeri non possunt contra alterum quaestionis caput, quo expendendam suscipimus extensionem verborum *Violentas manus*; cum enim Romanus Pontifex Pius IX exceperit, quoad absolutionem, casus et personas, de quibus iure vel privilegio permittebatur in antiquo iure ut Episcopus vel alius absolveret; inter hos casus vero recenseantur etiam illi, immo hi praesertim, qui stricta significatione comprehendi non poterant sub verbis *Violentas manus*, iam liquido patet, his verbis illam extensionem conservasse quam in veteri iure et Canone *Si quis* habebant, nedum ex vi indita verborum quibus Canon constat, sed etiam traditionis, qua saepissime a Romanis Pontificibus declaratus fuit.

Atqui iuxta traditionem Canonis Concilii Lateranensis, per violentam manuum iniectionem intelligebatur quaevis actio externa et graviter peccaminosa in personam clerici vel Monachi, vel in res adhaerentes corpori illorum ita ut per eam

nocumentum inferretur vel personae, vel libertati, vel dignitati Clericorum.

Excommunicationem quapropter incurrebant, et etiamnunc incurrunt illi, qui manu, pede, ense, baculo, alioque instrumento vulnerant aut Clericos percutiunt; tum etiam illi qui veneno illos occidunt, quia haec actio quamvis in actu propinationis violenta non sit, fit tamen violenta per effectus qui inde sequuntur.

Item qui in Clericos contemptibiliter conspuunt, vel lapides aut sordes proiiciunt; qui vestimenta personae Clerici adhaerentia detinent vel dilacerant, secus si non adhaerent; vel fraeno equi, aut currui, cui Clerici insident, manus violentas iniiciunt, vel eos fugientes ita persequuntur, ut ea de causa in foveam, flumen, et utcumque, praecipites ruant.

In antiquo iure excommunicationi etiam illi subdebantur, qui absque ulla laesione corporali in carcere, custodia publica vel privata, domi aut alio in loco iniuriose, (non vero si iuste) clericos concludebant et detinebant ne egrederentur aut progredi possent, ut patet ex Cap. *Nuper* 29 de sent. excom. in 6. in quo haec statuuntur. « Nu» per a nobis tua discrectio requi» sivit, quid de illis laicis sit facien» dum, qui clericos, sine laesione » tamen, in custodia detinent publica » vel privata, vel etiam detrudunt » in vincula? Nos igitur inquisitioni » tuae ex ordine respondemus... » quod non credimus laicos poenam » excommunicationis evadere, quam» vis per eorum factum corporalis » laesio non fuerit subsecuta; citra » quam violentia saepius circa cle» ricos nequiter perpetratur. »

Verum haec dispositio renovata dici non potest in Constitutione *Apostolicae Sedis*. Quod enim detinentes attinet, hi possunt considerari, vel quatenus sunt gubernii ministri, vel quatenus personae privatae, quae ex se, et arbitrario Clericum ex. gr. fugientem etiam ob patrati criminis causam, detinent. Hi certe excommunicationem Canonis incurrunt, cum vere et proprie violentas manus in Clericum iniiciant, et stricto sensu sub verbo *Iniicientes* comprehendantur; dubium autem est an illi incurrant qui ex mandato superioris potestatis Clericum detinent, uti milites quaesturae addicti, carcerum custodes etc. hi enim dicendi non sunt *Violentas manus* iniicere suadente diabolo cum ex obedientia agant, et mandato superiorum; sunt insuper servitio militari mancipati, qui proinde ni mandatum exequantur, gravibus poenis subiiciuntur. Addimus, R. Pontificem Pium IX quoad nonnullos casus inferioris momenti in hac ipsa Constitutione mitius agere solitum esse quoad eos qui ex officio obedire, utpote subiecti, debent. Atque ita egit Cap. VII. 1. Cl. quoad iudices subordinatos; ita Cap. V. 2. Cl. quoad violantes immunitatem Asyli Ecclesiastici. Sunt quapropter

omnimodis excusandi. Excusandi tamen neque hi essent si detinerent Cardinalem, Patriarcham, vel aliquem ex iis qui Cap. V. recensentur; in eo enim detinentes expresse nominantur.

Ex iis ergo sequitur, in Cap. *Violentas manus* illos solum ex detinentibus excommunicationem incurrere qui clericos arbitrario detinent, quia ita agendo uti *iniicientes* sunt habendi, non autem qui ex mandato superioris potestatis.

Quaestionem tamen quis excitare posset, inquirendo: an Clerici qui semetipsos ira vel furore percutiunt et vulnerant; vel exorant ut ab aliis occidantur, vulnerentur, percutiantur, dici possint violentas manus iuxta Capitis tenorem in se coniicere, et ideo excommunicationem incurrant?

Atque ad utrumque casum negative respondemus. Non incurrunt quidem excommunicationem in primo casu, cum Pontifex Pius IX in Capite *Violentas manus* sicut et lateranenses Patres in Capite *Si quis*, videantur requirere distinctionem personarum inter eum qui violentas manus iniicit, et eum cui iniiciuntur.

Scopus insuper latorum Capitum est, a Clericis aliorum hominum iniurias propulsare, ne ecclesiasticus coetus in ignominiam et spretum corrueret; qua de causa censendi non sunt Legumlatores habuisse respectum ad semetipsos vulnerantes etc. etiam ea de causa quod hi casus per quam raro contingant.

Sed neque in altero casu, cum excommunicatio lata sit contra violentas manus inferentes, non vero contra illos, qui in sui percussionem vel etiam occisionem consentiunt; atque hinc percussores et interfectores utique uti excommunicati habendi sunt, licet percutiant et interficiant Clericum de eius consensu, quia cum privilegium Canonis concessum fuerit non in favorem Clerici individui, sed totius ordinis Clericalis, illi clericus renuntiare non potest.

Nemo de cetero diffitebitur, huiusmodi homines vere et proprie violentas manus, suadente diabolo, in clericum huiusmodi iniicere dicendos esse; Clericus enim cum nullam in suam vitam habeat potestatem, neque alteri illam tradere potest; ira insuper et furore percitus deprehenditur, quo in statu uti mentecaptus habendus est; illi quapropter qui illum percuterent, vel mortem inferrent, nullimode a vero homicidio et ab excommunicatione essent excusaudi.

Non nos equidem latet, ex antiquo iure contra nos Caput *Contingit* de sent. excom. in 6. afferri posse, in quo huiusmodi Clerici excommunicationi subdebantur, cum in eo ita sancitum fuerit. « Contingit in» terdum quod Clerici si quem » offendant, et satisfacere velint » offenso, secundum morem patriae, » quem inter se laici observant, » corpora sua sponte supponunt » triginta, seu pluribus aut paucio-

» ribus percussionibus fustium. Nos » autem fraternitati tuae super hoc » respondemus, quod huiusmodi » manus iniectio etsi non violenta, tamen iniuriosa videtur, cum » ille Canon non tam in favorem » Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus ; ideo et volumus et » mandamus, ut id de coetero prohibeas attentari. Si quis autem Clericus post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit, excommunicetur. »

Verum his a sententia non recedimus; patet enim Clericos huiusmodi excommunicationem incurrisse non vi Capitis *Si quis*, sed vi Capitis *Contingit;* cum enim Pontifex dicat, Clericum in sui percussionem consentientem excommunicandum esse, *si post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit,* supponit profecto ipso iure, seu ex Cap. *Si quis* excommunicatum non esse. (1)

Certum est autem, a Pio Papa IX utique quoad hanc partem renovatum et confirmatum fuisse Caput *Si quis*, non autem renovatam aut confirmatam fuisse dispositionem Capitis *Contingit;* igitur lata in eo excommunicatione nunc Clericus huiusmodi non abstringitur.

3. At videamus quousque se extendant illa alia verba: *in clericos vel utriusque sexus monachos.*

Clericorum igitur nomine intelliguntur omnes servitio Ecclesiae mancipati, dummodo aliquem ex minoribus ordinibus, vel etiam primam clericalem tonsuram susceperint; idque procedit etiamsi nullum beneficium ecclesiasticum habeant, vel etiamsi censura aliqua sint irretiti, vel suspensi, et, verbaliter, non realiter, depositi; atque etiamsi sint coniugati, dummodo habitum et tonsuram clericalem deferant, matrimonium cum unica e quidem virgine contraxerint, atque alicui Ecclesiae ex Episcopi deputatione serviant; quae tres conditiones sunt a Concilii Tridentini Patribus praescriptae, ut etiam Clerici coniugati privilegio Canonis et Fori frui possint. (2)

Nomine Monachorum autem intelliguntur omnes utriusque sexus Religiosi, etiam conversi et novitii. (3) Quin immo intelliguntur etiam

(1) Ita inter alios, Schmalzgrueber Ius. Eccl. Univ. P. IV. Tit. XXXIX. n. 225.

(2) « Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, » ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non » gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram de» ferens, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut » in aliqua Schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines » suscipiendos versetur. In Clericis vero coniugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII quae » incipit *Clerici, qui cum unicis*, modo hi Clerici alicuius Ecclesiae servitio vel ministerio ab » Episcopo deputati, eidem Ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura » utantur; nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. » *Sess. XXIII Cap. VI de Reform.*

(3) Haec constant ex Cap. *Ex tenore* 10, Cap. *De monialibus* 33, et Cap. Quamvis 21. quae referimus ad Lectorum eruditionem. Primum ita se habet: « Ex tenore litterarum

Tertiarii ordinum religiosorum, SS. Dominici et Francisci si voto aliquo edito, gerant Religionis habitum, et vivant in commune; sicut et eremitae, qui edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione sub aliqua regula et superiore vivunt.

Quoad tertiarios utriusque sexus res est manifesta ex Constitutione Leonis X *Dum intra* edita in Concilio Lateranensi V sess. 21 in qua de viris, ut gaudeant privilegiis sui ordinis, praescribitur *ut collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent*. De mulieribus vero dicitur: « Ac mulieres virginalem, seu » coelibem, aut castam vidualem » expresso voto et sub dicto habitu » vitam ducentes, privilegiis, qui» bus fratres Ordinis, cuius tertiae » regulae habitum gestant, gaudere » debeant. »

Et in alia Constitutione quae incipit *Nuper* edita in eodem Concilio Lateranensi die 1. Martii 1518 ita pariter Leo X loquitur: « Nos » ad tollendum omne dubium, motu » proprio et ex certa scientia, et » de Apostolicae potestatis plenitu» dine, harum serie decernimus » et declaramus, quod in praemissis » de voto solemni Religionis minime » intelligi debeat; ita ut mulieres » virginalem seu coelibem vitam » simpliciter voventes etiam in con» sanguineorum et affinium suorum, » aut propriis domibus, vel seorsim » habitantes, et privilegiis et im» munitatibus praedictis, in omni» bus et per omnia frui et gaudere » debeant. »

Satis est autem ut votum simplex virginitatis emiserint; nec requiritur ut professae etiam fuerint vota obedientiae et paupertatis, ut declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 20 Decembris 1616 his verbis: « Hoc » autem voto mulierum alia duo » scilicet paupertatis et obedientiae » nequaquam includi: »

Quoad Eremitas vero sciendum est, eos quadruplicis generis distingui apud Fagnanum et alios probatissimos auctores. Primi sunt qui emittunt tria vota substantialia in

» tuarum nobis innotuit, quod B. Canonicus in quemdam Subdiaconum manus iniiecit vio» lentas... Mandamus itaque quatenus recepto ab eo iuramento, quod tuo debeat mandato » parere, ipsum vice nostra a sententia qua tenetur absolvas; sibique in virtute iuramenti » praecipias, ne de cetero in Clericum, Monachum, vel alicuius religionis conversum, manus » iniiciat violentas, nisi se defendendo, aut de mandato suorum fecerit praelatorum, vel » nisi super eum praelationis ministerium, aut magisterium habeat, aut cum ipso in eadem » Ecclesia socius esse noscatur.

Caput de *monialibus* ita legitur: « De monialibus tua a Nobis fraternitas requisivit, » per quem eis sit beneficium absolutionis impendendum, si vel in se invicem, vel conver» sos vel conversas suas aut clericos etiam manus iniiecerint temere violentas. Super hoc » igitur consultationi tuae respondemus, ut per Episcopum, in cuius Dioecesi monasteria » fuerint, absolvantur. »

Caput demum *Quamvis* ita iacet: « Quamvis autem is, qui religionem ingreditur, re» ligiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacite vel expresse professus; si quis » tamen violentas manus in eum iniiciat, excommunicationis latae a Canone vinculum non » evadit. »

aliqua ex religionibus approbatis, ut Eremitae S. Augustini, Eremitae Camaldulenses, S. Hieronimi etc; et hi cum sint veri Monachi, sine aliquo dubio, privilegio Fori et Canonis gaudent. Secundi sunt Eremitae viventes in Congregatione et habentes vivendi modum approbatum ab Episcopo, qui quamvis non sint stricto sensu Religiosi, cum regulam approbatam a summo Pontifice non profiteantur, aliqua tamen ratione Religiosi sunt; et certe sunt personae Ecclesiasticae, quae subsunt iurisdictioni Episcopi dioecesani: qua de causa neque his privilegium Fori et Canonis negandum est.

At tertii generis Eremitae sunt illi qui quamvis nullam alicuius Ordinis regulam professi sint et observent, nec vivant in communi, tamen de facultate Episcopi induunt habitum Eremiticum, et de ipsius auctoritate alicui Ecclesiae vel Oratorio inserviunt.

Quarti generis demum sunt Eremitae qui quamvis non sint deputati Ecclesiae servitio de mandato vel auctoritate alicuius praelati Ecclesiastici, tamen servitium illud voluntarie suscipiunt, et ad libitum habitum eremiticum deferunt. Hi privilegio Canonis nec gaudent, nec gaudere possunt, cum non sint neque Monachi neque Clerici.

Quid autem de tertia classe?

Auctores profecto discrepant, et idcirco sententiam nostram liberius proferemus.

1. In Cap. Piano excommunicantur qui, suadente diabolo, violentas manus inferunt in Clericos vel utriusque sexus monachos; quo nomine et veri Clerici, et veri monachi indigitantur iure vel privilegio.

At Eremitae tertiae Classis iure Monachi non sunt, cum nullam profiteantur ex approbatis regulam, nullum emittant ex tribus consuetis castitatis, paupertatis, et obedientiae votum. Ergo ut inter Monachos accenseri possint, et proinde in Canone comprehendi, deberent saltem ex privilegio aliquo ut Monachi reputari. Atqui tamen nullus est Canon, qui praedictos eremitas inter Monachos accenseat. Ergo qui violentas manus in ipsos conjecerit, peccabit utique graviter vel leviter pro qualitate et quantitate offensionis, excommunicationi tamen Canonis non subiicietur. Verba enim legis sunt stricto sensu interpretanda.

Quaerunt tamen hoc in loco docti plerique: an duplicem excommunicationem incurrat percutiens Clericum qui simul sit Monachus?

Norunt autem lectores, in nonnullis Religiosis ordinibus, eos qui Conversi non sunt, omnes esse sacerdotes, vel ad Sacerdotium destinari.

Et quidem Alterius, Bonacina, aliique, duplicem excommunicationem incurri propugnant, quia, ita loquitur Alterius Disp. X. de Caus. excom. lib. III. Cap. VIII. pag. 179 « sicut diversarum specierum con-

» secrationes sunt quae spectant ad » Clericatum et Monacatum; ita quo- » que prohibitiones et transgres- » siones diversarum rationum vi- » deutur » quae ratio et a Bonacina excribitur.

Verum haec ratio non ita solida videtur quae refutari nôn possit.

Imprimis enim norunt omnes, in antiqua Ecclesiae disciplina Monachos fuisse simplices laicos, nullo ordine clericali insignitos, atque unum vel alterum in singulis monasteriis aut Comunitatibus ad Sacerdotium promotos, ne Monachi externum Sacerdotem vocare cogerentur ad Sacra ministeria obeunda; ii vero Monachi qui Sacerdotii officio fungebantur, vocabantur Presbyteri. Hinc et in Breviario Romano legimus. *Homilia Ven. Bedae Presbyteri,* qui erat Monachus Ordinis S. Benedicti in Anglia. (1).

Cum ergo Monachi plerumque Clerici non essent, iique qui sacerdotii munere fungebantur vocarentur Presbyteri, si in Canone *si quis suadente* monachorum nomen fuisset praetermissum, rite putare quis potuisset, Monachos sub privilegio Canonis non fuisse comprehensos, utpote qui clerici non essent, eosque inter eos tantummodo comprehendi qui Sacris ordinibus fuissent insigniti, et communi atque usitato vocabulo vel Clerici vel Presbyteri vocabantur. Putandum consequenter non est, ex duplici causa a Legislatore monachorum nomen in Canone inditum fuisse, quod scilicet, et Clerici essent et Monachi, sed unica, ut et ipsi scilicet hoc privilegio frui censerentur, quo exclusi putari possent, cum Clericorum nomine illi tantummodo etiam inter Monachos venirent, qui aliquo ordine ecclesiastico forent insigniti.

2. Nemo insuper non putabit Clericorum nomine in Canone venire Clericos quoscumque saeculares; Monachorum vero vocabulo quoscumque regulares, sint nec ne Clerici. Hoc autem praecipue nostris temporibus contingit. Existimandum hinc est sub Monachorum nomine legislatorem indigitare voluisse tantummodo personas ad statum monachalem seu religiosum pertinentes, eaque de causa etiam Sanctimoniales foeminas hoc privilegio cohonestasse. Non enim Canon iste latus fuit praecise ad tuendam sanctitatem Ordinum sacrorum quos quis habuisset, sed ad tuendas personas ecclesiasticas, ita ut excommunicationem incurreret quicumque Monachum percuteret, esset hic Clericus vel non. Sub unica tamen causa unica poena comprehenditur.

3. Quod facilius quis concessurus erit si consideret, Clerum Saecularem ordinis praestantioris esse ac Clerum regularem; atque esse incredibile legislatorem privilegio

(1) Hic Beda, de quo apud Monachos Benedictinos fit officium de Doctore, est inter Sanctos relatus. Adhuc tamen in Breviario venerabilis vocatur, quod cum eius Homiliae in Ecclesiis legerentur dum vivus esset, eaque de causa sanctus non posset appellari, venerabilis nomine decorabatur, quod nomen deinceps numquam deleri potuit.

praecipuo voluisse ordinem inferiorem prae superiori decorare.

4. Neminem insuper latet, non semel violentas manus ab improbis in Monachos iniectas fuisse; me tamen latet, hos duplicis excommunicationis a Romanis Pontificibus, quibus haec censura reservata erat, reos iudicatos fuisse et a duplici excommunicatione absolutos. Quod ad certam sententiam constabiliendam necessarium fuisse. Unum scio, hanc de duplici excommunicatione ob regularium percussionem, fuisse nonnullorum Theologorum, etiam praestantissimi Suaresii, ac Canonistarum opinionem ab aliis nullimode probatam sed reiectam, et nullo pacto Ecclesiae usu et consuetudine roboratam.

5. Et quidem iure meritoque, ni fallimur. Nonne enim Monachi percussio unica actio est? nonne unica offenditur persona ecclesiastica? Nonne unica est causa quare excommunicatio in hypothesi incurritur, scilicet Monachi percussio? Nonne Canon unicam actionem meminit, violentam scilicet manuum iniectionem in Clericum vel Monachum, unamque poenam statuit, maiorem scilicet excommunicationem? Quid ergo causae est ut pro Monachorum percussione duplicem excommunicationem statuamus?

Quod ne, ut adversarii dicunt, diversa est consecratio Monachi et Clerici? Sed consecratione seu professione sua monachus quid aliud efficitur nisi persona ecclesiastica? Atqui Canon noster pro tuenda personarum ecclesiaticarum dignitate latus est, ergo et in monachis unica est ratio, qua privilegio Canonis fruantur.

Consecratione seu professione religiosa Monachus perfectiorem statum amplectitur, et sine ulla clericali tonsura inter clericos computatur, eorumque fruitur privilegio; quoniam autem lex in monachis monachorum statum respicit et non ordinem Clericalem, nil interest an Monachus sit, nec ne, etiam clericus. Id uberius ex eo patet quod novitii dum habitum religiosum retinent privilegio gaudent; si sine ulla clericali tonsura habitum dimittunt, privilegio destituuntur; e contra Clericus saecularis.

Quod si contraria sententia defendatur, et ex eo quod diversarum sint specierum consecrationes quae spectant ad Monachatum et Clericatum duplex excommunicatio pro Monachos percutientibus statuatur, nos non videmus qua ratione negari possit, etiam duplicem excommunicationem incurrere qui violentas iniiciat manus in Episcopum vel Papam. Nonne enim Episcoporum ordo praestantior Presbyteratu est? Nonne divina institutione Episcopi sunt Presbyteris superiores? Nonne diversa est consecratio? Quare ergo duplicem excommunicationem etiam pro Episcopis non statuemus, eo vel magis quod in Canone de Clericis tantummodo mentio fiat, quo nomine numquam vocati sunt Episcopi?

Responsuri ne erunt; quod hoc in Capite nomen clericorum designat quamlibet ecclesiasticam personam ordinis saecularis, quacumque fulgeat dignitate? Utique; sed si ita est de Clericorum nomine, quare idipsum non erit de nomine Monachorum, ut scilicet hoc nomine designetur Monachus quicumque quocumque fulgeat ordine, et dignitate? Monachi enim nomen per se non denotat nisi statum religiosum.

Bella res certe! Ut quis incurrat duplicem excommunicationem percutiendo Clericum regularem, et unam percutiendo Episcopum, vel Papam.

Neque quis dicat exinde sequi, Sacerdotem vel Clericum qui Religionem deserant, privilegio Canonis non gaudere. Nam extra Religionem clerici semper sunt, et ut Clerici ad statum ecclesiasticum pertinent; dum in Religione pertinebant ut Monachi, quo solummodo nomine in Canone designantur. Quin imo si adversa sententia admittatur propugnari posset, Religiosos professos qui vel dispensatione Pontificia ex suo ordine egrediantur, vel ob admissas culpas eiiciantur, etiam postquam religiosum habitum exuerint, hujusmodi privilegio gaudere, ut scilicet quis duplicem excommunicationem incurrat, si eos percutere audeat. Cum enim professio religiosa praecipue consistat in emissione trium votorum castitatis, paupertatis et obedientiae, ad quae vota observanda *quantum ad substantiam* etiam extra religionem tenentur, eorum consecratio perdurare censenda est; ergo etiam extra religionem ut Monachi habendi sunt; ergo etiam extra religionem percussor eorum duplicem excommunicationem incurrit.

Quod nemo dixerit.

At quarto loco videamus quaenam sint huius censurae limitationes, seu quandonam non incurratur, etiamsi quis Clericum vel Monachum percutiat. Atque advertendum est id evenire posse vel ratione iuris, quo Clericus privilegio huiusmodi privetur, vel ratione percutientis cuius malitia vel actus eiusmodi non sit ut suadente diabolo positus dici possit.

Itaque quoad primum Caput. Nullam incurrit excommunicationem violentas manus iniiciens in clericum realiter, non verbaliter, degradatum, ut patet ex ipsa degradationis formula, in qua dicitur: « et exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio clericali. » Cap. *Degradatio*, 2. *De poenis* in 6. Neque percutiens clericum qui uxorem duxit, et habitu atque tonsura non incedit « In coeteris, inquit Bonifacius VIII Cap. 1. *de clericis conjugatis in 6.*, vel nisi, ut praemittitur, tonsuram vel vestes ferant clericales, etiam in praemissis eos gaudere nolumus privilegio clericali. »

Pariter qui percutiat clericos in minoribus ordinibus constitutos, reos bigamiae realis vel interpre-

tativae, ex. gr. si mulierem viduam duxerint; hi enim ex dispositione Gregorii X. Cap. un. *De bigamis in 6.* privilegium Canonis amittunt. « Altercationis antiquae dubium » praesentis declarationis oraculo » decidentes, bigamos omni privi- » legio clericali declaramus esse nu- » datos, et coercitioni fori saecu- » laris addictos, consuetudine con- » traria non obstante. Ipsis quoque » sub anathemate prohibemus de- » ferre tonsuram, vel habitum cle- » ricalem. »

Item amittunt hoc privilegium Clerici minores, qui habitu ecclesiastico deposito, militiae sese addixerunt, atque tertio ab ordinario suo admoniti, ab ea recedere noluerunt; quod statutum a Clemente III. reperimus. « Huiusmodi clerici, si » a praelatis suis tertio commoniti » militaria noluerint arma depone- » re, de privilegio clericorum subsi- » dium aliquod habere non debent. » Cap. *in Audientia 25 De sententia excomunicationis.*

Item Clerici quicumque, qui se enormibus criminibus maculaverint, ex. gr. seditione, homicidio, conspiratione contra legitimos principes etc. Id enim ab ipso Clemente III. statutum est. « Occiso- » res Clericorum aut Presbyterorum, » qui contempto clericali habitu, » tyrannidi et enormitati se invere- » cunde immiscent; in odium cleri- » calis excessus, et terrorem atque » correctionem similium, canone latae » sententiae minime coercentur; in- » iungatur tamen eis poenitentia com- » petens, aliquantulum asperior, » quam si in laicos talia commisis- sent. » Cap. *Cum non ab homine 14 de sententia excommunicationis.*

Eiusmodi insuper privilegio expoliati iuxta Canonum dispositionem censendi sunt illi Clerici qui histrionicae, comicae aut tabernarum artibus operam dant, aut scurras agunt. Hi si per anni spatium has nequissimas artes exercuerint, ipso iure clericalia privilegia amittunt; si breviori tempore, expoliati eiusmodi privilegio censendi non sunt, nisi post spretam ordinarii sui trinam admonitionem. Haec sancivit Bonifacius VIII. *Cap. un. de vita et honestate clericorum in 6.* his verbis. « Clerici, qui clericalis ordinis di » gnitati non modicum detrahentes, » se ioculatores seu goliardos faciunt, » aut buffones; si per annum artem » illam ignominiosam exercuerint, » ipso iure; si autem tempore bre- » viori, et tertio moniti non resi- » puerint, careant omni privilegio » clericali. »

Hae porro sunt praecipuae Canonum dispositiones, quibus Clericus Canonis nostri privilegia amittit.

Verum non ex iis tantummodo causis quis Clericum percutiens excommunicationem effugit; sunt enim et aliae circumstantiae, in quibus constitutus praesentem excommunicationem quis evadit. Non inficior, harum circumstantiarum nonnullas etiam in Canonicis sanctionibus esse recensitas; sed quoniam

respiciunt potius vel statum subiectivum percutientis, vel eius auctoritatem, vel actionis levitatem, aut necessitatem, idcirco omnes in hac secunda disquisitionis parte plus minus enumerandas putavimus.

Advertendum igitur in principio est, excommunicationem maiorem poenam esse omnium gravissimam, quae proinde non incurritur nisi per actionem, quae grave peccatum constituat; ineptum enim esset poenam adeo gravem pro levi culpa infligere.

Qua de causa excommunicationem non incurrunt, iuxta communiorem doctorum sententiam ii qui vel ob actionis levitatem, vel defectum intentionis iniuriam inferendi, vel quod nesciant personam illam esse Clericum vel Monachum, vel ob defectum sufficientis advertentiae et deliberationis, excusantur a peccato mortali. Sanctum enim cuicumque iudici esse debet, ad incurrendam excommunicationem maiorem requiri peccatum mortale.

Qui ad sui defensionem, vel ad tuenda bona sua, servato moderamine inculpatae tutelae, violentas in clericum manus iniicit, illum detinendo, vel percutiendo in actu, seu in istanti. Quod constat ex Cap. *Si vero* 3. « Si vero Clericum vim » sibi inferentem quis repellat vel » laedat, non debet propter hoc » ad Sedem apostolicam mitti, si » in continenti vim vi repellat; » cum vim vi repellere omnes leges, » omniaque iura permittunt; tamen » id debet fieri cum moderamine » inculpatae tutelae, non ad sumen» dam vindictam, sed ad iniuriam » propulsandam. »

Qui clericum insolentem, rixas et turbationes domi suae excitantem, vi domo excludit et eiicit; aut qui clericum cum bonis vi aut clam ablatis fugientem persequitur, eademque ab eo bona abripit, etiam illatis percussionibus. Abripit, inquam, non si Clericus timore perterritus, ea ultro restituat. Hoc enim in casu percussio esset ad vindictam, non ad bona recuperanda.

Excommunicationem non incurrunt Praelati, seu Superiores et Magistri, qui Clericum subditum, vel discipulum etiam in Subdiaconatus ordine constitutum, correctionis et disciplinae causa percutiunt, aut qui id faciunt de superioris aut Magistri legitimo mandato, prout habetur Cap. *Ex tenore* 10, « Nisi de » mandato suorum fecerit praelato» rum, vel nisi super eum (subdia» conum) praelationis ministerium » aut magisterium habeat. » Concordat Caput *Cum voluntate* 54. in quo dicitur: « Si qui vero ra» tione Officii, quod in Ecclesia » obtinent, aut etiam alii clerici » seniores zelo devotionis pueros » vel adolescentes in minoribus or» dinibus constitutos turbantes divi» num Officium; et qui obtentu prae» lationis vel magisterii subditos vel » scholares correctionis causa leviter » forsan percusserint, excommunica» tionis sententiam non incurrunt. »

In iis enim supponi neque potest, neque debet voluntas coetui ecclesiastico iniuriam inferendi, aut personas irrationabiliter laedendi.

Iis addendi sunt laici qui de mandato legitimorum superiorum, clericos etiam Sacerdotes, capiunt et in carcerem detrudunt, prout statuit Innocentius III. Cap. *Ut famae tuae* 35 de sententia excommunicationis « Cum praelati, inquiens, excessus corrigere debeant subditorum, et publicae utilitatis interest, ne crimina remaneant impunita, et per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores; non solum possunt, sed debent etiam clericos, postquam fuerint de crimine canonice convicti, sub arcta custodia detinere; qui cum sint incorrigibiles, nec monasteriis valeant custodiri, ad similia vel peiora facile dilaberentur. Laici vero citra excommunicationis sententiam capere clericos et ad iudicium trahere possunt, si oporteat etiam violenter, dum tamen de mandato id faciant praelatorum, quorum illi sunt iurisdictioni subiecti, et quorum est corrigere criminosos, cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur; dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio vel rebellio exigit clericorum. »

Neque eam incurrunt parentes et propinqui qui disciplinae vel correctionis causa filium vel propinquum in minoribus constitutum leviter percutiunt ex capite citato quod ita sequitur. « Quod et de his dicendum est qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis et scientia bonisque moribus informentur, duxerint corripiendos. »

Non licet tamen seu parentibus seu propinquis clericum percutere in maioribus ordinibus constitutum, quin sententiam excommunicationis incurrant; eo quod in citato Canone *Cum Voluntate* iis tantum clericos in minoribus ordinibus constitutos correctionis gratia percutere conceditur; atque nullibi in iure eiusmodi fit aut parentibus aut propinquis concessio, sicut fit magistris et praelatis respectu subditorum clericorum etiam in sacris constitutorum.

Sed neque excommunicationem incurrit mulier, quae Clericum etiam Sacerdotem suae pudicitiae insidiantem, dum fuga aut aliis modis eludere non valet, verberibus aut alia manuum violenta iniectione repellit; haec enim percussio iusta defensio putanda est, et reapse est. Suadenda quin imo mulieribus haec defensio videtur; cum enim fragiliores sint, debent omnimodis ad sanctam resistentiam excitari, ne labantur, et proruant; ecclesiastici insuper timeant, atque a talibus se temperent excessibus.

Ex speciali insuper iuris dispositione, ab excommunicatione eius-

modi immunis est qui in *clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum* (in quo intellige etiam turpes actus, amplexus etc.) *manus iniecerit,* prout expresse statuitur in Cap. *Si vero.* Hoc tamen in casu advertendum est quod in praefato Capite subditur: « Coeterum si in stupro vel » adulterio quod committit cum ea, » quae ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, » ceperit; aut in eum violentas » manus iniecerit, non erit a sententia illius excommunicationis » immunis. »

Verum quoad hanc quaestionem fortasse quis quaesiturus erit: Quid si hi qui clericum turpiter agentem deprehendunt cum uxore, filia etc. illum percutiant sine moderamine inculpatae tutelae? Respondendum est, eos excommunicationem non incurrere; tum quia in citato capite *Si vero* nulla fit de gravitate verberum aut violentae manuum iectionis limitatio vel qualificatio, sed indistincte dicuntur ii excommunicationem non incurrere; tum in detestationem tam nefandi criminis, quod Ecclesia in omnibus, sed in Clericis praecipue abominatur; tum quia difficillimum est in talibus casibus marito, aut patri vel matri etc. aut honestae mulieri modum tenere, et vindictae impetum cohibere; tum quia dedecebat Ecclesiam in re adeo delicata modos apponere, qui neque observati fuissent, cum hisce in negotiis adeo ira praevaleat, ut homo lumen rationis fere amittat.

Advertendum tamen est, quod percussio debeat fieri in instanti, id est illo in momento, quo clericus delinquens deprehenditur; nam textus citatus illum tantummodo excusat, qui percutit ecclesiasticum turpiter inventum cum uxore, matre, filia, sorore percutientis, quare qui alio tempore post admissum crimen Clericum percuteret, ab excommunicatione non esset immunis.

Posset ulterius inquiri: Incurrit ne excommunicationem qui clericum ex industria expectat et secreto observat ut delinquentem in actu percutiat, quin potius a crimine perficiendo illum prohibeat?

Decertant auctores. Alii putant hunc excommunicationem incurrere, quia causam irae et doloris poterat et debebat avertere; iuris autem dispositio illos ab excommunicatione immunes pronuntiare videtur, qui fortuito clericum cum consanguinea delinquentem inveniat, non qui ex industria. Sed probabilior sententia docet et hunc a censura immunem esse, quia haec secreta et occulta observatio non impedit quominus consanguineus clericum actu turpiter agentem inveniat.

Exciperem tamen iniquum illum consanguineum, qui clericum ipsum fraude, suasione, et dolo in crimen induceret, ut postea actu delinquentem percuteret.

Non enim Ecclesia favere cen-

senda est deceptionibus iniquis; hoc proinde in casu valere debet principium: *Fraus et dolus nemini patrocinari debent.*

Diximus, excommunicationem hanc non incurri ab eo qui nescit personam, in quam manus violentas iniicit, esse clericum vel Monachum; et quidem recte; id enim statutum reperimus in Capite *Si vero* ab Alexandro III. « Si vero » aliquis in clericum nutrientem » comam, manus iniecerit violentas, » propter hoc non debet apostolico » praesentari conspectui, nec etiam » excommunicatione notari, dum- » modo ipsum esse clericum igno- » raverit; vel si hoc dubium fuerit, » propria manu dumtaxat praesti- » terit iuramentum, quod eum esse » clericum ignorasset. Ab illo autem, » si praestare noluerit iuramentum, » quia violentas manus constat eum » in clericum iniecisse, sicut ab » excommunicato, donec de mandato » summi Pontificis absolvatur, con- » venit abstineri. »

Ex quibus sequitur excusari ab hac excommunicatione illos omnes qui laborant ignorantia iuris, ut scilicet nesciant invincibiliter ob percussionem clerici esse statutam excommunicationem; tum eos qui laborant ignorantia facti, dum scilicet nesciunt eum, quem percutiunt, esse clericum. Standum est autem in foro contentioso ipsius percutientis testimonio, si paratus sit ignorantiam suam iuramento confirmare.

Verum circa praesens caput nonnulla declaranda sunt.

Et 1° contingere potest, ut quis violentas volens manus iniicere in Ioannem Clericum, errore percutiat Petrum pariter clericum. Quid?

Excommunicationem incurrere dicendus est. Ad hanc enim incurrendam requiritur ut quis violentas manus suadente diabolo iniiciat in clericum vel Monachum; id autem in praesenti casu apprime verificatur: habetur enim in eo voluntas clericum percutiendi, et reapse percutit clericum: neque enim Ecclesia illum canonem sanciendo huic vel illi clerico consulere voluit, sed universo ecclesiastico coetui. Neque difficultatem infert quod in percutiente defuerit voluntas percutiendi Petrum; non enim ad excommunicationem hanc incurrendam requiritur voluntas determinata in individuum simpliciter, sed in individuum prout ad statum ecclesiasticum pertinet; sin minus qui in plures Sacerdotes a longe globulum igneum exploderet, neminem ex eis individualiter agnoscens, excommunicationem non incurreret si aliquem vulneraret vel occideret.

Ex eadem proinde ratione is quis volens Ioannem clericum percutere, errore percutiat Iosephum laicum, nullam excommunicationem contrahit, quia deest hoc in facto altera conditio, ut scilicet quis reapse percutiat Clericum vel Monachum.

Et ex eadem ratione immunis a censura ille est, qui volens Ioannem laicum percutere, inculpabiliter ferit Petrum Clericum; deest enim prima conditio, voluntas scilicet suadente diabolo Clericum percutiendi.

Etsi vero putemus cum saniori Theologorum parte ignorantiam crassam ab eiusmodi censura non excusare, tum quia culpabilis est, eo quod qui in ea versatur taedio vel negligentia victus nullam diligentiam adhibet ad veritatem indagandam, tum praesertim moti dispositione Capitis *Ut animarum* 2 de Constitutionibus in 6. in quo haec habentur: « Ut animarum periculis » obvietur, sententiis per statuta » quorumcumque Ordinariorum pro» latis ligari nolumus ignorantes: » dum tamen eorum ignorantia cras» sa non fuerit aut supina. » Tamen confessarios orare non praetermittimus ut sedulam operam navent in excutiendo poenitente qui eiusmodi peccatum poenitentiae sacramento subiiciat; difficillimum enim putamus evenire posse ut quis violentas in clericum manus iniiciat crassa ignorantia laborans. Huiusmodi enim delinquentes in personam determinatam semper feruntur, a qua vel iniurias vel damna acceperunt, eis est plane cognita, nullam habent aliis nocendi, si illam excipias, voluntatem; ira insuper et furore in vindicta explenda aestuant, et coeci quodammodo sunt; si itaque errent circa personam, potius ex invincibili ignorantia vel inadvertentia, quam crassa ignorantia errare credimus.

6. Perpendenda modo supersunt illa Capitis verba: *exceptis quoad reservationem casibus et personis, quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus, aut alius absolvat.* His autem verbis iis omnibus, quibus ante praesentem Constitutionem poterant ab hac censura absolvere, eadem servatur potestas; Pius enim Papa IX nihil quoad hanc facultatem immutare voluit.

Ut autem haec rite evolvantur, considerandum sedulo est, percussionem clerici aliam esse levem, non quidem ratione culpae, quae semper mortalis esse debet, sed ratione iniuriae illatae; aliam mediocrem, aliam gravem seu enormem.

Levis censetur quae comprehenditur sub dispositione extravagantis *Perlectis* latae a Ioanne XXII, quamque refert Navarrus *Manuale Confessariorum* cap. XXVII n. 92. Scilicet: « Respondemus percussionem » levem esse pugni, palmae, manus, » pedis, digiti aut baculi, aut lapi» dis, quae nullam affert maculam, » neque sugillationem carnium re» linquit, neque abscindit membrum, sine effractione dentium, » sine avulsione multorum capillo» rum, sine effusione multi sangui» nis. »

Mediocris est illa inquit S. Alphonsus *Theolog. Moral. Lib. VII.* n. 277. qua extrahitur dens, vel

capillorum copia evellitur, aut fit sugillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi laesione vel iniuria.

Enormis autem percussio habetur, inquit idem S. Alphonsus *loc. cit.* si magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio, aliunde quam e naribus, vel magna iniuria.

Advertendum tamen est, quod percussio quae aliquando respectu unius levis est, respectu alterius fit gravis, et etiam enormis.

Hae circumstantiae sunt 1° Pars corporis in qua fit percussio, ut si percutias in ore, facie, oculo; nam in his percussio censetur gravior quam in coeteris corporis partibus, et consequenter minor percussio in his sufficit ad gravem iniuriam inferendam.

2. Locus, ut si percutias in platea, theatro, aut consessu publico, si Sacris indutum vestibus, vel paratum ad divina celebranda, vel etiam coram illustri persona in dignitate constituta.

3. Et maxime status personae offensae aut offendentis, ut si quis percutiat Episcopum, superiorem, herum, aut aliam in dignitate constitutum, item si homo infimae sortis nobilem ecclesiasticum percutiat; hae enim percussiones quamvis in se leves, graves tamen iniuriae reputantur.

In dubio autem an iniuria gravis vel levis fuerit standum est pro iniuriae gravitate.

Haec autem omnia, constant ex cit. Extravag. Ioannis XXII, qui post verba allegata ita prosequitur: « Nolumus tamen dicere quod huiusmodi levis percussio, ut pugni aut unguis fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad iudicandum tamen, quae laesio sit levis, mediocris, aut enormis; volumus diligenter perpendi non solum factum, sed etiam qualitatem eius et modum percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personae, et aliis. Personae si est Magister, Iudex, Praelatus, Pater, Patronus, aut Dignitas, percussus iniuste a subdito, aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur graves iniuriae, quae ex se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem huius rei, relinquimus tuo arbitrio ut declares quae sit levis et quae enormis iniuria, admonentes ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere, quam declarando levem esse, occasionem praebeas laedendi statum ecclesiasticum. »

Hisce praemissis; excepto mortis articulo, in quo, absente superiore, ad quem de iure spectat absolutio, quilibet Sacerdos potest absolvere quemcumque ab hac excommunicatione incursa etiam ob percussionem enormen, onere tamen ei imposito, ut sistat coram superiore si convalescat; id enim statutum reperimus in Cap. *Decernimus*

sic se habente: « Decernimus etiam » ut nullus hanc incurrens excom- » municationis sententiam pro prae- » dictis vel aliquo praedictorum, » absque speciali mandato nostrae » absolutionis beneficium valeat ob- » tinere, nisi forsan ad nos habere » accessum non posset in mortis » articulo constitutus. » Excepto, inquam, mortis articulo, ob privilegia collata et consuetudinem absolvere ab eiusmodi excommunicatione ob percussionem etiam gravem incursa, et quidem in utroque foro possunt Legati a latere, tum eos qui sunt de provincia ad quam destinantur, tum quosvis alios qui ad ipsos pro absolutione recurrant; pontificia enim gaudent potestate. Ex Cap. ad *Eminentiam* XX de sent. excom. « Sicut ex parte tua nostris » est auribus intimatum, tibi exti- » tit dubium, utrum absolutionis » beneficium assequantur, pro in- » iectione manuum in clericos » vel alias religiosas personas ex- » communicationem incurrerunt, » et a Legatis Cardinalibus qui a » latere Romani Pontificis destinan- » tur pro tempore absolvuntur, cum » iidem legati mandatum super hoc » non ostendant expressum. Super » quo id a te volumus observari, ut » eos habeas absque omni haesita- » tionis scrupulo absolutos, quos » constiterit a talibus beneficium » absolutionis adeptos. »

Haec eorum potestas, iuxta probabiliorem opinionem, incipit a die qua e Curia Romana egrediuntur, usque ad diem qua regredientes, ipsam iterum ingrediuntur.

Nuntii pariter Apostolici eadem gaudent facultate, sed super iis tantummodo qui suae subsunt provinciae, et quamdiu in ea manent, non super alios, nec alibi; ut constat ex Cap. *Excomunicatis* IX. « Excommunicatis pro iniectione » manuum violenta, Ecclesiae Ro- » manae Legati, qui de ipsius la- » tere non mittuntur, extra provin- » ciam sibi commissam, vel ibidem » si huiusmodi manuum iniectores » illuc contingat aliunde accedere. » Et qui Ecclesiarum suarum prae- » textu legationis sibi vindicant » dignitatem etiam subditis (quam- » vis in provincia sua existentes) » beneficium absolutionis impertiri » non possunt; nisi de speciali gra- » tia illis et istis amplius a Sede » Apostolica concedatur. »

Scilicet hi nuntii Apostolici non possunt in aliena provincia aliquem ab huiusmodi excommunicatione absolvere, sed neque extraneos subditos in propria; sed tantummodo subditos suos in provincia assignata.

Quoad coeteros; ab excommunicatione incursa ob percussionem levem absolvere possunt Episcopi, et iuxta probabiliorem sententiam, praelati alii iurisdictionem quasi episcopalem habentes in designato territorio et in populo designato; quam potestatem Episcopus potest etiam alteri committere, quia haec ipsi competit iure ordinario. Qua de causa Vicarius generalis Episcopi,

cum sit iudex ordinarius, et unum tribunal cum Episcopo faciat, non solum ipse ab iisdem casibus absolvere potest, sed etiam aliis absolvendi facultatem concedere. Haec Episcoporum potestas liquet ex Cap. *Pervenit* XVII, inquo dicitur: « De » his absolvendis qui clericis non » enormem, sed modicam et levem » iniuriam irrogarunt, tuae Frater- » nitatis arbitrio duximus committendum. »

Si autem percussio sit gravis et enormis; vel est occulta et ad forum contentiosum nondum deducta; vel notoria et ad forum contentiosum deducta. In primo casu possunt absolvere Episcopi, et ii qui iurisdictionem episcopalem habent, etsi characterem non habeant, ex potestate eis facta a Concilio Tridentino sess. XXIV Cap. VI de Reformatione, in qua dicitur. « Liceat » Episcopis in irregularitatibus om- » nibus et suspensionibus ex delicto » occulto provenientibus, excepta » ea quae oritur ex homicidio vo- » luntario, et exceptis aliis deduc- » tis ad forum contentiosum, di- » spensare, et in quibuscumque » occultis casibus, etiam Sedi Apo- » stolicae reservatis, delinquentes » quoscumque sibi subditos in Dioe- » cesi sua per seipsos aut Vicarium » ad id specialiter deputandum in » foro conscientiae gratis absolvere, » imposita poenitentia salutari. »

Haec autem facultas integra servata est Episcopis in Piana Constitutione: « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV. Cap. 6 de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus. »

Si vero percussio sit notoria et ad forum contentiosum deducta, ab eiusmodi excommunicatione nullus nisi Romanus Pontifex absolvere potest, quia eam sibi reservavit, exceptis tamen casibus in iure expressis, quos recensemus.

Excipiuntur itaque 1. Impuberes, qui etiam ob gravem percussionem absolvi possunt ab Episcopo; idque tenendum est etsi petant absolutionem post pubertatem, quia beneficium a iure ipsis concessum, pubertatis anni supervenientes non extinguunt, ut constat ex Cap. *Pueris* 60 De sent. *excom.* » Pueris qui in canonem incide- » derunt sententiae promulgatae, si- » ve ante, sive post pubertatem po- » stulent se absolvi, potest Dioece- » sanus Episcopus absolutionis be- » neficium impertiri; cum propter » defectum aetatis, in qua fuit com- » missus excessus, rigor sit man- » suetudine temperandus »

2. Excipiuntur moniales iuxta dispositionem Cap. *De monialibus* 33, et mulieres aliae cuiuscumque sint aetatis et conditionis etsi Pontificem adire possint, quia harum peregrinatio ob fragilitatem sexus periculosa censetur. Ex cap. *Mu-*

lieres 6 et Cap. *Eo noscitur* 13. *De sent. excom.* (2)

3. Clerici simul conviventes ex. gr. in Seminariis et Collegiis, saltem si percussio non sit enormis; nam cum ratione communis vitae, aetatis, et cohabitationis facile irascantur, neque illam animi malitiam in se ad invicem percutiendo habeant, ut statui ecclesiastico iniuriam irrogare velint, conveniens putatum non fuit ipsos ad Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio mittere. Haec de cetero sancita reperiuntur in Cap. *Quoniam* 9. *De vita et honest. Clericor.*, in quo praeter alia haec habentur: « Indulgemus etiam ut si quisquam » eorum qui simul vivunt, pro manus iniectione in socium a communione meruerit fieri alienus, » reconciliandi et poenitentiam imponendi potestatem plenariam habeatis, nisi forte atrocitas facti » poenam graviorem expectet. »

4. Ianitor principis, praelati, vel alterius potestatis, si praetextu officii sui, non tamen arrogandi sibi potestatem vel iurisdictionem in clericos, percutiat clericum, modo percussio non sit enormis, ab Episcopo poterit absolvi. Ex Cap. *Si vero* 3 de *sent. excomm.* « Si vero » alicuius potestatis Ostiarius sub » praetextu sui Officii malignatus » (id est malitiose) clericum laese- » rit, ab episcopo suo potest absol- » vi, nisi forte eumdem clericum » graviter vulneravit.

5. Servi idest mancipia, non conductitii et liberi, nisi percussio ita fuerit enormis, ut ad vitandum scandalum et in exemplum aliorum, oporteat eos ad Sedem Apostolicam mittere, possunt ab Episcopo absolvi, si eorum absentia magnum Domino detrimentum inferret, et aliunde Dominus in laesione inferenda particeps non fuerit. Ex cap. *Relatum* 37. « Relatum est nobis » quod cum aliqui servi propter in- » iectionem manuum in clericum » violentam in canonem incidunt » sententiae promulgatae, allegan- » tibus dominis eorumdem, quod » carere mancipiis suis nolunt, ve- » nire ad Sedem Apostolicam ab- » solvendi non curant per occasio- » nem huiusmodi eludentes eccle- » siasticam disciplinam. Quocirca » mandamus quatenus eos venire » compellas ad Sedem Apostolicam » absolvendos, cum plus sit Deo, » quam homini deferendum; nisi » fecerint hoc in fraudem, ut si de- » trahant se obsequio dominorum, » aut ipsi domini propter hoc sine » culpa sua grave damnum incur- » rant; tunc enim in utrolibet casu » poteris eos ex indulgentia nostrae » provisionis absolvere, cum nimis » sint ab Apostolica Sede remoti; » Sed in recompensationem laboris » quem in itinere sustinerent, alia » eis satisfactio iniungatur; dum- » modo non sit tam gravis et enor- » mis excessus, ut propter vitan- » dum scandalum, et tollendum

(3) Mulieres, vel aliae personae, quae sui iuris non sunt, ab Episcopo Dioecesano absolvi possunt, si manus in clericum iniecerint violentas.

» exemplum, huiusmodi servi ad » servum servorum Dei venire de- » beant absolvendi.

6. Quicumque necessitate aliqua laborant, quae ipsis difficilem ad S. Sedem, vel ad eius Legatum recursum reddat; ut si quis laboret febri tertiana, vel alio morbo, si debilis sit, vel ob alicuius membri defectum itineris laborem sustinere non valeat, si ad iter perficiendum cogeretur mendicare, quod agere solitus non fuit, secus si fuit, si sit senex, si periculum sit in itinere ob bellum, pestem etc. Eadem ratione excusantur qui sine damno alieno non possunt iter Romam agere, ut Parochi, mariti, et alii publicis ministeriis addicti, nisi tamen idoneum vicarium habere possint.

Qui autem non habent perpetuum impedimentum, antequam absolvantur, promittere debent, se ad sedem Apostolicam vel eius Legatum accessuros si viribus fuerint restituti, vel illud impedimentum cessaverit. Haec omnia statuta fuere a Gregorio IX in Cap. *Quamvis* 58. in quo ita legimus: « Si aliquis » incidens in excommunicationem » latae sententiae propter violentam » manuum iniectionem, satisfaciat » iuxta proprias facultates iniuriam » passo, non tamen potest aliter » quam per Sedem Apostolicam vel » eius Legatum absolutionem obti- » nere, nisi in quibusdam casibus » hic expressis, videlicet imminente » mortis articulo, infirmitate, ini- » micitia, vel inopia, puerili vel » senili aetate, fragilitate sexus mu- » liebris, vel alia corporis impo- » tentia sive alio canonico impe » dimento, propter quod retraha- » tur, quominus Romanum Ponti- » ficem adire possit, vel iuris be- » neficio a labore huiusmodi ex- » cusetur. Coeterum quibusdam ex » praedictis, nempe qui temporali » impedimento laborant, exceptis » pueris, sub iuramento praestito » secundum Ecclesiae formam, in- » iungendum est, ut impedimento » cessante, ad Apostolicam Sedem » accedant, et mandatum illius su- » scipiant. »

Haec sed vero quoad potestatem Episcoporum.

At certum est, Pianam Constitutionem permittere huius excommunicationis absolutionem etiam aliis « exceptis quoad reservationem » casibus et personis, de quibus » iure vel privilegio permittitur, » ut Episcopus vel *alius* absolvat. »

Atque nullimode dubitandum esse putamus, quin per verbum *alius* intelligendi sint illi Praelati saeculares vel regulares qui iurisdictione quasi Episcopali gaudent in territorium et personas determinatas. Si enim hos demas, nescimus quibus aliis eiusmodi privilegium competere possit.

Verum quid de Praelatis Regularibus dicendum? Possunt ne ab huiusmodi excommunicatione adhuc absolvere?

Etiamsi minime dubitemus quin

pro respectivis monachis respondendum sit *affirmative*; tamen ad lectorum nostrorum eruditionem nonnulla investigabimus, quae huic quaestioni lumen aliquod fortasse allatura erunt.

Itaque investigabimus

1° An ante Concilium Tridentinum Praelati regulares potuerint ab excommunicatione lata contra percussores Clericorum absolvere.

2° Quaeremus: an a Concilii Tridentini Patribus, vel a Pontificibus qui post Concilium Tridentinum Ecclesiam gubernarunt, facultates, si quae factae sunt ante illud Concilium Praelatis Regularibus ab huiusmodi excommunicatione absolvendi, fuerint revocatae.

3° An ab aliquo Romanorum Pontificum huiusmodi facultates fuerint Praelatis regularibus restitutae, et quibus limitationibus.

Et quoad primum quaestionis caput, nullimode negandum est, ante concilium Tridentinum hujusmodi facultatem Regularibus factam fuisse ut absolvere possent ab omnibus casibus Romano Pontifici reservatis, iis aliquando exceptis quae in Bulla coenae continebantur, aliquando neque iis exceptis, saltem quoad proprios confratres. Qua de causa cum excommunicatio ob percussionem clerici vel monachi in Bulla coenae non comprehenderetur, ab ea Praelati Regulares tuto absolvere poterant nedum suos subditos, sed etiam clericos saeculares. Luculentissimum de re testimonium habemus, ut alia documenta praetereamus, in Constitutione *Ex clementi Sedis apostolicae provisione*, quam pro Fratribus Beatae Mariae de Monte Carmelo edidit Clemens VII die 12 Augusti 1530; in qua eis facultatem sibi eligendi confessarium quemcumque concedit, qui eos a quibuscumque peccatis et censuris (exceptis in Bulla coenae contentis) absolvere posset:

« § 8. Omnibusque et singulis » utriusque sexus confratribus et » cuilibet eorum aliquem Presby- » terum idoneum saecularem vel » cuiusvis ordinis, etiam mendican- » tium et de observantia regularem, » in suum possint eligere Confes- » sorem, qui vita eis comite, eos » et eorum quemlibet, a quibusvis » etiam maioris excommunicationis » suspensionis et interdicti, aliisque » ecclesiasticis sententiis, censuris » et poenis, a iure vel ab homine » quavis occasione vel causa, pro » tempore latis, et quibusvis etiam » pro tempore irretiti fuerint, et- » iamsi illorum absolutio Sedi prae- » dictae specialiter vel generaliter » (praeterquam per litteras in coe- » na Domini legi solitas) reservata » foret, omnibusque aliis eorum pec- » catis, criminibus, excessibus et » delictis, quantumcumque gravibus » et enormibus, etiam talibus, pro- » pter quae Sedes praedicta merito » consulenda foret, in casibus di- » ctae Sedi qualitercumque reser- » vatis (exceptis contentis in dictis » litteris Coenae Domini) semel in

» vita et in mortis articulo ... absol-
» vere, illisque pro commissis poe-
» nitentiam salutarem iniungere. »

His tamen facultatibus inferiores illae non sunt, quae in Constitutione *Cum inter cunctas* lata a Paulo III anno 1545, quo habita est prima Sessio Concilii Tridentini, concessae fuere Presbyteris Societatis Iesu, quaeque sequenti testimonio concluduntur.

« Nec non illis ex vobis, qui Pre-
» sbyteri fuerint, quorumcumque
» utriusque sexus Christi fidelium ad
» vos undecumque accedentium,
» confessiones audiendi, et confessio-
» nibus diligenter auditis, ipsos et eo-
» rum singulos, ab omnibus et sin-
» gulis eorum peccatis, crimini-
» bus, excessibus et delictis, quan-
» tumcumque gravibus et enormi-
» bus, etiam Sedi Apostolicae re-
» servatis, et a quibusvis, ex ipsis
» casibus resultantibus sententiis,
» censuris et poenis ecclesiasticis
» (exceptis contentis in Bulla, quae
» in die Coenae Domini solita est
» legi) absolvendi, ac eis pro com-
» missis poenitentiam salutarem in-
» iungendi... plenam et liberam fa-
» cultatem auctoritate Apostolica
» per praesentes ad nostrum et Sedis
» Apostolicae beneplacitum conce-
» dimus. »

At Paulus IV. die 1. Iulii anni 1555 eas facultates, nondum Concilio Tridentino absoluto, concessit Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia, quae concessae fuerant aliis S. Francisci Ordinibus « Et insuper, ut pro tem-
» pore deputatos confessores fratres
» ordinis Minorum Observantiae hu-
» iusmodi omnium quarumcumque
» Dioecesum utriusque sexus Chri-
» stifidelium ad eos pro tempore
» recurrentium confessiones audire
» eosque etiam in casibus et cen-
» suris, quibus eis per privilegia
» Sedis Apostolicae, etiam per mo-
» dum communicationis et exten-
» sionis quorumcumque Ordinum,
» etiam Minimorum, hactenus con-
» cessum est, posse absolvere. Et
» singuli Ordines etiam minorum
» (quorum privilegia eidem Or-
» dini Minimorum sunt communi-
» cata et extensa) absolvere consue-
» verunt. »

Ex quibus, ut alia certissima antiquiora documenta praetereamus, deprehendimus etiam aliis mendicantium Ordinibus ante Concilium Tridentinum similes facultates factas fuisse, ut scilicet absolverent a quibusvis censuris Sedi Apostolicae reservatis, iis non exceptis, quae in Bulla coenae continebantur, si de conreligiosis ageretur.

Cum autem inter Religiosas Familias sit privilegiorum communicatio, Regulares omnes ante Concilium Tridentinum huiuscemodi facultate gaudebant, utquemcumque possent absolvere ab excommunicatione incursa ob percussionem Clerici etiam saecularis, qui casus ut iam dictum est, in Bulla coenae non continebatur.

2° Inquirendum autem secundo

loco est, an a Concilii Tridentini Patribus, vel posterioribus Pontificibus facultates illae Regularibus concessae revocatae fuerint, vel imminutae, vel integrae servatae.

Et quidem quoad Tridentini dispositionem fatemur, nullam in eo haberi explicitam et individuam revocationem facultatum, quae Regularibus concessae fuere, absolvendi ab hujusmodi excommunicatione.

Attamen Sess. XXIV Cap. 6. de Reform. Patres Tridentini unis Episcopis concedunt vel per se vel per idoneum Vicarium absolvere in foro conscientiae *in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi apostolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos.* At respondent Regulares: ex quo Episcopis ejusmodi facultates concessae fuerint, non sequitur sublatas Regularibus facultates fuisse, quas a Romanis Pontificibus consecuti fuerant; sicut ex quo a Concilio Tridentino exigatur potestas ordinaria vel delegata ad absolvendos casus Romanis Pontificibus reservatos, non sequitur ademptam Regularibus fuisse potestatem delegatam quam a Romanis Pontificibus habuerant; ad hoc enim specialis revocatio necessaria erat, cum revocatio etiam generalis infirmare non possit privilegia specialia quae alicui Ordini facta sint, cum illa collata fuerint ob rationes speciales.

Item Sess. XIV. Cap. 7 de poenitentia legimus: « Extra mortis ar» ticulum nulli Sacerdotum licere » a casibus reservatis absolvere: ex» tra quem articulum Sacerdotes » cum nihil possint in casibus re» servatis, id unum poenitentibus » persuadere nitantur, ut ad su» periores et legitimos iudices pro » beneficio absolutionis accedant. »

Verum neque ex hoc, dicunt, contra Regularium facultates concludere licebit; loquitur enim Tridentinum de sacerdotibus facultates opportunas non habentibus, neque de revocatione facultatum, quas regulares habebant, ulla fit mentio.

Gravius fortasse videri poterit quod legimus Sess. XXV. Cap. XXII. de Regularibus, in quo dicitur: « Haec omnia et singula in su» perioribus decretis contenta obser» vari Sancta Synodus praecipit.... » non obstantibus eorum omnium et » singulorum privilegiis sub qui» buscumque formulis verborum con» ceptis ac *mare magnum* appella» tis etiam in fundatione obtentis, nec » non constitutionibus et regulis et» iam iuratis, atque etiam consue» tudinibus vel praescriptionibus, » etiam immemorabilibus. »

Verum hisce respondent, incertum valde esse, an haec ad omnia decreta in praecedentibus sessionibus lata referantur, vel, ut probabilius videtur, ad praecedentia decreta unum et viginti circa Regulares lata in hac ipsa Sessione XXV. Cum autem dubia revocatio infirmare non possit certam privilegiorum possessionem, affirmant patere neque per hanc Tridentini dispositionem posse revocatam censeri

facultatem Regularibus concessam ab eiusmodi excommunicatione absolvendi.

Ex Concilio Tridentino quapropter nullum vel valde infirmum argumentum exurgere propugnant ad negandum huiusmodi privilegium Regularibus.

Videamus igitur an a posterioribus Pontificibus per particulares sanctiones eiusmodi sit derogatum Regularium privilegio.; et quo sensu Concilii Tridentini decreta fuerint accepta.

Et primo nobis sese affert Bulla *In Principis apostolorum Sede* lata a Pio Papa IV die 18 Februari 1564, in qua revocat quaecumque indulta et privilegia, etiam Regularibus concessa, in iis quae Concilio Tridentino adversantur. Statuit autem

§. 1. « Cum itaque in eodem » Concilio quam plura salubria et ad » universalem morum reformatio- » nem valde utilia decreta atque » statuta, maturo praesentium ipso- » rum examine praecedente, sint » edita, quibus multa atque diver- » sa privilegia, exemptiones, immu- » nitates, dispensationes, facultates » conservatoriae, indulta, et, ut vo- » cant, *Confessionalia et mare ma- » gnum*, et aliae gratiae, quae va- » riis tam cathedralibus, etiam me- » tropolitanis, quam collegiatis ec- » clesiis, monasteriis, conventibus, » et aliis religiosis, etiam fratrum » mendicantium domibus et ordini- » bus, nec non sancti Spiritus in Sa- » xia, sancti Ioannis Lateranensis, ac » Incurabilium de Urbe, sancti Antonii » Viennensis, et sancti Bernardi Iu- » rensis, aliisque hospitalibus, mi- » litiis, eorumque capitulis et con- » ventibus ac universitatibus, etiam » studiorum generalium collegiis tam » saecularibus quam ecclesiasticis, » confraternitatibus, societatibus; et » tam principis Apostolorum de Ur- » be, quam aliis fabricis, sanctae » cruciatae, aliisque piis locis et » operibus; nec non patriarchis, Ar- » chiepiscopis, Episcopis, Praelatis, » Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, » Praepositis, et aliis ecclesiasticis » tam saecularibus, quam diverso- » rum ordinum et militiarum re- » gularibus, ac etiam laicis cuius- » cumque dignitatis et status ac » gradus et excellentiae, ac etiam » ducali regia et imperiali dignitate » fulgentibus utriusque sexus per- » sonis, nec non aliquibus notariis » et etiam de latere legatis atque » nunciis, tam perpetuo quam » ad tempus, per Romanos Pon- » tifices praedecessores nostros » ac Nos et Sedem Apostoli- » cam eiusque legatos hactenus, » etiam motu proprio et ex certa » scientia, ac de apostolicae pote- » statis plenitudine, seu etiam im- » peratorum regum, ducum et alio- » rum principum contemplatione et » intuitu, etiam de fratrum consi- » lio, diversimode, variisque tem- » poribus, in genere vel specie, » ex quavis etiam honesta causa con- » cessa, et etiam pluries confirmata » et innovata fuerint, in plerisque » contrariantur. »

§. 2. « Nos, quibus in primis cordi » est, tam sancta et Ecclesiae Dei sa- » luberrima decreta suos, ut par » est, effectus ubique consequi et » ab omnibus obedienter observari, » privilegiorum, exemptionum, im- » munitatum, facultatum, conserva- » toriarum, indultorum, confessio- » nalium, *Maris magni*, et aliarum » gratiarum praedictarum ac qua- » rumcumque apostolicarum et alia- » rum literarum desuper confecta- » rum processuumque, decretorum » et aliorum inde secutorum teno- » res, ac si de verbo ad verbum » insererentur, praesentibus pro » sufficienter expressis et plene in- » sertis habentes, motu proprio et » ex certa scientia, ac de Aposto- » licae potestatis plenitudine, quod » eadem omnia et singula privile- » gia, exemptiones, immunitates, » facultates, dispensationes, indulta, » *Confessionalia, Mare magnum*, et » aliae gratiae in his omnibus et » singulis, in quibus illa *statutis* » *et decretis Concilii huiusmodi con-* » *trariantur*, ipso iure revocata, » cassata, et annullata, ac ad ipsius » Concilii terminos atque limites » reducta sint et esse censeantur; » nec quidquam adversus ipsa de- » creta et statuta, quominus ubique » et apud omnes observentur, in » aliquo suffragari posse, sed ea » perinde haberi et reputari debere, » ac si numquam emanassent, aucto- » ritate apostolica, tenore praesen- » tium, declaramus, ac etiam sta- » tuimus et ordinamus. »

§ 3. « Decernentes nihilominus » omnia et singula, quae, vigore pri- » vilegiorum, exemptionum, immu- » nitatum, et dispensationum, fa- » cultatum, conservatoriarum, in- » dultorum, confessionalium et alia- » rum quarumcumque gratiarum » huiusmodi, post id tempus, quo » concilium obligare coepit, facta » et gesta quomodolibet fuerunt et » in posterum fient, *in iis, in qui-* » *bus dicti concilii decretis adver-* » *santur*, nulla, invalida et irrita » esse et censeri, ac nemini, etiam » quantumlibet, ut praefertur, qua- » lificato, tam in foro, quod aiunt, » fori, quam conscientiae, suffra- » gari posse ac debere. »

Ac a principio animadvertimus, hanc Pii IV Bullam ad hoc latam esse ut revocaret, vel revocata esse declararet, omnia et singula etiam Regularium privilegia, quae decretis in Concilio Tridentino latis adversarentur.

Futilis qua de causa contra praefatam Bullam est illa iurisperitorum regula, quod nulla lex, vel constitutio, vel decretum quantumvis generaliter vel universaliter latum derogat particularibus locorum, aut personarum statutis, consuetudinibus aut privilegiis, nisi ea omnia exprimat; cum enim lex aliqua ad hoc specialiter fertur, ut privilegia, consuetudines, indulta etc ex. gr. Regularium abroget, nullimode necesse est, ut concessas prius, et deinde abrogandas gratias et privilegia singillatim enumeret; sed sa-

tis est ut huiusmodi privilegiorum, facultatum, gratiarum etc. revocandarum mentionem faciat, ut illico revocatae censendae sint. Ipsa enim lex cum sit ad praedictam revocationem specialiter lata, ipso facto indicat sub revocatione cadere omne id ad quod specialiter refertur.

Ut autem haec recentiori exemplo illustremus: Benedictus XIII in Constitutione *Pretiosus* inferius referenda, an. 1727. tot ac tanta privilegia ordini Praedicatorum contulit, quanta Romanus Pontifex conferre quodammodo potuit; atque ne aliquando in irritum a successoribus Pontificibus deducerentur, seu revocarentur, tales peculiares clausulas apposuit, quales nos umquam alibi legimus. Statuit enim

§ 50. « Decernentes, omnia et » singula praemissa, a nobis, ut praefertur, confirmata, approbata, innovata, extensa, de novo concessa » et indulta, easdemque praesentes, » semper et perpetuo, tamquam » divini cultus et bonorum operum » augmentum religionisque propagationem respicientia, valida et » efficacia, ac validas et efficaces esse » et fore, suosque plenarios et integros effectus *perpetuo* sortiri et » obtinere, et ab omnibus firmiter » atque inviolabiliter (observari); » nec ab illis *ullo umquam tempore* » quovis praetextu, occasione, vel » causa resiliri aut decedi (1); neque » de nullitatis, obreptionis, subreptionis vitio et intentionis nostrae » defectu notari, impugnari vel retractari; nec adversus illas quodcumque iuris vel facti remedium, » *nec etiam oris aperitionem impetrari umquam posse,* neque sub » quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, *privilegiorum*, » *indultorum revocationibus, limitationibus, suspensionibus,* derogationibus, et aliis contrariis » dispositionibus, *etiam per nos et* » *successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam,* sub quibusvis » tenoribus et formis, ac sub quibusvis clausulis et decretis etiam » derogatoriarum derogatoriis, *minime confundi vel comprehendi* » *posse,* nisi de toto earumdem praesentium tenore et data expressa » mentio, *nihil penitus omisso,* habita, et revocatio, derogatio, suspensio, limitatio, restrictio et » alia quaecumque contraria dispositio *Magistro et Procuratori generalibus pro tempore dicti Ordinis, expresse, distincte, ac nominatim intimatis* (2)*;* iisque *per* » *trinas distinctas literas apostolicas tribus diversis vicibus cum* » *temporis competentis intervallo ad* » *id specialiter vocatis factae fuerint.* Et si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari et restringi » contingat, huiusmodi derogationem, revocationem, suspensionem » et restrictionem *nullius esse roboris et momenti;* et quoties illae » emanabunt, toties in eorum primum et validissimum statum » *sub quacumque etiam posteriori*

(1) Forte: *recedi.*

(2) Forte: *intimatae.*

» *data per Magistrum generalem et* » *fratres pro tempore existentes prae-* » *dictos eligenda, restitutas, repo-* » *sitas, et plenarie reintegratas, et* » *de novo etiam concessas esse et* » *fore; ac vim validi et efficacis* » *contractus etiam cum iuramento* » *inter Nos et Sedem praedictam,* » *ac Magistrum generalem et fra-* » *tres praedictos iniri debere;* sicque » et non alias per quoscumque iu- » dices ordinarios et delegatos, » etiam Palatii Apostolici auditores, » ac etiam S. R. E Cardinales, etiam » de latere legatos, vicelegatos, di- » ctaeque Sedis Nuncios, *sublata eis* » *et eorum cuilibet quavis aliter iu-* » *dicandi, interpretandi, et defi-* » *niendi facultate et auctoritate,* » *in quavis causa vel instantia iu-* » *dicari, sententiari et definiri de-* » *bere;* nec non quidquid secus » super his a quoquam, quavis » auctoritate, scienter vel ignoran- » ter, contigerit attentari, irritum » et inane decernimus et declara- » mus. »

Nemo haec legens dubitabit, quin ad revocationem privilegiorum a Benedicto XIII Praedicatorum Ordini collatorum, necessariae prorsus fuerint clausulae derogatoriae particulares, trina diversis vicibus ad Magistrum et Procuratorem generalem monitio, et alia omnia quae Benedictus praescribit. Ligavit enim quodammodo, ut collata privilegia intègra perpetuo manerent, ipsam successorum Pontificum voluntatem et potestatem.

Atqui tamen Pius Papa IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* sancienda, nihil erga ordinis Praedicatorum Praelatos executus est eorum quae Benedictus constituerat; sed quoad excommunicationes specialiter reservatas decrevit « nullo pacto » sufficere generalem concessionem » absolvendi a casibus et censuris, » sive excommunicationibus Ro- » mano Pontifici reservatis,.. revo- » catis insuper earumdem respectu » quibuscumque indultis concessis » sub quavis forma et quibusvis per- » sonis etiam Regularibus cuiuscum- » que ordinis etc. »

Quoad vero censuras simpliciter reservatas statuit « in novis quibus- » cumque concessionibus ac privi- » legiis, quae ab Apostolica Sede » concedi cuivis contigerit, nullo » modo ac ratione intelligi umquam » debere, aut posse comprehendi » facultatem absolvendi a casibus » et censuris quibuslibet R. Ponti- » fici reservatis, nisi de iis forma- » lis, explicità et individua men- » tio facta fuerit;.. privilegia autem, » aut facultates etc. quae hucusque » concessae fuerint, ea omnia, easque » omnes nostra hac Constitutione » revocatas, suppressas, et abolitas » esse volumus etc. »

Verum si stat superius allegata Canonistarum quoad hanc rem ratiocinatio, nonne adhuc integra Dominicanorum privilegia defendenda sunt? Quare ergo et illa revocata et abrogata credere debemus, etiam ex s. Poenitentiariae

decreto alias referendo, nisi quia cum specialis revocatio privilegiorum per Constitutionem aliquam, vel in aliqua Constitutione de eadem materia agente fit, minime necessarium est singillatim privilegia enumerare, sed satis est ut revocentur, eo quod ipsa Constitutio ad hoc facta locum tenet specialis revocationis? Sin enim haec negemus, nescimus quaenam privilegia per Pianam Constitutionem fuerint revocata.

Quid enim? Si R. Pontifex Constitutionem ederet, qua revocaret omnia privilegia S. R. Ecclesiae ex gr. Cardinalibus concessa, praesumeres ne a R. Pontifice omnia esse singillatim enumeranda? Minime; sed ipso facto abrogata ab omnibus Cardinalium privilegia haberentur, quod romanus Pontifex specialem Constitutionem ad illa abroganda ediderit. Atque Cardinalis quilibet suis privilegiis nuntium remitteret, quia Cardinalis quilibet novit in speciali revocatione privilegiorum alicui ordini concessorum nullimode necessarium esse privilegia singillatim enumerare.

2° Sed hoc parum est. Pius enim IV adeo diligens in enumeratione privilegiorum, quae Regularibus concessa fuere, deprehenditur, ut omnia quodammodo enumeret; recenset enim ea quocumque nomine vocarentur, ipsum *mare magnum* revocando, quod erat privilegiorum cumulus Regularibus concessorum a Clemente IV in Const. *Virtute conspicuos* lata die 21 Iulii 1265; quae deinceps privilegia ampliata fuere a Xisto Papa IV in Const. *Regimini Universalis Ecclesiae* lata die 31 Augusti an. 1474: atque est prorsus haec Xisti Constitutio, quae *mare magnum* vocabatur tum a Franciscanis tum a Dominicanis. Et quasi id insufficiens videretur, verba adhibet *omnia et singula privilegia*, ut scilicet nullum effugeret.

3° Pius Papa IV. nullimode loqui videtur de huiusmodi privilegiis, quatenus opponuntur Decretis pro Regularibus latis sessione XXV Concilii Tridentini, sed loquitur de universis ipsius Concilii decretis, sint nec ne pro Regularibus lata. *Quam plura salubria et ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque statuta... quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones etc... in plerisque contrariantur.* Quod indicat, horum privilegia ab decretis quibuscumque Tridentinis difformia esse et censeri debere *revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta.*

4° Quo posito, nullius ponderis nobis esse videtur ratio illa, quae ab nonnullis privilegiorum huiusmodi defensoribus affertur; in Concilio scilicet Tridentino, non haberi revocationem privilegiorum, saltem omnium, Regularibus concessorum.

Ultro enim haec libenterque concedimus. Sed quid inde? Ex quo Concilii Tridentini Patres non-

nulla Regularibus privilegia intacta reliquerint, licitum ne erit inferre, haec ea esse etiam quae Pius IV abrogat utpote Concilii eiusdem decretis contraria?

Interea certum est, decreta et statuta Concilii Tridentini lata fuisse pro universali Ecclesia, quibus proinde omnes sese conformare debebant; certum est, Patribus Tridentinis privilegia Regularium nota apprime fuisse, et tamen nullam fecisse pro Regularibus exceptionem tum in aliis, tum in praesenti casu. Dicendi ne ergo sunt, illa privilegia intacta voluisse servare, quando ut servarentur, erant expresse Regulares excipiendi?

Incredibile autem quodammodo nobis videtur voluisse Patres Tridentinos, non obstantibus decretis, quae pro universa Ecclesia ediderunt, Regularium privilegia firma consistere. Sciunt enim omnes, Regulares, tum praesertim temporis, fuisse numero maiores, atque in orbe universo diffusos; qua de causa reformatio disciplinae, et Canones disciplinares Concilii Tridentini omnibus in provinciis catholici orbis, in plurimis Capitibus a Regularibus minime observati fuissent, utpote qui dicere possent, non esse pro ipsis latos. Rem ut exemplo illustremus: Sess. XXIV. Cap. 6. facta a Tridentinis Patribus potestas Episcopis fuit absolvendi in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicae reservatis. Ante Concilium Tridentinum idipsum, et quid amplius ex privilegiis collatis Regulares poterant. Ni ergo ab illo decreto exclusos putemus regulares, quid Tridentini Patres Episcopis contulerunt quod Regulares non possent? Et ut verius loquamur; cum praefato decreto constituerint graviora crimina esse S. Sedi Apostolicae reservata et tantum in casibus occultis posse Episcopos absolvere, nescimus quamnam induxerint reservationem, si in ea post Concilii promulgationem Regulares id potuissent quod antea. Legant lectores nostri *Mare magnum* et iudicent.

5. Quidquid tamen de hisce sit; certum est a Pio Papa IV eiusmodi privilegia omnia recensita, et revocata fuisse, atque nedum ea quae Regulares respiciebant, sed etiam illa quae ad Cathetrales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, etc. pertinebant, prout legenti relatam Bullam perspicuum erit. Quid ergo dicemus? aliorum privilegia cessasse, Regularium autem non cessasse? Sed nonne est eadem lex? Fortasse ne in variis Concilii Tridentini legibus, canonibus, atque dispositionibus invenitur abrogatio specifica et individua privilegiorum illorum omnium Ordinum, personarum, et locorum quae Pius IV recenset? Profecto non invenitur. Et tamen cessarunt. Quare ergo ex Concilio Tridentino vigere putanda sunt una regularium privilegia praesertim post Pii constitutionem?

Equidem quis dicturus erit, Pium Papam IV abrogasse ea omnia pri-

vilegia Regularium *quae statutis* et *decretis Concilii Tridentini contrariantur*; privilegium autem ex. gr. absolvendi aliquem ab excommunicatione ob percussionem clerici non adversari statutis et decretis huiusmodi.

Sed haec fortasse obiiciuntur, quod ad verbum *contrariantur* a Pio IV adhibitum aliqui ea transferant qua de propositionum oppositione Logici scribunt, *ut una scilicet negando destruat quod altera ponit affirmando.* Logica propositionum oppositio inter Tridentini decreta, et Bullam Pii IV ad verbum non deprehenditur sed re. Ipse Pius IV insuper declaravit, quo sensu verbum *contrariantur* accipiendum sit, ut scilicet regularium privilegia omnia *ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint,* ita ut si qui canon, si quae disciplinaris dispositio in Concilio Tridentino inveniatur, a qua sit vel ex parte, vel ex toto difforme quodcumque privilegium Regularium, nullius valoris in posterum putandum sit.

7. Atque hac de causa decernit, ut si quid ratione privilegiorum suorum Regulares attentaverint, a die quo Concilium Tridentinum obligare coepit, contra ea quae in dicto Concilio decreta sunt, irritum esse et censeri.

8. Utique doctissimus Reiffenstuel, Ius Canonicum Universum Lib. V. Tit. XXXIII *De Privilegiis* nobis contradicit, atque Bullam Pii IV in privilegiorum Regularibus factorum conservationem trahere nititur. Praestat eius obiectionem et responsionem in medium producere. Scribit itaque:

« Obiicies secundo: Bullam Pii IV » *In Principis Apostolorum Sede,* » ubi Papa omnia et singula etiam » Regularium quorumcumque privi- » legia sub quacumque excogitabili » forma, et ex quacumque causa » concessa, universaliter ac indi- » stincte revocat, et annullat in » omnibus in quibus illa Statutis » et Decretis Concilii Tridenti- » ni contrariantur; ergo non tan- » tum privilegia Decretis *Sess.* 25. » *de Regularibus,* vel alicui ex prio- » ribus Sessionibus Decreto cum ex- » pressa derogatione privilegiorum » posito adversantia, sed etiam illa » revocat, quae alicui cuicumque » tandem Decreto dicti Concilii con- » trariantur. »

« Resp. cum Roderiquez cit. » Tom. 1. q. 8. Art. 7. et aliis: » hanc Bullam minime obesse con- » clusioni n. 139 positae. (1) Ra- » tio est, quia dicta Bulla per suam » clausulam vult quidem, ut non » obstantibus privilegiis, omnia de- » creta Concilii Tridentini exacte » observentur, sed non in alio

(1) Conclusio numeri illius est sequens. « Alii iique classici auctores probabilissime » et solide docent, haec ultima privilegia quae Decretis aliarum sessionum (excepta 25 de » Regularibus) clausulam privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus contraria » sunt, ab eodem Concilio non censeri revocata, nec contineri in praefata clausula: *Dummodo » Sacris Canonibus et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* »

» sensu, quam in quo observari » vult ipsum Concilium; eo, quod » lex vel Constitutio aliqua, quae » fit ad corroborandam aliam, qua- » lis est praefata Constitutio Pii IV » respectu decretorum et legum » dicti Concilii, utpote quae fuit » edita in maius robur, maiorem- » que observantiam dictorum de- » cretorum, uti patet ex illis ver- » bis Bullae: *Nos, quibus inprimis » cordi est, tam sancta et Eccle- » siae Dei saluberrima decreta, » suos, ut par est, effectus ubique » consequi, et ab omnibus obedien- » ter observari*;) necessario debeat » intelligi, et interpretari iuxta sen- » sum et mentem legis, quam cor- » roborat, ita ut easdem limitatio- » nes et extensiones quas habet, » vel recipit corroborata, recipere » etiam debeat corroborans, uti cum » Glossa bene advertit Felinus; cum » enim referens se ad aliquid, de- » beat intelligi secundum id ad quod » se refert, *arg. L. In testamento* » ff. *de condit. et demonstrat.*; etiam » Bulla Pii IV referens se ad De- » creta Concilii, debet secundum » mentem et sensum dictorum de- » cretorum intelligi et explicari; » consequenter, quia ipsa decreta » Concilii sine clausula privilegio- » rum derogatoria posita non dero- » gant privilegiis iuxta dicta, nec » ipsa Bulla corroborans dicta De- » creta eisdem derogat, sed ea eo- » dem modo et sensu relinquit in » suo valore, quo ea relinquuntur » a Decretis. »

Verum nescimus an eiusmodi ratiocinatio nostram sententiam evertat. Quaestio enim in primis est, an Bulla Pii IV revocet omnia Regularium privilegia quae decretis ac statutis Concilii Tridentini contrariantur; de hoc nemo dubitat. Quaestio altera quapropter erit; an decreta et statuta Concilii Tridentini posita sine ulla clausula privilegiorum derogatoria pariter obligent universam Ecclesiam. Putamus neque hanc quaestionem ab aliquo posse negari. Hinc tertia quaestio erit; an Pius IV revocaverit Regularium privilegia, quae hisce statutis et decretis clausula privilegiorum derogatoria destitutis contrariantur. At hoc manifestum fit tum ex fine, tum ex verbis Bullae citatae, tum ex declarationibus S. Congregationis Episcoporum et Regularium, tum ex aliquo, quod afferemus, Romanorum Pontificum facto.

Et profecto finis apertissime patet ex titulo Bullae ipsius qui ita iacet « *Revocatio quorumcumque indultorum, confessionalium, maris magni, aliorumque privilegiorum, quibuscumque, etiam Regularibus, concessorum, in his quae Concilio Tridentino adversantur.*

Concilio Tridentino, inquit; non huic vel illi sessioni, non huic vel illi decreto vel statuto. Pius Papa IV igitur abrogavit revocavitque omnia privilegia quae cuicumque Concilii decreto adversarentur.

Id vero apertius fortasse decla-

ravit, cum affirmavit, suam voluntatem esse, ut praedictum Concilium et ab omnibus susciperetur, et *aequaliter* ab omnibus observaretur. » Oecumenicum Concilium Tridentinum.... per universos qui christiana professione censentur ubique susciptiatur, et remotis quibuslibet obstaculis, ab omnibus *aequaliter* observetur. »

At profecto, stantibus privilegiis, quae huic vel illi decreto sine clausula derogatoria posito, adversarentur, Concilium Tridentinum aequaliter ab omnibus observatum non fuisset.

Quod ne in Ecclesia contingeret omnium privilegia, gratias, indulta dispensationes, facultates etc. revocavit quibuscumque, etiam Regularibus, concessas, eas proprio nomine appellando et revocando, veluti si numquam concessae fuissent; *nec quidquam adversus ipsa decreta et statuta quominus ubique et apud omnes* (non apud hunc vel illum) *observentur, in aliquo* (non ergo in hoc vel illo) *suffragari posse, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanassent.*

Nescimus an clarioribus verbis sese Pius IV exprimere potuerit.

Qua de causa ea quae reponit cl. Reiffenstuel (et ignorantiae nostrae dent benignam lectores veniam) profitemur nos non intelligere.

Et certe non intelligimus quid adiumenti causae suae afferat, affirmando, Pium IV velle *ut non obstantibus privilegiis omnia, decreta Concilii Tridentini exacte observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari vult ipsum Concilium.*

Utique; eo prorsus sensu observari vult. Sed quid inde? Fortasse ne Concilium Tridentinum edixit, eo sensu sua esse decreta observanda, ut privilegia tamen intacta remanerent? Hoc esset probandum. Hinc ruit ratio addita; quod scilicet lex vel Constitutio aliqua, quae *fit ad corroborandam aliam necessario debeat intelligi et interpretari iuxta sensum et mentem legis, quam corroborat.*

Nisi enim prius doctissimus Canonista probet, mentem Tridentinorum Patrum illam esse, quam ipse sibi confingit, nihil profecto consequetur.

Quaestio autem in hoc prorsus versatur.

Et quidem probatio, quam affert, nescio an defendi possit: *Consequenter,* enim scribit, *quia ipsa decreta Concilii sine clausula privilegiorum derogatoria posita non derogant privilegiis, iuxta dicta, nec ipsa Bulla corroborans dicta decreta eisdem derogat.*

Hinc nescimus ad quid Pius IV Bullam suam ediderit; nescimus ad quid privilegia Regularium revocaverit; nescimus ad quid indixerit ut omnia decreta et statuta Concilii Tridentini aequaliter ab omnibus observarentur.

Certum enim erat apud omnes privilegia regularium quae adversa-

bantur decretis cum clausula derogatoria positis, ipso facto post Concilii promulgationem cessasse; ad hoc fidelibus insinuandum omnino inutilis Pii IV Bulla censetur et est. Ergo ne talia dicamus, dicendum erit, Pium IV statuisse revocata esse privilegia quaecumque Regularium, quae cuilibet decreto et statuto Tridentini Concilii adversantur. Id autem verba eius evidenter indicant, cum loquatur de universis decretis atque statutis Concilii Tridentini, eaque velit ab omnibus *aequaliter* observari.

Certe Bulla Pii IV non distinguit inter decreta cum clausula et sine clausula derogatoria. Non intelligimus igitur quomodo alii distinguere possint. Scopus Pii IV est ut decreta Concilii Tridentini ab omnibus *aequaliter* observentur, atque hinc revocatio privilegiorum. Cum ergo de intentione, quae de cetero etiam ex verbis patet, Pii IV dubitare non possimus, videtur etiam dubitandum non esse de privilegiorum revocatione Regularibus concessorum, quae quomodolibet cuicumque Concilii Tridentini decreto adversantur.

Hanc autem fuisse etiam mentem Romanorum Pontificum qui post Pium IV Ecclesiae gubernacula tractarunt, liquido patet ex Decreto per organum S. Congregationis EE. et RR. ab Urbano VIII lato, die 17 Novembris an 1628 quod ita legitur « Sacra Congregatio censuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia *prius ab eodem Concilio* ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis *sublata atque extincta*, si quae habebant absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis. »

Atque eodem sensu Clemens X in Constitutione *Superna* lata die 21 Iunii 1670 protestatur: Per confirmationes dictorum privilegiorum quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius *ab eodem Concilio* ac deinde Apostolicis decretis *sublata atque extincta*, si quae habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis. »

At quaerimus: in quo Concilii Tridentini decreto vel statuto habetur clausula derogatoria, qua regulares interdicuntur absolvere a casibus Episcopo reservatis? Ergo quod dixit Pius IV; quod dicunt successcessores Pontifices, dum revocant privilegia omnia quae contrariantur decretis et statutis Concilii Tridentini, dicunt de universis Concilii decretis, habeant nec ne clausulam derogatoriam.

Cum itaque in Concilii Tridentini decretis existat, a casibus occultis S. Sedi reservatis, unos tantummodo Episcopos absolvere posse, quo nomine ad summum illi etiam veniunt qui iurisdictione quasi Episcopali gaudent in territorio de-

terminato, manifestum esse putamus iuxta Bullam Pii IV revocantis privilegia Regularium et aliorum in iis quae decretis et statutis Concilii Tridentini contrariantur, Regulares ab excommunicatione ob percussionem Clerici non posse vi Concilii Tridentini absolvere.

Nullam autem difficultatem ingerunt successivae Romanorum Pontificum Constitutiones, in quibus Regularium privilegia in casibus Romano Pontifici reservatis confirmare videntur; confirmant enim ni Concilii Tridentini, vel Romanorum Pontificum decretis obsistant.

Ita die 20 Maii anni 1575 Gregorius XIII in Constitutione *Ex benigna Sedis apostolicae provisione* confirmat Regularium privilegia, *quatenus sint in usu, et sacris Canonibus, et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur.*

Clemens VIII pariter die 20 Decembris an. 1597 eadem privilegia approbat, confirmat, et innovat *in his omnibus in quibus decretis Concilii Tridentini non adversentur.*

Similiter Paulus Papa V die 19 Iulii an. 1607 eadem privilegia confirmat *quatenus sint in usu, et non sint revocata seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, et sacris Canonibus et Concilii Tridentini decretis et Constitutionibus Apostolicis et ecclesiasticae libertati in aliquo non adversentur.*

Eundem demum loquendi tenorem adhibet Innocentius XI in Bulla *Exponi nobis* edita die 5 Septembris an. 1686, in qua haec ait: « De venerabilium Fratrum Nostrorum » S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium consilio, et » attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater noster Alteranus » Episcopus Portuensis eiusdem S. » Romanae Ecclesiae Cardinalis Cibo nuncupatus, dicti ordinis apud » Nos et Sedem Apostolicam protector eisdem Cardinalibus super » praemissis fecit, praedictas Clementis VIII quae incipiunt *Ratio* » *Pastoralis*, ac Pauli V, quarum initium *Iniuncti Nobis*, Urbani VIII » praedecessorum quae incipiunt. *In* » *plenitudinem* etc. aliorumque RR. » Pontificum successorum literas super praemissis privilegiis respective emanatas, *dummodo tamen sint* » *in usu, nec sint revocatae aut sub* » *aliqua revocatione comprehensae*, » *sacrisque Canonibus et Concilii Tridentini decretis et posterioribus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis... non adversentur, auctoritate Apostolica confirmamus* » *et approbamus etc.* »

Verum quod hanc quaestionem extra omnem controversiam ponit est Constitutio *Romani Pontificis circumspecta benignitas* lata a S. Pio V. die 21 Iulii 1571 pro Praelatis Ordinis Praedicatorum. In ea porro narratur, Priorem provincialem provinciae Hispaniae exposuisse, Fratres Ordinis praedicatorum, posthabitis aliquando sui ordinis Confessariis, iis uti velle qui erant ab

Episcopo approbati, quique facultatibus vel vi Bullae Cruciatae, vel aliorum privilegiorum, pollebant absolvendi a casibus Episcopo et Sedi Apostolicae reservatis; qui agendi mos in speciale eorum vergebat detrimentum. Id S. Pius V omnino prohibet; atque Priori Conventuali et Praelatis totius Ordinis Praedicatorum concedit facultatem quae his verbis concluditur.

« § 5. Et insuper, quia sacrum » oecumenicum generale Concilium » concessit Episcopis ut absolvere » possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis, » et dispensare in irregularitatibus » prout sess. XXIV. cap. VI habetur, ne Prior conventualis et Superiores Praelati dicti totius ordinis tam in dicta provincia, quam » extra eam ubilibet, in hac parte » deterioris conditionis, quam clerici aut saeculares existant, eisdem » Priori conventuali et Superioribus » Praelatis, ut ipsi per seipsos idem » omnino possint in fratres et moniales dicti ordinis sibi subditos, » quod possunt Episcopi in clericos » et laicos sibi subiectos, tum quoad » absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates ... perpetuo concedimus » et indulgemus. »

Ex his autem liquido haec sequuntur:

1.° Confessariis ordinis Praedicatorum ab Episcopo non probatis, et idipsum de aliis aliorum ordinum confessariis dicendum est, post Concilium Tridentinm nullam fuisse facultatem absolvendi a casibus sive Ordinariis, sive S. Sedi reservatis, ob idque Fratres dicti ordinis peccata sua voluisse exponere Confessariis ab Episcopo approbatis.

2.° S. Pium V. concessisse Praelatis Ordinis Praedicatorum facultatem ipsam, quam Tridentini Patres sessione supradicta fecerunt Episcopis.

3.° Ergo evidens omnino est, fuisse revocata quaecumque Regularium privilegia quae adversabantur cuicumque Tridentini decreto. Nisi enim haec dicamus, ad quid Pius V illam facultatem concessisset, cum in praefato Capite Tridentini Concilii, nulla sit clausula derogatoria, et proinde integra Regularibus manebant privilegia nedum suos Confratres, sed etiam extraneos a casibus occultis et manifestis Apostolicae Sedi reservatis absolvendi?

Putavit ergo S. Pius V, per citatum Tridentini statutum revocata fuisse anterius Dominicanis collata privilegia.

Putavit quapropter revocata esse privilegia quaecumque Regularium, quae cuicumque decreto et statuto Concilii Tridentini sive cum clausula derogatoria posito, sive sine huiusmodi clausula adversabantur.

Successores itaque Pii IV in Regularium privilegiis innovandis confirmandisque sarta tecta Tridentini et antecessorum Pontificum decreta esse voluerunt; qua de causa eorum confirmationes sunt hypothe-

ticae non absolutae; tanti igitur valent quanti Bulla Pii IV.

Cum autem, ipso Reiffenstuel loc. cit. non negante, huius Constitutio respiciat universa Concilii Tridentini decreta et statuta sive cum clausula derogatoria posita sive sine eiusmodi clausula, patet Regulares post Concilium Tridentinum, privilegiis, quibus antea fruebantur, fuisse privatos, et a supradictis Pontificibus minime in iis restitutos.

Verum praeter Romanorum pontificum constitutiones afferre etiam possumus alia documenta, quibus lectores colligent, privilegia antea Regularibus concessa adversari decretis Concilii Tridentini, ea a nullo Romanorum pontificum fuisse innovata vel restituta; exceptum demum fuisse casum absolutionis a censura ob percussionem Clerici incursa.

Et primum nobis sese offert Decretum, et eiusdem Decreti modificatio, latum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium sub die 26 Novembris an. 1602, quo Confessariis omnibus tam saecularibus quam Regularibus interdicitur absolutio a casibus Romano Pontifici reservatis.

Eiusmodi documentum excribimus ex Collectanea, quam in usum Secretariae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium confecit Eminentissimus Card. Bizzarri tunc eiusdem Congregationis Secretarius pag. 17.

Ita porro se habet

Declarátio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis.

« Editum fuit alias a S. Con» gregatione S. R. E. Cardinalium » negotiis et consultationibus Epi» scoporum et Regularium praepo» sita, Decretum super absolutione a » casibus reservatis eius qui sequi» tur tenoris. »

Sacra Congregatio S. Rom. Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, iustis et gravibus causis id exigentibus, ac de SS. D. N. Clementis PP. VIII. speciali mandato, vivae vocis oraculo desuper habito, sacerdotibus omnibus tam saecularibus quam regularibus, per universam Italiam extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas probatis quorumvis ordinum, etiam mendicantium, militiarum aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, et generaliter quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, iubet et praecipit ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter vel specifice scripto, aut vivae vocis oraculo, vel per communicationem a Sede apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus saecularium, aut singularibus personis, seu alias quomodocumque, sub quibusvis tenoribus, formis, et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cu-

iusvis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusvis status, gradus, et conditionis, aut Dignitatis tam Ecclesiasticae quam saecularis, etiam Regiae vel Imperialis, ab ullo ex casibus clare vel dubie in Bulla die Coenae Domini legi solita, contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusve successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova et speciali Sanctitatis suae, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reservatos, respective impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cetero impendere audeat vel praesumat; sed cum opus fuerit poenitentes ad superiores, legitimosque iudices suos accedere consulant, sub poena contrafacientibus tam Regularibus quam saecularibus, excommunicationis, privationis officiorum et dignitatum aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, et ad quaecumque officia, praelaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda. Super quibus a nemine nisi a Romano Pontifice habilitatio, dispensatione, aut absolutio, praeterquam in mortis articulo, possit impertiri. Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates et concessiones ipsas in hac parte uti cassas, et irritas haberi de cetero voluit et vult, non obstantibus quibuscumque.

Praeterea noverint poenitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris et momenti.

Et ne locorum Ordinarii, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, plurium, quam opus sit, reservatione, subditis, aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis Dioecesis statu, et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent.

In quorum fidem etc.

Datum Romae die nona mensis Ianuarii anni 1601.

Ex relato autem decreto quisque videt 1.° illud non esse, neque posse constituere privilegium Regularium speciale, cum latum sit tam pro Clero saeculari, quam Regulari.

2°. Nullam per illud Praelatis Regularibus specialem facultatem attribui, cum loquatur de quibuslibet Sacerdotibus tam saecularibus quam Regularibus per universam Italiam extra urbem degentibus ad confes-

siones audiendas probatis, nulla de praelatis Regularibus facta mentione.

3°. Praecipit, ne quis sub praetextu privilegiorum, facultatum etc. a casibus sive in Bulla Coenae contentis, sive quomodocumque Romano Pontifici aut locorum Ordinariis, reservatis, absolvere audeat, vel praesumat; nullamque esse, si quam poenitentibus fuerint absolutionem impertiti. Vult scilicet dispositiones a Pio IV inductas ab omnibus apprime observari.

4°. Hinc Sanctitas Sua praedictas absolvendi a casibus reservatis facultates, cassas et irritas haberi vult, quatenus opus sit. Quod indicat, nullimode Romanum Pontificem persuasum fuisse de valore privilegiorum Regularium, sive aliorum post Tridentini decreta et Pii IV Constitutionem; quin immo de illorum revocatione persuasum fuisse; sin minus, ad quid illud *quatenus opus sit?* Si enim expressam et absolutam revocationem necessariam non esse putabat: ergo eiusmodi privilegia iam sufficienter revocata Clemens VIII habebat.

5°. Instaurant demum Eminentissimi Patres S. Congregationis EE. et RR. decretum Tridentini expressis et ipsis fere verbis, scilicet « extra quem articulum mortis, Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant. » Sess. XIV. Cap. VII. de poenitentia.

5°. Demum, cum Eminentissimi Patres praecipiant, ne *sub praetextu privilegiorum quis absolvere audeat vel praesumat,* satis patere arbitramur, Romanos Pontifices post Tridentinos Canones nullimode voluisse ut quis privilegiis uteretur contra ea quae in Concilio Tridentino statuta et decreta fuerant.

Non inficiamur tamen eiusmodi decreto modum fuisse per subsequentem declarationem appositum, et Sacerdotibus ad Confessiones excipiendas in Italia approbatis concessam facultatem fuisse a casibus absolvendi S. Sedi extra Bullam coenae reservatis, quibuslibet exceptis, inter quos excommunicatione ob Clerici percussionem. Ita enim immediate prosequuntur Patres praedicti, et decretum declarant:

« Cum autem dubia quaedam » ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atque observationem emersissent, eadem » Congregatio, ne ullus deinceps » obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur, et ut clarius appareat, in quibus casibus » vigore eiusdem Decreti reservatis, » intelligatur prohibita absolutio, » speciali mandato eiusdem SS. D. » N. Clementis Papae VIII similiter » vivae vocis oraculo, super ea re » habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat; videlicet sub » eiusdem prohibitione illos tantum » in posterum comprehendi casus, » qui in Bulla die coenae Domini legi » consueta continentur. Ac praeterea:

» Violationis immunitatis ecclesiasticae in terminis Constitutionis fel. record. Gregori XIII. quae » incipit *Cum alias nonnulli.*

» Violationis clausurae Monialium ad malum finem.

» Provocantium et pugnantium » in Duello iuxta Decretum Sacri » Concilii Tridentini, et Constitutionem fel. record. Gregorii XIII » incipientem. *Ad tollendum.*

» Iniicientium violentas manus » in clericos, iuxta canonem: *Si* » *quis suadente etc.*

» Simoniae realis scienter contractae, atque etiam confidentiae » beneficialis.

» Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, » vel in posterum reservabunt.

» In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, et sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacra » Congregatio vult et mandat, dictum Decretum in sua firmitate » et pristino robore permanere.

» Ac praeterea declarat, eos quidem Sacerdotes tam saeculares » quam regulares, qui aliquo ex » privilegiis, indultis, et facultatibus » in supradicto Decreto expressis » suffulti fuerint, posse iuxta eorum » privilegia, indulta, et facultates » usu ante idem Decretum receptas, » et quae sub aliis revocationibus » non comprehenduntur, tantum et » non alias absolvere a casibus in » praesenti declaratione non comprehensis; aliis vero Sacerdotibus » huiusmodi privilegia non patentibus, nihil de novo concedi...

« Ceterum ne quis Sacerdotum » Saecularium aut Regularium, sub » praetextu, quod per primo dictum » decretum non fuerit sufficienter » eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto, sic ut » praefertur, contravenire audeat, » Sanctitas Sua Constitutionibus, et » Ordinationibus Apostolicis omnibus, in favorem quorumcumque » Ordinum seu Institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam saecularium quam regularium editis, » nec non eorumdem ordinum, seu » institutorum, ac etiam Ecclesiarum et Monasteriorum... statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, seu mari magno... quoad » ea quae praesentibus, adversantur, » illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogat, contrariis » quibuscumque non obstantibus. »

Romae die 26 Novembris 1602.

Ex hac autem declaratione liquido patet:

1°. Confessariis extra urbem in Italia degentibus tam saecularis ordinis quam Regularis factam fuisse facultatem absolvendi a casibus Romano Pontifici extra Bullam coenae quomodolibet reservatis.

2°. Exceptum tamen inter ceteros fuisse, casum absolvendi excommunicationem incursam ob violentam in clericum vel Monachum manuum iniectionem.

3°. Ab qua excommunicatione, sicut et ab aliis exceptis casibus, nec illos posse umquam absolvere, qui suffulti aliquo privilegio seu facultatibus usu ante praedictum decretum an. 1601. receptis, dummodo tamen sub aliis revocationibus non comprehenderentur, ab illa absolvebant.

Ergo certum et evidens omnino est, Regulares, post eiusmodi saltem declarationem, omni fuisse facultate privatos absolvendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici.

Hisce autem addimus, Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium sub die 7 Novembris an. 1646 haec ad Archiepiscopum Neapolitanum respondisse: « Haec Sa» cra Congregatio de mandato ex» presso Clementis VIII, Pauli V, et » Urbani VIII, pluries declaravit fa» cultates concessas sive saecularibus, » sive Regularibus absolvendi a casi» bus quos Episcopi sibi reservarunt, » vel reservaturi erunt, aut a casibus » comprehendendis in Bulla *in Coe» na Domini*, aut ab aliis casibus tan» tummodo S. Sedi reservatis in de» creto lato mense Novembris 1602, » fuisse annullatas et extinctas tam » per concilium Tridentinum, quam » per praefatas Constitutiones (1) ».

Nemo vero inficiabitur ex citatis decretis patere 1. prohibitionem Regularibus factam absolvendi ab excommunicatione ob clerici percussionem esse simplicem et absolutam; 2. in eis nullam distinctionem fieri circa proprios Regularium praelatorum subditos, vel circa extraneos, regulares inter clericos scilicet, et saeculares vel alterius Ordinis regulares. 3. Regularium privilegia revocata proclamari tum a Concilio Tridentino tum a successivis Romanis Pontificibus, ea de causa quod Tridentinis decretis adversantur. 4. Consequenter, spectatis citatorum decretorum indole et verbis, concludere nobis licitum erit post Concilium Tridentinum, et certe post cit. Decretum anni 1602 usque ad Benedictum XIII fortasse, praelatis Regularibus nullam facultatem fuisse absolvendi a praesenti excommunicatione neque subditos regulares neque saeculares Clericos.

Verum quae Concilium Tridentinum, et posteriores Pontifices privilegia abrogavere iterum instaurasse novimus Benedictum XIII Ordinis Praedicatorum qui die 25 Maii 1727 lata Constitutione quae incipit « *Pretiosus in cospectu Domini Fratrum Praedicatorum inclytus Ordo*, tot ac tanta in confratres suos privilegia

(1) « Questa Sacra Congregazione ha più volte dichiarato con ordini di Clemente VIII... » di Paolo V... e di Urbano VIII. che tutte le facoltà di assolvere dai casi riservati o » riservandi dagli ordinarii, ovvero compresi, o da comprendersi nella Bolla *in Coena* » *Domini implicite vel explicite*, et altri riservati solamente alla S. Sede nel medesimo » decreto di Novembre del 1602, concesse ai secolari o regolari, Congregazioni o Confra» ternite di qualunque prerogativa o specialità, *etiam necessario exprimenda*, sono state » annullate ed estinte così dal S. Concilio di Trento, come dalle suddette Costituzioni. » Apud Donatum *Rerum regularium praxis resolutoria* Tom. I. part. 1. Tract. XIII. Quaest. 17. n. 26.

congessit, ut ipsum *Mare magnum* in usum revocaverit et quid amplius. Haec enim concessit. »

§. 21. « Facultatem quoque data a saepe dicto S. Pio V. (1) » in Constitutione: *Romani Pontificis circumspecta benignitas* 24 Julii 1571, praelatis Ordinis absolvendi sibi subditos fratres ac sorores, et cum eis dispensandi, sicut absolvere et dispensare possunt Episcopi cum eorum clericis ex decreto Concilii Tridentini, sess. XXIV. cap. VI. (interdicto tamen penitus iisdem fratribus et sororibus usu *Cruciatae* etc.) iisdem praelatis confirmamus ut supra, innovamus, et quatenus opus est, de novo concedimus.

» Ac insuper attendentes, Julium II. Praedecessorem nostrum in Constitutione *Exponi nobis* decrevisse, quod omnes Praelati Ordinis Praedicatorum, quibus antea a Xisto IV in Constitutione *Regimini....*, et in alia incipiente, *Quoniam omnes* concessa fuerat potestas absolvendi et dispensandi suos subditos in casibus Sedi Apostolicae reservatis etiam in Bulla Coenae, et Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV, Clementem IV, Bonifacium VIII ac successive alios praedecessores nostros, ut Religiosorum excursibus, Ordinis decori, et superiorum auctoritati provide occurrerent, amplam iisdem Praelatis Ordinis circa sibi subditos fratres et Moniales facultatem dedisse, ut super casibus et censuris eidem Sedi alias reservatis absolverent, et dispensarent, confirmamus quoque, innovamus, de novo, ut praedictum est, concedimus; atque decernimus et declaramus, praedictos Ordinis praelatos absolvere posse fratres et sorores sibi subiectos et subiectas ab omnibus et singulis casibus et censuris Sedi Apostolicae etiam per Bullam Coenae reservatis, exceptis dumtaxat illis, quos laudati Xystus IV et Iulius II in praemissis eorum constitutionibus excipiendos fore voluerunt (2), eosque dispensare posse super quavis irregularitate, ex homicidio voluntario orta dumtaxat excepta; possit tamen solus magister Ordinis ab irregularitate huiusmodi dispensare cum fratribus suis subditis; dummodo homicidium non fuerit appensatum (id est praemeditatum) et intra claustra fuerit consummatum. »

Patet igitur, Ordinis Praedicato-

(1) De hac S. Pii V. constitutione loquuti non sumus, quod revocata censenda sit per constitutiones successorum Pontificum, et praesertim per relatum decretum S. C. EE. et RR. an. 1602.

(2) Hi casus ita a Sixto IV excipiuntur in Const. *Regimini universalis Ecclesiae* lata die 31 Augusti an. 1474: « Declaramus, haereticos, relapsos, schismaticos, et qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem apostolicam merito destinandos. Reliquis vero omnibus... posse per illos... absolutionis beneficium et dispensationis gratiam, iuxta casuum exigentiam, impertiri. »

tum Praelatos et idipsum dicito de ceteris Praelatis regularibus in genere, cum inter ipsos sit privilegiorum communicatio, potuisse ante Pianam Constitutionem absolvere suos subditos ab excommunicatione ob qualemcumque Clerici percussionem, cum nulla fiat in citata Bulla distinctio; consequenter idipsum posse etiam post Pianam Constitutionem.

Collata enim privilegia Benedictus XIII firma esse voluit, inter alia « non obstantibus priori voluntate » nostra,... et quibusvis universa» libus, provincialibus, et synodali» bus Conciliis, vel aliis Apostolicis » specialibus vel generalibus Con» stitutionibus et ordinationibus etc.

Hinc minime dubitandum est de veritate sententiae S. Alphonsi de Ligorio in append. de privilegiis, num. 37. « Possunt tertio Re» gulares absolvere suos subditos ab » excommunicatione ob percussio» nem etiam gravem, et enormem » et publicam, inflictam non solum » religiosis eiusdem Ordinis sed » etiam alterius, et etiam Clericis » saecularibus. »

Hanc enim facultatem Benedictus XIII iterum instauravit; ac ita instauravit ut in absolutione sui subditi ob percussionem Religiosi alterius ordinis, vel Clerici saecularis nullo modo Praelatis Regularibus necessarium sit sive percussi praelatum sive Episcopum advocare, ut antiqui Canones *Monachi* 2, Cap. *Cum illorum* 32, Cap. *Canonicos* 50 Cap. *Religioso* de sententia excommunicationis statuebant, cum hae canonum dispositiones, abrogatae fuerint a Benedicto XIII. in cit. Const., in qua absolute concedit Praelatis ordinis S. Dominici privilegium *absolvendi ab omnibus et singulis casibus et censuris Sedi apostolicae etiam per Bullam coenae reservatis.*

Ut autem quae disputata prolixius fortasse sunt brevi sermone colligamus; haec in praesenti quaestione circa Regularium Praelatorum facultates tenenda sunt. 1. Etiam post Pianam Constitutionem Praelatis Regularibus privilegium permanere absolvendi ab excommunicatione ob Clerici percussionem. 2. Non tamen extraneos clericos sive regulares, sive saeculares, sed tantummodo Monachos proprii Ordinis, quamvis tamen extraneum clericum sive saecularem sive regularem percusserint

Atque de hoc capite satis.

APPENDIX XVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN PERPETRANTES DUELLUM.

Ea quae sive de origine, sive de duellorum pravitate breviter dicturi erimus, ex clarissimo Cardinali Gedilio depromemus, qui de re praeclarissimum tractatum edidit.

Abusus itaque hujusmodi a barbaris septentrionis originem duxit, atque primum lege sancitus reperitur inter Burgundiones initio saeculi Ecclesiae VI, apud quos statutum fuit, armis rem esse dirimendam, si iuramento quisquam se ab impacto crimine purgare noluerit. Lex eadem apud Longobardos viguit.

Barbaricae huiusmodi consuetudinis si quis causam scire voluerit inveniet profecto eam 1. reponendam esse in quadam indomita libertate omnis iudicii, legisque experte, qua quis putabat, quemlibet posse proprias iniurias ulcisci, nullamque aliam adesse, si vim excipias rationem; 2. in falso honoris conceptu, qui cum totus in corporis animique virtute reponeretur, universum pariter hominis meritum in corporis fortitudine collocabat; 3. in coeca animi superstitione, qua putatum fuit testimonium esse divinitatis huiusmodi pugnarum felicem exitum; eaque de causa *judiciorum Dei* nomine cohonestabantur, quasi Deus illi semper adsisteret, cui ratio faveret. 4. Hinc singularium certaminum postrema et fortasse suprema causa fuit omnimoda tum naturalis tum divini iuris ignorantia, tum ipsorum principiorum quae naturalem hominis vitam moderari debent. Unde enim secus huiusmodi certamina inter homines invalescere potuissent?

Quandoquidem ad quid assumuntur? ad explendam ne de illata iniuria vindictam?

Sed nonne evangelico praecepto id illico contrarium reperitur, clamante Domino Nostro Iesu Christo Matth. V. 44.:

« Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos? »

Et in veteri lege: Deut. V. 17. « Non occides? » Atque Rom. XII. 19. « Mihi vindicta et ego retribuam? »

Nullimode enim homo ab homicidio excusari poterit, si in huiusmodi pugnis alicui mortem intulerit, cum nullam vel in suam vel in vitam alienam habeat potestatem, eamque quam supremi principes habent, non a se certe, sed a Deo obtineant.

Ordo civilis insuper, sibi servato ordine iuris, iniurias ulciscendi reservavit potestatem, neque arbitrarie, sed divinitus: non enim sine causa gladium portat. Rom. XIII. 4.

Hinc singularia eiusmodi certa-

nimi manifestam rebellionem constituunt contra civilem potestatem, quae tribunalia et iudices instituit ad unicuique pro illato cuiusvis speciei damno ius reddendum, quaeque solemniter cuicumque privatae personae vindictam interdixit.

Et quidem sapientissime, tum ut ius naturale et divinum servaretur, tum ut vindicta modum non excederet, tum ut iuris ordo maneret, tum ad propulsandam ab humana ratione huiusmodi stultitiam; si enim ad ulciscendas iniurias huiusmodi certamina fiunt: ergo in alterutro pugnante est ratio vindictae, at vindicta includit conceptum poenae et ius unius in alium. Duellum autem nonne partes pugnantes aequiparat? Ergo duellum destruit ipsum vindictae conceptum, atque ius quod una pars in aliam habet.

Quid autem si pars innocens succumbat, cum duellorum exitus ex fortuna, ex robore, ex dexteritate pugnantium pendeat?

Quid si post varios atque inutiles ictus, iudices decernant duellum esse cessandum?

Ergo inepte, et prorsus irrationabiliter ad vindictam explendam duellum assumitur.

Congredientur ergo duellantes ad honorem tuendum, honorem, inquam, quem dicunt supremum hominis bonum, ceterisque omnibus, ne vita quidem excepta, praeponendum?

Sed nonne in eadem insania versantur?

Honorem enim ille tuendi vel ulciscendi ius habet qui iniuriam passus est. At in duello sortes aequiparantur; non amplius ergo dignoscitur qui honorem defendere debeat, qui iniuriam scilicet vel intulerit vel passus sit. Quid autem si cuius honor violatus fuit, in pugna succumbat? Falsum, scilicet est, honorem alterius violasse, qui reapse violavit.

Exemplo rem illustremus. Sextus violentam iniuriam intulit pudicitiae Lucretiae nobilis foeminae atque uxoris Collatini fortissimi viri. Hic ab uxore violentiam turpissimam illatam sciens, duello Sextum lacessit. At Collatinus iniqua sorte succumbit. Quid? Profecto vel falsum est Sextum violentiam intulisse Lucretiae, vel per illam violentiam aliquam iniuriam sive Lucretiae sive Collatino intulisse. Eximia honoris tuitio!

Verum tali furore pugnando rapiuntur, ut solum ad honorem tuendum intenti, non ad ictus cavendos, ambo procumbunt, prorsus ut accidit Iunio Bruto Lucretiae consanguineo et Arunti filio Tarquinii Superbi simul congredientibus. Quid?

Scilicet vel ambo iniuriam intulerunt, vel ambo passi sunt iniuriam, vel neuter. Dices ne ob congredientium mortem adhuc sub iudice litem esse? Ergo duellum non est medium aptum ad honorem tuendum.

At rem bene dicamus: Sextus nefandissimae iniuriae illator occubuit. Quid?

Occubuit scilicet vel sorte, vel quod in armis agitandis imperitior erat, atque dum in iniuria illata defendenda erat Collatino aequalis; occubuit dum ipse Collatinus eum sibi parem in iniuria uxori suae illata defendenda reddiderat, consequenter in dubium vel factum vel iniuriam revocando; occubuit scilicet dum innocens congrediebatur; par enim erat Collatino. Si autem victor extitisset, vel innocens, vel eximio honore praeditus fuisset, nulloque pacto vel adulterium violenter illatum, vel nullimode saltem iniuriosum; quin immo Collatinum iniuriam illam meruisse. Et haec tolerari ne possunt ab hominibus aliquo quamvis minimo rationis lumine pollentibus? Et tamen nunc in saeculo luminum,huiusmodi singularia certamina invalescunt. Contumeliam in aliquem quis coniicit? puellam quandam quis dicit non esse pulcherrimam, atque omnium oculis gratiosam? Alius Monarchiae prae republica affirmat esse dandum suffragium? hic asserit Germanos Gallis esse valentiores? ille alicui paradoxum vel apertum mendacium proferenti contradicit? etc. etc. etc. Duello lacessitur; et duello quaestio dirimitur.

O tempora! o mores!

Ex dictis autem sequitur, duellum si quid probaret, esse medium aptissimum et opportunum etiam ad ignominias, scelera, et cuiusvis generis iniquitates defendendas. Fac enim ut bellator et armis ab adolescentia assuetus, stuprum honestae puellae inferat: pater conqueritur; ille vel negat, vel affirmat puellam minime honestam, sed moribus perditissimam esse; atque ad demonstrationem veritatis, patrem eius neque virtute neque armorum usu praestantem ad duellum provocet qui et succumbat. Nonne duellum e medio veritatem auferret, et perfidam calumniam veritati niti probaret? Hinc victor eximium sibi compararet honorem!

Sapientissimi quique quapropter duellum semper ut insaniam et perditissimorum hominum artem improbarunt: atque anno 1614 doctissimus Baconius, sermone de re habito, ad illud extirpandum haec proposuit: 1. Absolutam legis prohibentis executionem, sinè ulla indulgentiae spe. 2. Honoribus, Officiis, dignitatibus quibuscumque legis violatores privare; 3. duellorum causas impedire, severissime scilicet facta illa puniendo, quae duello causam praebent: 4. infamia, non morte, duellantes notare.

Optime. Rem enim rite perpendentibus patebit, duello omnia iura, omnia honestatis principia subverti.

Stultissime qua de causa hi vesani irascuntur Ecclesiae, quae semper eiusmodi certamina proscripsit atque est detestata. Cum enim Ecclesia cuiusvis recti principii fuerit semper custos et vindex, non potuit contra morem vocem non attollere qui cuncta honesta principia subvertebat. Pro-

scriptiones autem eiusmodi sunt antiquissimae, atque praestat ad lectorum nostrorum eruditionem eas referre.

Anno 855 in Concilio Valentino in Gallia sub Leone IV. celebrato, circa singularia vel ex condicto quaecumque certamina haec decreta fuere:

« Statuimus juxta antiquum ec-
» clesiasticae observationis morem,
» ut quicumque tam iniqua et chri-
» stianae paci inimica pugna alterum
» occiderit, seu vulneribus debilem
» reddiderit, *velut homicida nequis-*
» *simus et latro cruentus* ab Ecclesiae
» et omnium fidelium coetu sepa-
» ratus, ad agendam legitimam poe-
» nitentiam modis omnibus compel-
» latur. Ille vero qui occisus fuerit
» *tanquam sui homicida, et propriae*
» *mortis spontaneus appetitor* a do-
» minicae oblationis commemoratio-
» ne habeatur alienus, nec cadaver
» eius, iuxta sanctorum Canonum
» decretum, cum psalmis et ora-
» tionibus ad sepulturam deduca-
» tur. »

Patres scilicet Valentini Concilii hunc veluti in finali impoenitentia defunctum merito habuere, nec ulla dignum excusatione, cum voluntarie periculo vel vitam perdendi, vel alii mortem inferendi sese exposuerit, in quo peccato etiam obierit..

Verum cum hisce non obstantibus haec singularia certamina minime intermitterentur, Ecclesia quo finem haberent gravius institit, atque sepulturae Ecclesiasticae mandari huiusmodi negavit, quamvis sub fine vitae poenitentiae reconciliationem poposcerint.

« Detestabiles illas nundinas, vel
» ferias, inquiunt Patres Concilii
» Lateranensis II. sub Innocentio II.
» an. 1130 celebrati, in quibus mi-
» lites ex condicto convenire solent
» et ad ostentationem virium sua-
» rum et audaciae, temerarie con-
» grediuntur, unde mortes homi-
» num et animarum pericula saepe
» proveniunt, omnino fieri interdi-
» cimus. Quod si quis eorum ibi-
» dem mortuus fuerit, quamvis ei
» poscenti poenitentia et viaticum
» non negetur, ecclesiastica tamen
» careat sepultura. »

Haec autem repetita fuere anno 1148 in Concilio Rhemensi IV sub Eugenio III. Can. 12.

Anno 1179 in Concilio Lateranensi III sub Alexandro III Can. 20.

Anno 1473 in Concilio Toletano XXIII sub Xisto IV Can. 21; cujus Patres suspensionem per sex menses ab Officio et beneficio contra clericos, qui duellantes sepelire ausi fuissent, decreverunt.

« Qui in pugna, certamine, tor-
» neamento hujusmodi decesserint,
» aut a pugna vulnerati evaserint,
» adeoque postea ex eo ipso ab hac
» luce migrare contigerit, etiamsi
» ante obitum receperint Poenitен-
» tiae Sacramentum, ecclesiastica i-
» pso facto careant sepultura, et di-
» vina Officia pro ipsis non dican-
» tur, nec oblationes admittantur;

» clerici vero eos sepelientes per » sex menses ab Officio et benefi» cio sint suspensi. »

Quanta vero non egere Concilii Tridentini Patres ut ejusmodi scelus atque humanae rationis ignominiam e medio eliminarent? Eo enim usque progressi sunt ut ipsos Imperatores, Reges, aliosque saeculares principes loca ad duella ineunda in terris suis concedentes, excommunicationi subjecerint: « Imperator, » Reges, Duces, Principes, Marchio» nes, Comites et quocumque alio » nomine Domini temporales, qui » locum ad monomachiam in ter» ris suis inter christianos conces» serint, eo ipso sint excommunica» ti; ac iurisdictione et dominio ci» vitatis, castri, aut loci, in quo, » vel apud quem duellum fieri per» miserint quod ab Ecclesia obtinent, » privati intelligantur, et si feuda» lia sint, directis dominis statim » acquirantur. Qui vero pugnam » commiserint, et qui eorum patri» ni vocantur, excommunicationis, » ac omnium bonorum suorum pro» scriptionis, ac perpetuae infamiae » poenam incurrant. » Sess. XXV.

Nemo autem conqueretur a Concilio Tridentino infamiae perpetuae notam duellantibus fuisse inflictam, cum noverit ipsum celeberrimum Baconium eamdem proposuisse poenam.

Fateri tamen debemus a pessimo praeliandi more homines non destitisse, atque Ecclesiam iterum coactam fuisse poenas repetere et instaurare, ut profecto egit anno 1509 in Concilio Avenionensi sub Clemente VIII, illatas poenas etiam in praestantes auxilium, consilium, aut in duellum spectantes extendendo.

Can. 60. « Sacrosancti Concilii » Tridentini decreta, et summorum » Pontificum Iulii II, Leonis X, Cle» mentis VII, Pii IV, Gregorii XIII » et Clementis VIII, (addere nos » possumus Benedicti XIV) et poe» nas omnes novissime editas in usu » revocantes, istud hominum genus, » qui sese ad duellum quocumque » colore vel praetextu invitant et » pertrahunt, etiam verbo tenus, » quamvis privatim certamen ineant, » nec ullae provocatoriae literae, » aut denunciationis chartulae prae» cesserint, definitis a iure poenis » omnibus subiici declaramus; ita ut » infames perpetuo habendi sint, at» que ut homicidae puniendi; quod » si in conflictu decesserint, perpe» tuo careant ecclesiastica sepultura. » Illi vero qui consilio vel opera » quemquam ad duellum suaserint, » impulerint vel iuverint, aut de» nique spectatores extiterint, ex» comunicationis, ac perpetuae ma» ledictionis vinculo teneantur. »

Et haec Concilia sive generalia sive particularia in duellantes praescripsere.

Nullam vero praetermiserunt Romani Pontifices operam aut laborem ut nefarium adeo abusum e medio eliminarent.

Atque praetermissa sanctione Nicolai I. in Ep. ad Carolum Calvum

quae est 50: tum Coelestini III, Innocentii II, Eugenii III decretis, quae relata sunt in Concilio Lateranensi Cap. 1. et 2. de Torneamentis; tum Innocentii IV lege in Epistola ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque ecclesiasticos Regni Franciae, apud Raynaldum ad annum 1251, num. 31.

Iulius secundus die 24 Februarii 1509 Constitutione *Regis pacifici* edita, in statu ecclesiastico, in terris scilicet sive immediate sive mediate Sedi Apostolicae subiectis, duella omnino fieri prohibuit. « duelli lorum et gladiatorum huiusmodi » usum damnamus et improbamus, » et in terris Romanae Ecclesiae » mediate vel immediate subiectis, » per quoscumque, quavis auctori- » tate et potestate ac nobilitate » fulgentibus, sub excommunicatio- » nis latae sententiae poena, e qua- » cumque causa, etiam a legibus » permissa, fieri omnino prohibe- » mus; dictosque pugiles taliter pu- » gnantes, ubique impune capi pos- » se et puniri pro homicidio vel » vulnere, iuxta iuris communis di- » spositionem, nulla eis consuetu- » dine suffragante, statuimus; cor- » poraque in duello in terris Ec- » clesiae mediate vel immediate sub- » iectis facto morientium in sacro » sepeliri prohibentes. »

Poenam vero excommunicationis latae sententiae et quatuor millium ducatorum Camerae apostolicae applicandorum statuit in temporales principes Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectos, si locum aut campum liberum duellantibus assignare ausi fuissent. Quod si iterum suam Constitutionem violaverint, etiam feudo ecclesiastico forent privandi.

Attamen cum Iulii Constitutio brevi in oblivionem abierit, atque passim quotidie singularia certamina committerentur, Leo X die 23 Iulii 1519 Constitutionem edidit *Quam Deo et hominibus*, in qua Iulii II poenas innovavit et auxit.

« §. 3. Adiicientes et eadem au- » ctoritate apostolica statuentes quod » pugnantes ipsi non solum poenis » praedictis subiaceant, sed eorum » memoria perpetuo damnata sit, ac » bona proscripta sint, et Camerae » nostrae Apostolicae confiscata eo » ipso.

» §. 4. Duces, barones, comi- » tes etc. campum ad pugnandum » praestantes, non solum poenas » praedictas incurrant, sed ab omni » iure, quod in locis et territoriis » suis obtinent, ipso facto cadant.

» §. 5. Qui vero ad talia cruen- » ta spectacula videnda convene- » rint, si nobiles, quingentorum; si » mediocris fortunae, centum; si ve- » ro ignobiles, vigintiquinque du- » catorum, nec non excommunica- » tionis et perpetuae maledictionis » poenam incurrant; ac locus ipse » ecclesiastico subiaceat interdi- » cto. »

Certe hae poenae gravissimae erant; attamen et spretae sunt, tum in dominiis Sanctae Sedi utcumque

subiectis, tum praesertim aliis in regnis, pro quibus Pontificiae Constitutiones latae non fuerant.

Qua de causa die 13 Novembris anni 1560 Pius IV Constitutionem *Ea quae a Praedecessoribus nostris* promulgavit, qua et Iulii II et Leonis X, quas Clemens VII simpliciter confirmaverat, Constitutiones approbavit, poenas adiectas ad omnes qui quomodolibet duello sese ingerunt et ad universum orbem catholicum extendit; insuper excommunicationis poenam, a qua Imperatores tantummodo et Reges exemit, in non prohibentes tulit, ac Sedi apostolicae specialiter reservavit.

« §. 4. Illasque (poenas) tam ad » pugiles taliter pugnantes, quam » ad eos id tentantes et provocan- » tes, aut locum seu campum ad » pugnandum dantes seu concedentes, ac in illis adstantes et interessentes, ac certantes, comitantes et comitivam praestantes, » nec non consulentes, ac adhaerentes et fautores, nec non » chartas certaminis seu duelli subscribentes vel affigentes aut publicantes. . . . . etiam ad hoc ut » ipsi ultra poenas praedictas, excommunicationis maioris latae sententiae poenam, a qua nonnisi a » nobis seu Romano Pontifice pro » tempore existente absolvi possint, » eo ipso incurrant.

» §. 7. Per viscera Domini nostri » Iesu Christi rogamus et obtestamur universos et singulos totius » orbis Imperatorem, Reges, Duces etc. ut divini nominis intuitu, et pro sua in nos et hanc Sanctam Sedem Apostolicam devotione. . . . dicta duella seu alia » singularia certamina in suis regnis » ducatibus etc. nullatenus fieri permittant, immo ne fiant expresse » prohibeant et dissuadeant; alioquin eos, ac etiam extra terras » et loca dictionis Ecclesiae huiusmodi non subiecta, duella seu » singularia certamina huiusmodi » aut diffidationes desuper facientes, et ad irritantes, provocantes etc. eorumque et ipsorum singulos ab Imperatore et Regibus » inferiores, maioris excommunicationis poenam subiacere (a Pontifice tantummodo absolvenda) decernimus et declaramus. »

Dolet profecto referre, neque his poenis nefarios homines a duellorum usu cessasse, quin immo illa in regnis Aragoniae praesertim, Valentiae, et Catalauniae, et Comitatu Rossilionis incrementum apud nobiles praecipue sumpsisse, adeo ut ad illam infamiam nonnulli devenerint ut licitam duellorum legem defenderent.

Quare Gregorius XIII sub die 15 Maii 1573 Constitutionem *ad Romani Pontificis auctoritatem* promulgavit, qua nedum huiusmodi nefariae legis conditores, duellantes, patrinos, atque auxilium consilium favorem etc. praestantes iis in regnis excommunicationi subiecit; sed et illos qui legem illam vel consuetudinem licitam et non omnino damnatam esse asseruerint.

« Decernimus quod omnes et sin-
» guli, etiamsi duces, principes. . .
» et alii domini temporales fuerint
» dictorum regnorum. . . qui in
» duello pugnaverint, aut duello-
» rum vel gladiatorum usus exer-
» cuerint, locum aut campum libe-
» re ad pugnandum concesserint vel
» assignaverint. . . . quique super
» his rebus alteri consilium auxi-
» lium vel favorem praestiterint, au-
» ctoresve aut suasores fuerint; nec
» non qui sub praetextu abusus hu-
» iusmodi aliquem provocaverint,
» aut illi quomodolibet vim intu-
» lerint, quique eam praetensam le-
» gem aut consuetudinem licitam
» et non omnino damnatam esse as-
» seruerint, excommunicationi, ana-
» themati, maledictioni, perpetuae
» infamiae etc. . . omnibusque aliis
» censuris et poenis ecclesiasticis,
» etiam temporalibus praedictis, per
» literas praedictas (antecessorum
» Pontificum) contra duellantes. . .
» quomodocumque et qualitercum-
» que comminatis, quas contrave-
» nientes eo ipso et absque alia de-
» claratione incurrant. »

Quibus et poenam suspensionis magistratibus, et inhabilitatis ad aliis patrocinium praestandum advocatis et procuratoribus addidit, qui ausi fuissent, sub praetextu damnatae legis vel consuetudinis, duellantium defensionem suscipere.

Verum lex Gregoriana eludi coepit, quod maleferiati homines affirmarent, in ea sermonem esse de duello publico, non privato, quod scilicet sine consuetis solemnitatibus peragitur: in illo statutas quidem poenas incurri, non in isto.

Qua de causa idem Pontifex sub die 5 Decembris an. 1582 gravius in negotio institit, sancitasque poenas etiam ad privatum duellum extendi debere declaravit, atque alia nonnulla edixit quae scire praestat.

« §. 1. Nos ad haec coercenda
» plenius evidentiusque providen-
» dum esse rati, considerantesque
» duellum privatum non minus
» cruentum et animae et corpori
» noxium esse, quam quod publice
» perpetratur; auctoritate apostoli-
» ca statuimus, omnes illos, qui ex
» condicto, statuto tempore et in
» loco convento, monomachiam com-
» miserint, etiamsi nulli patrini
» sociique ad id vocati fuerint, nec
» loci securitas habita, nullaeve pro-
» vocatoriae literae, aut denuncia-
» tionis chartulae praecesserint, cen-
» suris et poenis omnibus a dicto
» Concilio (Tridentino) propositis
» teneri, proinde ac si publico et
» consueto abusu singulare certamen
» inivissent. Volentes etiam locorum
» Dominos, si certamen ex condicto
» huiusmodi permiserint, aut, quan-
» tum in se fuerit, non prohibue-
» rint, omnesque illud fieri mandan-
» tes, instigantes, auxilium, consi-
» lium vel favorem dantes; equos, ar-
» ma, pecuniam, commeatum et alia
» subsidia scienter subministrantes,
» aut ex composito spectatores vel
» socios quovis modo sese praeben-
» tes, eisdem censuris et poenis sub-

» iacere, etiamsi illi, qui ad locum » destinatum pugnaturi accesserunt, » impediti, pugnam non commise- » runt, si per seipsos non steterit, quominus illa committeretur. »

Tot ac tantae Romanorum Pontificum lamentationes et vae ab Italia insanum hunc abusum fere extirparunt, non autem in transalpinis regionibus, atque iis praesertim provinciis ubi bellum gerebatur. Fiebat enim ut publicae causae privatas simultates commiscendo, hinc inde ad duellum sese lacesserent et sanguinem christianum inutiliter funderent, qui sancte contra Religionis hostes erat effundendus. Alia insuper adeo insana committerent, ut Clemens VIII apostolicam vocem attollendam, et tantis malis providendum esse duxerit, ut providere conatus est in Constitutione *Illius vices* lata die 17 Augusti 1592.

Cum ea quae laudatus Pontifex narrat de duellorum agendorum variis modis, atque simul damnat, longiora sint, attamen utilia, forte etiam scitu necessaria, Constitutionis partem quam referendam ducimus, in nota remittimus, ne authentico documento etiam hoc in loco lectores nostri careant.

Clemens VIII itaque confirmatis praedecessorum suorum Constitutionibus et Tridentini decreto, contra duellantes, poenisque omnibus in illis indictis, iterum excommunicationi subiicit « omnes et quos- » cumque, publice vel privatim, » palam vel occulte, in quibuscum- » que locis, modis et formis ac ca- » sibus, sub praesenti nostra, vel » aliis praedictis Constitutionibus » ac decreto comprehensis, singu- » lare certamen, quod duellum vul- » go dicitur, ex composito ineun- » tes, nec non id scelus suadentes, » opem, consilium vel favorem prae- » stantes, equos, arma et commea- » tus praebentes aut comitantes, » vel circa chartulas seu libellos, » litteras, nuncios aut quaecumque » alia scripta huiusmodi quomodo- » libet peccantes, huiusmodi deli- » ctis socios, de industria spectato- » res, patrinos, fautores, defensores, » quacumque tam superius expres- » sa, quam alia ecclesiastica vel mun- » dana praefulgeant dignitate. (1). »

(1) § 4. Verum, quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, praesertim transalpinis ac remotis regionibus, et potissimum ubi bella vigent, castrensi quadam et militari licentia seu verius audacia, perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili (ubi christiani nominis seu catholicae fidei hostes tyrannidem exercent, sive haereses et schismata impune grassantur) sive inter signa et castra militaria in caput suorum fratrum impios vertere mucrones, quos multo salubrius contra adversarios stringi par esset; nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiae gladio, ad continendos in officio fideles nobis praecipue ipsius Domini auctoritate tradito, retundere atque a cervicibus gregis Domini nostrae curae crediti, quantum eodem Deo adiutore, eniti possumus, propulsare cupientes, praedictas omnes constitutiones, ac decretum Concilii Tridentini, cum omnibus et singulis in eis contentis censuris et poenis, decretis, extensionibus, quarum et quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis et ad

Nemo non videt, nullam fortasse esse personam, quomodolibet duello sese immiscentem quae excommunicatione non feriatur ex eiusmodi Clementis constitutione, qui gravius et accuratius fortasse egit, quod scelesti homines ecclesiasticas poenas evadere se posse

verbum insertis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, confirmamus, et innovamus.

§. 5. Ac insuper auctoritate et tenore praemissis decernimus et declaramus easdem Constitutiones ac decretum locum habere ubique gentium et terrarum, inter quascumque personas, etiam armatas, et in castris seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum S. R. E. aut catholicae fidei hostium furor impune grassatur, vel in dominiis per eos occupatis et detentis. Idem quoque iuris censendum esse, si publico et forsan iusto bello indicto, miles aliquis contra alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias in hostium castris, praesidiis aut terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publicae causae intermiscendo, etiam ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illud provocet. Nec non iisdem poenis, decreto et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrique illatus fuerit. Vel si convenerint ut non singuli cum singulis, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum dominos, sed etiam magistratus, praesides, locumtenentes, aut etiam militum duces et capitaneos in castris vel extra ea, in alieno vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum monomachiam in quocumque casu, per praesentem vel alias Constitutiones huiusmodi prohibito, permittentes, vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post commissum crimen, veniam et impunitatem concedentes.

§. 6. Praeterea pari ratione prohibemus omnia et singula eius generis scripta, manifesta seu fides vulgo appellata, quae etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi praeparatoria quaedam ad chartulas seu libellos provocatorios et ad duellum, illorumque veluti radices aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam et suscitandae simultatis atque inimicitiae materiam et occasionem praebent. Dum scilicet in illis per modum epistolae, libelli aut publicae attestationis et intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius pluriumve chirographum, subscriptiones aut relationes, sub praetextu proprii vel alieni honoris et famae, more militari, atque ut vulgo dicitur *cavalleresco*, tuendi aut laedendi, sive ad illatae vel propulsatae contumeliae aut iniuriae probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestae ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum, series et ordo narratur, vel ex simili abusu, hac de causa, aliquid tale adeo firmiter asseritur aut negatur, ut qui contradixerit, is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur: aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quaeritur declaratur aut respondetur qua mente aut quo sensu quippiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum dictumve sit. Vel denique offert se quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim contra quemcumque, ad probandum armis et verificandum, etiam inito certamine, aliquid ita esse aut fuisse, vel non fuisse. Nec non quascumque etiam sine scripto factas talium rerum, supradicta quoque modo concernentium, et ob huiusmodi causas, in locis publicis vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciationes, narrationes, declarationes et testificationes. Volentes eos omnes et singulos, qui, suo vel alieno nomine, ad effectum de quo superius dictum est, praedicta vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictaverint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel etiam verbo denunciaverint sive attestati fuerint, quive aliis ad singulare certamen publice vel occulte ineundum vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad huius generis scripta, quae manifesta quaeque chartulae provocatoriae appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam vel favorem praestiterint, sive id suaserint aut mandaverint,

putarent ob quaedam nullius momenti commenta, quae ipsi excogitaverant.

Attamen dolendum vehementer magno Benedicto XIV fuit, quod Christi fideles severissimis universae Ecclesiae Praesulis praeceptis posthabitis, duellorum adhuc insisterent usui, et quod gravius est, nonnullae etiam ab Ecclesiae viris propositiones defenderentur, quibus licitum esse duellum in nonnullis casibus propugnabatur.

Quare laudatus Pontifex sub die 10 Novembris anni 1752 Constitutionem edidit *Detestabilem*, qua et praedecessorum Pontificum decreta confirmat, propositiones de duello damnat, insuper duellantes ipso Ecclesiarum asylo, ad quas fortasse confugissent, interdicit. Inquit.

« §. 4. His tam sapienter, tam » aperte, atque perspicue ab Eccle» sia et ab Apostolica Sede consti» tutis, dubitari iam nullo modo » posse videbatur, quin duella omnia » tam publica quam privata, et na» turali, et divino, et ecclesiastico » iure prorsus illicita, vetita atque » damnata censeri deberent. Sed » nonnulli earum legum interpre» tes, per benignitatis speciem hu» manis pravisque cupiditatibus plus » aequo faventes, Apostolicas san» ctiones ad corrupta hominum iu» dicia inflectentes ac temperantes » *licere* docuerunt.

quive in praemissis vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, neque certamen aut electus, nec accessus aut actus ad pugnam proximus, neque expressa et aperta provocati subsecuta fuerit, neque scriptiones praedictae, quae manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatae extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio aut denunciatio fieret, nihilominus censuris et poenis omnibus in praesenti et aliis praedictis Constitutionibus et decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam maioribus ecclesiasticis vel mundanis dignitatibus, gradibus et praeeminentiis excellant.

§. 7. Quin immo de novo, etiam per praesentes, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, excommunicamus et anathematizamus, maledicimus et execramur omnes et quoscumque (*ut supra usque ad verba* praefulgeant dignitate). Ita ut singulares etiam personae cuiuslibet communitatis, universitatis, collegii aut reipublicae, quae huius criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes eorumque singulos, ipso facto, absque ulla monitione iudicis, decreto aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis maioris, et maledictionis aeternae mucrone perculsos et damnatos harum serie declaramus; et si in ipso conflictu obierint, sepultura ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero civitates, terras, oppida, vel castra et loca, in quorum territoriis id facinus, scientibus et tacite vel expresse permittentibus aut tolerantibus dominis aut magistratibus, vel senatu aut populo, admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio quam a nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, poenitentia et satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituto, nequeant obtinere, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibusvis personis, tam ecclesiasticis cuiuscumque ordinis aut militiae, status aut gradus aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam imperali, regali vel alia mundana praeeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere vel in specie concessorum. Quae omnia quoad praemissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari, poenis aliis tam spiritualibus quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

» Viro *equestri duellum accepta-* » *re, ne timiditatis notam apud* » *alios incurrat.*

» Fas esse defensione occisiva, » vel ipsis Clericis ac Religiosis » tueri honorem, dum alia declinandae calumniae via non suppetat.

» Propulsare damna, quae ex » iniqua iudicis sententia certo imminent.

» Defendere non solum quae » possidemus, sed etiam ea, ad » quae ius inchoatum habemus, dum » alia via id assequi non valeamus. » Quas quidem assertiones duellis » faventes Apostolica Sedes censura » notavit, reiecit, proscripsit (1).

» §. 5. Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores » alii, qui etsi duella vel odii, vel » vindictae, vel honoris tuendi causa, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumstantiis » et casibus; vel amittendi officii et » sustentationis, vel denegatae sibi » a Magistratu iustitiae, defensionis » innoxiae titulo, ea licere pronunciant. Laxas et periculi plenas » opiniones huiusmodi, ex vulgatis » eorum libris ad Nos delatas, ubi » primum accepimus, earum examen nonnullis..... specialiter ad » id per nos deputatis, commisimus; qui re mature discussa, latis coram Nobis tum voce, tum » scripto suffragiis, infrascriptas propositiones censura, et proscriptione dignas existimarunt. »

1. *Vir militaris qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux vel Officialis militiae acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famae et officii.*

4. *Licitum est, in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

« §. 6. Auditis itaque super una- » quaque earum Propositionum di- » ctorum Cardinalium et Consulto-

(1) Primae tres propositiones damnatae iam fuerant ab Alexandro VII; postrema ab Innocentio XI.

» rum iudiciis, atque omnibus rite
» et mature consideratis, Nos ipsas,
» praesentium Litterarum tenore,
» et Apostolica auctoritate, tamquam
» falsas, scandalosas, ac perniciosas
» reiicimus, damnamus, ac prohibe-
» mus, ita ut quicumque illas aut
» coniunctim aut divisim docuerit,
» defenderit, ediderit, aut de iis,
» etiam disputandi gratia, publice
» aut privatim tractaverit, nisi for-
» san impugnando, ipso facto inci-
» dat in excommunicationem, a qua
» non possit, praeterquam in mor-
» tis articulo, ab alio, quacumque
» etiam dignitate fulgente, nisi ab
» existente pro tempore Romano
» Pontifice absolvi.

» §. 7. Insuper stricte, in vir-
» tute sanctae obedientiae, et sub
» interminatione divini iudicii, pro-
» hibemus omnibus Christi fidelibus
» cuiuscumque conditionis, dignita-
» tis et status, etiam speciali et spe-
» cialissima nota dignis, ne praedi-
» ctas opiniones, aut aliquam ipsa-
» rum, ad praxim deducant.

» §. 8. Iam vero ut exitiosam
» duellorum licentiam, in christia-
» na, ac praesertim in militari Re-
» publica, non obstantibus providis
» legibus a plerisque etiam saecu-
» laribus principibus et potestatibus
» ad eamdem extirpandam laudabi-
» liter editis, adhuc gliscentem, va-
» lidiore manu coerceamus, gravis-
» simumque scelus Apostolicae di-
» strictionis gladio magis magisque
» insequamur, omnes et singulas
» dictorum Romanorum Pontificum
» Praedecessorum Nostrorum Con-
» stitutiones superius enunciatas,
» quarum tenores, ac si praesenti-
» bus de verbo ad verbum insertae
» forent, pro sufficienter expressis
» haberi volumus, Apostolica aucto-
» ritate confirmantes et innovantes,
» ad hoc ut poenarum gravitas et
» severitas, maiorem perditis homi-
» nibus ingerant peccandi metum,
» Nostro motu proprio, ac de Apo-
» stolicae auctoritatis plenitudine,
» earumdem praesentium litterarum
» serie, statuimus atque decernimus,
» ut si quis in duello, sive publice
» sive privatim indicto, hominem
» occiderit, sive hic mortuus fuerit
» in loco conflictus, sive extra illum
» ex vulnere in duello acceptum,
» huiusmodi homicida tamquam in-
» terficiens proximum suum animo
» praemeditato ac deliberato, ad
» formam Constitutionis felicis re-
» cordationis Praedecessoris Nostri
» Benedicti Papae XIII, quae inci-
» pit: *Ex quo divina,* data VI Idus
» Iunii anno Domini 1725; ab ec-
» clesiasticae immunitatis beneficio
» exclusus et repulsus omnino cen-
» seatur; ita ut a cuiuscumque sacri
» aut Religiosi loci asylo, ad quod
» confugerit, servatis tamen de iure
» servandis, extrahi, et Iudicis com-
» petentis Curiae pro merito pu-
» niendus, tradi possit et debeat;
» super quo Nos Episcopis, aliisque
» Superioribus Antistitibus, ad quos
» respective pertinet, et pertinebit
» imposterum necessarias et oppor-
» tunas facultates praesentium quo-

» que tenore impertimur. Quin etiam » vivente adhuc altero in singulari » certamine graviter vulnerato, si » percussor in locum immunem se » receperit, ex quo, eveniente illius » morte, fugam arripere, et legum » severitatem evadere posse prospi- » ciatur, volumus et respective per- » mittimus, ut quatenus periti ad » inspiciendum vulnus acciti, *grave* » *vitae periculum* adesse retulerint, » percussor ipse, praevio semper » decreto Episcopi, et cum assisten- » tia personae ecclesiasticae ab eo- » dem Episcopo deputatae, ab hu- » iusmodi loco immuni extractus, » sine mora carceribus mancipetur; » ea tamen lege iudicibus indicta, » ut illum Ecclesiae restituere de- » beant, si vulneratus superstes vi- » vat ultra tempus a legibus, quae » de homicidio sunt, constitutum; » alioquin in easdem poenas inci- » dant, quae in memoratis Benedi- » cti XIII literis constitutae sunt » adversus illos, qui delinquentem » in aliquo ex casibus ibidem ex- » pressis, ex indiciis ad id sufficien- » tibus sibi traditum, restituere re- » cusent, postquam is in suis de- » fensionibus huiusmodi indicia di- » luerit.

» §. 9. Praeterea simili motu et » auctoritate decernimus ac decla- » ramus, sepulturae sacrae privatio- » nem a sacrosancta Tridentina Sy- » nodo inflictam morientibus in loco » duelli et conflictus, incurrendam » perpetuo fore, etiam ante senten- » tiam iudicis, a decedente quoque » extra locum conflictus ex vulnere » ibidem accepto, sive duellum pu- » blice sive privatim indictum fue- » rit, ac etiamsi vulneratus ante » mortem non incerta Poenitentiae » signa dederit, atque a peccatis et » censuris absolutionem obtinuerit, » sublata Episcopis et Ordinariis lo- » corum super hac poena interpre- » tandi ac dispensandi facultate, quo » ceteris documentum praebeatur » fugiendi sceleris, ac debitam Ec- » clesiae legibus obedientiam prae- » standi. »

Pius Papa IX quapropter dum et ipse contra duellum gladio ex-communicationis animadvertit, nedum iuris naturalis, divini et humani sanctiones integras servari voluit, sed et praedecessorum suorum leges, qui nullam non praetermiserunt operam, quo tam abominabile et indignum scelus e medio tollerent. Capite tertio quapropter saepe citatae Constitutionis excommunicavit:

« Duellum perpetrantes, aut sim- » pliciter ad illud provocantes, vel » ipsum acceptantes, et quoslibet » complices, vel qualemcumque ope- » ram aut favorem praebentes, nec » non de industria spectantes, illud- » que permittentes, vel quantum » in illis est, non prohibentes, cu- » iuscumque dignitatis sint, etiam » regalis vel imperialis. »

Iuxta capitis dispositionem varias quaestiones pertractabimus. Agemus enim:

1°. De duellum perpetrantibus.

2°. De simpliciter ad illud provocantibus.

3°. De acceptantibus.

4°. De complicibus, vel qualemcumque operam aut favorem praebentibus.

5°. De industria spectantibus.

6°. De permittentibus, aut duellum non prohibentibus.

Atque a principio erraret quicumque putaret, duellum tum solum haberi, cum pugna inter duos tantummodo privata auctoritate suscipitur et committitur; etiamsi enim duellum, seu monomachia, iuxta vim nominis, sit pugna unius cum uno, tamen et inter plures fieri potest, ex. gr. si hinc inde ex condicto tres vel sex paribus armis privata auctoritate decertent. Essentia enim et iniquitas duelli in eo reponenda videtur quod et a privatis personis, et privata auctoritate, et sine causa, vel quacumque, etiam iniusta, et paribus armis in loco convento suscipiatur ad probandam veritatem, ad quam probandam, ut dictum est, duellum est medium ineptissimum. Sed haec possunt locum habere tum si duo, tum si plures ex condicto pugnent. Causa duelli insuper potest esse pluribus communis, qui et velint simul cum adversa parte praeliari, ut non semel contigit.

De cetero Clemens VIII, in Constitutione quam retulimus, affirmat duellum tum etiam haberi cum praeliantes paciscuntur, et conveniunt, *ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent.*

Conditio igitur ad duellum habendum necessaria non est ut duo tantummodo pugnent; quare optime a pluribus theologis et Canonistis definitur: Pugna inita inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate et ex condicto, statuto loco, et tempore, *cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.*

Dum autem *plures* dicimus, hi tot esse non debent, ut quin paucorum pugna, praelium potius esse videatur: duellum enim in se paucos pugnantes innuit.

Cum vero in lege odiosa versemur, conditiones ad duellum requisitae ita verificari debent, ut neque una desit; alioquin eiusmodi pugna neque duellum vocari poterit, neque latas poenas duellantes incurrunt.

Qua de causa 1°. duellum debet esse *ex condicto* susceptum, quod et deliberationem voluntatis indicat in utriusque partis pugnantibus, et locum et tempus, et numerum determinatum personarum, et armorum, quibus pugnandum est, qualitatem; haec enim omnia de essentia duelli sunt, tum ex variis Romanorum Pontificum, quas retulimus, Constitutionibus, tum ex facto communi; cum enim duellum *ex condicto* suscipitur, duellantes ea omnia determinare vel per seipsos, vel per patrinos soliti erant et solent; atque Romani Pontifices illud interdixere prout committi solebat, non prout sibi confixerunt. Hinc si qui etiam aequali numero inopinato

pugnent, rixa erit, non duellum. Ad hoc enim requiritur temporis intervallum inter provocationem, acceptationem, atque executionem.

Pariter si duo capitales inimicitias foventes obviam sibi occurrant, et illico proprias querelas armis dirimere decernant et dimicent, neque duellum perficiunt, neque ecclesiasticas poenas incurrunt; deest enim illa sufficiens deliberatio quae inter provocationem et pugnam intercedere debet; quae deliberatio sub verbo *ex condicto* includitur.

Neque duellum habebitur si desit determinatio loci ac temporis; tum quia haec determinatio facta semper a duellantibus fuit: tum quia Gregorius XIII in cit. Constitutione *Ad tollendum* statuit, poenas incurri cum duellum peragitur *ex condicto, statuto tempore et in loco convento;* demum quia S. C. Immunitatis, ut refert Ferraris, in una Civitatis Castellanae 13 Februarii 1703 non habuit pro duello pugnam singularem quae facta fuit ex sequenti provocationis schedula: *Alexander, tu es mendax: provoco igitur te ad pugnandum cum gladio, quo propterea semper praecinctus esse debes, ut quocumque loco obviam tibi occurrero, possim tibi ostendere et probare quod mea manu tibi scribo* (1).

Difficilioris probationis fortasse videri poterit quod duellantes pugnare debeant numero aequali. Potest enim contingere ut quis propriis viribus et dexteritati confisus duos provocet ad pugnandum simul contra seipsum, nulla de cetero praetermissa conditione ex iis quae ad proprie dictum duellum requiruntur.

Verum tum ex vi nominis, tum ex facto universali et constanti, numerus aequalis pugnantium ingreditur substantiam duelli.

Quamvis enim etiam inter plures, ut dictum est, duellum perfici potest, tamen semper verum est ipsum indicare pugnam unius cum uno: possunt quidem hinc inde plures congredi, at semper vel unus cum uno eodem tempore, vel plures cum uno successive, postquam scilicet primus a pugnando cessavit, cui proinde succedat secundus, tertius etc.

Romani Pontifices autem duellum proscripsere prout peragebatur; neque ullimode negari potest semper cum aequali pugnantium numero peractum fuisse, ut etiam rationum aequalitas servaretur, et duellum, ut duellantes ratiocinantur, veritatem omnimodis demonstraret: si enim numero inaequali pugnatum esset vel pugnaretur, pars succumbens dicere posset, non quod esset ratione destituta, sed virium adversarum excessu se superatam fuisse; atque ita etiam in

(1) Signor Alessandro siete un mentitore; v'intimo perciò a battervi meco a corpo a corpo con la spada alla mano, onde dovrete cingerla, acciocchè dove c'incontriamo possa sostenervi e ratificarvi con quella tutto quello che di proprio pugno vi scrivo.

istorum iudicio, duellum non fuisset medium veritatis, saltem pro illa pugna, assequendae, et esse repetendum.

Cum vero lex haec odiosa sit, eo sensu semper est interpretanda quo sive vi nominis, sive facto constanti duellum acceptum et peractum fuit. Peractum autem semper fuit numero aequali pugnantium, nullo habito respectu sive ad robur sive ad pugnantium dexteritatem.

Quid vero de armis ad duellum gerendum adhibendis? Debent ne eiusdem necessario esse speciei, ita ut si inequalia sint, pugna ut duellum non habeatur?

Et quidem ratio plurima id suadet, suadet enim 1°. usus universalis et constans quo vel ab ipsis duellantibus vel a patrinis arma eliguntur, 2°. suadet duellantium stultitia, qui duellum committunt ad honorem vel veritatem defendendam; quae armis inequalibus defendi non posset, neque probari, 3°. patrinorum suadet electio qui ideo duello adsistunt ne quid contra aequalitatem pugnantium comittatur; 4°. suadent regulae pro duellis statutae, quibus etiam armorum aequalitas nedum quoad speciem, sed si gladii sint, etiam quoad longitudinem, magnitudinem etc. decernitur. Demum 5°. suadet ipsa duelli ratio, seu potius irrationalitas; qua fit ut duellantes aequales omnimodis reddantur; etenim ante pugnae exitum nemo scit, saltem nescire debet, cui faveat ratio, qui iniuriam passus sit, quive intulerit; si autem inaequalibus armis pugnaretur, haec aequalitas deesset. Qua de causa dicere omnino debemus, armorum aequalitatem esse de duelli substantia, ita ut si haec desit, nullimode proprie dictum duellum habeatur.

Neque difficultatem infert quod in duello privato arma non designentur; non designantur enim solemniter, id est non eliguntur arma in individuum, ex. gr. hi duo gladii, et non alii; sed armis eiusdem speciei semper pugnatur.

Atque insuper debet esse privata auctoritate susceptum. Si enim publicae et legitimae auctoritatis imperio suscipiatur, ex. gr. ex regis iussu ad bellum imminens terminandum, quomodo aliquoties factum esse legimus, iam illicitum non erit; cum et publici boni causa suscipiatur, et nedum licitum sed et sanctum sit propriam vitam pro salute multorum exponere, et non duellum, sed pugna eiusmodi decertatio vocanda sit, non a pugnantibus, sed ab iis indicta qui bellum indicendi ius et auctoritatem habent.

Desunt insuper plerumque etiam ceterae conditiones ad duellum requisitae, cum non ab ipsis duellantibus, sed vel a Regibus ipsis, vel saltem de consensu Regum, a supremis ducibus statuantur, qui et ipsos pugnantes plerumque eligunt, prout factum est in singulari certamine Oratios inter et Curiatios.

Nemo tamen putet, dum nos diximus duellum illicitum non esse,

si publicae et legitimae potestatis imperio suscipiatur, id voluisse intelligere, Imperatores, Reges, etc. potestatem habere duellum quolibet in casu permittendi. Id enim tum a recensitis Pontificibus, tum a Concilio Tridentino praesertim, quod ipsos Imperatores et Reges duellum permittentes excommunicavit, interdictum novimus; sed id unum affirmare voluimus, illicitum supremae potestati non esse duellum permittere ob bonum publicum, ad evitandam, scilicet, multorum caedem, si paucorum pugna evitari possit. Nemo certe Romanis et Albanis irascitur multorum caedi Oratiorum et Curiatiorum certamine parcendo; neque Regi Sauli dum Davidi singulari certamine adversus Goliath pugnare permisit; vel Sancto Wenceslao Bohemiae Duci, de quo in Breviario legimus: « Cum » ad singulare certamen adversus » Radislaum ducem Curimensem, eo » fine accederet, ut suorum saluti » prospiceret, visi sunt Angeli arma » ministrasse, et dixisse adversario: » ne ferias, » id enim bonum sanctumque fuisse nemo inficiabitur; maiorem enim caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis; nullo tamen pacto dicimus supremis principibus duellum licere permittere alia de causa qua multorum saluti non prospiciatur; quin imo affirmamus, hanc fortasse esse unicam, ob quam suprema potestas duellum permittere possit. Quis enim excommunicatum dixerit Regem cum decem millibus occurrentem hosti qui cum viginti millibus venit ad se, cuique resistere non valet, si suorum caedem regnique depraedationem praevidens, singulare paucorum certamen adverso duci proponat?

Proposito autem casui ea non contradicunt quae S. Nicolaus Primus Carolo Calvo scripsit: « Mono» machiam vero in lege non assu» mimus, quam praeceptam fuisse » non reperimus; quia licet quos» dam iniisse legerimus, sicut san» ctum David et Goliam sacra prodit » historia, nusquam tamen ut pro » lege teneatur, alicubi divina san» xit auctoritas; cum hoc et huius» modi sectantes Deum solummodo » tentare videantur. » Haec enim scripsit tantus Pontifex, ut certaminibus illius temporis, quae qualibet de causa suscipiebantur, atque praesertim ad innocentiam alicuius vel propriam probandam, modum imponeret, atque Carolum Calvum doceret, neque Regibus inesse potestatem duella quacumque de causa permittendi; cum nulli licitum sit Deum tentare. Haec autem quae a Nicolao sanctissime dicta sunt nihil obstant quominus Rex multitudini parcere volens et gravissima imminentia mala vitare periculo paucos tantummodo exponat. Et hoc enim sanctum est: sanctum autem sancto non opponitur. Hinc si eiusmodi, vel alia gravissima bonum publicum respiciens, causa defuerit, nullimode ab excommunicatione excusaren-

tur illi qui publica auctoritate duellum inirent: suprema potestas enim caret auctoritate legitima duellum qualibet de causa permittendi; et ipsa insuper excommunicationi subiicitur si permittat.

Pugna demum haec debet esse cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris, tum ut excludantur exercitationes gladiatoriae, vulgo *di scherma*, in quibus nullum adest periculum, vel si vulnus intervenit, per accidens et praeter voluntatem; tum pugnae aliae quae fiunt cum pugnis, calce, capillorum evulsione, quae quamvis ex condicto, duella neque sunt, neque vocari possunt; dedecus insuper inferre sibi duellantes plerumque putant his armis pugnare; quare vel nunquam, vel ioco, vel serio, ad excludendum tamen verum duellum, suscipiuntur; hic autem de duello proprie dicto sermo est.

Advertendum ulterius, duellum aliud esse solemne, aliud privatum. Illud quod peragitur certa forma et solemnitate circa designationem armorum, temporis, et loci privilegio praediti, seu *Campo franco*, testibus seu patrinis etiam adhibitis.

Aliud quod fit quidem ex condicto; statuto etiam certo tempore et loco, sed absque aliis solemnitatibus circa designationem armorum, et loci securitatem, et fit sine patrinis: utraque autem duelli species aequali excommunicatione plectitur.

Ante rerum dicendarum tractationem, quaestionem illam expedire ducimus, quam et Commentatores proponunt, et in definiendo, discrepant:

1. Scilicet, utrum circa duellorum materiam nunc standum tantummodo sit verbis et sententiae Constitutionis *Apostolicae Sedis*, nullo habito ad Superiorum Pontificum et Concilii Tridentini decreta, respectu; vel ad horum tramites illa sit explicanda.

2. Utrum Piana Constitutio antiquo iuri poenali contra duellantes statuto ex parte vel omnino derogaverit; ita ut nunc sola duellantes obstringat excommunicatio Romano Pontifici simpliciter reservata.

Et quoad primum quaestionis caput, standum omnino videtur verbis Pianae Constitutionis; idque probamus:

1. Ex Piani Capitis tenore. Legenti enim et illud cum praecedentibus dispositionibus contra duellum latis conferenti, illico manifestum erit, esse anacephaleosim quamdam illarum; plecti scilicet in eo varias actiones, et personas, quae in praedictis Constitutionibus, Clementis VIII praesertim, continebantur; qua de causa Legislatori Constitutiones illae prae oculis erant, et quod voluit instaurasse, quod noluit voluntarie praetermisisse dicendus est.

2. Ex tenore Pianae Constitutionis, qua declaratur, veteris iuris censuras robur habere *non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione*

conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint.

At censura plectuntur actiones, quae in hoc Piano Capite expresse designantur; ergo Constitutiones praecedentes debent quoad has actiones cum Piano Capite convenire, ut vim adhuc habere possint. Ex Piana igitur Constitutione illae debent explicari et dimetiri. Qua de causa si actio quaedam circa duellum in veteri iure recensebatur sub poenarum comminatione, praetermissa autem sit in Piana Constitutione, iam actio illa poena non amplius abstringitur. Piana etenim Constitutio regulam praecipuam praebet discernendi quid adhuc fideles obstringat, quaeve actiones sub censura cadant, quaeve sint censura immunes. Cum vero Pianum Caput determinet singulas duellantium actiones, vel personas quae censura multantur, licitum non erit alias addere, eo quod in veteri iure censura multarentur.

Ergo, dices, veterum Pontificum Constitutiones post Pianam non sunt amplius attendendae? Utique sunt attendendae, sed in eo quod cum Piana conveniunt, nullimode vero in quo discrepant. Qua de causa si dubium in Piana Constitutione exoriatur quod, inspectis verbis, sententiis, fine, et intentione legislatoris, per eam definiri non possit, poterit quis ad superiores Constitutiones recurrere, ex quibus quodammodo praesens Caput desumptum et concinnatum est, quo sibi certitudinem de re comparet; attamen id prae oculis semper habeat, ut potius verbis et sententiis Pianae Constitutionis insistat, quam superiorum Constitutionum; hae enim cum Piana convenire debent, non e contra.

Difficillimum autem putamus dari hac in re casum, qui in praesenti Capite non comprehendatur, comprehendatur autem in antiquo iure, eoque possit et debeat absolute definiri; cum enim Piana Constitutio novam Legislationem constituat, cum qua ius vetus convenire debet, si actio quaedam in illa praetermissa fuerit, quae in antiquo iure censura plectebatur, non est inde facile inferendum et in novo censura plecti: sanctum enim unicuique esse debet Legum peritorum effatum: *Legislator quod voluit, expressit, quod non expressit, noluisse censendus est;* idque praesertim cum constet ex veteri iure ius novum compactum fuisse, atque ex parte illud abrogatum, ex parte confirmatum, hic ampliatum, illic restrictum, atque ea adiecta conditione ut cum novo iure concordet quo vim possit habere. Quae nisi admittamus, plurima Veteris iuris Capita adhuc vim haberent, quam tamen post Pianam Constitutionem non habent, ut sive haec nostra, sive aliorum Commentaria legenti patebit.

Addimus, usum loquendi a legislatore adhibitum ad legis intelligentiam maxime conducere. Videmus autem Pium Papam IX Praede-

cessorum suorum Constitutiones citasse quando voluit, ut lex a se lata ad earum tramites intelligeretur. Cuius rei exempla desumimus ex Cap. I, excommunicationum simpliciter reservatarum, in quo damnat docentes et defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Constitutionibus *Suprema. Ubi primum. Ad eradicandum;* tum ex Cap. IV, quo excommunicantur Moniales clausura exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam; tum ex Capitibus XI et XIII eiusdem excommunicationum classis; tum demum ex Capitibus III et IV excommunicationum nemini reservatarum; in quibus omnibus Constitutiones Romanorum Pontificum citantur ad quarum tramites leges Pianae sint observandae. Quare ergo id Pius contra duellantes facere praetermisit, nisi quia voluit verbis legis a se latae esse insistendum? noverat autem certe, plurimas easque terribiles Constitutiones contra duellum patrantes a Praedecessoribus suis fuisse latas.

Neque in praesenti quaestione aliquid valere illa iuris effata putamus, quorum primum pronuntiat vitandas esse correctiones iuris: *Cum expediat concordare iura iuribus, et eorum correctiones si sustineri valeant, evitari.* Cap. 29. De electionibus in 6; aliud vero edicit: *posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint.* Leg. *Novum non est*, 25. de Legibus.

Haec enim apprime observanda sunt, cum non constet per posteriores leges vulnus aliquod antiquo iuri inflictum fuisse, non autem, cum exploratum sit per novum ius adeo antiquo fuisse expliciter derogatum, ut exinde nil vigoris ius vetus habeat nisi quatenus cum novo concordet. Hoc enim in casu quidquid in novo quod actiones censura plectendas deest, abrogatum putandum est; atque vim habet illud principalissimum effatum: *Legislator quod voluit expressit* etc.

Huius autem rei ratio plurima. Leges enim quid odiosum in se continere, cum libertatem coarctent quisque novit; leges autem poenales semper odiosas esse nemo negaverit; odia autem sunt restringenda. Non est hinc existimandum, legislatorem in eodem crimine duplici legi voluisse delinquentem subiicere; illinc autem putandum est, ideo novum statuisse ius, ut eo subditi obligarentur; atqui in novo iure actiones determinavit poena plectendas; solae igitur actiones in novo iure determinatae poena plectendae sunt.

Id autem multo magis dicendum, si consideremus Legislatoris intentionem in lege ferenda fuisse erga subditos benevolam, legem scilicet fuisse *beneficium Principis*, quale prorsus existimanda est Pian Constitutio, ut ex Prologo patet; in legibus autem eiusmodi, favorabi-

lius et mitius de Principis intentione iudicandum est; ne si severius iudicetur, contra ipsius intentionem et beneficium pugna instituatur. Qua de causa si legislator quaedam in novo iure praetermisit, quae in antiquo censura plectebantur, putandus est id egisse ex animi sui benevolentia, qua voluit mitius erga subditos agere, veterisque iuris rigorem temperare. Tria enim certo certius in casu constant, et de facto Legislatorem veteri iuri derogasse in plurimis, et edixisse vetus ius cum novo concordare debere, ut vim suam adhuc servare possit, et eius intentionem benevolam esse.

Dices ne, ex praetermissis actionibus, quae in veteri iure censura plectebantur, nullum suppeditari argumentum, quod Princeps eas censura exemerit, cum exinde inferri non possit, eas a novo iure discordare?

Sed nonne hinc lex est poenalis, ideoque stricte interpretanda, neque ultra extendenda quam ferunt naturalis verborum sensus et actiones poenae suppositae? illinc vero est beneficium principis indubia documenta continens eum voluisse mitius erga subditos agere? Praetermitto, Legislatorem varias duellantium, sive duello quomodolibet sese immiscentium actiones in diversis RR. Pontificum Constitutionibus numeratas in compendium redegisse; ex quo intelligimus eas quas recensuit, et non alias, voluisse poenae subiicere; illud etiam praetermitto, manus contra duellantes aggravasse in aliquibus, relate praesertim ad Trid[illegible]ni decretum.

Dices, Legislatorem in [illegible]a Constitutione voluisse, latas censuras etiam ex veterum Canonum auctoritate vim suam accipere debere? Utique; sed dixit etiam: quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt. Quis autem tuto dirimere poterit, an in hoc casu vel illo, qui sub novo iure non comprehenditur, Legislatorem voluisse, ut ex veteri iure comprehenderetur, praesertim cum ex facto constet, ipsum in novo vetera citasse iura, cum voluit ex iis, vel ad illorum normam adhuc iudicandum esse? At cum de lege aperte non constat, nemo legis observatione tenetur.

Nemo autem non novit, in hac Constitutione plurima praetermissa fuisse, quae in veteri iure aperte sanciebantur, et ab interpretibus neminem obstringi iudicatum, quod praetermissa sint.

Ut igitur sententiam nostram brevibus verbis exponamus: in iis quae veteri iuri contradicunt, standum omnino est Pianae Constitutioni: in dubio an contradicant, non est illico iudicandum vetus ius stare, et ex veteri iure quemquam excommunicatione plecti; sed inspecta prius intentione, fine, verbis Pianae Constitutionis, cum qua ius vetus concordare debet, rem esse diiudicandam. Paucis: si quid sub Piana lege non comprehenditur, non est quis ex veteri iure excommunica-

tione plectendus, nisi ius vetus in Piana lege confirmatum probetur.

Videamus nunc oportet, an antiquo iuri poenali contra duellantes statuto, ex parte vel omnino Piana Constitutio derogaverit, ita ut nunc sola obstringantur excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata, vel etiam aliis poenis.

Consideratione habita in superiores Constitutiones contra duellantes latas, sequentes poenas alias spirituales, alias temporales continere reperimus. 1. Excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici specialiter reservatam. 2. Infamiam perpetuam. 3. Proscriptionem bonorum omnium. 4. Poenas omnes contra homicidas proprie dictos sancitas, quas inter capitis sententiam. 5. Privationem sepulturae ecclesiasticae etiamsi extra conflictum decesserint ex vulnere tamen ibidem accepto, atque, ex Benedicto XIV, etiamsi ante mortem non incerta poenitentiae signa dederint, et a peccatis censurisque absolutionem obtinuerint. 6. Privationem omnium dignitatum et officiorum ecclesiasticorum, atque inhabilitationem ad illa vel alia in posterum obtinenda, si vel duellantes, vel participes fuerint ecclesiastici. 7. Imputationem criminis laesae Maiestatis. 8. Inhabilitatem ad condendum testamentum. 9. Multam pecuniariam pro personarum qualitate et dignitate. 10. Privationem iudicaturae et magistratuum, atque inhabilitatem ad aliis patrocinium praestandum, iudicibus et procuratoribus, qui iuxta leges pro duellis constitutas sententiam tulerint, vel duellantium causam defendendam susceperint. 11. Ex Concilio Tridentino privationem dominii et iurisdictionis in locum vel civitatem, quam ab Ecclesia acceperint, in Imperatorem, Reges, aliosque principes temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis concesserint, vel eam in suis locis fieri permiserint. 12. Interdictum Civitatum, Terrarum, oppidorum, Castrorum vel locorum, in quorum territoriis id facinus, scientibus, et tacite vel expresse permittentibus Dominis, Magistratibus, Senatu aut Populo admissum fuerit. 13. Amissionem iuris asyli ecclesiastici, ex Benedicto XIV.

Conferenti Pianum hoc Caput eiusque sanctionę sive cum superioribus Romanorum Pontificum Constitutionibus, sive cum Tridentino decreto, illico manifestum erit, Pium IX hinc mitius egisse, hinc gravius. Excommunicationem enim quae erat in Pontificiis Constitutionibus modo speciali reservata ad simpliciter reservatam reduxit; at e contra Tridentini excommunicationem quae nemini reservata erat, Romano Pontifici simpliciter reservavit.

Tridentinae quapropter excommunicationi neque ante Pianam Constitutionem vis inerat, neque postea; non antea, quia cum nemini reservata esset, speciali modo a Romanis Pontificibus sibi reservata fue-

rat; non postea, quia in Pianam simpliciter Romano Pontifici reservatam conversa est.

Quod attinet igitur ad excommunicationem nunc contra duellantes vigentem, ea est sola excommunicatio praesentis Capitis.

Sed quid de aliis poenis?

Pius Papa IX in cit. Constitutionis Prologo diserte affirmat, ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illas, quas in hac ipsa Constitutione inseruit, eoque modo quo inseruit, robur exinde habituras. Loquitur ergo tantummodo de excommunicationibus, de suspensionibus, deque interdictis. Si igitur aliae poenae in praedecessorum suorum Constitutionibus, vel generalibus Conciliis decretae in duellantes sint, eas vel vim habere fateri debemus, vel aliunde dignoscere an, et quaenam adhuc vim habeant. Nemo enim existimet, Pium IX ceteras poenas omnes abrogasse, vel in excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum eas convertisse.

Id utique de aliis humanis actionibus tenendum est, quae in veteri iure tum excommunicatione, tum aliis poenis, ex. gr. inhabilitate, infamia etc. plectebantur; quaeque tamen ab illata excommunicatione in novo iure fuerint subtractae, cum enim excommunicatio, maxima inter poenas canonicas, sublata sit, sublatae censendae sunt etiam poenae minores. Perempto enim principali, et accessorium perimitur.

At non ita de aliis poenis dicendum est in actiones illatis quae etiam num in Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicatione feriuntur; cum nullam poenarum ceterarum revocationem Pius Papa IX indixerit. Cum autem velit excommunicationes a se indictas etiam ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum lata Constitutione conveniunt, robur habere debere, manifestum putamus, in iis omnibus, in quibus veteri iuri non derogavit, ei adhuc standum esse.

Nemo tamen hinc putet, omnes contra duellantes latas poenas nunc vim habere, iisque esse subiiciendos; existimandum est immo fere omnes corruisse, ni ex Constitutionis Pianae sententia, ex aliis certe regulis quae in iuris interpretatione, et in poenarum applicatione nos ducere debent; ut ex. gr. contraria consuetudo, fere impossibilis earum observantia etc.

Certum est itaque non amplius vigere interdictum, cum in Piana Constitutione renovatum non fuerit; sed neque infamiam perpetuam, proscriptionem bonorum, imputationem criminis laesae maiestatis, aut poenas contra proprie dictos homicidas constitutas; neque multam pecuniariam, inhabilitatem ad condendum testamentum, privationem iudicaturae et magistratuum, ut n. 10 continetur; et neque priva-

tionem dominii temporalis; cum harum poenarum aliae numquam fuerint observatae vel in praxim deductae, aliae in desuetudinem et oblivionem abierint, aliae sint impossibilis observationis propter temporum iniquitatem; atque de cetero Confessarios non interest dirimere an in aliquo crimine poenae omnes temporales fuerint in delinquentem applicatae, sed an excommunicatione, suspensione, vel interdicto ligetur.

Ut autem aliquod in re criterium statuamus; in provinciis dominio temporali R. Pontificis non subiectis decernere Iudices debent quid de tot poenis a Romanis Praesulibus contra duellantes statutis observatum sit; et si noverint poenas mere temporales vel numquam observatas fuisse, vel in desuetudinem abiisse, iis non amplius delinquentes subiiciant.

In provinciis autem eius potestati temporali subiectis poenas praedictas omnino vigere fatemur, nisi per desuetudinem abrogatae fuerint.

Nemo tamen haec intelligat de poenis spiritualibus, quae dimanant ex eius iurisdictione in universam Ecclesiam, ut ex. gr. sunt excommunicatio, suspensio, interdictum; cum enim quicumque baptizati sunt Romani Pontificis iurisdictioni sint subiecti, illae poenae cunctos obstringunt. Haec autem quoad ius intellige; in facto autem nemo de formali inobedientia omnes condemnet, qui vel in graeco schismate, vel inter Protestantes etc. nati, Romani Pontificis decretis non obedivere; ignorantia enim et bona fide rudes praesertim excusantur. Confessarius, quapropter eorum conscientiam accurate discutiat.

Poenae itaque quae duellantes adhuc obstringere videntur, praeter excommunicationem simpliciter Romano Pontifici reservatam, sunt privatio sepulturae ecclesiasticae pro universis Christi fidelibus, qui pugnam commiserint, non pro aliis qui quomodolibet duello sese immiscuerint; privatio omnium dignitatum et officiorum ecclesiasticorum, inhabilitatio insuper ad illa vel alia in posterum obtinenda, si duellantes vel participes fuerint ecclesiastici; demum privatio asyli ecclesiastici prout a Benedicto XIV decreta est; hae enim poenae et sunt quid spirituale, vel spirituali adnexum, et a potestate dimanant, quam Romanus Pontifex habet in universam Ecclesiam.

Cum Pius Papa IX Tridentinum decretum contra duellantes in memoriam revocaverit, praestat differentias adnotare quae illud inter et praesens Caput intercedunt.

1. Plana igitur Constitutio excommunicationem extendit ad *simpliciter provocantes*, quamquam alter non acceptet duellum, ideoque non sequatur.

2. Extendit *ad acceptantes duellum*, quamvis postea aliquam ob causam non sequatur. Tridentinum

vero statuerat: *qui vero pugnam commiserint.*

3. Tridentinum edixerat *spectatores,* quo nomine illi etiam intelligi poterant, qui per locum certaminis alia de causa transeuntes, curiositate ducti ad videndum certamen consisterent. At Piana Constitutio Tridentinum vocabulum declarat, et coarctat ad *de industria spectantes,* ita ut nunc ii spectatores sint omnino ab excommunicatione excludendi qui ad videndum duellum de industria non accesserint. Quinam vero sint spectatores de industria suo loco videbimus.

4. Tridentinum edixerat: *Imperator, Reges,... qui locum ad monomachiam in terris suis concesserint,* quo ii tantummodo intelligebantur, qui *campum francum,* ut vulgo dicebatur, duellantibus concedebant. At Piana Constitutio Tridentinam dispositionem extendit ad *illud permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

Omnibus perpensis, Pius Papa IX magis accessit ad veteres praedecessorum suorum Constitutiones, quam ad Tridentini decreti verba atque dispositiones.

Hisce praemissis:

In Piana Constitutione primo loco excommunicantur *duellum perpetrantes,* quo ii intelliguntur qui pugnam singularem ex condicto, statuto loco, tempore, et etiam armis, si sermo de solemni sit, ad invicem committunt.

Hi vel nullo pacto ab excommunicatione excusantur, vel tunc tantummodo, cum inopinato obviam sibi occurrentes, illico sese lacessunt, et pugnam committunt; rixa enim eiusmodi decertatio potius esset quam duellum.

Nemo autem putet censura quemlibet excusari, quod conditionem apposuerit duello cessandi vix alteruter sanguinem fuderit; nam et ista pugna duellum proprie dictum est, seu duelli species; et Clemens VIII in Constitutione cit. diserte sancivit, eos etiam latis teneri poenis qui paciscuntur duellum intermittere vix alteruter vulneratus fuerit: « nec non iisdem poenis teneri eos » inter quos pactiones initae sint » de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, » seu sanguinem fuderit, aut certus » ictuum numerus utrique illatus » fuerit. »

Hac autem in re nihil per Pianam Constitutionem immutatum fuit, cum per eam excommunicatione plectatur quodcumque proprie dictum duellum.

Non idem tamen iudicium de iis ferendum esse, qui simul ficte, non vere congrediuntur, de iis scilicet qui ne timiditatis nota a maleferiatis hominibus inurantur, duello sese provocant, sive private sive solemniter agendo, apparenter tamen atque sine ullo animo sese offendendi, vulnerandi etc., eaque

tantummodo de causa ne derisionibus impetantur: de quibus omnibus antea inter se secreto convenerint. Eiusmodi duellum enim, considerandum est uti exercitatio gladiatoria; est insuper sine ullo periculo occisionis vel vulneris; quod si interveniat, per accidens, non vere et proprie; leges autem duellum proprie dictum prohibent, illudque solum excommunicatione feriunt.

Putaremus quapropter, iis qui vero duello querelas suas dirimere vellent, persuaderi posse ut simulato dirimant, quando ad illud intermittendum induci non possent, neque ad litem alio remedio componendam. Qua enim ratione excommunicati haberentur, cum neque ex intentione, neque in facto duellum committant, illudque destituatur essentiali conditione, praesertim cum periculo *occisionis, mutilationis* vel *vulneris,* quae duelli substantiam ingreditur? Nulla autem lege fictum duellum prohibetur.

Non nos equidem latet, penes auctores plerosque sententiam negativam invaluisse, quod putarint eiusmodi ficta duella a Clemente VIII in cit. Const. *Illius vices,* fuisse interdicta, atque S. Alphonsum de Ligorio *Theol. mor. lib. III. Tract. IV. Dub. V* n. 399 Edit. Bassani 1836 affirmare, ficta duella ad vitandam infamiam esse illicita « tum » ob vitandum scandalum aliorum, » tum quia Clemens VIII in Const. » *Illius vices* an. 1592 hoc prohi» buit, vetando etiam *duella non* » *fatalia* ».

Hanc autem sententiam aliquis etiam e Commentatoribus huius Constitutionis amplexus est, motus fortasse tum Ligoriana auctoritate, tum praestantissimi Canonistae Francisci Schmalzgrueber, qui *Ius Can. Univ. Vol. X, part. II, titulo XIV, n. 30.* affirmat « hanc sententiam non sa» tis convenire cum textu Bullae » Clementinae, ubi poenae, decreta » et Constitutiones contra duellan» tes latae, extenduntur etiam *ad* » *duella non fatalia.* »

Verum quidquid interea de scandalo sit, omnino falsum est, in cit. Bulla Clementis VIII eiusmodi ficta duella prohiberi; atque affirmamus Sanctum Alphonsum, aliosque qui Clementinae dispositioni innixi, illa nedum proscripsere, sed et poenis constitutis simulantes duellum subiecere, in errorem, nescimus qua de causa, (1) fuisse inductos.

Falsum enim imprimis est allegata verba, *duella non fatalia* ha-

(1) Causa erroris fortasse ista fuit: Bullae Clementinae Commentatores distinxerunt inter duella fatalia, ea scilicet quae usque ad mortem prosequebantur, et duella non fatalia, seu quae intermittebantur vix alteruter vulneratus fuisset seu sanguinem fudisset, etc. Utraque porro prohibuerat Clemens, poenisque subiecerat. Qui eiusmodi commenta excripsere putarunt, distinctionem esse partem textus Clementini, atque idcirco scripserunt, eum etiam duella non fatalia prohibuisse, inter quae fortasse recenseri etiam poterant duella simulata.

beri in Clementina Bulla; quater vel quinquies illam legimus, nihilque tale reperire potuimus; sed neque sensu aliquo ibi esse eiusmodi duella proscripta fidenter asserimus Unicus textus, qui afferri possit, et reapse a contrariae sententiae patronis affertur, est ille, in quo Clemens dicit: « Nec non iisdem poe» nis, decreto et Constitutionibus » teneri eos, inter quos pactiones » initae sint de dirimendo certa» mine, cum primum alteruter vul» neratus fuerit, seu sanguinem » fuderit, aut certus ictuum nume» rus utrique illatus fuerit. »

At haec trahi ne possunt ad ficta duella, de quibus nos loquimur? Profecto trahi non possunt; primo enim citati textus membro prohibentur duella, italice *a primo sangue*, quae rationem habent veri et proprie dicti duelli, ut omnibus compertum est; alio autem membro res gravior est, cum in eo proscribantur non primi sanguinis duella, sed alia, in quibus duellantes vel patrini antea pacti sunt pugna cessare cum duellantium uterque ter vel quater percussus fuerit; qua de causa non erat duello cessandum ni constitutum antea ictuum numerum, sive gladio, sive alio instrumento uterque accepisset: huius autem duelli genus periculosius prae primo erat, cum si quis prima armorum congressione graviter vulneratus fuisset, et impotens ad pugnam prosequendam propterea redditus, tot ictus tamen expectare ab adversario deberet, quot antea conventi erant; qua de causa si animo generosiori adversarius destituebatur, poterat sequentibus percussionibus iam vulneratum ad mortem usque perducere. Et hoc autem verum et proprie dictum duellum est, initum tantummodo sub aliquibus conditionibus; conditiones autem appositae sicut non infirmant valorem et veritatem contractus, ita neque duelli veritatem; de cetero duella omnia, etiam quae ad mortem, pactis reguntur, cum e certamine nemo discedere possit, nisi alteruter pugnantium occubuerit.

At in ficto duello res aliter omnino se habet: antea enim pactis secreto initis conveniunt et de non patrando vero sed simulato duello, et de sese ad invicem neque vulnerando, neque aliud nocumentum inferendo, atque de certamine dirimendo post actam quandam certaminis comoediam; in hoc autem desunt omnia ad duellum requisita.

Quis insuper aliqua probabilitatis specie affirmare poterit, ficta duella a Clemente VIII in cit. Bulla proscribi, cum in ea semper et ubique de veris duellis, atque de variis modis quibus tunc temporis perficiebantur, loquatur, ut illam obiter legenti patebit? Quomodo etiam de fictis duellis in allegato textu potuit Clemens loqui, cum ibi de duabus veri duelli speciebus, vel duobus duellandi modis, qui tunc invaluerant, et etiam nunc invalescunt, lo-

quatur? atque paullo superius sermonem instituat de duellis quae committebantur a militibus hinc inde in hostium castris militantibus, quique publicae causae privatas simultates atque inimicitias commiscerent, ob idque adversarium duello lacesserent? postea vero de duello inter plures? *vel si convenerint ut non singuli, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent?* Vides ne in primo casu de absoluto duello Clementem loqui, et prout communiter inter duos peragebatur; in aliis vero de duellis conditionatis et inter plures? Adde, eum postea excommunicationi latisque poenis Magistratus, et exercituum duces subdere Monomachiam vel permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post commissum crimen veniam et impunitatem concedentes. Illud etiam adde, in duellantes vel quomodolibet participes eum manum apostolicam aggravare, et principes saeculares rogare ut eiusmodi scelus e regnis suis exterminent; paragrapho autem septima ipsum anathematizare omnes et quoscumque, publice vel privatim, palam vel occulte, in quibuscumque locis, modis ac formis et casibus in sua Constitutione vel praedecessorum et Concilii Tridentini decreto comprehensis, singulare certamen, quod duellum vulgo dicitur, ex composito ineuntes, nec non id scelus suadentes, etc. quae de vero duello accipienda omnino sunt, nullumque in eiusmodi Clementina repetitione adesse verbum quod ad fictum duellum trahi possit. Adde etiam, Benedictum XIV in Const. relata, Clementis VIII Constitutionem per summa capita retulisse, neque quidquam innuere eum etiam ficta prohibuisse duella; mentionem de ea re certe facturus, si Clemens haec etiam duella poenis subiecisset.

Nullo itaque argumento contradicentes probare poterunt, et Clementem VIII simulata etiam prohibuisse duella, et simulate duellantes poenis omnibus contra vera duella statutis subiecisse. Sed esto; locutus sit Clemens VIII etiam de duellis simulatis? Quid inde? Cum in Piana Constitutione eiusmodi sanctio renovata non fuerit, atque ne verbum quidem adsit, quo renovatam esse suspicari possimus, cumque in re Capitis Piani verbis et sententiae standum sit omnino; haec simulata duella legi subiecta modo non erunt, quamvis antea prohibita dicere vellemus.

Quid ergo? Omni ne poena erunt, eximendi?

Et quidem Pignatelli Consult. Tom. IX. Consult. LXXXVIII, n. 92. dum in *foro conscientiae* eiusmodi duellantes excommunicatione eximit, cum non sit *pugna cum periculo laesionis,* in foro autem externo, eos excommunicatos proclamat quia *forus externus solum intuetur actum externum, non vero internas animi cogitationes.*

Cl. Anacletus Reiffenstuel, *Ius*

Canon. Univ. Lib. V, Tit. XIV n. 14. idipsum affirmat, *tales,* scilicet, *poenis duellantium subiacere.*

Quid vero Schmalzgrueber senserit, paullo superius exposuimus.

Quin contradictionis studio, animo potius veritatis inquirendae, nonnulla lectoribus pro re subiicimus, ipsosmet rogantes ut sententiam dicant.

Atque 1° ut quis etiam in foro externo pro aliquo crimine seu peccato excommunicationem incurrat, lex excommunicationis clara et aperta esse debet. At probavimus, a Clemente VIII, cuius lex contra ficte duellantes affertur, ficta duella excommunicationi subiecta non fuisse; in Piano autem capite ne verbum quidem de iis haberi. Lex itaque abest.

2° Cum lex lata contra vera duella sit poenalis, nullo pacto extendi ad alia certamina debet, quae veri duelli rationem non habent. At probavimus, ficta duella destitui conditionibus essentialibus, illa praesertim quae consistit in periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris. Non sunt itaque vera duella, ideoque sub lege non comprehenduntur.

3° Lex contra duellantes lata est tum pro foro interno, tum pro foro externo, atque praesertim pro foro externo, cum duellum constituat nedum peccatum externum, sed plerumque etiam publicum; excommunicatio autem adiecta fuit ut gravissima poena eiusmodi scelus puniretur quomodocumque committeretur, sive publice sive private, sive occulte sive manifeste. Lex ergo respexit etiam ad forum externum, et ad factum publicum, quod eodem modo excommunicatione feriit ac factum privatum et occultum. Sed lex eiusmodi excommunicatione tantummodo feriit verum duellum; ergo si in facto externo et publico duelli veritas absit, factum illud excommunicatione feriri dicere non possumus, cum lex in foro etiam externo verum duellum, non simulatum, excommunicatione perculerit.

Atque hinc 4°: ut aliquod factum sub lege quomodocumque comprehendatur, debet esse identicum cum facto a lege prohibito, debet scilicet esse eiusdem naturae, easdemque habere conditiones. Ut exemplo rem declaremus; si lex prohibeat sub capitis poena publicum latrocinium, atque adulterium sub ea comprehendi numquam poterit simplex furtum, aut fornicatio vel sodomia aut bestialitas, quae duo postrema scelera summum luxuriae tangunt, et multo graviora adulterio sunt: sunt enim peccata diversae speciei, quae non sunt identica cum peccatis lege prohibitis. Ita si lex canonica excommunicatione plecteret violentas manus iniicientes in Sacerdotes tantummodo, eam certe non incurrerent ob eamdem rationem qui in Diaconum vel alios inferiores clericos iniicerent.

Nonne, ut evidentiori exemplo rem probemus, lex canonica reapse excommunicatione plectit violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos? Et tamen Clerici vel per iocum, vel ex subita ira, sese percutientes, vel laici etiam ob easdem causas, vel errore clericos vulnerantes excommunicationi non subduntur?

Quare? quia hi actus non censentur positi suadente diabolo, neque sunt identici cum actionibus a lege prohibitis.

A pari igitur cum lex praesens excommunicatione percellat solummodo vera duella quomodocumque committantur, non est etiam ad ficta duella extendenda; quia haec non sunt identica cum duellis prohibitis.

5° Hisce adde rationes, ob quas a Romanis Pontificibus duella prohibita fuere, quaeque a Tridentino loc. cit. reducuntur ad corporis et animae perniciem: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* Et: *Unde mortes hominum et animarum pericula saepe proveniunt;* quae duae rationes finem constituunt, ob quem duella prohibita fuere. Manifestum est autem quod cessante fine legis ipsa lex cessat. Atqui hunc finem a fictis duellis abesse nemo non novit, cum in iis neque corporis neque animae pernicies esse possit, duellantesque illud apparenter, ob aliquam singularem causam instituant. Si igitur poenae latae sunt, ut illud duplex periculum removeretur, si hoc desit et poenae abesse debent.

Neque dicas, etiam aliis causis, praeter adductas, motos fuisse Romanos Pontifices ad duella proscribenda, quas inter haec numerantur; quod scilicet 1° duellantes per fictum duellum intendant omnibus suadere se verum commisisse duellum, atque hinc scandalum scientibus praebeant, cum hi arbitrentur illud patratum fuisse contra leges divinas et ecclesiasticas, atque exinde malum exemplum porrigere ad leges huiusmodi conculcandas. 2° vero, quod finis adaequatus legum ecclesiasticarum duella prohibentium non sit caedes solummodo impedire, sed etiam detestabilem duellorum abusum eliminare, qui finis minime obtineretur, si eiusmodi ficta duella licerent, cum omnes, si rei conscios excipias, ea ut vera duella habeant.

Verum eiusmodi rationes id unum probare poterunt, duella ficta illicita ad summum esse, non vero excommunicatione aliisque poenis in vera duella latis feriri; cum enim in lege odiosa, ideoque stricte interpretanda, versemur, non potest extendi ad fictum duellum poena quae pro vero tantummodo duello lata est.

Neque huius conclusionis veritati obesse potest scandalum, a ficte duellantibus exhibitum, cum non

ob eiusmodi rationem a legislatore duella prohibita sint, sed ad vitandam perniciem animae et corporis ipsorum duellantium, ut ex testimoniis allegatis patet; rationes scilicet prohibitionis sunt personales quae ad ipsos duellantes referuntur. Non diffitemur utique etiam scandalum vel adesse, vel adesse posse; at ex hoc nulli licet concludere: ergo etiam ficta duella excommunicationi subiacent; sin minus et in aliis actionibus omnibus censura multatis, in quibus scandalum interveniat, quamvis vel genere, vel circumstantiis diversae ab iis sint quae lege prohibentur, excommunicatio esset irroganda. Si ex. gr. quis ex subita ira, vel ioco sacerdotem coram populi multitudine id nescientis percutiat, spectatores certe scandalum sumerent; nemo tamen ob populi scandalum, percussorem excommunicatum iudicabit. Non est insuper absolute concedendum, ficte duellantes intendere scandalum spectatoribus praebere, cum simulant se verum duellum committere; nam ratio principalis, qua ad ficte pugnandum impelluntur, est tum corpori tum animae suae parcere, tum fortasse leges ecclesiasticas non violare, atque idcirco latas vitare poenas; qua de causa scandalum praeter eorum intentionem intervenire potest.

Concedimus autem, finem adaequatum prohibitionis duellorum, esse nedum animae et corporum perniciem evitare, sed etiam detestabilem hunc abusum tollere; at ex eiusmodi pariter ratione sequetur ad summum, ficta duella esse illicita, non autem excommunicationi aliisque poenis subiecta, cum in illis finis in lege expressus obtineatur; cuius tantummodo violatio poenas spirituales inducere potest; non autem violatio finis adaequati; hic enim est communis omnibus legibus poenalibus, quae statuuntur, ne hoc vel illud crimen committatur; quis autem dixerit poenas illum incurrere, qui legem non vere, sed ficte vel violavit, vel violasse ob aliquod malum imminens evitandum simulavit?

Paucis: Ficte duellantes legem violare simulant, reapse non violant; finem praecipuum ab Ecclesia intentum et lege expressum servare intendunt et servant: non sunt ergo neque in foro externo poenis in proprie dictos duellantes latis subiiciendi.

Sed dices cum Pignatelli, Forum Ecclesiae externum solum intueri actum externum, non vero internas animi cogitationes; quasi, scilicet, impossibile vel difficile sit ficte duellantibus iudices ecclesiasticos secreto monere, se non verum sed fictum duellum commisisse. Rei enim sunt semper ante sententiam a iudice audiendi; putanda autem non est Ecclesia eos excommunicatos velle ob simulatum factum, a quibus facillime rei veritatem scire potest; purgationem insuper per iuramentum habere hi possunt.

Qua de causa Pignatelli rationem tum solummodo locum habere fatemur, quando medium Ecclesiae non suppetit veritatis sciendae, ut si ex. gr. ficte duellantes per accidens sese mortaliter vulneraverint atque in duelli loco occubuerint, et nemo reperiatur cui eorum intentio manifesta fuerit; non autem cum in veritatis cognitionem venire facillime potest; norunt enim omnes in iure canonico plura dari media ad criminum purgationem. Exinde vero quis concludere legitime poterit, Ecclesiam non ad factum simpliciter externum respicere, ut excommunicatione aliquem plectat, sed ad factum quod cum legis dispositione identicum habeatur; sin minus enim purgationes canonicae locum non haberent. Cum itaque fictum duellum lege prohibitum non reperiatur, atque in rei veritatem facillime Ecclesia devenire possit, concludimus, ficte duellantes neque in foro Ecclesiae externo esse excommunicatos. Demum negari non potest, hanc sententiam valde probabilem esse; regulam autem esse generalem non incurri poenas ecclesiasticas, maxime excommunicationem, si opinio probabilis adsit aliquem ab censuris excusans; Confessarii quapropter huiusmodi ficte duellantes tuto absolvere possunt.

Difficillima autem altera est quaestio, quae respicit patrinos, complices, de industria spectantes, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes.

Et quidem si quidam illorum intentionem pugnantium noscant, atque ideo assistant ut verisimile duellum reddant, in ea essemus sententia ut ipsi excommunicationem effugiant, cum nihil ad factum conferant.

Quid autem si eos pugnantium intentio lateat, et pugnae ut alteri cuicumque vero duello assistunt? Censendi ne sunt tum in interno tum in externo Ecclesiae foro excommunicati?

Tum pro negativa tum pro affirmativa sententia argumenta proferemus.

Atque pro negativa

1. Ecclesia excommunicatos proclamat patrinos, de industria spectantes, et fautores quoscumque veri et realis, non ficti duelli.

2. Ideo Ecclesia etiam eiusmodi excommunicatione ferit, ne pugnantibus addantur animi ad pugnandum, et ne ob initas pactiones difficillime coram testibus a pugna recedant. At in casu duellum est fictum, spectatores neque pugnantibus animos addunt, neque a pugna eos recedere sua praesentia prohibent; paucis nihil ad pugnam conferunt; cum itaque desit favor proprie dictus qui nempe in actionem prohibitam influat, spectatores et fautores quilibet ficti duelli non videntur esse excommunicationi subiiciendi.

3. Fautores aliique participantes excommunicatione feriuntur semper relate ad factum principale·

Cum itaque ficte duellantes excommunicationem effugiant, etiam utcumque participes eam effugere dicendi sunt.

Graviora tamen argumenta eos excommunicatos proclamant.

Et 1. Cum ipsi nesciant pugnantium intentionem, actiones suas simpliciter ponunt: illae porro actiones sunt omnino ab Ecclesia sub excommunicatione prohibitae.

2. Fictio duelli nihil confert ad minuendam illorum pravam voluntatem, cum fictionem nesciant.

3. Simpliciter et absolute spernunt ecclesiasticas leges atque finem quem sibi praestituit Ecclesia in prohibendo, ne quis vel duellantibus utcumque faveat, vel ei de industria intersit.

4. Cum insuper Ecclesia factum externum respiciat, atque interna animi voluntas duello favendi in ipsis supponenda sit, sine ullo dubio sunt huiusmodi excommunicati dicendi.

5. Paucis. Quoad spectatores res diversimode omnino se habet ac in ficte duellantibus; hi enim factum scienter ponunt lege non prohibitum, et fortasse ut poenas promulgatas evitent; spectatores et fautores e contra per accidens ficto duello intersunt; reapse autem vero interesse credunt, et volunt. Addimus, difficillimum esse variis Confessariis detegere an praefati vero vel ficto duello interfuerint.

Secundo loco excommunicantur *simpliciter ad duellum provocantes*. Dum *simpliciter* ait, excommunicatos Pius Papa IX provocantes denuntiat etiamsi duellum non sequatur. Instauravit scilicet Clementis VIII decreta, quibus excommunicati provocantes denuntiabantur, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus aut actus ad pugnam proximus... subsecuta fuerint; quae Clementis voluntas clarior a Benedicto XIV in relata Constitutione reddita fuerat, ut theologos illos vel Canonistas confoderet, qui Clementis Constitutionem ad simpliciter provocantes extendere recusabant, putantes, eum decretum Tridentinum tantummodo instaurasse, cuius poenae ad simpliciter provocantes non extendebantur.

Cum autem duellum sit pugna vel singulare certamen ex condicto susceptum, consequenter deliberationem voluntatis includens, ab excommunicatione ille est eximendus qui iniuria ex. gr. lacessitus, in instanti, seu in actu primo primi, ut theologi loquuntur, alium duello provocat: deest enim voluntatis deliberatio, quae nedum ab excommunicatione, sed etiam a peccato gravi excusat, nisi actus subsequenter confirmatus fuerit.

Qua de causa si post illam subitaneam provocationem vel desit acceptatio, vel duellum non subsequatur, excommunicatus simpliciter provocans censendus non est, nisi constet, eum provocationem, etiam post irae defervescentiam renovasse.

Praetereunda circa provocationem illa quaestio non est, quae ex Constitutione *Illius vices* Clementis VIII naturaliter oritur; in ea enim nedum excommunicavit provocantes ad duellum personas determinatas, sed etiam quemcumque in genere: « Vel denique offert se » quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim » contra quemcumque ad probandum armis et verificandum, etiam inito certamine, aliquid ita » esse aut fuisse, vel non fuisse... » Volentes eos omnes et singulos » censuris et poenis omnibus in » praesenti et aliis praedictis Constitutionibus et decreto contentis » subiacere ».

Quid itaque? Eiusmodi incertae personae provocatio post Pianam Constitutionem excommunicatione ne plectitur?

Multa sunt quae negativam sententiam tenendam esse suadent.

Et 1. probavimus standum esse verbis et sententiis Pianae Constitutionis nisi ius vetus in ea confirmatum probetur. Nullo autem argumento apparet eiusmodi Clementis VIII dispositionem a Pio Papa IX confirmatum fuisse.

2. Usus a Clemente VIII reprobatus quamvis tunc temporis apud aliquos invaluerit, postea tamen penitus in desuetudinem abiit; non est autem putandus novus Legislator legem inutilem renovare voluisse: Leges enim adaptantur ad ea quae frequentius accidunt.

3. Provocatio de qua Clemens, est quid speciale, imo specialissima res. De ea igitur vel specialis mentio erat a novo Legislatore instituenda, vel saltem expresse antiqua iura ab eo prout iacebant, instauranda. Nil autem eiusmodi a Pio Papa IX factum est.

4. Quin immo ipse de duello loquitur simpliciter et absolute, prout scilicet nunc communiter peragitur; peragitur autem per provocationem determinatae personae, quamvis possint esse plures qui duellum perpetrent; dicendus igitur non est de re vel inusitata vel penitus obsoleta loqui voluisse.

Ex verbis autem Pianae Constitutionis altera quaestio exurgere circa provocationem potest, an scilicet sit ille excommunicatus qui alteri dicat: *Lacesso te duello;* italice: *Ti sfido a duello;* quin vel locum, vel tempus vel alia determinet, quae supra commemoravimus; Pius enim IX dicit esse excommunicatos *simpliciter* ad *duellum provocantes;* quo adverbio *simpliciter* innuere videtur simplicem provocationem sine determinatione loci ac temporis excommunicatione plectere voluisse, tum ut scelestissimum abusum a medio tolleret, tum quia ex eiusmodi simplici provocatione cetera omnia consequuntur, quae ad duellum pertinent; post illam scilicet, constabiliuntur locus, tempus, arma etc. si lacessitus duellum acceptaverit; negari demum non potest, illam provocationem quamdam esse.

Verum negativam sententiam tenendam esse arbitramur.

Primo enim verba *simpliciter ad illud provocantes* illum sensum habere possunt, quem supra exposuimus, ut scilicet, provocantes excommunicationem incurrant, quamvis duellum a lacessito non acceptetur, vel postea alia de causa non sequatur; et hoc enim sensu adverbium *simpliciter* veritatem suam consequitur; in lege autem odiosa benigniorem interpretationem, quae scilicet reo faveat, sequi debemus, cum odia sint semper restringenda.

2. Dato etiam quod eiusmodi interpretatio certa non sit, cum non sit authentica, illam iuris regulam locum habere putamus: *In dubiis, obscuris, et ambiguis semper debeamus inclinare in mitiorem et benigniorem partem. L. semper ff.* de Reg. iuris. Et: *In obscuris minimum est sequendum.* Reg. 30 de reg. iuris.

3. Ut probavimus: determinatio loci ac temporis ingreditur substantiam definitionis duelli; quae autem substantialia sunt numquam per novam iuris dispositionem sublata censentur, nisi Legislator iis derogasse expresse decernat, vel talem loquendi rationem adhibeat, ut ex ea evidenter constet, diversimode de re disposuisse; hoc autem in Piano Capite non deprehenditur.

4. Quin immo deprehenditur legislator de duello locutus prout communiter peragitur. Servare igitur substantialia voluit.

5. Ad excommunicationem inferendam in eiusmodi provocantes esset necessaria vel nova lex vel saltem authentica legis latae declaratio et extensio. At neutrum habemus. Hinc qui dicunt simpliciter: *lacesso te duello:* praesertim si ira et inimicitiis aestuent, non sunt ob provocationem uti excommunicati habendi.

6. Demum cum per novam legem Tridentinam dispositionem in duellantes Pius IX confirmaverit, (quamvis, ut iam observavimus, excommunicatio Concilii Tridentini, neque post Pianam Constitutionem neque antea robur haberet); atque quaestio inter theologiae moralis et sacrorum Canonum tractatores esset, an simplex provocatio, quam duellum deinde non consequeretur, excommunicationem a Clemente VIII latam induceret, per illud adverbium *simpliciter* dubium novus legislator eliminare voluit; nulla autem quaestio erat de necessitate loci et temporis determinandi in duelli provocatione ut excommunicatio lata incurreretur; quin imo declarationes de re editae fuerant, quas supra commemoravimus.

Quamvis itaque ex illa provocatione cetera omnia plerumque consequantur; non est tamen provocatio perfecta, iis scilicet adiunctis munita quae in lege praescribuntur, quaeque tantummodo sub excommunicatione cadit. De cetero constat, post illam inchoativam et

imperfectam provocationem duellantes ad perfectam devenire, eaque constabilire quae de more constabilienda sunt ut duellum perficiatur. Neque praetermittendum ea verba primo irae aestu plerumque proferri, atque sine debita mentis advertentia, qua etiam de causa eiusmodi provocatio non est excommunicationi subiicienda.

Ex iis vero difficile non erit dirimere quid sentiendum de iis sit, qui sese obviam habentes duello sese lacessunt in tali loco determinato peragendo, et illuc statim advolant atque pugnant.

Quamvis enim adsit in ista provocatione assignatio loci et temporis, tamen sunt, saltem plerumque, ab excommunicatione excusandi ob defectum deliberatae et sufficientis advertentiae.

Contrarium tamen tenendum esse censeremus, si antea inter se convenissent suas querelas duello dirimere, cum primum obviam sibi fuerint; hoc enim in casu duellum est uti praemeditatum habendum, et cum adsit loci ac temporis designatio, nihil deest quominus verum duellum habeatur ex vera et proprie dicta provocatione secutum.

In excommunicationem pariter illum incidere arbitramur, qui alicui dicit: veni ad talem locum ut duello pugnemus, te ibi expecto: vel domum perge ad capiendum gladium, hic te expecto ut duello querelas nostras dirimamus: vel invito te ad duellum nunc in hoc loco: idque praemeditato animo, non ex subita ira, provocantes dixerint. Excusandum autem ab excommunicatione illum credimus, qui alium duello lacesseret, cum primum obviam sibi in urbe fuerint: deest enim tempus et locus determinatus; cum in urbe loca fere innumera sint, et illud *cum primum* nullimode tempus determinat, sed est quid incertum quod nescitur quando verificari possit.

Pariter non videtur ille excommunicationem incurrere qui videns inimicum suum in platea, dicat illi: *exi e platea, ut duello pugnemus:* deest enim loci assignatio: quamvis enim designet locum extra plateam, tamen cum hi loci plurimi esse possint et sint, non verificatur in eiusmodi provocatione determinatio loci; haec enim innuit locum hunc vel illum et non alium. Atque idipsum de eo dicite, qui duellum offerens, statim hostem aggreditur; est enim aggressio, non vera provocatio, sicut ex parte provocati est vera et iusta defensio, non duelli acceptatio.

1. Quae autem de provocantibus dicta sunt ad acceptantes plus minus aptari possunt; et ab his enim excludenda est subita ira, vel primi animi motus, quibus sine debita deliberatione ad acceptandum duellum impelluntur; quamvis negandum non sit, rationabilius in provocantibus iram primam supponi, quam in acceptantibus; accurate

discutienda quapropter in foro interno horum conscientia est, et accurate sunt interrogandi de animi statu in quo versabantur eo temporis momento quo ad duellum lacessiti fuere; si enim nulla ira aestuabant, vel nulla praecesserunt iurgia, saltem immediate, atque duellum acceptarunt vel honoris causa, vel ne ut vilioris animi subsannarentur, vel ut adversario ostenderent se illum non timere, vel ad propriarum virium ostentationem etc., nullimode dubitandum est quin excommunicationem incurrant.

Attamen et in acceptatione ea verificari debent quae de provocatione diximus, ut scilicet et in illa determinatio loci et temporis adsit, quae si desit nullo pacto acceptantes erunt excommunicationi subiiciendi; sicut enim non est excommunicatus provocans qui adversario simpliciter dicat: *lacesso te duello,* quia deest loci et temporis determinatio; ob eamdem rationem non erit excommunicatus qui acceptat duellum his verbis: *duellum accepto,* et brevius: *accepto;* multo minus si respondeat: *te nullimode timeo; paratum me inveneris ad pugnandum quando tibi placuerit, et quibus volueris armis,* etc. idque praesertim dicat, tum ut duellum in obsequium legum divinarum et ecclesiasticarum respuat, tum ut adversario ostendat se minime eius provocatione terreri.

Et quidem ii sunt certe laude fortitudinis commendandi; prae iis qui nulla neque in Deum neque in Ecclesiam pietate, prohibitum et absurdissimum duellum acceptant, quia dum Deo et Ecclesiae matri obedientiam ostendunt, e contra parati sunt animi fortitudinem demonstrare si contingat, ut quamvis duellum non acceptent, provocans ipsos aggrediatur; ideoque respondeant: *Acceptare duellum ad quod me provocas et exire in locum ad bellandum ex condicto, non est hominis christiani et obedientis legi Dei et Ecclesiae; ego ita volo habere nomen viri fortis ut simul nomen boni christiani non amittam. Hinc quamvis in reverentiam ecclesiasticarum et divinarum legum duellum a te mihi oblatum non acceptem, paratus sum tamen ubicumque me aggressus fueris vim vi repellere, meque defendere* (1).

Certe qui haec respondeat apud sanioris mentis homines laudem consequetur; vituperari autem ab impiis est laudari.

Quamvis autem acceptare duellum prohibitum sit, nemo tamen putet, nullum dari casum, in quo illud acceptare sit licitum. Poteris enim sine ulla excommunicationis poena et sine peccato duellum ab eo acceptare qui ni acceptes, sit paratus te interficere; hoc enim in casu tu vitam tuam iuste et licite defendis.

2. Licitum pariter est, quod tamen iam animadvertimus, pauco-

(1) Apud Schmalzgrueber *Ius Eccl. Univ.* Tit. XIV De Clericis etc.

rum certamine seu duello, praelio mox mox committendo finem imponere, ea adiecta conditione, ut ei victoria tribuatur et sit, cuius milites vicerint. In hac autem oblatione et acceptatione duo servari apprime debent; 1. ut qui singulare hoc certamen affert vel acceptat bellum iustum moveat, cum bellum iniustum, etiam singulare, prohibitum sit. 2. ut victoria, alias satis certa, per huiusmodi duellum oblatum vel acceptatum non reddatur dubia; quia etiam bellum iustum gerenti permissum non est offerre vel acceptare duellum per quod in gravius discrimen Respublica adducatur, si certam per bellum possit obtinere victoriam; hoc autem in casu peccaret quidem fortasse Princeps iste, excommunicationem tamen non incurreret. 3. Licitum est militibus acceptare duellum, seu singulare certamen sibi oblatum ab hostibus, ut unus contra unum, duo contra duos, decem contra decem inter se utrinque pugnent, si periculum sit, ne repudiato duello, exercitus bonam existimationem apud hostes amittat, et hi animosiores reddantur, quod existiment, duelli repudium ex animi timiditate derivare; amolitio enim utriusque periculi plurimum ad victoriam conferre dignoscitur; ubi autem finis permissus est, permissa sunt etiam media vel necessaria vel admodum utilia ad finem consequendum; quin immo putari rationabiliter potest, huiusmodi singularia certamina quin duella, esse potius quoddam belli initium. Attamen et hoc in casu duo sunt observanda; 1. ut tale certamen a militibus non propria sed supremorum ducum auctoritate suscipiatur; quia privata auctoritate nunquam vel propriam vitam vel alienam periculo exponere licet nisi in propriae vitae vel bonorum magni momenti defensionem. 2. ut eiusmodi duellum acceptetur non ad vanam vel curiositatem aut virium ostentationem tantummodo, sed praecipue ad conservandam bonam exercitus apud hostes existimationem. Ut autem observat Sanchez lib. 2. Moral. Cap. 39. n. 14. manet licita acceptatio facta ob finem conservandae existimationis istius, etiamsi pars adversa duellum offerat ad vanam tantummodo ostentantionem, quia etiam hoc in casu finis praedictus verificatur.

Neque huic conclusioni opponi possunt ea quae Clemens VIII in relata Constitutione sancivit de militibus militantibus in publico et forsan iusto bello, quibus prohibet, etiam ex ducum permissu, ad singulare certamen vel cum hoste descendere, vel ipsum provocare: nam iis prohibet qui *privatas simultates et inimicitias publicae causae intermiscendo*, eiusmodi duella ineunt, nulla de exercitus existimatione causa concurrente:

Sed neque positae conclusioni obest prima propositio a Benedicto XIV in relata constitutione proscripta; cum ibi agatur de viro mi-

litari, qui offert vel acceptat duellum ne habeatur tanquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus.

Ceteros casus, in quibus licitum dicunt duellum acceptare, videant lectores penes theologos et Canonistas; nos unum addimus; in casibus particularibus prae oculis Confessario habendas esse propositiones a Benedicto XIV damnatas, ex iisque duellorum causas esse iudicandas.

3. Ea nunc videamus quae de complicibus, vel qualemcumque operam aut favorem praebentibus constituta sunt.

Atque primi inter complices numerantur patrini et testes, qui veluti duelli moderatores et iudices statuuntur. (1) Hos excommunicationem incurrere nulla est quaestio. Si autem officium patrinorum acceptant atque ad certaminis locum duellantes sequantur ea intentione ut duellum prohibeant, excommunicatione non ligantur, cum non fautores sed duelli adversarii sint.

At contingere potest ut duellantes usque ad mortem decertare pacti fuerint; quod rogati testes probe intelligentes atque animadvertentes nulla prece, nullaque data opera a duello patrando deterreri, officium acceptant, atque ad locum certaminis sese conferunt minus ut duello assistant quam ut duellantes separent vix alteruter sanguinem fuderit. Quid?

1. Manifestum est, eiusmodi testes officium acceptare ut graviora damna prohibeant, non simpliciter et absolute.

2. Eos in duellum, prout a pugnantibus conventum est, non influere; quin imo ei adversari, cum neutrius mortem velint.

3. Ex quo duellantibus assistant, absolute non sequitur vere et proprie duello adsistere, cum adsint tantummodo ut pugnantes qui usque ad mortem certare decreverant separent, et eorum mortem impediant. Excommunicatio autem lata est in complices proprie dictos, qui scilicet actionis prohibitae participes sese reddunt; hi autem nullo pacto duelli sunt participes; non certe illius quod perpetrare volunt pugnantes, cum ei adsistant, ut illud impediant; non duelli ad primum, ut dicunt, sanguinem, cum istud duellantes patrare nolint, nec perpetrent. Ergo si duello adsunt, non ut testes, sed ut ii qui gravissimum damnum impedire volunt; hi quapropter nedum non improperandi, sed potius sunt maximopere laudandi.

4. Ii qui duellantibus duello

(1) Quamvis in duellis aliquando iidem sint patrini ac testes, tamen eorum officium distinctum est: Patrini enim ad id invigilant, ne duellantes sibi gravius inferant malum ac constabilitum est; ne ex. gr. ad inferendum aliud vulnus prorumpant, si duellum cessandum est vix alteruter sanguinem fuderit; atque pacem post duellum inter pugnantes componunt; quare eorum officium pacificum et salutare duellantibus est: testium autem munus est invigilare ut regulae sive conventae, sive pro duellis in genere statutae apprime observentur.

cessare consulunt vix alteruter sanguinem fuderit dum parati erant usque ad mortem pugnare nullam excommunicationem, ex probabiliori doctorum sententia, incurrunt; qua igitur ratione testes excommunicationi subiicientur, qui ideo pugnantibus assistere decreverunt, ut illos ab corporis et animae supremo periculo liberarent? Dicturus ne eris, eiusmodi consulentes excommunicatione esse immunes quod necessitate compulsi minus malum consulant ad maius evitandum? Optime. Haec autem ratio non militat, et fortasse evidentius, pro testibus nostris? Illi enim, quidquid dicere velimus, duellum suaserunt; hi autem nullum; et ideo testes adsistunt ut pugnantium mortem impediant.

Neque opponendum, fore ut duella cessarent, si a pugnantibus testes non invenirentur. Quid autem, si his testium officium respuentibus, alii ultro sese proferant vel illud officium acceptent? Quid si sese proferant vel acceptent ad pugnantium mentem, ut scilicet duello usque ad alterutrius pugnantis mortem adsistant? Ubi autem ex repudio gravius periculum instet, illum ne excommunicatione plectendum proclamabimus qui ad illud avertendum, officium quamvis lege prohibitum acceptat et ut verius dicamus, pugnae non tam ut testis quam ut adversarius assistit? Hic profecto non contra legem, sed secundum legem agit, quae duella prohibuit; si enim lex duella prohibuit; ergo iuxta legem illi agunt in casu, qui duello assistunt ut mala ex duello manantia praeveniant depellantque.

Negandum demum non est, gravissima argumenta hos ab excommunicatione in duelli complices lata proclamare, nullamque de cetero esse apertam Ecclesiae definitionem quae hos quoque testes excommunicatos esse declaret: in praxi itaque non possunt ut excommunicati a Confessario haberi.

5. Quid autem de consulentibus duellum?

Animadvertendum in primis est, consilium influere debere in prohibitam actionem, ut consulentes excommunicationem incurrant; qua de causa si eorum consilio duellantes nullimode ad pugnandum moveantur, quod ex. gr. iam pugnare decreverint, nullam ex consilio excommunicationem contrahunt: « Consulens duellum, inquit Pigna-

---

MONITUM AD LECTORES

In Appendice XVII pag. 533 et seq. retulimus Constit. Benedicti XIII *Pretiosus in conspectu*, qua Ordini Fratrum Praedicatorum omnia illa privilegia restituit quae etiam ante Concilium Tridentinum Regulares habebant, ex eaque quaestionem definivimus, cum nos lateret illam Benedicti Constitutionem revocatam omnino fuisse a Clemente XII in Constit. *Romanus* lata die 30 Maii an. 1732. Quare super illam quaestionem redibimus.

» telli Tom. IX; Consultat. 88. » n. 100. alicui, qui ante eius consilium erat determinatus illud » committere, non ligatur excommunicatione; quia consulens non » ligatur censura, nisi vere influat » in effectum prohibitum sub censura. Quando autem est determinatus committere duellum, consilium alterius ad illud non influit. Atque adeo talis consulens » non ligatur excommunicatione ».

Prosequitur vero praestantissimus Canonista: « Secus vero si consulens suo consilio augeret illius » voluntatem, vel magis illam confirmaret ad faciendum duellum, » vel ut liberius ac libentius illud » committeret; tunc enim suo consilio ad illud influeret, et consequenter excommunicationem incurreret ».

Et quidem recte; cum enim consilium praestetur suadendo, rogando, impellendo, instruendo, utilitatem criminis ostendendo; atque necesse non sit, ut quis primum consilio suo aliquem ad agendum determinet, sed satis sit ut illo quomodocumque in prohibitam actionem realiter influat, negari non potest, eum qui confirmat vel auget duellantis voluntatem ad perpetrandum duellum, quamquam ad illud primum non impulerit, in prohibitam actionem influere; quae si negemus, essent ab excommunicatione eximendi omnes consulentes, et cooperatores secundarii, qui vel fovent, vel malum efficaciter consulunt illud iam perpetrare parato, eiusque proinde voluntatem in scelere agendo confirmant; manifestum est enim, eo magis ad agendum bonum vel malum homines excitari quo plures sunt suasores.

At non admodum nobis placent, utpote quae nimii rigoris argui posse censemus, ea quae doctissimus Canonista loc. cit. n. 102. subdit, scilicet: « Si autem consulens, adhibita diligentia, adhuc dubitat an » per suum consilium influxerit ad » provocandum, vel accipiendum » duellum, ligatur excommunicatione; quia possessio non stat pro » consulente, dubitante, sed contra » ipsum; nam possessio stat, pro » quo stat iuris praesumptio; praesumptio autem iuris stat contra » consulentem. Ius enim indicat, » consulentem esse excommunicatum, eo quod existimatur duellantem non commisisse duellum » absque consilio ».

Verum haec eliduntur per omnia illa principia reflexa quae ad moralium actionem honestatem dignoscendam nos ducere debent; quorum unum est: *in dubio praesumere non debemus delictum;* aliud: *in dubio esse reo favendum;* alterum: *in dubio pravitatem actionis non probari; sed actore non probante, reus absolvitur;* eo vel magis, quod in casu consulens diligentiam adhibuit ad dignoscendum utrum consilio suo in duellum influxerit, atque nil certi detegere potuerit; certus ergo non est se contra legem

peccasse; non potest igitur illi certa obligatio imponi, multo minus poena. Ex iis autem corruunt etiam quae de iuris praesumptione profert in casu clarissimus auctor.

Ius enim declarat, consulentem esse excommunicatum, quod supponat vere et realiter consilio suo in duellum influxisse; sin minus nutaret ratio ipsa ab Pignatellio superius adducta, ut ab excommunicatione eximat duellum suadentem illud agere iam parato; quamvis enim consilio suo ad illud non determinaverit, potuit tamen, ut frequenter, ne dicam semper, illius voluntatem augere atque confirmare; ex qua actione cum ex ipsius auctoris sententia excommunicationem quis incurrat, non videmus quomodo ea possit eximi in dubio an consilio suo voluntatem duellantis infirmaverit.

Si autem aliquis duellum consuluit, quod si ipse non consuluisset, certo consuluisset alius, excommunicationem incurrit; quia reapse in duellum influxit, et consilio suo eius causa fuit; nil autem ei suffragatur quod alius eodem pacto consuluisset; sicut enim hic excommunicationem contraxisset, pariter ille hunc consilio suo praeveniendo. Nonne qui furtum aut aliud damnum consulit, ab alio certo consulturum, ad restitutionem tenetur quia damni illius causa fuit?

Advertendum tamen est, tuto ex Piano Capite probari non posse, eos etiam consulentes esse excommunicatos qui consilium duelli dant, hoc autem non sequatur, quamvis ex consilio dato provocatio aut acceptatio interveniat; nullum enim adest in capite argumentum, ex quo istud extundi possit: Equidem in eo indicuntur excommunicati simpliciter provocantes et acceptantes; at exinde ni fallimur, concludere non licet: ergo etiam consulentes provocationem aut acceptationem *simpliciter*, eidem sunt excommunicationi subiiciendi; quo enim iure id concluditur? Certum est enim, in Piano Capite primo loco excommunicari duellum perpetrantes, atque post provocantes et acceptantes, excommunicari complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; consulentes autem inter hos postremos esse recensendos; at praeterquam quod communis sit sententia, actiones accessorias excommunicationi non subiici, nisi relate ad factum principale, quod in hoc ipso Commentario non semel diximus, probabile admodum esse putamus illa verba *qualemcumque operam aut favorem praebentes* referri deberi *ad duelli factum;* complicitas enim, et operae collatio, factum respiciunt potius quam alia; quid ni igitur etiam favor et consilium?

Advertimus insuper, aliis in Capitibus huius Constitutionis Pium IX actiones acessorias semper excommunicationi subiecisse relate ad factum principale; quod factum si plurimas actiones comprehenderet,

etiam singulas, et faventes atque consulentes earum singulas excommunicasse. Horum omnium exempla habemus praesertim Cap. XII excommunicationum speciali modo reservatarum, quo excommunicantur *invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.* In quo vides actiones accessorias referri semper ad facta, et Pium IX expressis verbis favorem et consilium *ad singula praedicta* excommunicationi subdidisse. Haec autem dici non possunt in praesenti capite contineri, ut illud attente legenti patebit. Addimus, nos in lege odiosa versari, stricte proinde interpretanda et mitius, neminique imponenda qui certe sub lege comprehendi non dignoscatur.

Cum itaque de expressa lege non constet, si alicui Confessario sistant qui duellum confiteantur se consuluisse, quod postea secutum non est, eos praesenti excommunicatione irretitos iudicare neque potest, neque debet.

Ex positis principiis etiam aliae quaestiones dirimuntur.

Et 1. non esse excommunicationi consulentes illos subiiciendos, qui cum duellantes animadvertant usque ad mortem ad pugnandum paratos, consulunt ut certamine cessent vix alteruter vulneratus fuerit, cum licitum omnino sit volentibus gravius damnum inferre, ut levius inferant, consulere. « Quando » quis non potest impedire, inquit *Lessius lib. IV. de iust. cap. 3. dub. 41.* in altero, quin e duobus malis alterum committat, potest illi suadere quod est minus. »

Id autem et ex S. Augustino probatur, qui lib. *de adult. coniug. cap. 14* affirmat, ei qui paratus est homicidim et adulterium committere, posse suaderi ut adulterium tantummodo committat. « Si enim » facturus est quod non licet, iam » faciat adulterium, et non faciat » homicidium, ut, vivente uxore » sua alteram ducat et non humanum » sanguinem fundat. »

Quare Pignatelli loc. cit. n. 105. « Si consulens non potest suo consilio vel auctoritate impedire ne sequatur duellum et iam duellator est » determinatus pugnare usque ad » mortem, non contrahit excommunicationem consulendo, ut pugnet » usque ad primum sanguinem, » quia hoc est minus malum consulere. Sic non peccat qui consulit minus malum parato maius » committere, ut qui parato furari » centum, suadet furari quinquaginta, et parato occidere consulit » tantum percutere, quando scilicet » alia ratione non potest delinquentem retrahere ab illo malo patrando, ut docent Valentin etc. » Quia non peccat contra eum cui

» consulit, cum iam sit paratus » committere maius malum; neque » contra eum cui damnum infer- » tur, cum potius beneficium illi » conferat, et utiliter eius negotium » gerat, ut minus malum ei infe- » ratur.... Peccatum enim illud mi- » nus, quamvis respectu exequentis » adhuc sit peccatum, licet commit- » tatur ab ipso, ut impediat in se ma- » ius, habet enim potentiam liberam » ad vitandum utrumque, et utrum- » que vitare tenetur; at respectu » consulentis ac suadentis peccatum » illud minus, seu electio peccati » minoris facienda ab exequente, » habet rationem boni et honesti. » Quia non eodem modo tale obie- » ctum comparatur respectu exe- » quentis et suadentis; respectu » enim exequentis comparatur li- » bero modo, ita ut ipse etiamsi » velit impedire in se maius, adhuc » non adstringatur necessario ad » exequendum minus, cum plene » possit utrumque vitare; respectu » vero suadentis non comparatur » ita libere; immo ex suppositione » quod is velit impedire maius, » non potest aliter, ut supponi- » tur, impedire quam suadendo » minus. »

2. Neque consulentes illos excommunicatos censemus, qui quamvis duellum consuluerint, atque ad provocationem pugnantes impulerint, postea tamen quacumque de causa duellum non sequatur; complices enim accessorii excommunicati semper praesumuntur relate ad factum principale, et in casu relate ad duellum; nullum de cetero in Piano capite indicium adesse, quo probari possit, consulentes excommunicari etiam relate ad provocationem simpliciter etiamsi duellum non sequatur; Romanos Pontifices, quorum Constitutiones retulimus, Gregor. XIII praesertim, atque Clementem VIII expresse declarasse, consulentes excommunicationem incurrere, etiamsi pugna non sequeretur, cum voluere et illos excommunicationi subiicere, quod Pius Papa IX non praestit; in genere vero consulentes excommunicatos, fuisse semper relate ad factum principale, *id scelus suadentes* inquiunt, *opem, consilium, favorem praestantes*; demum nos in lege odiosa versari, stricte proinde interpretanda.

Putamus autem nullius roboris illam esse rationem, quam nonnulli Commentatores afferunt, et hos scilicet consulentes excommunicari, si provocatio secuta sit, quamvis duellum patratum non fuerit, quia in Piano Capite excommunicationi subduntur simpliciter provocantes, unamque provocationem ipsi duello fuisse aequiparatam; nisi enim antea probent, actiones accessorias referri ad omnes et singulas actiones in Piano Capite excommunicatione perculsas, illam profecto illationem deducere legitime non poterunt; id autem ex verbis Piani Capitis probare non valebunt.

Sed neque consulentes illos ex-

communicatione feriri arbitramur, qui quamvis in provocationem consilio suo reapse influxerint, atque duellum exinde sequatur, antequam tamen committatur, consilium suum efficaciter retractaverint; ob simplicem enim provocationem consulentes excommunicati dici non possunt; dum vero ante pugnam consilium suum efficaciter retractaverint, si duellum sequatur, malitiae decertantium tribuendum est. De cetero haec erat etiam Gregorii XIII sanctio: *Consulentes eisdem censuris ac poenis subiacere, si per eos non stetit, ne pugna sequatur.*

Quid autem de ceteris complicibus? Hi, praeter mandantes, sunt qui litteras provocatorias vel alia id genus scripta, manifesta etc. scribunt, dictant, deferunt, evulgant, imprimunt (1) aut haec mandant vel suadent agenda; et etiam qui verbo tenus provocationem ad partes contendentes deferunt; vel qui locum, armaque designant; vel qui pugnantes ad locum certaminis ducunt et comitantur; vel qui e loco certaminis eos qui duellum impedire possent et vellent, arcent; vel duellantibus animos addunt, aliaque praestant quae realem influxum in vetitum factum demonstrant. Hos omnes excommunicatione percelli manifesta res est.

Relate ad mandantem haec cum Pignatellio *loc. cit.* n. 149, et gravissimis auctoribus adnotamus.

1°. Mandatum debet esse efficax, ita ut ex eo duellum sequatur; si enim inefficax sit, et nullimode in duellum influat, non potest habere rationem mandati, et prohibitae cooperationis.

2°. Si mandans antequam mandatarius duellum aggrediatur mandatum revocet, idque notum mandatario fiat, et tamen duellum committat, mandans ab excommunicatione excusatur, quia mandatarius post mandati revocationem non amplius agit virtute mandati, sed suo arbitrio; si autem revocatio mandati nota mandatario non sit, atque duellum committat, mandans excommunicatus censetur et est, quia mandatarius egit virtute mandati.

3°. Pariter si mandans mandatario praeceperit duellum agere neque ad mortem, neque ad primum sanguinem, sed tantummodo ad ictus aliquos impingendos honoris causa, si letalibus armis pugna instituta fuerit, et mandatarius hostem vel vulneravit vel occidit, mandans excommunicationem incurrit, quia etiam

(1) Advertant tamen confessarii, non esse tam facile de excommunicatione damnandos illos qui in typographia officium compositorum agunt, tum quia hi ad materiam nihil attendunt, tum quia sunt prorsus mercenarii, qui si obedientiam typographo principali detrectarent, e typographia ejicerentur cum ipsorum gravissimo incommodo, tum quia ipsorum actio adeo remote in duellum influat, ut fere non influat: demum quia Clemens VIII excommunicationi subiicit qui eiusmodi negotio *typis impresserint*, quo nomine vulgo intelliguntur typographiae domini, italice – *gli stampatori o tipografi* – et ad summum officiales primarii, non autem qui in typographia, officia inferiora, panis lucrandi causa, gerunt. Nescimus autem an haec inferiorum in typographia operariorum actio annumerari possit inter illam *qualemcumque operam*, de qua Pius IX.

eiusmodi duella sunt prohibita; si autem armis non letalibus duellum agendum mandaverit, et vel mandatarius mandatum transgressus fuerit armis letalibus pugnando, vel etiam armis ad mortem inferendam, ineptis, uti pugnis, bacilis etc. et tamen vulnus et etiam mors per accidens sequatur, mandans tum in primo casu tum in secundo omnino ab excommunicatione immunis est, in primo quidem quia mandatarius mandatum executus non est; in altero vero casu neque mandans neque mandatarius excommunicati erunt, quia de essentia duelli est ut armis letalibus fiat, quae si desint, duellum non censetur, etsi per accidens vulnus aut etiam mors sequatur, ut gravissimi docent auctores.

4°. Probare autem non possumus duo quae loc. cit. nn. 147 et 148 profert Pignatelli. Quoad primum inquit; « mandans duellum, si » mandatarius tunc noluit illud ac» ceptare, sed postea mutans sen» tentiam, absque ullo alio mandato » duellum executus est, ipse man» dans incurrit excommunicatio» nem, si mandatum non revocavit; » quia primum crimen quod in » se commiserat, adhuc censetur in » se perseverare, si nulla fuit facta » revocatio. »

Quoad alterum vero scribit: « Mandans etiam non expresse sed » tacite duellum, ut si consangui» neo iniuriis affecto tacite quis di» cat: *ne revertaris domum meam,* » *donec aliquid novi de te audiam;* » si postea sequatur duellum, hic » mandans contrahit excommunica» tionem, quia tacite fuit illius » duelli causa, vel saltem consan» guineum ad duellum magis exci» tavit. Actio enim specificatur a » fine, illiusque qualitatem partici» pat, ad quem finis dirigitur; ver» ba enim vindictam et duellum » tacite indicabant. »

Atqui primum excludendum videtur ex quo cum mandatarius mandatum respuit, omnino demonstrat, se nolle duellum agere; ideoque saltem hic et nunc mandatum esse relate ad se inefficax; at mandatum, ex se iuxta ipsum Pignatelli, ita efficax esse debet, ut ex eo quis ad pugnandum moveatur; neque refert an sit inefficax ex voluntatis defectu in mandatario. Sed hoc omisso, omnino negandum est mandantem teneri in casu ad explicitam revocationem mandati; quando enim mandatarius mandatum non acceptat, eo ipso mandantis intentionem excludit, eumque monet se non esse causam cum ipso facturum; mandans autem ex hoc ipso deprehendit sui mandati inefficaciam. Quomodo igitur revocare mandatum poterit quod acceptatum non est, quodque ex explicito mandatarii repudio scit non esse executioni mandandum? Quandoquidem nihil revocaret; etenim, ex acceptatione mandati scit mandans esse duellum agendum, at ex mandato recusato scit mandans duellum non esse agendum: ergo si man-

datarius postea duellum agat, mandante non monito, id agit quod mandans nescit. Quaerimus autem: in contractu bilaterali, altero contrahente contractum recusante, si postea non monita parte agat vi contractus oblati et a se recusati, an altera pars teneatur stare contractui, vel partem quae recusaverat monere de nullitate contractus?

Nemo profecto hoc erit affirmaturus: quia contractus consensu perficitur, atque eo ipso quod quis contractum repudiaverit, nullius roboris censetur. Quid ni igitur hoc ipsum relate ad mandantem nostrum tenendum non est? Eo ipso enim non tenetur revocare duelli mandatum, quia cum recusatum fuerit, non amplius subsistit. Quid insuper si facti poenitens, mandans post mandati repudium noluerit ut duellum ageretur?

Quid si mandatum non revocavit, quia putabat necesse non esse ut revocaretur? Quid si pacem cum hoste inierit? etc. etc. etc.

Quae vero secundo loco subdit praestantissimus Canonista adeo indeterminata sunt, ut nullo pacto ex iis quae consanguineus profert, extundi possit, eum duellum tacite mandare: Ea enim verba sexcenta indicare possunt, ut ex. gr. hostem verberet, interficiat etc. potius quam duello provocet; cum enim in duello ipsius consanguinei vita periculo exponatur, censendus est consanguineus velle potius ut vindictam sine vitae periculo, quam cum periculo agat. De cetero mandatum quodlibet, etiam tacitum, ita esse debet determinatum, ut mandatarius apprime mandantis voluntatem dignoscat; lex autem mandantes huiusmodi excommunicatione ferit, non autem eos qui mandatum dant, quod sexcentis modis mandatarius interpretari possit. Omnino insuper ratio nutat ex fine petita. Quamvis enim actio specificetur a fine, tamen a fine quem sibi praestituit agens ipse, non alius. Si enim, in casu, mandans per prolata verba noluisset ut consanguineus mortem aut verbera, aut vulnera adversario inferret, non ut duellum ageret, hic autem praeter eius voluntatem, duellum perpetrasset, posset ne hic dici consanguinei verba proferentis intentionem determinasse, cum intentio duelli peragendi in eo non esset? Sed fuerit etiam haec intentio: Certe per relata a Pignatelli verba non exprimebatur, eo magis quod ipsemet fateatur, verba illa indicare vindictam, quamvis etiam duellum. Erant ergo, ex ipsius Pignatelli confessione, omnino indeterminata, cum primo et per se vindictam innuerent, quae sexcentis modis compleri potest, et omnino a duello diversis, in quo saepe vindicta in ultorem recidit. Intentio igitur mandantis non erat expressa. At leges ecclesiasticae excommunicatione feriunt mandantes duellum expresse, et etiam tacite, ut liberales simus, attamen determinate:

hoc autem mandatum sive expressum sive tacitum relata verba determinate non continent; ergo quamvis consanguineus illa verba citata proferens peccaverit, quod vindictam certe suaserit, vel etiam mandaverit, non contraxit tamen excommunicationem.

At quid de iis dicendum est, qui pugnantes instruunt, quique a Terentio *Lanistae* vocantur; vulgo *maestri di scherma*? Saepe enim contingit ut ad duellum provocati artem gladiatoriam nesciant; ne autem viles appareant, duellum acceptant, atque ad aliquem ea in arte peritum pergunt ut sese instruant; hic porro munere suo fungitur, et pugnantes instruit.

Sententiam nostram lectorum iudicio remittimus.

Hi duellantium instructores considerari possunt in arte quam exercent, simpliciter, nullo scilicet ad duellum commissuros habito respectu, ut qui omnino nesciant duellum esse committendum; sub qua consideratione habendi sunt ut alii quicumque ludimagistri officium aliquod exercentes lucri captandi causa. Vel ut ii qui scientes duellum esse committendum, ideoque provocatum ad se accedere ut in arte gladiatoria instruatur, quo pugnare possit, eum instruunt.

Advertendum insuper est, duellantes in aequali conditione versari, instruantur nec ne, cum sive ante, sive post instructionem a duello, composita pace, recedere valeant; vel ad illud ineundum etiam, sine armorum peritia, hora et loco praestituto compellantur.

Hisce praemissis; manifestum putamus, in primo casu, prout scilicet artem suam simpliciter exercent, huiusmodi lanistas nullam excommunicationem incurrere, cum artem doceant omnino licitam, plerumque necessariam nullaque lege prohibitam; paucis habendi sunt, ut alii quicumque artem licitam et probatam exercentes. Neque ad ipsos pertinere dicimus inquirere, an illi qui ipsos petunt instructionis gladiatoriae causa sese velint instruere ut postea duello decertent; munere suo funguntur.

Quid autem si sciant et tamen duellantes instruant?

Lectorum iudicio haec perpendenda proponimus.

1°. Ipsi artem licitam exercent, nulla lege proscriptam.

2°. Nulla pariter lege explicita interdicuntur, in armorum peritia illos instruere qui postea duellum commissuri sunt.

3°. Unicam in instruendis duellantibus possunt habere intentionem simpliciter eos instruendi, non ut duellum perpetrent, scilicet artem ut suam simpliciter exerceant.

4°. In eiusmodi instructione nil aliud efficiunt quam artis gladiatoriae imperitos instructos reddere ut sese defendere, et adversae partis ictus retundere possint.

5°. Sine eiusmodi instructione duellantes imperiti probabilius, ne

dicam certe, succumberent; cum in duellis plerumque, ne dicam semper, ille vincat qui potiori dexteritate et armorum peritia sit praeditus; qua de causa eorum actio, saltem uni e pugnantibus, utilis est, immo necessaria ad vitam, vel corporis integritatem servandam; consequenter per eam opus bonum conferunt.

6°. Nemo e tot Romanis Pontificibus qui duella proscripsere, et complices, sive fautores excommunicationi subiecerunt, unquam de lanistis mentionem fecerunt. Sed neque Pius Papa IX in praesenti capite.

7°. Hinc cum lege explicite non excommunicentur, videndum est an excommunicationem incurrant vel *ut complices*, vel *ut faventes*, vel *ut qualemcumque operam praebentes*.

Atqui non *ut complices*, cum non sint neque patrini, neque testes, neque adsistentes, neque socii, nullamque in actu duelli actionem conferant; complices autem proprie dicti ii sunt qui vetitae actioni dant manum, seu ipsius vetitae actionis sunt participes, quamvis novem modis, ut notum est, complicitas committi possit. In Piano autem capite complicem stricto sensu sumi patet, ex quo deinceps excommunicentur explicite *faventes;* favore autem constituitur unus e novem cooperationis modis.

Sed neque ut *faventes;* ille enim favet, qui commendat vel laudat delinquentem ut delictum committat, aut qui eumdem tuetur, comitatur, vel alia simili ratione adiuvat, ut crimen tuto perpetret; atque de cetero favor influere in rem vetitam debet, ita ut ni influat, favens latam excommunicationem, iuxta unanimem Doctorum sententiam non contrahit. At lanistae in hipothesi nihil horum committunt (nam secus si duellantes ad pugnandum impellant, laudent etc.) sed tantummodo eos in arte gladiatoria instruunt, ut alios quoscumque; qua de causa eis favere dicendi non sunt.

Videndum quapropter est: an excommunicationem incurrant ut *operam qualemcumque praestantes*. Negativam sententiam tenendam esse multa suadent.

Et 1°. Verba *operam qualemcumque praebentes* videntur innuere actionem vel opus quod ad duellum patrandum directe referatur, uti sunt actiones illorum qui ex. gr. ea loco designato personas arcent; quae duellum possent, vellentque impedire, vel eorum qui deferunt literas provocationis aut acceptationis, vel qui gladios aut arma ferunt, quibus duellum peragatur etc. Lanistarum autem actio per se non refertur directe et immediate ad duellum; ex quo enim quis in arte gladiatoria aliquem instruat, nec sequitur eum instruere ad hoc ut duella perpetret; nec illam actionem ex parte lanistae in duellum influere, cum omnino sit personalis, atque omnino dependens a voluntate utentis.

2°. Dum excommunicantur *praebentes operam qualemcumque*, certum est, operam illam esse in casu omnino illicitam; atqui certum e contra est, Lanistarum operam illicitam non esse, ut probavimus.

Dices ne, operam illam esse omnino illicitam, quia si duellum perpetraturus neminem inveniret qui ipsum instrueret, contingeret ut pugna non committeretur? Sed praeterquam quod haec illicitam operam illam non reddunt, nonne nos loquimur de duellante, qui cum duellum acceptaverit, pugnare omnino debeat; atque idcirco necessario instrui ne certe succumbat? Quae autem lex prohibet proximo succurrere qui in gravissimo periculo vitae amittendae versetur, aut alterutri rixantium gladium porrigere ut sese ab altero armato defendat? Et tamen in casu Lanistae actio mitiori ratione est interpretanda, cum illius usus vel abusus non a se, sed a discente dependeat.

Subsumes fortasse, Lanistam scire, eum quem instruit quamprimum esse duellum commissurum, eaque de causa sese instruere?

Scit utique; quid inde? eum instruit, ne certe succumbat; eum instruit ut sese defendat; atque ita instruit, ut nullam immediatam operam duello praebeat. Ita quapropter se habet quomodo alii artifices, qui gladios, cultros aliaque instrumenta ad mortem inferendam aptissima fabricant, etiamsi praevideant, iis armis fore ut plurimi abutantur; quomodo magistri qui scientiam aliquam discipulos edocent, etsi eos non lateat, ex eis aliquos in perniciem suam et aliorum eam addiscere; quin immo affirmamus eiusmodi lanistam paullo innocentius se ad pugnantem habere, cum eum instruat ut periculo vel mortis vel vulneris sese subtrahat.

Negabis fortasse, quod non liceat cultrorum venditori cultrum ei vendere, quem scit illum emere, ut mortem inimico inferat? Sed paritatem negabimus, cum Lanista nec gladium nec mortis instrumentum aliquod duellanti porrigat, nec artem gladiatoriam eum edoceat, ut adversario mortem inferat.

Attamen dices: inferre poterit. Esto: sed sicut propter quod aliquis cultro quem emit potest aliquem vulnerare et occidere, non interdicitur, nec est nefas venditori cultrum aut gladium vendere; ita neque Lanistae artem gladiatoriam edocere.

Fortasse ne artem gladiatoriam edocuit, ut pugnans alteri mortem inferret? Fortasse actu duellantibus quid praestat, aut quid praestitit? Minime. Atqui excommunicantur qualemcumque operam praebentes, non alii.

Paucis: Lanista considerari potest vel in iure, vel in facto; in iure excommunicationem non contrahit, cum non sit nec mandans, nec consulens, nec favens; sed neque in facto, cum nullimode duello sese immisceat, aut aliquam duellantibus prae-

stet operam, dum ipsi duellum gerunt; ergo etc.

Hisce tamen spretis, quis fortasse argumentum instaurabit, inquiendo: quidquid sit, lanista scit eum, quem artem gladiatoriam edocet, patraturum scelus ab ecclesia sub excommunicatione prohibitum; fortasse non patraturum si artem illam nesciret, ipsum quapropter artem illam hic et nunc edocendo, ad prohibitum scelus concurrere.

Quae quidem non negamus; negamus autem lanistam sua actione, qua duellans abutitur, ad huius scelus concurrere; cum enim actio illa Lanistae in se, et independenter a duello spectata licita sit, cumque relate ad duellum nullimode in illud influat ex malitia lanistae, quia ea tantummodo abutitur duellans, consequenter cum nullam in facto praestet operam nec immediatam, nec mediatam, nescimus quomodo dici possit ad prohibitum scelus concurrere. Neminem autem latet, eum qui duellum acceptavit, ad pugnandum compelli, artem gladiatoriam sciat vel nesciat, praesertim cum ad ipsum pertinuerit arma eligere quibus pugnandum erat; haec autem difficultas est eadem, vel confunditur cum illa, quam supra dissolvimus.

Quod si dicas, illam instructionem per se ipsam concurrere ad prohibitum scelus independenter ab intentione lanistae, ideoque tum esse illicitam, tum excommunicationi esse subiiciendam, quisque videt quam falso haec dicantur: non enim instructio per se concurrit ad prohibitum scelus, cum possit provocatus duellum praetermittere; et si instructus illud instituat praeter lanistae voluntatem, illi, non isti, culpa sit tribuenda.

Haec autem ex ipso Pignatelli confirmamus, qui *loc. cit.* n. 153 loquens de eo qui amico arma commodat ad agendum duellum, inquit: « Qui commodat amico volenti duel-
» lum committere arma, si non esset
» pugnaturus absque amicis armis,
» et ille ei subministraret, utique
» incideret in excommunicationem,
» quia esset subministratio illicita,
» et aliquo modo causa ut sequeretur
» duellum. Si vero duellator est
» certe pugnaturus etiam suis ar-
» mis bonitate inferioribus, tunc
» qui praebet illi arma securiora,
» ut sit minus discrimen eius vi-
» tae, dummodo in eadem specie
» paria sint, non incidit in excom-
» municationem; tum quia talis sub-
» ministratio nullo modo est causa
» duelli; et tum quia sicut ille ha-
» bet ius tuendi propriam vitam,
» ita et alter potest illi auxilium
» praebere in sui defensionem. »
Haec autem potiori ratione locum habent in lanista duellantem artem gladiatoriam edocente.

Haec autem valent si nullimode lanista sese duello immisceat: si enim pugnanti dicat: *macte animo, pugna fortiter, nihil timeas,* et alia huiusmodi, nullimode dubitandum est, quin excommunicationem incurrat ratione favoris quem duello praestat.

5°. Ut autem *de industria spectantibus* aliquid dicamus, animadvertimus, hos in Gregorii XIII Constitutione vocari *ex composito spectatores*, quae verba a Clemente VIII commutata fuere in *de industria spectatores*, atque a Pio Papa IX in *de industria spectantes*, eodem plane sensu quo ea verba adhibuit Clemens VIII, non autem Gregorius XIII. Sensu enim naturali et proprio spectatores duelli *ex composito*, illi sunt qui conventione quadam, seu consiliis collatis, atque animo praemeditato (italice *d'intelligenza, d'accordo, di concerto, apposta*) ad visendum duellum se conferunt; quare iuxta Gregorii XIII legem non adeo facile illi erant excommunicationi subiiciendi, qui mera curiositate ducti ad locum certaminis publice pergebant duellum inspecturi, consiliis non collatis.

In Clementis itaque VIII lege, et in Piano capite paullo latius ea verba sunt accipienda; et illos scilicet excommunicationi subiici qui vel curiositate, vel alia de causa, studiose tamen, seu data opera, ad duellum visendum publice sese conferunt, quamvis de eo loco adeundo nullimode inter se, vel cum duellantibus etc. convenerint, attamen quasi duellum probaturi.

Etenim penes omnes auctores exploratum habetur, eos qui ex loco occulto duellum inspiciunt, vel fortuito, vel negotii alicuius agendi causa, per locum certaminis transeunt et ad illud videndum consistunt, nullam incurrere excommunicationem; atqui tamen et hi ex curiositate duellum inspiciunt; essent ergo uti excommunicati habendi: quod contradicit communi Doctorum sententiae.

Qua de causa omnino affirmandum est, verba de *industria* spectantes eo esse sensu accipienda, ut non fortuito, non casu, sed quodam studio, animique voluntate publice sese quique conferant ad locum certaminis; illum non adituri, si duellum committendum non esset.

Haec autem et cl. Reiffenstuel sententia est, qui *Ius Canonicum univ. Tit. XIV. n. 46* scribit: « Specialiter circa spectatores no- » tandum, quod illi qui vel animo » duellantes a pugna impediendi » eos comitantur, et spectant, vel » qui subito ad locum duelli ve- » niunt, ibique etiam curiosi ex- » pectantes manent, vel qui a fe- » nestris ianuisque aedium congre- » dientes spectant, excommunica- » tionem et alias poenas contra » spectatores latas non incurrunt. » Ratio est, quia Constitutio Ponti- » ficia loquitur de spectantibus ex » proposito, sive data opera, et » quasi approbantibus duellum. »

Et quidem Gregorii XIII sanctio sapientissime a Pio IX ampliata est Clementis XIII vestigiis insistens; tum enim hi spectatores legem ecclesiasticam violant, certamen inspiciendo ab Ecclesia sub gravissimis poenis prohibitum, illudque praesentia sua probare et cohonestare

videntur; tum animos duellantibus addunt, eosque quodammodo impediunt quominus vel ipsi duello cessent, vel cordatae personae sese intromittant ad illud impediendum; tum demum patrini, testes, aliique qui pravam duellantibus dant operam, officio suo diligentissime fungantur, quo proborum et diligentium nomen sibi aucupent; ita ut si usque ad mortem duellantes decertare decreverint, difficillime eorum animos ad pacem componant dividantque, vix alteruter vulneratus fuerit. Quicumque itaque locum certaminis petunt ad duellum conspiciendum, data opera et publice, alias non petituri, excommunicationem incurrunt.

Verum dirimenda hoc loco est illa quaestio quam aliqui commentatores agunt, utrum scilicet *spectatores de industria* excommunicationem incurrant, duello non secuto, neque proinde conspecto.

Atque sunt qui affirmant, eos nullo pacto excommunicationi subiici, quia cum excommunicatio lata sit in duellum de industria spectantes, eam incurrere nequeunt, qui duellum non spectant. Hanc sententiam tuetur inter alios de Murga, *Disquisitiones Morales et Canonicae Tom. II. Disp. XI. dub. VI. n. 15*, quo in loco inquit: « Quando aliquis ex composito, ex industria, vel ex proposito ad locum designatum pro duello accedit, deliberato animo illud inspiciendi, dum actu illud non committitur, evidens est illud non inspicere. Sed non perficitur, nec consummatur delictum in ratione spectatorum duelli, nisi actu illud inspiciendo, uti ex se patet; sicut non perficitur delictum suffragii in favorem indigni, nisi illud habeat effectum in communi electione subsecuta; ergo qui absque legitima causa et occasione ad locum duelli, ex industria, deliberato animo illud inspiciendi accedit, delictum spectatoris non perficit, certamine et pugna duelli non secuta. »

Pignatelli, *Consultationes Canonicae, Consult.* 88. n. 97. propugnat, duellum spectantes excommunicationem incurrere, etiamsi duellum non sequatur; huic vero et alii doctores subscribunt. Horum ratio canonica est, quia Clemens VIII a praedecessoribus suis et a Tridentino contra duellantes, testes, patrinos etc. illatas poenas, extendit etiam *ad spectatores de industria*, et Gregorii XIII sanctionem confirmasse dicunt, qui statuerat, cooperatores quoscumque, et ex composito spectatores fore ut excommunicationem incurrerent, *etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti, pugnam non commiserunt, si per seipsos non steterit, quominus illa committeretur.*

Hoc vero argumentum confirmari asserunt ex fine legis, qua ideo de industria spectatores excommunicatione perculsi sunt, quia ex eorum praesentia duellantibus animi ad-

duntur, atque impediuntur quominus eos audiant qui duellum prohibere vellent, pacemque omnimodis componere; hunc autem finem etiam tum subsistere, cum ob aliquod impedimentum duellum non sequatur.

Alii quaestionem dirimere satagunt, affirmando *spectatores de industria* excommunicationem incurrere, si duellantes actum aliquem duello proximum posuerint, ex. gr. si ad locum pro certamine destinatum sese contulerint, eis arma distributa fuerint etc. etiamsi postea duellum ob circumstantias aliquas insurgentes non sequatur; hoc enim in casu, hi dicunt, legis prohibentis finem firmum consistere, cum ob huiusmodi populorum concursum, pugiles ob popularem irrisionem non possint omnino libere se retrahere a certandi proposito. Si autem nullus actus duello proximus positus fuerit, quia ex. gr. duellantes ad locum certaminis non perrexerint, affirmant, spectantes de industria nullam incurrere excommunicationem, quia profecto duellum non viderunt; casus esset, ex. gr. si duellantes antequam ad locum destinatum pervenerint, reconciliati inter se fuerint.

Inter diversos diversa sentientes liberius quid nobis verum videatur exponemus.

Et 1°. eiusmodi legem odiosam esse, ideoque standum strictae verborum significationi; stricte autem excommunicari duellum de industria spectantes; ergo qui illud non intuentur excommunicati dici non possunt.

2°. In eiusmodi Piano Capite nihil adesse, quo actio de industria spectantium limitetur, vel extendatur ad hunc vel illum casum, sed absolute et simpliciter eos excommunicari ob actionem duelli conspecti; cum autem in lege actio censura percellenda determinata simpliciter et absolute est, nullo pacto licet eam immutare vel extendere; aliter nedum in praesenti, sed etiam in aliis huius Constitutionis Capitibus plurimi essent uti excommunicati habendi, etiamsi actionem lege prohibitam non perfecerint.

3°. Verba: *duellum de industria spectantes* indigitare actionem perfectam et in suo genere completam; si igitur ob qualemcumque causam duellum intermittatur, actio ista perfecta et completa deest: deest quapropter etiam excommunicationis causa, cum desit crimen ob quod lata est. Neque quis dicat, spectatores de industria, cum ad locum certaminis sese contulerint, scelus suum iam perpetrasse: nam excommunicantur, non quod ad locum pro certamine destinatum pergant, sed quod duellum conspiciant: deest proinde factum primum et unicum, ob quod excommunicatione feriuntur. Hinc ad spectatores huiusmodi excommunicandos, necessarium erat edicere, non simpliciter *duellum de industria spectantes,*

sed *pergentes ad locum certaminis ad conspiciendum duellum.*

4°. In facto hi spectatores nihil ad duellum contulerunt; non antequam duellantes ad locum certaminis sese conferrent aut pervenirent, cum reconciliati inter se fuerint, spretis omnino spectatoribus; non postquam ad locum certaminis pervenerint, et etiam actum proximum posuerint, cum demum, posthabitis spectatoribus aliisque omnibus, pacem inierint; lex autem non punit influxus possibilitatem, sed realitatem eius, et hoc in loco cum facto coniunctam; factum autem demonstrat, nihil spectatores in duellantes vel in duellum influxisse.

5°. Difficultatem autem nullam faciunt sive Gregorii XIII verba relata, sive Benedicti XIV, qui in cit. Constit. postquam inter duelli complices etiam spectatores retulisset, omnes excommunicationem incurrere affirmat, *etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsecutus.*

Romani enim Pontifices singulis cooperatoribus propriam actionem tribuerunt, ob eamque tantummodo singulos excommunicarunt; qua de causa cum etiam *de industria spectantes* excommunicatione perculerint, illa deficiente actione, ipsa deficit excommunicatio.

Benedictus insuper quartus decimus Praedecessorum suorum Constitutiones contra duellantes latas simpliciter confirmavit dum illas recensuit, nihil addens, nihil immutans; qua de causa duellantium et cooperantium actiones prout iacebant, reliquit; consequenter clausula finalis afficit illas actiones iuxta propriam naturam, qualitatem, et quantitatem: atqui spectatorum actio erat duelli inspectio; ergo clausula finalis hanc afficit in suo sensu vero proprio et completo.

Idque eo magis, quod contrariam sententiam statuentes, ex Benedicti XIV clausula, *spectantes de industria* ut excommunicatos habere deberent, *etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsecutus;* quod esset absurda devorare, cum certe in hoc secundo casu *spectatores de industria* nullimode in duellum influxerint; ex quo pariter sequitur, clausulam finalem afficere recensitas actiones iuxta determinationem a legislatore singulis constitutam, et non aliter; id est, enumeratas actiones excommunicatione in clausula finali percelli, si, et prout a Legislatore descriptae fuere.

Haec autem et ad clausulam a Gregorio XIII adhibitam trahi debent, quamvis difficilius, ob difficultatem quam ingerit particula *ex composito*, qua conventio aliqua etiam cum duellantibus innuitur duellum conspiciendi; qua de causa Gregorii spectatores poterant excommunicationem incurrere, *ut duello faventes.*

Attamen et ipse cum loquatur de *spectatoribus ex composito,* neutiquam hi erant excommunicationi

subiiciendi, (excipiatur casus conventionis cum duellantibus initae) duello non secuto. Idque eo fidentius affirmandum videtur, quod Gregorius immediate post excommunicet *socios quovis modo* duellantibus *sese praebentes;* qui proinde excommunicationem incurrebant, etiam duello non secuto, cum eorum actio compleretur in se comites duellantibus addendo. Ex quo pariter quisque animadvertit, Romanos Pontifices determinasse actiones censura plectendas, earumque quantitatem; eas proinde in clausula finali ita et non aliter excommunicatione affici.

Quidquid demum sit de Praedecessorum constitutionibus, Pius Papa IX simpliciter et absolute excommunicavit *duellum de industria spectantes;* in quibus autem duellum non spectant, quacumque demum de causa intermittatur, deest excommunicationis obiectum.

Ergo illam non contrahunt.

6°. Postremo loco excommunicantur *permittentes duellum, aut quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

De his breviter. Atque primum ad privatam personam, quae charitatis officio prohibere duellum potest et tenetur, haec dispositio non refertur, sed ad magistratus supremos eosque omnes qui in republica exercitu etc. potestatem habent; ad nullam enim privatam personam convenire relata Capitis verba possunt.

Qua de causa si quae privata persona in locum certaminis adventaret, duellantesque non separaret, dum posset, officio utique charitatis deesset, excommunicationem autem non contraheret, etsi haec privata persona esset militiae addicta, aut etiam ministerium aliquod, non tamen supremum, in republica gereret.

De cetero relata Capitis verba, ad illos referuntur qui vel legis latae, vel inolitae consuetudinis horrendo abusu receptae causa, duellum permittunt, vel quamvis illud prohibere auctoritate sua possent, tamen non prohibent; hi autem esse nequeunt in Republica nisi vel principes, vel Magistratus supremi, in exercitu supremi duces.

Id etiam ex collatione Piani Capitis cum Const. Clementis VIII apparet; in ea enim ita legimus postremi capitis partem, ut tantummodo ad personas in dignitate constitutas referatur. « Decernimus et » declaramus iisdem poenis, decreto » et Constitutionibus teneri non » solum locorum Dominos, sed et- » iam magistratus, Praesides, locum » tenentes, aut etiam militum duces » et capitaneos in castris vel extra » ea, in alieno vel hostili solo, vel » cum militibus exercitus adversa- » riorum monomachiam in quocum- » que casu per praesentem vel alias » Constitutiones huiusmodi prohi- » hibito, permittentes, vel quantum » in ipsis est, non prohibentes, aut » post commissum crimen veniam » et impunitatem concedentes. »

Ut autem haec aliquo declaremus exemplo.

In exercitu Gallorum consuetudo est, ut si duo vel milites vel exercitus officiales simultates gerant, neque suasionibus etc. ad pacem componendam induci possint, supremus illius exercitus sectionis dux, iis duellum imponat publico edicto, quia post patratum duellum, quemlibet hostilem animum, ut ipsi dicunt, deponunt, et reconciliantur inter se, praecipue patrinorum opera et vini, quod postea duellantes sibi ad invicem propinant.

Nullimode dubitandum est quin hi mandantes excommunicationem incurrant, dato quod hanc excommunicationem adesse sciant.

Comparatione tamen instituta inter Pianum Caput et Clementis VIII Constitutionem, videmus hunc in relato superius testimonio eos etiam locorum dominos excommunicasse, *qui post commissum crimen veniam et impunitatem* duellantibus *concedebant;* de qua sanctione nihil in Piano Capite.

Quidquid nonnulli auctores scribant, fateri omnino debemus, eam Clementis excommunicationem, post Pianam Constitutionem nullum habere robur, ob illam evidentissimam rationem, quae in Prologo continetur, quamque non semel in hoc Commentario exposuimus; scilicet « ex quibuscumque censuris sive » excommunicationis, sive suspen- » sionis, sive interdicti, quae per » modum latae sententiae ipsoque » facto incurrendae hactenus im- » positae sunt; » non nisi illas robur exinde habituras esse, quae in hac ipsa Constitutione insertae sunt, eoque modo quo insertae fuere. Cum itaque ne verbum quidem de ea Pius Papa IX fecerit, nullimode dubitandum est quin abrogata seu nullius roboris nunc censenda sit.

Sapientissime autem Romani Pontifices huiusmodi Principes excommunicatione multarunt, tum quia scelus permittunt stultissimum, atque omnigenis iuribus contrarium, tum quia vel uterque duellantium, vel unus tantummodo sons est; si uterque, ambo per statutas leges puniri debent; si unus, quomodo innocentis vita discrimini committi potest, atque sonti occasio dari aliud perpetrandi crimen?

Ex verbis tamen Piani Capitis, nemo inferat, Principes illos saeculares esse excommunicatos, qui contra duellum leges explicitas non promulgant; caput enim loquitur de permittentibus et de non prohibentibus quantum in ipsis est; quare excommunicationi Principes illi saeculares subduntur, qui vel lege lata, vel voce tenus duella permittunt, aut cum sine ulla lege sciant perpetrari, tamen ea non prohibent, neque duellantes puniunt. Ad duella autem prohibenda, praeter legum promulgationem, sexcenta media supremis Principibus suppetunt.

Quaestio tamen aliqua et hoc in loco occurrit. A Patribus Concilii Tridentini excommunicationi

subdebantur principes illi saeculares, *qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint*; non videntur autem Pontifices qui postea leges contra duella statuere Tridentini sanctionem immutasse, atque in illos Principes excommunicationem statuisse qui locum ad monomachiam in terris suis inter infideles concessissent.

Pius autem Papa IX in praesenti Capite adeo generice loquitur, ut nil distinguere videatur. Quid ergo?

Plurima principes saeculares locum ad duellum ineundum in terris suis infidelibus hominibus concedentes ab excommunicatione excusant.

Et excusat 1°. ratio legis, quae cum sit odiosa non est extendenda.

2°. Excusat legis ipsius cum praecedentibus conformitas, in quibus excommunicabantur principes duellum in terris suis inter christianos permittentes; ideoque saltem unus e duellantibus christianus esse debebat.

3°. Excusat infidelium conditio, qui in quacumque regione, etiam catholica, versentur, Ecclesiae legibus non subduntur. Principes quapropter iis duellum permittentes contra Ecclesiae leges non agerent; eo magis, si domicilium vel quasi domicilium ibi infideles non acquisiverint.

4°. Item finis latae legis excusat, cum catholici nullo scandalo moveantur ob infidelium malas actiones, atque sciant eos legibus Ecclesiae non obligari.

5°. Excusat ipsius Ecclesiae ratio, quae numquam excommunicatione infideles feriit, aut ferire potest.

6°. Excusat demum eorum commentatorum sententia, qui affirmant Pium IX praedecessorum suorum sanctiones renovasse; hi autem principes saeculares excommunicatione affecerunt quod christianis locum ad duellandum in terris suis concederent.

Neque difficultatem facit, quod haec postrema lex lata sit in saeculares principes; lata enim est in eos ratione subditorum suorum christianorum, qui tantummodo Romanorum Pontificum et Ecclesiae mandatis subduntur, non autem ratione infidelium, qui in locis eis subiectis degunt.

Qua de causa non desunt alii Canonistae a praestantissimo Schmalzgrueber citati. *Ius Eccl. univ. Part. 11 Tit. XIV de Clericis etc.* n. 47. qui affirmant, Principem saecularem excommunicationem non incurrere, etiamsi concedat in terris suis locum christiano ad duellum cum infideli agendum, quia Tridentinum dicit *inter christianos;* tale autem duellum non est inter christianos, cum pugnantium unus sit infidelis; cum igitur lex haec sit poenalis, non debet ad hunc casum extendi. Non diffitetur tamen hic auctor, alios, quos inter Sanchez, contrarium sentire.

Quidquid tamen sit de contrarium sentientibus, negari non potest,

citatam sententiam valde probabilem esse, cum solido nitatur argumento; dum autem probabiliter iudicatur, aliquem excommunicationem non incurrisse ob praestitum opus, in praxi non est uti excommunicatus habendus, ut non semel adnotavimus.

Subdit etiam doctissimus Canonista n. 48. « Excusatur princeps » a supradicta excommunicatione » et poenis, quando iustam habet » causam permittendi duellum; quia » cum ista permissio licita sit, non » cadit sub poenam; posse autem » aliquando adesse causam, quae » permissionem istam honestet, non » videtur posse dubitari, cum saepe » occurrat occasio permittendi ali- » qua minora mala, ut evitentur » maiora. »

Atque hisce huic Capiti finem damus.

APPENDIX XIX.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA EOS QUI NOMEN DANT SECTIS MASONICIS, EIS PRAEBENT QUALEMCUMQUE FAVOREM, EARUMQUE OCCULTOS CORIPHAEOS NON DENUNCIANT.

De origine Sectae Masonicae tractationem instituere nostrum non est. Hanc nonnulli a Caino ipso repetunt, quem procreatum existimant ex connubio Elohim cuiusdam cum Eva (1). Hae autem somnia sunt delirantium. Non inficias tamen illi ibunt, qui originem sectae masonicae diabolo ipsi attribuunt; quandoquidem ei nomen dantes vere desideria Patris diaboli perficiunt in dogmatibus christianae fidei deridendis, in erroribus contra fidem et bonos mores diffundendis, in insurgendo contra quamlibet legitimam potestatem; paucis, in quolibet malo perpetrando: impossibile enim est, ut quis catholicus esse possit et Sectarius.

Quis enim ignorat mala omnia, quibus hisce diebus catholica premitur Ecclesia, a Sectis masonicis originem ducere? Inde enim leges infandae contra religiosas familias, inde bonorum ecclesiasticorum rapina, inde abrogatio publici cultus et Catholicarum Scholarum, hinc instructio laicalis obbligatoria, sine qua irreligio tam necessaria ut quis Sectae nomen det, propagari non posset; hinc crimina omnigena, hinc morum corruptio, hinc lites, seditiones et bella; hinc mala omnia.

(1) Ita De Castro apud de Camille, Storia della Setta Anticristiana Vol. 1. pag. 173. Edit. 1871 Firenze.

Saecularium Principum certe fuisset contra eiusmodi hominum societates perniciosissimas insurgere, easque modis omnibus debellare. Et quidem boni Reges aliquando in eas gladio, et exilio animadverterunt. At malo hominum et religionis fâto, frustra. Si enim boni in saeculo principes sectis bellum intulere, mali principes et patrocinium porrexere, et ipsimet huiusmodi societatibus nomen dederunt; ita ut nulla vis satis nunc videatur ad eas prosternendas; solumque Deum rogare nobis superest ut tantam pestem e mundo auferre dignetur.

Verum, quibus Deus agnos et oves universas pascendas credidit, et super speculam posuit, ut hostes advenientes viderent, ab iisque filios suos defenderent, Romani, inquam Pontifices, numquam contra eiusmodi societates vocem attollere cessarunt, Principes ipsos saeculares monendo, ut et ab perversis hominibus caverent, eorumque fraudes, dolos, machinamentaque dissiparent, et ut sibi consulerent, id sedulo in animo revolventes, tutum non esse solium regale, ni religione et pietate subditorum sustentetur.

Revera vix huiusmodi sectarum rumores spargi coeperunt, Clemens XII anno 1738 Constitutionem *In eminenti* edidit, qua eas proscripsit.

« Sane, inquit, vel ipso rumore » publico nunciante, nobis innotuit, » longe lateque progredi, atque in » dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula, vulgo *dei liberi muratori,* seu *francs massons,* aut alia » quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque religionis et sectae homines, affectata quadam » contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere secundum leges et statuta » sibi condita invicem consociantur, » quaeque simul clam operantur, » tum districto iureiurando ad sacra biblia interposito (1), tum » gravium poenarum exageratione, » inviolabili silentio obtegere adstringuntur. Verum cum ea sit » sceleris natura, ut seipsum prodat, et clamorem edat sui indicem; hinc societates seu conventicula praedicta vehementem adeo » fidelium mentibus suspicionem » ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino » sit ac pravitatis et perversionis » notam incurrere; nisi enim male » agerent, tanto nequaquam odio » lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in » plurimis regionibus memoratae » societates per saeculi potestates » tanquam regnorum securitati adversantes proscriptae ac provide » eliminatae iampridem extiterint.

» §. 2. Nos itaque animo evol-

(1) Ex hisce apparet primitivos sectarios sacra biblia non respuisse.

» ventes gravissima damna, quae » ut plurimum ex huiusmodi so- » cietatibus seu conventiculis, ne- » dum temporalis reipublicae tran- » quillitati, verum etiam spirituali » animarum saluti inferuntur, atque » idcirco tum civilibus tum cano- » nicis minime cohaerere sanctioni- » bus, cum divino eloquio doceа- » mur, diu noctuque, more servi » fidelis et prudentis dominicae fa- » miliae praepositi, vigilandum esse, » ne huiusmodi hominum genus ve- » luti fures domum perfodiant, » atque instar vulpium vineam de- » moliri nitantur, ne videlicet sim- » plicium corda pervertant, atque » innoxios sagittent in occultis; ad » latissimam, quae iniquitatibus » impune patrandis inde aperiri pos- » set, viam obstruendam, aliisque » de iustis ac rationabilibus causis » nobis notis: easdem societates, » coetus, conventus, collectiones, » aggregationes seu conventicula » *dei liberi muratori,* seu *francs* » *maçons,* aut alio quocumque no- » mine appellata, de nonnullorum » Sanctae Romanae Ecclesiae Car- » dinalium consilio, ac etiam motu » proprio, et ex certa scientia ac » matura deliberatione nostris, de- » que apostolicae potestatis pleni- » tudine, damnanda et prohibenda » esse statuimus, et decernimus, » prout praesenti nostra perpetuo » valitura Constitutione damnamus » et prohibemus.

» §. 3. Quocirca omnibus et sin- » gulis Christi fidelibus cuiuscum- » que status, gradus, conditionis, » ordinis, dignitatis et praeeminen- » tiae, sive laicis vel clericis, tam » saecularibus quam regularibus, » etiam specifica et individua men- » tione et expressione dignis, di- » stincte et in virtute sanctae obe- » dientiae praecipimus, ne quis sub » quovis praetextu aut quaesito co- » lore audeat vel praesumat prae- » dictas societates *dei liberi mura-* » *tori,* seu *francs maçons,* aut » alias nuncupatas, inire vel pro- » pagare, confovere, ac in suis ae- » dibus seu domibus vel alibi re- » ceptare atque occultare, iis ad- » scribi, aggregari, aut interesse, » vel potestatem seu commoditatem » facere ut alicubi convocentur, » iisdem aliquid ministrare, sive » alias consilium, auxilium vel fa- » vorem, palam aut in occulto, di- » recte vel indirecte, per se vel » per alios, quoquo modo praestare, » nec non alios hortari, inducere, » provocare, aut suadere ut huius- » modi societatibus adscribantur, » annumerentur, seu intersint, » vel ipsas quomodolibet iuvent ac » foveant, sed omnino ab iisdem » societatibus, coetibus, conventi- » bus, collectionibus, aggregationi- » bus, seu conventiculis prorsus » abstinere se debeant, sub poena » excommunicationis per omnes ut » supra contrafacientes ipso facto » absque ulla declaratione incur- » renda, a qua nemo per quem- » quam, nisi per nos seu Romanum » Pontificem pro tempore existen-

» tem, praeterquam in articulo mor-
» tis constitutus, absolutionis bene-
» ficium valeat obtinere.

» §. 4. Volumus insuper et man-
» damus, ut tam Episcopi et Prae-
» lati Superiores, aliique locorum
» ordinarii, quam haereticae pravi-
» tatis ubique locorum deputati in-
» quisitores, adversus transgresso-
» res, cuiuscumque sint status, gra-
» dus, conditionis, ordinis, digni-
» tatis vel praeeminentiae, procedant
» et inquirant, eosque tanquam
» de haeresi vehementer suspectos
» condignis poenis puniant atque
» coerceant; iis enim et eorum
» cuilibet contra eosdem trans-
» gressores procedendi et inqui-
» rendi, ac condignis poenis
» coercendi et puniendi, invocato
» ad hoc, si opus fuerit, brachii
» saecularis auxilio, liberam facul-
» tatem tribuimus et impartimur. »

Itaque Clemens XII ad eiusmodi pestem orbe catholico eliminandam, excommunicationem latae sententiae uni Romano Pontifici reservatam tulit tum in nomen dantes Sectis Masonicis, tum in eos qui eiusmodi sectis consilium, auxilium, favorem quomodolibet praestarent; praecepit insuper Episcopis, Praelatis superioribus, locorum ordinariis, et inquisitoribus contra haereticam pravitatem institutis, ut contra eiusmodi sectarios tanquam contra illos qui de haeresi vehementer suspecti essent inquirerent et procederent, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Attamen nulla a Clemente XII inducta fuit obligatio revelandi complices.

Sub Benedicti XIV Pontificatu apud nonnullos negari coepit ulterior Clementinae Bullae vigor, ea de causa quod a Benedicto XIV confirmata non fuerit, quasi Romanorum Pontificum decretorum valor a Successorum confirmatione penderet. Hinc tantus Pontifex die 18 Martii an. 1751 Constitutionem edidit *Providas*, in qua, postquam Clementis XII decretum retulisset, haec adiecit (1):

« §. 3. Cum autem, sicut acce-
» pimus, aliqui fuerint, qui asserere
» ac vulgo iactare non dubitaverint,
» dictam excommunicationis poe-
» nam a Praedecessore Nostro, ut
» praefertur, impositam, non am-
» plius afficere, propterea quod ipsa
» praeinserta Constitutio a nobis
» confirmata non fuerit; quasi vero
» pro Apostolicarum Constitutionum
» a Praedecessore editarum subsi-
» stentia, Pontificis Successoris ex-
» pressa confirmatio requiratur.

(1) Ne lectores nobis crimini vertant quod eiusmodi Benedicti XIV. Constitutionem in integrum referamus. Quamvis enim ultra fateamur, id necessarium non esse, tamen pulcherrima haec Constitutio continet; quae inter dicteria quaedam in Romanum illum Pontificem conicta ab illis fortasse, qui nimio zelo erga catholicam fidem rapiebantur, ita ut ipsum Romanum Pontificem in facto iudicarent. Quod utinam tum solum factum fuisset!

» §. 4. Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus viris nobis insinuatum fuerit, ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi nostri cum eiusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem, magnopere expediens fore, ut eiusdem Praedecessoris Constitutioni novum Confirmationis nostrae suffragium adiungeremus.

» §. 5. Nos, licet hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis eiusdem Constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus, seque a damnatis huiusmodi societatibus, seu conventiculis omnino recessuros, et numquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus, absolutionem ab incursa excommunicatione, tum antea saepe, tum maxime elapso Iubilaei anno benigne concessimus; seu dum facultatem Poenitentiariis a nobis deputatis communicavimus, ut huiusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem nostro nomine et auctoritate impertiri valerent; dum etiam solicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus iudicibus et tribunalibus, adversus eiusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit, non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dedimus, ex » quibus animi nostri sensus, ac » firma et deliberata voluntas, quoad » censurae per dictum Clementem » praedecessorem, ut praefertur, » impositae vigorem et subsistentiam, satis aperte inferri debuerant; si quae autem contraria de » Nobis opinio circumferretur, nos » eam securi contemnere possemus, » causamque nostram iusto Dei » omnipotentis iudicio relinquere, » ea verba usurpantes, quae olim » inter sacras actiones recitata fuisse constat: *Praesta, quaesumus,* » *Domine, ut mentium reprobarum* » *non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus,* » *ut nec terreri nos lacerationibus* » *patiaris iniustis, nec captiosis* » *adulationibus implicari, sed potius* » *amare quod praecipis,* ut habet » antiquum Missale, quod S. Gelasio praedecessori nostro tribuitur, » et a venerabili Servo Dei Iosepho » Maria Cardinali Thomasio editum » fuit in Missa, quae inscribitur: » *contra obloquentes.*

» §. 6. Ne tamen aliquid per nos » improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere atque obstruere, audito prius » nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Praedecessoris nostri Constitutionem » praesentibus, ut supra, de verbo » ad verbum insertam, in forma » specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, con-

» firmare decrevimus, prout eam » ex certa scientia, et apostolicae » auctoritatis nostrae plenitudine, » earumdem praesentium literarum » tenore in omnibus, et per omnia » perinde ac si nostris motu pro- » prio, auctoritate ac nomine pri- » mum edita fuisset, confirmamus, » roboramus, et innovamus, ac per- » petuam vim, et efficaciam, habere » volumus et decernimus.

» §. 7. Porro inter gravissimas » praefatae prohibitionis et damna- » tionis causas in praeinserta Con- » stitutione enunciatas, una est, » quod in huiusmodi societatibus » et conventiculis, cuiuscumque re- » ligionis ac Sectae homines invi- » cem consociantur; qua ex re satis » patet, quam magna pernicies » catholicae religionis puritati in- » ferri valeat. Altera est arctum et » impervium secreti foedus, quo » occultantur ea, quae in huius- » modi conventiculis fiunt; quibus » proinde ea sententia merito aptari » potest, quam Caecilius Natalis » apud Minucium Felicem in causa » nimirum diversa protulit: *Honesta* » *semper publico gaudent, scelera* » *secreta sunt*. Tertia est iusiuran- » dum, quo se huiusmodi secreto » inviolabiliter servando adstrin- » gunt, quasi liceat alicui, cuiuslibet » promissionis, aut iuramenti ob- » tentu se tueri, quominus a legi- » tima potestate interrogatus, omnia » fateri teneatur, quaecumque ex- » quiruntur ad dignoscendum, an » aliquid in huiusmodi Conventibus » fiat, quod sit contra religionis, » aut Reipublicae statum, et leges. » Quarta est, quod huiusmodi so- » cietates non minus civilibus, quam » Canonicis sanctionibus adversari » dignoscuntur; quum scilicet iure » civili omnia Collegia et Sodalitia » praeter publicam auctoritatem » consociata prohibeantur, ut videre » est in Pandectarum libro XLVII. » Tit. 22. *de Collegiis ac corpori-* » *bus illicitis* (1), et in celebri Epi- » stola Caii Plinii Caecilii secundi, » quae est nonagesima septima li- » bri X, in qua ait, edicto suo, » secundum Imperatoris mandata, » vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, » id est Societates et Conventus sine » principis auctoritate iniri et ha- » beri possent (2). Quinta est quod

(1) En lex: Marcianus lib. III Inst. Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia, Sodalitia, neve milites collegia in castris habeant; sed permittitur tenuioribus stipem menstruum conferre, dum tantum semel in mense coeant, ne sub praetestu huiusmodi illicitum collegium coeant; quod non tantum in urbe, sed et in Italia et in provinciis locum habere divus quoque Severus rescripsit. § 1. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur. Non licet autem amplius quam unum collegium licitum habere, ut est constitutum et a divis fratribus; etsi quis in duobus fuerit, rescriptum est eligere eum oportere in quo magis esse velit accepturum ex eo collegio a quo recedit id quod ei competit a ratione quae communis fuerit.

(1) Est illa Plinii Epistola, qua Traianum consulit quid circa christianos agendum sibi esset.

» iam in pluribus regionibus me-
» moratae societates et aggregatio-
» nes saecularium Principum legi-
» bus proscriptae atque eliminatae
» fuerant. Ultima demum, quod
» apud prudentes et probos viros
» eaedem Societates, et Aggrega-
» tiones male audirent, eorumque
» iudicio, quicumque eisdem nomi-
» na darent, pravitatis et perver-
» sionis notam incurrerent.

» §. 8. Denique idem Praedeces-
» sor in praeinserta Constitutione
» Episcopos et Superiores Praela-
» tos, aliosque locorum ordinarios
» excitat, ut pro illius executione,
» si opus fuerit, brachii Saecularis
» auxilium invocare non praeter-
» mittant.

» §. 9. Quae omnia et singula non
» solum a Nobis approbantur et con-
» firmantur, eisdemque Ecclesiasti-
» cis superioribus respective com-
» mendantur et iniunguntur; verum
» etiam nos ipsi, pro Apostolicae
» Solicitudinis officio, praesentibus
» nostris literis, Catholicorum Prin-
» cipum, omniumque Saecularium
» Potestatum opem, auxiliumque
» ad praemissorum effectum invo-
» camus, et enixo studio requiri-
» mus; quum ipsi Supremi Princi-
» pes et Potestates electi sint a Deo
» defensores fidei, Ecclesiaeque Pro-
» tectores; ideoque eorum munus
» sit idoneis quibusque rationibus
» efficere ut Apostolicis Constitu-
» tionibus debitum obsequium et
» omnimoda observantia praestetur;
» quod iis in memoriam revocarunt
» Tridentinae Synodi Patres *Sess.* 25.
» *Cap.* 20. (1); multoque antea

(1) Praestat caput eiusmodi referre: Cupiens Sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam, tectam a quibuscumque impedimentis conservari, praeter ea quae de ecclesiasticis personis constituit, saeculares quoque principes offici sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit, ius suum Ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, parochos, et superiores ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut officiales aut inferiores magistratus Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed una cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum et Conciliorum constitutionibus observantiam praestent. Decernit itaque et praecipit, sacros Canones et Concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticae, et contra eius violatores editas, quae omnia etiam praesenti decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea que admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos, cuiuscumque status et dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quae ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus, seu magistratibus, maximeque ministris ipsorum principum laedi patiantur: sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animadvertant. Quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem ecclesiarumque prote-

» egregie declaraverunt Imperator » Carolus Magnus, suorum Capitu- » larium *Tit. 1. Cap. 2.*, ubi post » demandatam omnibus sibi subditis » ecclesiasticarum sanctionum ob- » servantiam, haec addidit: *Nam » nullo pacto agnoscere possumus » qualiter nobis fideles existere pos- » sunt, qui Deo infideles, et suis » Sacerdotibus inobedientes apparue- » rint.* Quapropter cunctis ditionum » suarum Praesidibus et ministris » iniungens, ut omnes et singulos » ad debitam obedientiam Ecclesiae » legibus exhibendam omnino com- » pellerent, gravissimas quoque poe- » nas adversus eos indixit, qui hoc » praestare negligerent, subdens in- » ter alia: *Qui autem in his (quod » absit) aut negligentes, eisque ino- » bedientes fuerint inventi, sciant, » se nec in nostro Imperio honores » retinere, licet etiam Filii nostri » fuerint, nec in Palatio locum, » neque nobiscum, aut cum nostris » Societatem, aut communitatem » ullam habere, sed magis sub di- » strictione et ariditate poenas » luent* (1). »

Ut quisque videt, in relata Constitutione Benedictus XIV nil novi addidit, sed in omnibus Clementis XII sanctionem confirmavit, quamvis praeclarissimis sententiis illustraverit.

Verum Sectariorum neque furor, neque malitia hisce defervuit, sed magis excrevit, eorumque numerus auctus, praesertim cum catholicum Galliae gubernium in sedicentium philosophorum manibus prolapsum viderint, viros ecclesiasticos horrendo mortis generi addictos, atque Christum ab humana Societate quodammodo in Galliae regno fugatum.

Hinc Pius Papa VII apostolicam vocem altius contra perfidos homines attollere existimavit, atque sub die 15 Septembris 1821 Constitutionem edidit *Ecclesiam a Iesu Christo,* in qua relatis prius Clementis XII, et Benedicti XIV Constitutionibus, tot deinceps ac tanta protulit, ut nihil de eiusmodi Pontificia sanctione praetermittere pariter putemus; cum plurima etiam contineat, quae ad historiam sectarum cognoscendam maxime conferant. « Ecclesiam, inquit, a Iesu » Christo Servatore nostro supra fir- » mam petram fundatam, et adver- » sus quam ipsemet Christus pro-

ctionem existant, imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res ecclesiae sua imprimis auctoritate ac munificentia auxerunt nedum ab aliorum iniuria, vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo praestet, quo cultus divinus devote exerceri, et praelati ceterique clerici in residentiis et officiis suis quieti et sine impedimentis cum fructu et aedificatione populi permanere valeant.

Faxit Deus ut tandem aliquando haec Tridentinorum Patrum saluberrima consilia et praecepta Reges exequantur?

(1) Haec fiebant illo tempore. Nunc vero qui Ecclesiam publice persequuntur, nedum societatem habent cum Regibus, sed sunt eorum principales ministri.

» misit numquam portas inferi prae-
» valituras, tot saepe ac tam for-
» midolosi hostes aggressi sunt, ut
» nisi divina illa, et quae transire
» non potest promissio intercessis-
» set, metuendum videretur ne ipsa
» illorum aut vi, aut artibus, aut
» calliditate circumventa penitus in-
» teriret. Quod vero superioribus
» temporibus evenit, id etiam et
» praecipue quidem luctuosa hac
» nostra aetate factum est, quae no-
» vissimum illud tempus esse vi-
» detur tanto ante ab apostolis prae-
» enunciatum, quo venient illusores
» secundum desideria sua ambulan-
» tes in impietatibus (1). Nec enim
» quemquam latet, quanta scelesto-
» rum hominum multitudo difficil-
» limis hisce temporibus convene-
» rit in unum adversus Dominum
» et adversus Christum eius, qui
» id praecipue curant ut deceptis
» per philosophiam et inanem fal-
» laciam fidelibus (2), et ab Eccle-
» siae doctrina avulsis, ipsam Eccle-
» siam irrito licet conatu labefa-
» ctent et evertant. Quod ut facilius
» assequerentur, eorum plerique
» occultos coetus, clandestinasque
» Sectas coegerunt, ex quibus fu-
» turum sperabant, ut plurimos in
» suae coniurationis et sceleris so-
» cietatem liberius pertraherent.

» Iampridem Sancta haec Sedes
» his sectis detectis magna libera-
» que voce contra eas clamavit, et
» consilia, quae clam ab iis essent
» inita contra religionem, imo et
» contra civilem societatem patefe-
» cit. Iampridem omnium excitavit
» diligentiam, ut caverent, ne his
» sectis id conari liceret, quod ne-
» farie meditabantur. Verum dolen-
» dum est his Sedis Apostolicae stu-
» diis non eum exitum respondisse,
» quem ipsa spectabat, et scelestos
» homines numquam a scelesto con-
» silio destitisse; unde consecuta
» tandem ea mala sunt, quae nos-
» metipsi perspeximus; imo homi-
» nes, quorum superbia ascendit
» semper, novas etiam secretas so-
» cietates inire ausi sunt.

» Commemorari hoc loco debet
» societas nuper orta et longe la-
» teque in Italia, aliisque in regio-
» nibus propagata, quae licet in
» plures Sectas divisa sit, ac pro
» earum varietate diversa ac distin-
» cta inter se nomina aliquando as-
» sumat, re tamen, sententiarum et
» facinorum communione et foedere
» quodam inito una est, et Carbo-
» nariorum plerumque solet appel-
» lari. Simulant illi quidem singu-
» larem observantiam, et mirificum
» quoddam studium in catholicam
» religionem, et in Iesu Christi Ser-
» vatoris nostri personam et do-
» ctrinam (3), quem etiam Socie-
» tatis suae rectorem et magnum

(1) Ep. Iudae v. 18.
(2) Coloss. II. 8.
(3) Nunc autem ista non simulant.

» magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt quam iacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

» Sane severissimum illud iusiurandum, quo veteres Priscillianistas (1) magna ex parte imitantes, pollicentur se nullo umquam tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertineat superiores, clandestina illa praeterea et illegitima conventicula, quae more a pluribus haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cuiuscumque religionis et Sectae in suam societatem, etsi caetera deessent, satis persuadent, nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

» Verum coniecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis iudicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur, quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet; eorum catechismi et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent, cui antea adhaeserant, eius errores et fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, Carbonarios id praecipue spectare ut magnam licentiam cuique dent, religionem quam colat, proprio ingenio et ex suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius, ut Iesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant, ut Ecclesiae Sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur) et ipsa religionis catholicae mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apostolicam evertant, in quam, quoniam in ea apostolicae cathedrae semper viguit principatus (2), singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quaeque ac perniciosa moliuntur.

» Nec minus, ut ex eisdem constat monumentis, scelesta sunt quae Carbonariorum societas tra-

(1) Priscillianistae, quorum haeresis invaluit in Hispania saeculo Ecclesiae IV docebant inter alia, licitum esse mendacium etiam cum periurio coniuntum. S. Augustinus in libro de haeresibus affirmat Priscillanistis ad suas turpitudines occultandas hoc effatum familiare fuisse: *Iura, periura, secretum prodere noli.*

(2) S. Augustinus ep. 43.

» dit de moribus praecepta, quam-
» vis confidenter iactet se a suis
» sectatoribus exigere, ut charitatem
» ac omne virtutum genus excolant
» et exerceant, ac diligentissime ab
» omni vitio abstineant. Itaque li-
» bidinosis voluptatibus impuden-
» tissime ea favet, docet licere eos
» interficere, qui datam de secreto,
» quod superius memoratum est,
» fidem non servaverint; et licet
» apostolorum Princeps Petrus prae-
» cipiat, ut Christiani (1) omni hu-
» manae creaturae propter Deum
» subiecti sint, sive regi quasi prae-
» cellenti, sive ducibus tanquam ab
» eo missis etc; iubeatque Paulus
» Apostolus (2), ut omnis anima
» potestatibus sublimioribus subdita
» sit; ea tamen societas docet, in-
» tegrum esse, seditionibus excita-
» tis, reges ceterosque imperantes,
» quos per summam iniuriam tyran-
» nos passim appellare audet, sua
» potestate expoliare.

» Haec, aliaque huius societatis
» dogmata, et praecepta sunt, ex
» quibus ea extiterunt in Italia fa-
» cinora nuper a Carbonariis com-
» missa, quae adeo gravem hone-
» stis piisque hominibus moerorem
» attulerunt. Nos igitur qui specu-
» latores domus Israel, quae est
» sancta Ecclesia, constituti sumus,
» et qui pro pastorali nostro mu-
» nere cavere debemus, ne Domini-
» cus grex Nobis divinitus creditus
» ullum damnum patiatur, existi-
» mamus in causa tam gravi non
» posse ab impuris hominum cona-
» tibus cohibendis abstinere. Exem-
» plo etiam commovemur felicis re-
» cordationis Clementis XII et Be-
» nedicti XIV Praedecessorum No-
» strorum, quorum alter quarto
» Kalendas Maias anni 1738 Con-
» stitutione *In eminenti;* alter de-
» cimo quinto Kalendas Aprilis an-
» ni 1751, Constitutione *Providas*
» damnarunt et prohibuerunt So-
» cietates *dei liberi muratori*, seu
» *Francs Maçons,* aut alio quocum-
» que nomine pro regionum, et
» idiomatum varietate appellatas,
» quarum societatum fortasse pro-
» pago, vel certe imitatio haec
» Carbonariorum societas existiman-
» da est. Et quamvis iam duobus
» edictis per nostrum Status Secre-
» tarium propositis hanc societatem
» graviter Nos prohibuerimus, me-
» moratos tamen praedecessores no-
» stros sequentes, graves poenas in
» hanc societatem solemniori qui-
» dem ratione decernendas puta-
» mus, praesertim cum Carbonarii
» passim contendant, se duabus il-
» lis Clementis XII, et Benedicti XIV
» Constitutionibus non comprehen-
» di, nec sententiis et poenis in
» illis latis subiici.

» Audita igitur selecta Congre-
» gatione venerabilium fratrum No-
» strorum S. R E. Cardinalium,
» et de eius consilio, ac etiam motu
» proprio, et ex certa scientia ac

(1) Ep. 1. cap. II. 13.
(2) Rom. III. 14.

» matura deliberatione nostris, de-
» que Apostolicae potestatis pleni-
» tudine, praedictam societatem Car-
» bonariorum, aut alio quocumque
» nomine appellatam, eius coetus,
» conventus, collectiones, aggrega-
» tiones, conventicula damnanda,
» et prohibenda esse statnimus et
» decrevimus, prout praesenti no-
» stra perpetuo valitura Constitu-
» tione damnamus et prohibemus.

» Quocirca omnibus et singulis
» Christifidelibus cuiuscumque sta-
» tus, gradus, conditionis, ordinis,
» dignitatis ac praeminentiae sive
» laicis, sive clericis tam saecula-
» ribus quam regularibus, etiam
» specifica et individua mentione
» et expressione dignis, districte
» et in virtute sanctae obedientiae
» praecipimus, ne quis sub quovis
» praetextu, aut quaesito colore
» audeat vel praesumat praedictam
» societatem Carbonariorium, aut
» alias nuncupatam inire vel propa-
» gare, confovere, ac in suis aedi-
» bus, seu domibus, vel alibi rece-
» ptare atque occultare, illi et cui-
» cumque eius gradui adscribi, ag-
» gregari aut interesse, vel potes-
» tatem seu commoditatem facere
» ut alicubi convocetur, eidem ali-
» quid ministrare, seu alias consi-
» lium, auxilium vel favorem palam
» aut in occulto, directe vel indi-
» recte, per se vel per alios quo-
» quomodo praestare, nec non alios
» hortari, inducere, provocare, ac
» suadere ut huiusmodi societati,
» aut cuicumque eiusdem gradui
» adscribantur, annumerentur aut
» intersint, vel ipsam quomodoli-
» bet iuvent ac foveant, sed omnino
» ab eadem societate, eiusque coe-
» tibus, conventibus, aggregationi-
» bus seu conventiculis prorsus ab-
» stinere se debeant, sub poena ex-
» communicationis per omnes ut
» supra contrafacientes ipso facto
» absque ulla declaratione incurren-
» dae, a qua nemo per quemquam
» nisi per Nos, seu Romanum Pon-
» tificem pro tempore existentem,
» praeterquam in articulo mortis
» constitutus, absolutionis benefi-
» cium valeat obtinere.

» Praecipimus praeterea omni-
» bus sub eadem excommunicatio-
» nis poena Nobis ac Romanis Pon-
» tificibus Successoribus nostris re-
» servata, ut teneantur denunciare
» Episcopis, vel caeteris ad quos
» spectat eos omnes, quos noverint
» huic societati nomen dedisse, vel
» aliquo ex iis criminibus, quae
» commemorata sunt, se inquinasse.

» Postremo ut omne erroris pe-
» riculum efficacius arceatur, dam-
» namus et proscribimus omnes
» Carbonariorum, ut aiunt, cate-
» chismos et libros, quibus a Car-
» bonariis describuntur, quae in
» eorum conventibus geri solent,
» eorum etiam statuta, codices ac
» libros omnes ad eorum defensio-
» nem exaratos, sive typis editos,
» sive manuscriptos, et quibuscum-
» que fidelibus sub eadem poena
» maioris excommunicationis eodem
» modo reservatae prohibemus me-

» moratos libros, vel eorum aliquem » legere, aut retinere, ac manda- » mus ut illos vel locorum Ordina- » riis, vel aliis ad quos eosdem re- » cipiendi ius pertinet, omnino » tradant. »

Primus igitur qui onus denunciandi sectarios imposuerit, fuit Pius VII, qui de cetero nihil praetermisit, ut eiusmodi peste societatem liberaret, qua tamen universum mundum nunc infectum videmus.

At Pontificias Constitutiones sectarii omnino spreverunt, eaque agere, et peiora etiam prosequuti sunt, quae prius agebant; insuper aliae sectae inductae fuere, quae homines incautos alliciebant.

Hinc Leo XII sperans aliquid se consecuturum, si iterum nomen dantes sectis Masonicis, quocumque demum hae nomine vocarentur, excommunicatione multaret, Constitutionem edidit *Quo graviora* sub die 13 Martii 1825, in qua relatis in re antecessorum suorum sanctionibus subdit:

» §. 7. Non multo post editam » hanc a Pio VII constitutionem ad » supremam beati Petri cathedram « nullis nostris meritis evecti nos » fuimus; et continuo omnem no- » stram operam convertimus ad » detegendum, quis esset clandesti- » narum sectarum status, quis nu- » merus, quae potentia. Haec in- » quirentes facile intelleximus cre- » visse illarum insolentiam praecipue » ob earum multitudinem novis » sectis auctam. Ex quibus ea » praesertim memoranda est quae » *Universitaria* dicitur, quod sedem » et domicilium in pluribus studio- » rum universitatibus habeat, in » quibus iuvenes a nonnullis ma- » gistris, qui eos non docere sed » pervertere student, eiusdem my- » steriis, quae iniquitatis mysteria » verissime appellari debent, initian- » tur, et ad omne scelus infor- » mantur.

» §. 8. Inde vero existit, quod » tanto etiam post tempore, quo » primum perduellionis faces in » Europa a sectis clandestinis per » consectaneos suos inflammatae et » elatae sunt, et post reportatas a » potentitissimis Europae principi- » bus praeclarissimas victorias, qui- » bus illae comprimendae sperabun- » tur, nondum tamen nefarii earum » conatus finem habuerunt. In illis » enim ipsis regionibus in quibus » pristinae tempestates conquievis- » se videntur, qui metus est no- » varum turbarum et seditionum, » quas illae sectae perpetuo moliun- » tur? Quae impiarum formido si- » carum, quas in eorum corporibus » clam defigunt, quos ad mortem » designarunt? Quot et quam gravia » non raro decernere vel invito » coguntur, qui iisdem cum pote- » state praesunt, ut publicam tran- » quillitatem tueantur?

» §. 9. Inde etiam existunt acer- » bissimae calamitates, quibus Ec- » clesia fere ubique vexatur, et » quas sine dolore, imo sine moe-

» rore commemorare non possumus. » Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata et praecepta; eius dignitas extenuatur; et pax illa et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

» §. 10. Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a Nobis sunt clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri quos de religione et republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; immo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent, codices et statuta, quibus sua consilia et instituta explicant, aperte declarant cuncta quae iam memoravimus, et quae ad legitimos principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis profisci. Atque hoc veluti certum exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas.

» §. 11. Quae cum ita sint, Nos muneris nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis iactare possit se apostolica sententia nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et etiam motu proprio et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, societates occultas omnes tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur in Praedecessorum Nostrorum literis in hac nostra Constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus.

» §. 12. Quocirca omnibus et singulis Christi fidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus quam regularibus etiam specifica et individua mentione et expressione dignis districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illis et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari aut inte-

» resse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur; iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare ac suadere, ut huiusmodi societatibus, aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, earum coetibus, conventibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeat, sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

» §. 13. Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel caeteris ad quos spectat, eos omnes quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

» §. 14. Praecipue vero iusiurandum illud impium plane » ac scelestum, quo se abstringunt, » qui in has sectas cooptantur nemini patefacturos quae ad illas » sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui » ea superioribus sive ecclesiasticis » sive laicis patefaciunt, omnino » damnamus et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas » est iusiurandum quod in *iustitia* » pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad iniu» stam caedem obbliget, et ad eo» rum contemnendam auctoritatem, » qui cum vel Ecclesiam, vel legi» timam civilem societatem mode» rantur, ius habent ea cognoscendi, » quibus illarum salus continetur? » Nonne iniquissimum et indignis» simum est Deum ipsum veluti » scelerum testem et fideiussorem » appellare? Rectissime Patres Con» cilii Lateranensis III inquiunt » Can. 3. *Non enim dicenda sunt* » *iuramenta, sed potius periuria,* » *quae contra utilitatem ecclesia*» *sticam, et sanctissimorum Pa*» *trum veniunt instituta.* Et into» leranda est eorum ex his homi» nibus impudentia, sive amentia, » qui cum non modo in corde suo, » sed etiam palam et in pubblicis » scriptis dicant: *non est Deus:* » audeant tamen iusiurandum exi» gere ab iis omnibus, quos suas » in sectas deligunt.

» §. 15. Haec a Nobis constituta » sunt ad furiosas et scelestas has » omnes sectas comprimendas et » damnandas. Nunc vero vestram,

» venerabiles fratres catholici patriarchae, primates, Archiepiscopi et episcopi, operam non postulamus modo sed etiam flagitamus. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos non parcentes gregi; sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam vos. Illud tenete, a vobis maxima ex parte pendere hominum vobis commissorum in religione et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus *qui mali sunt*, eoque tempore quo plures *non sustinent sanam doctrinam*, perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos iure suscipiunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum eius. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quanta diligentia eos eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, vobis auctoribus et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irridet, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut vos verbis alloquamur Praedecessoris Nostri Clementis XII in sua Epistola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiae catholicae diei decimae quartae Septembris an. 1758: *Repleti simus*, obsecro, *fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ne tanquam canes muti non valentes latrare greges nostros patiamur fieri in rapinam et oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque nos quidpiam deterreat, quo minus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum qui talem substinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.*

» §. 16. Summo etiam studio » vestrum flagitamus praesidium, » carissimi in Christo filii nostri » catholici principes, quos singulari » et prorsus paterno amore diligi- » mus. Revocamus propterea vobis » in memoriam verba, quibus Leo » Magnus, cuius in dignitate suc- » cessores, et nominis licet indigni » haeredes sumus, ad Leonem im- » peratorem scribens usus est: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen*, sed maxime *ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios compri-*

» *mendo, quae sunt bona statuta* » *defendas, et veram pacem his* » *quae sunt turbata restituas.* Quam- » quam in eo discrimine res hoc » tempore versetur, ut non modo » ad catholicam religionem defen- » dendam, sed ad tuendam etiam » vestram, et populorum vestro im- » perio subiectorum incolumitatem, » sectae illae a vobis coercendae » sint. Religionis enim causa hoc » praesertim tempore, cum socie- » tatis salute ita coniuncta est, ut » nullo quidem modo altera ab al- » tera dividi possit. Nam qui sectas » illas sequuntur, non minus reli- » gionis quam vestrae potestatis » sunt hostes. Utramque aggrediun- » tur, utramque penitus labefacta- » re moliuntur. Neque certe pate- » rentur, si possent, aut religionem » aut regiam ullam potestatem su- » peresse.

» §. 17. Ac tanta est hominum » callidissimorum astutia, ut cum » maxime videntur vestrae pote- » statis amplificationi studere, tum » eius eversionem praecipue spe- » ctent. Docent illi quidem per- » multa ut suadeant, Nostram et » Episcoporum potestatem ab iis, » qui rerum potiuntur imminuen- » dam et debilitandam esse, et ad » eos plura transferenda iura, tum » ex iis quae propria sunt aposto- » stolicae huius cathedrae et *Ec-* » *clesiae principalis,* tum ex iis » quae ad Episcopos pertinent, qui » in nostrae sollicitudinis partem » sunt vocati. Verum haec illi non » modo ex teterrimo quo inflam- » mantur in religionem odio, sed » eo etiam consilio docent, quod » sperent fore ut gentes, quae ve- » stro imperio subiiciuntur, si forte » perspiciant everti terminos quos » de rebus sacris Christus et Eccle- » sia ab eo instituta constituerunt, » facile hoc exemplo adducantur ad » politici etiam regiminis formam » immutandam et destruendam.

» §. 18. Vos etiam omnes, o di- » lecti filii, qui catholicam religio- » nem profitemini, peculiari oratio- » ne et hortationibus nostris respi- » cimus. Homines qui ponunt lucem » tenebras et tenebras lucem omnino » evitate. Quae enim veri nominis » utilitas exoriri vobis poterit ex » coniunctione cum hominibus qui » nullam Dei, nullam sublimiorum » quarumque potestatum rationem » habendam putant, qui per insi- » dias et clancularios conventus » bellum illis afferre conantur, qui- » que etsi in foro, et ubique cla- » ment, se publici Ecclesiae et so- » cietatis boni amantissimos esse, » tamen universis suis gestis iam » declararunt omnia perturbare, » omnia avertere velle. Sunt ii » quidem iis hominibus similes, » quibus nec hospitium dandum, » nec dicendum ave iubet Ioannes, » in secunda sua epistola cap. 10, » et quos primogenitos diaboli ap- » pellare maiores nostri non dubi- » tarunt. Cavete igitur ab eorum » blanditiis, et mellitis sermonibus, » quibus vobis suadebunt, ut nomen

» illis sectis detis, quibus ipsi ad-
» scripti sunt. Pro certo habete ne-
» minem earum participem secta-
» rum esse posse, quin gravissimis
» flagitiis reus sit, eorumque verba
» ab auribus vestris repellite, qui
» ut vestrae in gradus suarum sec-
» tarum inferiores cooptationi as-
» sentiamini, vehementer affirmant,
» nihil in gradibus illis admitti quod
» rationi, nihil quod religioni ad-
» versetur, imo nihil vel praedi-
» cari, vel perfici quod non san-
» ctum, quod non rectum, quod non
» incontaminatum sit. Etenim ius-
» iurandum illud nefarium, quod
» iam memoratum est, quodque in
» illa etiam inferiori cooptatione
» iurari debet, satis per se est, ut
» intelligatis nefas etiam esse, le-
» vioribus illis gradibus adscribi
» atque in iis versari. Deinde quam-
» vis quae graviora et scelestiora
» sunt iis mandari non soleant, qui
» superiores gradus assecuti non
» sunt, perspicue tamen patet per-
» niciosissimam harum societatum
» vim et audaciam ex omnium qui
» iis nomen dederunt, consensione
» et multitudine coalescere. Itaque
» ii etiam, qui inferiores illos gra-
» dus non sunt praetergressi, sce-
» lerum illorum participes haberi
» debent. Et in eos cadit illud A-
» postoli ad Romanos cap. 1: *Qui*
» *talia agunt digni sunt morte, et*
» *non solum qui ea faciunt, sed*
» *etiam qui consentiunt facien-*
» *tibus.*

» §. 19. Postremo eos, qui cum
» iam essent illuminati et gusta-
» vissent donum coeleste, et par-
» ticipes facti essent Spiritus San-
» cti, deinde tamen miserrime pro-
» lapsi sunt, et sectas illas sequun-
» tur, sive in inferioribus, sive in
» superioribus earum gradibus ver-
» sentur, peramanter ad nos voca-
» mus. Eius enim vice fungentes,
» qui professus est, non venisse se
» vocare iustos sed peccatores, et
» se pastori aequiparavit, qui relicto
» reliquo grege sollicite ovem quae-
» rit, quam perdit, eos hortamur
» et obsecramus, ut ad Christum
» revertantur. Quamvis enim maxi-
» mo se polluerint crimine, non
» debent tamen de Dei et Iesu
» Christi Filii eius misericordia et
» clementia desperare. Recipiant
» igitur sese tandem aliquando, et
» iterum ad Iesum Christum pro
» iis etiam passum confugiant, qui
» eorum resipiscentiam, non modo
» non despiciet, sed imo ad instar
» amantissimi patris, qui filios prodi-
» gos iamdudum expectat, libentis-
» sime accipiet. Nos vero ut quan-
» tum in nobis est eos excitemus,
» et faciliorem iis sternamus viam
» ad poenitentiam, suspendimus ad
» integrum anni spatium post pu-
» blicatas nostras has apostolicas
» literas in regione, in qua moran-
» tur, tum obligationem denuncian-
» di suos in sectis illis socios, tum
» etiam reservationem censurarum,
» in quas sectis illis nomen dantes
» inciderunt, eosque, etiam non de
» nunciatis complicibus, absolvi al

» iis censuris posse declaramus a » quocumque confessario, modo sit » ex eorum numero qui a locorum, » in quibus degunt, Ordinariis ap- » probati sunt. Quam etiam facilita- » tem in eos, qui forte in Urbe mo- » rentur, adhibendam constituimus. » Quod si quispiam ex iis, quos » nunc alloquimur, ita pertinax sit » (quod Deus misericordiarum pater » avertat) ut committat, illud tem- » poris spatium quod designavimus » labi, quin sectas illas deserat, et » vere resipiscat, eo elapso, conti- » nuo et obligatio denunciandi com- » plices, et censurarum reservatio » in eum reviviscet, nec absolutio- » nem deinceps impetrare poterit, » nisi denunciatis antea complicibus, » vel saltem iuramento emisso de » iis quamprimum denunciandis, » nec ab alio poterit iis censuris » solvi, quam a nobis vel a nostris » successoribus, aut ab iis, qui » a sede Apostolica ab iisdem ab- » solvendi impetraverint facilita- » tem » (1).

Scilicet nil intentatum Romani Pontifices reliquere, quo et scelestissimos sectarios ab incoepto opere averterent, et fideles monerent, ut et eorum frequentia abstinerent, et eorum blandimenta promissionesque spernerent; misericordiam scilicet et iudicium adhibuerunt. Attamen incassum; universus enim mundus sectariis plenus est; et ab ipsis ita gubernamur, ut nullam vim non adhibeant, ad pietatem, religionem, Imperia, Ecclesiam ipsam de medio tollendam; atque nisi Deus succurrat, timendum est ne cuncta prorsus ad ruinam impellant, eaque undequaque renoventur, quae sub fine praeterlapsi saeculi una Gallia deflevit.

Post exposita Romanorum Pontificum decreta, quae integra praemisimus ut lectores nostri pulcherrima et salubria adeo documenta habeant, ad quaestionem propius accedimus. Itaque Pius Papa IX et ipse excommunicat « Nomen dantes » sectae Massonicae, aut Carbona- » riae, aut aliis eiusdem generis » sectis, quae contra Ecclesiam vel » legitimas potestates seu palam seu » clandestine machinantur; nec non » eisdem sectis favorem qualem- » cumque praestantes; earumve oc- » cultos coryphaeos ac duces non » denunciantes, donec non denun- » ciaverint. »

Itaque dum ex relatis Pontificum Constitutionibus antea excommunicationem specialiter reservatam incurrebant, qui socios quoscumque non denunciarent, per Pianam Constitutionem, quoad denunciationis caput, ii soli excommunicationem incurrunt, qui coriphaeos seu duces, et qui-

(1) His accensenda fuisset Constitutio *Inter* lata contra sectas Massonicas a Gregorio XVI, et Encyclica *Qui pluribus* lata a Pio Papa IX an. 1846. At horum Pontificum Bullarium non habemus. Desiderandum est, ut Bullarum Rom. Pontificum collectio Romae accurate edatur.

dem occultos, haud publicos et notorios, non alios inferiores denunciant; qua de causa obligatio denunciationis in praesentiarum ad duces et coriphaeos occultos tantummodo restringitur. Deinceps, dum eiusmodi excommunicatio esset antea Romanis Pontificibus specialiter reservata, post Constitutionem *Apostolicae sedis* est eis simpliciter reservata. Si quae vero aliae sint inter veterem novamque Sanctionem differentiae, in Commentarii decursu indicabimus.

Porro citatum Caput trifariam dispescitur.

1. Excommunicantur nomen dantes sectae Masonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur.

2. Qui iisdem sectis favorem qualemcumque praestant.

3. Non denunciantes earum occultos coryphaeos et duces, donec non denunciaverint.

Itaque quoad 1. quaestionis caput, nulla fit exceptio. Dummodo sectae eiusmodi sint, ut machinentur contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine, eis nomen dantes excommunicatione multantur. Nec referre putamus an sectarii iuramento aliquo nec ne sese obstringant; una enim conditio verificari debet, quod scilicet iis dent nomen sectis quae sive publice, sive occulte contra Ecclesiam et legitimas potestates conspirent; de essentia autem conspirationis non est, ut iuramento conspiratores sese inter se copulent.

Qua de causa si quis nomen det sectae alicui quae neque contra Ecclesiam, neque contra civiles legitimas potestates conspiret et machinetur, hunc excommunicatum nullo pacto censemus. Etenim et in lege odiosa versamur, strictae proinde interpretationi subiicienda; et verba legis clara et aperta sunt, ita ut censendus sit legislator expressisse quae voluit, quae non expressit, noluisse censendus; atque de cetero putari posse innocuam sectam aliquam, seu illam societatem, in qua reapse nihil contra Ecclesiam atque civiles principatus agatur; Ecclesiam insuper non in abstracto rem considerare poenasque indicere, sed in concreto, dummodo scilicet iis in societatibus ea agantur quae ipsa proscribit; quod et naturae legum consonum est, cum earum verba non in abstracto sed in concreto accipi debeant.

Hinc etiamsi ad eiusmodi excommunicationem incurrendam satis esse tenendum sit, ut quis nomen tantummodo det eiusmodi sectis quae contra Ecclesiam et legitimas potestates machinantur, quamvis ille nihil agat, et machinetur, tamen si sectae, seu societates eiusmodi nihil contra Ecclesiam et statum civilem legitimum machinentur, non videmus qua de causa dantes eis nomen suum excommunicatione multari debeant; etenim

contra expressum verborum tenorem lex esset extendenda sine ulla necessitate. Manifestum est autem ideo Romanos Pontifices eiusmodi sectas proscripsisse, quia noverunt eas contra ecclesiasticas et civiles potestates machinari; quis hinc affirmare posset eos illas proscripturos etiam fuisse, quamvis nossent neque contra Ecclesiam, neque contra civiles legitimas auctoritates eas conspirasse? De intentione igitur legislatoris non constat; verba e contra adhibita in lege ferenda tantummodo ad sectas aptantur, quae recensito facinore sese commaculant; voluisse autem Romanos Pontifices quamlibet pravam societatem excommunicatione mulctare, dum nullo pacto id constat, est etiam imprudentissimum affirmare.

Nonne si eiusmodi extensionem semel admittamus, confusio in poenitentium confessionibus excipiendis oriatur necesse est, cum exinde nulla certa regula duci confessarii possent?

Etenim excommunicantur nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam et legitimas potestates machinantur. Optime: sed eiusmodi excommunicatio extendenda etiam est ad alias sectas, seu coetus qui profitentur se nihil tale moliri. Quinam igitur erunt hi coetus? A quo definientur? Profecto ardua res est, quae numquam ex certo legis existentis indicio definiri poterit, quaeque proinde confessarios anxios relinquet. Eiusmodi igitur legis extensio dubia lex est; at lege dubia neminem obligari omnes cognoscunt.

Quid autem quod eiusmodi extensio contra legis praescriptum fieri deprehenditur? Etenim in lege non excommunicantur simpliciter *nomen dantes sectae Masonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis;* sed ideo huiusmodi excommunicantur quia hae sectae *contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur;* ratio igitur excommunicationis desumitur ex qualitate conspirationis, si igitur in alia quacumque secta eiusmodi desit conspiratio, cessat ratio latae legis; at cessante ratione legis, cessat ipsa lex.

Equidem quis dicturus erit fortasse, hanc nostram sententiam in irritum deduci ex responsione ad Rmum D. Kenrik Archiepiscopum Baltimorensem, qui supremam Inquisitionem interrogaverat: « Utrum » coetus illi pro vetitis habendi sint, » qui profitentur, se nihil adversus » religionem moliri vel civilem rem» publicam, licet occultum ineant » foedus iuramento firmatum, vel » alias se obligent ad arcanum? » Cui S. Congregatio respondit sub die 21 Augusti 1850: « Compre» hendi in Bullis Pontificiis ». Verum eiusmodi responsione nostra sententia non evertitur; etenim primum anterior est Pianae Constitutioni, qua nunc eiusmodi casus di-

rimere debemus; *lex autem non habet oculos retro;* alias: *Lex non extenditur ad praeterita;* scilicet: *leges non praeterita sed futura determinant.* L. Leges 2. Cod. de Legib.; hinc responsio citata ad anteriores Pontificum constitutiones respectum habet, in quibus reapse, praesertim in ea quae lata fuit a Clemente XII eiusmodi coetus comprehendebantur; cum autem Pius Papa IX sanciverit in sua Constitutione, censuras quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illas exinde robur habituras quas in sua Constitutione inseruit; easdem vero e veterum canonum auctoritate quatenus cum Constitutione a se edita convenirent vim suam accipere; limitaverit autem Pius P. IX, de sectis massonicis loquens, ad eas tantummodo quae contra Ecclesiam seu legitimas potestates machinantur, iam nullum dubium superesse potest, quin ad has tantummodo Piana excommunicatio sit coarctanda. Allegata igitur S. Congregationis responsio optima pro sanctionibus anterioribus erat, nullius autem roboris post Pianam Constitutionem.

Atque idipsum nobis dicendum videtur de iis quae R. P. Konings affirmat apud Kenrik *Theologia Moralis Tract. III. n. 61.* quod scilicet sub Piana Constitutione cadant etiam « illae societates, cuiuscumque naturae sint, in quibus socii » ab ipso ingressu iureiurando se » obligant ad obtemperandum iis, » quae a coetus superioribus iussa » fuerint, vel etiam secreti ineunt » foedus, quod neque interrogante » legitima potestate, violari impune » possit. Tum illi coetus, in quibus » ita arcto foedere in mutuam de» fensionem coniunguntur socii, ut » exinde oriatur turbarum et coe» dium periculum ».

Haec enim affirmari nequeunt nisi per extensionem Pianae Constitutionis, quae Sectarum crimina coarctat ad machinationem contra Ecclesiam vel legitimas potestates; qua de causa nisi haec duo constent, non adeo facile sunt uti excommunicati illi habendi, qui ad societates coetusque alios pertinent neque contra Ecclesiam, neque contra legitimas potestates machinantes.

Neque ad eiusmodi excommunicationem inducendam sufficiens est iuramentum quod praestant sive secreti servandi, sive mutuae defensionis suscipiendae, lex enim non loquitur de iuramento, sed de machinatione contra Ecclesiam, vel legitimas potestates; atque standum est verbis legis. Nonne de cetero etiam aliae societates ex. gr. latronum, vulgo *dei briganti, furum,* etc. aliquando sese iuramento obstringunt et ad secretum servandum, et ad mutuam defensionem suscipiendam? Num ergo et qui horum societates ingrediuntur excommunicationem incurrunt?

De cetero S. Congregatio supremae Inquisitionis die 5 Augusti

an. 1846 decrevit: *Societates occultae, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant a suis asseclis, vel non exigant iuramentum de secreto servando.* Atque Pius Papa IX die 8 Decembris 1864 in Encyclica *Quanta cura* damnavit sequentem propositionem. « Constitutiones apostolicae quibus damnantur clandestinae societates sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate multantur, nullam vim habent in illis orbis regionibus, ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio ».

Equidem non inficior plerumque accidere, societates quae arctis adeo vinculis adeptos obstringunt vel contra ecclesiasticam, vel contra civilem, vel contra utramque conspirationes inire, alioquin, tot ac tantae molis iuramenta irrationabilia essent; attamen nequidem inficiandum est, homines qui eis nomen dant, utique a peccato excusari non posse, dum se volentes et scientes gravissimis periculis quomodolibet praevaricandi exponunt, attamen excommunicatione lata excusari ex eo patet quod lex apertissima sit; lex autem excommunicatione eos tantummodo ferit qui eius generis sectis nomen dant, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur; id igitur debet esse clarum, et cognitum; ni velimus dicere, Romanum Pontificem Pium IX eos etiam excommunicasse, qui nesciunt an societas ad quam pertinere volunt, sit nec ne generis earum quae contra Ecclesiam vel statum conspirant; quod quidem nullo pacto eum voluisse constat, et contrarium constat; excommunicavit enim nomen dantes *sectae Massonicae aut Carbonariae* etc. qeae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur; ergo hanc ob causam excommunicavit. Ergo has et non alias excommunicavit; quod patet etiam ex cit. S. Inquisitionis decreto, in quo dicitur quod iuxta Pontificias Constitutiones sectae *eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt.* Ergo alias, quae sibi eiusmodi scopum non praefigunt, Ecclesia non considerat, proindeque non excommunicat.

Optime hinc Commentator Reatinus pag. 52 scribit: *Sectae ex scopo quem sibi proponunt, non aliunde iudicari debent.* Qua de causa si societatum, ad quas per summam stultitiam se adscribi quis petit, scopus sit manifestus, ut manifestus est scopus tum sectae Massonicae, tum Carbonariae, tum Universitariae, Iuvenis Italiae, et quae nunc dicitur *Dei Communisti ed Internazionali* nullimode dubitandum quin nomen eis dantes latam excommunicationem incurrant.

At si scopus alicuius sectae non sit manifestus, nomen ei dantes ab

excommunicatione excusabimus usque dum ipse non animadvertat ea in societate agi vel contra Ecclesiam, vel contra legitimas potestates, eamque ad sectas massonicas vel carbonarias pertinere.

Non enim putamus eos omnes excommunicatione lata multari qui nomen dant alicui societati, quamvis haec contra Ecclesiam machinetur, ut ex. gr. societas biblica, aut veterum catholicorum, vulgo *dei vecchi cattolici;* nonnulli etiam addunt societatem Clerico-liberalem. Etenim 1° Caput Pianum loquitur de sectis massonicis et carbonariis, aut *aliis eiusdem generis sectis;* ergo natura seu indoles societatis debet esse massonica aut carbonaria; aliae enim societates reducuntur ad has tanquam ad genus; *eiusdem generis sectis.*

2° Hoc in Capite Pius Papa IX directe ferit sectas Massonicas, non alias. Cum autem lex sit odiosa strictae interpretationi subiacet.

3° Societates biblicae, veterum catholicorum, aut Clerico-liberales non veniunt neque cognoscuntur sub nomine sectarum Massonicarum, aut Carbonariorum.

4° Quoad societatem Clerico-liberalium (si haec societas amplius existat, aut si aliquando extitit, secta vocari potuit) observo, quod hi clerici-liberales nil aliud volebant quam conciliationem Romani Pontificis cum actuali civili gubernio qui in Italia et Romae dominatur. At ex eiusmodi scopo societas haec dici non potest contra Ecclesiam vel legitimam potestatem machinari.

5° Eidem crimini in eadem lege duplex eademque poena non irrogatur. At si quis catholicus societatibus biblicis nomen daret, quae Protestantibus conflantur, vel societati veterum catholicorum excommunicationem incurreret Capite I. Pianae Constitutionis latam in *omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant.* Quae excommunicatio specialiter reservata est Romano Pontifici. Quomodo igitur supponi potest, ut nomen dantes eiusmodi sectis incurrant etiam excommunicationem praesentis capitis?

Quin immo affirmandum videtur, neque illos praesentem excommunicationem incurrere, qui societatibus biblicis nomen dant ea tantummodo de causa, ut biblia divulgent, non ut doctrinas protestantium profiteantur; etenim cum societas biblica non sit secta Massonica, neque ei quocumque modo adhaerentes vel faventes Massones vocari possunt; deinde hi incurrerent excommunicationem veluti haereticorum fautores, id est Capitis 1. citati.

Neque difficultatem facit quod societatis biblicae et veterum catholicorum publice contra Ecclesiam machinantur; nam si eiusmodi verbum sumatur pro aliquid agere contra Ecclesiam catholicam, omnes aliae sectae anticatholicae dicendae

pariter sunt contra Ecclesiam catholicam machinari ; ergo ex hoc capite dici excommunicati deberent, qui nomen dant variis sectis Protestantium, tum Orientalium etc., quod nemo dixerit. Qua de causa eiusmodi sectae de quibus in praesenti capite sermo est, non illae sunt quae induunt naturam vel indolem plane religiosam, ut haereticorum sectae; sed aliae quae naturam vel indolem induunt sectarum Massonicarum. Hoc autem

6° Patet ex quo primo loco in praesenti capite recenseantur sectae Massonicae aut Carbonariae, quae altera fuit fractio quaedam sectae Massonicae aut eadem secta Massonica, mutato pro Italia nostra in quam ex Bavaria irrupit, nomine. Ex hoc autem inteiligimus, nullo pacto hic sermonem esse de sectis plane religiosis, ut est illa veterum catholicorum, sed de sectis proprie dictis, quae religiosae non sunt, quaeque conflantur ex quibuscumque hominibus, ad quascumque religiones pertinentibus. Si enim etiam de aliis sectis religiosae plane indolis loqui Pius IX voluisset, incipere neque poterat, neque debebat a sectis Massonicis, aut Carbonariis.

7° Demum Pius Papa IX in proposito capite locutus certe est de sectis eodem sensu, quo de iis locutus fuerat in Allocutione *Multiplices inter* diei 25 Septembris 1865. Atqui hac in Allocutione ita de sectis locutus est, ut eas tantummodo damnaverit, quae induunt indolem sectae Massonicae: « Massonicam il- » lam, aliosque eiusdem generis so- » cietates, quae specie tenus diver- » sae in dies coalescunt, quaeque » contra Ecclesiam vel legitimas po- » testates seu palam seu clandesti- » ne machinentur, auctoritate no- » stra apostolica reprobamus, et con- » demnamus ». At articulus praesens ex verbis citatis conflatus est.

Nullimode tamen negandum est sub sectarum proprie dictarum nomine venire Fenianorum sectam, tum ob ipsius indolem, tum ob Supremae Inquisitionis manifesta decreta.

Et primo ob ipsius indolem. Etenim *a*) a quodam milite O'Mayony instituta fuit, regulis et constitutionibus acceptis a sectis Massonicis quae in Gallia praesertim vigebant.

c) Eius scopus est Hiberniam a potestate Anglorum eximere, atque tum clandestine, tum palam in actum eiusmodi scopum deducere; proindeque contra legitimas potestates machinari.

d) Nomen dantes eiusmodi sectae iurant obedientiam ducibus, quos non agnoscunt, et praeceptis quibuslibet quamvis non manifestandis.

e) Tum secretum habent tam circa complices, quam circa ea quae in societate aguntur.

Qua de causa nullimode dubitandum est, quin eiusmodi Fenianorum societas sectis Massonicis proprie dictis sit accensenda.

His autem accedunt decreta quae a Suprema S. Officii Congregatione contra Fenianos lata sunt, in quibus et eorum societas inter sectas Massonicas annumeratur, et ipsi consequenter proscribuntur.

Primum latum fuit die 5 Iulii 1865, et ita se habet: « Plura ad » sanctam sedem delata sunt circa » societatem quae appellatur Fratrum Fenorum, aut Fenianorum, » eaque supremae Congregationi » Universalis Inquisitionis submissa » fuere, ut quid de illis sentiendum » foret decerneretur. Porro sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, audito Eminentissimorum » Inquisitorum suffragio, amplitudini tuae notificandum mandavit, » Decretum Feriae IV, 5 Augusti 1846, quod sic se habet: *societates occultae de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando.* » Voluit praeterea Sanctitas sua, ut » tibi subiungeretur, recurrendum » esse ad sanctam Sedem, et quidem » omnibus adamussim expositis rerum adiunctis, si quae forte difficultates in applicatione dicti decreti inveniantur.

» Quoniam vero recenter asser» tum est in quibusdam foliis periodicis, ac signanter in *The connaught Patriot* declarationem » prodiisse a Sede Apostolica, » iuxta quam *Feniani inquietandi non essent*, ideirco Suprema Congregatio S. Officii amplitudini » tuae significandum decrevit, praedictam assertionem omnino falsam esse ».

At eiusmodi Decreto, iudicio sive Episcoporum sive Confessariorum quodammodo committebatur iudicare an Fenianorum societas inter sectas massonicas esset annumeranda; per se autem S. Congregatio supremae Inquisitionis nihil definiebat; hinc exorta dubia, scrupuli, anxietates et novelli ad S. Sedem recursus.

Qua de causa Feria IV, die 12 Ianuarii 1870 Suprema Inquisitio omnem dubitandi rationem e medio tulit, lato sequenti decreto:

« Cum dubitatum fuerit a non» nullis, an societas Fenianorum » comprehensa censeatur inter so» cietates damnatas in Pontificiis » Constitutionibus, Sanctissimus Do» minus Noster Pius divina provi» dentia Papa IX, exquisito prius » suffragio Eminentissimorum Pa» trum Cardinalium contra haere» ticam pravitatem in universa chri» stiana Republica Inquisitorum ge» neralium; ne, fidelium praesertim » simplicium, corda cum evidenti » animae discrimine pervertantur, » inhaerens Decretis alias a s. Con» gregatione universalis Inquisitio» nis in similibus editis, praesertim » Decreto Feria IV, die 5 Iulii 1865, » decrevit ac declaravit, societatem » Americanam seu Hibernicam, Fe-

» nianorum appellatam, comprehen-
» di inter societates vetitas ac da-
» mnatas in Constitutionibus sum-
» morum Pontificum, et praesertim
» in nuperrima eiusdem Sanctitatis
» suae edita quarto Idus Octobris
» 1869, incip. *Apostolicae Sedis*,
» qua sub n. 4. excommunicationi
» latae sententiae Romano Pontifici
» reservatae obnoxii declarantur *no-*
» *men dantes sectae massonicae aut*
» *carbonariae, aut aliis eiusdem ge-*
» *neris sectis, quae contra Eccle-*
» *siam, vel legitimas potestates, seu*
» *palam seu clandestine machinan-*
» *tur, nec non eisdem sectis favo-*
» *rem qualemcumque praestantes,*
» *earumve occultos coriphaeos ac*
» *duces non denunciantes, donec*
» *non denunciaverint* ».

Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit.

Loco † Sigilli.

Pro D. Angelo Argenti S. Romanae et Univers. Inquis. Notar.

Iacobus Vogaggini Substitutus

Feniana igitur inter sectas Massonicas adnumeratur, quas inter adnumerandae sunt etiam societas Mazziniana, societas vulgo *Emancipatrice della Chiesa Romana Cattolica in Italia; Excubiae libertatis*, et *Foedus americanum* in statibus unitis Americae, tum *unio Operariorum Belgarum* in Belgio, *Nichilistarum* in Russia, et *Internationalistarum*, quae in universo orbe praevalet. De his enim nullum dubium quod ad sectas Massonicas pertineant. At quoad alias societates, Confessarii diligenter a poenitentibus exquirant, an in eis vel contra Ecclesiam, vel contra legitimas potestates conspiretur; atque si alterutrum horum deprehendant, eis nomen dantes excommunicatos habeant; secus post Constitutionem *Apostolicae Sedis* minime.

Excommunicatos vero eiusmodi homines habeant nedum in provinciis status Pontificii, aut in Italia, sed in universo orbe, tum quia lex Pontificia universalis est, nec ulla clausula ad aliquem locum restringi, tum quia receptum est apud omnes, Pontificum decreta Romae promulgata obbligare universos fideles; quod contra illos dicimus, qui affirmare veriti non sunt, eiusmodi Constitutionibus non obligari ex. gr. Hollandiae populos, eo quod ibi promulgatae non fuerint; tum quia Constitutio *Apostolicae Sedis* lata est pro universa Ecclesia; insuper quia Supremae Inquisitionis Congregatio, audito Gregorio XVI, die 27 Iunii 1838, sequentem declarationem emisit: « Sacra Congre-
» gatio Inquisitionis declarat, Con-
» stitutiones Pontificias contra *libe-*
» *ros muratores* editas, in Hollandia
» obligare, licet ibidem promulga-
» tae non essent ». Demum quia idipsum patet ex decreto Supremae Inquisitionis contra Fenianos lato. Attamen dubium insurgit: In Piano capite excommunicatione plectuntur *nomen dantes sectae Massoni-*

cae... seu aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur. Quid ergo si sectae eiusmodi machinentur contra potestates illegitimas, scilicet contra eos saeculares principes qui iniuste alienas provincias invaserunt, sibique usurparunt?

Respondendum est, in Piano capite excommunicari *nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae,* ob eam rationem quod contra Ecclesiam, vel legitimas potestates machinentur; per accidens autem se habere quod in aliquo casu contra principes illegitimos conspirent; qua de causa et in hypothesi proposita nomen dantes sectae Massonicae excommunicationem incurrunt. Adde quod remanet alia conditio, quod scilicet eiusmodi sectae etiam contra Ecclesiam conspirent; neque a legislatore requiritur ut tunc excommunicatio incurratur, cum sectarii aliquid contra Ecclesiam vel legitimas potestates actu agant, sed simpliciter indicta est in nomen praedictis sectis dantes, eo quod ex instituto semper, in actu autem, nisi hodie cras certe machinabantur.

Diversimode autem iudicare deberemus, si societas in aliquo regno iniuste usurpato efformaretur, quae neque sectae Massonicae esset aggregata, neque agere sibi proposuerit contra Ecclesiam vel legitimas potestates, sed unice ad iniustum usurpatorem eiiciendum legitimosque principes in solio reponendos. Hoc in casu eiusmodi societas non esset massonica, neque proinde proscripti illi dicendi essent qui eidem nomen darent. Attamen hac in re sedulo perpendendae essent conditiones civiles, tempus usurpationis, etc. quibus efficitur ut princeps legitimus aliquando ille evadat, qui ab initio illegitimus fuit. Fatendum autem est quod raro eiusmodi societates bonum exitum habent; neque sunt inducendae aut consulendae.

At secundo loco excommunicantur *iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes.*

Qui sectis eiusmodi favorem praestent apprime describuntur a Clemente XII cum in cit. Const. §. 3 inquit: « ne quis... praesumat » praedictas societates aut alias nuncupatas inire, vel propagare, con» fovere, ac in suis aedibus seu » domibus, vel alibi receptari, at» que occultare, iis adscribi, aggre» gari, aut interesse, vel potesta» tem, seu commoditatem facere, » ut alicubi convocentur; iisdem » aliquid ministrare, sive alias con» silium, auxilium, vel favorem pa» lam aut in occulto, directe vel in» directe, per se vel per alios, quo» que modo praestare, nec non alios » hortari, inducere, provocare aut » suadere, ut huiusmodi societati» bus adscribantur, annumerentur, » seu intersint, vel ipsas quomodo» libet iuvent ac foveant ».

Non est ambigendum iis omni-

bus actionibus favorem sectis massonicis praestari.

Attamen circa praesentiam, aut *eis interesse,* observamus, non esse uti excommunicatum illum habendum, qui semel aut iterum societatibus hisce intersit sine ullo animo vel sese iis aggregandi, vel favendi, aut probandi, sed curiositatis cuiusdam causa; etenim cum in eiusmodi praesentia nullus adsit favor, peccare hunc quidem dicemus quod vetitis societatibus intersit, excommunicatum non item. Id autem ex piano capite non inepte probari dicimus: quamvis enim praedecessores Pontifices actiones determinaverint, quibus excommunicatio incurrebatur, Pius tamen IX eas tantummodo actiones excommunicationi subiecit, quae favorem qualemcumque important. At sectis semel et iterum, curiositatis dumtaxat causa, interesse non videtur favorem importare.

Verum hisce adversari videntur ea quae Suprema S. Officii Congregatio decrevit an. 1838, quaeque sic exposita fuere.

Beatissime Pater

« Poenae Ecclesiasticae a plurimis Romanis Pontificibus in eos » statutae sunt, qui societati, quam » *Liberorum muratorum* dicunt, » nomen dedissent, atque iuramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent.

» Dubium exoritur, utrum ii, » quos licet emissi iuramenti poeniteat, communicando tamen cum » caeteris eidem sectae adhaerentibus, vel eorum conventicula adeundo, vel alio quolibet modo, » veros eiusdem societatis cultores » se palam exhibere perseverent, » ad Poenitentiae aut sanctissimae » Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per Confessarium possint admitti. Sacerdotes » inveniuntur nonnulli, qui huiusmodi homines reapse admittunt. » Ut igitur certa Confessariis norma praebeatur, utrum in qualibet » orbis regione, hominibus *Liberorum muratorum* societati aggregatis, qui iuramenti de secreto » servando vinculis invicem consociati in unum corpus coalescunt, » iuramenti exigendi more apud » eamdem sectam adhuc vigente, » Sacramentalem absolutionem licite aut valide, Confessarius impertiatur, priusquam ipsi absolute et » positive praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquant?

» Quaeritur, quomodo se gerere » debeat Confessarius?

» Huic petitioni Sacra Congregatio S. Officii, sub die 5 Iulii » 1837 respondit: *Iuxta exposita* » *non licere.*

» Cum autem ortum sit dubium » utrum verba illa *non licere* includant in casu exposito etiam » invaliditatem absolutionis, exoratur S. Congregatio ut dignetur » id declarare.

» Quod etc.

Feria VI, die 27 Iunii 1838.

» In Congregatione generali S. » Rom. Univers. Inquisitionis habita » in Conventu S. Mariae supra Mi- » nervam coram Eminentissimis et » Reverendissimis Dominis S. R. » Ecclesiae Cardinalibus contra hae- » reticam pravitatem Generalibus » Inquisitoribus, iidem Eminentis- » simi et Reverendissimi Domini » dixerunt respondendum esse: *Af- » firmative iuxta Constitutiones » Apostolicas.*

Eadem die et Feria.

» Sanctissimus D. N. Gregorius » divina Providentia Papa XVI, in » solita audientia, Reverendissimo » Patri Commissario generali s. Of- » ficii impertita, praefata Eminen- » tissimorum Patrum suffragia ap- » probavit.

L. † S.

Angelus Argenti
S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius

Atqui tamen eiusmodi decretum nostrae sententiae non adversatur. Etenim in eo agitur de sectariis quos quamvis poenituerit iuramenti praestiti, tamen adhuc se exhibere palam perseverant veluti veros praedictae societatis cultores, atque hinc ut antea ita et postea Massonicos conventus frequentant; at in casu a nobis proposito qui semel et iterum praedictis conventibus intersunt, nec sectis massonicis nomen dederunt, nec ut eis faveant intersunt, sed tantummodo curiositatis gratia; qua de causa dum illi adhuc sectis favere censeri possunt, non tamen isti.

Attamen non immerito quaerere hic aliquis posset, an homo, quem de nomine sectis Massonicis praestito sincere doluerit, eas tamen frequentare pergat, quod si conventibus abstineat, gravissima mala, fortasse mortem timeat, ob illam frequentiam excommunicationem incurrat.

Cui quaestioni negative respondendum esse videtur ea de causa quod metus gravis ab censuris incurrendis excuset; cum enim ob gravem metum cessent leges ecclesiasticae obbligare, cesset necesse est etiam poena ipsis adnexa.

Sed hac in re audiamus S. Alphonsum *Theol. Moral. VII n. 49.* « An metus gravis excuset a cen- » sura? »

Resp. « Si res est vetita iure » tantum ecclesiastico, certe excu- » sat, quia praecepta humana non » obligant cum gravi incommodo » *Salm. c. 1. n. 230.* Hinc notat » Croix *lib. 7. n. 102*, quod si » praecipiatur detectio criminis sub » censura, nemo tenetur prodere » seipsum, vel complicem, vel alium, » si crimen probari nequeat, vel si » proditio ipsi grave damnum af- » ferret. Immo gravis metus excu- » sat ab incurrenda censura, etiamsi » res alias iure divino sit prohibita; » et ideo qui ob gravem metum

» patraret homicidium vetitum sub » censura., peccaret quidem, sed » non incurreret censuram, quia non » peccaret contra ius Ecclesiae, con- » tra cuius potestatem specialis in- » iusta contumacia ad censuram re- » quiritur. *Ita Pal. D. 1. p. 8. n. 9:* » *Suarez D. 5. §. 3. n. 14. Bon.* » *q. 2. p. 3. n. 2, et Salm. c. 1.* » *n. 14, cum Bon. Card. Henr.*, etc. » Nec obstat textus in c. *Sacris, de* » *his quae vita*, etc., ubi dicitur me- » tus qui non excusat a mortali, nec » etiam excusare a censura; nam » respondent Doctores citati, tex- » tum loqui vel de metu levi, vel » quando agitur in contemptum, *vid.* » *Salm. ibi.* Incurrit autem censu- » ram aut aliam poenam, qui metu » gravi cogitur aliquid agere in con- » temptum praecepti ecclesiastici, » vel qui ob metum perpetrat ma- » lum gravissimum, v. gr. si Episco- » pum occideret, vel sine iurisdi- » ctione absolutionem Sacramenta- » lem praeberet; secus si impeditus » ob metum ministraret in sacris; » tunc enim non incurreret irregu- » laritatem. *Ita Bon. et Pal. ll. cc.,* » *et Salm. n. 206, cum Mach. Con.* » *Henr. et Corn.* Ratio quia in dictis » primis casibus metus non excusat » a culpa, etiam contra praeceptum » ecclesiasticum; secus in aliis. »

Ex dictis pariter eruitur, quomodo se Confessarii gerere cum illis poenitentibus debeant, qui promittunt quidem se velle a societatibus Masonicis recedere, attamen tempus opportunum quaerunt, ut propositum consilium ad effectum deducant; hi enim uti excommunicati haberi non possunt, si interea societatibus Masonicis intersint, ea de causa quod gravissima sint eis mala timenda. Quamvis itaque hi, ex decreto S. Inquisitionis superius relato, absolvendi non sint, nullaque sit absolutio si quae impertita fuerit, tamen relate ad excommunicationem ea immunes censeri debent, tum ob adductam gravis timoris causam, tum ex quo ipsorum praesentia illum favorem voluntarium de cetero non praestat, qui requiritur ad excommunicationem contrahendam; timore enim coacti dicendi sunt ad praedictos conventus accedere.

Atque hinc caveant Confessarii ne se erga huiusmodi homines duriores praebeant. Hinc enim certum est, Masonum conversionem difficillimam esse, ob illa, quibus adstringuntur, iuramenta, et sectarum statuta; hinc si recedant sine ulla causa quae societati Masonicae probabilis videatur, ipsa mors est recedentibus timenda. Si itaque poenitentes eiusmodi serio promittunt, se velle omnino recedere, tempus autem et occasionem opportunam se expectare velle, ut id sine periculo perficere valeant, ne illos Confessarii aspernentur, sed modis omnibus adiuvent; atque interea facultates opportunas eos absolvendi postulent, quo divina gratia adiuti, susceptum consilium celerius et alacrius exequantur.

Probe insuper advertendum est,

Pium Papam IX, sicut et praedecessores Pontifices, eos excommunicasse qui sectis favorem praestarent, *eas in suis domibus, aedibus, vel alibi receptare.* Confessarii, quapropter eos uti excommunicatos non habeant qui aliquem sectarium uti talem cognitum domi recipiunt, vel occultant; lex enim loquitur de sectis, non de sectariis; sectarii autem singillatim sumpti non sunt secta.

Ratio insuper qua huiuscemodi receptiones vel occultationes prohibentur, est ne iis in aedibus vel domibus societatem, conventus, et consequenter coniurationes ineant. At domi aliquem sectarium recipere, vel occultare id non importat.

E contra uti excommunicati illi sunt proclamandi qui aliis suadent, ut hisce conventibus intersint; eiusmodi enim suasionibus verus sectis favor praestatur.

Sciunt autem omnes, nunc temporis sectas publice congregari, publiceque conventum in aliquibus regnis instituere. Quid igitur? Reges et saeculares Principes id permittentes habendi ne sunt uti Sectarum fautores, et praesentem incurrunt ne excommunicationem?

Eam non videntur incurrere. Si enim incurrerent, id vel quod eiusmodi conventus tolerando seu non prohibendo, inter faventes essent accensendi; vel quia comprehendendi essent sub illis verbis, quibus excommunicantur: *iis potestatem, seu commoditatem facere ut alicubi convocentur.*

At non ex primo capite; etenim favor, ut excommunicatione multetur, debet influere in actionem vetitam; porro ex mera tolerantia per se favor non tribuitur, cum favor dicat quid activum.

2° Romani Pontifices dum varias actiones in relatis Constitutionibus recensuere, quibus praesens incurritur excommunicatio, omnino praetermiserunt loqui de supremis Principibus qui sectas tolerarent. Quin imo dum ipsos modis omnibus rogarunt, ut gladio ultionis in sectas Masonicas animadverterent, nullam in eos excommunicationem tulerunt, si permisissent.

3° In Cap. III lato contra duellum perpetrantes, disertis verbis excommunicantur Reges et Imperatores qui vel duellum permittunt, vel quantum in illis est, non prohibent. Quando igitur Pius Papa IX tolerantiam alicuius delicti, vel eius permissionem excommunicatione ferire voluit, expressit; at in praesenti capite nihil eiusmodi contra permittentes, sive tolerantes Masonum societates.

4° Idque prudentissime. Sin minus nullus esset Rex catholicus qui hac de causa excommunicatus non esset, ut patet.

5° Addimus, maximis Principibus saecularibus rationes suppetere hisce diebus sectas Masonicas tolerandi; non enim Reges, sed Masones regna gubernant, ut notum est. Gravis autem metus ab censuris excusat.

6° Ulterius, quid agere catholici

Reges possunt in regnis constitutionalibus? Velint nolint, necesse est ut *Parlamentis* obediant. Parlamenta autem hodierna quid aliud plerumque sunt quam Masonum Congregationes?

7° Demum manifestum est, Reges nulla Pontificia censura ligari, nisi de eis expressa mentio habeatur; at in praesenti capite nulla de saecularibus Principibus mentio habetur.

Exinde vero sequitur, saeculares Principes neque ex alio capite, quasi scilicet sectas tolerando, *eis potestatem seu commoditatem faciant ut alicubi convocentur*, praesentem excommunicationem incurrere, 1° quidem quia de regia auctoritate nulla fit mentio, quae necessario est exprimenda, ut Reges dicantur latam excommunicationem incurrere.

2° Quia consequenter praedicta verba referuntur ad eos qui scienter volentesque domos vel aedes aut alia loca ad se pertinentia sectariis vel locant, vel permittunt ut eas adeant conventicula peragendi gratia.

3° Quia illa denotant positivam actionem, proindeque verum et proprie dictum favorem erga sectas; Regis autem tollerantia dici nequit favor positivus, praesertim si in eius potestate non sit eas prohibere; atque de cetero legis odiosae verba sunt stricte interpretanda.

Sed tempus est ut tertiam partem huius Capitis expendamus.

Quoad denunciationis Caput, differentia inter vetus et ius novum est, quod dum in veteri fideles singuli tenerentur sub excommunicationis specialiter reservatae poena sectarios quoscumque denunciare, in novo sub poena excommunicationis simpliciter Rom. Pontifici reservatae, tenentur denunciare tantummodo sectarum *occultos coryphaeos et duces*. Non enim putare debemus, per haec verba Pium Papam IX ius vetus immutasse quoad denunciandi sectarios quoslibet onus, sed tantummodo quoad poenarum inflictionem; Constitutione enim sua censuras quidem limitavit, at praecepta, obligationesque iuris antiqui intacta reliquit.

Etiam nunc itaque fideles qui sectarios quoscumque noverint sive per se, sive per testes fide dignos tenentur eos ad legitimas Ecclesiae potestates denunciare. Si tamen simplices sectarios non denuntient, nullam excommunicationem incurrunt, quamvis ob inobedientiam spretumque legis peccare possint. Id autem ex lege pronuntiamus; non quia putemus fideles nullo pacto excusari a peccato si simplicium sectariorum denunciationem in aliquibus circumstantiis praetermittant.

Quod ut demonstremus, concors Doctorum omnium sententia est, legem aliquam cessare vel cum finis eius adaequatus cessat, finis scilicet ob quem lata lex est respectu totius communitatis; vel cum eius observantia generaliter redditur inutilis; item ex lege ecclesiastica ad denuntiandos suspectos de haeresi neminem teneri, si ex denuntiatione gra-

ve damnum quis patiatur, dummodo tamen ex silentio commune damnum non sequatur (1); atque si denuntiatio reputetur inutilis ad finem consequendum; ad opus enim inutile nemo tenetur; idque praesertim si inutilitas ex facto constet, illaque ipsi legislatori innotescere dignoscatur: « Communis consensus » est, inquit Suarez *De legib. lib. 6.* » *cap. IX, n. 7,* cessante ratione, » seu fine legis generaliter, seu frequentius in tota Communitate legem cessare. »

Atque Bonacina *Tract. var. Disput. 6. Punct. 1. §. 4, n. 3:* « Non » esse obligationem denunciandi, » quando certo scitur, vel probabiliter creditur, nullum remedium » adhibendum esse a Praelato, » facta denunciatione; nullus enim » obligatur ad opus inutile. »

Id autem patet ex ipsa definitione denunciationis quae est « delatio criminis facta superiori, ut » remedium, aut correctionem, vel » poenam ex officio adhibeat. » Qua de causa si nec remedium, nec correctio aut poena crimini denunciato a superiore apponi possit, nulla apparet ratio, qua compelli fideles debeant ad denunciandum.

Patet insuper ex fine ipsius denuntiationis, quem ita describit Thomas Del Bene *De Officio Inquisit. P. I. Dub. 15. n. 7:* « Denunciatio, » inquit, est necessaria Reipublicae » et ipsi delinquenti ..... quia per » denunciationem impeditur ne haeresis (sectarii comparantur haereticis) serpat et alios inficiat; tum » quia facta denunciatione, Iudex » potest procedere ad inquirendum » de tali delinquente, et recipere » ipsum denuntiantem in testem criminis commissi; tum etiam quia » haereticus sciens esse denunciatum vel denunciandum, continebitur a crimine, timens correctionem et supplicium. Unde, quod » denunciatio sit utilis etiam ipsi » delinquenti, patet, quia continetur a peccato, et a peccato commisso revocari potest. »

Haeretici scilicet, ut postea n. 9 subdit: « ne denuncientur ad Inquisitores, haeresim internam manifestare non audebunt, quod cedit » in bonum aliorum fidelium. Item » timore huius denunciationis multi » non complectuntur errores haereticales, vel saltem non audebunt » illos manifestare, nec alios ad suam » falsam sectam pertrahere. »

(1) S. Alphonsus nobiscum sentit, dum *Theol. Mor.* Lib. IV, n. 249, scribit: « An sit obligatio denunciandi haereticos cum periculo gravis damni? Distinguendum: Si denunciandi sunt tantum suspecti de haeresi, ut sunt sortilegi, blasphemii, Confessarii sollicitantes, abutentes Sacramentis, commune est non adesse tum obligationem ..... nisi adesset damnum commune ..... Si vero denunciandi » sint haeretici formales ..... verius oppositum est tenendum ..... quia haeresis » formalis de se serpit ut cancer, et ideo semper in damnum commune vergit » At nomen dantes sectae Masonicae non ut haeretici formales, sed habentur ut suspecti de haeresi.

Qua de causa si per denunciationem nec impeditur quominus haeresis, et in casu nostro, secta Masonica serpat et alios inficiat, vel quominus iudex possit procedere ad inquirendum, vel haereticus a crimine contineatur, quia nullam timet correctionem et supplicium; lex denunciandi deficit omnino in suo fine generali et primario, quo deficiente ipsam legem cessare apud omnes in comperto est.

Utique non inficiamur, quod si ratio cessationis finis in genere, vel quoad maiorem partem communitatis sit temporalis, ita ut circumstantiis actualibus cessantibus, finis reviviscere in integrum possit, lex similiter reviviscat; attamen et hoc in casu verum est, quod cessante fine legis sive in perpetuum sive ad tempus, in perpetuum vel ad tempus ipsa lex cessat (1).

Hinc gravissimi scriptores affirmant, nullam esse obligationem denunciandi haereticos iis in locis, in quibus hi cum catholicis permixti vivunt, scientibus Inquisitoribus et Episcopis: « Catholici non tenentur » denuntiare haereticos in locis illis, » in quibus haeretici sunt permixti » cum catholicis, id scientibus In» quisitoribus et Episcopis, cum ne» mo obligetur ad opus inutile. » *Ferraris, Biblioth. Can. V. Denunciatio, n. 18.*

Atque clariss. Scavini *Tract. 8. Disp. 1. Cap. 4. Art. 2. Q. 6,* statuit: « Generatim loquendo obliga» tio denunciandi haereticos vel de » haeresi suspectos non urget, et » ideo omittitur sine peccato ..... » 3° quando nulla omnino est spes » punitionis; nam ad opus inutile » nemo tenetur; ut esset in iis lo» cis, ubi haeretici catholicis per» mixti sunt, vel ubi tanta est male » sentientium de Religione multi» tudo, ut eos Superior punire ne» queat. » (2)

(1) Id et a Suaresio affirmatur: *De leg. lib. VI. cap. IX. n. 18.* « Si ad tem» pus tantum sic cessare videatur, tunc potius suspendetur obligatio legis, quam » ipsa extinguatur; quia non fit simpliciter inutilis vel iniusta, sed tantum pro » hoc tempore; et ideo limitatum habet effectum; ergo suspenditur lex, non ex» tinguitur. » Qua de causa si ratio, ex. gr. non denunciandi sectarios cesset, illico lex eos denunciandi reviviscit.

(2) Lectores nostros monemus, plerosque scriptores in relatam abiisse sententiam nedum ob rationes expositas, sed etiam ob quoddam decretum quod latum fertur a Suprema S. Officii Congregatione in causa sollicitantium, quodque refertur a Giraldi *(Expos. Juris Pontif. lib. V. Tit. 7. Sect. 809)* hujuscemodi: « Omnes Constitutiones contra sollicitantes in Confessione in singulas nationes » universim vires suas extendere, ac latinos aeque ac graecos sua amplitudine » comprehendere. »

Attamen relate ad loca in quibus denunciatio finem praestitutum difficillime assequi poterat, en quid sancitum fuisse a Suprema Inquisitione apud praefatum scriptorem habetur: « Qui in partibus schismaticorum, haereticorum et mahumeda» norum degunt, licet subjecti sint Constitutionibus contra *sollicitantes,* tamen in

Atqui negari ne in praesentiarum potest: 1° cessasse finem adaequatum latae legis denunciandi nomen dantes sectae Masonicae? 2° vel (exceptis casibus rarioribus Ecclesiasticos qui his sectis nomen dederint respicientibus, quique aliquo modo et nunc puniri ab Ecclesiae iudice possunt) iudices legitimos non posse procedere ad inquirendos et puniendos denunciatos sectarios? hos prohiberi non posse quominus errores divulgent, sectasque propagent?

Profecto haec negari non possunt. Etenim sectae manifestae sunt, et publici, ut plurimum, sectarum coryphaei atque duces, neque si denuncientur ab Ecclesiastica potestate puniri possunt, cum ab ipso civili gubernio tolerentur, neque proinde impediri quominus tum errores, tum sectae propagationem instituant. Qua de causa etiam ubi viget Ecclesiastica lex denunciandi eiusmodi denunciationes fine suo destituuntur. Quibus addendum est, in orbe fere universo cessasse nunc Ecclesiae forum relate ad saeculares homines in ius vocandos, eosque poenis debitis afficiendos.

Hoc insuper denunciandi sectarios quoslibet onus postquam sectae tantopere invaluere, cessasse, vel saltem ad illud fideles non teneri, ipsi Romani Theologi recognoverunt. Annis enim praeterlapsis, cum eiusmodi denunciationis casus in ecclesia S. Apollinaris Romae discuteretur, nedum resolutum fuit, ob actuales, quasque descripsimus, temporum circumstantias et rationes, non esse fideles obligandos ad onus eiusmodi, sed insuper affirmatum, ob coercendi nefarios homines impotentiam, supremos Inquisitores monita et consilium dedisse, ut Confessarii contenti essent fidelibus onus imponere denunciandi duces ac coryphaeos sectarum, simplicibus proselitis praetermissis.

Haec itaque explorata in re sunt: 1.° Ob pianum Caput abrogatam non fuisse obligationem denunciandi sectarios quoscumque, quamvis abrogata fuerit excommunicatio. 2.° Attamen ob circumstantias actuales, cum sectariorum punitio reddatur impossibilis et denunciatio inutilis, anxii Confessarii esse non debent in illis absolvendis, qui simplices sectarios denunciare recusant, multo

» iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, » atque mulieres sine periculo et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero » facile poenam declinare posse credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismati- » cos, vel ad laicos judices infideles, ex decreto Congregationis S. Officii dici » 21 Februarii 1630, attentis supradictis causis, absolvendi sunt et liberandi ab » huiusmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, ut cessantibus supradictis » periculis et impedimentis, teneantur denunciare. »

At ex iis quae nobis contigerunt dum quaestionem propositam typis amandaremus, intelleximus, relatam S. Officii declarationem authenticam non esse, eamque in Archivio illius Congregationis (debitis investigationibus institutis) non reperiri.

minus solliciti in eiusmodi onere imponendo. Id unum solerter agant ut poenitentes huiusmodi modis omnibus inducant a sectis recedere, si quas agitari machinationes illi noverint eas legitimae potestati denuncient, unaque simul duces et coryphaeos, eosque etiam simplices sectarios qui machinamenta ad effectum deducere debent: in casu enim ob rationem publici boni, et iuris naturalis denunciatio obligat; tum si quem noverint mandatum accepisse aliquem interficiendi; illinc enim hic caritate tenetur, illinc denunciandi onere solvendus non est, cum denunciatio utilis in particulari sit, et mandatorum executor legitime impediri potest ne crimen perpetret, ni ab ecclesiastica, certe a civili potestate, ad quam ecclesiastica sese convertere potest, ut crimen impediat. At ni circumstantiae recensitae denunciationem simplicium sectariorum suadeant, hisce diebus non sunt poenitentes inquietandi, vel ad illam cogendi (1). Immotum tamen maneat, quod circumstantiis huiusmodi cessantibus, denunciationis onus reviviscit.

Neque hisce illa opponuntur quae cl. Avanzinius scribit in suo comment. pag. 36, edit. manual. 1878, not. 26, quo loco quaerit: « An cessaverit obligatio denuncian» di ceteros, qui non sint neque » coryphaei neque duces, quique » tamen sint occulti sectarii?

» Resp. Per Constitutionem *Apo» stolicae Sedis* nihil est *per se* in» novatum quoad obligationes ce» teras cuiuscumque generis: li» mitatae dumtaxat sunt censurae, » ideoque in omnibus locis ubi viget » ecclesiastica lex denunciandi obli» gatio manet. Haec lex denunciandi » tum ratione publici boni inducta » est, tum ratione privati boni per» sonae denunciatae; si eiusmodi » secunda ratio cessaret, manet pri» ma ratio, namque utile Episcopo » et auctoritati ecclesiasticae sem» per erit pro pascendis fidelibus » suae curae commissis cognoscere » occultos haereticos vel sectarios, » aliosque denunciandos. Et ob has » rationes, etiamsi lex ecclesiastica » denunciandi cessavisset, maneret » obligatio ex iure naturali derivans, » quod ius naturale, gravibus con» currentibus adiunctis, ut quando » agitur de gravi damno evitando, » graviter potest obligare. »

Haec, inquam, quae doctissimus auctor profert, nostram sententiam non evertunt. Non enim negamus, sectariorum denunciationem utilem esse tum privato tum publico bono,

(1) Id etiam fatetur Godschalk his verbis: « Quia haereticorum denunciatio ob » praefatam rationem (a nobis allegatam) heic non obligat, pari de causa cum scri» ptoribus *Melang. Theolog. Tom. V, pag. 605*, statui potest, etiam *sectariorum* » istorum denunciationem in nostris tractibus omitti posse, dummodo ius naturae » aliud non praecipiat. » *In Const.* Apostolicae Sedis, *pag. 77*. At his diebus in quibuslibet fere regnis plus minus sectarii aequali libertate fruuntur.

vel eam ex lege praecipi aut ex iure naturali aliquando posse obligare, sed id unum affirmavimus, ob temporum circumstantias, eiusmodi denunciationes ad opus inutile redire, cum sectarii neque moneri, neque corripi, multo minus possint puniri; ad opus autem inutile nemo tenetur; de cetero sectarios nunc notos esse Episcopis, ceterisque ecclesiasticis potestatibus, quin tamen in eos aliquid agere possint.

Advertendum tamen est, quod cum lex denunciandi sit universalis, atque catholicos in quibuscumque provinciis degentes obstringat: si aliquo in regno ecclesiastica potestas adhuc ita consistat, ut agere contra sectarios possit, eosque cohibere, fideles ad eos denunciandos tenentur. Atque eiusmodi ratione interpretanda esse videtur responsio a S. Officii Congregatione data cuidam Episcopo in Missionibus exteris degenti sub die 15 Iunii 1870. « Obscurum esse minime potest, a » quibus faciendae sint denuncia- » tiones. Generale quippe est prae- » ceptum omnibus fidelibus iniun- » ctum. » Cum enim ad praedictam Congregationem pertineat Constitutionis *Apostolicae Sedis* authenticam interpretationem exhibere, talem certe dedit quae generalis esset, quaeque observari deberet ubi observari poterat. Hinc lata declaratio non ita accipienda est, quasi nulla habenda sit ratio circumstantiarum, in quibus Episcopi aliquibus in regnis reperiuntur; sin minus Suprema Congregatio propriis sententiis alias indictis contradixisset; sed ita est intelligenda ut lex denunciandi observanda in quibuscumque locis sit, quando observari potest: declaravit enim ad quid lex obliget, quin vellet communes doctorum sententias aliud in facto suadentes abrogare. Nullo hinc pacto allata declaratio eorum sententiam, cum quibus et nos sentimus, evertit.

Ut autem aliis quaestionibus quae fieri possent satis faciamus, recolendum prae primis est, sectarios ea ratione esse denunciandos, qua sunt denunciandi haeretici. Id praecipue patet ex instructione a s. Poenitentiaria exhibita die 8 Novembris 1821, a qua cum quaesitum fuerit: «Qualis » scientia requiritur ut quis ad de- » nunciandum teneatur? respondit: » Ad VI. Obligationem in constitu- » tione impositam de Carbonariis » denunciandis eadem ratione esse » interpretandam, qua leges eccle- » siasticae, quibus haereticorum de- » nunciatio praecipitur, quoniam » utramque denunciationem publi- » cum Ecclesiae bonum postulat. » Itaque cogi ad Carbonarios de- » nunciandos non modo eum qui » ex propria scientia, vel eorum- » dem Carbonariorum Confessione » non Sacramentali, noverit eos » ad sectam illam pertinere, sed » etiam eum qui id a relatoribus » fide dignis acceperit. »

Quoniam igitur eiusmodi denunciationes a publico Ecclesiae bono

postulantur, et addere possumus a bono civili, hinc 1. Denunciandi sunt quilibet; quamvis sint fratres, sorores, Pater aut mater. Id enim tum ex allata ratione constat; bonum enim publicum praevalere debet bono privato; tum ex cit. responsione S. Poenitentiariae anni 1821, in qua sub n. VII ad quaesitum:

An filius patrem, soror fratrem denunciare debet, et vicissim? Respondit: « Ex eadem, quae in re» sponsione superiore indicata est, » ratione, cum de carbonariis agi» tur, a filio patrem, a sorore fra» trem germanum, et vicissim de» bere denunciari. » (1)

Tenenda hinc est quoad rem hanc Felicis Potestas sententia, qui in *Examen ecclesiasticum Tom.* II. num. 267 vere scribit: « Ex pro» babili periculo gravis damni in » vita, corpore, fama, et rebus pro» priis, aut coniunctorum, non ex» cusatur quis a denunciando hae» reticum formalem, etiamsi non » dogmatizet...quia haeresis forma» lis etiam non dogmatizantis est » contra Religionem, et bonum » commune totius Reipublicae ca» tholicae; quoniam haeresis serpit » ut cancer, quippe quae pestifera » est. Bonum autem publicum et » commune ex iure praevalet bono » privato et proprio. »

Quibus adde denunciationem conferre etiam ad bonum privatum personae denuntiatae; quod bonum spirituale cum sit, praevalet bono cuicumque temporali.

At contraria sententia defenditur a praestantissimis Theologis, quos inter *Facundex Tract. in V praecepta Eccl. praecept. II. lib. IV. cap. III. n. 31,* et de Varceno; quorum primus scribit; « Non tenetur autem denun» tiator, huiusmodi denunciationes » cum probabili periculo mortis, in» famiae, aut gravis alicuius damni » proprii, vel patris aut matris, » mariti, uxoris, fratrum aut alio» rum coniunctissimorum: quod » est commune omnibus denuncia» tionibus. » Alius autem *Theol. mor. Tom. 1 pag. 329* inquit: « Dispensantur ab hac denuncia» tione facienda 3. parentes usque » ad quartum gradum inclusive. »

Hi autem S. Alphonsum secuti sunt, qui *Theol. mor. lib.* IV. n. 25. quaerit: « An teneamur denunciare » coniunctos quos haereticos for» males noverimus? R. Fratres sine » ullo dubio tenemur denunciare: » filios vero a denunciandis paren» tibus excusant *Abul. et Siman.* » apud *Salm. de primo praecepto* » *c. 3 n. 105.* Sicut ibidem *Bo*» *nac. Fill. Barb.* etc. excusant » etiam uxores a denunciando vi» ros suos. Sed dicendum, omnes » ad denunciationem teneri... quia » haeresis est pestis ita noxia, quod » difficile habet remedium, et fa-

(1) Advertant lectores, haec quae hoc in loco dicimus iis non contradicere quae scripsimus paullo superius; hic enim agimus de obligatione legis in se et sine circumstantiis spectatae, illic de causis excusantibus ab obligatione legis.

» cile in damnum vergit commune.

» Hoc tamen dicitur quoad haereticos formales. Si vero denunciandi sint tantum suspecti de haeresi *Salmanticenses*... pariter obligant etiam filios ad parentes denunciandos: sed nimis rigorose; satis enim probabiliter tunc a denunciatiatione excusantur non solum filii, sed etiam coniuncti usque ad quartum gradum, ut tenent Diana, Bordon. etc. et alii apud Podestà n. 221. Ratio quia denunciare coniunctum, idem est ac grave damnum sive incommodum subire; quod rationabiliter excusat (quando periculum abest damni communis), ut dicunt ipsiSalmanticenses etc.

Ex recensitis autem S. Doctoris opinionibus patet 1. semper esse denunciandos haereticos formales, sint fratres, genitores etc. 2. Dispensari posse propinquos a denunciandis propinquis usque ad quartum gradum si hi sint tantummodo suspecti de haeresi, prout masones habendi sunt, at sub ea conditione, si periculum absit damni communis. 3. Tam Facundez, quam de Varceno S. Alphonso adhaesisse simpliciter et absolute, posthabita tum distinctione haereticos formales inter et suspectos de haeresi, tum Sacrae Poenitentiariae instructione anni 1821; nos aliosque huic instructioni inhaesisse.

Absit ut sententiam pronunciare velimus, attamen haec lectorum iudicio subiicimus.

1. Legem a Pio VII, Leone XII, et Pio IX latam de denunciandis iis qui sectae masonicae etc. nomen dederint esse generalem, nullamque distinctionem aut limitationem facere.

2. Nullam adesse legem specialem, qua propinqui dispensentur a denunciandis propinquis in quocumque gradu versentur; neque adesse in re communem Doctorum consensum, quo huiusmodi a praedicta denunciatione dispensentur.

3. Doctores qui mitiorem sententiam defendunt, excipere casum vel periculum damni communis, ita ut si hoc adsit, denunciationis onus cunctos obliget.

4. Certum est, periculum damni communis numquam separandum a sectis masonicis, nisi hic et nunc, saltem in fine sibi ab iisdem praestituto.

5. Eiusmodi damni communis periculum sectis masonicis inhaerere Romanos Pontifices statuisse, dum eas sectas masonicas aliasve eiusdem generis proscripserint, quae *contra Ecclesiam et legitimas potestates palam vel occulte machinantur.*

6. De facto diuturna atque infelicissima experientia constare, has sectas nefarium illum sibi praestituisse finem, eumque ad effectum deduxisse et continuo deducere.

7. S. Poenitentiariam a Pio VII et Leone XII impositum sectarios denunciandi onus eo sensu esse in-

terpretatam, ut nullus omnino a denunciatione sit eximendus.

8. In genere nullum esse dubium quin sectae sint contra bonum commune tum spirituale tum temporale.

9. At in casu particulari, nullum pariter dubium esse, quin possit abesse nedum damnum contra bonum commune si ex. gr. hic et nunc sectae nihil agere intendant, vel quia nolint, vel quia non possint, quamvis potentialiter eiusmodi periculum semper adsit, sed etiam contra bonum individuale.

10. Doctores autem qui propinquos exonerant a denunciandis propinquis usque ad quartum gradum excipere periculum damni communis.

11. Nomen dantes sectae masonicae non considerari in lege uti haereticos formales, sed uti de haeresi suspectos. Qua de causa praefatorum doctorum sententia cum S. Poenitentiariae instructione conciliari hoc modo potest: cum in genere sectae habendae sint veluti machinantes contra bonum commune, hinc in genere sectarii sunt a quibuscumque semper denunciandi, nisi aliud obstet; sunt pariter denunciandi sine ulla exceptione sectarii etiam propinqui si poenitenti constet, machinamenta contra Ecclesiam vel legitimas potestates velle eos quam cito ad effectum deducere; idque nisi ex lege ecclesiastica quae cum gravi incommodo non obligat, certe ex iure naturali. At cum in casibus particularibus et individuis eiusmodi pericula contra bonum commune vel absint hic et nunc, vel valde remota sint, sectarii autem non considerentur uti haeretici formales sed tantummodo ut suspecti de haeresi; propinqui, ob rationes a S. Alphonso adductas, possunt dispensari a denunciandis propinquis usque ad quartum gradum.

Id autem irrationabiliter defendi non videmus; in casibus enim particularibus posset deficere ratio, qua denunciatio imposita fuit, periculum scilicet damni communis, et particularis; posset etiam detegi, poenitentem nullum negare fidei articulum, prout constat praesertim de Fenianis, quorum plurimi intenti ad liberandam Hiberniam Anglorum iugo, quoad fidem credunt quod credit S. Mater Ecclesia, et prout etiam constat ex Resp. ad Dubium IX S. Poenitentiariae anni 1821; at deficiente ratione legis ipsa lex cessat.

Pariter absolvendum propinquum dicimus, nec cogendum ad denunciandos propinquos, si ipse nesciat an secta hic et nunc aliquod machinamentum sive contra ecclesiam, sive contra civilem potestatem ad effectum deducere velit; hinc enim incertum est an subsistat ratio denunciandi, illinc certum est subsistere grave denunciantis incommodum. 2. Esse denuntiandos illos quoque, de quorum emendatione aliunde constat, ut ex cit.

S. Poenitentiaeriae responsione, in qua ad quaesitum IX. « An denuntiandi sint illi, de quorum emendatione constat et quod confessionem instituerint? » Respondit: » Ad IX. Etsi fortasse non omnes » carbonarii pro haereticis haberi possint; omnes tamen, etiamsi resipuerint, denuntiari debere ex ea ratione, quae superius in responsione ad VI indicata est. »

Sequendam hinc non esse illorum sententiam qui affirmant, obligationem denunciandi cessare si constet denunciandum suis erroribus nuntium misisse. Addendum, in lege praecipi, denunciandos eos omnes esse qui sectis masonicis etc. nomen dederint; at certum est, eiusmodi, quamvis resipuerint, sectis masonicis nomen dedisse.

3. Ad eiusmodi denunciationem teneri nedum eos qui ex propria scientia, sed etiam qui ex testibus fide dignis notitiam facti acceperint, ut ex cit. S. Poenitentiariae documento constat. A testibus inquam, fide dignis, non ex vago vulgi rumore, suspicionibus, vocibus mulierculorum, atque malevolorum hominum ad onus denunciationis enim imponendum requiritur aliqua certitudo de veritate facti; haec autem exurgit ex testimonio hominum fide dignorum (1). Caveant insuper Confessarii ne ad denunciandum illos cogant, quibus res revelata fuit consilii petendi causa. Hi enim iure naturali ad secretum servandum tenentur (2).

Verum hoc in loco quaeres: An is, qui per se denunciare non potest, teneatur denunciare per alium, vel per epistolam? etc.

Et quidem auctores inter se discrepant. Lucius Ferraris in sua Bibliotheca Canonica V. *denunciatio quoad delicta* affirmat, legitime impeditum non teneri per alium denunciationem facere. « Legitime im» peditus, durante impedimento, » non tenetur denunciare per alium, » quia obligatio denunciandi est per» sonalis. Immo si cum primo ha» bet notitiam delicti denunciandi » adest legitimum impedimentum » ad denunciandum per semetipsum, » tum, durante tali legitimo impe» dimento, potest a quolibet sim» plici Confessario absolvi cum fir» ma promissione denunciandi, im» pedimento cessante. Tum enim

(1) Ita etiam S. Alphonsus *Theolog. mor. lib. IV. Cap. III, n. 254:* « Bene » hic advertunt (Salmanticenses), minime esse denunciandum illum, de quo habeatur » suspicio ex levibus indiciis, v. gr. si audias crimen alicuius a testibus parum » fide dignis. Advertunt 2° quod ut sit obligatio ad aliquem denunciandum, requi» ritur, ut ille sit haereticus proprius et pertinax, non vero si nimirum per igno» rantiam, metum, incuriam, lapsum linguae protulerit iniuriam (fortasse haeresim).

(2) Prout etiam ex S. Thoma docet S. Alphonsus *Theolog. moral. Lib. IV. Cap. III, n. 248:* « Notandum..... quod qui delictum sub secreti sigillo noverit, » ut remedium aut consilium poenitenti praeberet, numquam tenetur illud denun» ciare, quia ius positivum non potest iuri naturae derogare. »

» non habetur reservatio, nec de» lictum non denunciando (*excom*» *municatio incurritur*), cum ad » impossibilia nemo obligetur. » Ita vero etiam alios sentire novimus.

At quidquid sit de eiusmodi sententia speculative considerata, certum est, eam adversari decretis latis a suprema Inquisitione die 20 Februarii 1867, in qua quamvis affirmetur.« Denunciationis onus est » personale, et ab ipsa persona sol» licitata adimplendum » tamen paullo post subditur: « Verum si gra» vissimis difficultatibus impediatur, » quominus hoc perficere ipsa pos» sit, tunc vel per se, vel per epi» stolam, vel per aliam personam » sibi benevisam, suum adeat Or» dinarium, vel Sanctam Sedem per » Sacram Poenitentiariam, vel etiam » per hanc Supremam Inquisitio» nem, expositis omnibus circum» stantiis, et deinde se gerat iuxta » instructionem, quam erit acce» ptura. »

Si igitur sollicitantes, qui habentur in Pontificiis Constitutionibus suspecti de haeresi, prout nomen dantes sectae Masonicae, per nuntium, et etiam per epistolam denuntiari praecipiuntur, quo argumento probabimus, non esse iisdem mediis denunciandos sectarios, cum praesertim haec lex in quantum respicit executionem denunciationis sit favorabilis? Expeditius enim et facilius reddit denunciationis onus.

Verum, cum in Constitutione Piana praecipiantur denunciari duces et coryphaei occulti, inutilis haec praeceptio videri alicui poterit, sicut alicui visa est, eo quod sectarum Praesides ducesque non amplius occulti, sed manifesti, omnibuscumque sint cogniti; ad opus autem inutile neminem teneri.

Quaestio eiusmodi proposita fuit ab Episcopo in locis Missionum degenti, atque suprema S. Officii Congregatio in instructione diei 1 Februarii anni 1871 huiuscemodi illam diremit: « In quinto dubio non » satis te intelligere indicas, cur in » Const. *Apostolicae Sedis* sub nu» mero quarto excommunicationum » latae sententiae R. Pontifici reser» vatarum, ea quoque recensetur, » quae est contra *non denuncian*» *tes occultos coryphaeos ac du*» *ces sectae Masonicae aut Car*» *bonariae aliarumve eiusdem ge*» *neris sectarum, quae contra Ec*» *clesiam vel legitimas potestates* » *seu palam seu clandestine ma*» *chinantur*, eaque dubii ratio a » te proponitur, quod *nomina prae*» *sidentium, et membra cuiusque* » *Logiae publice typis dentur*. Sed » ne in re tam gravi, quaeque tanti » interest incolumitatis Ecclesiae, » salutis animarum, publicaeque » tranquillitatis, quempiam indor» mire sinas, persuadere tibi debes, » non sine gravissimis causis R. Pon» tificem, e sua specula ex qua » totam Ecclesiam omnesque simul » circumstantias circumspicit, ex» communicationem illam iam pri-

» dem latam multo mitioribus ter-
» minis cohibitam retinuisse. Quam-
» quam haud difficile cuique erit ali-
» quam per se causam videre in-
» iunctae denunciationis, licet, ut
» ais, *praesidentium et membrorum*
» nomina saltem in secta Masonica
» et Carbonaria *publice typis dentur*.
» Ceteris enim praetermissis, quis
» sane dicere aut nosse valeat, u-
» trum qui in publicis ephemeridi-
» bus apparent specie tantum ac
» nomine tenus coryphaei ac duces
» sint, veri autem machinationum
» artifices directoresque delitescant?
» Aut quis etiam divinet, utrum
» perpetuo et constanter ducum
» nomina evulgare velint? »

Eiusmodi autem ratio summae sapientiae nititur. Sectae enim malitia diabolica ducuntur.

Attamen, stante praefato Supremae Inquisitionis decreto, quis inquirere posset: quid si qui occulti coryphaei et duces deprehenduntur reapse sint illi qui in publicis ephemeridibus divulgati sunt?

Profecto hoc in casu ad illos denunciandos fideles non tenentur: hinc enim in Constitutione Piana praecipiuntur denunciari duces ac coryphaei occulti, hi autem in hypothesi sunt manifesti, illinc in instructione S. Officii ideo praecipiuntur denunciari, quia contingere potest ut illi quorum nomina in publicis ephemeridibus evulgantur, non sint machinationum artifices et directores: at in hypothesi constaret de personarum identitate, ideoque ratio in Instructione allata non subsisteret.

Relata igitur Supremae instructio tum tantummodo vim habet cum coryphaei ac duces revelantur, quorum nomina in publicis ephemeridibus divulgata non sunt, vel alii sunt prorsus ac illi quorum fuere divulgata nomina. Id patet etiam ex scopo petitae Instructionis: ideo enim quaesita fuit, quia supervacanea lata excommunicatio ob praetermissam denunciationem censeretur, cum nomina praesidentium sectarum masonicarum publice typis darentur; ex quo consequebatur, nullo fere pacto esse interrogandos sive sectarios poenitentes, sive fideles quoscumque qui sectarios noverint, de sectarum praesidibus, et directoribus, eo quod horum nomina publice cognoscantur; quo in casu lex Piana reddebatur inutilis; et ideo huic negligentiae Suprema S. Officii Congregatio per relatam Instructionem sapienter occurrit. At cuique patet, eam locum non habere, neque rationi alicui niti in hypothesi, qua qui occulti Sectarum duces revelantur ii sint prorsus quorum nomina publice typis data sunt: essent enim duces ac coryphaei manifesti; Piana autem Constitutio praecipit duces ac coryphaeos occultos denunciari, neque Congregationum praecepta Pontificiis mandatis Constitutionibusque praecellunt. (1)

(1) Pro Confessariorum Instructione ex cl. Avanzini *De Constitutione*, etc. *pag. 36, not. 26*, haec addimus: « Ad obligationem praeterea quod attinet denun-

Ex eadem S. Officii Instructione, tum ex subiectis s. Poenitentiariae facultatibus nullimode ambigere possumus, cuinam sint faciendae denunciationes. Haec enim dicit faciendas esse aut *Ordinario loci, aut aliis ad quos* spectat. Illa autem ita prosequitur: « Cui vero sint faciendae manifestum quoque est, » nimirum ei qui pro pastorali offi» cio vigilare et cavere debet, ne o» ves sibi concreditae in lupos incur» rant, neve peste inficiantur: cuius» modi est, quicumque episcopale, » vel quasi episcopale munus in Mis» sionibus gerit, Vicarius videlicet, » vel Praefectus Apostolicus, vel ab » eis ad hunc effectum delegatus. »

Confessarii quapropter, ad quos tales accedere contigerit, si ad recipiendas denunciationes eiusmodi sint delegati, poterunt ipsimet eas recipere; sin minus ad Episcopum, vel eius Vicarium generalem, aut ad habentes facultates remittant, observentque particulares leges quae aliquando in locis vigent.

Caveant autem ne poenitentes ex lata lege cogant ad denunciationem faciendam apud Curiam saecularem, (dummodo non adsit aliquod imminens periculum boni communis, quod impediri nisi per denunciationem immediatam non possit; hoc enim in casu iure naturali quemquam teneri fatemur:)

» ciandi occultos coryphaeos et duces, quae sub censura reservata Rom. Pontifici » iniungitur, in peculiaribus facultatibus, quae Confessariis conceduntur per » S. Poenitentiariam in pagella qua facultates satis amplae Confessariis tribuun» tur, haec habentur in paragrapho VII: Absolvendi a censuris et poenis ecclesias» ticis eos, qui sectis vetitis Masonicis aut Carbonariis, aliisque similibus nomen » dederunt, aut favorem praestiterunt, ita tamen, ut a respectiva secta omnino se » separent atque abiurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si » quae retineant, in tuas manus tradant, ad Ordinarium quamprimum caute trans» mittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda, » iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia Sacra» mentalis Confessionis aliisque iniunctis de iure iniungendis: nec non absolvendi » eos, qui eiusmodi sectarum duces et magistros occultos denunciare *culpabiliter* » neglexerint, iniuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub re» incidentia, eosdem Ordinario loci vel aliis ad quos spectat, prout de iure de» nunciandi. »

Qua de causa quatuor Confessarius ab eiusmodi poenitente exigere debet:

1.° Ut a respectiva secta omnino se separet.

2.° Ut sibi tradat, vel ad Episcopum transmittat libros, manuscripta, signa, sectam respicientia: aut si graves id prohibeant causae, omnia incendio comburat.

3.° Ut ei imponat pro modo culparum salutarem poenitentiam, quae praecipue consistat in frequentia sacramentalis Confessionis.

4.° Ut denunciet duces ac coryphaeos sectae, si quos noverit.

5.° Si autem de eo agatur qui culpabiliter denunciare omiserit, iniungat salutarem poenitentiam, eumque moneat coryphaeos et duces occultos sub poena reincidentiae, denunciare. Qua in denunciatione illa Confessarius advertat; quae nos supra monuimus.

nam lex obligat denunciationem apud praesules ecclesiasticos, non apud saeculares praesides.

Cum autem eiusmodi denunciatio fieri possit vel personaliter, vel per personam benevisam, vel per epistolam, ut in cit. S. Officii instructione continetur, hinc si personaliter denunciator compareat, vel per personam benevisam, stabit Episcopi, Inquisitoris aut delegati mandatis et interrogationibus; si autem per epistolam denunciationem perficiat, sciat nullo pacto attendi denunciationes anonimas, sed eas continere debere nomen, cognomen, patriam, et subscriptionem denunciantis: quae ni poenitens velit complere, absolvendus non est. « Denunciationes, inquit Ferraris *V. denunciatio* quoad delicta, debent fieri in scriptis cum expressione nominis et cognominis denunciantis, et subscriptione illius si scit scribere, et non denuncians hoc modo non potest absolvi. Unde non sufficit denunciare schedulis aut epistolis sine nomine aut cognomine auctoris, aut aliis modis incertis, de quibus nullatenus curatur in Tribunali S. Officii, ut patet ex verbis edicti relati supra, » id est edicti a Suprema Inquisitione lati die 10 Martii anni 1677, cuius verba in nota subiicimus (1).

At in excutiendis iis qui denunciare neglexerunt, haec oportet advertamus: 1 in Piano Capite nullum assignari temporis terminum, quo implenda sit denunciatio. 2 In Facultatibus citatis S. Poenitentiariae affirmari, huius denunciationis omissionem debere, ut par est, esse culpabilem. 3 in Decretis a Suprema Inquisitione latis circa haereticos vel sollicitantes Confessarios denunciandos assignari terminum 30 dierum. Quid ergo? dicemus ne, non denunciantes coryphaeos et duces occultos praesentem excommunicationem incurrere, ni infra triginta dies eos denuncient, quaecumque demum sit causa, qua denunciare prohibentur? Veremur, ne eiusmodi sententia de nimio rigore in aliquibus casibus possit redargui. Dicimus itaque, ordinarie loquendo, praesentem excommunicationem incurri, nisi infra triginta

(1) « Inoltre si dichiara che quelli, i quali non dinuncieranno, come si ordina col presente editto, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che avranno in esso giuridicamente rivelato i delinquenti; al che non possono soddisfare con bollettini, o lettere senza nome e cognome dell'Autore, o altri inodi incerti, dei quali non si tiene conto alcuno nel santo Tribunale. »

Verum ad eiusmodi denunciationes accipiendas a suprema Inquisitione apposita schemata edita sunt, quibus recipientes denunciationes sese conformare apprime debent: Quae anno 1867 evulgata fuit pro recipiendis denunciationibus contra *sollicitantes ad turpia*, normam porrigit quarumcumque denunciationum recipiendarum. Eam dabimus, cum exposuerimus Caput IV. excommunicationum nemini reservatarum.

dies ab accepta cognitione denunciandorum denunciatio fiat. At excusandos esse denunciantes existimamus, si gravissimis de causis id sine vel gravi periculo, vel maximo incommodo perficere infra praefinitum tempus triginta dierum non possint: hinc enim lex ecclesiastica cum gravi incommodo non obbligat, illinc omnes norunt, quanta severitate, praesertim contra eos qui sectae nomen dederunt, sectarii agant; mortis illico eos damnant. Qua de causa putaremus, hisce in casibus, etiam non denunciantes, infra triginta dies excommunicationis reos non esse iudicandos, sed eis tempus opportunum concedendum esse, quo sine periculo denunciationem perficere valeant. Non enim putandus est legislator, voluisse gravissimis periculis denunciantes lata lege exponere, et intempestiva severitate bono quod sibi per illam obligationem praestituit, sese privare; at manifestum est, aliquando tales intercedere circumstantias, pro sectariis praesertim, quae tempore non adeo brevi perdurent, quaeque ni vel cessent, vel prudentissime amoveantur, denunciatores gravissimis periculis sese denunciando obiiciant, quocumque demum medio denunciationem perficiant. Confessarii itaque rationibus, causis, et circumstantiis auditis, excommunicationis ne illico eos damnent, qui vel infra triginta dies non denunciarunt sectarum duces nec coryphaeos occultos, vel denunciare non possunt; sed omnia accurate perpendentes, iudicent in numero, pondere, et mensura.

Neque id alienum ab Ecclesiae intentione pronuntient. Etenim in Instructione lata a Suprema Inquisitione an. 1867 circa denunciationem sollicitantium ad turpia n. 5. legimus: « Poenitentes admoniti et » omnino renuentes nequeunt absol» vi, qui vero ob iustam causam de» nunciationem differre debent, » eamque quo citius poterunt fa» ciendam spondent, serioque pro» mittunt, possunt absolvi.» At nomen dantes sectae masonicae gravioribus fortasse premuntur difficultatibus in denunciatione adimplenda quam sollicitantes.

Indubium autem esse putamus, ut qui excommunicationem ob dilationem denuntiationis contraxerunt, ea quocumque demum tempore peracta, a quolibet Confessario possint absolvi; id enim patet nedum ex natura legis, quae cum sit favorabilis, amplissimo est sensu interpretanda, sed etiam quia cum ad S. Poenitentiariam anno 1832 delatum sequens dubium fuerit: «An » qui non denunciavit infra men» sem haereticum, possit, denuncia » tione secuta, a quolibet absolvi? » Respondit: Facta denunciatione, » licet post tempus ab ecclesiastica » lege praescriptum, cessare reser» vationem, et casum cum adnexa » censura absolvi posse a quolibet » confessario.» At si id de haereticis proprie dictis sancitum est, multo

magis de dantibus nomen sectis Masonicis qui ut suspecti de haeresi tantummodo habentur.

Coronidis gratia subnectere putamus Declarationem, quam, die 8. Novembris 1821 S. Poenitentiaria dedit Archiepiscopo et Episcopis Neapolitanis, qui haec exposuerant.

Archiepiscopus Neapolitanus cum aliis Episcopis Regni Sanctitatis Vestrae iudicio submittunt responsa (1) quae sequentibus porrexere propositis occasione promulgationis Constitutionis *Ecclesiam* a Pio Papa VII latae contra Societates Secretas die 13 Novembris 1821.

Dub. I. Cuiusdam naturae vel indolis Sactissimus in hac Constitutione censuit esse Carbonariorum sectam?

II. Ex qua die praefata Constitutio obligare incipiat?

III. An illi qui hanc censuram incurrerunt frui possint beneficio Bullae Cruciatae?

IV. An Carbonarii antiqui, sed qui ad Ecclesiam redierunt post promulgationem praesentis Constitutionis frui possint beneficio anteactarum facultatum?

V. An ille qui ficte ad Carbonarios accedit, ut eorum machinamenta detegat, aliisque deinde prosit, hanc excommunicationem incurrat?

VI. Quae requiratur scientia ut quis ad denunciandum teneatur?

VII. An filius debeat denunciare patrem, sororem, fratrem, et vicissim?

VIII. An Iudex laicus qui in instruendis processibus aliquem detegit esse Carbonarium, ad illum denunciandum teneatur?

IX. An denunciandi sint illi, de quorum emendatione constet, quique Sacramenta receperunt?

S. Poenitentiaria, iubente SS. D. N. Pio divina providentia Papa VII... de singulis quaestionibus ita iudicat:

Ad 1. Nihil impedire quominus existimetur, sectam Carbonariam declaratam fuisse temerariam et haereticam a SS. D. Nostro, qui tamen ab his appellationibus abstinuit; sed inde non sequi omnes, qui sectae illi nomen dant, esse haereticos. Nam cum iis praesertim qui in primo gradu *degli apprendisti* versantur, sectae errores callide occultentur, evenit fortasse non raro, ut ii nullam haeresim profiteantur.

Ad 2. Per Constitutionis promulgationem, quae Idibus Septembris Romae evenit, eam adeptam esse Legis dignitatem et vim obligandi. Ut vero singuli ea obligentur, necessariam esse eiusdem notitiam, quae qualis esse debeat, poterit ex iis intelligi, quae Theologi et Canonistae docti ac probati disserunt.

Ad 3. Posse Carbonarios, si nullam haeresim exterius professi sunt, vi Bullae Cruciatae ab excommuni-

(1) Responsa praetermittimus.

catione absolvi, quae in eos in Const. *Ecclesiam a Iesu Christo* lata est.

Ad 4. Si post Constitutionis publicationem et acquisitam illius notitiam, quae satis est obligationi inducendae, veteres Carbonarii in secta perseverarunt, aut aliquo ex iis criminibus se inquinaverunt, quae § *Quocirca*, commemorantur, excommunicationem in Constitutione latam incurrisse, a qua absolvi nequeunt ex facultatibus quae antea Episcopis ad Carbonarios absolvendos a S. Poenitentiaria concessae fuerant.

Ad 5. Eum qui ficte ad Conventus Carbonarios accedit, et eorum caeremoniis interest, excommunicationem incurrere.

Ad 6. Obligationem in Constitutione impositam de Carbonariis denunciandis, eadem ratione esse interpretandam, qua leges ecclesiasticae, quibus haereticorum denunciatio praecipitur, quoniam utramque denunciationem publicum Ecclesiae bonum postulat. Itaque cogi ad carbonarios denunciandos non modo eum qui ex propria scientia, vel eorumdem Carbonariorum confessione non sacramentali noverit, eos ad sectam illam pertinere; sed etiam eum qui id a relatoribus fide dignis acceperit.

Ad 7. Ex eadem quae in responsione superiori indicata est ratione, cum de Carbonariis agitur, a filio patrem, a sorore fratrem germanum et vicissim debere denunciari.

Ad 8. Iudicem laicum teneri ad denunciandum Episcopo hominem, quem ex actis quaestionis a se habitae cognoverit Carbonarium esse.

Ad 9. Etsi fortasse non omnes Carbonarii pro haereticis haberi possint, omnes tamen, etiamsi resipuerint, denunciari debere ex ea ratione, quae superius in responsione ad 6. indicata est.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 8 novembris 1821.

I. B. BUSSI S. P. REGENS.

I. PIO *S. Poenitentiariae Secret.*

APPENDIX XIX.

De excommunicatione lata in eos qui immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubent, aut violant.

Immunitates ecclesiasticae iam ubique locorum et gentium, quibus christiana veritas illuxit, olim receptae, modo sive incuria, sive potestatum civilium praepotentia despiciuntur ac violantur; quodque gravius videri poterit, spe fere deiicimur eas recuperandi, cum Principes saeculares aut Ecclesiae deprehenduntur infesti, aut ad illam defendendam impotentes. In publico autem iure et in ipso ordine sociali, novum per summum nefas invectum approbatumque est principium, quo fit ut laica potestas, quidquid ad ecclesiasticam iurisdictionem in relatione praesertim ad res civiles pertinet, sibi arroget, (1) et Ecclesia habeatur veluti quaecumque alia societas, quae communi tantum iure regatur, hominesque Ecclesiae ut ceteri homines, milites, artifices etc. tractentur, nullo facto discrimine.

Aliena iura, Regumque potestatem invasit Ecclesia, inquiunt isti; quid ergo mirum si civilis potestas ea quae sibi competunt repetat? Quasi regibus potestatibusque civilibus tantum, et non Ecclesiae, Christus commiserit templorum tueri decorem, sacrorum ministrorum honori consulere, scandala removere et prohibere etc. vel quasi haec civili potestati iniuriam inferant, si ab Ecclesiae Praesulibus perficiantur!

Ecclesia hinc et Romani Pontifices iis semper obstitere, qui ad incongruum sensum trahentes nonnulla scripturarum Patrumque testimonia, affirmabant cedendum esse temporibus, sacrorum Canonum sanctiones moderandas, Regibusque obsequendum circa omnes ecclesiasticas immunitates, eo quod occasionem peccandi praeberent legum ecclesiasticarum violatoribus numero et potentia valde auctis; nullo pacto cogitantes non posse Ecclesiam iuribus suis renuntiare, quod plurimi filii sint contra matrem pugnantes, quamvis ea temperare possit, si tempus, si ratio, si opportunitas, si necessitas suadeant: ut non semel egisse novimus.

Eiusmodi argumenta certe sprevit Pius Papa IX, qui in praesenti capite V suae celeberrimae Constitutionis, ostendit, Ecclesiam num-

(1) Cf. propositiones damnatas in Syllabo, praesertim in §§ V. et VI.

quam iura sua amittere, quamvis hostes infensissimi illis eam privare praesumant, atque pleno iure excommunicatione sibi simpliciter reservata multavit *Omnes immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes, aut violantes.*

Igitur eiusmodi Caput expendentes; *immunitas* in genere *est exemptio ac libertas a munere et onere quo reliqua communitas premitur,* prout habetur in *l. qui ob hoc 1. ff. de iure immunit.* Unde ecclesiastica immunitas definitur: *ius quo loca, res vel personae ecclesiasticae a communi onere seu obligatione liberae sunt ac exemptae.*

Triplex igitur est immunitas ecclesiastica; *personalis, realis, et localis.*

Personalis est quae personis ipsis competit, et versatur circa ea quae corporis labore, animi sollicitudine ac vigilantia perficiuntur; ut *tutela, curatela, portarum vel murorum custodia et defensio.*

Realis competit rebus quae ad personas vel loca ecclesiastica pertinent, easque a tributorum, vectigalium, et similium onerum pensitatione liberat.

Localis Ecclesias et alia loca sacra aut religiosa concernit, et in reverentiam illorum certas actiones fieri in iisdem prohibet.

Ex lectione relati Capitis patet, Pium Papam IX loqui dumtaxat de immunitate locali, et quidem de ea immunitate quae ius asyli constituit, non vero de ea quae ob reverentiam locis sacris debitam, exercitium quorumdam profanorum actuum in iisdem prohibetur.

Nos igitur de hac tantummodo sermonem instituemus.

Ius asyli est praerogativa, qua in loca sacra confugientes gaudent, ut inde extrahi nequeant.

Gravissima inter doctores quaestio agitatur, a quo iure sit repetenda haec asyli immunitas, an a iure naturali, an positivo divino, vel humano. Optimum existimamus referre argumenta quibus utraque sententia innititur.

Itaque qui a divino iure asyli immunitatem repetunt, dicunt

1. In Tridentino Concilio sess. 25 de Reform. cap. 20 affirmari «Ec» clesiae et personarum ecclesiasti» carum immunitatem *Dei ordina» tione*, et canonicis sanctionibus » constitutam esse. »

2. In Cap. *Quamquam de Censibus in 6.* Bonifacium VIII decernere: « Cum igitur Ecclesiae ec» clesiasticaeque personae ac res » ipsarum non solum iure humano, » quin immo et divino a saecu» larium personarum exactionibus » sint immunes etc. » Si ergo a Romanis Pontificibus immunitas ecclesiastica personalis et realis ex iure quoque divino repetitur, eadem ni potiori ratione, repetenda est ex eo iure etiam asyli immunitas.

3. Quin et S. Augustinum sermone V de Dedicat. Ecclesiae affirmare, grandem et Deo et reli-

gioni iniuriam illum irrogare qui confugientem ad Ecclesiam vi extrahit. « Grandis iniuria religionis » et divinitatis offensa est, qualem- » cumque fugientem ad domum » Dei, a sacris liminibus, id est de » sinu matris evellere, et arcam » communis expugnare refugii. »

4. His adde, cultum Dei pertinere ad ius naturale; ergo etiam ius asyli quod locis sacris conceditur respectu ad cultus divini sanctitatem.

5. Quid? quod nisi immunitas haec a iure naturali constituta fuisset, in eamdem non potuissent conspirare tot, tam variarum nationum, et rerum primordio tam vicinae gentes?

6. Optime hinc Suaresium *in defens. catholicae fidei advers. Regem Angliae lib. 4. Cap. 8.* asserere, eiusmodi universali et constanti populorum in aliquam rem conspiratione ius naturale et divinum demonstrari. « Quando tradi- » tio est constans ac perpetua os- » tendere solet ius divinum, prae- » sertim cum non apparet ratio il- » lam tribuendi Apostolicae insti- » tutioni. Talis autem esse videtur im- » munitatis traditio; est nempe adeo » antiqua, ut nullum eius agnosca- » tur initium; nam pro temporum » opportunitate semper servata est, » praecipue vero post tempora chri- » stianorum Imperatorum. »

His autem non obstare quae leguntur lib. III. Reg. II. 31, Salomonem Regem scilicet praecepisse ut Ioab qui confugerat ad tabernaculum Domini, atque apprehenderat cornu altaris, ibi interficeretur: « Ascendit itaque Banaias filius Io- » iadae, et aggressus eum interfecit; » sepultusque est in domo sua in « deserto. » Iure enim id Salomon praecipere poterat, cum lege divina caveretur ne dolosi homicidae loci sacri immunitate gauderent: « Si quis per industriam occiderit » proximum suum, et per insidias, » ab altari meo evelles eum ut mo- » riatur. » Ex. XXI, 14. His autem sententiam expositam confirmari.

Nulla enim divina praeceptio requirebatur ad id perficiendum quod iure humano constitutum fuerat, vel iure humano perfici poterat.

His autem non obstantibus, videtur immunitas asyli nec ab iure naturali, nec ab iure positivo divino, sed humano derivasse.

Atque imprimis praestat argumenta referre, quibus utitur cl. Suaresius *de Religione* lib. III. cap. 8. nn. 9 et 10 ad rem huiusmodi demonstrandam.

« Breviter dicendum est, inquit, » hanc immunitatem non esse de » iure divino. Hoc patet quia vel » esset de iure divino naturali, vel » positivo; neutrum dici potest.

» *Probatur prior pars minoris,* » quia non est per se et intrinsece » malum malefactores de templo » extrahere per vim, quia cum hoc » non fiat formali et directa inten- » tione in contemptum vel irreveren-

» tiam templi, ut supponendum est, » ex vi solius operis et seclusa prohibitione positiva, non est irreverentia aut iniuria templi; unde » infra videbimus in casibus non » prohibitis hoc fieri posse sine irreverentia templi. Atque hoc est » signum in casibus prohibitis id » esse malum quia prohibitum est, » et non converso ideo esse prohibitum quia est per se malum. » Ratio autem a priori est, quia » actio illa per se iusta est et non » est indecens in tali loco, praesertim cum est necessaria. Nec » etiam ipse locus ex vi consecrationis suae habet peculiare ius ad » tuendum confugientes ad se, nisi » ei ab aliquo habente potestatem » concedatur; ex solo autem iure » naturae non invenitur principium » ex quo constet illi esse concessum. » Ad summum ergo dictat ratio naturalis esse consentaneum dignitati » illius loci ut hoc ei privilegium » concedatur . . . . »

« Quod autem hoc, ius positivum Divinum non sit proprie et » in rigore, probatur, quia vel est » divinum legis antiquae, vel legis » gratiae. Primum dici non potest: » primo quidem quia, esto fuisset » concessum a Deo antiquo Tabernaculo aut Templo, illud ius non » extenderetur ad Templa Christiana; tum quia sunt diversarum » rationum, et privilegium uni concessum non transfertur ad alia; » tam maxime quia illud ius pertinuisset ad caeremonialia legis veteris quae (1) in nova non habent » vim. Unde ex hoc capite erroneum esset dicere templa nostra » gaudere nunc hoc privilegio in » virtute et efficacia legis veteris, » quia hinc sequeretur legem illam » non esse mortuam quoad caeremonialia, cum tamen etiam mortifera sit. Addit praeterea Abulensis, antiquum templum non » habuisse hoc privilegium a Deo, » tum quia nullibi legitur in scripturis haec concessio; imo III. » *Reg.* II. legimus, Ioab iussu Salomonis occisum fuisse in sanctuario eo tempore quo Salomon creditur Deo placuisse, scilicet in » principio regni sui; unde factum » illud nullibi reprehenditur; tum » etiam quia in illo populo assignatae fuerunt a Deo aliae civitates » refugii quae sufficientes erant ad » tutelam confugientium; tum denique quia, cum templum illud » tantum esset unum non poterat » esse sufficiens pro refugio illius » populi totius; neque oportuit illud » addere ultra omnes civitates refugii, quia, cum omnes ad templum concurrerent gratia sacrificiorum, non oportebat illud gravari concursu delinquentium ad » ipsum, quos in eo diu morari » oportuisset, et ita non possent » non polluere templum illud, praesertim iuxta ritus illius legis.

(1) At in hoc capite discrepant Auctores, alii ius asyli relate ad templum repetentes a praeceptis moralibus, alii a caeremonialibus, alii a iudicialibus.

» Quae sententia, probabilis est. » Alii vero existimant templum Iudaeorum non caruisse hac immunitate; nam quod *Exod.* XXI dicitur : *constituam tibi locum in quem fugere debeas,* ratione templi dictum esse putant; nam statim subditur : *si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur.* Quae videtur esse exceptio a regula generali, nimirum ut, qui non per insidias sed per occasionem hominem occideret, et ad templum confugeret, ibi esset securus. Idemque servatum fuisse in aliis casibus, colligi potest ex *III Reg. I.* ubi Adonias timens Salomonem, in templum confugit, tanquam ad locum securum. Quod vero statim *cap. II* de Ioab refertur, ideo non fuit contra Immunitatem, quia Ioab homicidia *per insidias* commiserat. Atque ita res videtur incerta, quamvis non videatur improbabilis opinio Abulensis, quia si talis Immunitas fuisset templo concessa, expressius fuisset in lege declarata. — Altera vero pars de iure Divino positivo legis gratiae, facile probatur. Primo quia tale ius neque scriptum est, neque ab Apostolis traditum; nec enim talis traditio ex Patribus aut alia probabili via ostendi potest. Secundo, ex illo principio generali, quod Christus nullas leges caeremoniales Ecclesiae suae tribuit, praeter substantiales ritus sacrificii et sacramentorum; reliqua enim quae ad caeremonias et sacra pertinent, per suos Vicarios disponendas reliquit; inter haec autem computari potest haec Immunitas. Unde ipsamet templorum benedictio et consecratio ab Ecclesia instituta est; modus etiam huius Immunitatis, determinatio eius quoad loca, personas, delicta, effectus et alia huiusmodi, tota est de Ecclesiastico iure ut videbimus; ergo ipsa etiam Immunitas *proprie* et *immediate* sola est de iure eodem. Dico autem *proprie* et *immediate*, tum quia ius Canonicum solet interdum vocari Divinum ab Iurisperitis; haec autem immunitas proprie est de Iure Canonico, et ad illud spectat illam praecipere et instituere, et quia res spiritualis est et ad Religionem spectans; tum etiam quia *mediate* et *remote* potest dici haec Immunitas manare a Iure Divino, quia potestas ad illam instituendam, ab ipso Christo data est, et ipsamet Immunitas est valde consentanea generali voluntati ipsiusmet Christi, qua voluit omnia in Ecclesia sua ordinate disponi, et sancta sancte tractari. Atque his fortasse modis tractati sunt de iure Divino illi iuristae quos Abulensis allegat, dicit tamen illos praecipue fuisse fundatos in Immunitate Sanctuarii, et ideo fortasse vocarunt Divinum hoc ius per quamdam imitationem; quod etiam

» in iure non est inusitatum. Ta-
» men simpliciter etiam ipsi Iuri-
» ristae fatentur hanc Immunitatem
» esse de iure Ecclesiastico, ut con-
» stat ex Abb. et aliis in Cap. *In-*
» *ter alia.* » Hucusque Suarez.

His tam perspicue dictis, adde quod si iura asyli essent de iure Divino Naturali, nunquam potuissent nec adhuc possent mutari; quia iura naturalia semper firma et immutabilia permanent; nec potuissent ab aliquo, etiamsi Papa, minui aut dispensari; cum inferior in legem superioris nullam habeat potestatem: (*Clem. Ne Romani de Elect.*) Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, quia consuetudo contra ius Divinum nihil valet, *c. fin. de Consuetud.* Atqui, ius Asyli per Pontifices fuit immutatum, quoad certa crimina et personas restrictum ac limitatum, ut patet ex Cap. *Inter alia*; fuit insuper eidem variis in locis consuetudine derogatum, id affirmantibus Barbosa lib. 2. I. E. U. cap. 20. n. 82, Layman lib. IV, tract. IX, cap. 3. n. 2, et aliis. Ergo etc.

His accedit Caput *Inter alia*, ubi Pontifex vult, in materia asyli procedendum ac distinguendum esse *iuxta sacrorum statuta Canonum, et traditiones legum civilium;* consequenter non iuxta ius divinum, aut naturale.

Quid? quod ex variis iuris Canonici textibus probare possumus, immunitatem asyli iure ecclesiastico constitutam esse? Atque in re apertissimus est Canon *Id constituimus* 36 *caus. 17 quaest. 4.* ex Concilio Aurelianensi 1. can. 3; qui ita se habet. « Id constituimus observandum quod ecclesiastici canones » decreverunt, et lex Romana con-
» stituit, ut ab Ecclesiae atriis, vel
» domo Episcopi reos abstrahere
» omnino non liceat. »

Neque minoris auctoritatis est Canon *Sicut antiquitus,* in quo a Nicolao II. Rom. Pontifice statuta sunt immunitatis confinia tam pro maioribus, quam pro minoribus Ecclesiis iuxta sanctorum Patrum decreta: « Sicut antiquitus a Sanctis
» Patribus statutum est, statuimus
» ut maior Ecclesia per circuitum
» quadraginta passus habeat, capel-
» lae vero vel minores Ecclesiae
» triginta. Qui autem confinia earum
» confrigere tentaverit, aut perso-
» nam hominis vel bona eius inde
» subtraxerit, nisi publicus latro
» fuerit, quosque emendet, et quod
» rapuerit reddat, excommunice-
» tur. » (1)

(1) Idipsum probatur ex Can. *Reum* IX. Caus. XVII. Q. IV, qui canon desumptus est ex can. 39 Concilii Moguntini an. 813 celebrati: « Reum ad Ecclesiam
» confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad poenam vel ad mor-
» tem, ut honor Dei et sanctorum eius conservetur, sed rectores Ecclesiarum pacem
» et vitam ac membra eius obtinere studeant; tamen legitime componat quod ini-
» que fecit. »

Quid autem est ut Romani Pontificis atque Conciliorum Patres in citatis, aliisque canonibus asyli immunitatem ex iure ecclesiastico repetierint, vel ad ius divinum aliquoties retulerint non explicitae legis cognitione, sed causa convenientiae, reverentiae et respectus locis sacris debiti, uti quae sint loca Deo dicata, et in quibus sacra mysteria perficiuntur, si a iure divino vel naturali illud repetendum esse novissent? Nonne eiusmodi iuri vulnus quodammodo inflixissent, dum divinam auctoritatem, cui innitebatur, silentio praeteriissent? et e contra alia in capita quae sacris literis tueri potuere, Scripturarum vel divinae traditionis argumentis communierunt? Ad argumenta quapropter quibus contraria sententia innititur, respondendum esse videtur.

Ad 1. non deesse plures auctores qui putent, Concilii Tridentini Patres non de locali immunitate in testimonio citato locutos fuisse, sed de personali et reali; quibus subscribendum esse videtur, tum ex titulo Capitis qui inscribitur: *Quae sunt iuris ecclesiastici principibus saecularibus commendantur,* tum ex universo propemodum Capite, quod ita legitur: « Cupiens Sancta Synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartum tectum a quibuscumque impedimentis conservari, praeter ea quae de ecclesiasticis personis constituit, saeculares quoque principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit, ius suum Ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, Parochos et superiores ordines reverentiam revocaturos, nec permissuros ut Officiales aut inferiores magistratus, Ecclesiae (1) et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed una cum ipsis Principibus debitam *sacris summorum Pontificum et Conciliorum Constitutionibus* observantiam praestent.

Atque praetermittimus Cap. *Miror,* Cap. *Frater et Coepiscopus.* Cap. *Siquis contumax.* etc. in quibus nihil unquam habetur quod ab iure divino vel naturali asyli immunitas repeti possit; sicut et Capita cetera, quibus approbatae et confirmatae fuerunt leges civiles his Canonibus consonae, quaeque prostant in toto Tit. 6. *de his qui ad Ecclesiam confugiunt, et auth. de mandatis Principum § Neque autem homicidis.* Coll. 3.

(1) Nonnulli vocabulum *Ecclesiae* ita interpretantur ac templum, quo statuant Tridentinos Patres ius asyli quoad templa ex Dei ordinatione repetiisse. At nobis eiusmodi interpretatio non adeo clara et certa videtur.

» Decernit itaque et praecipit, sacros » canones et Concilia generalia » omnia, nec non alias apostolicas » sanctiones in favorem ecclesiasti- » carum personarum, libertatis ec- » clesiasticae, et contra eius viola- » tores editas, quae omnia praesenti » etiam decreto innovat, exacte ab » omnibus observari debere. Pro- » ptereaque admonet Imperatorem, » Reges, Respublicas, principes et » omnes et singulos cuiuscumque » status et dignitatis extiterint, ut » quo largius bonis temporalibus » atque in alios potestate sunt or- » nati, eo sanctius quae *ecclesiastici* » *iuris sunt* tanquam Dei praecepta, » eiusque patrocinio tecta vene- » rentur, nec ab ullis baronibus, » domicellis, rectoribus, aliisve do- » minis temporalibus seu magistra- » tibus, maximeque ministris ipso- » rum principum laedi patiantur, sed » severe in eos qui illius libertatem, » immunitatem atque iurisdictionem » impediunt animadvertant. »

Quid autem in hoc capite est, ex quo deduci possit, Tridentinos Patres ad ius divinum asyli immunitatem revocasse? Nihil profecto. Qua de causa citata in difficultate verba id unum significant, immunitatem scilicet localem ad imitationem veteris legis in lege quoque nova canonicis sanctionibus constitutam esse; id autem Dei quodam instinctu, et ab eo potestate accepta.

Ad 2. Manifestum autem esse putamus, ex Bonifacii VIII verbis nullum contra nostram sententiam deduci posse argumentum, cum illud legenti pateat, cum loqui non de locali, sed de personali ac reali immunitate a censibus ac exactionibus.

Ad 3. Magna illa religionis iniuria ac divinitatis offensa, de quibus S. Augustinus, non profluit ex quo praeceptum aliquod divinum violetur violatione ecclesiasticae immunitatis, sed ex canonum et constitutionum ecclesiasticarum spretu; Deus enim ipse Ecclesiam suam instituit, ut ei praecipienti debita obedientia praestetur. Qui vos audit me audit qui vos spernit me spernit Luc. X, 16. neque alios superiores iudices posuit qui leges Ecclesiae moderari deberent.

Ecclesia enim independens est a quacumque civili potestate.

Ad 4. Quamvis concedamus, iure divino naturali praeceptum esse et Deum colendum, et locis sacris reverentiam exhibendam, tamen ex hoc legitime non inferri ius asyli, ex iure naturali vel divino. Etenim extractio rei ex locis sacris ut debitas poenas persolvat, quantum ex se est, nec contra divinum cultum, nec contra reverentiam loco sacro debitam aliquid dicit.

Ad 5. Cum admodum consentaneum sit loci sacri dignitati, ut ei hoc privilegium concedatur, ob eiusmodi convenientiam pleraeque gentes asyli immunitatem ex naturae instinctu induxerunt; at non semper

est praeceptum iuris naturalis quod natura valde conveniens esse dictat. Respectus demum divinitati debitus omnibus populis reverentiam locis sacris inspirare potuit debuitque.

Ad 6. Verba Suaresii eo esse sensu accipienda, ut personarum non locorum immunitatem adstruant. Secus tantus auctor iis aperte contradiceret quae ex eius testimonio supra retulimus.

Allata autem obiectio quacumque caret efficacia et robore. Templum enim Hierosolymitanum ex lege mosaica iure immunitatis gavisum nec ne sit, hoc unum certum videtur, quod dictum legis praeceptum, si tamen adfuit, ex illis fuit quae renovata per adventum Christi non probantur, et fortasse iudiciale fuit: *Translato* autem *Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Hebr. VIII. 13, et habetur in Cap. *Translato de Constitutionibus;* quod latissime adnotavit etiam S. Thomas 1-2. quaest. 104. art. 3. (1). Ex illo igitur praecepto, dato quod extiterit, dicenda non est localis immunitas ex iure divino nunc dimanare.

Attamen cum doctissimo Reifenstuel. *Ius Can. Tit. 49, lib. 3. Decret.* § 2. n. 25. advertimus, quod licet sententia nostra communior atque probabilior sit, contraria tamen non est omnino improbabilis.

Quamvis autem locorum sacrorum immunitas ex iure nec divino, nec naturali dimanet, nullo tamen pacto est illorum sententia admittenda qui dicunt: « Ecclesiae et

(1) Dicendum quod iudicialia praecepta non habuerunt perpetuam obbligationem, sed sunt evacuata per adventum Christi, aliter tamen quam coeremonialia; nam caeremonialia adeo sunt evacuata, ut non solum sint *mortua*, sed etiam *mortifera* observantibus post Christum, maxime post Evangelium divulgatum. Praecepta autem iudicialia sunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi, non tamen sunt mortifera, quia si quis princeps ordinaret in regno suo illa iudicialia observari, non peccaret, nisi forte hoc modo observarentur, vel observari mandarentur tamquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione; talis enim intentio observandi esset mortifera. Et huius differentiae ratio potest accipi ex praemissis art. praec. Dictum est enim quod praecepta caeremonialia sunt figuralia primo et per se, tamquam instituta principaliter ad figuranda Christi mysteria ut futura, et ideo ipsa observatio eorum praeiudicat fidei veritati, secundum quam confitemur illa mysteria iam esse completa. Praecepta autem iudicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi qui ordinabatur ad Christum; et ideo, mutato statu illius populi, Christo iam veniente, iudicialia praecepta obligationem amiserunt; lex enim fuit pedagogus ducens ad Christum, ut dicitur ad Galat. III.

Quia tamen huiusmodi iudicialia praecepta non ordinantur ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ipsa eorum observatio absolute non praeiudicat fidei veritati; sed intentio observandi tamquam ex obligatione legis praeiudicat veritati fidei, quia per hoc haberetur quod status prioris populi adhuc duraret, et quod Christus nondum venisset.

» personarum ecclesiasticarum im-
» munitatem ex iure civili ortum
» habuisse. » Haec propositio dam-
nata fuit a Pio Papa IX in Const.
Ap. *Multiplices inter* lata die 10
Iunii an. 1851, et habetur in Syl-
labo sub n. 30.

Quanto autem iure tantus Ponti-
fex scandalosam illam propositionem
damnarit, ex brevi historia, quam
de iure immunitatis conficimus,
demonstratum volumus. (1)

Apud gentiles populos divorum
templa asyli immunitate potita fu-
isse, locupletissimus testis est Tullius
Cicero in Orat. *pro domo sua*. « Hic
» arae sunt, inquit, hic foci, hic
» Dii Penates, hic sacrae religionis
» caeremoniae continentur; hoc per-
» fugium est ita sanctum omnibus,
» ut inde abripi neminem fas sit. »
Haec autem quae de Romanis tem-
plis a Tullio dicta sunt, ad aliorum
populorum templa trahenda esse,
quisque facillime intelligit.

Progressu temporis eiusmodi
asyli ius etiam ad statuas Imperatorum confugientibus tribuebatur. Ut enim habetur apud Suetonium *in Tiberium* erat « nefas ac capi-
» tale caecidisse servum circa Princi-
» pis statuam »; quod etiam verbis Taciti confirmatur lib. 3. annalium dicentis: « Incedebant deterrimi
» quique cum licentia impune pro-
» bra et invidiam in bonos exci-
» tandi, arrepta imagine Caesaris. »

Atque quoad gentiles populos cetera omnia quae possemus afferre praetermittimus. (2)

In Ecclesia christiana de re nemo leges quaerat per tria priora saecula; cum enim tunc Ecclesia teterrimis persecutionibus ab ethnicis imperatoribus vexaretur, ineptum fuisset eo tempore immunitatem templorum sancire, quo nil aliud reperiebatur quam saeva tyrannis, violentia, et rerum sacrarum contemptus. Mirum hinc non est, si in antiquissimis Romanorum Pontificum epistolis nulla circa immunitatem sacrorum templorum sanctio reperiatur.

Antiquior qui circa hanc rem in corpore iuris inveniatur, est Canon quintus Concilii Arausicani anno 441 celebrati, qui relatus est in Cap. *Eos qui 6, dist.* 86 Gratianeae collectionis, quique ita legitur: « Eos qui ad Ecclesiam con-
» fugerint tradi non oportere, sed
» loci sancti reverentia et interces-
» sione defendi. »

Deinde in Concilio Aurelianensi 1° anno 507 iuxta Baronium, 511 iuxta alios, Canone 1 idipsum sancitum esse reperimus (3). Sicut et

(1) Qui plura desiderat adeat Thomassinium *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*. Part. II. lib. 3. Cap. 96 ad 100., et Iosephum Aloysium Assemanium in Commentario *de Ecclesiis, earum reverentia et asylo*.

(2) Cf. Perrimezzi, Della immunità dei SS. Luoghi lib. 1. Cap. III.

(3) « De homicidis, adulteris, et furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id
» constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex Roma-

in Concilio Ilerdensi anno 516, can. 8. quo nedum laicis sed ipsis clericis prohibitum est reos ab Ecclesiis extrahere, (1) atque in aliis.

Ne quisquam tamen putet, tum sacris locis immunitatem asyli attributam esse, cum leges sanciri coepere; etenim ante promulgationem Canonis Concilii Arausicani 1., reperimus Sacros Antistites de facto Ecclesiasticam communionem interdixisse iis qui templorum immunitatem violaverant. Luculentissimum huius rei testimonium nobis suppeditat S. Augustinus in Epistola ad Auxilium qui Classicianum virum publica potestate fungentem excommunicaverat, quod Ecclesiae asylum violasset. « Vir » spectabilis, inquit, filius noster » Classicianus graviter coram me » literis quaestus est, quod sit » anathematis iniuriam a tua San- » ctitate perpessus; narrans quod » venerit ad Ecclesiam apparitione » paucorum suae potestati congrua » comitatus, et egerit tecum, ne » contra salutem suam favens eis, » qui per evangelium peierando, » adiutorium violatae fidei in ipsa » fidei domo requirebant: quos » tamen considerantes quid mali » fecerint, non inde violenter ad- » ductos, sed sponte dicit egressos, » atque hinc Venerationem tuam » ita sibi succensuisse, ut ecclesia- » sticorum confectione gestorum » cum omni domo suo anathematis » sententia feriretur. »

Quo in testimonio observandum est, nullo pacto Classicianum quaestum fuisse de Episcopo Auxilio quasi aliquid egisset a sua potestate alienum, sed quod excommunicatio illa nullius fortasse roboris censenda esset, eoquod periurii illi qui ad Ecclesiam confugerant, non vi abstracti, sed sponte inde egressi fuissent.

Quid vero quod anno 411 Sinesius in Pentapoli Aegypti Episcopus excommunicarit Andronicum illius provinciae Praesidem, qui Templi sacri immunitatem violaverat? En quid ipse Sinesius de re scribit in Ep. 58. « Sed quod primus apud » nos, et solus, et reipsa, et ver- » bis in Christum convicia iactavit. » Reipsa quidem, et facto, quod » foribus Ecclesiae sua edicta affixit,

» na constituit, ut ab Ecclesiae atriis vel domo Episcopi eos abstrahi omnino non » liceat; sed nec aliter consignari nisi ad Evangelia, datis sacramentis, de morte, » de debilitate, et omni poenarum genere sint securi; ita ut ei cui reus fuerit » criminosus de satisfactione conveniat. Quod si sacramenta sua quis convictus » fuerit violasse, reus periurii non solum a communione Ecclesiae, vel omnium » clericorum, verum etiam et a catholicorum convivio separetur. Quod si is, cui » reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, et ipse reus de Ecclesia actus » timore discesserit, ab Eclesiae Clericis non quaeratur. »

(1) « Nullus clericorum servum, aut discipulam suum fugientem ad Ecclesiam » extrahere audeat, vel flagellare praesumat. Quod si fecerit, a loco cui honorem » non dedit, donec digne poeniteat, segregetur. »

» his quidem, qui ab ipso iniuria » affecti sunt, ad tutam mensam » excludens supplicationem. Propter » haec Ptolemaidis Ecclesia ad omnes » ubique terrarum sorores suas haec » demandat: Andronico et suis nul- » lum templum Dei aperiatur, omnis » sacer coetus, omne sacrum tem- » plum conclusum sit. Non est dia- » bolo portio in Paradiso. Admoneo » igitur et privatum quemquam, et » Principem, ut neque sub eodem » tecto cum ipso habitet, neque » eadem mensa participet. » (1)

Quis autem sibi persuadeat, tum temporis Sacrorum templorum immunitatem fuisse inductam cum haec Sinesius scripsit, cum eum videamus excommunicare publicum Provinciae praesidem, quod ad templi valvas edicta affixerit, atque ipsos principes prohibere communicare cum eo? quod certe innuit sacrorum templorum immunitatem tum iam omnibus notam fuisse, ab ipsisque saecularibus principibus approbatam.

Hinc nil mirum si successu temporis in Conciliis sive oecumenicis, sive provincialibus eadem immunitatis lex sancita et renovata reperiatur, praesertim in Concilio Lateranensi II, in quo Can. XV sancitum est: « Praecipimus etiam ut » in eos qui ad Ecclesiam vel coe- » meterium confugerint, nullus om- » nino manum mittere audeat; quod » si fecerit, excommunicetur. »

Haec autem sanctio nedum veteribus Canonibus, sed et ipsis Imperatorum legibus conformis erat. Quis enim nescit, anno 397 Arcadium et Honorium haec statuisse: « Iudaei qui reatu aliquo, vel de- » bitis fatigati simulant se christianae » legi velle coniungi, ut ad eccle- » sias confugientes evitare possint » crimina, vel pondera debitorum, » arceantur; nec ante suscipiantur » quam debita universa reddiderint, » vel fuerint, innocentia demonstrata » purgati. »

Clarior tamen est eorumdem Imperatorum lex quae legitur in Codice Theodosiano sub L. *Fidei* lata anno 414, qua piissimi Imperatores inquiunt: « Fideli devota- » que praeceptione sancimus, ne- » mini licere ad sacrosanctas eccle- » sias confugientes abducere, sub » hac videlicet definitione, ut si » quisquam contra hanc legem ve- » nire tentaverit, sciat se maiestatis » crimine esse retinendum. » (2)

Ex his autem quisque intelligit quam antiqua sit lex immunitatis asyli atque quantopere tum ab Ecclesiae Praesulibus, tum a civilibus Potestatibus commendata, ita ut iure mirari quisque debeat, quod aevo nostro et aspernetur, et negetur, vel eam ortum

(1) Apud Balutium Collectio Conciliorum.

(2) Cf. etiam L. *Si servus* latam a Theodosio Iuniori et Valentiniano an. 432. L. *Denuntiamus* quam tulit Marcianus an. 451. L. *Praesenti* latam a Leone Imp. an. 466.

habuisse tantummodo a civili potestate a plerisque scribatur. Unde enim esse potuit, ut in Conciliis generalibus ipsis eiusmodi lex renovaretur, lata excommunicatione in omnes qui eam violarent, cuiuscumque dignitatis fuerint, si a lege civili ea ortum habuisset? aut quomodo factum, ut a Constantini magni saeculo, vix scilicet Ecclesia iuribus suis uti potuit, haec reverentia sacris locis debita promulgaretur, quae quodammodo imperiali potestati nullum limitem agnoscenti contradicebat? Utique Imperatores vi sua illam communiere; ad illam tuendam utique leges tulerunt, sed ex hoc tantum abest, ut sequatur quod illam introduxerint, quantum abest sequi ut introduxerint fidei dogmata, aliaque de iure divino, quod illorum observantiam edictis suis pariter sanciverint. Ineptissimum insuper putamus eiusmodi iuris sanciendi facultate Ecclesiae praesules spoliare, quibus Christus constabilire omnia commisit quae ad sacrorum templorum decorem tuendum pertinent; illudque unis saeculi principibus committere, quibus in res ecclesiasticas nulla potestas competit, quibusque Hosius Cordubensis Episcopus (ap. S. Athan. in ep. ad solit). inquit: « ne te rebus » immisceas ecclesiasticis, nec nobis » his de rebus praecepta mandes, » sed a nobis potius haec ediscas. » Tibi Deus imperium tradidit, no» bis ecclesiastica concredidit. »

Hanc autem veritatem sequentibus melius declarari putamus.

Cum tractu temporis plures saeculares Principes a Sancta Sede privilegia impetrassent extrahendi ab Ecclesia delinquentes (id certe non postulaturi si sibimet eiusmodi potestatem inesse arbitrati fuissent), illisque, ut solitum est, abusi deinceps fuissent, Gregorius Papa XIV sub die 24 Maii an. 1591 celeberrimam Constitutionem edidit incipientem *Cum alias,* in qua post recensitos et reprobatos abusus qui circa ecclesiasticam immunitatem a nonnullis saecularibus principibus committebantur (1), delicta, quibus competit vel non ius asyli declaravit, et regulam agendi in materia immunitatis praescripsit.

(1) Non abs re erit ipsius Gregorii verbis hos abusus referre.... « Experientia » docuit tum ob diversitatem et differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique » principum ministri, ex hoc ipso illa diversimode, etiam latius quam par erat, » et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisqui abuti coeperunt » subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis et immunitatis eccle» siasticae perturbationem et confusionem: alibi vero ne ipsos quidem laicos in» dultis huiusmodi uti voluisse aut potuisse, quod populis, inveterata erga Ec» clesias reverentia devotis et assuetis, scandali potius quam quietis occasionem » praeberent. Illud etiam absurdum saepe numero secutum est, ut infimae inter» dum conditionis laici, non modo iuris, sed etiam litterarum penitus imperiti et » ignari, dum quasi potestates aut ministri curiae saecularis in aliquo castro

Anno vero 1725 Benedictus Papa XIII Constitutione quae incipit *Ex quo divina* praefatam Bullam confirmavit, et quantum opus fuit ampliavit; sicut et Clemens XII Constitutione in *Supremo iustitiae solio* edita die 1 Ianuarii 1734; cum autem nonnulla dubia circa praedictarum Constitutionum intelligentiam exorta fuissent, eas declaravit explicavitque Benedictus XIV in Const. *Officii nostri* edita anno 1750.

Cum Gregorius Papa XIV in Const. cit. proposuerit pro sibi a Domino commisso pastoralis officii munere *praedictis absurdis et scandalis obviare, differentias huiusmodi ad uniformem regulam reducere et abusus tollere;* atque hinc decreverit e medio auferre *omnia et quaecumque privilegia, indulta et gratias... concessa... sublata penitus omni differentia;* Canonistae duo quaerunt:

1° Utrum Constitutione sua Gregorius XIV abstulerit nedum privilegia, sed etiam consuetudines omnes adversus ecclesiasticam localem immunitatem introductas.

2° Utrum Constitutio illa deroget etiam iuri communi.

Ut itaque ad primum quaestionis Caput respondeamus; Thomas del Bene in Op. *de immunitat.* Cap. XIV, Dub. 7, affirmat, per Gregorianam Constitutionem omnes consuetudines abrogari, eo praesertim fultus argumento quod cum Pontifex dicat se reducere *omnia privilegia ad unam tantum formam*, adverbium *tantum* utpote taxativum excludat omnem aliam formam per consuetudinem vel corruptelam introductam.

Verum eiusmodi argumentum non adeo solidum videtur quod nos impediat quominus defendamus contrariam sententiam, quam etiam defendit Guttierez in *Pract. Quaest.* lib. III. quaest. I, n. 36.

Revera in Cap. I. de Const. in 6, Bonifacius Papa VIII decrevit quod *Romanus Pontifex per Constitutionem a se noviter editam non intelligitur in aliquo derogasse consuetudinibus locorum et personarum, nisi expressam, de iis mentionem fecerit.* Atqui Gregorium XIV in sua Constitutione nullam expressam mentionem de particularibus consuetudinibus mentionem fecisse eam obiter legenti in propatulo erit.

Quod argumentum maiorem vim sumit ex usitata loquendi ratione Gregorii ipsius, qui dum in aliis Constitutionibus a se editis consue-

» aut oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum et indultorum huiusmodi li-
» mites longe excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, et ab inten-
» tione concedentis omnino alienos detorserint, et illorum praetextu quidquid sibi
» in mentem venit, attentare praesumpserint in grave iurisdictionis et immuni-
» tatis ecclesiasticae praeiudicium, locorum et personarum divino cultui dicatarum
» contemptum, ipsius divinae maiestatis offensam, et scandalum plurimorum ».

tudines vult abrogare, de iis apertam mentionem facit, ut videre est in eius Bullario; quare idipsum non fecit in cit. Const. si consuetudines contra ecclesiasticam immunitatem inductas, brogare voluit?

His autem obstare nequeunt quae respondet Del Bene loc. cit. n. 8, id scilicet non valere quando per legem consuetudini contrariam reducimur ad ius commune primaevum; nam quo pacto Gregoriana Constitutio dici potest lex consuetudines evertens quando de consuetudinibus ne verbum quidem habet? atque tantummodo loquatur de privilegiis, indultis, gratiis quomodocumque personis quibuslibet concessis? Nonne eiusmodi responsio falso supposito laborat? Deinde, quo in loco suae Constitutionis affirmat Gregorius se per eam velle nos reducere ad ius commune primaevum? Utique affirmat, se circa immunitatem ecclesiasticam privilegia ad unam tantum formam reducere velle; at haec non significant ius commune primaevum.

Neque cum cl. Fagnano in Cap. *Ecclesiae de Imm. Eccl.* n. 95 praetermittimus observare, quod finis hujus Constitutionis fuit e medio abusus tollere qui invaluerant apud plerosque principes saeculares circa privilegiorum fruitionem, abusum, interpretationem et extensionem; non fuit igitur mens Pontificis abrogare legitimas consuetudines, sed dumtaxat concessorum privilegiorum corruptelas. Hinc quamvis concedamus adverbium illud *tantum* esse taxativum, tamen in ea materia, de qua Gregoriana Constitutio loquitur; non in aliis de quibus non loquitur; at loquitur tantummodo de privilegiis, ergo *forma illa una* ad eiusmodi tantum privilegia extendenda est.

Quod ut ulterius demonstremus; si etiam consuetudines Gregorius revocare voluit, debuit de iis mentionem saltem innuere, in illa Constitutionis parte, in qua revocat ea quae suae unicae formae obstare possunt; at § 2° Gregorius revocat tantummodo *omnia et quaecumque privilegia, indulta et gratias... per quoscumque praedecessores, Sedem Apostolicam, eiusque Legatos* etc., *sive perpetuo, sive ad certum tempus quomodolibet concessa,* non vero consuetudines; quo igitur argumento ad has estendemus quod de illis dicitur? Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est.

Ad alterum vero quaestionis caput, affirmative respondemus, ex ipsa Constitutione desumpto argumento. Cum enim Summus Pontifex unicam normam sequendam statuat, quae in pluribus adversatur antiquorum Canonum statutis, (in iis enim tot crimina non excipiebantur quot in Gregorii lege excipiuntur) ipsis Canonibus videtur derogare voluisse; qui cum vim legis ubique habeant, directe impedirent huius Constitutionis valorem nisi ab illo Pontifice abrogati fuissent.

Verum hic loci praeterire quaestionem illam non putamus, qua quaeritur, utrum locorum sacrorum immunitas, quam ab iure canonico ortum habuisse probavimus, alicuius consuetudinis vi possit tolli vel penitus abrogari, saltem in aliqua catholici orbis parte.

Sunt porro qui negant, sunt qui affirmant.

Negantes hisce nituntur argumentis.

1° Dato etiam quod templorum immunitas non sit de iure divino, est tamen ei valde conformis et consona; atqui nulla consuetudo introduci potest contra ius naturale vel divinum, ut sentiunt communiter Doctores. (1)

2° Urbanus VIII in Const. *Romanus Pontifex* edita die septima Iulii 1641 *annullat, reprobat, et nullas ac reprobas semper fuisse* declarat *omnes consuetudines* contra ecclesiasticam immunitatem militantes § 9.

3° Quod fit contra disciplinam et libertatem ecclesiasticam irritum esse debet ex Can. *illa autem* vers. *quod enim* dist. 12 (2), et Cap. *Cum inter* de consuetud. (3) Atqui manifestum est, consuetudinem contra ecclesiasticam immunitatem introductam, esse contra disciplinam et libertatem Ecclesiae.

At affirmantes nobis videntur solidioribus argumentis thesim probare, eosque proinde sequi existimamus. Dicunt enim.

1° Omnes leges iure humano sive ecclesiastico sive civili introductae per contrariam et legitimam consuetudinem tolli possunt. Atqui probavimus, immunitatem localem ecclesiasticam ab iure humano originem ducere. Tolli ergo potest per legitimam consuetudinem.

2° Antiquo iure templorum immunitas extendebatur ad quadraginta passus pro maioribus, ad 30 pro minoribus. At eiusmodi sanctio pluribus in locis per contrariam consuetudinem abrogata reperitur; sicut et aliae sanctiones localem immunitatem respicientes. Ergo saltem successive, universa lex immunitatis posset per legitimam consuetudinem contrariam abrogari.

3° Huic ex. gr. Gregorianae Constitutioni derogari potest per aliam legem. Ergo etiam per legitimam consuetudinem, quae vim legis habet.

Ita ut, ad contrariam senten-

(1) Ita Bonacina *De praeceptis Decalogi*. Disp. III, 8. p. 5. n. 2.

(2 Scilicet « Quod enim neque contra fidem catholicam neque contra bonos » mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et pro eorum inter quos vivitur » societate servandum est ». Ergo si contra haec aliquid fiat, servandum non est.

(3) En pars illius capitis: « Nos igitur cognito quod ex tali consuetudine, si » qua foret (id est pulsandi campanas et celebrandi officia tempore interdicti in » Ecclesia S. Petri Cenomanensis) disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae, » ipsam de consensu fratrum nostrorum duximus irritandam. »

tiam statuendam necessarium est communibus iuris principiis renunciare.

Neque gravioris momenti allatae difficultates videntur. Nam.

Ad 1^m^ responderi potest, aliud esse aliquid affirmare a iure divino derivare, aliud illud adstruere divino iuri conforme. Quamvis igitur localis immunitas iuri divino valde sit conformis, non sequitur inde contrariam consuetudinem esse contra ius divinum.

Ad 2^m^ Urbanus VIII in cit. Const. non loquitur de templorum, sed de personarum ac rerum ecclesiasticarum immunitate, et libertate a nonnullis concessionibus quae a legatis quibusdam Apostolicae Sedis, sine consensu Romani Pontificis factae fuerant, quaeque erant Ecclesiae praeiudiciales. Inquit proinde § 3. « Hac nostra perpetua Constitutione » declaramus, omnia et singula acta, » decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias et pacta, etiam nomine eiusdem Sedis Apostolicae » inita,.. a quibuscumque legatis » etiam de latere, etiam S. Rom. » Ecclesiae Cardinalibus... irrita» mus, ac annullamus et respective » revocamus cum inde secutis qui» buscumque. »

Ad 3^m^ ex citatis textibus iuris nihil probari, cum in illis prohibeatur tantum consuetudo, qua disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae; qui nervus disrumpi non videtur ex hoc quod delinquentes locis sacris abstrahantur, ut debitis poenis mulctentur.

Haec tamen munire putamus illa observatione quam proponit cl. Engel in Collegio Univers. Iur. Can. Tit. 49. n. 9 in fine, scilicet: « Non est huic consuetudini favendum si immunitati nimium derogaret; cum enim immunitas » canonibus, et legibus, et moribus » etiam gentilium ab omni aevo » stabilita, in ratione divinae venerationis et humanae clementiae » fundata sit, et inde prope ad dictamen aliquod naturale accedat, » consuetudo contraria plerumque » rationabilis et valida censeri non » potest. »

Post haec pressius Capiti Piano insistamus ; et primo perpendamus quibus locis asyli competat immunitas. Quamvis enim, ut observavimus, nullum fortasse sit regnum, in quo observetur; cum tamen quoad ius adhuc subsistat, et ad eam observandam per se omnes teneantur, necessarium est loca recensere, quae eiusmodi iure fruuntur, ut inde percipi possit quando illud violando excommunicationem quis incurrat.

Id autem intelligimus ex Constitutione *Cum alias* a Gregorio XIV lata, in qua § 2 prohibet ne extrahantur *ab Ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus et saecularibus, locisve sacris aut religiosis* homines criminum rei... Atque postquam § 3 casus excipiendos enumeraverit, subdit: « *Distri-*

» *cte* praecipiendo mandamus et » praecipimus ut laicos in casibus » praedictis delinquentes *ad eorum* » *Ecclesias, monasteria, domos et* » *alia loca supradicta sacra seu* » *religiosa* respective confugientes, » et in eis se recipientes atque mo- » rantes.... »

Ex his verbis, aliisve iuris textibus Doctores statuerunt immunitate asyli gaudere :

Ecclesias omnes auctoritate Episcopi erectas, etsi nondum consecratas, ut constat ex sequenti Capite 9 de Immunit. Eccles. « Ec- » clesiae, in qua divina mysteria » celebrantur, licet adhuc non exti- » terit consecrata, nullo modo pri- » vilegium immunitatis adimitur. » Cuius sanctionis ratio est, quia etiam antequam consecretur, Ecclesia est locus sacer et religiosus ad usus sacros deputatus auctoritate Episcopi primum lapidem in eius fundatione ponentis.

At quid si in illa Ecclesia officia divina vel nondum celebrata fuerint, vel S. Eucharistia non asservetur?

Plures auctores cum Abbate Panormitano negant eam asyli privilegio frui, tum quia Ecclesia illa nondum perfecta censeatur, tum quia cum in cit. Cap. *Ecclesiae* dicatur non adimi privilegium immunitatis Ecclesiae, in qua divina mysteria celebrantur, adimendum videtur si in ea misteria divina nondum celebrata fuerint.

Alii tamen tenent sententiam affirmativam, iisque subscribendum est. Revera, ex cit. Cap. *Ecclesiae*, ratio qua etiam Ecclesia non consecrata censetur immunitatis privilegio gaudere, est, ut postea subditur, « quia obsequiis divinis di- » cata, nullis est temerariis ausibus » profananda » non autem vel sacrosanctae Eucaristiae asservatio, vel celebratio divinorum officiorum. 2° Eiusmodi Ecclesia effusione illicita sanguinis vel seminis polluta de iure reconciliatione indiget, ut probat textus cum glossa in Cap. *Si Ecclesia* de consecr. Eccl. scilicet, « Si Ecclesia non consecrata » cuiuscumque semine fuerit, aut » sanguinis effusione polluta, aqua » protinus exorcixata lavetur, ne » divinae laudis organa suspendan- » tur. Est tamen, quam citius fieri » poterit, consecranda. » Est igitur locus sacer et obsequiis divinis dicatus ; debet ergo immunitatis privilegio gaudere.

Contraria vero argumenta nihil probant. Nam ad 1^m^ falso asseritur, Ecclesiam illam esse imperfectam, in qua divina officia nondum fuerint celebrata; etenim est locus sacer, qui ad usus profanos amplius converti non potest, quod esse non posset, si non esset perfecta Ecclesia. Deinde, ut optime observat Suarez *De Relig.* lib. III, Cap. 9, n. 5. » Per illa verba non statuitur vel » postulatur illa conditio, sed solum » ab illa nominatur, quia ita fre- » quentius accidit; tamen sub illa » voce comprehenditur Ecclesia pro-

» xime apta et sufficiens ut in ea » divina mysteria celebrentur; et » haec fuit intentio Pontificis, ut » ratione sua declaravit. »

Privilegio immunitatis gaudet pariter *Ecclesia nondum benedicta,* quia censetur aliqua Ecclesia sufficienter divinis obsequiis dicata, ratione primi lapidis in ea ab Episcopo positi, ita ut non possit amplius ad usus profanos ille locus revocari.

Gaudet etiam *Ecclesia interdicta* duabus de causis; primo quidem quia inter effectus interdicti non censetur amissio huius immunitatis privilegii, et non est addenda afflictio afflicto, ut iura loquuntur; secundo quia sicut clericus interdictus, excommunicatus, vel suspensus gaudet adhuc immunitatis privilegio, ita et Ecclesia interdicta debet illo frui.

Item Ecclesia *polluta* et nondum reconciliata; pollutionis enim macula cum iure ecclesiastico introducta fuerit, illos tantum habet effectus, quos idem ius statuit; versamur insuper in materia poenali non extendenda quapropter de casu in casum neque ob similitudinem rationis. His adde quod Ecclesia etsi polluta adhuc gaudet aliis immunitatibus, ratione quarum prohibetur in ea exercitium cuiusvis actus profani. Atque idipsum dicito, si Ecclesia ab haereticis occupata fuerit, quia manet locus sacer divino cultui dicatus.

Idipsum dicito de Ecclesia *diruta,* ni tamen diruta fuerit auctoritate Episcopi et sine spe reaedificationis; in primo enim casu ratione soli in quo posita est Ecclesia, non desinit esse sancta, et cultui divino dicata, ut dicitur in L. *Aede sacra* 73 ff. de contr. empt., (1) in altero vero est solum profanum, et accidens morale quod destruitur, destructo eius subiecto. De cetero haec sententia communis est, et defenditur a Remigio *de Immunit. Eccl.* fol. 92., et a Iulio Claro in cap. finali quaest. 30.

Idipsum pariter tenendum est de *Ecclesia nondum perfecte constructa,* quia destinatur ad cultum divinum, ideoque est locus Sacer. Qua in re inutilem esse arbitramur distinctionem illam, quam innuit Marius Italia *De Immunit.* lib. 1. cap. 4. § 3. nn. 17 et 18., id scilicet valere, si Ecclesia continuo construatur, non vero si construi desinat; eadem enim ratio militat pro utroque casu, quia scilicet est locus sacer divino cultui destinatus, et immunitas localis ob reverentiam loci sacri constituta fuit. Praeterea sacra Immunitatis Congregatio in Ianuensi 5 Octobris 1688 declaravit, quod locus in quo construitur Ecclesia, iam iniecto solemniter primo lapide, est immunis.

(1) Aede sacra terraemotu diruta, locus aedificii non est profanus, et ideo venire non potest. *Papinianus lib. 3. responsorum.*

Quod de Ecclesia dicitur debet intelligi de tota fabrica; neque illi sunt audiendi qui putant immunitatis privilegio gaudere spatium tantummodo internum Ecclesiae quod infra parietes continetur, non autem quae exterius ei adhaerent; contrarium enim constat utroque iure civili et canonico; civili quidem in *L. Pateant 3, C. de his qui confugiunt ad Eccle.*, quae his verbis ab Imperatoribus Theodosio et Valentiniano promulgata fuit: « Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria et oratorium templi circumiectum qui Ecclesias quadripartito parietum septo concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed si quid ulterius est, usque ad extremas fores Ecclesiae, quas oratum gestiens populus primus ingreditur, confugientibus aram salutis esse praecipimus, ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, et post loca publica et ianuas primas, quidquid Ecclesiae fuerit interiacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur; » iure autem Canonico per Can. *Si quis contumax* 20, Caus. XVII. Q. IV, qui pertinet ad Concilium Triburiense, et ad Capit. Reg. Franc. lib. 5. Cap. 337, id est: « Si quis contumax vel superbus timorem Dei vel sanctarum Ecclesiarum non habuerit, et fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit de atrio Ecclesiae, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiae adhaerentibus per vim abstraxerit... publica poenitentia iusto iudicio Episcopi mulctetur. » Huius autem dispositionis ratio videtur fuisse illud iuridicum axioma: *quae religiosis adhaerent, religiosa censentur.*

Immunitatis itaque privilegio intelligitur gaudere 1° *Porticus* Ecclesiae nedum ob cit. can. *Si quis contumax*, sed etiam ob plurimas declarationes Congregationis S. Immunitatis, praesertim in Spoletana die 7 Februarii an. 1630, in Camerinensi 3 Aprilis 1635, in Ausculana 20 Decembris 1657; uti refert Pignatelli Tom. 1. Cons. 171. n. 15.

2° *Atrium* tum ex eodem Can. *Si quis contumax*, tum ex Can. *Id constituimus* 36, tum ex Can. sequenti. « Si quis in atrio Ecclesiae pugnam committit, aut homicidium facit, quidquid pro immunitate violata emendandum est altari solvatur, cuiuscumque fuerit Ecclesia illa. » Caus. XVII, q. 4. C. VII.

3° *Tectum;* ideoque existens supra tectum gaudet immunitate, quia tectum est pars domus; neque capi posset delinquens per illam pallii aut vestis partem, quae extra locum immunem promineret, quia maior pars personae existit in loco sacro.

4° *Turris sacra,* vulgo *campa-*

nile, etiamsi ab Ecclesia disiuncta, sed non ultra triginta passus. Nonnulli tamen id negant; et quia turris sacra non potest dici pars formalis Ecclesiae, cum non sit consecrata et benedicta; et quia privilegium immunitatis sit contra ius commune publicum, ideoque stricte interpretandum; et quia turris sacra cum sanguinis vel seminis illicita effusione non polluatur, non videtur immunitatis privilegio gaudere.

Attamen his rationibus spretis, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 17 Novembris 1617, et S. Congregatio Immunitatis die 9 Decembris 1631 decreverunt et declararunt Turrim sacram immunitatis privilegio frui, uti videre est apud Del Bene *de Immunit, Cap. XXI, Dub. 9, Sect. 7, n. 18.*

Iure autem meritoque contrarias rationes sprevere: nam turris sacra et nomine et re sacra censetur, quia inservit ad pulsandas campanas oleo sancto sacratas,; neque lex immunitatis iuri communi contradicere dici potest, cum tum iure civili, tum canonico statuta fuerit; quod autem seminis vel sanguinis illicita effusione non polluatur, in causa est quod in ea nullum sacrum ministerium peragatur, ut reconciliatione indigeat.

5° *Sacrarium,* id est Sacristia, tum quia Ecclesiae coniungitur, tum quia continet ea omnia quae ad sacras functiones exercendas necessaria sunt, tum quia sanctior et religiosior locus censenda est prae porticibus, atriis Ecclesiae, et ipsa Turri sacra.

6° *Scalae exteriores,* uti pluries declaravit S. Immunitatis Congregatio.

7° *Via strata silice,* vel *murus sessilis* sive ambulacrum circa Ecclesiam, dummodo ei cohaereat saltem ad quinque passus. Ita Pignatelli Tom. 9. Cons. 19 n. 1.

8° *Fores, seu valvae,* ita ut si quis e manibus lictorum fugiens ad portas Ecclesiae, eas clausas inveniat, et apprehendat ansam, seu vectes portarum gaudet immunitate, uti probat idem Pignatelli Tom. 6. cons. 4. 81 et seq., pluribus declarationibus S. Cong. Immunitatis; ex. gr. in Amerina 28 Maii 1628. *innixus stipiti portae Ecclesiae gaudet immunitate.* In Firmana 13 Iulii 1657: *Evadens e manibus birruariorum, et adhaerens valvis Ecclesiae, gaudet immunitate.* In Caputaquensi 7 Septembris 1638: *Tenens annulum valvarum Ecclesiae gaudet immunitate.* In Brundusina 4 Septembris 1640: *Qui in actu carcerationis cohaereat valvis Ecclesiae unico pede et unica manu, gaudet immunitate.* Hoc in loco tamen animadvertendum est, quod si quis ligatus catenis et ferris confugiat ad Ecclesiam gaudet immunitate, uti declaravit S. Congr. Immunitatis in Beneventana 6 Maii 1653; si autem ad Ecclesiam confugiat cum ipso Lictore quem secum trahit, non gaudet immunitate, uti in Florentina 6 Novembris 1634, et in Ala-

trina 2 Martii 1660 declaravit eadem S. Immunitatis Congregatio.

9° *Muri vel parietes,* etiam quoad externam partem. Id quidem negant Archidiaconus et Sarpus ea ducti ratione quod nomine Ecclesiae non veniat pars exterior parietum quae viam publicam spectat, ideoque illam tenens non censeatur esse in Ecclesia; at fere omnes alii doctores affirmant, tum ex iuridico axiomate relato: *quae religiosis adhaerent religiosa censentur,* tum quia cum privilegium immunitatis sit favorabile, ampliandum potius quam restringendum est; tum quia qui externum templi parietem tenet iam censetur in loco sacro, vel saltem loco sacro adhaeret tam per se, quam quia ius asyli, extenditur ad 40 vel 30 passus circa Ecclesiam; tum demum quia ita declaravit S. Immunitatis Congregatio in Amerina 18 Februarii 1632. *Adhaerens muro Ecclesiae gaudet immunitate;* et in Camerinensi 13 Iulii 1638.

10° *Omnia aedificia quocumque modo Ecclesiae adhaerentia.* Ideoque etiam domus quae ab Aedituo incolitur, quamvis a templo disiuncta gaudet immunitate, ut declaravit S. Immunit. Congregatio die 28 Februarii 1662 apud Pignatelli, Tom. 1. Cons. 456, et in Fossombrunensi 22 Februarii 1662 apud eumdem, Tom. 9, Cons. 19, n. 10.

At domus laicorum quamvis sint templo contiguae, et praeter ianuas in via publica, habeant etiam egressum in Choro, non gaudent immunitate, ut declaravit S. Immunit. Congregatio in una Pennensi 28 Februari 1662. Optima quapropter est distinctio quam tradit Marius Italia in Op. de Immunit. Eccles. lib. I. Cap. 24 § 86, gaudere scilicet aedificia eiusmodi immunitate, quando in ipsis habitant personae servitio Ecclesiae addictae, non autem quando incoluntur a personis prorsus laicis, quae nullum in Ecclesia servitium praestant.

11° *Eadem immunitas extenditur ad 40 passus pro Ecclesiis maioribus, seu Cathedralibus, et ad 30 pro minoribus Ecclesiis et Capellis.* Id constat ex Can. *sicut antiquitus* 6, Caus. 17, Quaest. 4, quod iam retulimus; ex Can. *Definivit* 35, Caus. 17. q. 4. « Sit licitum in triginta passus ab Ecclesiae ianuis progredi. » Et Can. *Quisquis* 21 eod. loc. « Sacrilegium committitur, si » quis infregerit Ecclesiam, vel tri» ginta passus ecclesiasticos qui in » circuitu Ecclesiae sunt, vel domos » quae intra praedictos passus fuerint. (1) »

Qua de causa audiendus non est Marius Italia qui *lib. I. Cap. 4.* § 2 *de Immunit.* dicit his iuris textibus intelligendum esse ambitum,

(1) Passus ecclesiastici, ut notat Bonacina in 1 Decalogi praecepto, Disp. 39, q. 7. p. 4. prop. 1. n. 7. constant quinque pedibus, pes autem quindecim digitis, et numerari debent non a Candelabro in Ecclesia posito, ut aliqui sentiunt, sed ab hostio, vel muro Ecclesiae ipsius.

sive claustrum ipsius Ecclesiae, quod in Ecclesiis maioribus magis extenditur quam in minoribus; etenim cit. Canon *sicut antiquitus* loquitur etiam de Capellis, quae ut plurimum, nullum habent ambitum vel claustrum. (1)

Hac immunitate tamen non gaudent Ecclesiae seu Capellae quae sunt infra ambitum murorum Castellorum, uti constat ex Can. *Quisquis* iam cit. « Capellae quae sunt » infra ambitum murorum Castel» lorum non ponuntur in hac tri» ginta passuum observatione »; cuius dispositionis ratio affertur quod secus evenire posset, ut totum Castellum immunitatis privilegio frueretur.

Attamen Iulius Clarus in § *Final. lib. 5, q. 30, vv. Scias autem, et Hinc est*, sicut et Farinacius q. 28 n. 12 putarunt non comprehendi vias publicas infra muros civitatis, quia cum omnes fere viae aliquam Ecclesiam habeant, civitas fieret spelunca latronum, quod est contra mentem eorum qui Ecclesiis immunitatem hanc tribuerunt. At contra sentiunt fere omnes alii doctores, qui rem suam inter alia argumenta defendunt declaratione S. Cong. Immunit. in Narniensi 17 Iulii 1663, in qua dicitur « Ca» ptus in platea Ecclesiae cathedralis » gaudet immunitate» quae declaratio refertur a Pignatelli Tom. 6. cons. 4. n. 87.

Non putaremus tamen a vero abludere Iulium Clarum, si eiusmodi immunitatis extensionem denegaret tantummodo Ecclesiis minoribus infra muros civitatum vel oppidorum positis; cui sententiae alii quoque scriptores consentire videntur.

Hoc in loco etiam nonnullae quaestiones accessoriae dirimendae sunt. Et quaerimus 1° Utrum domus laicales in hoc 40 vel 30 passuum spatio positae gaudeant immunitate.

Fagnanus in Cap. *Ecclesiae* cit. putat gaudere iure asyli domos tantummodo Clericorum, non vero quae laicis locatae sunt. Et eiusmodi sententia vera probatur, tum declaratione S. Congr. Immunit. in una Pennensi 28 Februarii 1682 in qua dicitur: « Si est domus locari solita, non gaudere immunitate. » *Apud Pignatelli Tom. 9, Cons. 19, n. 12;* tum Can. *Definivit 35, Caus. 17. q. 4,* in quo dicitur: « Hi qui ad eam (Ecclesiam) con» fugiunt, *in extraneis,* vel longe » separatis ab Ecclesia *domibus nullo* » *modo abscendant;* sed in hoc 30 » passuum numero, *absque domo*» *rum extranearum receptaculo pro-*

(2) Si coemeterium vel muri circum Ecclesiam non extenduntur usque ad 30 vel 40 passus; Archidiaconus, Abbas, aliique putant, reliquum spatium usque ad 30 vel 40 passus, non gaudere immunitate. At Fagnanus in Cap. *Ecclesiae,* et Reiffenstuel optime contrarium sentiunt, quia quod iure sancitum est, praesertim in favorabilibus, est observandum, et extendendum quantum licet.

» *grediendi* aditum obtinebunt, qua-
» liter ad requisitae naturae usum,
» debitis exeant locis, et nullo te-
» neantur eventu necessitudinis qui
» dominicis defendendos se commi-
» serint claustris. »

2° Quaeritur : Utrum hac immunitate triginta vel quadraginta passuum gaudeant loca Ecclesiae proxima tantum pro illis, qui ut asylo fruerentur postquam ad templum confugerunt, eo egrediuntur naturalium necessitatum causa, vel etiam pro illis qui capti a satellitibus, eorum manibus se eripientes, illo in spatio consistunt.

Del Bene *De Immunit. Cap. XVI, dub. 9, Sect. 8, n. 7, et Haunoldus de iure et iustit,* defendunt, immunitate eiusmodi illos tantum gaudere qui iam Ecclesiam ad quam asyli causa confugerant, naturalium necessitatum causa egrediuntur, desumpto argumento ex verbis Can. *definivit* mox citati; non autem alios. At Reiffenstuel iure dicit, eiusmodi sententiam obstare Can. *sicut antiquitus,* qui sine ulla limitatione immunitatis ius tribuit spatio 30, vel 40 passuum circum Ecclesiam, idque pluribus S. Congregationis Immunitatis declarationibus confirmat. Si enim ex lata lege eiusmodi spatia immunitate gaudent, quare ea privandi sunt qui in illis consistunt? Neque alicuius momenti est ratio deducta ex Can. *Definivit;* ille enim probat utique privilegio immunitatis gaudere eos qui naturalium necessitatum causa de Ecclesia egrediuntur in qua se receperant, sed eos non excludit qui aliter ad illa loca confugiunt. Oportet autem iura modis omnibus concordare.

Probe tamen hac in re advertendae sunt locorum consuetudines, neque illico de excommunicatione illi sunt damnandi qui infra praedictum spatium delinquentibus vim inferunt. Si enim consuetudo adsit ut eiusmodi spatia immunitate gaudeant, excommunicatio incurritur, si violetur; secus minime. Quin immo cum doctissimus De Luca in Miscell. discept. 12, n. 17 fateatur, *immunitatem talis spatii recessisse ab aula,* confessarius quilibet antequam poenitentem huius culpae reum de excommunicatione damnet, rem ad Episcopum deferat, eiusque sententiae adhaereat.

Manifestum est autem, eiusmodi privilegium esse concedendum quibuslibet Ecclesiis, etiam ruralibus, in quibus diebus festis tantummodo Missae in villicorum commodum celebrantur; sunt enim proprio nomine ecclesiae, sunt loca sacris mysteriis peragendis deputata, et pluries S. Immunitatis Cong. eas immunitate eiusmodi gaudere declaravit.

12. Gaudent etiam immunitate *Oratoria omnia privata auctoritate Episcopi erecta.*

Ut vero quae in re dicemus, apprime intelligantur, declarandum in primis est quid sit *Oratorium publicum,* quidve *privatum.*

Itaque Oratoria publica sunt illa quae vel consecrationem iam rece-

perunt, vel ecclesiasticum beneficium adnexum habent, quod in titulum conferri solet; et sive a privatis aedibus seiuncta, sive in domibus privatorum existant, omnium tamen commodo et usui patent, vel per ostium publicae viae imminens, vel per transitum qui publici iuris factus fuerit.

Oratoria privata autem a cl. Vecchiotti *Inst. Iur. Can. lib. 3. Cap. 5,* definiuntur ea quae « ad » pietatem fovendam alicui familiae, vel collegio in privatis domibus constituuntur. » (1)

Quoniam nullum dubium esse potest, quin Oratoria publica auctoritate Episcopi constituta immunitate gaudeant; id enim constat innumeris iuris testibus, veniamus ad privata.

Plerique Doctores putarunt huiusmodi Oratoria immunitate non gaudere, ex eo quod id pluries declaratum putaverint tum a S. Congregatione Immunitatis, ut ex gr. in Tudertina 4 Iunii 1663: *Capella privati Palatii non gaudet immunitate;* et in Perusina 9 Novembris 1631, tum a S. Congregatione EE. et RR. in Marsicensi 17 Novembris 1617: *Capellae privatorum palatiorum non gaudent immunitate.*

His tamen decretis non obstantibus videntur huiusmodi Oratoria immunitate gaudere. Etenim ea sunt vera loca religiosa auctoritate Episcopi vel erecta vel probata, ut in eis divina celebrentur mysteria; ratio autem cur talibus locis asyli competat immunitas est quia sunt loca *divinis obsequiis dicata.*

Nec obstant citatae Romanarum Congregationum declarationes. Pirrhing enim, Fagnanus, Schmalzgrueber, Reiffeinstuel aliique plures defendunt, eiusmodi declarationes esse intelligendas de illis Oratoriis, quae absque Ordinarii auctoritate fuerant erecta, quaeque proinde, cum ad nutum Domini ad usus profanos iterum converti possint, loca sacra censeri non possunt, quia non sufficienter *divinis obsequiis dicata.* Omnes autem norunt quot abusus committerentur, a Regularibus praesertim, in privatis divitum domibus, dum privilegiorum obtentu quae sublata non putabant per Concilium Tridentinum Sess. XXII, Cap. unic. de Reformatione, Missas celebrabant

(1) Respuenda hinc videtur illa Oratorii privati definitio quam plures Doctores tradunt, scilicet: « Oratoria privata sunt quae inserviunt ad privatorum usum, » ideoque ut arbitrio Domini constituuntur, ita eius voluntate queunt tolli, ibique » preces tantum fieri licet, non missae sacrificium absque Sedis Apostolicae privilegio ». Eiusmodi definitio enim ea tantum oratoria comprehendere videtur quae absque Episcopi auctoritate aedificantur ad preces Deo solvendas; non vero quae accedente Ordinarii auctoritate seliguntur, et quae ad profanos usus amplius converti non possunt, praesertim si facultas celebrandi in eis missas in perpetuum concessa fuerit.

in quocumque cubiculo, etiam in altari portatili.

Quibus ad Clementem XI delatis per Decretum 15 Septembris 1703, ea omnia vel vera vel suppositia privilegia revocavit. At citatae declarationes antecedunt decretum Clementis XI. Hinc cum clarissimo Fagnano concludimus, ita intelligendos esse doctores qui simpliciter dicunt, Oratoria privata non gaudere immunitate. In dubio autem utrum Oratorium privatum Episcopi auctoritate sit erectum, ita erectum praesumitur, ut affirmat Schmalzgrueber *in lib. III, Decretalium tit. 49, § 3, n. 133,* ubi plures citat auctores idipsum defendentes.

Sed quid dicendum de oratoriis quae extant in Collegiis, vel Communitatibus? Distinguendum putamus. Si huiusmodi Communitates sunt loca sacra, uti Seminaria, Monasteria, Hospitalia Episcopi auctoritate erecta, Orphanotrofia etc. tunc immunitate gaudent ratione eorumdem locorum, quae ut infra videbimus sunt immunia. Si autem non sunt loca sacra, ut Collegia saecularia, Hospitalia a civili gubernio vel privata persona constituta, tum iterum distinguendum est. Vel in iis Sacella sunt erecta auctoritate ordinarii, vel non; si primum immunitate gaudent; si secundum nullo modo.

De Capella carcerum, vel carceribus contigua, in qua carceribus detenti Missas audiunt, Pignatelli *Tom.* I. Cons. 471 affert decisionem quamdam S. C. Immunitatis in Tudertina 10 Iunii 1663 in qua dicitur Carcerum capellas immunitate non gaudere. Et quidem prudentissime. Cum enim qui coniiciuntur in carceribus sint plerumque homines nocentes, possent abuti privilegio immunitatis toties quoties ad Missam audiendam ducuntur.

Gaudent tamen immunitate *Coemeteria auctoritate Episcopi designata.* Id enim 1° patet ex Cap. V. *Cum Ecclesia*, de *immunit,* tit. 49. quo ita decernitur:

« Cum Ecclesia Dei secundum » evangelicam veritatem domus ora» tionis esse debeat, non spelunca » latronum, aut sanguinis forum; » saeculares iudices causas ubi de » sanguinis effusione et corporali » poena agitur, in ecclesiis, vel coe» meteriis agitare sub interminatio» ne anathematis prohibemus; ab» surdum enim est et crudele ibi » iudicium sanguinis exerceri, ubi » est tutela refugii constituta. »

2° Patet ex ratione adducta in Canone, in quo Ecclesia et coemeteria aequiparantur.

3° Ex Rubrica tituli 49 libri III. Decretalium: *De immunitate Ecclesiarum, Coemeteriorum,* etc.

At vero quod coemeterium Ecclesiae attiguum gaudeat immunitate, certum est apud omnes; discrepant autem doctores, quando est separatum. Omnes affirmant immunitate frui si auctoritate Episcopi designatum et benedictum fuerit.

Si autem benedictum non sit, negant aliqui, quia fit sacrum auctoritate et benedictione Episcopi, non fidelium sepultura; alii autem affirmant hoc argumento ducti quod retinendum sit benedictum Coemeterium, in quo fidelium corpora sepulta sunt, illudque propterea immunitate non privandum. Quisque autem intelligit, hos verbis non sententia discrepare; si enim certum sit coemeterium non fuisse benedictum, praesumptionis argumentum deest; ideoque utraque pars tenet, illud immunitate non potiri. Non diffitemur tamen, difficillimae esse probationis, coemeteterium benedictione carere; cum ni terra benedicta in universum fuerit, benedictio certe adhibita presumitur in singulis sepulturis.

Quod autem de coemeterio dicitur, intelligitur, etiam de hostio, porticu, parietibus etc; quia quae religiosis adhaerent, religiosa censentur (1).

Monasteria et Conventus, uti habetur in Can. *Quisquis* 21, caus. 17 quaest. 4. « Si quis monasteria et » loca Deo dicata et Ecclesias in- » fringunt, et deposita, vel alia quae- » libet exinde abstrahunt, damnum » novies componant, et immunita- » tem tripliciter, et veluti sacrilegi » canonicae sententiae subiician- » tur. » Patet id etiam ex cit. Gregorii XIV Const. *Cum alias,* in qua immunia declarantur *Monasteria, sacella, domus regularium, et loca sacra aut religiosa.* In hac immunitate comprehenduntur omnia loca infra Monasterium, septa, claustra, cellae, viridaria, habitacula, areae, horti, domus familiarium; tum ex L. *Pateant* cit. in qua immunia declarantur, non solum altaria et oratoria, *sed quidquid fuerit interiacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus* etc; tum ex Cap. *Id constituimus,* tum ex consuetudine optima legum interprete.

In quaestionem tamen revocatur, an eadem immunitate gaudeant *Granciae* seu Regularium villae, quas recreationis causa possunt erigere vel emere absque Episcopi auctoritate vel consensu.

(1) Hisce nefastis temporibus, in quibus ob grassantem civilem iniquitatem praescriptiones Ritualis Romani quoad cadaverum sepulturam omnino spernuntur, atque hinc in publicis coemeteriis nedum sine poenitentia defunctorum, sed etiam quorumlibet improborum publicorum corpora sepeliuntur, ex. gr. excommunicatorum, masonum etc. minus malum esset, ut ad horum sepulturam pars aliqua Coemeterii assignaretur in qua eiusmodi homines sepeliri possent, ni datum fuerit alium locum ad eorum sepulturam impetrare. Pars enim illa coemeterii sine benedictione relinqueretur, atque ita considerari posset omnino a coemeterio fidelium separata; neque in posterum cernerentur prope fidelium sepulturas monumenta improborum, prope Crucem Christi Masonum emblemata, prope inscriptiones quae commendant pietatem religionemque fidelium qui in osculo Domini mortui sunt, inscriptiones quae iniquitatem et omnimodam impietatem redolent.

Plures Doctores cum Card. de Lugo *Respons. moral.* lib. 3. dub. XV affirmant: 1°. quia Eugenius IV eiusmodi privilegium Cisterciensibus concessit, ideoque omnibus aliis religiosis Ordinibus, qui cum illis communicant (1).

2°. Quia, ut refert Cardinalis de *Lugo* loc. cit. captus fuit a ministris Curiae saecularis in Capella quadam quae erat in Grancia Regularium, delinquens saecularis, et cum Regulares reclamassent, et Episcopus S. Congregationem consuluisset, responsum fuit. « Si Capella » erat in Grancia, observandum pri- » vilegium. »

Attamen alii sacrorum Canonum periti cum clar. Reiffenstuel lib. 3 Decretal., tit. 49, § 2, n. 46 negativam sententiam defendunt; primo quidem quia haec loca nulla ratione religiosa sint, nec religiosis locis adhaereant, nec fuerint Episcopi auctoritate erecta.

Negare non possumus, solidioribus rationibus primam niti sententiam, nedum ob citatum Eugenii IV privilegium quod revocatum fuisse non novimus, sed etiam ob Gregorii XIV sanctionem in Const. cit. *cum alias,* in qua immunitatem tribuit Monasteriis sacellis, *domibus Regularium,* locisque sacris aut religiosis; cum enim Summus Pontifex distinguat domos Regularium a Monasteriis, atque Granciae sint Regularium domus, et has, videtur voluisse immunitatis privilegio frui; atque in re advertimus, Grancias esse deputatas vel administrationi substantiarum, vel solamini Monachorum, ideoque eas esse prorsus Regularium domos.

Palatium Episcopi, ut statutum est cap. cit. *Id constituimus...* ut *a domo Episcopi* reos abstrahere omnino non liceat.

Quidam doctores negare videntur Episcoporum Palatiis immunitatem, si plus quam 40 passibus a Cathedrali distent. At immerito; etenim cit. cap. *Id constituimus* loquitur indistincte de palatiis Episcopalibus; qua de causa nemo sine evidenti ratione distinguere debet; deinde si palatium Episcopi plus quam quadraginta passibus ab Ecclesia cathedrali distans immunitate non gauderet, Episcopus hac in re esset aequalis conditionis ac sui Clerici; cum enim horum domus in spatio quadraginta passuum sint immunes, Episcopus nullum speciale privilegium haberet. Atque id tenendum est etiamsi palatium oratorio destituatur; nam cum res sit controversa, in dubio semper favendum est immunitati. Omnis alia domus etiam extra Dioecesim, quam

(1) Eman. Rodericus Tom. 2. Quaest. Reg. quaest. 75. art. 2. istiusmodi privilegium ita refert: « Concessit (Eugenius IV) quod Granciae Monasteriorum Cister- » ciensium, sicut Ecclesiae atria, pravorum hominum incursu et violentia libera » et quieta debeant esse; ita ut in eis nemo hominem capere, spolium aut ruinam » exercere praesumat, in virtute Spiritus Sancti inhibendo statuit.

ive recreandi animi causa, sive tempore S. Visitationis Episcopus inhabitat, debet immunitate gaudere, saltem illo tempore quo adest Episcopus, uti declaravit S. Congregatio Immunitatis in Castrensi 8 Iulii 1670. Idque Pignatelli tom. 4, cons. 422, valere dicit etiamsi Palatium non sit proprium Episcopi, sed conductum, atque ad rem probandam refert declarationem S. C. Immunit. in Aquinatensi 16 Decembris 1666.

Palatia autem Praelatorum Episcopo inferiorum iurisdictionem quasi episcopalem habentium, uti sunt Abbates nullius Dioecesis, Fagnanus Tit. 49, lib. III, Decretal. Cap. *Ecclesiae* putat immunitate gaudere, si adsit consuetudo; atque ad rei probationem affert decisionem quamdam S. C. Immunit. in Messanensi 6 Novembris 1634 in qua dicitur gaudere immunitate domus Archimandritae Messanensis, *stante legitima consuetudine.*

Fruuntur pariter immunitatis privilegio *Palatia Cardinalium* quamvis non sint episcopali dignitate insigniti; id tamen non ex iure, cum nullo canone probari queat, sed ex privilegio et consuetudine.

Eiusmodi tamen privilegium in urbe Roma sublatum fuit a Gregorio XIII, et Xisto V, uti etiam Iulius III declaravit.

At forte etiam Romae excipienda sunt palatia Ecclesiis tituli Cardinalitii adnexa, quia in iis Cardinales gaudent omnibus privilegiis Episcopalibus.

Palatium Nunciaturae. De Palatio Nunciaturae in urbe Neapolis, ita declaravit S. C. Immunitatis in *Neapolitana 3 Maii* 1636. Ergo ob paritatem rationis etiam in aliis locis palatia eiusmodi debent immunitate gaudere.

Domus contiguae Ecclesiae, uti sunt domus Canonicales, praeposituales, parochiales etc. At si hae domus sint vel laicorum, vel laicis locari solitae sint, immunitate non gaudent, ut superius probavimus. Confirmamus autem ex declaratione S. Cong. Immunitatis in Narniensi 28 Februarii 1662, in qua declaravit quod « Apothecae locatae laicis cum ianua in platea vel via » publica non gaudent immunitate,» ut videre est apud Pignatelli. Tom. I. Cons. 457.

Domus paroeciales, (1) licet non adhaereant Ecclesiae gaudent immunitate. Ita in una Forlimpopoli 10 Decembris 1653; at domus quam Parochus inhabitat, quaeque non est Ecclesiae, non gaudet. Ita in Alatrina 5 Maii 1699.

Domus Confraternitatum non locatae laicis sunt immunes, uti declaravit eadem S. Congregatio in una Civitatis Castelli 23 Iulii 1652.

Omnia alia loca quae iure canonico religiosa censentur, quamvis revera religiosa non sint, immuni-

(1) Nomine domus paroecialis hic intelligitur non domus quam Parochus inhabitat, sed domus ad Paroeciam pertinens.

tate gandent, ut habetur *Cap. Ad haec De Relig. domib.* (1), et L. *omnia* 35 *C. de Episcop. et Clericis.* (2) Huiusmodi sunt Seminaria, Orphanotrophia, Nosocomia, dummodo auctoritate Episcopi erecta fuerint. Hospitale autem erectum Episcopi auctoritate gaudet immunitatis privilegio, quamvis non habeat Ecclesiam, nec campanile, nec

In anteriori pagina ad verba *uti etiam Iulius III, declaraverat* sequens nota apponenda erat.

Iulius III die 22 Septembris 1552 omnino prohibuit ne facinorosi homines «apud magnatum aedes receptacula invenirent. « Insuper, inquit, quia sicut accepimus, quorumdam eousque processit licentia ut non solum homicidas et facinorosos ac alios praedictos, contra iuris et Sacrarum Constitutionum... prohibitionem, receptare audeant, sed etiam domos suas, nec non vias publicas et plateas quae circa domos sunt, facinorosis ipsis tutum refugium et quasi portum esse velint, signatis etiam franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, „ quos iustitiae ministris ingredi non liceat; nos abominabile ac detestandum franchitiarum huiusmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuo abolitum fore censemus. Volumus enim causarum capitalium iudicibus, Barisellis, apparitoribus et aliis iustitiae praefectis et ministris quascumque vias et plateas, aedes, domos, ad requirendos, capiendos, et debitis poenis afficiendos facinorosos homines, diu noctuque liberas et apertas esse. Si quis autem post huius nostrae voluntatis declarationem, franchitias huiusmodi adhuc habere et tueri, ac illarum praetextu aut alias quomodolibet iustitiae ministros in executione eorum officiorum impedire praesumpserit, etiamsi... Patriarcha, aut etiam S. R. E. Cardinalis extiterit, noverit se amissionis gratiae ac benevolentiae nostrae, nec non coercitionis et emendationis... poenas ipso facto incursurum » Hanc autem sanctionem confirmarunt tum Gregorius XIII in Const. *Tanta* data die 11 Iulii 1580, tum Sistus V. in Const. *Ad nostri Pontificatus* lata die 1 Iulii 1585. At non hi tantummodo Pontifices in re Constitutiones ediderc; verum et alii plurimi tum antea, tum postea, qui videri possunt in Bullario Taurinensi Tom. VIII, pag. 585.

(1) En Caput. « Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod si locus ad hospitalitatis usum et pauperum provisionem, sicut moris est, fuerit auctoritate Pontificis destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari, sicut de vestibus et ligneis vasis et aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo indubitanter observat, et venerabilium patrum edocent sanctiones. »

(2 Scilicet « Omnia privilegia, quae a retro principibus, aut a nostra serenitate, vel iudiciariis dispositionibus, aut liberalitatibus pro singulis quibuscumque temporibus, ex consuetudine, vel constitutione sive circa ius metatorum, sive in aliis quibuslibet rebus praestita sunt Orphanotrophiis, sive asceteriis, vel Ecclesiis.... per hanc pragmaticam sanctionem firma illabataque in perpetuum custodiri decernimus.... Domus etiam aliasque res superius nominatas... ad instar maioris venerabilis Ecclesiae huius inclitae urbis, omnibus privilegiis, quae eadem sancta Ecclesia vel nunc adipiscitur, vel postea merebitur, perpetuo potiri pietatis intuitu decernimus. »

altare, uti affirmat *Del Bene, De Immunit.* C. XVI, d. 9. sect. 10, n. 4; etenim ex cit. Lege *Omnia,* privilegia quae competunt Ecclesiis competunt etiam hospitalibus.

Domus Clericorum in communi viventium gaudent pariter immunitate, quia censentur loca religiosa. Qua in re Pignatelli Tom. I. cons. 452 refert decretum S. C. Immunit. 8 Martii 1650, quo declaratur gaudere immunitate domum Collegii Urbani de Propaganda Fide: ergo a pari omnia alia Collegia Ecclesiastica, vel Seminaria eodem privilegio gaudere debent.

Crux in via, uti declaravit S. Congregatio Immunit. In *Melitensi* 7 Decembris 1638: *Confugiens ad Crucem existentem in via, gaudet immunitate.* Apud Pignatelli Tom. 6. Cons. 27. Idem sancitum antea fuerat ab Urbano II in synodo Claromontana can. 29. « Si quis ad ali» quam Crucem in via, persequen» tibus inimicis confugerit, sit liber » ac si in ipsa Ecclesia permaneat. » Atque confirmatum fuit Can. 31. « Quod si quis pro securitate Ec« clesiae vel Crucis aliquod crimen » peregerit, et ad Ecclesiam vel « Crucem confugerit, recepta secu« ritate vitae et membrorum, red» datur iustitiae. »

Denique *Sacerdos deferens SS. Eucharistiae Sacramentum, vel Oleum sanctum,* aut simpliciter cotta et stola indutus ad efferendum defunctum gaudet immunitate, uti decisum fuit coram Emo Urbis Vicario anno 1614. Item non iure aliquo, sed consuetudine, si quis delinquens confugiat ad SS. Eucharistiae Sacramentum, quod processionaliter ad infirmos defertur, se aliis concomitantibus coniungat, et teneat fimbrias vestis sacerdotis Eucharistiam deferentis gaudet immunitate. Ita enim decretum fuit a S. C. Immunitatis in *Melitensi* 28 Maii 1626, apud Pignatelli Tom. 6, Cons. 4, n. 89. Etenim Corpus Christi sanctius est quovis loco sacro et religioso.

Atque de locis quae immunitatis privilegio gaudent, satis.

Decernamus nunc oportet quaenam sint illa crimina quae ecclesiastica immunitate non gaudent. Verum antequam eiusmodi quaestionem aggrediamur, statuendum est, ad quae personarum genera ius asyli extendatur.

Asserimus itaque, iure asyli frui omnes fideles baptizatos, qui non perpetraverint delicta in iure excepta.

Verum hoc in loco exurgit quaestio; utrum eiusmodi immunitate fruantur tantummodo laici, an etiam Clerici (1) ad Ecclesiam post patratum aliquod crimen confugientes. Cum Doctores inter se digladientur, utriusque partis argumenta referemus, ut inde Lectores nostri melius

(1) Loquimur de clericis illis tantum qui fori privilegio gaudent, idcoque saecularibus iudicibus non subiiciuntur; de illis qui amiserunt, nulla quaestio movetur, cum laicis aequiparentur.

dignoscant quibus sit adhaerendum.

Itaque Suarez *De Relig. Tom. I. libr. 3. n.6.* Mayner, Bonacina, aliique omnino negant Clericis asyli immunitatem competere, hisque se defendunt argumentis:

1° Clerici in communi viventes et Religiosi saepe delinquunt in loco immuni. Si autem non possent ab illo extrahi, eorum crimina plerumque, ne dicam semper, remanerent impunita, quod supponendum non est. His autem accedit, quod Religiosi delinquentes puniri possunt a suis Praelatis infra septa Monasterii, sicut Clerici saeculares ab Episcopis in suis Ecclesiis; nulla igitur apparet ratio quare ab Ecclesia extrahi non possint. Si enim infra loca immunia a suis Praelatis puniri possunt, ergo pro Clericis loca sacra immunia non sunt.

2° Constitutio Gregorii Papae XIV nullam mentionem de Clericis facit, et laicos tantummodo nominat. *Ut laicis ad ecclesias, locaque sacra et religiosa confugientibus* etc. *Ut laicos in casibus praedictis delinquentes* etc. *Quodque delinquentes laici praedicti* etc. At nomine laicorum venire Clerici non possunt.

3° Immunitas ecclesiastica inducta fuit contra saeculi potestates, non autem contra Ecclesiasticam, cui Clerici subiiciuntur.

4° Ius asyli praesertim eo collimat, ut rei ad loca sacra confugientes tuti sint in vita et in membris. At hic finis non respicit Clericos et religiosos, utpote qui in his tuti sint quia foro ecclesiastico subiiciuntur; ergo eiusmodi ius eis esset inutile.

5° Ex praxi et consuetudine ubique vigente videmus delinquentes Clericos tam saeculares quam regulares, quamvis in loco asyli existant, passim et liberrime puniri, atque extrahi ad punitionem. Ergo cum consuetudo sit optima legum interpres, iuxta eam iudicandum est.

6° Lex civilis de Clericis apertam mentionem non facit; sacri canones vero videntur respexisse tantum laicos; nam statuunt quod Episcopus debeat impetrare vitae et membrorum securitatem pro extrahendis; quod non dixissent si ibi de Clericis sermo fuisset, cum hi potestati saeculari non subdantur.

7° Glossa prima in Cap. *Nullus* caus. 17, quaest. 4, dicit, Episcopum vel magistrum non debere ex causa odii Clericum ab Ecclesia expellere. Ergo ex alia causa videtur posse.

At his non obstantibus tenenda videtur contraria sententia, quae affirmat asyli immunitatem estendi tam ad Laicos, quam ad Clericos.

Revera 1° Canones hac de re generaliter loquuntur. Ergo generaliter de omnibus sunt intelligendi. Si enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

2° Immunitas ecclesiarum non conceditur intuitu personarum, sed reverentiae locis sacris debitae, ut constat ex omnibus Canonibus quos hucusque attulimus. At iniuria potest inferri et reapse loco sacro infertur

per violentam extractionem sive laici, sive clerici.

3° Adde quod Episcopus tenetur defendere *omnes* delinquentes qui ad Ecclesias vel loca sacra confugiunt, ergo etiam clericos.

4° Clerici non debent esse deterioris conditionis quam laici. At in sententia adversariorum hoc prorsus in casu contingeret; etenim per assumptionem clericalium officiorum Clerici amitterent ius asyli, quo dum laici essent fruebantur.

5° Denique, quod in re praecipuum est, Sacra Congregatio Immunitatis pluries declaravit, Religiosos delinquentes non posse ab Ecclesia extrahi a suis Praelatis, nisi delicta in iure excepta perpetraverint, uti videre est apud Riccium, *Decreta S. C. Immunitatis* ad verbum *Regulares delinquentes*. His autem decretis consonat decisio S. C. EE. et RR. in *Tropiensi* 24 Ianuarii 1617, quae apud Pignatelli Tom. VI. cons. 4 in fine ita legitur:

« Immunitate ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiant, extra casus in Bulla Gregorii XIV comprehensos, cum in hoc casu Abbatis opinio communiter sit reprobata. »

Verum, saltem quoad Regulares extra controversiam rem ponit, Benedictus XIV, qui in Constit. *Officii nostri* lata anno 1750 ita loquitur. « Cum dubitatum fuerit, » an sub hac Clementis XII praedecessoris ampliatione, (qua in » tota Ditione Pontificia ecclesiasticos » homicidii reos ab asyli immunitate exclusos voluit) Regularium » quoque ordinum Professores et » Alumni comprehendantur, Nos ad » omnem super hoc dubitationem » tollendam decernimus ac declaramus, omnes et singulos cuiuscumque Ordinis, Congregationis, » Militiae et Instituti regulares tam » in ipsis expresse professos, quam » illis quomodolibet adscriptos, cuiuscumque gradus ac conditionis » extiterint, etiamsi ex ipsorum » Ordinum privilegio, seu alias quaelibet expressa et individua mentio » de ipsis eorumque Ordinibus ad » hoc ut sub praesentis aut praemissarum Constitutionum censura » comprehendantur, habenda foret, » si qui unquam, quod Deus avertat, » homicidium animo praemeditato ac » deliberato patraverint, a beneficio » immunitatis ecclesiasticae iuxta formam earumdem Constitutionum » Benedicti (XIII) et Clementis (XII) » exclusos fore ac censeri. » Ergo quoad alia crimina non excepta Regulares privilegio immunitatis gaudent.

Allatis autem in contrarium argumentis respondentes, dicimus.

Ad 1^m^ aliud esse ut quis in loco immuni puniatur ab illis qui legitima praediti sunt potestate, aliud vero ut ex eo ad punitionem extrahatur. Ut enim notat Fagnanus in Cap. *Ecclesiae* de Immunit. Eccl. n. 92. Canones vetant extractionem delinquentium, non eorum-

dem punitionem, ab iis inflictam, quibus SS. Canones eiusmodi potestatem contulerunt. Quod si fieri non posset, utique religiosorum et clericorum crimina, saltem aliquando, impunita remanerent. Id autem nimis fortasse concedendo asserimus. Etenim cum crimen non exceptum religiosi perpetrant, de facultate Episcopi vel Superiorum possunt ab saeculari potestate ab Ecclesiis, et locis immunibus extrahi, atque puniri; quae quidem facultas etiam pro extrahendis laicis exigitur; atque hinc in re clericorum conditio non esset valde a conditione laicorum difformis. Quamvis autem Clerici puniri possint a propriis Praelatis, non tamen ita ut puniendi aliquando sunt, ad tramites scilicet legum vigentium, et SS. Canonum quos servare Clerici tum regulares, tum saeculares tenentur.

Ad 2 Ideo vero Gregoriana Constitutio de Laicis tantummodo loquitur, quia edita fuit contra Principes saeculares concessis privilegiis abutentes; qua de causa de Clericis mentionem instituere nec poterat nec debebat, cum hi proprium Forum habeant in causis criminalibus.

Ad 3^m Quodnam argumentum erui potest contra clericos in praesenti quaestione, ex quo immunitas ecclesiastica inducta fuerit contra saeculi potestates? Numquid per assumptionem Clericalis habitus Clerici amittunt privilegia sua? aut non infertur loco sacro iniuria per violentam ex eo Clerici aut Religiosi abstractionem?

Ad 4^m Immunitas autem asyli nedum datsecuritatem vitae et membrorum, sed praeservat etiam ab aliis poenis, quae delinquentibus possent infligi et infliguntur; ipsa carcerum durities parva poena censenda non est. Ius itaque asyli non est Clericis omnino inutile.

Ad 5^m Utique consuetudo est optima legum interpres; sed ea consistit in facto; factum autem probari debet ab illis qui illud allegant. In casu autem nostro utique allegatur, sed non probatur. Omnes autem norunt in plurimis etiam factis repetitis consuetudinem non induci. Ex. gr. nunc temporis in Italia et in Gallia nulla servatur immunitas, ut cetera regna silentio praeteream: numquid ex hisce factis inducitur consuetudo contra Ecclesiasticam immunitatem? Profecto non inducitur; ni velimus dicere per truculentas violentias induci consuetudinem contra ius humanum et divinum. Ergo ex quo in aliquo regno, vel etiam pluribus, asyli immunitatem Magistratus supremi non revereantur, non sequitur, vel eam non existere, vel fuisse abrogatam, vel in nullo alio loco et regno observari. Quid quod ex quo aliquo in loco asyli immunitas pro viris Ecclesiasticis non observetur, non sequitur eam non observari in aliis?

Ad 6^m respondemus quod tam leges civiles, quam Sacri Canones

indistincte loquuntur. Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Addendum quod non pro omnibus criminibus impetranda est securitas vitae et membrorum, quodque in aliquibus locis nullo modo observatur immunitas personalis clericorum.

Ad 7^m^ Auctoritas Glossae non potest inducere restrictionem contra ius commune. Atque de cetero praefatum argumentum nullius esse ponderis demonstratur, ex quo prohibitio alicuius actionis non includit potestatem aliud faciendi, quod non sit permissum in lege, sed sistit tantummodo in facto quod prohibetur. Ita in praefato Canone prohibetur Episcopis Clericos expellere ab Ecclesia odii causa; optime: sed inde concludere ne quis potest: ergo ei licebit Clericum expellere quacumque alia de causa, sit haec causa in lege permissa, vel non? Licitum ne erit ita argumentari: In praefato Canone prohibentur Episcopi Clericos ecclesia expellere odii causa. Ergo non prohibentur eos expellere alia quacumque de causa quae non sit odium? Profecto haec ridicula ita sunt ut ea refutare non oporteat.

Asyli igitur immunitate gaudent omnes Ecclesiae servitio mancipati sive saeculares sint, sive regulares. At non tantum isti, sed etiam:

Fideles aliqua censura irretiti. Censurae enim ecclesiasticae habent tantummodo effectus illos, qui eis in iure tribuuntur; at inter censurae effectus non exprimitur amissio immunitatis asyli. Hinc etiam *interdicti personaliter, suspensi ab ingressu ecclesiae, excommunicati etiam pubblici vel denunciati.* vel *publici clericorum percussores* gaudent eiusmodi immunitate. Neque quidquam refert quod publice excommunicati sint privati ingressu Ecclesiae, ideoque eius asylo eos gaudere non possint; nam cum censurae ecclesiasticae non obligent cum gravi incommodo, non possunt privari immunitate illi, quibus urget grave periculum vitae vel membrorum. Ita Reiffenstuel hoc tit. § 3, n. 56.

Haeretici aliud ob crimen ad Ecclesiam confugientes, quia ut infra videbimus, crimen haeresis est exceptum; huius autem ratio est quia in casu haeresis crimen se habet ut accidens, et Gregoriana Constitutio excludit ab asyli privilegio haereticum quo talem, seu *re-duplicative,* ut scholae loquuntur, quatenus scilicet ipse vellet declinare poenam ab ecclesiasticis iudicibus ei inflictam ob crimen haeresis.

Quoniam vero immunitatis privilegium non personarum intuitu, sed locorum veneratione concessum fuit, hinc ea fruuntur etiam *Iudaei,* uti declaravit S. C. Immunitatis in *Sarzanen.* 26 Sept. 1651. « Hebraeus confugiens ad Ecclesiam, » gaudet privilegio immunitatis ec- » clesiasticae » et in *Pisaurensi* 26 Martii 1686 « Iudaeus captus a » Birruariis sub tecto, seu stillicidio » Ecclesiae gaudet immunitate, e-

» tiamsi ad veram fidem se conver-
» tere nolit. »

Atque ob eamdem rationem *Pagani et infideles omnes,* ex decreto etiam S. C. Immunitatis in *Cathacensi* 18 Februarii 1631. « Infidelis » sive sit servus, sive mancipium » gaudet immunitate ecclesiasica. »

Ut tandem aliquando ad enumerationem delictorum quae ab immunitate asyli excipiuntur deveniamus, non inutile erit hic referre verba Constitutionum Romanorum Pontificum quas supra memoravimus, ut clarius ea intelligantur quae circa hanc rem tradunt Doctores. Et prima sit Constitutio quae incipit *Cum alias* a Gregorio PP. XIV anno 1591 data in qua s. Pontifex, vult:

« Ut laicis ad Ecclesias Locaque » sacra et religiosa praedicta con-
» fugientibus, si fuerint *publici La-*
» *trones, viarumque Grassatores*
» qui itinera frequentata publicas-
» que stratas obsident, ac viatores
» ex insidiis aggrediuntur, aut *De-*
» *populatores agrorum, quive ho-*
» *micidia et mutilationes membro-*
» *rum in ipsis Ecclesiis earumque*
» *Coemeteriis committere non ve-*
» *rentur,* aut *qui proditorie proxi-*
» *mum suum occiderint,* aut *assas-*
» *sinii vel haeresis aut laesae Ma-*
» *iestatis in persona ipsiusmet Prin-*
» *cipis rei,* immunitas Ecclesiastica
» non suffragetur. »

Cum vero ob varias Doctorum hanc Constitutionem interpretantium sententias, plures olim contentiones ortae fuissent, Benedictus PP. XIII (1) his malis occurrere volens anno 1725 novam hac super re Constitutionem edidit incipientem *Ex quo divina,* qua et praecedentem explanavit et ex parte innovavit. Cum itaque praedicta Gregoriana constitutione cautum sit, inquit, « ut pubblicis Latronibus
» viarumque Grassatoribus, qui iti-
» nera frequentata vel publicas stra-
» tas obsident, aut viatores ex in-
» sidiis aggrediuntur, Immunitas
» Ecclesiastica minime suffragetur,
» non levis autem inter DD. emer-
» serit controversia an quis ex unico
» actu publicus Latro et Grassator
» dici possit, vel plures ad id actus
» requirantur, *Nos* eiusmodi con-
» troversias dirimere intendentes,
» *unicam tantum Grassationem in*
» *via publica aut vicinali admis-*
» *sam sufficere ad hoc ut quis pu-*
» *blicus Latro et Grassator dici*
» *valeat, dummodo* tamen *grassati*
» *mors aut membrorum mutilatio*
» *secuta fuerit,* tenore praesentium
» *definimus et declaramus.* Insuper
» ab Ecclesiasticae immunitatis be-
» neficio excludimus atque repel-

(1) Hic adnotandum occurrit quod in editione ultima *Iuris Ecclesiast. Universi* R. P. Fran. Schmalzgrueber typis R. C. Ap. facta, loco Benedicti XIII semper Innocentius quidam nominatur uti auctor huius Constitut. incipientis *Ex quo divina.* Hunc errorem lectoribus notum facere volumus ne forsan Doctorem illum praeclarissimum conferendo decipiantur.

» limus.... eos *qui, stantes in Ecclesia vel Coemeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, aut ipsis membrum mutilant,* nec non eos *qui stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel Coemeterium, aut iis membrum mutilant,* ac eos tandem *qui confugientibus vim inferunt, atque alios ab Ecclesiis aliove loco immuni, violenter extrahunt et abducunt.* Declarantes in quatuor praemissis casibus eiusmodi Reos non illius tantum Ecclesiae, quam violarunt, sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesiae Immunitate gaudere nequaquam posse aut debere. Ad haec, *in crimine Assassinii, non modo mandatarios qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes qui certum praemium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit,* ab Ecclesiastico Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus. »

« Excludimus pariter, repellimus » atque privamus eiusdem Immunitatis privilegio, *interficientes proximum suum animo praemeditato ac deliberato; falsificantes Litteras Apostolicas; ministros Montis pietatis vel alterius publici Telonii aut Banci, pro depositis Principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in praedictis locis committentes, cuius ratione arca pecuniaria ita minuatur ut poenae ordinariae locus sit; conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque monetas aureas vel argenteas etiam Principum exterorum quotiescumque in loco aut provincia ubi crimen admittetur, publicum habeant usum atque commercium,* vel *ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere et erogare praesumentes, ut fraudis conscii atque participes censeri possint;* illos demum, *qui sub nomine Curiae sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio vel mutilatione membrorum alicuius* ex domesticis » earumdem aedium, vel etiam extranei quem ibi forte reperiri » contigerit, *dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur.* »

Sed cum in Urbe ac Ditione Pontificia succrescens in dies virorum sanguinum immanitas nova validioraque remedia expostularet, Clemens PP. XII Constitutione quae incipit, *In Supremo Iustitiae Solio,* data die 1 Februarii anni 1735, haec pro Alma Urbe ac reliquo Statu Ecclesiastico statuit: (1)

(1) Haec Constitutio edita pro Ditione temporali Pontificia, per particularia

1. Ut Benedicti XIII Constitutio Laicos animo praemeditato ac deliberato proximum suum interficientes a beneficio Ecclesiasticae Immunitatis excludens, ad ipsos Ecclesiasticos cuiuscumque gradus et ordinis existentes in Urbe ac Universa Pontif. ditione homicidium animo similiter praemeditato patrantes extenderetur et ampliaretur, integro tamen manente fori privilegio.

2. Ut comprehensi in Benedicti XIII Constitutione teneri debeant homicidii Rei natu minores 25, maiores vero 20 annis tam Laici quam Clerici atque omnes et singuli sive Laici sive Clerici qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium, cooperationem, aut aliam operam occisori praebuerint.

3. Ut Immunitatis beneficio minime gaudeant omnes et singuli praedicti tam Laici quam Ecclesiastici qui in Urbe ac Ditione ex causa et occasione homicidii etiam in rixa commissi, cum armis seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, inquisiti et processati vel in contumaciam Banniti et condemnati fuerint, dummodo homicidium fuerit casuale, vel ad propriam defensionem. (1)

Postea vero *edita fuit* Constitutio Benedicti PP. XIV incipiens « *Officii nostri* » quae quoad personas Immunitatis asylo non gaudentes haec habet: « Cum dubita- » tum fuerit an sub hac Clemen- » tis Praedecessoris ampliatione et » extensione » (qua Ecclesiasticos homicidii reos ab asyli Immunitate excludere voluit) « Regularium » quoque Ordinum Professores et » Alumni comprehendantur, Nos, » ad omnem super hoc dubitatio- » nem tollendam, *decernimus et* » *declaramus, omnes et singulos* » *cuiuscumque Ordinis, Congrega-* » *tionis, Militiae et Instituti Re-* » *gulares, tam in ipsis expresse* » *Professos, quam illis quomodoli-* » *bet adscriptos, cuiuscumque gra-* » *dus ac conditionis extiterint,* » *etiamsi ex ipsorum Ordinum pri-* » *vilegio, seu alias, quaelibet ex-* » *pressa et individua mentio de* » *ipsis eorumque Ordinibus, ad hoc* » *ut sub praesentis aut praemissa-* » *rum Constitutionum censura com-* » *prehendantur, habenda foret, si* » *qui unquam, quod Deus avertat,*

Brevia extensa postea fuit ad diversa alia Dominia ac signanter ad totum Dominium Regis Sardiniae a Benedicto XIV.

1) Pro Ditione Pontificia die 5 Novembris anno 1831, iussu Gregorii PP. XVI aliae editae fuerunt litterae Asyli immunitatem spectantes, quae inveniuntur in Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR., cura A Bizzarri, tunc temporis eiusdem S. C. a secretis, postea vero S. R. E. Cardinalis, edita, uti videre est pag. 194. Hae litterae ab Em. Viro. T. Card. Bernetti subsignatae et italico idiomate conscriptae, cum solam Ditionem Pontificiam spectent, a nobis hic per extensum non referuntur. Cum tamen ius vetus aliqua ex parte innovent, suis locis aliquid de iis adnotabimus.

» *homicidium animo praemeditato* » *ac deliberato patraverint, a bene-* » *ficio Immunitatis Ecclesiasticae,* » *iuxta formam earumdem Constitutionum Benedicti et Clementis,* » *exclusos fore et censeri* ».

« Et quoniam praedictus *Clemens Praedecessor,* speciali decreto edito die 5 Octobris an. 1736, *expresse declaravit Mulieres etiam* quae aliquod delictum huiusmodi commisissent, quod inter excepta et ab Immunitatis localis beneficio exclusa iuxta praemissa haberi debeat, *pari iure hac in re cum viris censeri et sub dispositione ipsius Litterarum incipientium,* In Supremo Iustitiae solio, *aeque in omnibus comprehendi debere, Nos,* huius nostrae Constitutionis tenore, *declarationem praedictam approbamus et confirmamus, eique inviolabilis legis, iuxta quam in occurrentibus casibus iudicari omnino debeat, plenarium robur adiicimus, decernentes similiter ac declarantes sub eiusdem Clementis, Nostraeque huius Constitutionis dispositione etiam Milites in omnibus et per omnia comprehensos esse, nec ullum militare privilegium hac in parte ipsis suffragari posse aut debere* ».

« Praeterea, cum in praefata Clementis Deccessoris Constitutione, ab Immunitatis praedictae beneficio excludantur omnes et singuli tam Laici quam Ecclesiastici inquisiti et processati, vel in contumaciam banniti et condemnati, ex causa et occasione homicidii etiam in rixa commissi, cum armis seu instrumentis suapte natura apti ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale vel ad propriam defensionem, saepe disputari contingit an is qui, non casu vel ex propriae defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo aut saxo, quae scilicet vel arma non sunt, vel, si ita appellari possint, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent, ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat; *Nos,* igitur, super huiusmodi dubio definiendo, *decernimus quemcumque homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Saecularem, aut cuiusvis Ordinis Regularem, qui etiam Baculo aut Saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu aut ex necessaria defensione sed ex odio et nocendi animo ac voluntate prodiisse* ». . . . . .

Inferius vero haec habet: « *Nos* per praesentes *decernimus ac mandamus ut, percussore ad Ecclesiam aliumve Sacrum aut Religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti grave vitae periculum adesse retulerint, percussor ipse e loco*

» *immuni, servatis servandis, ex-*
» *tractus, carceribus mancipetur;*
» *hac tamen lege, ut Ecclesiae om-*
» *nino restituatur, ubi is qui vul-*
» *neratus fuerit ultra tempus a le-*
» *gibus constitutum superstes vivat,*
» *et quidem sub iisdem quibus in*
» *memoratis Benedicti et Clementis*
» *litteris ii subiiciuntur, qui delin-*
» *quentem ex indiciis ad torturam*
» *sufficientibus sibi traditum, resti-*
» *tuere recusent, postquam in suis*
» *defensionibus huiusmodi indicia*
» *diluerit.* » . . . . . .

« Decernentes in numero trans-
» gressorum eos etiam esse qui.....
» Ecclesias et loca immunia obsi-
» dere praesumunt ac impediendo
» ne ad illos qui sacro confugio se
» tuentur alimenta deferantur, sive
» aliter, eosdem in Curiae Saecu-
» laris potestatem se dedere co-
» gunt; *Nos eos qui talia ausi*
» *fuerint, sive confugientes huius-*
» *modi de exceptis delictis sive de*
» *aliis non exceptis inquisiti sint...*
» *omni beneficio ac privilegio Ec-*
» *clesiastici confugii et asyli tam*
» *apud Ecclesias et loca immunia ab*
» *ipsis sic violata, quam apud alias*
» *quascumque Ecclesias et loca Sacra*
» *ac Religiosa, indignos atque pri-*
» *vatos fore et habendos esse* non
» secus ac alii omnes qui confu-
» gientibus vim inferunt, aut ipsos
» ab Ecclesia aliove loco immuni
» violenter extrahunt et abducunt,
» quos scilicet laudatus Praedecessor
» Benedictus XIII, in sua allegata
» Constitutione, non illius tantum
» Ecclesiae quam violarint, sed cu-
» iuscumque etiam alterius Eccle-
» siae immunitate gaudere nequa-
» quam posse aut debere declara-
» vit, et quorum Nos numero su-
» pradictos etiam *iure et merito*
» *accensendos esse decernimus* » Hu-
» cusque Benedictus XIV.

Iis omnibus Pontificiis Consti tutionibus inhaerentes ac Sacrorum Canonum statutis adhuc vigentibus, putamus quod asyli immunitate non gaudeant:

1. *Publici Latrones viarumque grassatores qui itinera frequentata publicasque stratas obsident ac Viatores insidiis aggrediuntur.* Quid nomine latronis veniat, habetur in *can. Cum homo* 19 caus. 23, q. 5, « Cum homo ab homine oc-
» ciditur cupiditate aliquid aufe-
» rendi *sicut fit a Latrone* » Hinc communiter DD. tenent, latronem illum esse qui cupiditate aliquid auferendi occidit hominem. Publicus autem latro dicitur qui id pluries fecit in itineribus frequentatis, ita ut publicus latro cognoscatur vel *notorietate iuris* si huiusmodi crimina confessus sit in iudicio, vel *notorietate facti* si delictorum patratorum notitia ad aures aliorum pervenerit. Hinc ut quis publicus latro dici possit requiruntur quatuor conditiones:

a) Ut homicidium vere committat; non sufficit ergo quod solum huiusmodi delictum attentet, sed oportet ut illud consummet, quia sumus in materia poenali et in praeiudicium

Immunitatis Ecclesiasticae,uti observat Pignatelli *Consult. Can.* tom. 9. cons. 28 n. 26.

b) Ut homicidium committat auferendi causa.

c) Ut id faciat in itineribus, locis vel viis publicis sive, ut ait Benedictus XIII in Const. citata, etiam *in vicinalibus.*

d) Ut constet notorietate iuris vel facti de homicidio in publica via auferendi causa commisso. Hinc non sufficit praesumptio vel suspicio, et donec crimen probetur ab Ecclesia reus extrahi non potest.

e) Ante Benedicti XIII Constitutionem, DD. omnes putabant requiri saltem trinam grassationem ut quis dici posset latro publicus. At postea Benedictus XIII declaravit *unicam tantum grassationem in via publica aut vicinali admissam, sufficere ad hoc ut quis publicus latro et Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio sequuta fuerit.*

Grassatores autem et Latrones publici in eo differunt, quod Latrones in publicis itineribus praedandi causa homines cum caede aggrediantur; Grassatores vero id faciant absque caede vel membrorum mutilatione. Hinc grassator non mutilans vel occidens non comprehenditur in restrictione Benedicti XIII. Ex his autem infertur fures qui absque caede aliena clam auferunt, non privari asylo quia furtum inter delicta excepta non annumeratur.

2. *Depopulatores Agrorum.* Iure Veteri, ut patet ex *c. Inter alia 6 De Immun. Eccles.*, Asyli Immunitate excludebantur tantum nocturni Agrorum depopulatores; sed cum Gregorius XIV in sua Constitutione quae incipit *Cum alias,* loquatur indistincte, quidquid dicant Del Bene aliique plures DD., tenendum est cum Schmalzgrueber et Reiffenstuel exclusos esse etiam Agrorum diurnos Depopulatores. Agrorum Depopulatores vocantur qui agrorum segetes aut vinearum fructus depopulantur, sive eosdem comburendo, sive destruendo, sive quocumque alio modo devastando, quacumque de causa id faciant, dummodo tamen totaliter vel graviter vastent, comburant vel alio modo destruant segetes.

3. *Qui homicidium et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque Coemeteriis committere non verentur.* Isti privantur Asyli immunitate a Gregorio XIV in Constitutione pluries citata. Postea vero a Benedicto XIII exclusi fuerunt etiam *qui stantes in Ecclesia vel Coemeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, aut ipsis membrum mutilat; nec non qui stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam vel Coemeterium aut iis membrum mutilant,* ita ut *non illius tantum Ecclesiae quam violarunt,sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesiae Immunitate gaudere nequaquam possent aut deberent.* Ra-

tio huiusmodi exceptionis, duplex videtur:

a) Quia delictum praesumitur patratum ob fiduciam Immunitatis.

b) Quia iuxta acceptum axioma, *non debet iuvari quis praesidio eius quem contemnit.*

Quoad homicidium in Ecclesia patratum, nulla dubitatio movetur.

Difficultas est quoad mutilationem. DD. agentes de irregularitate, communiter tenent mutilationem esse recisionem alicuius membri quod vere membrum dici possit et valeat uti sunt manus, pes, oculus, etc. quia habent officium ab aliis membris distinctum, non vero digitus, dens, pars aliqua carnis vel sanguinis; ideoque qui haec mutilaret in Ecclesia vel Coemeterio, adhuc gauderet Ecclesiastica Immunitate.

Dubium movetur de eo qui vulnerat in Ecclesia vel Coemeterio. S. Congregatio Immunitatis die 16 Novembris 1618 decrevit quod; *Qui » faciem vel vultum vel os cuipiam » in Ecclesia vulnerat, gaudet » Immunitate* ». Quid autem si vulneret lethaliter ita ut vulneratus moriatur extra Ecclesiam? Videtur, saltem hoc ex capite, gaudere. Nam quamvis uti, observant del Bene et Bonacina, iste ponat causam sufficientem homicidii, tamen non est ex iis qui homicidia in Ecclesiis committere non verentur. Praeterea Pignatellius tom. 2 Cons. 67 refert decretum S. C. Im. in *Tropiensi* 14 Maii 1669, in quo Sacerdos quidam cum lethaliter vulnerasset alium Sacerdotem tempore quo in choro cantabantur Vesperae Solemnes, condemnatus fuit ad triremes per decennium *a Sacra Congregatione, audito Oraculo Sanctissimi.* Ex hoc casu infertur quod lethaliter aliquem in Ecclesia vulnerans gaudeat Immunitate; nam si non gauderet, inutile foret Sanctissimi Oraculum ad eum condemnandum, cum Curia Episcopalis in casibus exceptis facultate extrahendi reos polleat. Nec dici posset hoc factum fuisse quia hic casus ante Gregorianam Constitutionem accidit; nam et antea Gregorius IX in *cap. fin. de Imm.* statuerat *non gaudere Immunitatis privilegio qui homicidia vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque Coemeteriis committere non verentur;* unusquisque autem videt verba Gregorianae Constitutionis ad litteram ex hoc canone desumpta esse.

Hic tamen quaeritur utrum gaudeat Immunitate qui homicidia vel mutilationes membrorum committit in atrio, scalis, porticis aliisve locis Ecclesiae adhaerentibus, quae ut vidimus Immunitate pollent: Videtur respondendum negative ex pluribus decretis S.C.et praesertim in *Perusina* 21Novembris 1635 «S.C. censuit » Oratorem gaudere debere Immuni- » tate Ecclesiastica, cum archibusium » ex cuius ictu sequuta est mors Lau- » rentii, (de quo in casu) non sit » explosum in Ecclesia vel Coeme-

» terio, sed tantum in loco im-» muni. » et in *Hieracensi* 26 Decembris 1642, « S. C. censuit, Ora-» torem qui Ioannem Baptistam » Zarzanam occidit in limine por-» tae Ecclesiae, gaudere debere » Immunitate Ecclesiae » uti videre est apud Pignatellium tom. I Cons. 171.

Idem dic de occidente aliquem e fenestra Ecclesiae, quamvis non liceat tenere fenestram in ipsis Ecclesiae parietibus ex qua possit in Ecclesiam prospici. (1).

Quaeritur *secundo* utrum mandans aliquem mutilare vel occidere in Ecclesia gaudeat immunitate. Reiffenstuel, Barbosa aliique plures negant ex eo quod *qui per alium facit, per seipsum facere censetur,* et quia mandans aliquem ab Ecclesia iniuste extrahi incurrit in censuram Bullae Gregorianae, ita ut videatur a pari argui posse etiam pro mandantibus homicidium. At videtur quod huiusmodi mandantes gaudeant asyli immunitate; (2) isti enim proprie loquendo, non dicuntur occidere vel mutilare, sed tantum mandare homicidium vel mutilationem, et bulla privat immunitate solum vere homicidium facientes. Praeterea ubi S. Pontifex mandantes aliquod delictum a beneficio Immunitatis exclusos voluit, id aperte expressit, uti est ubi excludit mandantes assassinii. Hic ergo venit notissima illa iuris Regula: *Quod legislator voluit, expressit, quod autem non expressit, noluisse censendus est.* Ad rationes autem allatas respondemus, facientem aliquid per alium censeri per seipsum facere non realiter, sed fictione iuris; Summus Pontifex autem privat immunitate eos qui realiter occidunt vel mutilant in Ecclesia, non vero qui tales fictione iuris reputantur. Ad *secundum* vero dicimus quod a diversis et disparatis non valet illatio, *l. Papianus exuli ff. de minor.* Qua de causa cum iussio iniuste extrahendi aliquem ab Ecclesia sit quid diversum a iussione occidendi aliquem; ex illo non potest legitime ad istud concludi; deest enim paritas.

Quaeritur *tertio*: utrum qui patrant alia delicta etiam graviora in Ecclesia vel Coemeterio, privilegio immunitatis priventur. Respondendum videtur *negative,* cum Gregorius XIV in sua Constitutione expresse declaret, sola crimina a se ibidem expressa privari Asylo; non vero alia *etsi aequipolleant aliis in iure expressis,* aut adsit *paritas, identitas aut maioritas rationis.*

4. *Qui proditorie proximum suum occiderit.* Hoc ex constitu-

(1) De hac quaestione, an scilicet liceat tenere fenestram in ipsis Ecclesiae parietibus, ex qua etc. late disserit Pignatelli Tom. IV. cons. 129.

(2) Mandantes, de quibus hoc loco, non sunt confundendi cum mandantibus assassinium, qui iuxta relatam Benedicti XIII Constitutionem immunitate privantur.

tione Gregoriana. Movebatur gravis quaestio inter DD. circa requisita ad hoc ut homicidium reapse proditorium dici posset. Inutilis nunc dicta quaestio videtur; Benedictus enim XIII exclusit ab Asyli immunitate *occidentes proximum suum animo praemeditato vel deliberato,* ita ut cum constet certe homicidium non fuisse nec ex subita ira, nec casuale vel ad propriam defensionem, reus possit servatis servandis, extrahi a loco immuni. Clemens XII his addit pro sola Pontif. Ditione reos homicidii etiam in rixa commissi, dummodo tamen non fuerit casuale vel ad propriam defensionem.

Postea vero Benedictus XIV Constitutione quae incipit, *Detestabilem,* data IV Idus Nov. 1752, ampliavit Constitutionem Benedicti XIII excludentem ab asyli Immunitate reos homicidii praemeditati ac deliberati etiam pro eis qui occidunt in duello. Praestat hic eius verba referre:

« Statuimus atque decernimus » ut si quis in duello, sive publi- » ce sive privatim indicto, homi- » nem occiderit, sive hic mortuus » fuerit in loco conflictus, sive ex- » tra illum ex vulnere in duello » accepto, huiusmodi homicida, » tanquam interficiens proximum » suum animo praemeditato ac de- » liberato, ad formam Constitu- » tionis Fel. Record. Praedeces- » soris Nostri Benedicti XIII, quae » incipit, *Ex quo divina,* data IV » Idus Iunii anno Domini 1725, ab » Ecclesiasticae Immunitatis bene- » ficio exclusus et repulsus omnino » censeatur, etc. » (1)

5. *Rei assassinii.* (2) Nefandum assassinii crimen ita videtur ex communi DD. definiendum: *Homicidium commissum pro aliquo certo ac sufficienti praetio more praemii accepto vel promisso.* Ex his deducitur quod ad Assassinii crimen constituendum requiritur:

a) Ut adsit verum Homicidium, non autem vulnus nisi, sit lethale et datum proposito occidendi.

b) Ut homicidium sit revera consummatum, uti declaravit S. C. EE. et RR. in *Sarzan.* die 21 Februarii 1620.

c) Ut praetium pro homicidio datum vel promissum sit certum ac determinatum, non autem generatim statutum.

d) Ut praemium sit sufficiens, nempe tale quod in iis adiunctis appareat criminis causa impellens.

e) Ut praetium datum vel promissum sit veluti assassinii praemium.

Cum autem rei Assassinii sint

(1) Si vero non habetur mors sed vulnus tantum recole verba Benedicti XIV superius allata circa hanc rem.

(2) Inutile non videatur hic enumerare inter crimina excepta etiam assassinium; nam etsi Assassinii comprehendantur inter eos qui occidunt proximum suum animo praemeditato ac deliberato, non ita tamen erat de mandantibus, qui utique si mandent assassinium immunitatis beneficio privantur, non vero si homicidium.

non solum mandatarii sed etiam omnes qui auxilium, consilium vel favorem praestant, dummodo tamen auxilium, consilium vel favor ita influant in assassinium, ut revera causae illius dici possint, hinc Benedictus XIII haec in sua Constitutione superius relata habet:

« Ad haec, *in crimine Assassinii,* » non modo mandatarios qui in » ipsamet Gregoriana Constitutione » aperte excipiuntur, sed *etiam* » *mandantes* qui certum praemium » vel mercedem sive in pecunia, » sive in aliis rebus tradiderint » aut promiserint, quamvis pro- » missio nullum habuerit effectum, » *dummodo Assassinium re ipsa* » *patratum fuerit, ab Ecclesiasti-* » *cae Immunitatis beneficio exclu-* » *dimus, ac pro exclusis perpetuo* » *haberi volumus et mandamus.* »

6. *Rei Haeresis* dummodo tamen ob alia crimina ad Ecclesias non confugiant; haec est sententia probabilior et videtur communis. Quaestio hic movetur; utrum nomine reorum haeresis intelligantur etiam de haeresi suspecti. Bonacina auctoritati innixus Filiuccii Covarruviae, Suarez, Deciani, etc. affirmat. Item Thesaurus, *De poenis Ecclesiasticis,* Par. II. Cap. IV eamdem sententiam tenet. Praeterea Ioannes XXI dictus XXII in sua Constitutione, cuius initium *Ex parte vestra* statuerat ut Haeretici aut *de Haeresi suspecti* confugientes ad loca immunia, ab Inquisitore extraherentur; quae Constitutio approbata fuit a Benedicto PP. XIV anno 1751 in sua Encyclica ad Inquisitores contra Haereticam pravitatem.

Quaenam crimina habeantur suspecta de Haeresi tradit S. Alphonsus Lib. IV. N 251, et sunt:

a) *Nuptiae contractae vivente coniuge.*

b) *Nuptiae Clerici in Sacris constituti vel Religiosi professi.*

c) *Si quis sine Sacerdotio Missam celebrat aut aliud Sacramentum conficit;* ita ex Const. Pont. Vide Salm. N. 8 de I Pr. C. 4. qui extendunt ad Sacerdotem celebrantem pluries in die vel non ieiunum sine iusta causa.

d) *Alii pariter censent suspectum esse de haeresi Confessarium sigillum violantem.* At hoc negant probabiliter Salm. cum Lugo, Bonac. Molin., *nisi ille errorem teneat non adesse obligationem sigilli, vel istud non ita rigorose obstringere.*

e) His a S. Alphonso recensitis criminibus, adde etiam crimen eorum qui nomen dant Sectae Massonicae uti videre est in Append. praeced.

Rei Haeresis sunt etiam Haereticorum Receptores, Fautores, et omnes alii qui recensentur in Appendice I.huius Commentarii. Est communis DD. sententia. Etiam schismatici communiter tenentur uti rei Haeresis; etenim Schisma raro ab Haeresi disiuncta reperitur.

7. *Rei laesae Maiestatis in persona ipsiusmet Principis.* Reatum

laesae Maiestatis in persona Principis, habetur cum adversus Personam ipsius committitur actio aliqua realis et positiva, vel mandatur, vel auxilium consilium aut favor praestatur. Ex his infertur :

a) Nomine Principis hic venire tantum qui plenum ius in suo Territorio obtinet, et in temporalibus neminem superiorem agnoscit. Ita in re comm. DD.

b) Non intelligi proinde nec propinquos, nec consiliarios nec Ministros ipsius.

c) Reos laesae Maiestatis esse etiam Criminis huiusmodi Mandantes, auxiliantes, consiliarios et faventes qui reapse influant in actionem.

8. *Qui confugientibus* (ad locum immunem) *vim inferunt, atque alios ab Ecclesiis aliove loco immuni violenter extrahunt et abducunt.* Postea Benedictus XIV « in numero transgressorum eos etiam esse (voluit) qui.... Ecclesias et loca immunia obsidere praesumunt, ac impediendo, ne ad illos qui Sacro Confugio se tuentur alimenta deferantur; sive aliter, eosdem in Curiae Saecularis potestatem se dedere cogunt; *Nos eos qui talia ausi fuerint*, sive confugientes huiusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint.... *omni beneficio ac privilegio Ecclesiastici Confugii et asyli* tam apud Ecclesias et loca immunia ab iis sic violata quam apud alias quascumque Ecclesias et loca Sacra ac Religiosa, *indignos atque privatos fore et habendos esse,* non secus ac alii omnes qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia aliove loco immuni violenter extrahunt et abducunt, quos scilicet laudatus Praedecessor Benedictus XIII in sua allegata Constitutione, non illius tantum Ecclesiae quam violarint, sed cuiuscumque, etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse aut debere declaravit, et quorum Nos numero supradictos *etiam iure et merito* accensendos esse *decernimus.* ». His verbis comprehenduntur omnes Immunitatis Ecclesiastici Asyli violatores; de casibus particularibus agemus infra cum sermo nobis erit de iis violantibus qui in Excommunicationem a Constitutione *Apostolicae Sedis* latam incidunt.

9. *Falsificantes Litteras Apostolicas.* Circa horum verborum extensionem, vide Appendicem VIII Commentarii nostri, Pag. 293 et seqq.

10. *Ministri Montis Pietatis vel alterius Publici Telonii aut Banci pro depositis Principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in praedictis locis committentes, cuius ratione Arca pecuniaria ita minuatur ut poenae ordinariae locus sit.* (1)

(1) De hac re perlegenda omnino est Benedicti XIII Constitutio incipiens *Iamdudum* data die 26 Septembris anno 1729.

11. *Conflantes, adulterantes vel detondentes quascumque monetas aureas vel argenteas etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco aut Provincia, ubi crimen admittitur publicum habeant usum atque commercium;* vel *ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere et erogare praesumentes, ut fraudis conscii atque participes censeri possint.*

12. *Qui sub nomine Curiae sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio vel mutilatione membrorum alicuius ex domesticis earumdem aedium vel etiam extranei quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur.* Hoc caput reducitur ad illud de occidentibus proximum suum animo praemeditato et deliberato. (1)

Post haec, ut completam de Immunitate tractationem porrigamus oportet breviter enumerare iura quibus ad locum immunem confugientes fruebantur. Haec erant:

1. Rei confugientes ad locum sacrum debebant recipi, nec poterant repelli.

2. Non poterant extrahi neque de eorum consensu antequam e loco sacro discederent. Sic pluries, decrevit S. C. I. uti in *Caiacensi* 20 Novembris 1640, lib. 3 decret. Paul. pag. 134. Asyli enim immunitas non in favorem personarum, sed in venerationem locorum sacrorum tributa est.

3. Non poterat impediri quominus eis victus et vestes aliaque necessaria deferrentur, nec capi debebant cum ad naturales necessitates satisfaciendas aliquantulum e loco immuni abire cogebantur.

4. Si aliunde non habebant unde sustentarentur, debebant ali de bonis Ecclesiae aut loci sacri. Poterant tamen a Rectoribus Ecclesiarum vel Monasteriorum cogi ad laborandum

(1) Ex superius memoratis litteris a Secretaria Status Eccl. anno 1831 editis excluduntur ab Imm. Asyli Ecclesiastici pro sola ditione Pontificia, praeter delicta iam enumerata:

1 Blasphemantes publice, nec non Imaginum Sacrarumque Reliquiarum percussores.

2. Publici percussores Clericorum incedentium in habitu ac tonsura.

3. Rei subreptionis rerum Sacrarum et excessuum quorum causa Ecclesiam denuo benedicere oporteat.

4. Rei conventiculorum ac societatum damnatarum in forma Apostolicarum Constitutionum.

5. Mandantes homicidium proditorium vel praemeditatum.

6. Depopulatores agrorum et incendiarii dolosi iis in casibus pro quibus lex civilis capitis poenam statuit. Caeterum unusquisque in delictis exceptis iudicandis, se gerat ad formam Concordatorum ac Brevium vigentium in locis quae inhabitat.

pro Ecclesia vel Monasterio ut expensae pro eis factae compensarentur, et praecipue ne Immunitas eis esset occasio otii tabescendi.

5. Quamdiu ibi degebant, non poterant condemnari ad mortem aut ad ullam poenam corporalem neque in contumaciam. Tamen huic iuri pluribus in locis derogatum fuit ut notat Haunoldus tom. 6. tract. 1. N. 249; et ita conciliantur plura decreta S. C. I. quae prima vice opposita viderentur. Poterant tamen ipsi confugientes puniri poena aliqua pecuniaria in illis bonis quae extra locum sacrum reliquerant.

6. Non poterant tamen expoliari suis rebus quae secum in locum Asyli tulissent, etsi fuerint arma et quidem prohibita.

7. Non poterant in loco sacro carcerari aut vinculis constringi. Ita pluries decrevit S. C. Immunitatis.

8. Non poterant apponi custodiae loco immuni; extra illum tamen permittebantur ad praecavendum ne libere Rei effugerent e loco Sacro. Ita Reiffenstuel, Farinacius, Bonacina, Marius Ital., Haunold, Castro Palao, et alii DD. communiter.

9. Rei ipsi si vellent, poterant voluntarie exire e loco sacro, et restitui debebant si per vim corporalem ab Ecclesia extracti capiebantur: idem erat si post oblatam a Iudice in scriptis securitatem seu salvum conductum Asylum dereliquissent. Difficultas movebatur utrum si quis blanditiis vel suasionibus Baroncelli et Birruariorum ductus abiisset e Loco Sacro et captus fuisset, esset Ecclesiae restituendus.

Ratio praecipua dubitandi in eo praesertim erat quod plerumque delinquentes capti extra locum sacrum, se dicerent per dolum extractos, et quamvis ab Ordinario vel a S. I. C. declararetur non constare de dolosa extractione, id non impediebat quominus non modicum tempus elaberetur quo iustitia careret effectu. Ad hanc dubitationem tollendam, Clementis XI iussu, peculiaris Congregatio constituta fuit ut haec prava consuetudo e medio tolleretur. In hac Congregatione Prosper Lambertini tunc temporis S. Consistorialis Aulae advocatus postea vero Pontifex Maximus nomine Benedicti XIV, de mandato S. C. I. votum suum exposuit. Editum illud fuit typis R. C. Apost. anno 1716 et refertur in Ephemeride cui titulus *Analecta Iuris Pontificii* lib. 47. Columna 1068. Ibi postquam exposuit argumenta eorum qui defendebant huiusmodi delinquentes gaudere debere Ecclesiastica Immunitate, haec habet: (1)

« Hae usque deducta probant » admittendos esse ad beneficium » Immunitatis eos qui extra Eccle- » siam capiuntur, si praecedenter » ad Ecclesiam confugium habue- » runt, et ab ipsa fuerunt extracti

(1) Nemo miretur si hic verba Eius referamus; inserviunt enim inferius dicendis.

» dolose vel oblata a Baroncello et
» Birruariis securitate, dummodo
» tamen extrahens aut habuerit in-
» telligentiam cum ministris captu-
» rantibus, aut animum habuerit
» consignandi extractum in eorum
» manibus, vel dummodo captura
» fiat ab illa eadem curia quae as-
» securavit. Ulterius argumenta quae
» fuerunt in praecedentibus allata,
» demonstrant nihil esse in hac
» materia innovandum. At, praedi-
» ctis omnibus minime obstantibus,
» approbandum esse censerem tem-
» peramentum a plerisque cordatis
» Viris propositum, ut videlicet, per
» litteram Circularem, a S. Congre-
» gatione de Ordine SSmi Ordinariis
» conscribendam, notificaretur quod
» qui ad Ecclesiam confugerunt
» et confugient, et in ipsa perma-
» nent aut permanebunt, eadem
» gaudent et in posterum gaude-
» bunt, qua in praeteritum gavisi
» sunt Immunitate; idemque pro-
» cedere tum quoad eos qui extra
» Ecclesiam capti sunt aut capientur,
» dummodo doceatur per vim cor-
» poralem fuisse ab Ecclesia abstra-
» ctos; tum quoad alios qui ab Eccle-
» sia exierunt aut exibunt, et capti
» sunt aut capientur post oblatam
» a iudice in scriptis securitatem
» seu salvum conductum, in cuius
» sequelam, Ecclesiae asylum de-
» reliquerunt; quoad caeteros vero
» qui ad Ecclesiam confugerunt
» aut confugient, eosdem admo-
» neri ut in eadem permaneant, et
» ne ullam fidem praestent verbis
» cuiuscumque personae, quae illos
» suadent ad exeundum; ipsique
» similiter sciant sibi suffragari non
» posse Assecurationes oblatas a
» Baroncello seu Birruariis; ita ut
» si quis imposterum post confu-
» gium exeat ab Ecclesia sub ob-
» tentu suasionum sibi factarum,
» vel assecurationis oblatae, prae-
» terquam a iudice et quidem in
» scriptis, sciat se voluntarie spo-
» liare privilegio Immunitatis Ec-
» clesiasticae, et Immunitatem fru-
» stra esse conclamaturum si extra
» Ecclesiam capiatur; cessat etenim
» in hoc rerum themate quaecum-
» que bona fides; per hanc etiam
» semitam procedendo, non me-
» diocris momenti mala evitabun-
» tur, ut infra ostendetur. Quod-
» que notabilius est in hac facti
» specie, non est imaginabilis ulla
» Ecclesiasticae Immunitatis viola-
» tio. Illi quippe, qui post admo-
» nitionem publice factam, quod
» cuiuscumque personae verbis,
» excepto iudice, fidem non prae-
» stent, neque credant assecura-
» tioni oblatae a Baroncello seu
» Birruariis, illi, inquam, qui post
» haec ab Ecclesia exibunt et ex-
» tra Ecclesiam capientur, in om-
» nibus et per omnia perinde se
» habebunt, ac si sponte sua ab
» Ecclesia exiissent, quo stante,
» sicuti qui ad Ecclesiam confugit et
» sponte exit ab Ecclesia, bene
» captus est nec ulla in hoc facto
» contingit violatio Immunitatis Ec-
» clesiasticae, ita nulla dici poterit

» quod adsit Ecclesiasticae Immu-
» nitatis violatio si imposterum quis
» exeat ab Ecclesia credens alio-
» rum verbis, aut assecurationi
» Baroncelli et Birruariorum, et
» extra Ecclesiam capiatur. . . . .
. . . . . »

Cum hanc sententiam S. Congregatio approbasset, die 22 Decembris anno 1716 Decretum promulgavit ipsius Clementis XI auctoritate firmatum quod deinde ad omnes Italiae insularumque illi adiacentium ac etiam ad Hispaniarum Episcopos transmissum fuit. In eo statuebatur ut « omnibus Ordinariis tam Italiae
» Insularumque illis adiacentium,
» quam etiam Hispaniarum scribe-
» rentur Litterae, per quas illis
» iniungeretur ut publico Edicto
» notificent et moneant omnes et
» singulos qui ad Ecclesias, aliave
» Loca immunia confugerunt vel
» in posterum confugient, ut, qua-
» tenus gaudere velint beneficio
» Immunitatis Ecclesiasticae Loca-
» lis, curent in iisdem Ecclesiis et
» locis immunibus permanere, ca-
» veantque ne ullo praetextu, causa,
» vel quaesito colore ad eas vel ea
» deserenda se induci sinant; nam,
» si extra illas vel illa ab Execu-
» toribus Iustitiae capti fuerint,
» minime eis proderit allegare vel
» etiam probare quod fallacibus
» suasionibus, blandis verbis, as-
» securationibus, dolosisve machi-
» nationibus extracti fuerint;.... »

At, sicut in casibus non exceptis confugientes e loco immuni extrahi non poterant; ita etiam illi qui patraverant delicta in iure excepta, non debebant quocumque modo vel cuiuscumque auctoritate extrahi, sed servandae erant iuris solemnitates. Hae autem spectabant vel:

a) Personam extrahentem, vel
b) Causam extractionis, vel
c) Modum ipsum traditionis.

Ad absolvendam igitur hanc Immunitatis localis tractationem oportet de huiusmodi solemnitatibus loqui, praesertim cum earum deficientia in reorum traditione, habeatur uti Immunitatis violatio.

Quoad personam quae in casibus exceptis auctoritate extrahendi pollebat, ecce verba Gregorianae Constitutionis pluries citati:

« Volumus.... et declaramus ut
» Curia Saecularis eiusque Iudices
» et Officiales ab Ecclesiis Mona-
» steriis Locisque Sacris praedictis
» Laicum aliquem, ut praefertur
» delinquentem, in nullo ex casi-
» bus supradictis, sine expressa li-
» centia Episcopi vel eius Officia-
» lis (1) et cum interventu Perso-
» nae Ecclesiasticae ab eo auctori-
» ritatem habentis *(ad quos solos,*
» *et non alios Episcopis inferiores,*
» *etiamsi alii Ordinarii sint, aut*
» *Nullius Dioecesis, aut Conserva-*
» *tores ab hac Sede specialiter vel*
» *generaliter deputati, praedictam*

(1) Nomine Officialis Episcopi hic venit eius Vicarius Generalis.

» *licentiam dandi facultas pertineat*. Occurrente autem casu in » loco exempto et nullius Dioecesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur haec cognitio et » non ad alios) capere, extrahere aut incarcerare non possint » nisi eo casu quo ipse Episcopus et dictae personae Ecclesiasticae » requisitae, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, » aut capturae et carcerationi intervenire et assistere recusarint; » tuncque, reverentiae Ecclesiae et » locis sacris debitae memores, praedictos delinquentes minori quoad » id fieri poterit, scandalo et tumultu extrahere curent. » (1)

Cum autem haec a Summis PP. Benedicto XIII et Benedicto XIV approbata fuerint, habemus quod:

1. Cognitio an delictum patratum ab aliquo confugiente sit nec ne exceptum, spectat ad Episcopum, vel Eius Vicarium Generalem.

2. Nullimode hinc sustineri potest sententia eorum qui asserunt Vicarium Capitularem de re cognitionem posse sumere Sede Vacante, Id inter alios defendit Schmalzgrueber. At nos habemus plura decreta S. C. I. apud Riccium, verbo *Vicarius Capitularis* quae contrarium omnino statuunt uti in *Vercellens. 9* Nov. 1650; in *Calaritana 30* Septemb. 1698; in *Regiens. 19* Novemb. 1641 etc.; ubi etiam affirmatur cognitionem spectare ad Episcopum viciniorem.

3. Pariter occurrente casu in loco exempto vel nullius Dioecesis, cognitio devolvitur ad *Episcopum Viciniorem*. Nomine *Episcopi vicinioris* plerique Doctores non illum intelligunt cuius Dioecesis vicinior est sed illum qui viciniorem habitationem habet etsi eius dioecesis magis distet. At sicuti et in pluribus aliis casibus putamus, Episcopum viciniorem illum esse cuius Cathedralis Ecclesia vicinior est Ecclesiae principi loci exempti vel nullius Dioecesis.

4. Benedictus XIV facultatem fecit Episcopis delegandi Vicarios Foraneos vel alias personas Ecclesiasticas ad cognoscendum super qualitate delicti, cum delicta excepta in locis a Curia remotis perpetrantur. « Nos per easdem prae-

(1) Adnotari hic debet quod S. Alphonsus, *De privilegiis* n. XXVI dicit » *In casibus clare exceptis, potest iudex saecularis ex se extrahere ab Ecclesia delinquentes iuxta communem praxim* ». Hoc aperte opponitur Constit. Benedicti XIII incip. *Ex quo divina*, ubi Pontifex in excommunicationem incidere declarat qui talia ausi fuerint. S. Doctor potuit decipi vel auctoritate Salmaticensium ibi citat., qui cum multo ante hunc Pontificem vixissent, non poterant scire statuta posteriora; vel consuetudine in regno Neapolitano inducta etiam ante Benedicti XIII Contitutionem. Quod autem haec consuetudo immemorabilis aliquibus in locis extitisset, probari potest ex Const. Benedicti XIV. ubi statuitur observandas esse has regulas *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili*. Attamen prae oculis habenda sunt. Concordata quae a Romanis Pontificibus cum saecularibus principibus inita sunt.

» sentes, praedictis Episcopis aliis-
» que Superioribus Praelatis facul-
» tatem concedimus et impertimur
» ut, quoties in huiusmodi casibus
» pro parte Curiae Laicalis requi-
» siti fuerint, Vicariis suis Foraneis,
» sive etiam aliis personis Eccle-
» siasticis ad id per ipsos Antisti-
» tes deputandis, committere pos-
» sint ut iudicia ad extractionem
» necessaria iuridice colligant.

5. Superiores vero Regulares nullimode habent facultatem cognoscendi super qualitate delicti. Anno 1734 Clemens XII precibus annuens Fr. Petr. Paul. de Cirignola Procuratoris Generalis Ordinis S. Francisci facultatem dedit Ministris Provincialibus et Guardianis suos subditos delinquentes extrahendi ab Ecclesiis suorum Conventuum et ducendi ad Carceres Claustrales. At anno 1736 die 28 Iulii decretum prodiit e Secretaria Memorialium abrogans recensitas facultates per eamdem Secretariam concessas. Restat igitur ut Episcopus vicinior in similibus casibus agat prout de iure. (1)

6. Si autem quis delictum in una Dioecesi patret, et in alia Asylum adeat, tunc ex constitutione Benedicti XIV superius citata, Episcopus, in cuius Dioecesi delictum patratum fuit, sine mora cumulet indicia ad capturam requisita, et transmittat ad Episcopum alterius loci in quo delinquens Asylum coepit.

(1) Vide Ferraris Verbo *Immunitas*.

7. Quoad reos Haeresis aut de Haeresi suspectos, Benedictus XIV in sua Encyclica ad Haereticae pravitatis Inquisitores die 20 Februarii anno 1751 missa, approbans Constitutionem Ioannis XXI incip. *Ex parte vestra* statuit *ut rei Haeresis extraherentur ab Inquisitore, certiorato antea vel postea Ordinario.*

8. Si autem Episcopus vel Personae Ecclesiasticae reum consignare renuant, Curia Saecularis potest absque tumultu et scandalo procedere ad extractionem, ut reus Carceribus Curiae Ecclesiasticae mancipetur.

Causa extractionis debet esse sufficiens, nempe debent adesse indicia quae vocantur *ultra torturam*, et quae ad capturam sufficientia sunt. Hinc non sufficit levis suspicio aut praesumptio.

Modus extractionis fit ita:

1. Requiruntur indicia sufficientia ad capturam declarandam.

2. Debet adesse persona Ecclesiastica ab Episcopo deputata.

3. Debet reus duci ad Carceres Curiae Ecclesiasticae, donec per probationem concludentem Episcopus certior fiat illum commisisse delictum exceptum.

4. Si indicia Reus purgaverit, seu ea insussistentia vel insufficientia demonstraverit, restituendus est Ecclesiae sub poenis in iure impositis.

5. Habitis indiciis quae vocantur *ultra torturam*, Reus debet Curiae Saeculari consignari, recepta

prius ab eius ministris obligatione in forma iuris valida restituendi extractum si indicia in suis defensionibus purgaverit.

6. Clerici et Rei Haeresis non sunt consignandi Curiae Saeculari, cum eorum iudicium spectet ad Curiam Ecclesiasticam.

7. In dubio de delicto excepto, Rector Ecclesiae vel Loci Immunis, *si fuerit requisitus* debet Reum custodire donec ab Ep. delicti qualitas cognoscatur.

8. A sententia Episcopi qui iudicat delictum commissum exceptum esse vel non, non datur Appellatio; etenim in Constit. Gregoriana dicitur *quacumque Appellatione remota.*

9. Iniuste extractus debet restitui eidem Ecclesiae a qua ablatus fuerat, cum suis rebus et armis. Hac in re consule Pignatelli Tom. I, Cons. 172.

Omnia quae hucusque exposuimus ab iure communi vim suam obtinent. Pius PP. IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* ius commune quoad Immunitatem localem integrum servavit, et Praedecessorum Suorum sanctiones sartas tectasque esse voluit. Nam cum excommunicatione mulctavit *Immunitatem Asyli Ecclesiastici* ausu temerario violare iubentes aut violantes, de illa immunitate asyli loqui voluit quae antea vigebat et prout antea vigebat. Hac de causa ea omnia exponere voluimus quae, de hac re habebant DD. ut facilius cognosceretur casus violationis immunitatis. Sententiae, quas hic defendimus, illae sunt quae nobis probabiliores videbantur et quae a pluribus magni nominis DD. propugnabantur, ideoque putamus tuto quemquam agere si regulis generalibus superius expositis innixus, iudicet in casibus violatae immunitatis, praesertim in foro conscientiae.

Attamen prae oculis haberi debet quod ut incurratur censura requiritur:

1. Ut immunitatis violatio *fiat vi.* Si quis ergo dolosis verbis aliquem educat e loco sacro, non videtur illam incurrere; ita Comm. Reatin. Gabrielis de Varceno et Clar. Scriptores Ephemeridum quarum titulus *Revue dès Sciences Ecclesiastiques.* Et sane, uti observabat Ben. XIV in voto superius citato, « in hac » facti specie non est immaginabi- » lis ulla Ecclesiasticae Immunitatis » violatio. Illi quippe qui post ad- » monitionem publice factam quod » cuiuscumque personae verbis, ex- » cepto iudice, fidem non praestent, » . . . . qui post haec ab Ecclesia » exibunt. . . . in omnibus et per » omnia se habebunt ac si sponte » sua ab Ecclesia exiissent. »

Excipiuntur tamen:

a) Casus quo dato Salvoconducto a Iudice aliquo subscripto, reus extrahatur ad finem capiendi, et extra Ecclesiam capiatur. In decreto enim iussu Clementis PP. XI promulgato, hic casus aperte excipitur.

b) Casus quo quis volentem li-

get in ipsa Ecclesia; nam etsi non fiat vi, adest semper Ecclesiasticae immun. violatio, uti pluries in similibus casibus decrevit S. C. I. Cum autem Pius IX excommunicet violantes, videntur comprehendi etiam carcerantes volentem in loco Sacro.

2. Requiritur ut quis vel personaliter violet vel iubeat violationem. (1) Hic fieri potest quaestio utrum tum violantes tum iubentes violare, incidant in hanc excommunicationem etiam effectu non sequuto.

Quoad violantes communis sententia est Comment. huius Constitutionis, requiri ut effectus revera sequatur ad hoc ut incurrant huius capitis Censuram. Nam « Actus » peccati debet esse perfectus et » consummatus nisi expresse aliud » sonent verba legis » *S. Alph. L. VII, n. 36.* Antiquo iure, et etiam post Gregorianam Constitutionem, Censurae obnoxii erant attentantes violationem etiam effectu non sequuto, uti declaravit S.C. I. apud Pignatelli tom. I. Cons. 468. At post Constit. *Apostolicae Sedis* quae tantum violantes excommunicatione afficit, simpliciter attentantes non videntur comprehendi.

Verum hoc in loco dirimenda quaestio est, an mandantes violari ecclesiastici asyli immunitatem excommunicationem incurrant, etiam effectu non secuto. Lectores nostri qui certo certius plura in re commentaria legerunt, discrepare inter se commentatores reperiere. Insignis Commentator Reatinus, tum de Varceno, in hunc locum diserte negant excommunicatos mandantes, non secuto effectu; at contra sentire videtur Commentator Patavinus qui hoc in Cap. (Comment. pag. 176) postquam quaesierit: An iubentes seu mandantes violari asyli immunitatem, excommunicationi subiaceant, etiamsi aliqua obstante causa, ipsa violatio deinde locum non habeat, respondet:

« *Minime dubito quin eiusmodi-* » *iubentes seu mandantes excommu-* » *nicationi obnoxii sint, etiamsi* » *asyli immunitas reapse violata* » *non fuerit. In nostro enim Arti-* » *culo iubentes damnantur omnino* » *ut causae principales non secus* » *ac violantes. Imo, quum censura* » *praecipue contra iubentes statuta* » *sit, deinde vero in violantes, se-* » *quitur quod qui ausu temerario* » *satis efficax mandatum dedit de* » *violanda Asyli immunitate, adeo* » *gravem et consummatam culpam* » *admisit ut statim statutam cen-* » *suram contrahere debeat sive de-* » *inceps effectus ultimus habeatur* » *sive non. Communes intepretandi* » *leges de quibus fusius tractavi-* » *mus in I Parte n. 17 et 18,* » *aliam solutionem prorsus dari* » *non sinunt.* » At nescimus utrum praeclarissimi Patavini Commentatoris ratiocinatio adeo solida sit,

(1) Nomine violationis asyli hic venit non solum extractio rei criminis non excepti e loco sacro sed etiam extractio rei criminis excepti non servatis servandis.

ut contrariam sententiam excludat. Nonnulla nos afferemus.

Et 1. Quamvis concedere vellemus, mandantes in Piano Capite damnari omnino ut causas principales non secus ac violantes; tamen ex hoc legitime inferri posse, illos excommunicatione puniri, etiam effectu non secuto, non putamus. Nam: *in Piano Capite mandantes violari immunitatem asyli excommunicantur*, ut causae principales, *ergo excommunicationem incurrunt, etiam non secuto effectu:* ut quisque videt, hoc in enthimemate consequentia desideratur; quandoquidem etiam causae principales aliquando ab excommunicatione immunes evadunt, nisi, actionem, ob quam lata est excommunicatio, ad effectum nedum deducant, sed eo modo deducant, quo proscripta est. Unde vero vel ex quo principio probat Commentator Patavinus, Pium Nonum in relato capite excommunicasse mandantes etiam effectu non secuto? Profecto non aliunde quam, vel ex quo iubentes damnentur omnino ut causae principales, vel ex quo haec censura *praecipue* contra iubentes statuta sit, deinde contra violantes. Atqui haec duo probatione indigent; sed et concesso utroque, illud semper superest inquirendum: an a legislatore ita mandantes censura multati sint, ut eam, etiam non secuto effectu, incurrant.

2. At id ex lata lege non percipimus, cum nihil in re dicat. Unde ergo percipiemus? Profecto ex communibus interpretandi regulis, vel ex mente legislatoris quae utcumque pateat. At si primum, ex natura legis quae est odiosa, illico intelligimus, eam esse stricto sensu interpretandam, et non extendendam; intelligimus pariter, poenas accipiendas esse cum effectu, id est non incurri poenas nisi effectu secuto; intelligimus etiam in Piana Constitutione excommunicatione mandantes multatos fuisse; attamen Commentatores ex regulis usitatis, illam incurri fuisse interpretatos solummodo secuto effectu.

Quod quidem nedum ab aliis sed ab ipso etiam Commentatore Patavino factum novimus. Exponens enim Caput 1. excommunicationum nemini reservatarum, quo censura plectuntur *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae* « haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos. » affirmat, hanc censuram incurri tantummodo secuto effectu. « Ad incurrendam tamen » hanc censuram oportet omnino, » ut indignus revera tumuletur in » Ecclesia, in coemeterio, vel alio » loco Sacro. » Et quidem optime. Sed quare vir praestantissimus idipsum non concludit relate ad iubentes violari immunitatem asyli? Quandoquidem casus identicus est: sicut enim actum completum contra legem ecclesiasticam ponit qui iubet violari immunitatem asyli, etiamsi reapse ob aliquam circumstantiam

non violetur; ita actum completum ponit contra legem Ecclesiae qui iubet violari sepulturam ecclesiasticam, quamvis postea non violetur. Sed hic excommunicationem non incurrit; quare igitur incurret ille? Fortasse ne quia *ille qui ausu temerario satis efficax mandatum dedit de violanda asyli immunitate adeo gravem et consummatam culpam admiserit ut statim statutam censuram contrahere debeat, sive deinceps effectus ultimus habeatur, sive non?*

At qui tradi mandavit vel coegit sepulturae ecclesiasticae haereticum notorium, vel interdictum, vel excommunicatum, nonne eandem gravem et consummatam culpam admisit? Ergo quare hic excommunicatione liberandus est? Nonne deinceps ad incurrendam censuram semper gravis culpa requiritur? 3. Demum nonne hoc argumento iterum supponitur quod in quaestione versatur? Quandoquidem quaestio est: utrum haec gravis culpa excommunicationem contrahat etiam non secuto effectu.

Manifestum autem esse putamus, mentem Legislatoris aliunde non patere; quin immo cum Legislator iura apprime cognoscere praesumendus sit, scire quapropter censuras incurri effectu secuto, nisi aliter Legislatori disponere placuerit, apertius et clarius Pius Papa IX legem statuere et proponere debuisset, si mandantes violari immunitatem asyli excommunicationi obnoxios, etiam non secuto effectu, voluisset.

Non inficiamur equidem a Doctoribus criteria tradi ad dignoscendum quando mandantes excommunicatione plectantur ratione mandati tantummodo, vel quando ratione mandati ad executionem deducti. Atque in re duos auctores praestantissimos afferimus, S. Alphonsum scilicet et La Croix. Ille lib. VII. n. 38 scribit: « Quod si cen- » sura est imposita contra man- » dantes... praecise ob mandatum... » tunc incurritur etiam effectu non » secuto. Secus si sit imposita, sed » accessorie, nempe propter opus » quod a mandato causaretur. « Hic autem lib. VII n. 59 hanc regulam statuit: « Censura tum fertur » tantum accessorie in mandantem, » vel consulentem si in lege ex- » primatur etiam mandans vel con- » sulens; attamen ita, ut lex non » respiciat mandatum vel consilium, » sed potius ipsam rem, seu ef- » fectum; quod quia vult impediri » ideo etiam indirecte prohibet man- » dari vel consuli. E contra tum » principaliter fertur etiam in ip- » sum mandantem vel consulentem, » si velit impediri non tantum ip- » sum effectum, sed etiam in se et » ratione sui ipsummet mandatum » et consilium. »

Ut igitur Commentator Patavinus pro re sua statuenda aliquid efficiat, probare debet vel ex lata lege, vel ex mente legislatoris quomodolibet manifesta, vel ex crite-

riis in legum interpretatione adhibendis, Pium Papam nonum prohibuisse mandatum violationis immunitatis in se et ratione sui. Id vero non probavit.

Qua de causa affirmare debemus, legem hac in re adhuc dubiam esse; legem autem dubiam non obligare; ad extendendam legem prohibitivam seu odiosam ad alios casus requiri interpretationem authenticam; hanc autem in casu deesse: in praxi vero non esse quemquam de excommunicatione damnandum, si ratio probabilis eum ab excommunicatione excuset; at ratio illa quae petitur ex lege, an ipsa scilicet extendatur ad casum de quo quaeritur, valde probabilis est; cum dubitare permittat an pro illo casu lex existat; ergo in praxi mandans violari immunitatem asyli habendus uti excommunicatus non est, effectu non secuto.

In hoc articulo autem non comprehenduntur nec auxilium, consilium vel favorem praestantes, nec ratum habentes, cum lex loquatur solum de violantibus aut violare iubentibus, et sit odiosa.

3. Requiritur *ausus temerarius*. Quando hic habeatur, patere putamus ex Instructione data a S. Univ. Inquisitione die 1. Februarii 1871 cuidam Ordinario, cui ita respondet: « In quarto dubio plura » a te congesta sunt. Et primum » anxium te exhibebas circa magi» stratus catholicos, et gubernii » servos qui immunitatem asyli ec» clesiastici violant, veritus nimi» rum ne omnes excommunicationi » subiaceant, quae in Constitutione » *Apostolicae Sedis* est quinta inter » excommunicationes latae senten» tiae R. Pontifici reservatas... Qua « te anxietate ut eximerent Emi» nentissimi Patres, audito etiam » Sanctissimi Oraculo, monitum te » voluere, in ea formula, verba » *ausu temerario* utrumque mem» brum complecti. « Ex quo intelligamus eum tantum excommunicationem incurrere, « *qui ab aliis* » *minime coactus, prudens ac sciens* » *immunitatem asyli ecclesiastici* » *aut violare iubet aut exsequendo* » *violat: quem porro utpote omnis* » *excusationis expertem, excommu*» *nicationi subiacere mirum esse* » *non debet.* »

Hinc ausus temerarius tria complecti nobis videtur:

a) Libertatem agendi. Ideoque metus gravis amissionis officii excusat tum per se, quia leges ecclesiasticae non obligant cum gravi incommodo tum quia metum gravem patiens dici potest coactus, et proinde excusatione dignus; tum quia in eiusmodi deest ausus temerarius. Milites hinc qui in reos in ipsis Ecclesiis nunc temporis manus immittunt, cum coacti dicendi sint, excommunicationem hanc non incurrunt.

b) Prudentiam ac scientiam talem ut actio imputabilis dici possit.

c) Deficientiam omnis causae ab hac excommunicatione excusantis.

C.. ae huiusmodi recensentur a Bonacina Tom. II, Disp. III. quaest. 7 punct. X. et sunt: (α *Ignorantia* saltem in foro interno. — (β *Legitima consuetudo* vel immemorabilis vel, saltem quadraginta annorum. — (γ *Concordata* inita inter S. Sedem et civilem potestatem, quorum vi Immunitatem Ecclesiastici Asyli Romani Pontifices aliquibus in locis quocumque modo moderati fuerint. Huiusmodi enim Concordata per Constit. *Apostolicae Sedis* abrogata non sunt. (1) Et quoad hoc caput satis.

APPENDIX XX.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA VIOLATORES CLAUSURAE MONIALIUM

Quamvis sanctimoniales foeminae clausura praeceptiva ante tempora Bonifacii VIII non obstringerentur, ea tamen fuit semper Ecclesiae intentio ut illam servarent. Si enim periculosum hominibus religiosis circumvagari est, multo magis foeminis.

In Concilio Carthaginiensi III an. 397 celebrato, Can. 33 sancitum fuerat: « ut virgines sacrae, cum » parentibus a quibus custodiebantur privatae fuerint, Episcopi providentia vel Presbyteri (ubi Episcopus absens est) in monasterio » virginum, vel gravioribus foeminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, » ne passim vagantes Ecclesiae laedant aestimationem. »

Haec autem monasteria virginum arctis adeo legibus communiebantur ut non cuivis certe, sed vix probatissimae vitae viris aliquando accedere liceret, et ex necessaria vel admodum convenienti de causa; hinc etiam praescriptum, ut sacrarum virginum monasteria longe a virorum monasteriis construerentur. « Monasteria puellarum longius a » monasteriis monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter » oblocutiones hominum, collocentur. » Ita in Concilio Agathensi I sub Symmacho an. 506 celebrato.

« Monasteria puellarum, nonnisi

(1) Antiquo iure ab hac excommunicatione absolvi quis non poterat nisi extra - etum restitueret quia id expresse sancitum erat in Pontif. Constitut. At cum Const. *Apostolicae Sedis* nihil de hac re habeat, puto restitutionem iniuste extracti pro absolutione non requiri, praesertim cum huius Constitutionis censurae robur habeant *non secus ac si ab ea primum editae fuerint*, et *eo modo quo* in ea sunt insertae.

» probatae vitae et aetatis provectae, ad quascumque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare, ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt; alias autem nec clericus, nec monachus iuvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc aut paterna aut germana necessitudo probatur admittere. » Ita in Concilio Epaunensi sub Symmacho anni 509.

Ne quis tamen putet, antiquissimo Ecclesiae tempore nulla fuisse monasteria virginum quae perpetuae clausurae tenerentur obstricta; etenim ex Concilio Aurelianensi V sub Vigilio an. 552 celebrato, can. 19 omnino liquet, sacras virgines in aliquibus Monasteriis perpetuam clausuram servasse: « Quaecumque » puellae seu propria voluntate monasterium expetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intraverint veste permaneant; in his vero Monasteriis, ubi non perpetuo tenentur inclusae (ex quibus liquet fuisse tunc temporis monasteria, in quibus puellae perpetuo tenebantur inclusae) triennium in ea, qua intraverint veste permaneant, et postmodum secundum statuta monasterii ipsius, in loco quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quae si deinceps, sacra relinquentes loca, propositum sanctum saeculi ambitione transcenderint, illae quae domibus propriis tam puellae quam viduae, commutatis vestibus conversantur, cum his quibus coniugio copulantur, Ecclesiae communione priventur. »

Quid, quod etiam statutum inveniamus, denegandam esse communionis gratiam virginibus e Monasteriis egressis quousque ad monasteria unde egressae fuerant non reverterentur? « Puellae, inquiunt » Patres Concilii Lugdunensis III » sub Pelagio II an. 587 celebrati, » quae se voluntarie dedicaverint, » et infra Monasteria puellarum » conclusionem elegerint, et se de » eodem Monasterio quacumque » animi levitate aut vilitate corporis, extra captivitatis incursum, » voluntate sua subtraxerint, etc. » Quousque in Monasterium, unde » egressae sunt revertantur, a communionis gratia segregantur; viaticum tamen illis, miserationis intuitu, praebeatur. »

Exinde vero nemo existimet clausuram illam talem fuisse, ut iusta de causa non liceret alicui sanctimoniali, abbatissis praesertim, e Monasteriis egredi, vel ad egrediendum satis non fuisse Episcopi facultates; etenim contrarium prorsus in antiquis canonibus reperimus. « Abbatissae, in Concilio Turonensi III sub Leone III an. 813, » can. 30, absque sui Episcopi licentia fores monasterii egredien» di non habeant potestatem, nisi » cum ad piissimum Imperatorem » nostrum proficisci voluerint, sed

» tantum in suis permaneant mo-
» nasteriis. »

Hae autem Ecclesiasticae sanctiones, quod fortasse plerumque violatae fuerint, plerumque renovatae etiam fuere; ita ut in Concilio Mediolanensi IX sub Nicolao IV R. Pontifice can. 3 decretum fuerit. « Ne Moniales quovis praetextu, » septa Monasteriorum, in quibus » reclusae sunt egrediantur. »

Ex iis legibus quae retulimus, omnino apparet: 1° intentionem Ecclesiae eam fuisse ut sanctimoniales foeminae perpetua clausura obstringerentur; 2° eiusmodi clausurae pleraque Monasteria obstricta reapse fuisse; 3° eam tamen Episcoporum curae, tutelae, vigilantiae et iurisdictioni fuisse commissam, ita ut rationabili de causa possent moniales e Monasteriis egredi de facultate tantummodo Episcopi.

Verum cum quaedam Monasteria clausurae subiicerentur, alia minime; et partim incuria, partim Episcoporum negligentia partim ob iniquorum temporum circumstantias in illis clausura, ut par erat, non servaretur, atque hinc scandala, et detractiones exorirentur, ad eiusmodi mala eliminanda Bonifacius Papa VIII sancivit, ut deinceps Moniales quaecumque tacite vel expresse professae perpetuam clausuram servarent. « Periculoso, in-
» quit Bonifacius, et detestabili
» quarumdam monialium statui,
» quae honestatis laxatis habenis,
» et monachali modestia, sexusque
» verecundia impudenter abiectis,
» extra sua Monasteria nonnumquam per habitacula saecularium
» personarum discurrunt, et frequenter intra eadem monasteria
» personas suspectas admittunt, in
» illius cui suam integritatem vo-
» luntate spontanea devoverunt gravamen, offensam, in religionis opprobrium, et scandalum plurimorum, providere salubriter cupientes, praesenti Constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura,
» sancimus, universas et singulas
» moniales praesentes atque futuras cuiuscumque Religionis sint
» vel Ordinis, in quibuslibet mundi
» partibus existentes, sub perpetua
» in suis monasteriis debere de
» caetero permanere clausura, ita
» quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae, sit
» vel esse valeat quacumque ratione vel causa, nisi forte tanto
» et tali morbo evidenter earum
» aliquam laborare constaret, quod
» non posset cum aliis absque gravi
» periculo seu scandalo commorari.
» Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullisque aliquatenus inhonestae personae, nec
» etiam honestae, nisi rationabilis
» et manifesta causa existat, ac de
» illius ad quem pertinuerit speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem; ut sic
» a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire
» Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata, eidem

» corda sua et corpora in omni » sanctimonia diligentius custodire.

» Sane ut hoc salutare statu- » tum commodius valeat observari, » districtius inhibemus, ne in mo- » nasteriis Ordinum non mendican- » tium aliquae recipiantur de cetero » in sorores, nisi quot poterunt de » ipsorum monasteriorum bonis si- » ve proventibus absque penuria » sustentari; si secus actum fuerit, » irritum decernentes.

» Verum quando Abbatissa vel » Priorissa cuiusvis Monasterii pro » feudo quod Monasterium ipsum » tenet ab aliquo principe seu do- » mino temporali, sibi debebit ho- » magium vel fidelitatis sacramen- » tum praestare, (nisi quod per » procuratorem illud praestet, pos- » sit efficere apud eum), de mo- » nasterio cum honesta et decenti » societate exire poterit eo casu » licenter; homagio facto, quampri- » mum commode poterit, seu fide- » litatis praestito sacramento, ad » ipsum monasterium e vestigio » reversura sic, quod in fraudem » residentiae sive morae claustralis » nihil fiat omnino.

» Porro ne moniales causam seu » occasionem habeant evagandi, » principes saeculares ac alios do- » minos temporales rogamus, re- » quirimus et obsecramus per vi- » scera misericordiae Iesu Christi, » eisdem in remissionem peccami- » num nihilominus suadentes, quod » abbatissas ipsas et priorissas ac » moniales quascumque, monaste- » riorum suorum curam, admini- » strationem negotiave gerentes, » quibuscumque nominibus cen- » seantur, per procuratores in suis » tribunalibus seu curiis litigare » permittant, ne pro constituendis » procuratoribus; qui adornati in » aliquibus partibus nuncupantur, » seu aliis eiusmodi easdem opor- » teat evagari. Si qui vero contra » praesumpserint, exhortationi hu- » iusmodi rationabili atque sanctae » obtemperare nolentes, cum sit » iuri contrarium, quod mulieres, » praesertim religiosae, per seipsas » litigare cogantur, et a via deviet » honestatis, et periculum anima- » rum inducat, ad hoc per suos » Ordinarios ecclesiasticos censura » ecclesiastica compellantur. Epi- » scopis autem et aliis praelatis » superioribus et inferioribus qui- » buscumque iniungimus, quod et » ipsi causas seu negotia, quae » praefatae moniales habebunt age- » re, coram ipsis, aut in curiis eo- » rumdem, sive sint homagia, fide- » litatis sacramenta, lites, vel quid- » quid aliud, ipsa per procuratores » earum fieri faciant et tractari.

» Et quoniam parum esset con- » dere iura, nisi essent qui ea » executioni debite demandarent, » patriarchis, primatibus, archiepi- » scopis et episcopis universis di- » stricte in virtute sanctae obe- » dientiae sub obtestatione divini » iudicii et interminatione maledi- » ctionis aeternae praecipiendo » mandamus, quatenus eorum qui-

» libet in civitate ac dioecesi propria in monasteriis monialium » sibi ordinario iure subiectis sua, » in iis vero quae ad Romanam » immediate spectant Ecclesiam, » Sedis Apostolicae auctoritate; Abbates vero et alii tam exempti, » quam non exempti praelati Ecclesiarum, monasteriorum et ordinum quorumcumque, in monasteriis huiusmodi sibi subiectis » de clausura convenienti, ubi non » est, ipsorum monasteriorum expensis et fidelium eleemosynis » quas ad hoc procurent diligentius » faciendas, et de ipsis monialibus » includendis, quamprimum commode poterunt providere procurent, si divinae ac nostrae indignationis voluerint acrimoniam » evitare; contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si » opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Per hoc autem in monasteriis exemptis ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam. » De statu Regul. Cap. *Periculoso,* in 6.

Haec Bonifacii VIII Constitutio quamvis in plurimis sanctimonialium Monasteriis apprime servata fuerit, in nonnullis tamen tractu temporis violata fuit, ita ut et detractiones erga SS. Virginum coetum, et scandala iterum oborta sint. Qua de causa Concilii Tridentini Patres malis grassantibus remedium apponere desiderantes, Bonifacii constitutionem in integrum renovarunt et confirmarunt, praecipientes ne ulla sanctimonialis post professionem religiosam posset e Monasterio egredi, et nullus infra septa Monasterii ingredi, sub excommunicationis poena. « Bonifacii VIII » Constitutionem, inquiunt Patres, » quae incipit *Periculoso* renovans » Sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini » iudicii, et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut » in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero » Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui; et » ubi inviolata est conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras » ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, » compescentes, invocato etiam ad » hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium » ut praebeatur, omnes christianos » principes hortatur sancta Synodus, et sub excommunicationis » poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus » iniungit. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem » exire a monasterio, etiam ad » breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima » causa ab Episcopo approbanda, » indultis quibuscumque et privi-

» legiis non obstantibus. Ingredi » autem intra septa Monasterii ne- » mini liceat, cuiuscumque generis, » aut conditionis, sexus vel aetatis » fuerint, sine episcopi vel Supe- » rioris licentia in scriptis obtenta, » sub excommunicationis poena » ipso facto incurrenda. Dare au- » tem tantum Episcopus vel Supe- » rior licentiam debet in casibus » necessariis, neque alius ullo mo- » do possit, etiam vigore cuiuscum- » que facultatis vel indulti hacte- » nus concessi vel in posterum » concedendi. Et quia Monasteria » sanctimonialium extra moenia ur- » bis vel oppidi constituta malo- » rum hominum praedae et aliis » facinoribus sine ulla saepe custo- » dia sunt exposita, curent Episcopi » et alii Superiores, si ita videbi- » tur expedire, ut sanctimoniales » ex iis ad nova vel antiqua mo- » nasteria intra urbes vel oppida » frequentia reducantur, invocato » etiam auxilio, si opus fuerit, bra- » chii saecularis. Impedientes vero » vel non obedientes per censuras » ecclesiasticas parere compellant. » Sess. XXV de Regularibus et Monialibus Cap. V.

Eiusmodi Tridentinorum Patrum decreto acquiescere omnes debuissent: attamen difficultates inventae sunt circa ea sanctimonialium monasteria, quae numquam clausurae subiacuerant, cuique proinde subiacere nolebant, ea de causa et ratione quam sanctimoniales omnes neque frigidae neque calidae solent afferre, se scilicet clausuram non fuisse professas, seque velle observare regulam prout observabatur cum professionem solemnem emiserant, se nolle nova onera sibi imponi, abundantiora ea esse quae observabant. His accedebat quod quorumdam monasteriorum sanctimoniales clausuram non observarent necessitatis causa; egrediebantur enim e monasteriis eleemosynas quaesiturae; atque hinc renovabantur dicteria, detractiones, calumniae et aliquod fortasse scandalum in dedecus sanctimonialium omnium, et universi ecclesiastici coetus. Quare S. Pius V, cui summopere cordi erat ne in Sanctimonialibus quidquid reperiretur incongruum, quod in regularis poneret honestatis gloria maculam, et divinam possit merito offendere Maiestatem, die 29 Maii an. 1566, vix scilicet ad Summum Pontificatum evectus fuit, Constitutionem evulgavit *Circa pastoralis officii*, qua omnes cuiuscumque Ordinis sanctimoniales, etiam Tertiarias seu de poenitentia, (1) perpetuae clausurae subiiciebat. « Hac igitur perpe- » tua valitura Constitutione, inquit, » inhaerentes etiam Constitutioni » felicis recordationis Bonifacii Pa- » pae VIII quae incipit *Periculoso,*

(1) Tertiariae *de poenitentia* institutae fuerant a S. Dominico Ordinis Praedicatorm Fundatore.

» et decretis Concilii Tridentini » super clausura monialium editis, » auctoritate apostolica, tenore » praesentium, statuimus atque per- » petuo decernimus, universas et » singulas moniales, praesentes at- » que futuras, cuiuscumque Reli- » gionis, Ordinis vel militiarum, » etiam Hierosolymitani sint, quae » vel iam receptae sint, vel in po- » sterum in quibusvis Monasteriis » sive domibus recipientur, et ta- » cite vel expresse Religionem pro- » fessae, etiamsi conversae, aut quo- » cumque alio nomine appellentur, » etiamsi ex institutis vel funda- » tionibus earum regulae ad clau- » suram non teneantur, nec unquam » in earum monasteriis seu domi- » bus, etiam ab immemorabili tem- » pore, ea servata non fuerit, » sub perpetua in suis monasteriis » seu domibus debere de cetero » permanere clausura iuxta for- » mam dictae Constitutionis Boni- » facii Papae VIII quae incipit *Pe- » riculoso*, in sacro Concilio Tri- » dentino approbatam, et innova- » mus in omnibus et per omnia, » ac illam districte observari man- » damus.

» §. 2. Quod si aliquae Monia- » les fortasse reperiantur quae con- » suetudine etiam immemorabili, » aut instituto vel fundatione Re- » gulae suae fretae, animo obsti- » nato huic clausurae resistant, aut » quoquomodo reluctentur, Ordi- » narii una cum superioribus ea- » rum, omnibus iuris et facti re- » mediis compellant easdem tan- » quam rebelles et incorrigibiles » ad praecise subeundum dictam » clausuram perpetuo observan- » dam.

» §. 3. Mulieres quoque, quae » Tertiariae seu de poenitentia di- » cuntur, cuiuscumque fuerint Or- » dinis, in Congregatione viventes, » si et ipsae professae fuerint, ita » ut solemne votum emiserint, ad » clausuram praecise, ut praemit- » titur, et ipsae teneantur; quod » si votum solemne non emiserint, » Ordinarii una cum superioribus » earum hortentur et persuadere » studeant, ut illud emittant, et » profiteantur, ac post emissionem » et professionem, eidem clausurae » se subiiciant; quod si recusave- » rint, et aliquae ex eis inventae » fuerint scandalose vivere, seve- » rissime puniantur.

» §. 4. Ceteris autem omnibus, » sic absque emissione professionis » et clausura vivere omnino volen- » tibus, interdicimus et perpetuo » prohibemus, ne in futurum ullam » aliam prorsus in suum Ordinem, » Religionem Congregationemque » recipiant. Quod si contra huius- » modi hanc nostram prohibitio- » nem et decretum aliquas recepe- » rint, eas ad sic vivendum omnino » inhabiles reddimus, ac illarum » quaslibet professiones et rece- » ptiones irritas facimus et annul- » lamus. »

Qua de causa ne huiusmodi clausura a Tertiariis violaretur ino-

piae causa, iussit S. Pius V ut eleemosynae vel colligerentur per conversas quae non essent professae, vel si professae attingerent annum aetatis quadragesimum, atque de cetero non in ipso Monasterio, sed in domibus attiguis degerent; vel Episcopi et Locorum ordinarii ad eiusmodi eleemosynas colligendas pias devotasque personas destinarent.

Verum eiusmodi S. Pii V Constitutio illos effectus consecuta non est, quos allaturam fortasse sperabat; cum enim Constitutionem Bonifacii VIII, et Decretum Tridentinum confirmasset, in quo permittebatur sanctimonialibus e monasteriis egredi *ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda*, plurimae harum causarum legitimarum exortae sunt ex. gr. causa visitandi parentes infirmos, et non infirmos, monasteria subiecta, ratio infirmitatis alicuius etc. quibus compulsi Episcopi, vellent nollent, debebant facultates egrediendi sanctimonialibus concedere; foeminas enim etiam sanctimoniales, fecundissimo pollere ingenio in causis legitimis excogitandis iisque gravissimis repraesentandis, et in suscepto proposito obstinatiores, saltem aliquas esse, neminem latere putamus; dignissimas tamen esse venia, quod illas causas excogitent, et ad effectum deducere conentur non mala voluntate, sed quod sin minus putent, domos et monasteria corruere, et quod gravissimum est, animas sive sanctimonialium sive aliorum in aeternum perire; atque hinc ad evitanda graviora mala, eligant minora. Nemo nos maledicos proclamet.

Cum itaque S. Pius V perspiceret plurimas fortasse qua par erat excogitatas fuisse a sanctimonialibus causas e monasteriis egrediendi, aliasque posse de die in diem excogitari, Episcopos vero debiliores factos fuisse in concedendis licentiis, et legitimis probandis causis illis quae forte non sat legitimae erant, anno quinto sui pontificatus causas, quibus liceret sanctimonialibus e monasteriis egredi omnino determinavit in Constitutione *Decori* quam edidit die 1 Februarii anni 1570, decrevitque ut illis causis a se allegatis exceptis, nulla alia satis esse posset ad egrediendum e Monasteriis, sub excommunicationis poena Romano Pontifici reservata, a qua proinde excepto mortis articulo nemo absolvere posset.

« §. 1. Sane, inquit, periculo et » scandalo plena res est, ac regulari » observantiae vehementer adver- » satur, sanctimoniales aliquando » parentes, fratres, sorores aut alios » agnatos vel cognatos, nec non » monasteria et alias filiationes nun- » cupata, etiam eis subiecta, visi- » tandi, aut infirmitatis causa, alio- » ve praetextu a monasteriis exire, » et per saecularium personarum » domos discurrere et vagari, quo » veluti colore eximium quoque

» honestatis et pudicitiae decus in » discrimen committunt.

» §. 2. Unde nos malo huic pro » nostro pastoralis officii debito sa- » lubriter occurrere volentes, inhae- » rentes etiam decreto S. Concilii » Tridentini de clausura monialium » disponentis, ac aliis nostris lite- » ris super huiusmodi clausura edi- » tis adiicientes, volumus, sancimus » et ordinamus nulli Abbatissarum » Priorissarum, aliarumve monia- » lium, etiam Chartusiensium, Ci- » sterciensium, S. Benedicti et Men- » dicantium, et quorumcumque » aliorum Ordinum, etiam militia- » rum ac statuum, graduum et con- » ditionum, dignitatum ac praee- » minentiarum existentium, etiam » a regia vel illustri prosapia or- » tarum, de cetero, etiam infirmi- » tatis, seu aliorum monasteriorum, » etiam eis subiectorum, aut do- » morum, parentum aliorumve con- » sanguineorum visitandorum, alia- » ve occasione et praetextu, (nisi » ex causa magni incendii, vel in- » firmitatis leprae aut epidemiae, » quae tamen infirmitas, praeter » alios ordinum superiores, quibus » cura monasteriorum incumberet, » etiam per Episcopum, seu alium » loci Ordinarium, etiamsi praedi- » cta monasteria ab Episcoporum » et Ordinariorum iurisdictione e- » xempta esse reperiantur, cognita » et expresse in scriptis approbata » sit) a monasteriis praefatis exire, » sed nec in praedictis casibus ex- » tra illa, nisi ad necessarium tem- » pus stare licere. Aliter autem » quam ut praefertur egredientes, » seu licentiam exeundi quomodo- » cumque concedentes, nec non » comitantes, ac illarum receptatri- » ces personas, sive laicas aut sae- » culares, vel ecclesiasticas, consan- » guineas vel non, excommunica- » tionis maioris latae sententiae » vinculo, statim eo ipso, absque » aliqua declaratione, subiacere, a » quo praeterquam a Romano Pon- » tifice, nisi in mortis articulo, ab- » solvi nequeant. Et insuper tam » egressas, quam praesidentes, et » alios superiores praedictos eis li- » centiam huiusmodi concedentes, » dignitatibus, Officiis et administra- » tionibus, per eas et eos tunc ob- » tentis, privamus, et illas et illos » ad obtenta et alia in posterum » obtinenda inhabiles (reddimus). »

Sed quid non excogitat diabolica malitia etiam sub iuris specie? S. Pius V constitutione cit. omnino providerat ne sanctimoniales e Monasteriis egrederentur; et hae tum obedientiae virtute quam profitebantur, tum excommunicationis latae timore pontificio decreto parebant. At sanctus Pontifex eadem severitate non prohibuerat in monasteria ingressus, neque causas determinaverat quibus in illa ingredi permittebatur, contentus hac in re dispositiones Bonifacii VIII, et Patrum Tridentinorum confirmare, qui permittebant, quamvis in casibus necessariis, Episcopis concedere facultates opportunas in monaste-

ria ingrediendi. Hinc factum est, ut plurimi, praesertim mulieres titulis et opibus praestantes, huiusmodi facultatibus sese communicarant, et in sanctimonialium monasteria frequentius et fortasse etiam in casibus non ita necessariis ingrediebantur; et quoniam pro licentia episcopali communitis excommunicatio non aderat, hinc non ea severitate lex ecclesiastica observabatur, ut observanda erat; et scandala et pericula renovabantur. Eiusmodi abusus ad Gregorium XIII delati ad illos eliminandos apostolicum pectus applicuit; et quoniam noverat ex multitudine facultatum in Monasteria ingrediendi pacem et monialium spiritum turbari, facultates eiusmodi cuiusvis generis essent, quacumque de causa concessae, et a quacumque persona profectae fuissent, revocavit in Constitutione *Ubi gratiae*, lata die 13 Iunii 1575. Inquit: « Ubi gratiae et indulta ab » hac sede concessa successu tem- » poris incommodum afferre no- » scuntur, expedit illa salubri prae- » sidentis consilio submoveri. »

» §. 1. Proinde sanctimonialium » quieti et tranquillitati consulere, » ac omnia, quae illas a spirituа- » lium rerum cogitatione et exer- » citio avocant, impedimenta tol- » lere, periculaque et scandala ab » eis removere cupientes, auctori- » tate praesentium, revocamus et » abolemus omnes et quascumque » licentias ac facultates ingrediendi » monasteria, domus et loca mo- » nialium; ac etiam virorum quo- » rumvis Ordinum, quibusvis, et- » iam Comitissis, Marchionissis, Du- » cissis et aliis, cuiuscumque status » et conditionis mulieribus, ac » etiam omnes et quascumque li- » centias ingrediendi monasteria, » domos et loca ipsarum sanctimo- » nialium quibuscumque viris etiam » eiusdem status ac dignitatis, tam » Praedecessoribus nostris quam » etiam a Nobis et Sedis Apostо- » licae Legatis, aut aliis ex qui- » busvis quantumcumque urgenti- » bus causis, sub quibuscumque te- » noribus, et etiam derogatoriarum » derogatoriis, revocatorum resti- » tutoriis aliisque efficacioribus clau- » sulis, irritantibusque et aliis de- » cretis; etiam motu proprio et ex » certa scientia, deque Apostolicae » potestatis plenitudine, atque ad » Imperatoris, Regum, Reginarum, » aliorumve Principum contempla- » tionem vel supplicationem con- » cessas, confirmatas et etiam ite- » ratis vicibus renovatas. Cassamus- » que et annullamus litteras desu- » per confectas, et processus ha- » bitos per easdem.

» §. 2. Inhibentes eisdem, qui » illas obtinuerunt, sub excommu- » nicationis poena ipso facto in- » currenda, super qua a nemine » nisi a Romano Pontifice, praeter- » quam in mortis articulo, absolu- » tionis beneficium possit impe- » trari, ne ipsarum licentiarum prae- » textu, monasteria huiusmodi quo- » vis modo ingredi audeant.

» §. 3. Abbatissis vero nec non » Abbatibus, conventibus ac aliis » monasteriorum utriusque sexus » superioribus et personis, quo- » cumque nomine vocentur, prae- » cipimus sub eadem excommu- » nicationis poena nec non pri- » vationis dignitatum, beneficiorum » et officiorum suorum, ac inhabi- » litatis ad illa et alia in posterum » obtinenda, ne in monasteria, do- » mos et loca sua, quemquam, » praetextu huiusmodi licentiarum » et facultatum, ingredi faciant vel » permittant.

» §. 4. Quin etiam sub eisdem » poenis ipso facto incurrendis pro- » hibemus atque interdicimus omni- » bus et quibuscumque personis » ecclesiasticis et saecularibus, ac » etiam Ordinum quorumcumque » etiam mendicantium, regularibus, » ne praetextu licentiarum ab Epi- » scopis vel Superioribus, quibus » illas concedendi in casibus neces- » sariis tantum ex decreto Concilii » Tridentini tribuitur, monaste- » ria ipsa monialium pro libito, » sed necessitatibus urgentibus dum- » taxat *ingredi* praesumant. »

Ut praefatam Constitutionem legenti patet, in ea prohibetur ingressus in monasteria iis omnibus qui ad illa ingredienda indigebant opportuna licentia concedenda in casibus necessariis tantummodo ab iis, quorum illam concedere erat. At Episcopi, et alii Superiores monasteriorum aliorum licentia non indigebant ut ea possent ingredi. Hinc exorta dubia, an eis liceret pro libito suae voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius servare deberent ipsi quoque regulam a Concilio praescriptam, ingrediendi scilicet in monasteria solum in casibus necessariis.

Itaque sub die 23 Decembris 1581 Gregorius XIII huiusmodi dubia eliminavit Constit. *Dubiis quae emergunt,* decernendo et ii qui aliorum licentia non indigerent, monialium septa ingredi possent et deberent tantummodo in casibus necessariis.

« §. 1. Nos, omnem haesitatio- » nis materiam tollere, et viam » scandalis praecidere, ac sanctimo- » nialium quieti consulere volen- » tes, harum tenore, auctoritate » Apostolica declaramus, Praelatos » omnes tam saeculares quam re- » gulares, quibus cura et regimen » monasteriorum monialium quovis » modo incumbit, facultate sibi ex » officio attributa ingrediendi mo- » nasteria praedicta ita demum uti » posse, si id faciant in casibus ne- » cessariis, et a paucis iisque se- » nioribus ac religiosis personis co- » mitati. Quocirca universos et sin- » gulos episcopali, seu maiori, ac » etiam Cardinalatus dignitate prae- » ditos, nec non quorumvis Ordi- » num Abbates, priores, Ministros » et alios quoscumque Superiores » Regulares harum serie monemus » ut facultate huiusmodi, qui eam » habent, praeterquam in casibus, » ut praefertur, necessariis, neuti- » quam utantur.

» §. 2. Quod si contrafecerint, » eadem auctoritate Apostolica sta- » tuimus atque decernimus, qui » pontificalis dignitatis fuerint, eos » pro prima vice, qua contrafe- » cerint, ingressu Ecclesiae inter- » dictos; pro secunda a munere » pontificali et a divinis suspensos, » ac deinceps ipso facto absque » ulla declaratione, excommunicatos » existere; regulares vero omni of- » ficio ac ministerio privatos ex- » communicationi similiter subia- » cere. »

Hae Romanorum Pontificum Constitutiones adeo perspicuae erant, ut dubium non relinquerent quibus in casibus monialium septa quis ingredi posset; decernebant enim, id tantummodo licere in casibus necessariis a Superioribus localibus cognoscendis, et in scriptis approbandis. Attamen novae excogitatae sunt rationes ad eiusmodi leges eludendas, et aliquibus in monasteriis veluti per iocum violabantur; ita ut Maximo Benedicto XIV vocem attollere necessarium fuerit, et omnes ad Pontificalium Constitutionum observantiam revocare. Constitutione *Sacrarum Virginum* lata die 1 Iunii an. 1741, et alia *Cum sacrarum Virginum* data die 3 Ianuarii 1742, clausurae observantiam sensim dilabentem in pristinum vigorem restituere Benedictus curaverat, renovatis et confirmatis praedecessorum Pontificum et Concilii Tridentini decretis; atque multa consecutus est. Verum latae leges eludi coeperunt sive a sanctimonialibus, sive a famulabus monasteriis addictis, atque deinceps ab aliis foeminis, quarum audaciam compescere quaesivit Pontifex Constitutione *Per binas* lata die 24 Ianuarii 1747, in qua et grassantes abusus e medio abstulit, et modum praescripsit, quo famulae et educandae in monasteria essent admittendae:

« Quoniam autem, inquit, non » sine gravissimo animi nostri do- » lore accepimus novas artes ac » nova inventa, etsi antiqua sint, » ac toties proscripta, sub variis » exquisitisque causis et rationibus » in dies excogitari, quae non so- » lum per praescriptas leges pro- » hibentur, sed quamplurimis etiam » inordinationibus et offendiculis » aditum patefaciunt; ac primum » quidem eo pervenit famularum » ad monialium ministerium in mo- » nasteria admittendarum abusus, » ut indultum quod ab Apostolica » hac S. Sede sub tot salutaribus » conditionibus concedi solet, etsi » pro prima vice servatis iisdem » conditionibus executioni deman- » detur, deinceps tamen quoties » admissam famulam aut e mona- » sterio egredi, aut viam universae » carnis ingredi contingat, toties, » nulla indulti huius habita ratio- » ne, ad libitum monialium, sine » alia Antistitum Ordinariorum lo- » corum ad quos spectat, scientia » et licentia, sed de Superiorum » Regularium eorumdem monaste- » riorum dumtaxat aliquando con-

» sensu, aliae atque aliae in mona-
» sterium inducantur famulae, de
» quarum moribus, fama, vitiis ac
» virtutibus nulla praecesserit le-
» gitima cognitio, unde fit ut sub
» famularum nomine, ac praetextu
» foeminae quaecumque in clausu-
» ras, non sine clausurae violatione,
» admittantur. Illud praeterea in
» more positum esse dolentes au-
» divimus, ostia nimirum monaste-
» riorum, quae semper clausa esse,
» nec nisi ad necessaria eorumdem
» monasteriorum commoda recludi
» debent, ita assidue patefieri, ut
» moniales et quaecumque aliae in
» monasteriis degentes virgines in
» propatulo sedentes, sive stantes,
» cum quibusvis utriusque sexus
» hominibus illic accedentibus in-
» discriminatim colloqui et iocari
» etiam non erubescant, ut saepe
» quamlibet foeminam in quacum-
» que aetate constitutam sive con-
» sanguineam sive affinem, sive
» tanquam famulam cuiuslibet ea-
» rumdem monialium in ipsam clau-
» suram accersant; et quamvis ipsae
» moniales impellant, sponte tamen
» ingressam deinde asserant; nec
» Religioni ducant censuras, ac
» poenas canonicas, quibus eapro-
» pter obnoxiae fiunt. Nos sane,
» qui pro imposita Nobis divinitus
» suprema Apostolicae servitutis
» procuratione, saluberrime occur-
» rere debemus hisce abusibus et
» inordinationibus . . . notum esse
» volumus, quod Nos non solum
» omnes et singulas Constitutiones
» tam ab iisdem Praedecessoribus
» nostris Romanis Pontificibus, quam
» a Nobis ipsis super clausura mo-
» nialium editas, verum etiam o-
» mnia et singula decreta tam a
» Concilio Tridentino, quam a Con-
» gregationibus venerabilium Fra-
» trum nostrorum Sanctae Ro-
» manae Ecclesiae Cardinalium su-
» per eadem clausura, et admis-
» sione et receptione educanda-
» rum, puellarum, et famularum,
» sive quarumcumque foeminarum
» promulgata, quatenus opus sit,
» tenore praesentium auctoritate
» Apostolica confirmamus, et sub
» poenis etiam per easdem consti-
» tutiones et decreta contra ino-
» bedientes inflictis servari man-
» damus ac praecipimus. Insuper
» tenore et auctoritate paribus sta-
» tuimus ac declaramus, admissio-
» nem receptionemque quarum-
» cumque foeminarum, sive puel-
» larum educandarum, sive famu-
» larum in monasteria, quacumque
» ex causa, sine legitima authenti-
» caque eiusdem Apostolicae Sedis
» licentia toties quoties opus fuerit
» impetranda, et praevio examine
» super moribus, fama, habilitate,
» et necessitate ipsarum educanda-
» rum puellarum vel famularum,
» per Antistites locorum Ordinarios
» tantummodo et non alios quos-
» cumque superiores, toties itidem
» quoties necessitas postulaverit,
« habendo, non obstante quacum-
» que consuetudine etiam longi
» temporis, fieri non debere. Quod

» si secus factum ac fieri in poste-
» rum contingat, statuimus pariter
» ac declaramus, tam moniales et
» quascumque in monasteria degen-
» tes, quae foeminas quascumque in
» eadem monasteria quomodocum-
» que admiserint receperintque,
» quam ipsas foeminas admissas et
» receptas, canonicis censuris et
» poenis obstrictas esse ac fore. »

Eiusmodi Constitutione, ac alia quae incipit *Gravissimo animi moerore*, lata die 31 Octobris an. 1749, qua compescuit nonnullorum praelatorum et Episcoporum audaciam, qui vel Pontificias Constitutiones hac de re latas nescientes, vel pro se latas non esse praetendentes, sine locorum Ordinarii licentia monasteria adibant, et cum monialibus colloquebantur, quod de cetero fieri prohibuit; Benedictus e medio abstulit abusus quosdam qui irrepserant et modum et formam praescripsit ingrediendi in monasteria; ita ut eiusmodi praescriptiones etiamnum observentur.

Ex citatis constitutionibus apparet, in antiquo iure excommunicationem summo Pontifici speciali modo reservatam incurrisse 1° Concedentes licentiam egrediendi e monasteriis extra casus et formam a S. Pio V praescriptam. 2° Egredientes. 3° Comitantes. 4° Moniales egressas recipientes. 5° Superiores autem sive licentiam extra casus et formam praedictam concedentes, sive egredientes privabantur omnibus officiis et dignitatibus per eas et eos obtentis (hinc non aliis) et inhabiles reddebantur ad alia in posterum obtinenda; haec ex S. Pii V. Ex Gregorii XIII constitutionibus excommunicationem Summo Pontifici speciali modo pariter reservatam incurrisse 1° qui sub obtentarum licentiarum praetextu in monasteria ingrediebantur. 2° Superiores utriusque sexus locales monasteriorum, qui praetextu earumdem licentiarum permittebant in monasteria sanctimonialium ingressum; qui insuper incurrebant privationem dignitatum, Officiorum et beneficiorum quae obtinebant, et inhabilitatem ad illa et alia in posterum obtinenda. 3° Quas poenas incurrebant etiam omnes saeculares, et regulares qui praetextu licentiarum ab Episcopis eis in casibus tantummodo necessariis concessarum, vel saltem concedendarum, praesumebant ad libitum in monasteria ingredi.

Antiquior igitur, ut quisque videt, est sanctimonialium clausura, et continuis Romanorum Pontificum decretis vel communita vel restituta; qua de causa summus Pontifex Pius Papa IX nihil aliud egit Constitutione sua quam illam iterum communire, et Praedecessorum decreta confirmare.

De praecipuis quaestionibus igitur, quae respiciunt clausuram monialium hoc in Commentario locuturi, Pianum Caput ante omnia praemittimus. Itaque excommunicationi sibi simpliciter reservatae sub

n. 6 Pius IX subiicit; « Violantes » clausuram monialium cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum » monasteria, absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos » introducentes vel admittentes, » itemque moniales ab illa exeuntes » extra casus ac formam a S. Pio » V in Const. *Decori* praescriptam.»

Triplex porro personarum genus excommunicatione plectitur.

1° Ii qui absque legitima licentia in monasteria Sanctimonialium ingrediuntur.

2° Qui eos introducunt vel admittunt.

3° Moniales e monasteriis exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

Praesentem igitur excommunicationem non amplius incurrunt Superiores locales licentiam sive ingrediendi sive egrediendi a monasteriis concedentes; neque illi qui moniales vel comitantur, vel in domos recipiunt, prout ius antiquum statuebat; latas enim censuras quoad hanc partem Pius Papa IX non innovavit. At aliae poenae privationis scilicet beneficiorum, et inhabilitatem ad illa iterum obtinenda adhuc subsistunt; ut enim, non semel in hoc Commentario observavimus, Pius Papa IX censuras dumtaxat per Constitutionem suam limitavit.

Ut itaque expendamus primum quaestionis caput; *Clausura* monasterii est totum illud spatium, quod ambitur et clauditur muris, parietibus seu septis monasterii; unde quidquid in illo continetur, nomine *Clausurae* venit. Ita Reiffenstuel lib. III Decret. Tit. 35 et alii plurimi. Huius definitionis convenientia nedum patet ex Cap. *Exiit qui seminat* lib. V. de Verb. sign. in 6. v. sequenti « Nos utique generaliter » id esse prohibitum de quarumlibet coenobiis monialium respondemus: et nomine monasterii volumus claustrum, domos et officinas interiores intelligi; pro eo » quod ad alia loca ubi homines » saeculares conveniunt, possunt » fratres illi causa praedicationis » vel eleemosynae petendae accedere; iis quibus id a Superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum » exceptis, seu pro praedictarum » monasteriis inclusarum, ad quae » nulli datur accedendi facultas sine » Sedis eiusdem licentia speciali; » sed patet etiam ex Decreto Clementis VIII edito super reservatione casuum anno 1598 ubi inter casus reservatos numeratur Apostasia a Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit ut extra *septa monasterii,* seu conventus fiat egressio.

Ex hac autem definitione infertur, non tantum ipsum monasterium, eiusque officinas et interiora habitacula, sed etiam hortos monasterio attiguos, attamen positos infra muros seu septa, ad quos recreandi animi causa se religiosae conferunt,

et quidquid infra eadem septa existit, sub clausura comprehendi.

Clausura alia est papalis, alia Episcopalis; illa imponitur et decernitur auctoritate Episcopi (1), qui proinde gaudet in ea plena potestate; haec imponitur auctoritate Romani Pontificis; in quam proinde Episcopus non habet auctoritatem praeterquam in casibus exceptis; inferior enim generaliter loquendo, dispensare non potest in lege superioris, vel tantummodo in casibus, in quibus ei dispensare permittitur.

In Piano Capite agi de clausura Papali, manifestum esse putamus; ea enim intelligitur, quae praescripta est monialibus vota solemnia emittentibus vi legum Ecclesiae generalium, Concilii Tridentini decreto scilicet et S. Pii V Constitutionibus; non autem de illa quae ab Episcopo imposita fuit, vel quam Constitutionum specialium professione, aut vi voti sibimet sanctimoniales imposuerunt.

De cetero hac de re extat Resolutio S. Congregationis EE. et RR. data die 1 Augusti 1839 pro Galliae sanctimonialibus, quaeque ad ceteras omnes applicari debet. Petitum enim fuerat:

1° Utrum vota quae nunc emittunt moniales in Gallia sint solemnia?

2° Utrum si non sint solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Tridentina Synodo editis, ubi Episcopus clausuram restituerit?

3° Utrum etiam excommunicationis incurrant poenam qui sine licentia ingrediuntur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo restituta est?

S. Congregatio ad proposita dubia respondendum censuit:

Ad 1. Negative donec aliter a S. Sede decernatur.

Ad 2. Negative quoad poenas a sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas; affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.

Ad 3. Affirmative si ab Episcopo decreta fuerit (2).

Ex eiusmodi declaratione patet: 1° Sanctimoniales quae votis solemnibus non obstringuntur non teneri ad clausuram Papalem; 2° eas non incurrere excommunicationem vel censuras a Synodo Tridentina statutas, si clausuram, quam utcumque habent, violent; 3° eas incurrere tantummodo censuras poenasque quas Episcopus fortasse imposuerit; ergo 4° cum in Piano capite sermo fiat de clausura per Pontificias Constitutiones statuta, intelligendi sunt latam excommunicationem incurrere violantes tantummodo clau-

(1) Aliquando eiusmodi clausura imponitur etiam vi Constitutionum quas sibi Moniales praefigunt, vel etiam vi voti specialis.

(2) Eiusmodi declaratio reperitur apud Lucidi *De Visitatione Ss. Liminum* Tom 2 pag. 310, et apud Bizzarri in Collectanea pag. 94.

suram Papalem non Episcopalem, aut aliam utcumque impositam.

His accedit, quod cum non lateat Romanum Pontificem plura adesse monasteria vel Instituta sanctimonialium clausura tantummodo Episcopali communita, aperte de iis mentionem instituere debebat, eaque omnia sub papali clausura reducere, si hanc quibuscumque monasteriis imponere voluisset.

At factum id negat apertissime. Etenim etiam post Pianam Constitutionem monasteria quae clausura Episcopali, vel alia utcumque imposita obstringebantur, eadem adhuc obstringuntur, et nihil immutatum fuit.

Quid quod Pianum Caput loquatur de monialibus? Moniales autem vero et proprio sensu sint illae quae votis solemnibus sese Deo devovent?

Quid quod sanctimoniales foeminae vota solemnia emittere non possint de Episcopi licentia, sed requiratur praevia examinatio Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis praepositae, ut statuit Innocentius X in Const. *Instaurandae*, §. 5. prout dicitur in Ravennatensi *Erectionis Monasterii* diei 6 Decembris 1839; et in qua proposito dubio: An supplicandum sit Sanctissimo, utrum concedere velit monialibus Carmelitis Ravennatensibus facultatem emittendi vota solemnia, et archiepiscopo praescribendi clausuram Papalem? Emi Patres rescripserunt: « Affirmative in » omnibus, ita tamen ut recipiantur vota a monialibus existentibus iam professis . . . et in futurum recipiantur solemnia ab » omnibus novitiis? »

Quid quod cum sanctimoniales quae vota simplicia professae fuerant, voluerunt sese perpetuae clausurae subiicere, opportunas facultates a S. Sede impetrarunt? Etenim cum Praeses monasterii S. Francisci Salesii apud Rhegium in Sicilia vellet se suasque perpetuae clausurae subiicere a S. C. EE. et RR. gratiam impetravit; quae proinde sub 22 Februarii 1839 respondit: « Firma remanente professione vo» torum simplicium, annuendum » esse pro gratia impositionis clau» surae papalis » (1). Atque idipsum praestitit Episcopo Policastrensi qui Religiosas SS. Redemptoris eadem clausura papali communire voluit. Etenim die 6 Decembris 1839 pro-

(1) Bizzarri Collectanea pag. 96 Leguntur autem in praedicto Decreto sequentia quae latino idiomate damus. « Clausura papalis differt ab Episcopali in hoc » quod in illa Episcopus dispensare non potest; et consequenter non ita est » connexa cum votis solemnibus, ut non possit sine iisdem praescribi; et a S. Pio V. » statutum fuerit ne essent vota solemnia sine clausura papali, sed non viceversa. » De cetero eadem, (Clausura papalis) efficacius providet Monialium securitati, et » ad maiorem perfectionem tendit. Negari tamen nequit, ab ipsa induci fortissi» mum vinculum, et communiter non esse in usu in monasteriis votorum simplicium ».

posito coram Eminentissimis Patribus dubio: « An et quomodo pre» cibus R. D. Episcopi Policastren» sis annuendum sit? » responderunt: « Affirmative ut in Rhegiensi, » accedente consensu omnium mo» nialium vocalium per vota se» creta (1).

Quid demum quod S. Congregatio Concilii aperte responderit, nulli sanctimonialium Instituto vota solemnia esse permittenda, nisi pariter perpetuae se subiiciant clausurae? Ita enim rescripsit ad Episcopum Gandavensem die 24 Septembris anni 1816: « Neque enim » Sancta Sedes a tempore praeser» tim Concilii Tridentini permittit » aut indulget, quod in societati» bus seu Communitatibus mulie» rum solemnia vota emittantur, » nisi eae sub inviolata clausura » degant, vivantque perpetuo. »

Atque proinde factum est ut cum nonnullae sanctimoniales, quae vota solemnia profitebantur, ob rationabiles causas.. cogerentur perpetuae clausurae renuntiare, vellent tamen votorum solemnium professionem conservare, interrogata S. Sedes opportune, respondit quidem pro clausurae papalis abrogatione, at reduxit vota solemnia ad simplicia: « Praefatum monasterium » reducendum esse ad institutum » votorum simplicium cum Epi » scopali clausura, ita ut sanctimo » niales quae post datam huius De» creti profitentur, nonnisi vota » simplicia emittere possint (2).

Manifesta igitur res est: 1° votis solemnibus adnexam esse clausuram papalem; 2° hanc non dari pro votis simplicibus nisi ex Pontificis vel Congregationis EE. et RR. concessione, ideoque esse petendam toties quoties aliquod monasterium sanctimonialium votorum simplicium vult sese perpetuae clausurae subiicere; 3° Romanos Pontifices, S. Pium V praesertim, indixisse clausuram Papalem; 4° Pium Papa IX dum Constitutionem *Decori* citavit ad clausuram per Pontificias Constitutiones indictam, respexisse. Qua de causa de violantibus tantummodo clausuram Papalem disserendum nobis est.

Hisce obiter notatis, ad primum quaestionis caput propius accedimus.

Et 1° Lex est generalis, ideoque ab ingrediendis sanctimonialium monasteriis omnes excludit sive viros sive mulieres, cuiuscumque conditionis vel aetatis fuerint; ideoque etiam Episcopos Locorum ordinarios et S. Romanae Ecclesiae Cardinales et impuberes.

Verum hoc in loco duplex quaestio exurgit, quarum prima est: an Reges etiam et Reginae eiusmodi excommunicatione teneantur si monialium monasteria ingressi fuerint? Altera vero: an ea costringantur pueri septennio minores qui interdicta septa ingressu violent?

(1) Bizzarri Collectanea pag. 97.

(2) Collectanea pag. 788. ubi plurima quoad rem et clausuram monialium.

Relate ad primam quaestionem non mediocris est inter canonistas dissensio. Alios inter Bonacina *De clausura et poenis violatoribus ipsius impositis, Quaest. IV. Prop. 2. n. 4.* probabiliter censet « Reges » Reginas, Imperatores, Imperatrices, aliasque cuiuscumque dignitatis personas non posse monasteria monialium ingredi. Ratio » est, inquit, quia Caput *Periculoso* » et Concilium Trident., Sess. XXV « generaliter et absolute loquuntur « de personis cuiuscumque generis » et conditionis. »

Verum Reiffenstuel lib. III. Decret. tit. 35. n. 42 aliique contrarium censent, et quidem ni fallimur, solidiori argumento, iisque proinde subscribendum esse ducimus. Revera 1° regula generaliter admissa est, ut cum in poena vel prohibitione aliqua supremi principes comprehendi velint, debent expressis verbis nominari; id factum vidimus etiam in Piana Constitutione; comprehendi enim non intelliguntur sub generalibus verbis legis nisi exprimantur, cum sint speciali mentione digni.

2° Gregorius XIII in Constitutione *Ubi gratiae,* dum revocat privilegia omnia concessa ingrediendi monialium septa, nominat etiam Comitissas, Marchionissas, et Ducissas; Reges, Reginas, Imperatores, Imperatrices non nominat; atqui hae supremae personae multo magis erant exprimendae, si sub generali revocatione Legislator eas comprehendere voluisset, cum sciret eas sub generalibus verbis legis non comprehendi, et magis notae hae erant ipsi quam aliae quas expressit. Noverat qua de causa legislator, ex regulis iuris extantibus, numquam Reges et Imperatores fore ut sub lege comprehensi fuissent, nisi specialem de eis mentionem fecisset; alias, noverat se pro Regibus inutilem et incomprehensibilem legem laturum; quod non est admittendum.

3° Eiusmodi privilegium Regibus et Imperatoribus concessum, est favor; favores autem supremis Imperantibus praestiti speciali indigent revocatione.

4° Quid, quod Reiffenstuel *loc. cit.* affirmet existere declarationem Cardinalium decernentem, quod per Constitutionem Gregorii XIII non derogetur facultati personarum de regia stirpe intrandi clausuram?

5° Hanc autem esse communem doctorum sententiam ex cl. Ferraris patet, qui ad verbum *Moniales* Art. III. n. 53 postquam scripserit: « Imperatores, Imperatrices, Reges » et Reginae, eorum Filii et Filiae » possunt absque incursu excommunicationis aliarumque poenarum ingredi cum sua decenti comitiva in monasteria monialium, » quia huiusmodi personae ratione » excellentiae et dignitatis non comprehenduntur in dispositionibus » odiosis, nisi exprimantur » citat pro sua sententia novem Doctores praestantissimos, et alios praeterit.

Non diffitemur equidem, ut ad difficultatem a cl. Bonacina propositam respondeamus, iura generaliter et absolute loqui de personis cuiuscumque generis et conditionis; sed cum regula iuris sit, regali potestate praeditos non comprehendi sub generalibus verbis legis, nisi expresse nominentur, cumque existat praefata Cardinalium declaratio, allata difficultas evanescit.

Solidior fortasse videri poterit alia difficultas, quae innuitur a cl. Ferraris *loc. cit.* n. 98, Benedictum scilicet XIV in Constitutione *Salutare in catholica Ecclesia institutum* edita die 3 Ianuarii 1742 revocasse omnes facultates, indulta, privilegia etc. concessa quibuslibet personis etiam speciali mentione dignis. « Omnia et singula indulta, » inquit, privilegia, praerogativas » facultates, licentias et quocumque » alio pacto nominatas concessio- » nes, omnibus et singulis quibus- » cumque ecclesiasticis personis, » quacumque auctoritate, dignitate, » honore, praeminentia ac iurisdi- » ctione fungentibus, etiam Vene- » rabilibus Fratribus Nostris San- » ctae Romanae Ecclesiae Cardina- » libus, sive singulis, sive eorum- » dem Cardinalium Congregationi- » bus, etiam de latere legatis, sive » qui provinciis, et Legationibus » status nostri ecclesiastici pro tem- » pore praesunt, sive quos ad cha- » rissimos in Christo Filios Roma- » norum Regem in Imperatorem » pro tempore eligendum, vel ele- » ctum, Reges et Reginas illustres » aliasque summas potestates, prout » rerum conditio postulaverit, mitti » et ablegari contigerit; sive qui » licet aliarum insignium Ecclesia- » rum Antistites, tamen tanquam » Apostolicae huius Sanctae Sedis » legati de latere alias nuncupati, » et habiti sunt, et fortasse haben- » tur, aut haberi et esse praeten- » dunt, et in posterum habendi » sunt; sive ordinarii, sive extraor- » dinarii nostri et eiusdem aposto- » licae Sedis ubicumque etiam apud » ipsos Imperatores et Reges ac » Summas Potestates nuntii, sive » internuntii resident (exceptis » dumtaxat locorum Ordinariis, iis- » que omnibus Superioribus quibus » tanquam Ordinariis, et ordinaria » iurisdictione utentibus monialium » monasteria subiecta et addicta » sunt, in casibus tamen necessa- » riis, et servatis aliis de iure ser- » vandis, et non aliter omnino), » ac demum quibuscumque aliis » quocumque nomine et expressio- » ne nuncupatis personis, quocum- » que tempore ac quibusvis etiam » ab ipsis Romanis Pontificibus » praedecessoribus nostris, quacum- » que de causa, occasione, titulo, » colore et praetextu, per quas- » cumque Apostolicas, sive in si- » mili forma Brevis, sive sub plum- » bo expeditas literas, sub quibus- » cumque verborum formis facta, » data, concessa et impertita, sive » factas, datas, concessas et imper- » titas super huiusmodi ingressus,

» revocamus, abolemus, annullamus, » atque irritamus ; nec non a da- » tarum earumdem praesentium » die revocata, abolita, annullata, » et irrita ac nullius prorsus mo- » menti ac vigoris esse et fore ; » neminique cuilibet quocumque » tempore suffragari.

» §. 4. Ac quemlibet omnium » antedictorum etiam speciali men- » tione dignorum, quacumque fa- » cultate huiusmodi, sive pro se, » sive pro aliis, temere uti auden- » tem, ipso facto absque ulla alia » declaratione, poenas et ecclesia- » sticas censuras contra violantes » clausuram monialium inflictas, a » quibus praeterquam a Nobis et » pro tempore existente Rom. Pon- » tifice, nisi in mortis articulo ab- » solvi possit, incurrere et incur- » sum esse; licentiamque huiusmodi » concessam nullo modo suffragari, » atque nullius momenti perinde » ac si minime concessa fuisset, » ipso facto fore, et haberi, ac poe- » nas et censuras ecclesiasticas ipso » etiam facto, ut praemittitur, per » contrafacientem incurri et incur- » sas esse statuimus, decernimus, » ac declaramus. »

Atqui quid est in eiusmodi Benedicti Constitutione quod innuat, etiam Reges Reginasque etc. spoliatos fuisse privilegio in monasteria sanctimonialium ingrediendi? Profecto nil aliud quam verba, omnium antedictorum etiam *speciali mentione dignorum*. At 1° observamus, eiusmodi periocham referri ad superius in §. 3 nominatas personas, quarum dignitatem nullo pacto nominaverat ; atqui reges et reginae etc. nominati non fuerant; nominandi autem sunt, cum sub generalibus verbis legis non comprehendantur; ergo verba *speciali mentione dignorum* ad personas regiae stirpis, ex iure constituto, referri non possunt.

2° Neque de intentione legislatoris dubitari aliquo pacto potest; quandoquidem paullo superius reges et Imperatores expresse nominaverat, cum revocarit facultates etiam Cardinalium, vel nuntiorum ad Reges et Imperatores missorum. Quare ergo non revocavit expresse privilegia Regum et Imperatorum?

3° Affirmat Benedictus se revocare in re facultates quascumque concessas per quascumque Apostolicas literas; at manifestum est, eiusmodi privilegium Regibus et Imperatoribus non fuisse per Apostolicas literas concessum; sed eis semper conservatum ex consuetudine quadam immemorabili; ergo de eiusmodi Regum privilegio abrogando Benedictus loquutus non est.

4° Noverat tantus Pontifex, se nullo modo eiusmodi Regum privilegium revocare posse, nisi de illis expressam mentionem institueret; atqui non instituit; noluit ergo privilegium illud revocare.

5° Ex fine legis, seu latae prohibitionis, qui fuit ne sanctimonialium quies, pax, tranquillitas, et bonum nomen periclitarentur, idipsum

ostendi pariter potest. Etenim admodum infrequentes sunt Regum et Imperatorum ad sanctimoniales accessus, neque per eorum ingressum, semel vel iterum, earum tranquillitas turbatur, multo minus fama periclitatur; ergo relate ad supremos principes finis latae legis cessat; sed cessante fine legis, ipsa lex cesset oportet.

6° Certum est, ante latas a Benedicto XIV Constitutiones, personas regii sanguinis privilegio ingrediendi sanctimonialium monasteria potitas fuisse; certum deinde est, a nullo Romanorum Pontificum, aperta lege, ut ex iure constituto necesse erat, privilegium eiusmodi fuisse revocatum; certum demum est, eiusdem revocationem niti verbis dubiis, quae referri possunt ad alias personas speciali mentione dignas, quin tamen sub illis regiae stirpis personae comprehendantur; ergo pro regibus nulla est lex revocatoria, vel saltem dubia; sed lex dubia non obligat: ergo etiamnum Reges de excommunicatione non sunt damnandi, si contingat ut monialium monasteria ingrediantur.

7° Quidquid demum sit; in praxi nemo de excommunicatione damnari debet, si ratione vere probabili ab illa possit excusari. At tum intrinsecis rationibus, tum plurimorum Doctorum auctoritate, Reges, Reginae, etc. clausuram monialium ingredientes a praesenti excommunicatione excusantur; ergo in praxi ut excommunicati habendi non sunt.

Relate ad secundam quaestionem, certum esse dicimus, pueros septennio minores sanctimonialium septa ingredientes excommunicationem non incurrere; leges enim pro iis feruntur qui usu rationis perfecto pollent, non autem pro pueris qui usum rationis ad septimum aetatis annum plerumque attingunt; sicut enim hi ad Ecclesiae leges non obligantur, ita neque ad poenas per illas indictas. De cetero Pianum Caput loquitur de violantibus clausuram monialium; at violantes sunt illi qui dolo, malitia, vel spretu violant; tales autem pueri nec sunt, nec esse possunt. At non ita de impuberibus dicendum est, cum sint doli, malitiae et rationis capaces. Utrum vero qui pueros, vel amentes intra clausuram introducunt vel admittunt excommunicationem incurrant, inferius expendemus.

Per Pianum Caput duplicem illam quaestionem pariter sublatam esse dicimus qua Doctores contendebant: an ad incurrendam excommunicationem papalem necessarium esset clausuram violare vel ad malum finem, vel licentiarium praetextu. Atque primi innitebantur Decreto S. C. EE. et RR. an. 1602 a Clemente VIII confirmato, quo declarabatur Papae reservatus casus *Violationis clausurae monialium ad malum finem*. Alii autem Constitutioni *Ubi gratiae* a Gregorio XIII latae, in qua excommunicatione Romano Pontifici specialiter

reservata plectebantur quicumque *ipsarum licentiarum praetextu* monasteria huiusmodi quovis modo ingredi auderent.

Quaecumque fuerit Doctorum sententia circa duplex huiusmodi quaestionis caput, certum est, post Pianam Constitutionem excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrere quoscumque qui clausuram monialium violant, quamvis nec ad malum finem, nec licentiarum praetextu. Pius enim Papa IX excommunicat *violantes clausuram monialium;* at clausura monialium violari potest et violatur reapse, quamvis nec ad malum finem, nec licentiarum praetextu. Ergo quocumque alio modo vel ratione violetur excommunicatio incurritur.

Verum nunc hoc in Capite moveri posset quaestio. Pius Papa IX ut excommunicatio evitetur unum requirit, scilicet legitimam licentiam: *in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo.* Atqui Titius Confessarius cum legitima licentia monasterium sacrarum Virginum ingreditur ut spiritualia auxilia moribundae sanctimoniali praebeat, tum etiam ad malum finem, ut cum alia scilicet sanctimoniali peccet. Incurrit ne Titius excommunicationem?

Profecto non incurrit; habet enim legitimam licentiam ingrediendi; quod autem ea abutatur etiam ad malum finem, non efficit quod licentia legitima non sit; quare gravissime quidem peccabit, excommunicationem autem non contrahet.

Ne tamen in diiudicanda clausurae violatione Confessarii excedant, sedulo verba Capitis perpendant. Inquit enim Legislator, *violantes clausuram*, violare autem clausuram non est unum, vel alterum pedem infra clausuram ponere, et partem principalem corporis extra clausuram retinere, sed septa monasterii, seu ianuam eius ingredi; violatio enim importat actum completum, non imperfectum; atque de cetero cum ad excommunicationem contrahendam gravis culpa requiratur; culpa autem gravi ille certe sit excusandus qui ex. gr. unum pedem intra clausuram poneret; qui pedem alterutrum infra clausuram poneret, non esset uti excommunicatus habendus. Id melius patet ex Pianis verbis: *absque legitima licentia ingrediendo:* ingredi autem est totum corpus infra clausuram collocare; ergo hi tantummodo ponunt actum a lege vetitum; ergo hi tantummodo excommunicationem incurrunt.

Qua de causa etiamsi quis curiositate vel alio motivo ductus reliquum corpus intra clausuram immitteret, pedem autem extra clausuram teneret, non esset uti excommunicatus habendus, quia hic non potest dici in monasterium ingressus.

Ulterius violantes clausuram reduplicative accipiendi sunt; illi scilicet qui scientes volentesque clausuram violant; qua de causa si quis ia-

nuam clausurae apertam inveniens ignoranter, vel inadvertenter in monasteria sanctimonialium ingrederetur, non esset uti excommunicatus habendus; ignorantia enim et inadvertentia excusatur; contraheret tamen si animadvertens se vel clausuram violasse, vel de re monitus illico non exeat.

Additur *sine legitima licentia.* Qui igitur legitimam habet ingrediendi licentiam nullam incurrit excommunicationem, ut patet.

At hac in re referenda ducimus quae scribit Lucidi in Opere *De Visitatione* Tom. II. pag. 136. n. 49: » Licentia ingrediendi in monasterium, ut sit valida, oportet ut adsit causa necessitatis; qui tamen sint in specie casus necessitatis determinari nequit. Namque veluti S. C. Ep. et Reg. scribebat Episcopo Regien. apud Pignatelli Tom. 6. Cons. 85. n. 113. norma certa praeberi nequit ad casus determinandos, qui dici possunt necessarii, ut in monasteria ingredi liceat; quippe tempus et locus mutari solet, variatque casuum natura iuxta peculiares circumstantias. Itaque opus est ut praelatus pro sua prudentia dignoscat, et mature consideret ea quae considerari occurrunt, ac subinde pro sua conscientia diiudicet, quid magis in Domino expedire visum fuerit. Ita nimirum aiebat S. C. Ep. et Reg. in Regien. apud Pignatelli *loc. cit.*

Illud tamen certum et indubitatum est, opus esse ut *necessitas intercedat ex parte monasterii,* minime vero ex parte externorum in monasterium ingredi volentium. *S. C. in Ravennaten.* 9. Sept. 1611. Unde non licet Episcopis licentiam concedere, vel permittere mulieribus, ut securitatis gratia recludantur apud monasteria monialium ex causa litium matrimonialium, vel adulteriorum, aut dissensionum inter viros et uxores. Imo ingredientes etiam ex tali causa, et cum eiusmodi permissione, vel licentia incidere in excommunicationem a Concilio statutam tradit ex S. C. in Salamantina Diana *P. III,* Tract. 2. rel. 130. apud Pignatelli loc. cit. n. 114, (1) quam licentiam S. C.

(1) Haec tamen S. Congregationis declaratio, quam ex Diana citat Pignatelli, cum mica salis intelligenda videtur. Non enim ad petentem in Monasteria ingrediendi licentiam pertinet causas cognoscere, quibus concedi vel non ea possit: sed ad Superiores, quibus a Patribus Tridentinis dictum est: *Dare autem Episcopus vel superior licentiam debet tantum in casibus necessariis:* et a Gregorio XIII: *tantum in casibus necessariis et urgentibus necessitatibus licentiam clausuram intrandi dare valeant.* Quapropter eo tantum casu putandi sunt Monasteria ingredientes cum licentia quae gravi causa destituatur, excommunicationem incurrere, cum ipsi, nullam aut levissimam habentes causam, gravissimam aut falsam Episcopo representarunt, ut licentiam obtinerent, vel alio quocumque modo in licentia obtinenda malitiose sese gesserunt. Hoc enim in casu dubitandum non est quin excommunicationem incurrant; cum fraude et dolo licentiam obtinuerint. At

raro et cum difficultate concedit. Pro casibus tamen repentinis propriae et verae necessitatis Ordinarii ac Legati solent in antecessum facultates impetrare pro certo numero casuum, ut nempe ingressum permittere queant, ceu in dicta *Ravennaten.* Pignatelli loc. cit. Neque talis licentia concedi potest ad effectum collocandi in monasterio Virginum aliquam mulierem ne revertatur ad vomitum. *In Mediolanen. 18 Aug. 1588. Pignatelli l. c.,* neque ad discendam (1) aliquam artem, puta serici, vel texturae, nisi cum conversa perita non poterit reperiri. *In Mediolanen. 11 Martii 1586.* Neque regulariter causa conficiendi panem. *Ravennaten. 15 Iulii et 19 August. 1603;* neque aquam inferendi gratia ingredientium et egredientium mulierum continua conversatio permittenda est, sed intus accomodentur cisternae. *In Alatren. 3 Maii 1603,* multo minus causa videndi comoedias vel repraesentationes recitatas a Monialibus, neque de licentia Ordinarii *In Anconitana 4. Sept. 1627.* Ita Lucidi ex Pignatelli ».

Nostro itaque iudicio, non admodum prudenter se gereret Confessarius ille, qui a poenitente ingressum se de Superiorum licentia

non putamus illos excommunicationem incurrere, qui bona fide causam quamvis nullimode gravem Episcopo exponunt, et hic licentiam in Monasteria intrandi concedat, et illi utantur; etenim certum est, sine peccato excommunicationem non incurri; certum pariter est, eum qui in bona fide versatur peccatum non committere; quomodo ergo dici potest excommunicatione percelli? Ignorantia enim et bona fide omnino excusatur. Fac, ut casum afferam, in Monasterio quodam esse insignem B. M. Virginis imaginem; villicum eius intercessioni se commendantem a mortis faucibus fuisse ereptum; hunc vero sanitati restitutum petere ab Episcopo licentiam Monasterium ingrediendi, ut coram illa imagine gratias referat de recuperata salute, et donum offerat; Episcopum autem eiusmodi de causa licentiam concedere, et villicum ea uti et in clausuram ingredi. Numquid ne excommunicatum villicum hunc dicemus? Minime: nam obvia et communia criteria eum ab qualibet excommunicatione liberant. Putamus ergo, relatum a Diana decretum ita intelligendum esse, ut tunc tantummodo licentiam petentes, eaque utentes excommunicationem incurrunt, cum scientes causam qua ingredi volunt in Monasteria non esse gravem, tamen eam obtinent malitiose abusi vel amicitia, vel conniventia, vel ignorantia Episcopi, vel obreptitie aut subreptitie supplicem libellum exponendo; non autem cum causam quam habent sincere allegando, quaecumque ea demum sit, licentiam a legitimo superiore obtinent, eaque bona omnino fide utuntur.

Suspicamur ergo aut decretum a Diana citatum authenticum non esse, aut non esse ita generale prout exponitur; impossibile enim est ut Emi Congregationis EE et RR Patres rationes a nobis allatas, quae sunt prorsus obviae, non viderint

in monialium septa confitente inquireret; an causae concessae licentiae erant graves; hoc enim inquirere deberet a Superiore qui licentiam concessit, non ab eo qui licentiam habuit; hic autem nulla conscientiae angustia angi debet si causas sincere exposuit, et a Superioribus legitimis licentiam habuit. De cetero iam animadvertimus, Superiores licentiam concedentes absque causa legitima post Pianam Constitutionem excommunicationem non incurrere.

In antiquo iure nullae erant causae determinatae pro ingressu in monialium monasteria; praescriptum tamen erat, causas esse debere urgentes et necessarias; sed neque in iure novo determinata aliqua causa praescripta est; quare hoc in capite ius novum nullimode a veteri differre iudicandum est. Quoniam vero *casus necessarii* et *urgentes necessitates* plurimae esse non possunt, hinc non tam frequenter aperienda est clausura monialium.

Doctores tamen ad tria necessitatum genera reducunt casus, quibus monialium clausura aperiri possit; 1° ad necessitates corporales monialium; 2° ad earum necessitates spirituales; 3° ad necessitates ipsius monasterii, seu domus materialis.

Relate ad 1. caput ingredi in monasteria possunt Medici et Chirurgi. Attamen relate ad hos nonnulla decreta referenda ducimus, quae desumimus a cl. Lucidi *De Visitatione* Vol. 2. pag. 138 et seqq. quibus tamen praemittimus regulas generales statutas pro eiusmodi personis aliisque operariis, prout ab eodem auctore referuntur. Inquit n. 56: Quod pertinet ad Medicos aliasque personas extraneas, quarum ingressus in monasteria monialium necessarius est ad peragenda sui muneris officia prae oculis habenda est imprimis epistola Episcopo Parmensi a S. Congregatione perscripta die 20 Nov. 1584 « Hic » in alma Urbe (ita S. Congregatio) » et in omni alio loco, ubi recta mo» nialium monasteriorum disciplina » servatur, redigi solet personarum » notula, quae monasterio necessa» riae sunt, veluti pistores, fabri mu» rarii et lignarii, et ferrarii, baiuli » in certis casibus, praeter medi« cum, chirurgum et barbitonso» rem (1), quibus pro semper li» centia traditur, donec non revo» cetur, ut nempe in monasterium » ingredi possint ad exercenda mu» nera suae propria professionis, » adhibita cautione, ut eligantur » viri probati tam aetate quam bo» nis moribus; itaque amplitudo

(1) Notari debet barbitonsorum eo tempore munus fuisse, ut infirmis sanguinem minuerent, quod modo chirurgi praestare solent. Itaque retinendum est ad hunc unice finem barbitonsores in monasteria ingredi permissos fuisse. Sicut et pistores: ad panem scilicet elaborandum et coquendum in furnis monasterii; pistores enim hoc in loco sunt iidem ac fornarii.

» tua sese gerere debeat in monasteriis suae Dioecesis, prohibitione addita ne aliae personae ingrediantur, praeter eas quae necessariae sunt; nam ita praescriptum et imperatum in multis locis. »

57. Sed, subdit Lucidi, hac in re non videtur certa ac immutata adesse regula; nam S. Congregatio alias edixit medicis, chirurgis, aliisque operariis dari debere licentias ad tempus, non in perpetuum. *Interamn. 9. Sept. 1586.* Alias eadem S. C. huiusmodi licentias singulis trimestribus renovari debere edixit 27 *Mart. 1588, et in Placentina 6 Iunii 1614.*

58. Efficiendum est, ut huiusmodi personae in monasterio non adsint neque ante solis ortum, neque post eius occasum, excepto medico et Confessario in casibus gravissimae necessitatis, S. C. EE. et RR. in decretis generalibus sub Gregorio XIII latis apud Pignatelli Tom. 6. Cons. 185. n. 102.

59. Huiusmodi personis vetitum est alias personas in sui locum delegare, dummodo ex iis non sint, quae iam ab Episcopo ingrediendi licentia instructae fuerint. *S. Congr. Ep. et Reg. loc. cit. n. 107.*

60. Medici aliique operarii iuramentum elicere debent coram Ordinario, vel eius Vicario, sese nonnisi in casu necessitatis ingressuros esse in claustra monasterii, neque aliud opus, quam quod suum exposcit officium, ibidem suscepturos, et prout decet probum et christianum virum, sui ministerii partibus esse functuros. *S. C. apud Pignatelli loc. cit. n. 109 et 112.*

62. In monasteriis e civitate remotis debet Ordinarius personam ecclesiasticam delegare ad concedendas huiusmodi licentias, quas ipse tamen in principio anni recognoscet. *S. C. Papien. 5. Febr. 1607.*

63. Licentiae ingrediendi in monasteria monialium non debent admitti, nisi ipsae moniales capitulariter secretisque suffragiis consentiant; *Mediolanen. 20. Sept. 1604.* Sufficit tamen maioris partis consensio. *Ex Cap. 1. de his quae fiunt a mai. par.*

a) Medicus monialium non debet esse minor quinquaginta annis, ubi medicorum penuria non adest. *Sacr. Congr. EE. et RR. in Ferrarien. 7 Mart. 1617, et in Ianuen. 14 Iunii 1625.* Hinc in parvis oppidis ubi unus tantummodo medicus adest, vel etiam plures, sed quinquaginta annis minores, poterunt, sanctimonialium septa ingredi. Neque moniales tenentur advocare alium ex oppido quamvis valde propinquo; etenim verificatur conditio quod in oppido vel loco ubi monasterium consistit, adsit medicorum penuria.

b) Medici et Chirurgi Ordinarii debent habere licentiam generalem ingrediendi clausuram, etiam de nocte, in casibus urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis. *Sac. Congr. Episc.*

et Reg. in Ferrarien. 2. Iul. 1599, et 13 Iulii 1605. Medici et Chirurgi quapropter quamvis a monialibus electi debent ab Episcopo vel Ordinario loci, et a Superiore monasterii licentiam huiusmodi habere antequam in clausuram ingrediantur pro prima vice. At medici extraordinarii debent habere licentiam *toties quoties.* (1)

c) (Medici et Chirurgi) debent tamen associari, eisque assisti cum infirma tractantibus. *Ead. Congr. in Parm. 26 Mart. 1601.* Ergo non debent soli se conferre ad monialis cubiculum, multo minus in cubiculo remanere, praesente nemine. Attamen putandi non sunt excommunicationem incurrere, si secus agant; ingrediuntur enim cum debita et legitima licentia; quod autem ecclesiasticae praescriptiones non observentur, non ipsorum, sed monialium culpa est, ad quas eum sociare, et infirmam visitanti assistere pertinet.

d) Nulli plane moniali fas est suo uti medico peculiari, sed utatur eo, quo monasterium ordinario uti solet. S. Congr. EE. et RR. in Bonon. 6 Iulii 1588 apud Crisp. *Visit. past. Part. II.* §. *42. n. 52,* excepto casu gravis infirmitatis *Catacen. 15 Februarii 1595* apud Crisp.

e) Medicus extraordinarius permitti non debet monialibus, nisi in gravi infirmitate. Ead. Congr. in *Bonon. 8 Iulii 1588; in Ferrarien. 6 Augusti 1601* etc. Ne tamen quis erraret quando infirmitas iudicanda esset gravis, eadem S. Congreg. *in Ianuen. 13 Mart. 1721* declaravit eam gravem esse.

f) Quando medicus ordinarius non invenit remedium, vel est impeditus. *In Portugal. 15 Mart. 1646.*

Non putaremus tamen contra eiusmodi praescriptionem agi, si medicus Ordinarius ex se peteret medicorum, vel alius medici consultum. Etenim hoc in casu censendus est non invenire remedium. Quando vero Ordinarius medicus est impeditus, advocari debet extraordinarius, etiam ea de causa quia hic in casibus gravioribus iam est ab Episcopo probatus, quamvis speciali indigeat licentia. Verum si medicus Ordinarius sit impeditus, et extraordinarius ob urgentem casum advocetur, qui dilationem non patiatur, culpandus non est, si absque licentia Superioris legitimi monasterium ingrediatur; necessitas enim non habet legem.

Alia causa violandi legitime clausuram suppeditatur a necessitatibus spiritualibus monialium.

Eiusmodi de causa ingredi clausuram possunt Confessarii sive ad sacramenta poenitentiae vel infirmis, vel illis qui ad locum destinatum se conferre non possunt, vel Eucharistiae aut S. Viaticum, sive ad extremae unctionis ministranda,

(1) In monasteriis exemptis ad quem pertineat facultatem eiusmodi concedere, conferant Lectores quae inferius hac de re scripturi erimus.

sive ad opportunam adsistentiam moribundis exhibendam. Haec ab Alexandro VII statuta fuere in §. 5 suae Constitutionis *Felici sacrarum Virginum* latae die 20 Octobris 1664 huiuscemodi « Ad haec Confessor » sanctimonialium, tam Ordinarius » quam Extraordinarius minime » ingrediatur septa monasterii, nisi » ad Sacramenta Poenitentiae, Eu» charistiae et Extremae Unctionis » ministranda monialibus, vel aliis » personis infirmis ibi degentibus, » nec non ad commendandam ani» mam agonizantium, nec umquam » ingrediatur, nisi cum socio, qui » sit probatae vitae et maturae ae» tatis, semperque maneat in ea » parte monasterii, qua Confesso» rem videre, et ab ipso videri » semper possit. »

Attamen circa animae commendationem observanda est dispositio S. Congreg. EE. et RR. in Tranen. an. 1714, in qua dicitur, quod Confessarius monialium possit, postquam S. Viaticum infirmae detulerit, ingredi cum stola et cotta, et non aliter, ad ei extrema pietatis officia porrigenda in commendatione animae (1).

Quid vero de consuetudine illa in nonnullis monasteriis vigente, qua fit ut si moribundae monialis agonia protrahatur, Confessario succedat in adsistentia praestanda Capellanus, et etiam tertius?

R. Arbitrio et prudentiae Episcopi commissum est consuetudinem tolerare vel prohibere. Ita Congr. EE. et RR. in *Fossanen. Confessarii* anno 1734. (2)

Licitum ne erit monialium confessariis morientibus sacris virginibus etiam noctu adsistentiam praebere?

R. Affirmative ex declaratione a S. Congr. praed. in Algaren. *Super assistentia Confessarii moniali moribundae* an. 1736. Hi Emi Patres declararunt, posse Episcopum libere concedere quocumque tempore eiusmodi facultatem Confessario extraordinario; qui debeat iuxta prudentiam suam rem agere (3).

In nonnullis autem monasteriis consuetudo vigebat, ut Confessarii nedum noctu sanctimonialibus mo-

(1) Bizzarri Collectanea p. 334. « Può il Confessore delle monache dopo che ha portato il S. Viatico a qualche Religiosa inferma, entrare con la stola e cotta e non altrimenti, ad assisterla negli estremi della sua vita con la raccomandazione dell'anima.

(2) Questi Emi miei Signori hanno stimato di rimettere al di Lei pastoral » zelo e prudenza il prendere sopra di ciò quel provvedimento che stimerà più » espediente. *Bizzarri Collectonea* pag. 365.

(3) Cum eiusmodi declaratio nonnullas difficultates amoveat, integram referimus. « Essendosi maturamente considerato da questi Emi miei Signori la lettera » da V. S. qua trasmessa in data dei 30 Aprile, in cui dimandava se gli sia » lecito in avvenire in occasione che si trovano gravemente inferme le monache » terziarie di S. Francesco di codesta città, dare facoltà al Confessore di assi» stirle anche in tempo di notte, ed aiutarle a ben morire, sono venuti nel sen» timento, che possa Ella liberamente accordare in qualunque tempo tale facoltà

ribundis adsisterent, verum etiam infra septa monasterii somnum caperent, cum necesse esset inibi longo tempore manere. Quid?

R. Cum eiusmodi casus propositus fuerit S. Congregationi EE. et RR. integrum decretum referimus prout habetur apud Bizzarri in Collectanea pag. 599.

AESINA. *Super ingressu Confessariorum sanctimonialium Virginum in Clausuram.*

« Eminentissimus Corsi Episcopus Aesinus huic S. Congregationi haec dubia solvenda proposuit: 1° Observat quod Ferraris verbo *Moniales* art. 5. n. 55 docet vetitum esse, Confessores sanctimonialium manere intra claustra ad pernoctandum, ingruente periculo alicuius monialis. Quod e converso in civitate Aesina mos sit omnes Confessores monialium pernoctare intra claustra, cum medicus iudicaverit infirmam esse in mortis articulo. Quod novitas quaelibet hac in re aditum aperiret suspicionibus, quum nihil in contrarium extet. In alia epistola addebat Episcopus, praedictos Confessarios nedum manere, sed et solere somnum capere intra monasterii septa, quum aliquando necesse sit inibi diu manere. Quaerebat itaque utrum debeat servari solitum? 2° Animadvertit quod idem auctor ibidem n. 63 docet, Confessarium regularem numquam debere sine socio ingredi claustra; quod e converso in sua Dioecesi existit ab *immemorabili* contraria consuetudo, et ferme impossibile sit habere semper socium religiosum. Quaerit utrum possit haec consuetudo retineri? etc.

» Quoad duo priora dubia re-

» al Confessore straordinario, che debba regolarsi secondo ciò che gli detterà la » prudenza.

» Infatti oltre le Costituzioni di codesto Monastero da V. S. accennate, che » questo stesso prescrivono, oltre la consuetudine per lo passato, come ella dice » conservata, ed oltre i Decreti da questa S. Congregazione altre volte emanati » su tale particolare, si è anche considerato che parrebbe troppo duro privare le » religiose nel tempo più premuroso, quale è quello, in cui è imminente la morte » del loro Confessore.

» Ne punto ha ritardato il sentimento di questi Emi Signori il decreto di » questa S. Congregazione che V. S. allega, che si suppone emanato ai 13 Set- » tembre 1783. riferito dal Pignatelli Consult. Can. Tom. 6. Cons. 8 §. n. 134. » perchè si è fatto riflessione che la consuetudine contraria universalmente intro- » dotta avrebbe potuto bastare perchè il suddetto Decreto non avesse il suo ef- » fetto. Si aggiunge a ciò che la risoluzione citata dal Pignatelli pare si dura, » che ragionevolmente sospetta il Pellizzari *De Mon. Cap.* 7. N. 227 essere » apocrifa. Procurerà dunque Vossignoria eseguire quanto sin qui a nome della » stessa S. Congregazione gli si risponde etc. Luglio 1736. Bizzarri *Collectanea pag.* 384.

« colenda erant plura huius S. C.
» decreta, et Summorum Pontificum
» Constitutiones, praesertim vero
» Constitutio Alexandri VII, quae
» incipit *Felici*, quae omnia ad il-
» lum finem edita fuerunt, ut e
» claustris ea pericula prorsus amo-
» verentur, quae tristis experientia,
» non esse tantum possibilia, osten-
» derat.

» Consuetudo porro quae in
» contrarium affertur, praesefert ne
» omnes verae et legitimae consu-
» etudinis characteres, an potius
» abusus existimanda? Consuetudo
» ab abusu discernitur ex hoc quod
» illa rationabilis sit, hic autem ir-
» rationabilis. Cap. *Cum tanta*. Ir-
» rationabilis autem est consuetudo
» *quae peccandi licentiam aut oc-*
» *casionem praebet*. Laim. lib. 1.
» Tract. 4. c. 24.

» Gravia nihilominus erant, quae
» Emus Episcopus in casu animad-
» verterat quoad usum ibi intro-
» ductum. Quare in Congregatione
» generali habita die 29 Maii 1846
» proposita fuerunt..... sequentia
» dubia.

1° Utrum Emus Episcopus Aesinus possit tolerare, ut Confessarii tam saeculares quam regulares monasteriorum pernoctent et dormiant in ipsis monasteriis iuxta solitum, ut adsistentiam spiritualem exhibeant sanctimonialibus in articulo mortis constitutis.

2° Utrum possit tolerare consuetudinem ut Confessarii regulares ingrediantur in monasteria absque socio?

Emi Patres referente Emo Ostini rescripserunt:

Ad 1. et 2. Ad Emum Praefectum qui scribat Emo Episcopo Aesino ad mentem: mens est, quod privata Epistola ei scribat ut consuetudinem toleret. (1)

29 Maii 1846.

Ex relato autem S. Congregationis decreto nemo existimet, licitum ergo esse quibuscumque sanctimonialium Confessariis infra clausuram pernoctare atque dormire, si contingat morientium agoniam protrahi; ad hoc enim necessarium omnino est ut verificentur conditiones in relato casu expositae; scilicet 1° ut adsit consuetudo ab *immemorabili* et saltem *valde diuturna;* 2° ut nullum adsit scandalum; 3° ut revocatio seu prohibitio dormiendi infra monasteria in praedictis casibus det locum suspicionibus. Si enim hae circumstantiae desint, ab Episcopo mos eiusmodi est prohibendus. Quod de cetero ex ipso decreti ferendi modo intelligimus. Ideo enim privata epistola, et non publico Congregationis decreto, permissum fuit Episcopo Aesino consuetudinem tolerare, quia Emi Patres noluerunt publico decreto consuetudinem illam approbare. Qua de causa quamvis in casu simili quicumque alius Episcopus possit similem consuetudinem tolerare, cavere tamen debet

(1) Che con una lettera privata gli scriva che tolleri la consuetudine.

ne excedat. Hinc si absque ullo scandalo possit eiusmodi consuetudo eliminari, eliminanda omnino est. Manifestum autem esse putamus, quod si desit Confessarius monialium, et aliqua repentino morbo corripiatur, quivis Sacerdos, etiam ad Confessiones non approbatus, potest sine Episcopi licentia ingredi monasterii septa ut munere suo erga moribundam fungatur.

Attamen Confessarii non possunt ingredi clausuram praetextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios. *S. Congr. Ep. et Reg. 13 Sept. 1583.* Neque ad sepeliendas moniales, vel pro exequiis, ut declaravit S. Congr. Ep. et Reg. *in Reat. 10 Mart. 1577* quae sic se habet: « Non licet Confessario ingredi monasterium sub » praetextu sepulturae tradendi » cadaver alicuius monialis, aut officia funeralia peragendi; sed hoc » officium, si intra clausuram sepe» lienda est, ab aliis monialibus vel » a duobus operariis ab Ordinario » approbandis, peragatur. » Eiusmodi autem decretum confirmatum fuit in *Pistorien et Praten. 2 Martii 1855.* Et si accedat consuetudo ut Confessarius occasione funerum monasterium intret, consuetudo tolerari non debet « *nisi de licentia Ordinarii in singulis casibus* » prout additum est in dicta *Pistorien. et Praten.* Hinc Confessarius eiusmodi de causis sine licentia Episcopi monasteria ingressus incidit in poenas violatae clausurae *S. C: Ep. et Reg. Bonon. 20 Aug. 1599.*

Neque possunt ingredi clausuram ad conspergendum cellas monialium, aut alia loca aqua benedicta die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore. Si tamen adsit consuetudo, petenda est licentia ab Episcopo toties quoties.

Neque ad exorcizandam aliquam monialem energumenam, *S. C. Ep. et Reg. 1 Iul. 1606;* neque ut in monasteriis missas celebrent; possent autem ut inde asportent particulam SS. Sacramenti; non enim decet ut, quamvis sacrarum Virginum manibus contrectetur, idque iuxta probabiliorem sententiam.

Demum S. Congr. die 13 Sept. 1582, et Nonis Maii 1590 edixit quod « Confessarii monialium » nullo modo possint comedere, re» fici, aut cibum sumere in earum » monasterio. » Et novissime in allata *Pistorien. et Praten.* an. 1855 ad dub. 2 his verbis conceptum: An occasione benedicendi cellas, aut exercendam aliquam functionem sui ministerii propriam in clausura (Confessarius monialium) possit sumere potionem calidam (vulgo caffé) vel aliam refectionem, quae sibi afferatur? S. C. rescripsit: Negative nisi ex causa longioris morae, et ex necessitate. Et SS. D. N. resolutionem approbavit. (1)

Praeter Confessarios monialium in casibus praedictis, possunt ratione spiritualis necessitatis ingredi

(1) Apud Lucidi loc. cit. pag. 141. 142. 143.

infra clausuram Episcopi et locorum Ordinarii, vel etiam alii monasteriorum Superiores ad sacram visitationem peragendam.

Attamen clausuram ingredi debent *a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati,* ut praescribit Gregorius XIII in Const. *Dubiis* iam relata. Idipsum autem declaratum invenimus a S. C. Ep. et Regular. in *Gallipolitana 22 Martii 1615* his verbis: « Congrega» tio decrevit, Episcopum nonnisi » in necessitatis articulo, et gravi» bus, maturaeque aetatis ecclesia» sticis personis associatum, mona» steriorum septa ingredi posse. » Ex quibus evidentissime deducitur, Episcopum non posse secum infra clausuram adducere aliquam personam laicam; quod constitutum reperitur etiam in Cap. *ut iuxta* 17 de Officio Ordinarii: « Firmiter » inhibemus ut nullus de caetero » saeculares.... secum visitationis » tempore introducat. » (1)

Clar. Lucidi in Op. cit. Tom. 2. pag. 137. n. 54. Edit. 1866 affirmat, non esse definitum quot numero viros Episcopus secum pro comitatu ducere possit; attamen Fagnanus in cap. *ut iuxta* n. 30 decernit personas religiosas Episcopum comitantes, numerum *octo* excedere non debere. « Pondera primo, scri» bit, nam in declaratoria Grego» rii non determinatur numerus » personarum, quas praelati possunt » secum ducere intra septa mona» sterii monialium, determinatur » tamen in praecitata Clementina » *Attendentes*, de statu monacho» rum, a qua Constitutio Gregorii » recipit interpretationem passi» vam. (2) Unde si Visitatores in» troducerent plures quam octo ibi » (in Clementina) praefinitas, uti» que poenas Constitutionis non » evaderent. »

Ex quibus concludit Monacelli Tom. 3, Tit. 1. Formul. 41. n. 16, quod Episcopus et quilibet alius Praelatus Visitator excedens dictum numerum octo, poenas Constitutionis Gregorii incurrit; qui vero dicto numero contentatur legem non

(1) Apud Ferraris V. *Episcopus,* Art. 6. n. 103, qui tamen recte et vere scribit. n. 101. Si tamen Episcopus occasione ingressus ad succurrendum necessitati, vel ad promovendam utilitatem Monasterii indigeret consilio alicuius periti laici, tunc posset unum aut plures secum ducere ad talem solum finem, quia tunc laicus, non tamquam comes et socius ingrederetur, quod est prohibitum, sed tamquam Peritus necessarius, prout deducitur ex alia eiusdem S. C. Resolutione 18 Februarii 1593 in qua sic habetur: *In visitandis Monasteriis Monialium ingrediantur cum Episcopo aut eius Vicario* (ad hoc specialiter deputato) *tantum personae religiosae et honestae iuxta Bullam S. Pii V; laici autem nullo modo ingrediantur, vel tunc tantummodo cum ordinarius id ob aliquam causam necessarium iudicat.*

(2) Id est: Constitutio Gregorii determinatur quoad numerum personarum a Cap. *attendentes,* a quo recipit interpretationem passivam quia est posterior Capite illo.

laedit, qui autem utitur minori, melius facit. (1)

Verum haec sententia nobis dura videtur, si eo sensu sit accipienda, ut si numerus personarum quae infra septa monasterii cum Episcopo Visitationis tempore ingrediuntur, paulisper excedat numerum octo, Episcopus excommunicationem incurrat. Primo enim in Cap. *Attendentes* non fertur excommunicatio in Episcopos qui infra septa monasterii maiorem numerum, visitationis tempore, conducant, sed fertur excommunicatio tantummodo in eos qui visitatores prohibere velint quominus visitationem peragant: « Si qui vero visitatores ipsos » in praemissis impedire praesum- » pserint,seu aliquo praemissorum, » (nisi moniti resipiscant) ipso fa- » cto excommunicationis senten- » tiam se noverint incursuros. » Qua igitur ratione Episcopos Clementinum Caput transgredientes excommunicatos proclamabimus?

2° Pariter Gregorius XIII quamvis praescripserit personas comitantes Episcopum debere esse paucas, tamen neque numerum determinavit, neque excommunicationem in Episcopum tulit personarum numerum, quae paucae non videantur, secum infra monasterii septa introducentem; ex quo igitur capite Episcopum hunc excommunicatum dicemus? A peccato certe et quidem gravi, non excusabimus, sed ab excommunicatione utique, quia non videmus qua lege illam incurrat.

3° In praxi autem nemo excommunicatus habetur si probabilis ratio ab excommunicatione eum excuset. At probabilis ratio, ne dicam certa, Episcopum hunc ab excommunicatione excusat; etenim constare non videtur de existentia latae excommunicationis in casu.

Quamvis itaque numerus personarum ad octo tantummodo reducatur, tamen si Episcopus novem vel decem secum in monasteria introducat, non est uti excommunicatus habendus, dummodo illas tempore visitationis, vel in alio aliquo necessario casu introducat; sintque de coetero personae religiosae et honestae.

Certum est autem ex relata Constitutione *Dubiis* quod si Episcopi contrafecerint pro prima vice ingressu Ecclesiae interdicuntur; pro secunda a munere Pontificali et a divinis suspenduntur; pro tertia ipso facto, et absque ulla declaratione, excommunicationem incurrunt.

Atque exinde quoque patet quantum a veritate abludant illi qui affirmant, Episcopum excedentem in numero personarum introducendarum excommunicationem ipso facto incurrere; etenim ex relata Gregorii XIII sanctione post tertiam tantummodo legis transgressionem Episcopus excommunicationem incurreret; et quidem si in mo-

(1) Apud Ferraris loc. cit. n. 103.

nasteria sine urgenti causa ingrediatur, non autem si legitima de causa cum numero personarum quae paucae non videantur. Lex enim Gregorii in Const. *Dubiis* apertissima est. Postquam enim sanciverit, Praelatis competere facultatem ingrediendi monasteria in *casibus necessariis, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati, concludit:* « harum » serie monemus ut facultate hu» iusmodi qui eam habent, prae» terquam in casibus, ut praefertur » necessariis, neutiquam utantur; » quod si contrafecerint post tertiam » violationem excommunicationem » incurrant.» Ex quo quisque videt a Gregorio XIII excommunicationem latam fuisse in Episcopos aliosque monasteriorum superiores, cuiuscumque demum sint dignitatis, tantummodo, qui extra casus necessarios monasteria ingrediuntur, non autem in illos qui in casibus necessariis ingrediuntur cum maiori personarum numero. Qua de causa nullo pacto admittenda videtur Fagnani, Ferraris et Monacelli opinio excommunicationem eiusmodi ultra quam oportet extendentium. (1)

Quamvis autem Episcopi possint monasteria ingredi casus urgentis, aut s. Visitationis peragendae gratia, tamen non possunt ut moniales particulares examinent, vel ut abbatissae electioni praesint; hos enim actus ex cratibus exequi possunt, ut docet S. Congregatio in Syracusana 16 Octobris 1600; excipitur tamen casus, quo Praelati prudenter iudicent non posse electionem peragi, ipsis non ingredientibus, ob inquietudinem monialium, et suspicionem ne vota subornentur, vel ob alias iustas gravesque causas.

Item S. Congregatio apud Barbosa *de Iure Eccl. lib. 1. cap. 44, n. 171* decrevit, superiores monialium non posse monasterium sibi subiectum intrare, ut novitiis habitum tradant, ut eas ad professionem admittant, ut Abbatissas consecrent, aut monialibus solemniter velum impertiant; sed neque ut sacramentum Confirmitionis puellulis conferant, nisi mortis periculum immineat; Chrisma enim ministrari potest ad fenestellam communionis; unde propterea non datur licentia ingressus et egressus; ut decrevit S. C. Ep. et Reg. in Neapolitana 6 Iunii 1601. (2)

Ex citatis autem decretis manifestum esse comperimus, Ecclesiae intentionem eam esse, ut clausura

(1) S. Congregatio Concilii anno 1686 die 19 Ianuarii de re interrogata a Procuratore generali Ordinis Minorum de observantia huiuscemodi: V. An Episcopus dictam clausuram visitaturus praeter convisitatores possit pro suo libitu secum deducere intus Monasterium alias personas sive ecclesiasticas sive saeculares indeterminate; vel in certo et praefixo numero? Respondit: *Servandas esse Constitutiones Apostolicas. Canones et decreta Concilii Trident.* Edit. Neapol. 1859. pag. 406. Insolutam scilicet quaestionem reliquit.

(2) Apud Lucidi loc. cit. pag. 137.

omnino servetur, ut monasteriorum ianuae clausae maneant quantum licet, et possibile est, ut sanctimonialibus nulla detur distractionum occasio, ut quoniam mundo ipsae valedixerunt animo et corpore, in eiusmodi sanctissima separatione firmae constantesque permaneant.

Ad absolvendum hoc caput superest ut inquiramus a quibus petenda sit licentia, ut legitima censeri possit.

Itaque monasteria sanctimonialium alia sunt Episcopis subiecta, alia immediate Apostolicae Sedi; alia demum Superioribus Regularibus. Quoad monasteria sive Episcopis, sive Sanctae Sedi immediate subiecta potest Episcopus licentiam legitime inibi ingrediendi concedere; in illis quidem auctoritate propria, in istis tanquam Sedis Apostolicae delegatus. Nulla hac de re quaestio. Eamdem possunt concedere etiam Vicarii generales si habuerint ab Episcopo speciales facultates; cum generales non sufficiant. In re citatur Decretum S. Congregationis Concilii a Bellarmino relatum huiuscemodi. « Item, Vicarius generalis non potest dare hanc licentiam, etiam absente Episcopo, nisi specialiter sit illi concessum ab Episcopo. » *Novae Declarationes S. R. E. Cardinalium* etc. Pariter apud Pignatelli Tom. VIII, Cons. 48, n. 54. hoc aliud decretum reperimus: Mediolanensis Vicarius generalis, nec praesente, neque absente Episcopo potest concedere licentiam ingrediendi monasteria, nisi Episcopus specialiter hanc facultatem ei concesserit.

Hanc item licentiam potest concedere Vicarius Capitularis etiam pro monasteriis Sedi Apostolicae subiectis, quia Capitulum, seu Vicarius Capitularis succedit Episcopo etiam in iurisdictione delegata, quando haec est in perpetuum commissa muneri Episcopali. (1)

Verum non modica erat quaestio, saltem apud antiquos, ad quem pertineret facultatem concedere ingrediendi septa monialium Regularibus subiectarum. Apud Bellarminum in Cap. V Trid. Sess. XXV de Regularibus refertur decretum S. C. Concil. 19 Iun. 1597, in quo Eminentissimi Patres censuere « licen- » tias ingrediendi infra septa mo- » nialium ex vera tantum necessi- » tate concedendas, quoad monaste- » ria Regularibus subiecta, pertine- » re dumtaxat ad ipsos Superiores » Regulares. »

Quod idem decretum fuerat in Hyeracen. 26 Ian. 1692: S. C. respondit, licentiam ingrediendi monasteria spectare ad Superiorem Regularem *ex cap. 5 sess. 25 de Regular.*

Verum postea contrarium decretum fuit, ne scilicet sine Episcopi licentia ullus ingredi auderet monasteria monialium Regularibus

(1) Ferraris Voc. *Monialis* Art. 3. n. 37.

subiectarum. Id demonstramus ex Decreto S. C. Concilii in Bellunen. 1630 lato, quod ita se habet: « Tametsi alias S. Congregatio Concilii declaraverit licentiam ingrediendi septa monasteriorum monialium exemptarum et Regularibus subiectarum ex vera tantum necessitate, quae moniales respiciat concedendam, seu accedendi ad loquendum cum monialibus pertinere ad ipsos tantum Superiores Regulares. Nihilominus sub die 13 Novembris 1610, quo magis clausurae observationi consuleretur, facultate sibi a SS. D. N. (Paulo V Burghesio) tributa, statuit et decrevit, ut deinceps intra huiusmodi septa ingredi nemini liceat nisi licentiae in casibus necessariis concedendae nedum a Superioribus Regularibus dictorum Monasteriorum sed etiam a locorum Ordinariis obtentae fuerint, non obstantibus quibuscumque legibus, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Postremo autem ad removendam omnem dubietatem, quae ex eiusmodi decreto forsan oriri potest, negotio iterum in Sac. Congr. proposito, atque SS. Domino N. relato.

» Die 21 Maii 1630 Sanctitas Sua (Urbanus VIII) declaravit, huiusmodi licentias a Superioribus Regularibus non esse petendas in illis locis, in quibus adest consuetudo, ut istae ab Episcopo tantum concedantur; hoc enim in casu statuit et decrevit, talem consuetudinem esse servandam, et ipsorum Episcoporum tantummodo licentias sufficere, etiam privative quoad ipsos Regulares. » (1)

Hoc autem decretum refertur etiam a Benedicto XIV De Synodo Dioecesana lib. XIII, cap. XII, n. 23, eoque relato, cum aliis plurimis eiusdem generis declarationibus, subdit: « Ex iteratis hisce rescriptis, Pontificia quoque auctoritate, ut supra monuimus, roboratis, omnis plane aditus praeclusus esse deberet disputationibus ac controversiis hac de re antiquitus excitatis: ideoque nihil aliud est reliquum, quam ut Episcopi praedictorum decretorum executioni advigilent. »

Atque ut securiori advigilent animo, prae oculis subiicimus responsionem datam a S. Congregatione Concilii Episcopo Conversanensi relate ad monasterium monialium Carmelitarum quae Ordinis Superioribus subiectae erant. Petierat Episcopus inter alia:

VII. An Superiori seu Commissario Monasterii sine censurarum incursu licitum sit etiam cum iusta et legitima causa clausuram ingredi absque licentia Episcopi, vel eius delegati?

VIII. An licentiae concessae pro medicis et aliis, qui ex necessitate

(1) Ferraris loc. cit. n. 90.

in clausuram ingrediuntur, privative dari debeant a Commissario monasterii, sive cumulative etiam ab Episcopo?

Quibus die 8 *Maii* 1751 S. Congregatio respondit:

Ad VII. Negative, excepto casu visitationis faciendae semel in anno. (1)

Ad VIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ex quibus colliges:

1° Superioribus Regularibus non competere facultatem ingrediendi monasteria etiam cum iusta et legitima causa, excepta visitatione semel in anno peragenda, sine licentia Episcopi.

2° Eos non posse dare licentias privative in monasteria ingrediendi, sed tantummodo cumulative cum Episcopo.

E contra illis in locis, in quibus adest consuetudo petendi licentiam ingrediendi in monasteria exempta ab uno Episcopo, eam non esse petendam a Superiori Regulari, sed unam Episcopi satis esse.

4° Eos omnes proinde errare, qui adhuc defendunt, petendam esse a Praelato regulari tantummodo licentiam ingrediendi in monasteria exempta, eamque tantum satis esse; (2) hos enim latis decretis contradicere manifestum est.

Ex Const. *Dubiis* autem patet, contrafacientes, si pontificali dignitate praefulgeant, pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiae interdictos; pro secunda a munere pontificali et a divinis suspensos: ac deinceps ipso facto, absque ulla declaratione excommunicatos existere: regulares vero omni officio ac ministerio privatos excommunicationi similiter subiacere.

Antiquo iure licentia eiusmodi in scriptis concedenda erat ex Concilii Tridentini sanctione: *sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta.*

Attamen in nostro Capite pro-

(1) Id statutum fuerat ab Alexandro VII in Const. *Felici*, sed tantummodo infra Italiam et Insulas adiacentes: « Sancimus, ut imposterum intra fines Italiae » et insularum adiacentium generalibus, provincialibus, Abbatibus et quibuscum- » que aliis superioribus regularibus, quibus alioquin cura et regimen monasterio- » rum quovis modo incumbit, nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa visitationis » localis, et hoc semel tantum in anno, ut in eo anno, in quo unus ex memoratis » superioribus visitaverit, alius superior a visitatione huiusmodi se omnino abstineat. » §. 1.

(2) Hos inter de Varceno Theol. mor. Tom. I. Tract. V. n. 4, pag. 214. Edit. 1876. qui scribit: Si monasterium subsit Regularibus, licentia datur a Praelato regulari. Eiusmodi sententia ita corrigenda est: Si monasterium subsit Regularibus, licentia datur a Praelato Regulari et ab Episcopo, nisi consuetudo adsit illius ab uno Episcopo petendae. At vir cl. inductus in errorem fortasse fuit ab Reiffenstuel Lib. III Decret. Tit.35, n. 57, quem sicut et alios, prorsus latuere recentiores declarationes a nobis allatae.

hibetur ne quis monasteria ingrediatur *absque legitima licentia*, quin Pius Papa IX praescribat eam in scriptis esse debere. Putamus quapropter subscribendum esse sententiae cl. Avanzinii dicentis: « Desunt tamen in articulo haec ultima verba (*in scriptis obtenta*) in quorum loco posita sunt haec alia (*absque legitima licentia*), ne fortasse putaretur excommunicationem esse quoque connexam cum defectu *formae* licentiae obtinendae. Sufficit itaque ut licentia sit legitima, quae ab iis, a quibus dari debet, in praescripta forma dari oportet, quin tamen formae defectus censuram secumferat. »

Et quidem recte et vere. 1° enim excommunicationes latae sententiae nunc vigent quatenus et eo modo quo in Constitutione *Apostolicae* insertae sunt. 2°. Lex est, odiosa, proindeque stricte interpretanda. 3° Legitima illa licentia habenda est quae a legitimo Superiore datur sive scripto, sive voce. 4° Commentatores de cetero huic sententiae subscribunt quos inter, praeter Avanzini, Ciolli. *Commentario prattico delle censure, pag. 83, n. 2.* Grandclaude. *Constitutio qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur pag. 51.* Auctores illustris ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique, Tom. IX, pag. 185.* De Varceno Tom. I, pag. 214. Commentator Reatinus in eiusmodi Cap. et alii.

Ad absolvendum eiusmodi quaestionis caput superest ut expendamus quibusnam aperiri clausura possit propter necessitates materiales ipsius monasterii.

Breviter itaque cum cl. Ferraris V. *Moniales Art. III. n. 81* dicimus. Factores, aliique Operarii ad monialium servitium necessarii possunt de legitimi Superioris licentia ingredi clausurae ad exercenda suae artis opera, quae commode extra monasterium exerceri non possunt.

Hinc factor poterit ingredi, prout moris est, ad apte locanda dolia, recondendum vinum, et alia necessaria ministeria exercenda. Perusin. 9 Octobr. 1618 apud Nicol. Idipsum dicatur de Fabris murariis, ferrariis, lignariis, aliisque quorum opera necessaria monasterio est.

Vecturalibus quoque, sive mulionibus danda licentia generalis. *Fulginaten. 21 Iul. 1593,* non tamen ad inferendas et efferendas olivas; *Assisien. 22 Febr. 1630 apud Nicol.* siquidem ex olivis extra monasterium oleum exprimi debet in appositis molendinis, quod subinde in monasterium importetur. *Apud Lucidi loc. cit. pag. 140. nn. 71 72.* Qui tamen habet licentiam ingrediendi pro uno servitio praestando, non potest ingredi alius servitii praestandi gratia; secus violat clausuram, cum licentia non se extendat ultra opera suae artis. S. C. Ep. et Reg. in Ferrarien. 6 Aug. 1601. *Ferraris loc. cit.*

num. 82. Et *Lucidi*, loc. cit. num. 111.

Subdimus vero cum cl. Lucidi *loc. cit. n. 72.* quod dari potest licentia Notario et testibus ingrediendi clausuram, cum aliqua mulier saecularis, quae ibi degit, decumbit in lecto; velitque facere testamentum, vel aliam dispositionem de suis bonis. *Catacen.* 15 Februarii 1595 apud Nicol. Si, inquam, decumbat in lecto; si enim se ad Collocutorium vel ianuam clausurae transferre possit, eo in loco testamentum condendum est, quin Notarii et testes in clausuram ingrediantur.

Secundo loco in Piano Capite excommunicantur illi qui introducunt vel admittunt violantes clausuram monialium, eos scilicet qui introducunt vel admittunt ingredientes absque legitima licentia.

Quoniam verba legis poenalis stricto sensu sunt accipienda, cum cl. commentatore Reatino *pag. 73. Edit. 3. 1880.* dicimus, *introducere esse intus mittere, vel ingredi volenti ianuam aperire; admittere autem esse recipere* illum qui ingreditur, seu clausuram violat.

Attamen in utriusque termini extensione determinanda Commentatores discrepant; et quidem relate ad extensionem significationis verbi *introducere* Rotario, inter coeteros, *Theolog. Moral. Regularium* Tom. II. lib. II. Cap. III. punct. II. n. 10. ita illud explicat: « Quantum ad » introductionem, illi censentur » introducere, qui physice vel moraliter sunt causa illius ingressus » et dici possunt introducere foeminas intra septa monasterii (et » e contra); quare introducere dicuntur qui physice cooperantur » ingressui, puta aperiendo ianuam, » aptando scalam si ingressus fiat » per fenestras, vel alio modo cooperando et adiuvando, ut ingrediantur. Similiter introducere dicuntur, qui moraliter cooperantur, et tales praesumuntur illi » qui invitant, suadent, consulunt, » animum addunt ut ingrediantur, » et a fortiori qui praecipiunt et » mandant; isti omnes in morali » hominum aestimatione censentur » introductores. » (1)

Verum, ni nos fallat opinio, eiusmodi sententia ita temperanda videtur, ut cooperantes praedicti excommunicationem incurrant si stantes infra septa monasterii, seu Clausuram, externos, id est violantes clausuram introducant, non vero si stantes extra clausuram, quomodolibet cooperentur clausurae violationi. Reapse.

1° Verba legis poenalis stricto sunt sensu accipienda, nec ultra extendenda quam patiatur sensus naturalis et proprius verborum ipsorum. At verbum *introducere* denotat actum physicum seu materialem ducendi intus in claustra violantem clausuram. At nemo potest ducere intus in aliquem locum personam quamlibet, nisi vel sit intus,

(1) Apud Nouvelle Revue Tom. IX, pag. 188, §. 27.

vel simul cum ipsa introeat ut ducat; atqui si hoc postremum, non tam ut introducens, quam ut violans clausuram excommunicationem incurreret; etenim sine legitima licentia ingreditur septa monasterii ut intus introducat violantem clausuram. Et sedulo Lectores notent, a Legislatore adhibitum fuisse verbum *introducentes*, non *intromittentes;* etenim quis ad ianuam clausurae stans, neque eam violans posset intus aliquam personam mittere, introducere nunquam, nisi ipse cum illa ingrediatur.

2° Patet ex antithesi inter *violantes* et *introducentes:* illi enim extrinseci sunt, hi intrinseci, sin minus utrique possent considerari uti violantes; quin imo et illud sequeretur, *introducentes* duplicem excommunicationem incurrere; uti *violantes* quidem, quia in hypothesi ingrediuntur septa monasterii ad intus ducendum violantem; et uti *introducentes*, hi enim excommunicantur expressis verbis, et duplicem actionem ponerent distincte a Legislatore excommunicatione multatam. Quod admitti posse non videtur; verbis enim *violantes, introducentes, admittentes,* triplicem personarum classem Legislator excommunicatione ferire voluit.

3° Quando Pius Papa IX mandantes, consulentes etc. excommunicatos voluit; eos in praesenti Constitutione expresse nominavit; atque hinc Commentatores plurimi et praecipui legitime argumentati sunt, quod quando eos Legislator praetermisit, excommunicatos noluit. At certum est in praesenti capite mandantes, consulentes etc. nominatos non fuisse. Si igitur hos quoque hoc in capite excommunicatos voluisset, se inintelligibilem fere reddidisset.

4° Ex relatione huius Capitis cum sequenti, in quo excommunicantur tantummodo mulieres violantes clausuram virorum quae sunt personae externae, et superiores aliive eas admittentes, quae sunt personae internae. At hoc in capite praetermissi sunt *introducentes,* et quia mulieres introducentes essent habendae uti violantes, et quia viris externis introducentibus mulieres nulla est ob clausurae violationem timenda excommunicatio, cum viri in septa Religiosorum virorum tuto ingredi possint. Ergo si in Capite praecedenti excommunicati essent *introducentes*, non ex alia ratione quam quia essent habendi uti violantes clausuram; sed haec fuisset inutilis repetitio; ergo introducentes externi utique comprehendi possunt inter *violantes,* non autem inter introducentes.

5° Quia si lex praesens comprehenderet etiam consulentes, vel praecipientes externos, id fieri nequiret sine legis ipsius extensione ad alios casus, aliasque personas; at id sine voluntate Legislatoris fieri nequit; requireretur ergo authentica legis interpretatio, quae tamen hucusque desideratur.

6° Demum si valeret Rotarii ratiocinium, nescio an umquam consulentes mandantes etc. excommunicationem evaderent, quamvis expresse sub verbis legis non comprehendantur; cum enim hi semper censendi essent moraliter cooperari actionibus sub censura vetitis, semper excommunicationem incurrere, quamvis sub lege expresse non comprehenderentur, putari deberent.

Exinde vero patere arbitramur, sub *introducentium* nomine illos esse tantummodo comprehendendos, qui infra secta monasterii existentes, clausuram violantes intus introducunt; non autem externos quoslibet, qui quoquo modo in clausurae violatione cooperantur, et eam personaliter non violant, intus non ingrediendo.

Relate ad verbum *admittere* cl. Commentator Reatinus haec habet: *Admittere est recipere; recipere autem is intelligitur qui prohibere debet et facile potest, nec prohibet: hoc autem solius Praefectae et Ostiariae officium est: adeoque simplices moniales nullam ex hoc capite excommunicationem incurrunt.*

Verum nescimus quibusnam innixus argumentis vir doctissimus eiusmodi sententiam propugnaverit. Nos ad contrariam statuendam, seu ad probandum, legem etiam simplices et quascumque moniales comprehendere, quae nec Praefectae nec Ostiariae sint, si eam transgrediantur, sequentibus rationibus nitimur.

1° Lex est generalis, et potest de qualibet moniali admittente seu recipiente verificari; ideoque quaecumque legem transgrediatur excommunicationem incurrit.

2° Si lex tantummodo Ostiarias vel Praefectas comprehenderet, non incurrerent, excommunicationem simplices sanctimoniales quae vel clam ab Ostiaria suffuratae claves, vel falsis clavibus aperientes clausuram, homines intus introducerent et reciperent; etenim non sunt neque Ostiariae neque Praefectae; multoque minus incurrerent si non ab Ostio clausurae, sed vel a fenestra, vel ab alio quocumque foramine vel ianua, cuius claves non habet Ostiaria, vel per Rotas quae aliquando tam grandes sunt, ut hominem capere possunt, violantes clausuram admitterent, et reciperent. Quod defendi nullo pacto potest.

3° Clausura introducta fuit, ut sanctimonialium honor et castimonia inviolata permaneret, et nulli prorsus detractioni vel suspicioni obnoxia fieret. At hic finis respicit sanctimoniales omnes; ergo quaecumque finem huiusmodi violaret, excommunicationem incurreret.

4° Neque a Praefectis neque ab Ostiariis mala sunt tam timenda, quam a simplicibus monialibus: Praefectae enim et Ostiariae plerumque eliguntur nedum probatae vitae, sed etiam provectae aetatis. Si ergo has tantummodo sub lege comprehendissent, admodum imper-

fecte honori et sanctitati monialium consuluissent Romani Pontifices.

5° Hostiariae hac in hypothesi excommunicationem incurrerent non tam uti admittentes, quam uti introducentes ; sunt enim prorsus ipsae quae aperiendo clausurae ianuam violantes introducunt.

6° Nonne violari clausura potest nescientibus Ostiariis et Praefectis et Superioribus quibuslibet ? Admittentes ergo huiusmodi excommunicationem effugerent ?

7° Quid si Ostiaria pessima pessimos introducat homines, et nonnullae sanctimoniales, quae nec Ostiariae nec Praefectae sint, illos recipiant et mala perpetrent : num ne excommunicationem effugient ? Sed quo argumento ?

8° Quid quod hae simplices moniales non essent excommunicatae neque uti introducentes, si quomodolibet introducerent violantes ? Introducere enim prorsus pertinet ad Ostiarias et Praefectas; at simplices moniales neque Ostiariae neque Praefectae sunt, sexcentis hinc modis clausura violari posset, quin excommunicationem introducentes vel admittentes incurrerent. At hoc teneri ne et defendi rationabiliter potest ?

9° Demum ex Const. *Per binas* a Benedicto XIV lata excommunicationem incurrebant moniales quaecumque, quae foeminas in monasteria admitterent, eas accersendo et impellendo : « Saepe quamlibet foeminam in quacumque aetate constitutam, sive consanguineam, sive affinem sive tamquam famulam cuiuslibet earumdem monialium in ipsam clausuram arcessant, et quamvis ipsae *moniales* impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant; nec religioni ducant censuras, ac poenas canonicas, quibus eapropter obnoxiae fiunt. » Ergo ante Pianam Constitutionem quaecumque moniales invitarent vel impellerent aliquam foeminam ad ingredienda septa monasterii excommunicationem incurrebant ; quod patet etiam ex ipsa monialium excusatione. Sed censurae in Piana Constitutione latae vim etiam habent ex veteribus canonibus quatenus cum hac Constitutione conveniant ; nullo autem pacto probatur hoc in capite et quaestione disconvenire; ergo etiam nunc simplices moniales aliquem in clausuram admittentes, sive invitando, sive alia positiva actione, excommunicationem incurrunt.

Tenendam hinc esse putamus Bonacinae sententiam, qui de Clausura quaest. IV, punct. V, nn. 11 et 12 inquit : « Introducere vel admittere idem est ac directe vel indirecte cooperari ingressui, exercendo actionem positivam aut negative se habendo, dum ex officio aliquis impedire tenetur. Hinc sequitur, monialem, quae ianuam ingredienti aperuit, manu trahit, aut alicui consulit, iubet, seu mandat vel approbat, ut ingrediatur,

» affici praefatis poenis, quia coo-
» peratur ingredienti. Sequitur et-
» iam, monialem quae tenetur ex
» officio impedire ingredientem,
» (quod certe est officium Ostia-
» riae et Praefectarum) et non im-
» pedit, in praedictas poenas in-
» currere... indirecte enim coope-
» ratur, et consequenter admittere
» censetur. » (1)

Eiusdem autem sententiae relate ad verbum admittere ipse Rotarius esse videtur, qui loc. cit. scribit:

« Quantum ad verbum *admit-*
» *tere,* prout distinguitur ab *intro-*
» *ducere* potius explicari debet ne-
» gative; hoc est illi praesumuntur
» admittere, qui cum sint deputati
» ad clausurae custodiam, non pro-
» hibent cum possint et teneantur
» prohibere. Qui vero ad talem cu-
» stodiam deputati non sunt, esto
» possint prohibere, si nec invitent
» nec adiuvent, nec collaudent et
» approbent ingressum, non pos-
» sunt dici admissores, ex eo quod
» omittant prohibere, et se inge-
» rere in alterius officio, ad quod
» nulla lege tenentur. »

Ergo si simplices moniales quae non sunt neque Praefectae neque Ostiariae violantem clausuram invitent, adiuvent, collaudent etc. excommunicationem incurrunt. Ergo lex afficit nedum Praefectas et Ostiarias, sed etiam simplices moniales quae violatores clausurae admittunt et recipiunt, dummodo aliquam positivam actionem ponant, ut ipsa verbi *admittere* significatio innuit, et non dumtaxat negative se habeant.

Sed neque Bonacina huic sententiae contradicit, ut cl. Commentatori Reatino loc. cit. videtur. Etenim *De Clausura Quaest. IV, Punct. VI, n. 12* in fine, sententiam his verbis limitat: « Modo *(pri-*
» *vatae moniales)* actionem aliquam
» positivam non praestent, qua fa-
» ciant aliquem ingredi; tunc enim
» directe cooperarentur ingressui
» ut si aliquem invitarent, vel ma-
» nu traherent etc., consequenter
» dicerentur admittere. »

Attamen ut sanctimoniales sive *introducentes* sive *admittentes* eos qui clausuram violant, huius Capitis excommunicationem incurrant scire debent, eos qui ingrediuntur legitima licentia destitui; si enim id nesciant, cum nullo modo peccent, nullam pariter excommunicationem incurrunt; cognoscere insuper debent legem poenamque adnexam. Ignorantia enim et bona fides sicut a peccato excusant, ita et ab excommunicatione.

Sed quid de causa qua quis in-

(1) Melius Ferraris V. *Moniales* Art. III, n. 59. « Nomine monialium introdu-
» centium vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam
» facultatem veniunt omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invi-
» tantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedi-
» menta, ianuam aperientes, eas recipientes, concedentes et auctoritative, sive ra-
» tione sui officii permittentes ut intrent.

fra monasterium ingrediendi facultatem obtinuit? Debent ne moniales, ad quas pertinet, cognoscere utrum causa allegata sit nec ne gravis, prout ex Pontificiis Constitutionibus requiritur?

Respondemus: Ad Episcopos aliosque legitimos Superiores pertinere expendere utrum causa allegata pro ingressu in monasteria sanctimonialium sit, nec ne gravis; idque nullo modo ad sanctimoniales, quaecumque illae sint, pertinere. Qua de causa dum monasterii praefectae constet, ingredientes habere legitimam ingrediendi licentiam, nec peccant, nec excommunicationem incurrunt ianuam monasterii eis aperiendo. Idque certissime, etiam ea de causa ne foeminis detur occasio iudicandi de scientia et de Superiorum suorum aequitate.

Expendenda nunc illa quaestio est; an moniales admittentes infra septa monasterii pueros utriusque sexu septennio minores excommunicationem incurrant.

Gravissima nobis haec quaestio videtur, atque difficilis solutionis. Hinc ea quae ad rem faciunt sincere et simpliciter proferemus.

Antiquo iure, ni ex aperto legum latarum testimonio, (1) certe ob varias Romanarum Congregationum declarationes et decreta, sanctimoniales admittentes eiusmodi pueros infra clausuram excommunicationem incurrebant; atque ex eiusmodi declarationibus Pignatelli *Tom. VI, Consult. 85, n. 243* scribendum habuit: « Introducens vero » infantes cuiusvis sexus vel aetatis incurrit in censuras violatae » clausurae, » *in Tudertina 7 Aprilis 1679; in Neapolitana 22 Martii 1580; in Taurinensi 10 Iunii 1650.* Quas declarationes refert etiam Lucidi *De Visitatione Tom. 2. pag. 140, n. 73,* eamdemque sententiam defendit; quam etiam defendit Ferraris *V. Monialis Art. III, n. 58* atque alii etiam defendunt innixi tum praedictis declarationibus, tum verbis citatis Concilii Tridentini *Sess. 25 de Regularib. et Monialib. cap. 5. Ingredi autem septa monasterii nemini liceat cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint.* (2) Quin Comitulus *Responsa Moralia* lib. VI, quaest. XIX, n. 6. refert Epistolam quamdam Maioris Poenitentiarii,

(1 Hinc Suarez contrariam sententiam amplexus est, *De Religione Tom. IV, Tract. 8. Lib. I. Cap. X. n. 2.* scribens: « In praedicto ergo casu de pueris ante » usum rationis, cum ex parte illorum nulla sit culpa, ex parte admittentium » ipsos nulla est cooperatio ad culpam; cumque prohibitio directe non cadat in » ipsos infantes, non potest indirecte redundare in admittentes ipsos; ergo ex neu» tra parte hic ingressus prohibitus est. »

Alii vero ad idem statuendum fini legis latae innitebantur, qui erat evitare perturbationem monasteriorum, ac incitamenta monialium ad peccatum.

(2) Verum nemo huic testimonio niti debet, nam patet, Tridentinos Patres loqui de iis *cuiusvis aetatis* qui valeant discernere liceitatem, vel malitiam actionis; et tales plerumque non sunt pueri septennio minores.

quae, dato quod sit authentica, ut ipse tamen contendit, ita se habet: « Ad Napoleonem fratrem patruelem meum Perusiae Episcopum » rescriptum est, excommunicationis reservatae Romano Pontifici » laqueum non vitare eas moniales, quae trimos quatrimosve pueros seu puellas intra monasterii » septa recipiunt. »

Certum est ergo ante Pianam Constitutionem, sanctimoniales quaslibet, quae pueros utriusque sexus infra claustra admittebant, excommunicationem incurrisse.

Verum post Pianam Constitutionem potest ne idipsum defendi? Lectoribus nostris sequentia consideranda subiicimus. 1° Violantes in Piana Constitutione illi sunt intelligendi qui scientes volentesque clausuram violant; quod patet et ex quo excommunicatione multentur, cuius pueri septennio minores sunt incapaces; et ex quo ut ingrediantur habere debeant legitimam licentiam, quam pueri praedicti neque sciunt, neque petunt, neque si peterent, umquam obtinerent; et ex quo leges non feruntur pro pueris; ergo septennio minores inter violantes praedictos accenseri neque possunt neque debent.

2° At illae moniales excommunicantur quae introducunt violantes praedictos censurae capaces, qui sine legitima licentia in monasteria ingrediuntur; *eosque introducentes vel admittentes.*

3° Cum autem lex sit odiosa, et proinde stricto sensu interpretanda, non est ad illos extendenda qui inter violantes proprie dictos accenseri non possunt; consequenter neque ad illas moniales quae praedictos pueros introducunt vel admittunt.

4° Sed certum est, censuras in Constitutione Piana latas vim habere ex veteribus Canonibus, quatenus cum ipsa concordant; hoc autem in casu non concordare patet. Ergo sanctimoniales quae introducunt vel admittunt in clausuram pueros, puellasque septennio minores non videntur praesentem excommunicationem incurrere.

5° Ad hanc censuram in praesenti casu statuendam necessaria esset vel aperta lex, vel saltem aliqua declaratio. At hucusque deest utraque.

6° Certum aliunde est, Pium Papam IX voluisse limitare censuras.

7° Hinc cum nemo in praxi sit de excommunicatione damnandus, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione excuset; ratio autem allata omnino probabilis videtur; nescimus quo iure moniales introducentes praedictos pueros possint nunc uti excommunicatae haberi.

Non nos equidem latet, Commentatores plerosque nobis adversari; at nescimus quo fulti argumento in contrariam sententiam abierint. Absit ut dicamus sententiam: verum sine speciali S. Sedis declaratione, sanctimoniales eiusmodi non

videntur excommunicationem post Pianam Constitutionem incurrere; atque oppositam sententiam defendentes humiliter rogamus, ut nobis suggerere velint rationes et argumenta ob quae excommunicatae sint habendae.

Atque, ni fallimur, idipsum tenendum est, si non pueros septennio minores, sed adultos, verum mentecaptos, introducant admittantque; et quidem ob easdem rationes; mentecapti enim sunt excommunicationis incapaces: proindeque violantes clausuram excommunicationem non incurrunt; ergo neque sanctimoniales eos introducentes vel admittentes, quamvis a gravi peccato minime sint excusandae.

Expendamus nunc oportet tertiam Piani Capitis partem, quo excommunicantur moniales ab clausura exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione *Decori* praescriptam.

S. Pius V in Const. cit. dixerat: « Nulli de cetero, etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, » etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, nisi » ex causa *magni incendii,* vel infirmitatis *leprae,* aut *epidemiae*... » a monasteriis praefatis exire; sed » nec in praedictis casibus extra » illa, nisi ad necessarium tempus » stare licere. »

Ita ut a S. Pio V, causae quibus egredi moniales e monasteriis licite possint, reductae fuerint *ad incendium, ad lepram, ad epidemiam.*

Attamen non ita presse eiusmodi verba sumenda sunt, ut putari debeat nullam aliam adesse causam, quibus egredi sanctimonialibus, servatis servandis, liceat.

Et relate ad *incendium;* ideo ob eiusmodi rationem sanctimoniales egredi possunt, ne earum vita discrimini committatur; ergo si aliae sint causae aequales, multo magis maiores, egredi pariter e monasteriis poterunt. Hinc si terraemotu monasterii aedes ita quatiantur ut ad ruinam impellantur, vel alia de causa corruere videantur, aut latronum impetus irrumpat, vel si fluminis inundatio monasterium invadat, aut imminens bellum ab infidelibus praesertim vel haereticis illatum superveniat, nonne sanctimonialium vita et fortasse etiam castimonia periclitatur? Ergo hisce etiam in casibus e monasteriis egredi poterunt, et quidem neque petita ab Episcopo vel Superiore licentia, si periculum sit in mora, et Superiores absint; vel si etiam intersint, tantum sit periculum, ut tempus opportunum non concedat ad licentiam petendam. De similibus enim idem est iudicium ferendum; atque de cetero relatis in casibus haec est consuetudo optima legum interpres.

Advertimus tamen cum Bonacina *De Clausura* etc. *Punct. IX, n. 2* quod si incendium in monasterio grassetur, et moniales ad aliam monasterii partem absque vi-

tae periculo se recipere, et incendium evadere valeant, non possunt e monasterio exire, quia cessat iusta exeundi causa.

Nomine *Leprae* inquit Ferraris V. *Moniales Art. III, n. 27,* venit « infirmitas ita contagiosa, ut si mo» niales tali morbo infectae non » egrediantur, omnes aliae cito pe» riculo evidenti similis infectionis » subiiciantur. » (1)

Benedictus XIV *de Synodo lib. XIII, cap. XII* sequutus Gibalinum *De clausura regulari monialium* duplicis speciei lepram distinguit; alteram, nimirum, *quae contactu et consuetudine propagetur, aliosque inficiat;* alteram vero quae *aegrotanti tantum adhaereat, ipsumque solum afflictet;* atque hinc cum Gibalino concludit, in primae quidem leprae specie sanctimoniales posse, servatis servandis, e monasteriis egredi, non vero in alia specie. Et quidem recte; ideo enim in tribus statutis casibus Pius V facultatem e monasterio egrediendi sanctimonialibus concessit, quia agitur de damno communi; neque ullo pacto permittendum est ut ob unam infectam universae pereant; id enim esset contra naturae legem; atque Bonifacii VIII in Cap. *Periculoso* decretum, in quo edixit perpetuae clausurae sanctimoniales subigendas esse; *nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari.*

Ex quibus patet, unicam rationem, qua permittatur monialibus, ratione infirmitatis, e monasteriis egredi, esse si illa sit contagiosa; in reliquis ergo infirmitatibus non contagiosis, quantumvis gravibus, sine Romani Pontificis licentia, permitti eiusmodi egressum non posse, tum quia casus huiusmodi non excipiuntur in citatis Bonifacii VIII, et S. Pii V Constitutionibus; tum quia non cedunt in commune sanctimonialium damnum; cedunt insuper in clausurae damnum. « Cum » enim, inquit Bonacina, *loc. cit.* » *n. 18,* morbi periculosi frequen» ter contingant, et ardens sit mo» nialium e claustro exeundi desi» derium, saepius confingerentur » causae egrediendi, saepiusque » exeundi facultas cum magno clau» surae detrimento, et spirituali » ipsarum sanctimonialium periculo » concederetur; praesertim cum

(1) Apud Pignatelli Tom. V. Cons. 28. distinguuntur quatuor leprae species Alopecia, Tyria, Leonina, Elephantiaca, de qua postrema dicit: « Corrumpit formam » figuram et membrorum compositionem, ac demum continuam solvit, squamulas » piscium instar emittit, et proveniens a melancholica materia, per totum corpus » conspergitur; unde huiusmodi lepra cancer totius corporis nuncupatur. » Affirmat autem: « Nec vera lepra hodie est morbus contagiosus et incurabilis..... ut facile » poterit remediis naturalibus sanari. »

De quibus videant Medici.

» medici faciles sint ad iudicium » et attestationem de gravitate mor- » bi faciendam. »

Quoniam vero aliquando ob morbum grave sed non contagiosum, a S. Sede, praevia Ordinarii informatione, indultum est aliquibus monialibus e monasterio egredi vel ad aquas salutares epotandas, vel ad salubriorem aerem respirandum, Benedictus XIV. *De Synodo lib. XIII, cap. XII, n. 29* de cautelis necessariis in eiusmodi negotiis agendis pertractat, quas nos ipsius verbis referre ducimus.

« Quoties igitur, inquit, contin- » gat, quod non admodum raro » evenire solet, ut ex medicorum » sententia monialis aegrotans ae- » ris et coeli mutatione indigere » dicatur, illud primum sedulo in- » vestigandum est, an exposita ve- » ritate nitantur; an medicus qui » de iis testatur, talis sit, ut ei me- » rito fides adhiberi possit, vel po- » tius expediat, alterius quoque » medici explorare sententiam. Tum » comprobata facti veritate, facile » moniali indulgetur facultas ad » certum tempus transeundi ad » alium salubrioris aeris locum, » dummodo in alio monialium mo- » nasterio eiusdem, vel alterius In- » stituti collocetur, ac retento sem- » per onere redeundi ad monaste- » rium unde discesserat, cum exa- » ctum fuerit praefinitum tempus » ad experiendum salubrioris aeris » beneficium. Huiusmodi licentiae » a Congregatione Episcoporum et » Regularium, ex sibi tributis fa- » cultatibus expediuntur, praehabi- » ta semper informatione Episcopi; » vel saltem ab ipsa eiusmodi tran- » situs ad eumdem Episcopum seu » Ordinarium, in forma commissa- » ria delegatur. » (1)

« Aliud est, si monialis, quae » noxium sibi experta est situm et » coelum illius monasterii, in quo » professa fuit, cupiat in aliud trans- » ferri salubrioris aeris, in quo re- » liquum vitae spatium exigat, » exinde numquam ad primum mo- » nasterium reversura. Tunc enim » vel ad Apostolicae Poenitentia- » riae Officium, vel ad Congrega- » tionem Episcoporum et Regula- » rium instantia defertur; siquidem » utrumque tribunal hoc iure frui- » tur et auctoritate, ut praefatum » transitum concedat; non tamen » sine debitis iniunctis conditioni » bus pro eo quod spectat ad do- » tem secundo monasterio pensi- » tandam, nec sine opportunis cau- » telis quoad legem clausurae, quam » minimum fieri poterit, laeden- » dam; incongruum quippe esset, » ut ex monasterio legi clausurae » subiecto, fruendi etiam salubrio- » ris aeris causa, transitus indulgere- » tur ad aliud monasterium vel Re- » ligiosam domum oblatarum, quae » clausurae lege non obstringuntur, » neque enim sine exemplo est,

(1) **Id est arbitrio et conscientiae Episcopi committitur concedere vel negare licentiam eiusmodi.**

» quod monialis aliqua e monaste-
» rio in quo vigebat clausurae lex,
» in aliud traducta monasterium,
» vel religiosam domum huiusmo-
» di legi minime obnoxiam, con-
» tenderit, se propterea clausurae
» vinculo solutam esse, ea ratione
» allata, quod clausurae lex non
» personae, sed loco fuerit adnexa.

» XXX. Ad mineralium aqua-
» rum haustus et balnea progre-
» diendi facultas a solo Pontifice
» indulgetur. At neque Pontifex,
» neque Congregationes quarum is
» consilio in huiusmodi concedendis licentiis utitur satis dignoscere
» poterunt, quid in peculiari cu-
» iusque facti specie tuto definire
» valeant, nisi Episcopi se eisdem
» exhibeant adiutores, studiumque
» suum in id conferant, opportu-
» nas a medicis exquirendo notitias, ut certo deprehendant, an
» remedium quod iidem medici ex
» aquis repetendum suadent, sit
» reapse aegrotanti moniali neces-
» sarium; si enim illo monialem
» omnino indigere affirmetur, du-
» rum nimis esset, aegrotantem ab
» eo prohibere; si vero non usque-
» quaque eo opus sit, licentia quae
» indulgetur, providis clausurae le-
» gibus nimis adversa et pernicio-
» sa censeri deberet. Neque vero
» hic finem habeat solicitudo et
» diligentia ab Episcopis adhibenda;
» posita quippe praefati remedii;
» ac proinde etiam e monasterio
» exeundi necessitate, sedulo ad-
» vertendum est, cuinam concre-
» dantur moniales e clausura egres-
» sae. Nec enim indiscriminatim
» cuique tradendae, sed commen-
» dandae sunt vel fidei patris, si
» superstes vivat, vel patruorum,
» vel fratrum, siquidem maturae
» aetatis sint, integrique nominis,
» vel denique matris custodiae; his-
» que omnibus deficientibus, advo-
» candae sunt honestae mulieres
» arcto consanguinitatis vinculo mo-
» niali coniunctae; et si nec ista-
» rum copia suppetat, confugien-
» dum est ad matronas omni excep-
» tione maiores. Insuper indicen-
» dae leges atque cautiones, quae
» in itinere et in statione obser-
» ventur; regressui autem certum
» temporis spatium est praefinien-
» dum. Moniali denique interdicen-
» dum ne monasticum exuat habi-
» tum, ad hoc, ut se ubique mo-
» nialem esse meminerit. »

Ex his vero patere arbitramur: 1° ob alios morbos qui contagiosi non sint moniales non posse cum una licentia Episcopi et Superioris clausuram deserere, etiam ad breve tempus sine Episcoporum et Reg. Congregationis licentia. 2° causa ad balnea pergendi, vel mineralis aquae potandae requiri Summi Pontificis facultatem. 3° Eam vero concedi iis cautelis circumscriptam, quas ex Benedicto XIV exposuimus, quamque Episcopi apprime servare debent. 4° Concedendam non esse ni constet, remedio non posse in monasterio suppeditari, sed requiri ut monialis e monasterio egrediatur.

5° Idque de medici attestatione, unius quidem si sit integrae famae et conscientiae, secus etiam aliorum. 6° Sed investigandam esse sanctimonialis voluntatem si egredi velit, suadet formula licentiae, quam ex cl. Lucidi exscribimus *loc. cit.* pag. 148.

Rescripti formula pro facultate exeundi causa balneorum.

« Ex audientia etc. Sanctitas Sua » audita relatione Episcopi etc. be» nigne annuit, ac propterea man» davit eidem committi, ut veris » existentibus narratis, et constito » sibi per iuratam medicorum fi» dem de vera oratoris necessitate, » deque eius determinata voluntate » utendi praesenti indulto, petitam » facultatem tempore balneorum » tantum pro suo arbitrio et con» scientia concedat; praescriptis de» bitis cautelis, ne quod inconve» niens oriatur. Romae etc.

Rescripti formula pro facultate exeundi aeris mutandi gratia, vel alterius cuiuslibet infirmitatis curandae.

« Ex audientia etc. Sanctitas Sua » audita relatione Episcopi etc. be» nigne annuit, ac propterea man» davit eidem committi, ut veris » existentibus narratis, et constito » sibi per iuratam medicorum fi» dem de veritate etc. Deque eius » determinata voluntate utendi hoc » indulto, facultatem egrediendi et » manendi extra claustra ad sex » menses tantum, si tamdiu neces» sitas perduraverit, proviso prius » pro decenti eiusdem custodia, » pro suo arbitrio et conscientia » concedat; ita tamen ut cum as» sociatione et assistentia consan» guineorum et affinium, aut ali» cuius honestae matronae aliisque » debitis cautelis semper incedat, » domi et alibi vitam religiosam » ducat, et a virorum frequentia » semotam, prout Deo sacratas vir» gines decet, servatis in reliquis » omnibus, quae per ss. cc. S. Conc. » Tridentini, et Apostolicas Consti» tutiones, circa huiusmodi monia» lium egressum praescripta sunt, » sub poenis contra violantes clau» suram impositis in casu contra» ventionis omnino incurrendis. »

Ex hisce vero omnino patet extra morbos qui contagiosi reapse sint, non licere Episcopis aliisque monasteriorum Superioribus monialibus egrediendi e claustris licentiam concedere, sed ad id necessarias esse Apostolicas facultates.

« *Epidemiae* nomine, inquit Fer» raris *loc. cit.* n. 27 venit infectio » pestilentialis malignam qualitatem » praeseferens, quae facile ad alios » diffunditur cum manifesto mor» tis periculo, non vero morbus » popularis de facili sanabilis. »

Qua de causa morbus alius quilibet qui contagiosus non sit non sufficit, prout animadvertimus, ut moniales habeant egrediendi licentiam, atque id nedum ex verbis legis deducimus, sed insuper ex decreto S. Congregationis Concilii, quae interrogata an sub *epidemiae*

nomine veniret *scabies* (italice rogna), vel sub leprae nomine intelligerentur *canceres* (cancri) aut *stramae* (scrofole) respondit, referente Diana Tom. VII, Tract. 1. Resol. 335, n. 2. « S. Congregatio Cardinalium » Concilii Tridentini Interpretum, » supradicta opinionum varietate, » singularumque rationibus diligenter perpensis, declinavit in sententiam, nomine *epidemiae* eam » tantum epidemiam intelligere, » quae est vera et realis pestis, ita » ut ob alias infirmitates huic aliquo pacto consimiles, sed tamen » benigniores, etiamsi *epidemiae* » nomine nuncupentur, nullo pacto » monialibus professis ex monasterio exire liceat, atque hoc decretum ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari mandavit. »

Quo in decreto observandum est, excludi eas tantummodo infirmitates quae quamvis epidemicae sint, tamen non habeant rationem pestis, atque sint benigniores; ita ut sine magna difficultate curari possint; idcirco Eminentissimos Patres dicere *huic aliquo pacto consimiles*, non autem absolute *similes*, quibus indigitare certe voluerunt, morbos quoslibet reapse epidemicos sub nomine pestis venire; quam sententiam ipse S. Alphonsus amplectitur, qui lib. VII, n. 229 cum Bonacina, aliisque affirmat, nomine pestis venire quemlibet morbum contagiosum, qui alios inficere soleat, atque legem eo tantummodo in casu valere, quo monialis infirma non possit curari in monasterio sine periculo infectionis aliarum.

Atque hinc minime dubitamus asserere typhum, choleram morbum, febrim flavam sub pestis nomine venire; sunt enim morbi pesti similes.

Verum et hoc in casu audienda sunt quae scribit Benedictus XIV *loc. cit.* n. 31: « De morbis... satis » constat, omnia redigi ad illud » morborum genus, quorum contagione aliae quoque moniales inficii possent, si aegrota monialis » in monasterio detineretur, ibique » curaretur. Loquitur quidem Piana » Constitutio *(Decori)* de peste et » epidemia, quae urbem in qua » monasterium situm est, invaserit; » hoc quippe casu magis consultum erit monialibus, dum monasterii septis inclusae, a reliquorum consortio, atque ita a contrahendo saevientis morbi veneno » fient remotiores, quam si ad consanguineorum domos transferrentur; sed intelligendum est de peste atque epidemia, quae monasterium ipsum aggressa, unam » alteramve monialem corripuerit; » quemadmodum recte animadvertit Congregatio EE. et RR. in » litteris ad Archiepiscopum Avenionensem datis 20 Sept. 1720, » cum timeretur, ne ea urbs teterrimum pestis infortunium subiret. Huc autem re adducta, praeter studium ab Episcopis adhibendum in exquirenda a medicis

» tum morbi qualitate, tum perículo ne aliae bene valentes inficiantur, investigandum insuper » est, num adsit in monasterio segregatus aliquis locus, quo detineri valeat monialis morbo correpta; num possit in praxim redigi ut in monasterium inducantur saeculares famulae quae aegrotanti inserviant absque eo » quod cum ceteris monialibus versari debeant; quatenus vero monasterium hoc destituatur commodo, num illud invenire liceat » in alio monasterio, vel religiosa » oblatarum domo; semper enim » longius evitantur pericula dum » monialis in proprio detinetur monasterio, vel ad aliud transfertur, » quam si saecularibus personis » quantumvis arcto consanguinitatis vinculo iunctis concredatur. » Si autem neutro ex praeindicatis » modis aegrotanti moniali consuli » possit, nil aliud est reliquum » quam, ut adhibitis superius expressis cautionibus, monialis consanguineorum fidei et curae committatur. Assiduus rerum usus » nos edocuit quam arduum sit » omnes omnino fraudes detegere » ac declinare; cum medici facilio» res quam par est sese praebeant » in testificationibus subscribendis, » moniales vero vel maxime exoptent, ut tollantur incommoda » quae sibi ac universo monasterio » ab aegrotante sorore afferuntur; » consanguineae denique, ut plurimum, proniores sint ad monialem » suis aedibus excipiendam. At haec » non efficiunt quin omnia tentanda » sint ut adhibitae fallaces artes » eludantur. Quo autem severior » adhibebitur trutina, eo infrequentiores erunt postulationes ad extorquendam facultatem discedendi e monasterio; siquidem experientia perspectissimum est, concedendi facilitatem petendi facilitati et audaciae aditum patefacere. »

Quae quidem optime et prudentissime dicta sunt.

Praeterire non ducimus hoc in loco illam quaestionem quam idem Pontifex pertractat hoc in eodem opere lib. IX, cap. XV, n. 8; utrum scilicet sine auctoritate Romani Pontificis possit ab uno in aliud monasterium transferri sanctimonialis, quae propter morum pravitatem ceteris scandalo sit. Cui quaestioni ipsis verbis tanti Pontificis respondemus: « Olim excitata fuit contro» versia, an praeter casus superius » expressos, moniales e claustris » extrahi possint absque auctoritate » apostolicae Sedis; eveniente ni» mirum casu aliquo ita gravi, ut » aliis supradictis in S. Pii Consti» tutione expressis quodammodo » aequipollant, ut puta, si monialis » aliqua propter morum pravita» tem, ab uno ad aliud monaste» rium transferenda iudicetur; si» quidem morum corruptela epi» demico morbo aequiparari potest. » De hac quaestione inter Doctores » Salmanticae actum fuit, quo tem-

» pore Cardinalis De Lugo in ea » civitate morabatur. Et hic quidem in suis Resp. Moral. lib. 3, » dub. 18 sententias theologorum » et Canonistarum celebris illius » Universitatis exponit; ipse vero » eam amplectitur quae docet, minime licere, sine auctoritate Sedis Apostolicae, monialem ab uno » ad aliud monasterium transferre » in poenam delicti ab ea commissi; » hoc enim frequentibus nimium » translationibus viam aperiret; sed » licitum esse ad huiusmodi translationem procedere, propter evidens periculum scandali, et perversionis aliarum monialium; hunc » etenim casum vere putat aequipollentem esse morbo epidemiae » in Bulla S. Pii V expresso. »

» Huiusmodi autem sententiae » innixi quidam ulterius progressi » sunt, contendentes, translationem » in hisce casibus fieri posse solo » Praelati Regularis iudicio et imperio, non requisita Episcopi licentia. Quod tamen nullo pacto » sustineri potest. Si enim Episcopi » auctoritas necessaria est pro extrahendis e clausura monialibus » etiam ab illius ordinaria iurisdictione exemptis, in ipsis casibus » literaliter expressis in bulla S. Pii V, » quis umquam suadere poterit, » Episcopi auctoritate opus non » esse, ubi agatur de aliis casibus, » qui in Bulla nequaquam expressi » sunt, sed ad illius dispositionem » sola ratiocinationis subtilitate pertracti? »

Ex tanti igitur Pontificis auctoritate, coniuncta cum eminentissimo iudicio Cardinalis De Lugo, numquam sine Sedis Apostolicae facultate licet Episcopo, monialem ad aliud transferre monasterium in poenam criminis alicuius ab ea admissi. Aliam sententiam qua Cardinalis de Lugo propugnat, licitam esse translationem monialis ad aliud monasterium propter evidens periculum scandali et perversionis aliarum, Benedictus neque approbat, neque improbat (1). Nullo tamen

(1) Fortasse eiusmodi de causa: Si enim sanctimonialis illa infert scandalum et perversionis periculum monialibus sui monasterii, ad virtutem et sanctitatem excitabit ne moniales alterius monasterii? De ceterō S. Congreg. Ep. et Reg. die 17 Maii 1603 hanc ediderat resolutionem: Monialem nullam sibi subiectam ex uno monasterio ad aliud transmittere possunt locorum Ordinarii, vel Superiores Regulares etiam ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati. *Collectanea* pag. 510, not. 1. Frequentes non sunt eiusmodi casus, atque tribuendi horribilibus tentationibus quibus aliquando etiam moniales vexantur, et fortasse etiam dementiae alicui, potius quam animi pravitati. Sed si contingant, et verae depravationis indicia deprehendantur, eiusmodi sanctimonialis non in alio monasterio, sed illis in domibus, in quibus ad expiandas anteactae vitae sordes poenitentia agitur, recludenda videtur; vel e Religioso Instituto expellenda, ut non semel factum refertur, in Collectanea Emi Card. Bizzarri, pag. 406 445. Quoniam vero sive diabolo impellente, sive mala voluntate, sive utroque simul, aliquando expedit prorsus ut monialis aliqua e monasterio expellatur, ingratum non erit lectoribus no-

pacto concedit, ad egressum eiusmodi satis esse unius Superioris regularis licentiam, sed necessario requiri etiam licentiam Episcopi.

stris si subiiciamus causam eiusque discussionem et decisionem, prout refertur ab Emo Card. Bizzarri in Collectanea pag. 508; poterit enim in similibus casibus lumen Episcopis afferre:

INCERTI LOCI: *Super Monasterio monialium Ordinis NN. et monialium expulsione.*

In quodam sanctimonialium monasterio graves irrepserant abusus tam ex parte Abbatissae, quam nonnullarum monialium. Illa mundano spiritu imbuta non solum inobedientiam erga suum Archiepiscopum promovebat, verum etiam monialibus lapis offensionis erat, et quaedam alieno nomine typis evulgaverat, quae non solum virginibus Deo sacris, sed etiam honestis laicis mulieribus minime conveniebant, aliae eam imitabantur, ita ut referente Archiepiscopo, in monasterio vigeret *effrenata inobedientia, et absoluta reluctatio contra voluntatem et mandata superiorum, indifferentismus in rebus sacris; ignorantia et incuria in cognoscenda regula ordinis, rudis et plebi infimae propria cum superioribus et aequalibus procedendi ratio.*

Re in generali conventu huius S. C. habito die 3 Aprilis 1840 sedulo perpensa, Emi Patres, referente Emo Patrizi Praefecto, rescripserunt: Scribatur R. P. D. Nuntio Apostolico ad mentem. Mens est; *quod ei conceduntur facultates suspendendi de Archiepiscopi intelligentia Abbatissam, aliamque Praesidem deputandi, puniendi et privandi voce activa et passiva moniales inemendabiles, insinuandi Archiepiscopo ut praebeat monialibus egregium Confessarium extraordinarium, eique S. Congregationis nomine et auctoritate praebeat opportunas facultates absolvendi delinquentes a censuris, et postea ulteriores porrigat informationes.*

Hac instructione accepta, Nuntius Apostolicus eam executioni demandavit; verum nihil profecit; nam Abbatissa obstinationis et incorrigibilitatis signa dedit, ita ut etiam a potestate laicali indigna suo munere reputaretur. Cum igitur alia remedia ob loci adiuncta adhiberi nequirent, et in regula ad postremam punitionem praescribetur: *adhibeatur ferrum pro resecando* iuxta verba Apostoli: *elicite perversum de medio vestri;* et iterum: *infidelis si recedit recedat*, ne ab una ove scabiosa totus inficiatur grex, idem Nuntius opinabatur, Abbatissam et alias incorregibiles moniales e monasterio dimittendas esse, firmo voto castitatis. Nec praetereundum est, motum esse dubium quoad validitatem professionis quarumdam monialium, quia temere et contra spiritum regulae admissae fuerant.

Haec quoad facti historiam. Nunc praestat referre aliquas animadversiones, quae in consultatione exponebantur. S. C. Ep. et Reg. praeteritis temporibus, in similibus casibus, modo una, modo altera ratione providebat. Die 15 Iulii 1603 in *Volaterran.* mandavit ut moniales, quae monasterii pacem et concordiam turbabant, voce activa et passiva, ac velo privarentur, ac si opus fuerit, in alia monasteria dividerentur. In *Mantuana* 20 Februarii 1597 commissum fuit Episcopo ut moniales culpabiles puniret privatione officiorum, suspensione Abbatissae a suo munere, ac inobedientes ab aliis separaret, et si in sua obstinatione permanerent, procederet implorato etiam auxilio brachii saecularis. Aliquando perpensis rerum ac locorum adiunctis, praesertim hac nostra aetate, S. C. indulsit, ut monialis effraenis vel pacis perturbatrix ad saeculum rediret *firmo voto castitatis, serva-*

Post haec admonere lectores nostros existimamus, antiquiores canonistas et Theologos, quos inter Reifenstuel *Ius Can. Tit. 35. n. 15.* Schmalzgrueber *Tit. 35, nn. 102 et 103,* Bonacina *De Clausura etc.*

tisque substantialibus aliorum rotorum. In casu Abbatissa iam ab officio suspensa est; sed cum adhuc contumax sit, iuxta doctrinam a Maiol. traditam, *de irregularitate lib. 1. cap. 24. n. 20.* a munere Abbatissae deponi potest, *si sit superba, indiscreta, non casta, immisericors, insobria,* et cit. Cap. *Si quis Abbas.* Abbatissa inhonesta tolerari non debet ut officium retineat Abbatissae, *in cap. Monachi n. 6 de statu Monach.*

Omnibus notum est. Religiosos viros incorrigibiles posse expelli, servatis quae a ss. Canonibus. Constitutionibus Apostolicis, et decretis S. Sedis praescribuntur. Verum scriptores disputant, an expulsionis poena moniales mulctari possint. Id negat Bonacina *De clausura q. 1. punct. 9. c. 14,* quia haec poena non est pro monialibus in usu, tum etiam ne ipsae ex earum incorrigibilitate lucrum capiant, et a clausurae vinculo liberentur. Gavantus in Man. Episcoporum, Verbo *monialium clausura n. 23* refert resolutionem S. C. dici 27 Maii 1603, quae Bonacinae sententiae favet. Et Lezana Tom. I. summ. cap. 29, n. 17, docet *moniales incorrigibiles eiici non posse, neque transferri inconsulta S. Sede.*

At *Sanchez in Decalog. Cap. 9, n. 6* in ea est sententia ut etiam moniales in *rigore iuris* expulsioni subiectae sint, quia eadem quoad eas ratio habetur, quae religiosos viros respicit. Fatetur tamen in praxi non esse in usu, et nullum scriptorem legisse, qui expulsionem pro monialibus admittat, vel aliquod expulsionis exemplum referat, et deinde concludit animum sibi deesse ad consilium dandum Episcopo, ut procederet ad expulsionem monialis, *inconsulto Romano Pontifice aut eius Nuntio; quia esset res nova et inusitata, et magnum conferret scandalum.* Quod si Innocentius III, ut refert Roder. *in Comp. 9. reg. resol. 57. n. 3.* ad supplicationem Cisterciensium permiserit expulsionem monialium, quae superbas et rebelles sese exhibebant, tamen haec permissio vim amplius habere nequit, postquam a Bonifacio VIII, a Concilio Tridentino, et a Constitutionibus Apostolicis strictior clausura praescripta fuit. Ceterum animadvertendum est, tristissimis nostris temporibus, quibus ecclesiastica potestas pluribus impedimentis praepedita est, nihil superesse in quibusdam casibus ob rerum et locorum adiuncta ad pacem, concordiam, et observantiam in aliquo monasterio restituendam, nisi ab Apostolica Sede expulsio alicuius monialis permittatur.

Quibus praemissis in Congregatione generali habita die 15 Ianuarii 1841 haec dubia proposita fuere.

1: An et quomodo permittenda expulsio Abbatissae?

2. An et quomodo permittenda expulsio monialium incorrigibilium?

3. An et quale remedium adhibendum, quo illi monasterio consulatur?

Quibus Emi Patres, referente Emo Patrizi Praefecto, rescripserunt:

Ad 1. Affirmative pro saecularizatione, quae sit loco expulsionis.

Ad 2. Ad mentem. Mens est, quod Archiepiscopus eas severe corrigat, ablato ipsis velo nigro et scapulari, ac voce activa et passiva, iniunctis aliis poenitentiis salutaribus, et quatenus non resipiscant, eas dimittat per saecularizationem, quae sit loco expulsionis.

Ad 3. Iam provisum in superioribus, et ad mentem. Mens est, quod non ad-

Punct. IX n. 9 et seq. defendere etiam in aliis casibus, praeter eos, quos S. Pius V determinavit, licitum esse monialibus de una Episcopi et Superiorum licentia e monasterio egredi.

Et 1° dicunt id fieri posse in casu quo aliqua monialis eligatur in Abbatissam alius monasterii, idque innixi auctoritati Concilii Tridentini Patrum, qui Sess. XXV, cap. 7 de Regularibus et monialibus decernunt « Abbatissa et prio» rissa, et quocumque alio nomine » praefecta vel praeposita appelle» tur, eligatur non minor annis » quadraginta, et quae octo annis » post expressam professionem lau» dabiliter vixerit. Quod si his qua» litatibus non reperiatur in eodem » monasterio, ex alio eiusdem Or» dinis eligi possit. »

Verum non est negandum, huic decreto contraire Constitutionem S. Pii V, qua tres tantummodo causae, et ad summum assignatis similes allegantur, in quibus possit Episcopus licentiam sanctimonialibus concedere e monasteriis egrediendi (1). At electio in abbatissam pro alio monasterio nullo pacto est casus similis; non potest igitur inter assignatas annumerari.

Verum eiusmodi opinio nedum rationi allatae, sed adversatur etiam sententiae doctorum maioris nominis, ut ait Fagnanus ad Cap. *Recolentes De Statu Mon.* n. 51, et quod gravius est, Decreto Pauli V lato die 22 Decembris 1617, quod omnibus Procuratoribus Ordinum Regularium communicatum fuit: « Mo» niales quacumque occasione trans» ferri non possunt de Monasterio » ad Monasterium sine licentia Se» dis Apostolicae toties quoties ob» tinenda, neque occasione Priora» tus, vel alterius officii; quibus» cumque non obstantibus: » Huic autem Decreto omnino subscripsit

mittantur Novitiae, nisi restituta observantia regulari in monasterio, et servata forma Apostolicarum Constitutionum.

Et facta de praemissis relatione SS. D. N. Gregorio PP. XVI in audientia habita eadem die a D. Secretario eiusdem S. C. Sanctitas Sua resolutionem S. C. in omnibus approbavit et confirmavit.

15 Ianuarii 1841.

(1) Quod adeo verum est ut in Collectanea Emi Card. Bizzarri pag. 230 eiusmodi decretum reperiatur. Concilium Tridentinum Sess. XXV de Regul. et Mon. cap. 7. permittit Abbatissam eligi posse ex alio monasterio eiusdem ordinis, si in monasterio cui praeficienda sit, non reperiatur praedita qualitatibus ab eodem requisitis. Sed cum Generalis Ordinis S. Augustini dubitaret an post Bullam S. Pii V de egressu monialium incipien. *Decori* diei 1 Februarii 1570 liceat de monasterio ad monasterium monialem transferre, ut in eo Abbatissae munere fungatur, Gregorius XIII declaravit, Bullam S. Pii V corrigere decretum Concilii Cap. 7, Sess. 25 de Regularibus, et ideo ex illo decreto non licere amplius extrahere moniales de monasterio pro constituenda abbatissa in alio, nisi obtenta speciali licentia a Sede Apostolica.

Benedictus XIV dum in *Synodo* lib. IX Cap. XV n. 8 scribendum habuit: « Ad eamdem clausurae ma» teriam pertinet translatio Monia» lium de uno ad aliud etiam eius» dem Ordinis et Instituti mona» sterium, sed haec Apostolicae » Sedi reservata est. »

Nullo igitur pacto licet Episcopis de uno ad aliud Monasterium Monialem quamlibet transferre causa peragendi Abbatissae munus sine Sedis Apostolicae facultatibus.

Sed neque licebit monialem e Monasterio aliquo educere causa fundandi aliud Monasterium, ut opinati sunt cit. Canonistae. Cum enim de fundatione novelli Monasterii in *Sorana erect. Mon. 21 Iun. 1851* penes S. C. Ep. et Reg. ageretur, cumque cuiusdam monialis Neapolitanae egressus ad opem fundationis dirigendae necessarius visus fuisset, a S. Congregatione licentia implorata fuit; quoniam vero alias ob causas erectionis venia dilata fuit, licentia circa egressum non habuit locum (1).

Huic addimus Decretum quod S. Congr. Ep. et Reg. ad Nuntium Apostolicum in Hispania degentem misit omnibus regni Episcopis communicandum, quo decernit, exceptis casibus in Const. *Decori* allegatis, nullos alios esse, quorum causa licitum sit Episcopis moniales sine licentia Sedis Apostolicae extrahere. En decretum datum sub die 15 Ianuarii 1616. « Sanctissi» mus Dominus noster (Paulus V » Burghesius) eius in Hispaniarum » regnis Nuntio litteras dari man» davit, ut omnes Archiepiscopos » aliosve Ordinarios inferiores tam » saeculares quam regulares, Mo» nialium Monasteria in eisdem re» gnis habentes certioret, ne abs» que Sedis Apostolicae auctoritate » Monialibus e Monasterii septibus » egrediendi licentias ullatenus con» cedant, minusque easdem de uno » ad aliud Monasterium (*tribus ca» sibus in Bulla S. M. Pii V no» minatim expressis exceptis*) trans» ferant (2). »

Exinde vero inferendum est, multo minus licitum esse Episcopis monialibus e monasteriis egrediendi facultatem concedere posse ut eleemosynas colligant, vel ut transeant ad aliud Monasterium strictioris observantiae, vel correctionis causa, nisi monialis eiusmodi prorsus sit, ut ceteras inficiat; in quo etiam casu melius esset a S. Sede licentiam opportunam petere. Unum tamen est in quo Episcopi adhuc habent facultatem, si scilicet, Monasterium ex loco insalubri, vel extra urbem positum transferendum sit in loco salubriori et infra urbis moenia. Id enim sancitum vidimus a Patribus Concilii Tridentini *Sess. 25 De Regul. et Monialibus*

(1) Apud Lucidi *Op. cit.* pag. 149. n. 104.

(2) Apud Monacelli *Formularium legale practicum* part. II, tit. XIII, form. V, n. 16.

Cap. V: « Et quia Monasteria Sanctimonialium extra moenia urbis vel oppidi constituta malorum hominum praedae et aliis facinoribus sine ulla saepe custodia sunt exposita, curent Episcopi et alii superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria intra Urbes vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii saecularis. Impedientes vero vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant. »

Quod ius Episcopis a Tridentino attributum nunquam revocatum fuisse novimus.

Superest, ad capitis absolutionem, ut expendamus quibusnam competat, in casibus a iege permissis, Sanctimonialibus concedere licentiam a Monasteriis egrediendi.

Cui quaestioni breviter respondemus: in Monasteriis Episcopi vel Sanctae Sedi immediate subiectis requiri Episcopi licentiam: idque indubium esse. At relate ad Monasteria Regularibus subiecta, et ab Episcoporum iurisdictione exempta auctores discrepare reperimus.

Schmalzgrueber *Ius. can.* tit. 35 n. 105 defendit, eiusmodi potestatem pertinere etiam ad Episcopos: » Spectato iure communi, et praescindendo a contraria consuetudine, tenendum praeter licentiam » Superioris Regularis requiri etiam » licentiam Episcopi: ratio est quia » Tridentinum Sess. XXV, Cap. V de » Regul. generaliter et indistincte ait » *nemini sanctimonialium liceat* » *post professionem exire e monaste-* » *rio.... nisi ex aliqua legitima cau-* » *sa ab Episcopo approbanda.* Et clarius habetur in Const. S. Pii V, » (*Decori*) ubi postquam dixit, *nulli* » *Monialium licere exire nisi ex cau-* » *sa magni incendii, leprae aut epide-* » *miae,* subiungit: *quae tamen infir-* » *mitas, praeter alios Ordinum supe-* » *riores, quibus cura Monasteriorum* » *incumberet, etiam per Episcopum,* » *seu alium loci Ordinarium, etiamsi* » *praedicta Monasteria ab Episcopo-* » *rum et Ordinariorum iurisdictione* » *exempta esse reperiantur, cognita et* » *expresse in scriptis approbata sit.*» Atque pro sua sententia citat inter alios Sanchez, Suarez, *Barbosa, Pirrhing, Monacelli.* Quin imo ex postremo citat Decretum S. C. Concilii latum die 13 Novembris 1610.

Eiusdem sententiae est Lucius Ferraris V. *Moniales* Cap. III, n. 31 scribens: In Monasteriis autem exemptis requiritur ultra licentiam Praelati Regularis.... etiam licentia Episcopi seu Ordinarii loci.

Atque idipsum tuetur Reiffenstuel *Ius Can. Tit. 35, n. 37* iisdem rationibus, quae reperiuntur in cit. testimonio cl. Schmalzgrueber. Atque ut alios praetermittamus, ita sentit Hiacynthus Donatus *Rerum Regularium praxis resolutoria* tom. IV Tract. 4, Quaest. 5, n. 6 ob easdem rationes.

Verum Gibalini *Disquisitiones Ca-*

nonicae de clausura Regulari, quod opus summopere laudat Benedictus XIV De Synodo *Cap. V* n.1, 3,4 contendit, causam quidem egressus probandam esse ab Episcopo, at in Monasteriis exemptis licentiam egrediendi dandam esse ab Superiore regulari: *In aliis exemptis, ipsarum Superior Regularis, causa tamen prius ab Episcopo approbata, licentiam egrediendi dabit Superior.*

Negandum non est, Gibalini sententiam niti verbis legis a Pio V latae in qua non praescribitur ut licentia quoad monasteria exempta danda sit ab Episcopo, sed ut infirmitas, qua egressus concedendus videtur, recognoscenda et approbanda sit in scriptis ab Episcopo. Porro per se recognitio et approbatio causae egressus non importat licentiae concessionem, sed adimplementum conditionis, sine qua a Regularibus Superioribus non potest dari Monialibus sui Ordinis licentia e Monasterio egrediendi. In Gibalini sententia insuper perfecte finis latae legis servatur, qui certe fuit, ne Superiores Regulares erga Sanctimoniales sui ordinis nimium humanos se praeberent, iudicando esse infirmitatem contagiosam, quae contagiosa non erat, vel aliud eiusmodi. Haec autem facilitas e medio tollitur per necessariam recognitionem et approbationem Episcopi, sine qua licentia a Superioribus Regularibus dari nequit. Recognitio igitur et approbatio causae per Episcopum videtur esse tutela quaedam pontificiae dispositionis, ne scilicet Praelati Regulares in exercitio sui privilegii excedant. Neque huic sententiae opponitur Tridentini lex; quia est anterior S. Pii V Constitutioni, et Constitutio *Apostolicae Sedis moderationi* praecipit, moniales e Monasteriis egredientes servare debere casus et formam non a Concilio Tridentino, sed a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam. Haec autem derogare reperitur praefato Tridentini Capiti tum quoad casus qui indeterminati erant, tum quoad approbationem causae, quam exigit in scriptis.

Ni igitur aliqua alia ratio, vel aliquod Romanarum Congregationum decretum afferatur ad Gibalini sententiam evertendam, non videmus quanto iure improbabilis dici possit.

Sed nonne, dicent Lectores nostri, adest decretum S. C. Concilii a Monacelli citatum? Respondemus, plurium nos versasse Canonistarum opera, ut illud reperire possemus, sed frustra. Unus est Miranda qui in *Manuale Praelatorum, Tract. de Sacris Monialibus pag. 60 col. 1, Edit. Col. 1630* illius partem aliquam refert his verbis conclusam: *Pro monialibus e Monasterio exeuntibus, etiam cum causa probabili, simul requiri communem consensum superioris Regularis atque Episcopi loci.* At ipsemet, non adeo certus de *authenticitate* eiusmodi decreti vide-

tur; loquitur enim ita: *Quibus accedit declaratio quae ea de re facta dicitur.* Cardinales *propositae quaestioni respondisse feruntur.* Porro decretum undequaque authenticum his verbis Auctores non exhibent.(1)

Accedit, Scriptores eiusmodi sententiam defendentes vel niti rationibus non adeo solidis, ex eo praesertim petitis quod ad ingressum in Monasteria requiratur licentia etiam expressa Episcopi, ex quo concludunt: ergo etiam ad egressum, imo multo magis, eiusmodi episcopalis licentia requiritur; quam consequentiam neque logica, neque natura legis odiosae permittunt; vel dubia iura in medium producere, vel nulla vel non ad rem; praetermittimus falsas citationes quae scriptoribus maximas angustias afferre, et temporis iacturam solent.

APPENDIX XXI.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA VIOLATORES CLAUSURAE RELIGIOSORUM.

Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens. Eccli. XLII 14. De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Eccli. XLII v. 13.

Propter speciem mulieris multi perierunt. Eccli. IX 9; Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Iob. XXXI 1.

Eiusmodi Spiritus Sancti monita, aliaque quae praetermittimus, quibus mulierum consortium et familiaritatem vitare monemur, atque tristissima et constans experientia innumerorum lapsuum, quibus se implicuere ecclesiastici vel saeculares, qui divinis illis monitionibus spretis, se foeminis familiares exhibuere, in causa fortasse fuerunt, quare Ecclesiastici canones sancirentur etiam pro Religiosis hominibus, quibus interdicitur ne in suos recessus mulieres qualescumque admittant. His addite sanctitatem, silentium, mortificationem, poenitentiam, quibus se devovent; quae virtutes in irritum illico de-

(1) Suspicio de apocriphia cit. decreti ingesta etiam nobis fuit ex quo desit tum in Collectanea Card. Bizzarri, tum in opere cit. cl. Lucidi. Attamen, ut de re aliquam nobis certitudinem compararemus, tum S. Congregationis Concilii, tum Episcop. et Regularium Regesta authentica per fide dignas personas diligenter perquisivimus; et in Regestis quidem S. Congregationis Concilii, sub die et anno a cl. Schmalzgrueber citatis decretum deest omnino; in Regestis autem S. C. Ep. et Reg. illud reperire non potuimus.

ducerentur, si aliquando contingeret, ut mulieres religiosorum coenobia pro libitu ingredi possent.

Antiquitus quicumque Deo servirent prohibebantur quominus cum extraneis in una domo commorarentur. Hinc saeculo Ecclesiae IV in Concilio Carthaginensi 1 sub Iulio I Rom. Pontifice Can. 3 sancitum fuit: « Nullus, nullaque sanctimoniae et virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiae, in una domo cum extraneis penitus commorari debent. »

Id autem ita severe in antiqua Ecclesia prohibebatur, ut etiam interdictum reperiamus, ne Sanctimonialium monasteria prope Monachorum Monasteria construerentur: « Monasteria puellarum, inquiunt Can. 28 Patres Concilii Agathensis an. 506 celebrati, longius a Monasteriis monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur. »

Quoniam vero mos quidam invaluerat, ut fieret duplex monasterium, ob abusus tamen paullatim irrepetentes, in Synodo Nicaena secunda, generali VII, anno 787, canone XX id prohibitum fuit: « A praesenti, inquiunt Patres, statuimus non fieri duplex Monasterium, quoniam hoc fit multis scandalum et offensio. Si qui autem volunt cum cognatis mundo renunciare, et vitam sequi monasticam, viros quidem oportet in virorum monasteria discedere, foeminas autem ingredi in mulierum monasteria; hoc enim est Deo acceptum. Quae autem hucusque duplicia fuerunt, serventur secundum Canonem Sancti Patris nostri Basilii, et secundum eius constitutionem ita regantur. In uno autem monasterio ne versentur Monachi et Monachae. Adulterium enim media conversatione inest. Nec Monachus libere cum monacha, nec monacha cum monacho seorsum confabuletur, nec cubet monachus in foeminarum monasterio, nec cum monacha seorsum comedat. Et quando quae sunt vitae necessaria a parte virorum ad regulares foeminas deferuntur, extra portam haec accipiat monasterii muliebris praefecta cum aliqua monacha (ex quo intelligimus strictae clausurae sanctimoniales tunc temporis non fuisse subiectas). Si autem eveniat, ut aliquam velit cognatam monachus aspicere, praesente Praefecta cum ea colloquatur exiguo et brevi sermone, et mox ab ea recedat. »

Duplex porro monasterium canone isto prohibitum duo comprehendebat contigua monasteria, virorum unum, alterum monialium, quae instituto, seu eiusdem regulae professione, administratione et directione invicem colligabantur. Ab initio quidem eiusmodi mos innocens fuit; at paullatim contiguitas illa intulit crebra colloquia eo periculosiora quo occultiora, et nimiam

familiaritatem. Eiusmodi duplicia monasteria neque ipse S. Basilius monachorum legislator reprobaverat; praescripserat tamen ut colloquia illa rariora essent, brevia, et necessaria, cum ex frequentibus inter homines diversi sexus colloquiis morum depravatio scaturiat. « Quo» circa, inquit Constitutionum Mo» nasticarum cap. 3, fugiendae in » primis cum mulieribus nobis con» gressiones sunt et collocutiones: » neque ad eas unquam acceden» dum, nisi cum gravissima nos » aliqua ad eas necessitas impellit, » ut aliter facere non possimus. » Atque ipsa enim etiam ubi nos » necessitas adegerit, ab ipsis non » secus atque ab igne cavendum » est, adeo ut quam ocissime nulla » mora ab istis nos extricemus. » Animadverte enim quid de hac » re Sapientia dicat: Numquid pot» est homo abscondere ignem in » sinu suo, ut vestimenta illius non » ardeant? aut ambulare super pru» nas, ut non comburantur plan» tae eius? *Prov.* VI. 27, 28.

» Non habeat, hinc alio loco » prosequitur Sanctissimus Episco» pus, monachus ad monacham adi» tum; vel monacha ad monachum » secreto ad colloquium. Et non » cubet monachus in muliebri mo» nasterio; et si contigerit ut ali» quam propinquam suam videre » velit monachus, in praesentia » praefectae huic colloquatur per » modica et compendiosa verba, et » in brevi ab ea discedat.» Sub his conditionibus et non aliis permissa sunt duplicia monasteria subsistere a Patribus Synodi VII; pervidebant enim difficillime posse scandala omnia vitari, si secus fieret, et impossibile fere omnes malorum hominum detrectationes eliminare. At duplicia monasteria omnia postea e medio sublata fuere, cum magno Religiosorum, Sanctimonialium et Ecclesiae bono (1).

(1) In Decreto Gratiani Cap. XXII, Caus. XVIII. Q. II veluti a Regesto Gregorii Magni erutum hunc Canonem legimus: « In nullo loco monachos et mona» chas permittimus unum Monasterium habitare, sed nec ea quae duplicia vocant. » Et si quod tale est, religiosus Episcopus mulieres quidem in suo loco manere » studeat, monachos autem aliud monasterium aedificare cogat. Si autem plurima » sint talia Monasteria, separentur in aliis Monasteriis Monachae, et in aliis Mo» nachi; res autem quas habent communes secundum iura eis competentia distri» buantur. » At cum apud Gregorium citata verba non reperiantur, et legantur apud Iulianum Antecessorem Novella 123, cap. 54. hinc minime affirmamus Monasteria duplicia e medio vi illius Capitis fuisse sublata.

Certum est autem, S. Gregorium Magnum in Ep. ad Valentinum Abbatem omnino interdixisse ne infra Monasteria mulieres intromitterentur « Pervenit ad » nos inquit, quod in Monasterio tuo passim mulieres ascendant.... Ne ergo hac » occasione humani generis inimicus sua eos, quod absit, calliditate decipiat, ideo » huius te praecepti serie commonemus ut mulieres in Monasterio tuo deinceps » qualibet occasione non permittas ascendere. Nam si hoc denuo ad aures nostras

Neque quisquam miretur, si Ecclesiae, et Sanctorum Conciliorum Patres, ea abroganda esse putaverint; etenim semotis etiam abusibus qui irrepserant, disciplina silentii et quietis monachis imposita etiam ante Concilium VII, adeo districte exigebatur ut vetuerint Concilii Caesaraugustani Patres anno 691 sub Sergio I R. Pontifice celebrati, ne in monachorum coenobiis homines saeculares commorarentur. Can. 3: « Placuit ut nullus abin-
» ceps saecularium, seu potestati-
» ve, seu etiam ex permissu vel
» Abbatis vel cuiuslibet monacho-
» rum infra claustra monasterii,
» hospitandi vel commorandi ha-
» beat receptaculum, excepto quos
» vita probabiles, egenos aut pau-
» pertate depressos inspectio prae-
» videat Abbatis; de reliquis au-
» tem personis saecularibus nullum
» penitus patimur infra claustra
» monasteriorum hospitandi habere
» receptaculum; ceterum si secre-
» tius aut sequestratim a monaste-
» rio, ad id quod constructum pro
» supervenientibus domicilium pa-
» tuerit, ibi eos suscipere Abbates
» vel monachos oportebit. »

His autem periculis eliminatis, alia successere; monachi enim familiaritatem aliquam cum mulieribus habere coeperunt, et cum nulla lege probiberentur, hae vel devotionis causa vel curiositatis ipsa Monasteria ingrediebantur. Atque hinc in Concilio Augustodunensi an. 670 sub Adeodato Pontifice celebrato, cap. X de monachis decretum fuit « Ut nullus familiaritatis entranearum » mulierum praesumat habere; ut » mulieribus in Monasterium mona- » chorum nullatenus ingredi liceat. »

Haec autem dispositio intelligi coepta est de mulieribus quae saeculo, non autem de iis quae Domino vita religiosa et devota militarent. Hinc distinctione facta, (distinctionibus adhibitis plurimae leges violari possunt, et de facto violantur) illae quidem monasteriorum ingressu prohibebantur, non autem istae, utpote quae non *mulieres* simpliciter, multo minus *extraneae* dici poterant, sed *sanctimoniales, religiosae, devotae, piae matres;* atque tum professione religiosa, tum eiusdem regulae professione, monachorum *sorores:* hae igitur cum sub lege comprehendi non intelligerentur, tuto monasteria religiosorum ingrediebantur, ut sese in spiritualium colloquiorum palaestra exercerent, et vicaria relatione satiarent, ut utamur magni Gregorii verbis in dial. de vita S. Benedicti Abbatis.

Verum eiusmodi, quamvis sanctae conversationes, non omnibus Episcopis placebant; atque hinc, ut alia documenta praetermittamus, in Concilio Trevirensi II an. 1549 sub Paulo III, celebrato et religiosas foe-

» quocumque modo pervenerit, sic te severissimae noveris ultioni subdendum, ut » emendationis tuae qualitate caeteri sine dubio corrigantur. » Epist. lib. IV. Ep. 42. Edit. Migne.

minus quascumque ab adeundis septis virorum religiosorum prohibitas fuisse reperimus. «Religiosi quascumque mulieres et Religiosas et servientes Deo in ambitum, seu periodum Monasterii recipere aut introducere nullatenus praesumant. »

Ex his vero quae, hucusque disputavimus, quamvis intelligamus, Ecclesiae intentionem voluntatemque pluribus latis legibus manifestatam, eam semper fuisse, ut Religiosi viri sanctimonialium quoque familiaritatem vitarent, nulloque pacto eis licitum esse infra monasterii septa eas admittere, tamen exinde nemo concludat, eiusmodi sanctiones ad unguem observatas fuisse.

Etenim matronae plurimae praetextu Apostolicarum facultatum in monasteria religiosorum, vellent nollent superiores, ingrediebantur, eorumque quietem et sanctitatem non parum turbabant.

Hinc S. Pius V eiusmodi malis remedium apponere desiderans, sub die 24 octobris an. 1566 Constitutionem edidit incipien. *Regularium Personarum,* qua facultates omnes quibuscumque mulieribus concessas in septa religiosa virorum ingrediendi revocavit, statuitque sub excommunicationis poena ne ipsae in ea introirent, et ne Superiores eas admitterent sub poenis privationis officiorum, inhabilitatis ad illa inposterum obtinenda, et suspensionis a divinis ipso facto incurrendis. « Regularium personarum, inquit Sanctus Pontifex, quae relicto saeculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re, quae eas a divino cultu avocet, praepeditae, secundum Ordinum suorum regularia Instituta, et decretum Sacri Tridentini Concilii, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

» §. 1. Quia igitur et Chartusiensium Ordinis, et aliorum regularium vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu Confessionalium aut aliarum litterarum apostolicarum, ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus aliquando recusantibus et renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

» §. 2. Huic rei providere volentes, motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusien-

» sium et aliorum quorumcumque » Regularium Ordinum etiam mendicantium, mulieribus, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, conditionis, et quacumque dignitate » ac praeeminentia praeditis; etiam » Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum » quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis » clausulis, nec non irritantibus decretis, ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum » tenores, perinde ac si de verbo » ad verbum praesentibus inserentur, haberi vulumus pro expressis, tenore praesentium, revocamus, et cassas, irritas et inanes esse decernimus.

» §. 3. Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus » sub excommunicationis latae sententiae poena, postquam harum » literarum notitiam habuerint, a » qua non possint, nisi a nobis aut » Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam » in mortis articulo, ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

» §. 4. Ipsis vero monasteriorum » et conventuum abbatibus, praepositis, prioribus et aliis praesidentibus, quocumque nomine vocentur, et eorum monachis, canonicis et fratribus, sive mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, » et inhabilitatis in posterum ad » illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia » declaratione incurrendis poenis, » ne eas introducere admittereve » praesumant. »

Ut véro alias contigit, ita et in praesenti Constitutione dubia quaedam exorta sunt. S. Pius V. ediderat, non esse admittenda infra monachorum septa mulieres quae matronalis modestiae oblitae, ingredi in ea volebant licentiarum apostolicarum praetextu, hinc dubitatum est.

1° An prohibitio eiusmodi comprehenderet etiam mulieres alias quascumque quae infra clausuram virorum ingredi volebant, non quidem facultatum apostolicarum praetextu, sed aliis de causis.

2° An ab eiusmodi ingressu prohibendae mulieres essent etiam quando in monasteriis eiusdem Instituti missae et divina officia celebrarentur, atque infra clausurae ambitum processiones fierent.

3° Et quando ad praedicationem verbi Dei tanta populi frequentia affluebat, ut omnes egredi per Ecclesiae ianuam non possent, an hoc in casu liceret mulieribus ingredi et egredi per monasterii portas.

Eiusmodi dubia S. Sedi exposita fuere a Patribus Monasterii Montis Virginis, pro quibus Summus Pontifex sub die 16 Iulii 1570 Constitutionem *Decet Romanum Pontificem* edidit, in qua proposita dubia ita declaravit:

» §. 2. Nos intuitu, et in favorem » Congregationis Montis Virginis, » aliquas dubitationes quae circa dictarum literarum et mentis nostrae intelligentiam oriri possent » elucidare et submovere volentes, » supplicationibus dictae Congregationis, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram, quod dictae literae non solum comprehenderent et comprehendant mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi in monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres alias, tam in genere quam in specie.

» §. 3. Significantes nihilominus, » prout significamus, quod propter » hoc et praedictas nostras literas » non intelleximus, nec intelligimus quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus » ad monasteria et loca regularia dictae Congregationis ac eorum claustra, quando in eis » missae et alia officia divina celebrantur, ac dum processiones » fiunt, et quando Christi fidelium » cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed » libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem ut ad illa loca dictae » Congregationis, in quibus dicta » pia opera exercentur, cum a» liis catholicis personis, accedere libere et licite possint et » valeant.

» §. 4. Et similiter quod quando » divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum Congregationis huiusmodi » proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus » populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per » portam Ecclesiae, perpetuo concedimus ut dictae mulieres, una » cum aliis saecularibus personis, » possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et » locorum regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto » tramite accedant ad portam qua » exitur e monasterio; sicque volumus pariter et indulgemus. »

Ut ex S. Pii V Constitutionibus patet, Superiores regulares nullam excommunicationem incurrebant, sed tantummodo suspensionis et privationis officiorum poenam si mulieres quaslibet infra septa monasteriorum admisissent. Verum licentiae et facultates in ea ingrediendi iterum mulieribus concedi coeptae sunt; et hinc harum licentiarum praetextu Superiores Regulares, aliique religiosi infra clausuram mulieres intromittebant.

Ea re ad Gregorium XIII delata, Constitutionem *Ubi gratiae* sub die 13 Iunii 1575 promulgavit, qua et facultates concessas revocavit, et excommunicationem R. Pontifici reservatam, firmis aliis poenis a S. Pio V constitutis remanentibus,

indixit in superiores aliosque religiosos qui foeminas, sub obtentarum licentiarum praetextu, infra claustra admitterent.

« §. 1. Revocamus et abolemus » omnes et quascumque licentias » ac facultates ingrediendi monasteria, domos et loca.... etiam vi» rorum quorumvis Ordinis, quibus» vis etiam comitissis etc.... sub » quibuscumque tenoribus.... con» firmatas et etiam iteratis vicibus » renovatas.

» §. 3. Abbatissis vero nec non » Abbatibus, conventibus ac aliis » monasteriorum utriusque sexus » superioribus et personis, quocum» que nomine vocentur, districte » praecipimus sub eadem excom» municationis poena, nec non pri» vationis dignitatum, beneficiorum » et officiorum suorum, ac inhabi» litatis ad illa et alia in posterum » obtinenda, ne in monasteria, do» mos et loca sua, quemquam prae» textu huiusmodi licentiarum ac » facultatum, ingredi faciant vel » permittant. »

Hoc sed vero capite nullimode sublata prohibitio fuit admittendi infra claustra religiosorum mulieres, quae sine ullo facultatum praetextu, in ea ingredi desiderabant: Quod patet tum quia nulla in eo contineatur revocatio Const. *Decet* a S. Pio V latae; tum ex declaratione S. Congregationis Episcoporum et Regularium ad Commissarium generalem Ordinis Minorum de observantia transmissa in qua Eminentissimi Patres affirmant « de» cretum in Congregatione fuisse, » locum quemlibet Regularium in » quo sit Custos (Guardiano) cum » religiosa familia, quamvis ex in» tegro non aedificatum, neque » muris, fossis, sepibus circumse» ptum, imo quamvis apertum, » clausurae subiectum esse, ad for» mam Decreti felicis recordationis » Pii Papae V; mulieres in eum » ingredientes excommunicationem » incurrere; Religiosos vero tam » superiores quam subditos eas in» troducentes nedum eamdem ex» communicationem Papae reserva» tam incurrere, sed etiam priva» tionem officiorum atque inhabi» litatem ad illa in posterum ob» tinenda.

» Idipsum quoad silvas intelli» gendum est, quamvis latissimae » sint neque sepibus circumseptae. » At clausurae subiici illae intelli» guntur relate ad eam tantummo» do partem, in qua ordinario Re» ligiosi deambulant orationes fun» dendo. Illa vero pars silvae ad » quam ordinario Religiosi deam» bulatum non pergunt, sepe in» super vel maceria destituta sit, » clausurae non subiicitur.

» Verum iis in locis in quibus » existunt tres vel quatuor Reli» giosi aedificia extruendi gratia, » clausura non habetur neque re» late ad hortos, neque relate ad » silvam. Attamen si Religiosi in» troducant mulieres infra cubicu» la, in quibus habitant, dormiunt,

» edunt, cibos coquunt, poenitentiae subiiciantur, et officiis ut supra priventur.

» Ubi tamen consuetudo adest » ut mulieres serviant fabris murariis, hanc excommunicationem » non incurrunt si dum serviunt, » ingrediantur in hortos, Silvas et » eam monasterii partem in qua aedificium construitur, dummodo » non ingrediantur partes illas coenobii, in quibus degunt, dormiunt, comeduntque Religiosi.

Datum Romae die 4 Octobris 1588.

Card. Matthaei Protector (1).

Qui tamen plenam, ut ita loquamur, absolutamque legem pro clausura monasteriorum quae a religiosis viris incoluntur, edidit, fuit Benedictus XIV, in Constitutione *Regularis Disciplinae*, quam promulgavit die 3 Ianuarii an. 1742, quam proinde ad lectorum nostrorum eruditionem, integram referre putamus, eo quod historiam huiusmodi disciplinae quodammodo contineat.

« Regularis disciplinae observantiam, ante etiam quam et generalium, ac particularium alicuius nationis aut provinciae Conciliorum decretis confirmaretur, » et Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum legibus » sanctionibusque praescriberetur, » quoad vetitum mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, » intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum, tam integerrime custoditam » fuisse constat, ut nedum foemi-

(1) Ecco decretum italico idiomate exaratum prout habetur apud Ferraris V. *Conventus* Art. III. n. 8: « Che li Signori Cardinali della Congregazione dei Vescovi » e Regolari hanno deciso e determinato, che dove è il Guardiano con la famiglia, » eziandio che il luogo non sia affatto compito, nè circondato da muri, fossi o siepe, » e che sia aperto, *ivi* sia clausura, siccome ha deciso la felice memoria di Papa » Pio V, ed entrandovi le donne, siano scommunicate, e li Frati, così Prelati come » sudditi, introducendole, incorrano nella stessa scommunica riservata al Papa, » restando *ipso facto* privi dell' Officio loro, ed inabili *in futurum*.

» Il medesimo si dice delle selve, che non sono circondate, *ut supra, etiam* che » siano grandissime. In quella parte però s' intende clausura, ove li Frati sogliono » ordinariamente passeggiare, dicendo le loro divozioni; ma dove fosse selva grande, » che serve per legname, e li Frati ordinariamente non vi sogliono conversare nè » pratticare, o che sia luogo aperto, ivi non s' intende clausura.

» Ma nelli luoghi ove non sono più che tre o quattro Frati alla cura della » fabrica, ivi non è clausura, tanto nella selva, quanto negli orti; nulladimeno se » li Frati introducano le donne nelle stanze, dove abitano, dormono, mangiano o » cucinano, siano penitenziati, e privi come di sopra.

» E' vero che dove è consuetudine, che le donne servano per manipolo, portando » calce, pietre, e simili, sebbene ci fosse il Guardiano con la sua famiglia, e le » donne fossero entrate per la espedizione della fabrica, così nell' orto, selve, e » parte del Monistero, ove si fabrica, come ove sta serrato, purchè non vadano in » parte dove abitano dormono e mangiano detti Frati, non incorrono in scommunica

» nis quibuscumque, sed masculis » quoque, non tam ad monasterio- » rum claustra, seu septa, quam » ad ipsa eorumdem monasterio- » rum Oratoria et Ecclesias nullus » patuerit aditus, et accessus; quin » immo sub gravissimis poenis fue- » rit interdictus; ne scilicet, ut in- » quit S. Gregorius PP. I Praede- » cessor noster, in servorum Dei » secessibus occasio praebeatur po- » pularibus conventibus, et sim- » pliciores ex hoc animas plerum- » que, quod absit, in scandalum » trahat.

» §. 1. Huiusmodi autem regu- » laris disciplinae observantia, etsi » pro temporum varietate ac ne- » cessitate, tot tantasque subiit vi- » ces, ut iidem Praedecessores no- » stri aditum et accessum ad pu- » blicas monasteriorum ecclesias » dumtaxat, sive masculis, sive foe- » minis, sacrosanctum missae sa- » crificium audiendi, praedicationi- » bus verbi Dei interessendi, et Sa- » cramentum SS. Eucharistiae su- » mendi, ac peccata sua confitendi » causa, sine tamen Parochorum » praeiudicio, interdum concesse- » rint; vicissim tamen ipsi prae- » decessores nostri, tam ante Con- » cilii Tridentini decreta, quam » post eorumdem decretorum pro- » mulgationem denuntiationemque, » providis saluberrimisque Consti- » tutionibus ordinationibusque, sub » poena etiam excommunicationis » latae sententiae, foeminis quibus- » cumque aditum ingressumque hu- » iusmodi intra Monasteriorum clau- » suram interdixerunt.

§. 2. Quoniam autem, sicut do- » lentes accepimus, alii quidem « apostolicas leges, ac praecepta » huiusmodi, vel ad eorum arbi- » trium interpretantes, foeminis » quibuscumque aditum ingressum- » que, tam manifeste, ac tanta so- » lemnitate vetitum permittunt, alii » vero privilegia, indulta, praero- » gativas, facultates, licentias, et » alias quocumque pacto excogita- » tatas concessiones sibi sive a iure » sive ab homine factas et im- » pertitas, seu facta et impertita » ac quorumcumque munerum di- » gnitatum, ac praeminentiarum » ratione debitas, seu debita arro- » gantes, praetendentes, obtenden- » tesque, foeminas quaslibet intra » Monasteriorum claustra, septa, » coenacula, cubicula, aliasque of- » ficinas, aut admitti, aut recipi » sinunt, mandantque, aut una se- » cum ducunt (1); alii denique sub » pietatis ac religionis praetextu, » cum supplicationes sive cum » SS. Eucharistiae Sacramento, sive » cum sacris sanctorum sanctarum- » que reliquiis, statuis, et imagi- » nibus, per claustra, septa et alia » Monasterii loca de more, ut as- » serunt, habentur, sine ullo pror- » sus discrimine masculos, et foe- » minas supplicationes huiusmodi

(1) Prout fit etiamnum in aliquibus Conventibus Americae et Angliae ob causas an probabiles nescimus.

» per eadem loca sequi et comitari » licitum, quin imo ut indulgentias lucrari valeant, necessarium » esse obtendunt.

» §. 3. Hinc est, quod Nos, qui » cum in minoribus essemus quamplurimos huiusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi » sacrosancti Apostolatus specula » constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum » Antistitum documentis quam iustis etiam superiorum, aliorumque virorum ex religiosis ordinibus Dei honorem, et instituti » sui disciplinam zelantium, expostulationibus, de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis, » quantum cum Domino possumus, » remedium afferamus; auctoritate » Apostolica, tenore praesentium » primum quidem omnes, et singulas Constitutiones, sanctiones- » que a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, tam ante, » quam post Concilii Tridentini » decreta, super clausura monasteriorum quorumcumque Religiosorum virorum editas, renovamus et confirmamus, nec non in » posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in Constitutionibus sanctionibusque eorumdem Praedecessorum nostrorum Romanorum » Pontificum, et decretis eiusdem » Concilii Tridentini contentis, in- » violabiliter observandas decernimus, et praecipimus atque mandamus.

» §. 4. Deinde motu proprio et » ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, » earumdem praesentium tenore, » omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, » licentias, et quocumque alio nomine nuncupatas concessiones » omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, honore, praeminentia, ac iurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere legatis, sive » qui provinciis, et legationibus » status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad carissimos in Christo filios nostros » Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, » vel electum, Reges et Reginas » illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum » insignium Ecclesiarum Antistites, » tamen tamquam Apostolicae hu- » ius S. Sedis legati de latere alias » nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse » praetendunt, et in posterum habendi sunt, sive Ordinarii, sive » extraordinarii nostri et eiusdem

» Apostolicae Sedis ubicumque, et-
» iam ad ipsos Imperatorem, et
» Reges, ac Summas Potestates,
» Nuntii, sive Internuntii resident;
» ac demum quibuscumque aliis
» quocumque nomine et expres-
» sione nuncupatis personis, quo-
» cumque tempore, a quibusvis,
» etiam ab ipsis Romanis Pontifi-
» cibus Praedecessoribus nostris,
» quacumque de causa, occasione,
» titulo, colore, et praetextu, per
» quascumque Apostolicas, sive in
» simili forma Brevis, sive sub plum-
» bo expeditas literas, sub quibus-
» cumque verborum formis, facta,
» data, concessa, et impertita, sive
» factas, datas, concessas, et im-
» pertitas, super huiusmodi accessu
» et ingressu, revocamus, abole-
» mus, et annullamus, atque irri-
» tamus, nec non a datarum ea-
» rumdem praesentium die revo-
» cata, abolita, annullata et irrita,
» ac nullius prorsus momenti, ac
» vigoris esse, et fore, neminique
» cuilibet quocumque tempore suf-
» fragari statuimus, decernimus, et
» declaramus.

» §. 5. Quemadmodum etiam
» statuimus, decernimus, et decla-
» ramus, quemlibet omnium ante-
» dictorum, etiam speciali mentione
» dignorum, quacumque facultate
» huiusmodi temere uti audentem,
» ipso facto absque ulla alia decla-
» ratione, poenas et ecclesiasticas
» censuras, a quibus, praeterquam
» a nobis, et pro tempore existente
» Romano Pontifice, nisi in mortis
» articulo, absolvi possit, incurrere,
» et incursum esse, licentiamque
» huiusmodi cuiuscumque conces-
» sam, nullo modo suffragari, at-
» que nullius momenti, perinde ac
» si minime concessa fuisset, ipso
» facto fore et haberi, ac poenas
» et censuras ecclesiasticas ipso et-
» iam facto, ut praemittitur, per
» contrafacientem incurri et incur-
» sas esse.

» §. 8. Caeterum per praesen-
» tes non intendimus derogatum
» esse iis concessionibus, quae ad
» favorem quarumcumque nobilium
» foeminarum, ex eo quod sive ea-
» rumdem maiores, ac pro tem-
» pore existentes de familia, fue-
» rint et habeantur fundatores, vel
» insignes benefactores illius Mo-
» nasterii, intra cuius claustra, vel
» septa foeminas etiam de familia
» ingredi, vel concessum, vel cau-
» tum esse sibi voluerunt, et de
» concessione huiusmodi confirma-
» tionem ab Apostolica hac sancta
» Sede obtinuerunt, sive foeminae
» huiusmodi sint consanguineae
» et affines eorum, qui sunt Do-
» mini in temporalibus locorum,
» in quibus monasteria sita repe-
» riuntur, et quacumque legitima
» tituli, vel consuetudinis causa et
» occasione, ingressu huiusmodi de
» praesenti gaudent, factae et im-
» pertitae fuerunt; dummodo con-
» cessiones huiusmodi per aposto-
» licas in simili forma Brevis, vel
» sub plumbo desuper expeditas
» literas dumtaxat, et non aliter

» omnino factas, et impertitas fuisse, prius Ordinariis locorum antistitibus, vel Praesulibus, per legitima et authentica documenta constare fecerint; et dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi coenandique, nec per ambulacra, cubicula, caenacula aliaque loca, et officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, sacrosanctum missae sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de earum adventu et ingressu interdiu et opportune faciendo, superiores pro tempore existentes prius cartiores fiant, ad hoc ut absque fratrum incommodo et offensione, recto tramite ad Ecclesiam pergatur, et alia de iure servanda, serventur. »

Primum itaque vi relatae Constitutionis Benedictus XIV renovat quascumque praedecessorum Pontificum sanctiones in re latas 2° revocat facultates quascumque ingrediendi in monasteria virorum mulieribus quibuslibet ab ipsis etiam Romanis Pontificibus concessas, easque nullius momenti in posterum esse debere declarat. 3° Excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata, aliisque iam a praedecessoribus statutis poenis eos obstringit, qui post revocationem praedictam ausi fuerint facultatem concedere mulieribus in Conventus virorum regularium ingrediendi, et has, si licentiarum habitarum praetextu, Conventus praedictos fuerint ingressae. 4° Excipit tamen mulieres, quae maiores habuerint monasteriorum fundatores vel insignes benetactores, qui testamento, vel pacto familiarum suarum quibuscumque eiusmodi privilegium concedi voluerint, et a S. Sede fuerit confirmatum. Qua de causa errant ii omnes qui affirmant, mulieribus quibuscumque originem ducentibus a fundatoribus vel insignibus benefactoribus inesse facultatem in monasteria virorum introeundi, errant, inquam, quia illae tantummodo hoc privilegio fruuntur, quibus illud a fundatoribus cautum fuit, et a S. Sede confirmatum, non aliae, quibus quamvis fundatorum aut benefactorum insignium consanguineis vel affinibus tamen vel huiusmodi cautio facta non fuit, vel a Romana Sede confirmationem non habuit.

5° Pariter eiusmodi privilegium a Benedicto XIV factum iis mulieribus fuit, quae sunt consanguineae vel affines eorum, qui sunt Domini temporales locorum in quibus monasteria sita sunt; at eiusmodi conditione confirmatum fuisse legimus, 1° Si in praesentiarum legitima tituli, consuetudinis, vel occasionis causa illo gauderent; ergo si nullo titulo potirentur, nullo pacto possent in monasteria huiusmodi introire; non enim agitur de regibus aut imperatoribus, sed de inferioribus locorum dominis; ex. gr. Baronibus, Comitibus, ducibus etc. 2° Si concessiones huiusmodi ex-

peditae forent vel in forma Brevis vel sub plumbo literis. 3. Quibus tamen uti non possent nisi prius recognitae et probatae ab Ordinariis locorum fuerint. 4. Neque iis uterentur otiandi vel vagandi causa infra monasteriorum septa, multo minus comedendi vel coenandi, aut discurrendi per coenacula et cubicula monachorum, sed tantummodo pietatis et religionis gratia. 5. De eiusmodi ingressu monasteriorum superiores monere deberent, ne monachis offendiculum et incommodum afferrent; atque demum 6. recto tramite ad Ecclesiam pergerent.

At ex iis conditionibus recte inferimus, quod si Ecclesiae sit aditus extra clausuram, nullo pacto liceret privilegiatis huiusmodi mulieribus in monasteria ingredi; cum Benedictus ingressum tantummodo permittat ad Ecclesiam accedendi, sacrosanctum missae sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi, non autem curiositatis explendae causa.

In re, post Benedicti XIV constitutionem nullam aliam editam fuisse novimus; scimus tamen, Pium Papam VII in restituendis regularium domibus, anno 1814 die 22 Augusti, per s. Congregationem Episcoporum et Regularium iterum clausuram praescripsisse: «VIII. Clau» surae leges diligenter serventur » in omnibus religiosis domibus, » etiamsi Hospitiorum, vel domo» rum Generalitiarum, vel alio quo» vis nomine appellentur.» (1) Eam autem praescripsisse legimus ad tramites Constitutionum, quas Superiores Pontifices in re promulgaverant.

Pius Papa IX clausurae observantiam in Regularium domibus rem gravissimam esse perspiciens, praedecessorum suorum exempla imitatus, excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam tulit in *Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.*

Porro ex verbis capitis naturaliter rerum tractandarum series oritur; scilicet.

1. Quaenam loca in monasteriis regularium virorum sub clausura concludantur?

2. Quinam indigitentur sub nomine regularium virorum?

3. Quaenam mulieres interdicantur clausurae huiusmodi ingressu?

4. Qui sint admittentes, et an praeter latam excommunicationem, aliquam aliam poenam incurrant?

Relate ad primum quaestionis caput, sciunt omnes, Religiosos non ita sub clausura concludi ut ex ea egredi nequeant; eiusmodi reclusio pro viris esset onus quodammodo importabile, atque Ecclesiae damnosa, cum fideles privaret ipsorum ministerio in spiritualibus, quod

(1) Apud Bizzarri. Collectanea pag. 46.

cum grandi animarum fructu a Regularibus exerceri nemo non novit. Attamen religiosi egredientes prae oculis habere debent ea quae Clemens VIII in Const. *Nullus* lata die 20 Martii 1601, §. 12 statuit: « Nullus e conventu egredi audeat, » nisi ex causa et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a » Superiore ; qui non aliter eam » concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non » petentis rogatu, sed arbitrio suo, » neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli » omnino concedantur. Contravenientes autem poena gravi, etiam » carceris, ad superioris arbitrium » plectantur; eamdem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit. Cum autem quis » in conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, et quid rei actum » sit diligenter perquirat. »

Optima sanctio! sed quae quoad pleraque non observatur; et in nonnullis religiosis ordinibus in desuetudinem abiit interdictum egrediendi sine socio, fortasse ob religiosorum paucitatem, aliasve legitimas causas, quas Superiores regulares videant. Egredientes tamen huiuscemodi peccabunt utique graviter, vel leviter, nullam tamen excommunicationem contrahunt, si illas excipias, quae fortasse ob eiusmodi peccatum a Superioribus regularibus impositae sunt, et de quibus ad nos tractare non pertinet.

Post haec, nomine clausurae conventuum, in quam est foeminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa monasterii seu conventus continetur, id est claustra, cellae, officinae, coenaculum seu refectorium, dormitorium, valetudinarium, coquina et huiusmodi (1).

Viridaria, seu horti, et prata cum conventu, et claustra coniuncta veniunt nomine clausurae, ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant. S. C. Ep. et Reg. in una Dominic. 24 Aprilis 1582; in Laudensi 13 Septembris 1583, et in Arben. 3 Iunii 1606.

Secus vero si ipsa viridaria et prata sint a clausura separata clavi et muro convenienti (2).

Verum cum limites clausurae determinare pertineat ad superiores regulares, eo usque illa extendetur quousque limites apposuerint.

Id autem quantum ad partes, ut ita loquamur, extrinsecas vel conventui attiguas; cum enim nonnulli clausurae limites sacrarum romanarum Congregationum decretis

(1) Idipsum Bonacina statuit *De clausura et poenis* etc. Quaest. V, punct. 1, n. 1. Nomine monasterii, in quo clausura servanda est, intelligitur totum illud spatium, quod intra monasterii septa continetur.

(2) Ferraris V. Conventus Art. III, n. 9, 10, 11, Edit. Migne.

constabiliti fuerint, non possunt a Superioribus regularibus immutari sine speciali s. Sedis facultate (1). Quaecumque demum sit hac in re praelatorum regularium potestas, limites clausurae ita praefigere debent, ut pericula et scandala caveantur, et ut s. Sedes finem sibi praestitutum in imponenda regularibus viris clausura assequatur.

Regularium ecclesiae clausura non obstringuntur; sed neque chorus ecclesiae adnexus, cum pars ecclesiae censeatur: Chorum ecclesiae religiosorum, inquit Bonacina loc. cit. n. 3 non esse obnoxium clausurae, quia est pars ecclesiae, nec intra monasterii septa continetur. Et hoc verum est, etiamsi religiosi soleant ibi se induere, et praeparare ad celebrandum; militat enim eadem ratio.

Exceptio tamen fieri oporteret si ad chorum non pateret accessus nisi per partem aliquam monasterii clausurae subiectam; hoc enim in casu et chorus clausurae subiectus censendus esset.

Paullo uberius enucleanda quaestio est quae sacristias respicit.

Doctores, uti Bonacina *loc. cit. n. 4.* Ferraris *loc. cit. n. 12. Edit. Migne*, aliique censent, sacristiam sub clausura comprehendi si ad eam aditus pateat tantummodo per monasterii claustra et loca clausurae subiecta; cum enim mulieres infra clausuram admitti nequeant, neque infra huiusmodi sacristias poterunt admitti.

Si vero sacristiae habent ingressum ab ecclesia, ita ut religiosi accedere ad eas nequeant nisi per ecclesiam transeant, non est clausurae subiecta, cum non monasterii pars, sed ecclesiae censeatur.

Si vero duas habeat ianuas, unam in ecclesia existentem, alteram in religiosorum claustro « probabilius arbitror, inquit Bonacina *loc. cit. n. 4,* huiusmodi sacristiam nomine monasterii comprehendi; cum enim non sit pars ecclesiae et nihilominus vergat ad monasterium censetur in tali eventu pars monasterii, ad quod vergit, consequenter ibi clausura servanda est ».

Rationes vero quae eiusmodi sententiam probabiliorem efficere videntur, ex duplici capite petuntur; primo quidem ex fine impositae clausurae, qua ecclesia consultum voluit religiosorum quieti, eorumque sanctitati; cui facillime vulnus infligeretur per mulierum frequentiam atque conversationes quamvis in sacristia habitas: deinde nonne ex huiusmodi colloquiis scan-

(1) Licet superiores Ordinum, inquit Reiffenstuel *Ius Can. Tit. XXXV, n. 27.* clausuram necessariam, seu a iure iam determinatam, pro libitu aliter determinare declarare, aut variare non possint, consequenter non facere quod locus aliquis v. g. hortus intra septa conventus existens, non sit de clausura, possunt tamen ea loca, quae de rigore iuris sub clausura non sunt, vel de quibus dubium est, uti sunt sacristia, chorus etc. pro eadem determinare ac declarare.

dalum fideles plerumque sumerent, atque dicteria in religiosos struerent? Secundo vero ex quo hanc romanarum congregationum mentem esse facile ex plurimis decretis probatur. Ita, teste Gavanto in manuali Episcoporum verbo *Regularium virorum monasteria,* S. C. Episcoporum et Regularium die 28 Aprilis 1605 decrevit: *Sacristia comprehenditur sub clausura.* Et in Sulmonen. 10 Augusti 1615: *Sacristia choro contigua alicuius monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa* (1).

At subdit cl. Ferraris: Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. *Ibid.*

Et quidem vere. Romae enim plurimae sunt sacristiae in ecclesiis regularium habentes duplicem huiusmodi ingressum, in quibus nulla observatur clausura relate ad mulieres, quamvis positae sint extra ipsa ecclesiarum moenia, et infra monasteriorum septa. Idipsum autem contingere scimus etiam extra Romam.

Quid ergo dicendum? Ni fallimur clausura pro sacristiis huiusmodi in desuetudinem abiit; et cum in eis non observetur, vidente et sciente ipso Romano Pontifice, non sunt de excommunicatione damnandi neque admittentes, neque introeuntes in illas. Etenim, ratione vere probabili ab excommunicatione excusantur. His accedit, quod sacristiae plerumque, ne dicamus semper, positae sunt sub monasteriis, ad easque non accedunt religiosi nisi sacrorum ministeriorum exercendorum causa, mane et vespere, quo tempore plurimi intersunt; atque hinc difficillime possunt scandala haberi, praesertim si sacristae sint timoratae conscientiae.

Attamen optimum agerent regulares superiores, si sacristis admittere mulieres infra sacristias interdicerent iis horis in quibus solitarii in sacristia manent; numquam enim solus cum sola.

Eiusmodi tamen ratio nullo pacto cappuccinis favere dignoscitur, pro quorum sacristiis clausura imposita fuit a s. Congregatione Episcoporum et Regularium decreto lato die 1 Iunii 1685.

« Perlatum est, inquiunt Emi » Patres, s. Congregationi Eminen- » tissimorum S. R. Ecclesiae Car- » dinalium negotiis et consultatio- » nibus Episcoporum et Regularium » praepositae, in multis conventi- » bus cappuccinorum introductum » fuisse abusum, quo multi prae- » tendunt, sacristias, nec non viri- » daria, pomaria, hortos et silvas, » eisdem contiguas, tam apertas, » quam muris et sepibus circum- » datas, non comprehendi sub clau- » sura; ac propterea credunt, mu- » lieres cuiuscumque aetatis dicta » loca ingredientes sub quovis prae- » textu, et religiosos introducentes

(1) Apud Ferraris V. Conventus Art. III, n. 14. Edit. Migne.

» vel non impedientes, poenas con» tra violatores clausurarum mini» me incurrere.

» Ideo eadem s. Congregatio » decrevit, mulieres adultas cuius» cumque conditionis et aetatis su» prascripta loca sub quovis prae» textu ingredientes, nec non ca» puccinos illas introducentes, aut » non impedientes, poenas contra » violantes clausuram eo ipso in» currere ; mulieres vero adhuc » non adultae aetatis dicta loca in» gredientes subiacere debere poe» nis arbitrio Ordinarii locorum im» ponendis. »

Datum Romae die 1 Iunii 1685.

Gaspar Card. Carpineus

B. Panciaticus Secr.

Quibus addendum est, p. Coriolanum in suo tract. de casibus reservatis *part. II, cas. III, n. 19* affirmare, a cappuccinis petitum fuisse a s. Congregatione Concilii ut declararet, sacristias infra clausuram comprehendi, idque fuisse concessum (1).

Ex quibus relate ad sacristias inferendum esse censemus, eas sub clausura comprehendi si vel consuetudine, vel congregationum romanarum, seu s. Sedis praescripto in eis clausurae leges observantur, secus comprehendi non videntur.

Verum ne confessarii ancipites haereant in decernendo, quinam hoc in capite veniant sub nomine regularium virorum; cum maxima praestantissimaque commentatorum parte (2) dicimus, intelligi regulares illos, qui pertinent ad aliquem ordinem religiosum proprie dictum, in eoque per solemnem professionem emittunt tria vota paupertatis, obedientiae et castitatis; non autem religiosos illos, qui in congregatione aliqua vota simplicia emittunt, uti sunt ex. gr. missionarii s. Vincentii de Paolis, Redemptoristae aliique; hi enim non habentur in iure uti religiosi proprie dicti; et cum in lege poenali verba sint stricto sensu accipienda, non est mulier aliqua excommunicata habenda, si clausuram alicuius domus huiuscemodi congregationum violaverit, quamvis et ad malum finem, et clausura indicta fuerit per ipsum Romanum Pontificem; clausura enim huiusmodi non immutat naturam status regularis, quae

(1) Bullarium Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Cappuccinorum, T. I, pag. 131. Apud la Nouvelle Revue Théologique Tom. IX, pag. 251.

(2) *Avanzini*. De Constit. *Apostolicae Sedis* nota 30, pag. 42, Edit. 1874 : Sermo est de clausura virorum regularium, hoc autem nomine non appellantur Congregationes ecclesiasticae eorum, qui emittunt vota simplicia. Nouvelle Revue Théologique Vol. IX, pag. 248. *Grandclaude* Constitutio etc. Agitur de monasteriis in quibus fiunt vota solemnia pag. 51, Comment. Reatinus in h. l. Regulares heic quoque accipimus, qui solemnia nuncupant vota, non qui religiosis Congregationibus sunt adlecti, nec Tertiarii etsi collegialiter vivant, Ballerinius, aliique.

consistit in solemni professione et emissione trium votorum (1).

Id nedum constare scimus ex cap. *Cum ad monasterium 6* de statu monachorum in fine, ubi Innocentius Papa III vota ad essentiam status religiosi ita pertinere dicit, ut ab eis neque ipse Summus Pontifex sensu reduplicativo dispensare possit: « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo » est adnexa regulae monachali, » ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere »; reduplicativo, inquam, sensu ; etenim, ibi subiungit Glossa: « Papa » non potest dispensare, ut monachus habeat proprium existendo » monachus, sed de monacho potest facere non monachum »; verum etiam idipsum probatum reperimus apud scriptores plerosque (2), tum apud ipsum s. Thomam 2. 2. quaest. 186 per totum, et praecipue artic. VII.

Quod autem scriptores et iura asseruere confirmatum reperimus ab ipsis Romanis Congregationibus, quae plerisque in casibus denegarunt, dandum esse nomen *Ordinis Religiosi* seu *Regularis religionis* Congregationibus illis, quae vota tantummodo simplicia emittunt, si excipias Societatis Iesu alumnos, qui veri religiosi habentur, cum post biennalem probationem vota simplicia profitentur, ex concessione Gregorii XIII (3).

Rei huius extat pulcherrima disquisitio decreto praemissa apud Bizzarri in Collectanea pag. 800, quam ad lectorum nostrorum eruditionem referre hoc in capite ducimus.

Congregationis Presbyterorum Regularium NN. super privilegiis.

« Moderator generalis cuiusdam » Congregationis Presbyterorum, » quorum alumni vota simplicia » perpetua profitentur, supplices » preces S. C. EE. et RR. porrexerat, ut declararet: 1. Professos » in dicta congregatione esse ab » episcopali iurisdictione exemptos, » iis exceptis, quae ad curam animarum, sacramentorum administrationem pertinent; tum etiam » exceptis casibus, in quibus Ordinariis iure delegato competit iurisdictio iuxta formam ss. Canonum, Concilii Tridentini, et Apostolicarum Constitutionum; 2. eosdem professos esse vere, ac proprie dictos religiosos, ita ut ea » Congregatio in statu vere religioso constituta habeatur, eius-

(1) Idipsum probatur ex eo quoque principio a theologis et canonistis generaliter admisso, neminem scilicet esse de excommunicatione damnandum, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione excuset ; at nulla ratio probabilior illa qua de ipsa legis existentia in casu dubitatur.

(2) Cf. Ferraris V. *Religiones regulares* n. 8 et seq. Edit. Migne.

(3) Cf. Nouvelle Revue Théologique Tom. VIII, pag. 175 et seqq.

» que professi sint de clero regulari, quamvis vota solemnia non emittant; *aut* (quemadmodum Gregorius XIII in Bulla *Ascendente Domino*, pro alumnis Societatis, qui vota tantum simplicia emittunt declaravit) *Sanctitas Vestra edicere dignetur, alumnos nostrae Congregationis esse vere religiosos.*

» Ad primam petitionis partem, quod attinet, moderator generalis in medium proferebat privilegia, quae suae Congregationi Pius VI et Pius VII concesserant. Porro Pius VI per litteras Apostolicas in forma Brevis diei 21 Augusti 1789 incipiens: *Sacrosanctum apostolatus officium*, in quibus non solum confirmat Rescriptum huius S. C. diei 20 Octobris 1781, quo ad dictam Congregationem *sub iisdem modo ac forma, ac aeque principaliter extendebantur et communicabantur omnia et singula privilegia e indulta tribus congregationibus* (nempe *Doctrinae Christianae, Piorum Operariorum, et Clericogum Discalceatorum Crucis et Passionis D. N. J. C.*) *ab Apostolica Sede usque tunc concessa, et quae in posterum concederentur, quamvis speciali mentione digna, sed etiam quatenus opus sit, privilegia, exemptiones, indulta, aliasque spirituales gratias dictae Congregationi.... tam generaliter quam specialiter, ac per viam communicationis cum supradictis tribus Congregationibus.... etiam motu proprio et ex certa scientia, ac alias per Nos, seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, concessa, et in posterum pari modo concedenda, quaeque specialem requirerent mentionem.... perinde ac si specialiter, et expresse ac pariformiter et aeque principaliter ei concessa fuissent concedebat.*

» Et Pius VII per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 9 Ianuarii 1807, cui initium *Qui sicut boni*, ad removendas conscientiarum anxietates confirmat et sanat concessionem a Pio VI factam, et praeterea declarat in dicta concessione comprehensas esse gratias a Clemente XIV Congregationi *Crucis et Passionis D. N. I. C.* communicatas; nec non *comprehendenda esse omnia et singula* privilegia, indulta, exemptiones et gratias spirituales etiam specialem mentionem requirentes, quibus praedictae aliaeque similes clericorum seu regularium, seu saecularium congregationes; et quatenus opus sit eidem congregationi illa omnia et singula, tamquam de verbo ad verbum hic expressa et inserta fuissent, concedimus.

» At vero rescripto huius S. C. diei 21 Septembris 1771 Summus Pontifex in uberiorem elucidationem Constitutionum clericorum excalceatorum Passionis

» D. N. I. C. eos exemptionem habere declaraverat *quoad eas dumtaxat domos, in quibus permanent duodecim ex dictis clericis de familia, et in quibus regularis retinetur observantia, tam Ecclesias, quam domos, ac regulares ipsos degentes exemptos esse, et immunes esse a iurisdictione, visitatione et correctione quorumcumque Episcoporum, et Ordinariorum in quorum respectivis.... Dioecesibus dictae domus reperiuntur, gaudeantque iisdem privilegiis et exemptionibas, quibus... aliae Congregationes regularium donatae sunt, exceptis iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, tum casibus, in quibus Episcopis atque Ordinariis iure delegato competit iurisdictio ad formam sacrorum Canonum, Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum.*

» Huic privilegiorum communicationi moderator generalis innitebatur, quae cum clausulis et verbis praegnantibus (1) uti aiunt, suffulta sit, directae et specificae concessioni aequiparari debet, ita ut concessio facta congregationi ss. Passionis D. N. I. C. eodem prorsus modo congregationi, de qua agitur, impertita intelligatur, ac propterea eadem exemptione frui ac gaudere tuto dicendum sit.

» Quibus positis, quid in iure cautum sit exponebatur. Distinguebantur enim privilegia, quae *a iure communi* dimanant, ab iis quae a peculiari concessione repetenda sunt. Priores ad ordines regulares, in quibus vota solemnia emittuntur, spectant, alia ad Instituta votorum simplicium; ista namque Instituta nullum ex se, et a iure privilegium habent. Cum ab Apostolica Sede approbata sint, nullo eis concesso privilegio, exempta tantum sunt in his, quae in statutis et Constitutionibus a s. Sede approbatis continentur, scilicet subiiciuntur iurisdictioni Episcoporum, salvo eorum Instituto et Constitutionibus ut supra approbatis (2). Ut igi-

(1) Id est verbis valde expressivis, et quae praeter ipsam naturalem significationem aliquid aliud continere videntur; prorsus ut mulieres praegnantes quae in utero aliud gestant.

(2) Alias exemptiones et privilegia hae Congregationes non habeant, nisi eis ab Apostolica Sede specialiter concedantur. Quin immo nec ipsae Tertiariae in communi viventes sine clausura et votis solemnibus amplius gaudent privilegiis a Benedicto XIII concessis, quia a Clemente XII Const. *Romanus Pontifex* diei 30 Martii 1732 revocata fuerunt; de qua revocatione agit Benedictus XIV in Inst. Eccl. 105, n. 76.

Probati auctores, et praesertim Pirhing in opere cui titulus *Ius canonicum* lib. III, tit. 35, docent decretalem Concilii Lateranensis IV, *Ne nimia*, qua prohibetur: *Ne quis de coetero novam religionem inveniat; sed quicumque ad*

» tur alia privilegia habeant, oportet ut ea a s. Sede obtineant.

» Porro duplici modo privilegia consequuntur, nempe *directe*, cum privilegium alicui *Instituto* speciatim et expresse tribuitur; et per *communicationem privilegiorum*, quibus aliae Congregationes legitime fruuntur. In concessione privilegiorum per communicationem prae oculis habendum est monitum Monacelli *Formul. Leg. Tit. 16, Form. 2, Suppl. ad n. 11.* scilicet: *Cave ab ita universali et erronea propositione; nam privilegia tam Iesuitarum, quam aliorum ordinum mendicantium quae involvunt praeiudicium tertii, vel sunt aliis onerosa, aut speciali nota digna, vel quae raro conceduntur, vel demum iurisdictioni ordinariae Episcoporum sunt laesiva, non conferuntur per solam communicationem, sed indigent speciali et expressa concessione, non obstante quod communicatio habeat clausulas praegnantes* (1). Quae

Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat: aliamque decretalem Concilii Lugdunensis II *Religionem*, qua Concilium inhibuit, *ne aliquis de cetero novum ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novae Religionis assumat*, respicere etiam nova Instituta votorum simplicium ex rationum identitate: quam sententiam s. Congregatio secuta est in *Sagien.* 9 Ianuarii 1835. His accedit quoad Instituta mulierum Constitutio s. Pii V *Circa pastoralis*, propter quam s. Sedes Congregationes mulierum: quae vota simplicia tantum emittunt, nec clausuram servant, approbare minime solebat, sed eas tantum tolerabat, ac proinde si aliquando s. Sedes earum Constitutiones confirmabat, apponebatur clausula *absque approbatione Instituti*. De hac praxi loquitur Benedictus XIV in Const. *Quamvis iusto* pro virginibus Anglicanis, et in *Inst. Eccl. 56*. Deinde vero ob temporum rerumque publicarum vicissitudines Sedes apostolica coepit in casibus particularibus etiam Instituta votorum simplicium approbare, si conditiones ex praxi S. C. requisitae concurrant.

S. Pius V etiam pro virorum Institutis edidit die 17 Novembris 1568. Const. *Lubricum vitae genus*, qua prohibuit Congregationes virorum qui vivunt *in communi et sub obedientia voluntaria, et extra votum solemne religionis, quorum habitus a saecularibus presbyteris est distinctus.*

(1) Consule eumdem Monacellum Tit. 13. form. 4. suppl. n. 33 et seq.; nec non Pignatellium Consul. 1. n. 32 et 34. Tom. X: et Card. Petra Const. V. Innoc. IV, n. 45. Tom. III, Rotam Decis. 201. n. 14 et 15. et Benedictum XIV in Inst. Eccl. 23. n. 4. Advertendum est etiam in decretis S. C. super statu Regularium incipiens *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae* editis die 25 Ianuarii 1848, cautum esse. *Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et Constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogationes generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto expresse et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque privilegii et communicationis privilegiorum.*

» quidem maiorem vim habere videntur quando agitur de exemptione a iurisdictione Episcoporum, agitur enim *de iure quaesito tollendo;* unde s. Sedes non solet hoc exemptionis privilegium obiter et perfunctorie impertiri, sed verbis claris et directis: *Eximimus et immediate s. Sedi subiicimus:* Quin immo docet Barbosa *De officio et potestate Episcopi* alleg. 74, n. 6. *exemptionem a visitatore non comprehendi sub generali concessione exemptionum.*

» In disceptatione tamen huius quaestionis notabantur verba non solum praegnantia, verum etiam specialia et extraordinaria, quibus Pius VI et Pius VII communicationem indulserant, nempe *perinde ac si specialiter et expresse, ac pariformiter et aeque principaliter ei concessa fuissent, tamquam de verbo ad verbum expressa et inserta fuissent, et specialem mentionem requirerent.* Ideoque concludebatur in casu communicationem privilegiorum vim directae et expressae concessionis habere.

» Ad secundum postulatum quod attinet moderator generalis autumabat alumnos suae congregationis esse vere religiosos; nam ad constituendum statum religiosum non requiritur iure divino, sed ex sola Ecclesiae institutione solemnitas votorum, prout Gregorius XIII in cit. Bulla declaravit, eo vel magis quod eius Congregatio, a Summis Pontificibus, licet per incidens, tamquam religiosa familia enunciata sit; nam Leo XII in Litteris Apostolicis in forma Brevis diei 11 Martii 1828 habet: *Inter religiosas familias.... non infimum tenet locum... Congregatio.* Et Pius VIII in decreto lato die 31 Iulii 1830, quo kalendarium proprium Congregationi, de qua agitur, concessit, edicebat: *caeteris regularibus Ordinibus accessit congregatio.* Quod si de hac qualitate certe non constaret, summopere expedire existimabat idem Moderator generalis, ut per speciale indultum qualitas ipsa concederetur, ita ut ipsa Congregatio non tantum ecclesiastica, sed regularis sit; nam efficacior esset Capitulorum celebratio, et sacra superiorum visitatio, et frequentiores in eam postulantium ingressus, eo quod postulantibus grave sit congregationem ipsam esse ecclesiastico-saecularem, non vero regularem; et per consequens eius alumnos non vere religiosos. Addebat etiam, in ea professionem solemniter fieri, et a superioribus acceptari.

» Sed ex officio sequentes animadversiones opponebantur. Verum quidem est quod solemnitas votorum non sit iure divino essentialis statui religioso, requiritur tamen ad illum statum constituendum de iure ecclesiastico; quare non est verus religiosus

» iuxta Ecclesiae disciplinam, qui » solemnia vota non emittit, sed » dumtaxat vota simplicia profite- » tur, nisi speciale et expressum » s. Sedis indultum accedat, quo » Ecclesiae disciplinae derogetur. » Porro Apostolica Sedes numquam » hoc privilegium concessit, si ex- » cipias Societatem Iesu, in qua » professi votorum simplicium, quae » post biennium probationis emit- » tuntur, a Gregorio XIII vere re- » ligiosi declarati fuerunt. Notan- » dum tamen est, id ex speciali- » bus causis factum fuisse; et vota » simplicia habenda esse in casu » uti viam et praeparationem ad » solemnium votorum professionem » ad quam ex eorum institutione » tendunt, et tales professos voto- » rum simplicium esse de corpore » societatis vere regularis vota so- » lemnia profitentis; quod locum » non habet in congregationibus, » in quibus professio sistit dumta- » xat in votis simplicibus (1).

(1) Moderator generalis *Societatis a charitate* nuncupatae summopere exoptabat, ut societati ipsi in qua vota simplicia perpetua emittuntur, non solum Regularium privilegia communicarentur, verum etiam vera Congregatio religiosa declararetur. Petitio sedulo diligenterque perpensa fuit: et in Congregatione generali diei 30 Decembris 1838 **proposita fuerunt dubia:**

1. An regula Instituti Charitatis mereatur formalem approbationem s. Sedis.

2. An huiusmodi Instituto tribuenda sint privilegia Regularium.

3. An ei huiusmodi privilegia tribuenda sint tanquam *piae Congregationi* aut tamquam Congregationi religiosae?

Quibus Emi Patres, referente Emo Castracane, rescripserunt:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative iuxta modum: hoc est: pro exemptione a iurisdictione Ordinariorum quoad visitationem domorum et Ecclesiarum, et quoad disciplinam et observantiam regularem: itemque pro facultate expediendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines minores et sacros.

Ad 3. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

In generali Conventu diei 15 Iunii 1856 penes S. C. super statu Regularium disputatum est, an qui in Ordinibus Religiosis votorum solemnium praemittere debent professionem votorum simplicium declarandi essent veri religiosi, vel tantum participes privilegiorum: nonnulli ex Emis Patribus primam partem propositionis probandam esse existimabant, quia agebatur de votis simplicibus perpetuis ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient, prout locum habet in Societate Iesu. Alii vero autumabant communicationem tantum privilegiorum esse concedendam cum non expediat privilegium singulare Societatis Iesu ad alios Ordines extendere ne novus status Religionis contra vigentem Ecclesiae disciplinam generaliter constituatur. In hac sententiarum disparitate SSmus D. N. Pius Papa IX sequens probavit articulum, qui in declarationibus a memorata S. C. datis sub num. 6 legitur: *Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum: quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent*

» Proferebantur in exemplum » presbyteri doctrinae christianae, » qui erant ab initio clerici saecu- » lares quia prò fitebantur vota sim- » plicia; sed deinde Somaschae con- » gregationi uniti, ideoque sole- » mnia vota emitterent, ad gradum » clericorum regularium provecti » sunt. Postea vero dicta unione » revocata ab Innocentio X per lit- » teras Apostolicas *Commissi* anni » 1617, exorta est quaestio: an » ipsi clerici regulares remanserint; » et laudatus Pontifex Const. *Pa- » storalis officii* diei 30 Augusti 1652 » declaravit esse, et fore uti ab ini- » tio clericos saeculares.

» E contra clerici *Matris Dei,* » qui ex Const. Clementis VIII de » clero saeculari erant, quia vota » simplicia emittebant, postea ad » gradum clericorum regularium » evecti fuerunt, cum Gregorius XV » eis professionem votorum sole- » mnium permiserit. Neque aliquid » facessere arbitrabatur, quod Con- » gregatio de qua agitur, in supe- » rius allatis documentis, religiosis » familiis et ordinibus regularibus » aliquo modo aequiparantur; nam » haec appellatio non in parte di- » spositiva, sed in enunciativa tan- » tum memorati brevis et decreti » legitur; neque ullo modo in eis » de qualitate Congregationis agi- » tur, sed de privilegio admittendi » alumnos ad ordinationem titulo » *mensae communis*, et proprium » Kalendarium habendi; etenim ex » Cap. *Si Summus Pontifex de* » *sent. excom.* et ex Const. Gre- » gorii XVI. *Sollicitudo* Nonis au- » gusti 1831 ex appellatione et » titulo, qui alicui in enunciativa » tribuitur, aliqua dignitas vel ius, » quo antea legitime non frueba- « tur, ei revera per dictam enun- » ciationem et appellationem mini- » me concessum intelligi debet.

» Nec solemnitas professionis » aliquid suffragatur; etenim non » solemnitas, seu pompa externa » constituit statum religiosum, nec » acceptatio votorum ex parte su- » perioris, sed solemnitas votorum » quae nomine Ecclesiae acceptan- » tur. Quaprópter huiusmodi Con- » gregationes improprie appellan- » tur ordines, religiosae familiae, » et earum alumni Religiosi, non » vero proprie et stricto sensu, ita » ut in statu vere religioso consti- » tuantur.

» In huius quaestionis disceptа- » tione universa rei ratio diligenter » perpensa fuit; et proposita fue- » runt sequentia dubia in gene- » rali Conventu diei 16 septem- » bris 1864. »

1° *An, et quomodo conveniat declarare, quod Congregatio Presby- terorum saecularium NN. fruatur nomine* (qualifica) *vere Regularis; et an saltem in casu eiusmodi no- men gratiae titulo ei sit concedendum.*

2° *An et quae exemptio ab Epi- scopali iurisdictione ei spectet in casu?*

Quibus Emi Patres, referente

Emo Quaglia Praefecto, rescripserunt:

Ad 1.m Ad primam partem non esse *vere regularem*; ad secundam partem *non expedire*. (1)

Ad 2.m Attento speciali privilegio praedictae Congregationi a S. Sede concesso *affirmative* ad formam et modum rescripti diei 21 Septembris 1771 favore Clericorum excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. Christi.

16 Septembris 1864.

Ex huiusmodi disceptatione, in qua pro et contra argumenta proponuntur, et ex adnexa dubiorum resolutione, quisque animadvertit, distinctionem veram et realem inter Congregationes pias, et Religiosos ordines intercedere; atque regulares proprie dictos illos tantum esse qui vota solemnia profitentur; errare quapropter qui decernunt, Romanum Pontificem per religiosos viros etiam illos intelligere qui vota simplicia emittunt (2); hi enim latis decretis contradicant oportet.

Neque ullo pacto niti possunt fini latae legis, qui est ut morum sanctitas a Religiosis servetur, et ne scandala fidelibus praebeantur; qui finis proprius est tam piarum Congregationum, quam ordinum vere regularium; iam enim hoc in Commentario animadvertimus, non quemcumque finem, sed illum qui cadit sub verbis legis esse de legis essentia; cum autem verba legis ad unos proprie dictos Regulares extendantur, non potest finis his praefixus ad alios extendi qui vere regulares non sunt; sin minus ex aequalitate vel similitudine finis leges essent summopere extendendae, et

1) Emi Patres in disceptatione animadverterunt quod huius dubii formula magis praecise enucleanda fuisset, sed illius reformationem minime necessariam esse duxerunt, cum eius sensus ex universa rei ratione, et ex ipsa moderatoris generalis petitione satis appareret.

(2) Talis est M. Daris qui apud Nouvelle Revue Théologique Tom. IX, p. 248 scribit: Probabilius tamen nobis videtur per regulares viros Pontificem intelligere omnes viros religiosos etiam illos qui vota simplicia emiserunt; nam istae voces promiscue sumuntur in iure canonico. Melius dixisset et verius *apud vulgus sumuntur*). Praeterea nulla datur ratio restringendi censuram: eccur mulier, quae violat clausuram Redemptoristarum non incurreret excommunicationem, quam poenam tamen certe incurreret violando clausuram Franciscanorum?

Respondemus 1. in eiusmodi interrogatione nullam contineri rationem.

2. Illa insuper responsione principium petit; etenim in ea ipsa quaestio continetur.

3. Respondemus, quia cum in iure canonico virorum regularium et religiosorum nomine intelligantur ii qui vota solemnia profitentur, non est ad alios extendendum quod ad ipsos tantummodo pertinet, cum lex sit poenalis.

Insuper si in iure canonico, ut placet D. Daris, promiscue sumitur vox Religiosus, aut Regularis, quare Congregationes votorum simplicium privilegiis proprie dictorum Regularium non fruuntur, neque ipsorum privilegiis communicant sine expressa s. Sedis concessione et gratia?

in poenalibus actum esset de illo iuris effato : *odia sunt restringenda* (1).

3° Relate ad tertium quaestionis caput nullo pacto iterum pertractare ducimus quaestionem illam : an sub mulierum nomine quae ob violatam clausuram virorum regularium excommunicantur, etiam Reginae, et regii sanguinis personae comprehendantur; ex iisdem enim rationibus, quas in praecedenti articulo adduximus, apparet non esse comprehendendas. Quin imo ex relata Constitutione Benedicti XIV alia exurgit ratio ad thesim confirmandam; ipse enim excipiens consanguineas et affines eorum qui sunt Domini in temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur; quibus verbis non tam Reges et Imperatores, quam inferiores Principes designari videntur; multo magis excipere censendus est reginas et Imperatrices proprie dictas, quae numquam excommunicatae censentur nisi aperte exprimantur.

Quod si quis a nobis petat, qua ratione ducti sub Benedicti verbis tantummodo principes saeculares inferiores intelligamus, respondemus, tum quia Reges et Imperatores non exprimuntur per verba *Domini in temporalibus locorum*, quod constat ex innumeris in Bullario contentis Constitutionibus, in quibus post recensitos Reges et Imperatores recensentur *alii in temporalibus locorum Domini*, quarum Constitutionum non unam tantummodo in praesenti Commentario retulimus; constat insuper ex Concilii Tridentini variis locis, praesertim Sess. XXV Cap. XIX de Reformatione, in quo excommunicantur imperator, Reges, duces.... *et quocumque alio nomine Domini temporales* qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; et ex Cap. sequenti, quo rogat S. Synodus Imperatorem,

(1 Idipsum patere putamus ex ipsa definitione status Religiosi, prout habetur apud Ferraris V. *Religiones Regulares* Art. 1, nn. 4, 5. Status religiosus est « fidelium ad christianae charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus »: Est in re communis.

Religiosus autem, seu regularis « est persona, quae emissis tribus votis substantialibus, in aliqua religione ab Ecclesia approbata vivit, ibique abiectis huius saeculi curis, et perfectionis impedimentis, propriaque abnegata voluntate et carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfecte serviat. »

In quibus emissio perpetua votorum etc., et stabilis in communi vivendi modus pertinent ad substantiam definitionis status religiosi; at patet ea non pertinere ad substantiam definitionis quae dari posset de statu religioso eorum qui profitentur vota simplicia. Simplices ergo regulares differunt substantialiter a religiosis proprie dictis, quae autem substantialiter differunt in iure canonico promiscue non usurpantur.

Reges... ut quae sunt iuris ecclesiastici... tamquam Dei praecepta venerentur, nec laedi patiantur ab ullis baronibus.... aliisve dominis temporalibus; tum etiam patet ex quo Imperatricibus et Reginis non imponuntur conditiones, quas Benedictus XIV Dominis in temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita sunt, imposuit; per eas enim iniuria non honore afficerentur; saltem affici putarent.

De cetero plurimorum Doctorum hanc esse sententiam, eruimus ex cl. Ferraris, qui V. Conventus, Art. III. n. 22, Edit. Migne ita illam exprimit: « Imperatrices, ea» rumque filiae possunt intrare in » Monasteria Religiosorum cum sua » decenti comitiva; quia cum Pon» tifices in supra laudatis Consti» tutionibus non fecerint mentio» nem de illis, credendum est no» luisse ipsas comprehendere sub » prohibitione. » Et plurimos allegat auctores. (1)

Quibus addimus, per Reginarum ingressum in Conventus non offendi finem impositae clausurae, cum et raro admodum eveniat, et sine ullo periculo.

Ex argumentis autem quae in praecedenti tractatione attulimus, manifestum esse putamus, puellas inferiores septem annorum excommunicationem non incurrere si Clausuram Regularium virorum violent; non enim sub lege comprehenduntur, neque subeundae excommunicationis sunt capaces. In praesenti autem capite ratio manifestissima apparet ex decreto S. C. Episcoporum et Regularium superius relato, in quo dum excommunicationi subduntur mulieres adultae: *mulieres adhuc non adultae aetatis dicta loca ingredientes subiacere debere paenis arbitrio Ordinarii locorum imponendis.* Quo in loco per *mulieres non adultae aetatis* intelligi possunt nedum puellae septem annorum minores, sed etiam maiores, immo has praecipue, et quia puellae infra septem annos vulgo non veniant sub mulierum nomine, et quia essent incapaces subiacendi poenis arbitrio Ordinarii infligendis. Quaenam autem discretionis ratio postulat ut subiiciantur poenis quae latis legibus propter aetatem non subduntur? Exinde tamen nemo concludat, licitum esse Regularibus eiusmodi puellas septennio inferiores infra claustra ad libitum inferre; si enim tolerandum non est ut puellae, licet parvulae, ingrediantur in monasteriis Monialium, multo minus permittendum est ut adeant claustra virorum.

Equidem inquit Ferraris V. *Conventus* Art. III. n. 20 « praxis » pluribus in locis videtur contra» ria, et posse puellas parvulas » intrare in Monasteria virorum, non

(1) Hos inter allegandus etiam est praestantissimus Schmalzgrueber *Ius Can.* Tract. XXXV, n. 130. Ingredi in monasteria virorum possunt imperatrices, reginae, earumque filiae, et aliae foeminae quae illas comitantur.

» obstante praedicta prohibitione, » tenent Rodriquez in Expositione » Motus proprii S. Pii V. n. 12, » Sanchez lib. 6. in Decalog. Cap. 27, » n. 4, Lezzana in summa quaestio- » num regular. cap. 10, n. 10 et » alii plures. Et ratio ipsorum est, » quia dicunt ipsi, finis prohibi- » tionis est, ne detur Religiosis oc- » casio impudicitiae, quae cessat » in parvulis puellis. »

At eiusmodi ratio sexcentis exceptionibus subiacet; non enim semel aut iterum puellae infra septem annos occasionem impudicitiae dederunt viris adultis, et copula, et aspectibus et tactibus, ut experientia constat; quare per huiusmodi puellarum ingressum infra clausuram datur aliqua impudicitiae occasio, ut parum dicamus; atque auctores citati fortasse nimia bona fide ducebantur. Viros regulares autem eiusmodi puellas infra clausuram introducentes illibatos non esse ex eo inferre possumus, quod nullam causam habent illas introducendi infra clausuram, aut saltem causam hanc rariorem se porrigere; ad aliquod opus agendum possent uti pueris; interea quamvis eas introducendo excommunicationem, ut nos arbitramur, non incurrant, attamen eos peccare, ni graviter, (rigidiores traduci nolumus) venialiter certe; cum id agant et quod regula interdicitur, et quod Ecclesiastico decreto prohibetur. At horum Regularium castitati, nostro quidem iudicio, non integra fides. Hinc a Regularium claustris puellae cuiuscumque aetatis, et a Sanctimonialium Monasteriis cuiuscumque aetatis pueri sunt semper arcendi. (1)

Quae de puellis dicimus, multo magis dicenda sunt de mentecaptis, quae utique intrare in virorum claustra non debent, et arcendae si ingrediantur: attamen salva excommunicatione, quae a mentecaptis non incurritur.

His autem mulieribus exceptis, ceterae omnes excommunicationem incurrent, si clausuram virorum regularium violent: lex enim est generalis, atque comprehendens quascumque mulieres observandae legis, et poenae incurrendae capaces.

4.° Ut quaestioni quarto loco

(1) Eiusmodi puerorum, immo infantium ingressus infra monialium clausuram non admodum innocuus visus est cl. Reiffenstuel, qui Lib. 3. Decret. Tit. XXXIV, n. 40 scribit: Monent Doctores non facile et passim admittendos esse infantes quamtumvis iuvenes etiam adhuc lac sugentes, sed potius prohibendum esse ne admittantur, eo quod et in his subinde periculum labendi quoad adspectus et tactus nascatur monialibus saltem tentationi carnali subiectis. Certe superiores id saltem cavere deberent, ne huiusmodi infantes praesertim masculos admissos permittant cum una sola commorari, nisi circumstantia ipsius monialis omni exceptione et suspicione omnino maioris aliud suadeat. »

Sed nonne etiam viri religiosi tentationibus carnalibus sunt subiecti? Et nonne plerumque verecundior foemina quam vir?

propositae faciamus satis, primo loco quaerendum esse existimamus: an externi qui consilium, mandatum, favorem porrigunt mulieribus ut clausuram regularium virorum violent excommunicationem incurrant? Item an eam incurrant regulares ipsi qui non ante Conventus ianuas, sed vel domi, vel alibi perversae mulieri suadent ut claustra ingrediatur; ipsi autem nullo pacto ingressui operam conferunt? demum an saltem eam incurrant viri saeculares qui aliquando famulatus causa infra Monasteria habitant, si in clausuram foeminas explendae libidinis, vel alia de causa introducant?

Huic triplici quaestioni negative respondendum esse existimamus. Relate ad primam. Lex est odiosa et stricto sensu interpretanda; lex autem censura ferit tantummodo mulieres violantes clausuram virorum regularium, non autem alios cooperatores quoscumque; quos de cetero, ut non semel hoc in Commentario animadvertimus, cum Legislator latis censuris innodare voluit, nominatim expressit.

At ob easdem rationes excommunicationem hanc incurrere non putamus viros regulares, si mulieribus, vel domi, vel alio in loco consistentibus, numquam ad clausurae ianuam, consilium violandi clausuram dederint, nullum autem auxilium ut introirent porrexerint. Cum enim lex tantum superiores aliosve regulares excommunicet qui mulieres infra clausuram admittunt, ad quem actum implendum vel requiritur praesentia admittentium, vel iussio et praeceptum Superioris, nullo pacto censeri debent excommunicati simplices regulares qui nudum consilium perversae mulieri vel domi vel etc. porrigunt; ipsi vero nullo pacto ingressuris infra Conventus septa dant operam; etenim inter admittentes comprehendi non possunt, sed inter consulentes, qui hoc in capite excommunicationi non subduntur.

Certum est autem, Legislatorem loqui de viris religiosis tantummodo, non autem de personis saecularibus servitio Monasterii addictis, quod patet ex relatione inter verba *Superiores aliosve;* porro Regularium praefecti superiores sunt vere et proprie eorum qui Religiosi sunt, non famulorum saecularium; quare hi sub verbis legis non comprehenduntur: hi quapropter si mulieres infra clausuram admittunt excommunicati censeri non debent. (1)

(1 Dicturus fortasse quis erit, legislatorem, cum hoc in capite non excommunicarit mandantes et consulentes, et legis verba utpote odiosae stricto sint sensu interpretanda, non satis consuluisse lata excommunicatione Regularium virorum clausurae; multae enim viae suppetunt pessimis quibuscumque religiosis in clausuram mulieres admittendi quin excommunicationem incurrant. Quod quidem non negamus. Attamen 1° non est fides adhibenda malorum hominum obrectationibus, qui aliquando regularium domos uti peccatorum officinas traducunt. 2° Re-

Neque quis dicat, mulieres excommunicari ob clausurae violationem, quae respicit locum; ideoque quoscumque admittentes excommunicatione percelli, etenim 1. clausura indicitur non tam ob locum, quam ob personas quae in loco commorantur; si Religiosi Conventum deserant, clausurae lex cum illis proficiscitur; 2. lex excommunicatione ferit regulares, non saeculares, et lex odiosa non est extendenda de casu in casum, neque ob similitudinem rationis; 3. lex consultum vult sanctitati Religiosorum, non saecularium; qua de causa sub fine a Legislatore intellecto saeculares non comprehenduntur; 4. cum in Monasteriis, in quibus observantia regularis viget, et ecclesiasticae regulae implentur, clausurae claves non viris saecularibus, sed Religiosis probatae vitae committantur, impossibile quodammodo est ut saeculares infra clausuram, nesciente et non vidente ianitore, foeminas introducant; at lex est de iis quae frequenter accidunt; 5. demum, ut parum dicamus, quoad eiusmodi personas saeculares lex est dubia; et in dubio favendum est reo. (1)

Superiorum autem nomine intelligunturii qui supra ceteros habent auctoritatem, quibusque vel immediata, vel vicaria potestate cura Conventus commissa fuit; hinc Abbates, Generales, Priores, Provinciales, Guardiani, Vicarii, Custodes, non autem Novitiorum Magistri, Professores aut alii, qui quamvis aliquem gradum in Monasterio obtinent, non tamen refertur ad Monasterii curam.

Hi quapropter cum aliis Regularibus omnibus sive professis, sive conversis, si mulierem infra clausuram admittant, excommunicati habentur. « Admittentium autem » nomine, inquit Ferraris *loc. cit.* » *n. 30.* veniunt omnes religiosi » active influentes in talem ingres- » sum mulierum, ut sunt invitan- » tes, consulentes, hortantes (intel- » lige ad clausurae ianuam) ap- » probantes, monstrantes iter, au- » ferentes impedimenta, ianuam » aperientes, eas recipientes, con- » cedentes, et auctoritative, sive » ratione sui officii permittentes » ut intrent. »

At dura, et quae probatione indigent saltem post Pianam Constitutionem, ea nobis videntur quae postea vir doctissimus subdit n. 31, scilicet « Religiosus etiam, qui nec » introduxit, nec admisit, nec con- » suluit, nec invitavit, nec ia- » nuam aperuit, nec recepit, nec

gulares qui eiusmodi scelera perpetrare non timent, neque Papalem excommunicationem verentur. 3° Hos autem scelestissimos plures esse non credimus.

1) Fortasse scandala exhibita a viris saecularibus in servitio monasteriorum addictis in causa fuere, quare in nonnullis Ordinibus religiosis prohibitum fuerit, ne saeculares infra claustra commorarentur, praesertim in certis temporibus et circumstantiis. Cfr Ferraris V. Conventus Art. III. n. 33.

» auctoritative, nec ratione officii » sui permisit mulierem intrare, aut » huiusmodi, sed eam iam intro- » ductam ex urbanitate salutat, et » ex decentia status illius per Con- » ventum comitatur, incurrit poe- » nas taxatas contra admittentes, » recipientes, aut introducentes, si » ipse sit causa efficax, quod foe- » mina diutius detineatur in Con- » ventu. » Etenim in Piano ca- pite excommunicantur *admittentes;* at hos inter religiosus huiusmodi recenseri non potest; ergo neque ut excommunicatus haberi.

Non equidem nos latet contra nostram conclusionem quaedam af- ferri, quae dissolvenda sunt.

Et 1° Donatus *Praxis Regularis Tract. IV Tom. 1 Quaest. 6 n. 2* affirmat, verbo *admittere* inesse et- iam significationem *approbandi, re- cipiendi et associandi;* certum est autem religiosum huiusmodi ingres- sae mulieri comitem se praebere. « Etenim hoc verbum *admitto,* teste » Ambrosio Calepino in suo dictiona- » rio, idem significat quod recipio, » approbo, et associo, et similia; » est enim magis amplum, et plus » generale, quam illud *introduco,* » unde plura includit et maiora » comprehendit. »

2° Dicunt, eiusmodi sententiam fini latae legis adversari, qui est removere ea omnia quae religio- sum propositum impedire possunt, et religiosorum quietem perturba- re, qui finis magis impeditur per diuturniorem mulierum moram in- fra claustra, quam per simplicem earum ingressum. Excipiunt, si mora sit brevis, quae prudentum iudicio possit dici parva.

Verum allatae rationes non ita solidae videntur quae conclusionem nostram evertant.

Et ut ad 1um argumentum respon- deamus; quamvis verbum aliquod plures habeat significationes, tamen dum ab Scriptore aliquo, et prae- sertim a Legislatore, adhibetur, in proprio et determinato aliquo sen- su assumitur, et minime in omni- bus sensibus et significationibus quas habere potest; sin minus innume- ris quaestionibus leges latas legis- lator subiiceret. Sensus autem alicu- ius verbi determinatur inter alia ab ipso obiecto legis; at in nostro casu obiectum legis est custodia clausu- rae impositae in Monasteriis Regu- larium, contra cuius *violatores* in- fertur excommunicatio; clausura au- tem violatur per admissionem mu- lierum; ergo verbum *admittere* in casu significat *infra clausuram ali- quem recipere,* et nihil aliud. Id- que eo magis, quod admittentes sint rei violatae clausurae vix mulier ingressa in eam toto corpore est; qua de causa verbum *admittere* habet sensum plenum et completum vix clausura violata fuerit. Religiosus autem qui mulierem ingressam co- mitaretur nullo modo inter *admit- tentes* comprehenditur; At *cui non conveniunt verba legis, non conve- nit legis dispositio.* L. Quod con- stitutum ff. de milit. testam.

Quid quod verba legum non in abstracto, sed in concreto intelligi debent, eo scilicet sensu, quem habere dignoscuntur ex substrata materia? At substrata materia nonne agit de interdicendo ingressu mulierum infra claustra virorum regularium? Quid ergo aliud significare potest verbum *admittere* quam mulieres infra clausuram recipere?

Verum habeat in casu eiusmodi verbum omnes allatas significationes. Quaeri posset: an a Legislatore unicus tantummodo sensus fuerit intentus, vel omnes. Si unicus; hic ille erit, qui ex substrata materia eruitur, et non alius; si omnes sensus a Legislatore intenti sunt, id aliquo pacto constare debet. At ex quo capite constabit? Non ex substrata materia, ut iam probavimus; non ex declarata legislatoris intentione, de qua nullum habemus argumentum; non ex iuris effatis, regulisque, in quibus imo dicitur: *Verba in statutis proprie accipi debent:* L. 1 ff. de exerc. act. *Verba sunt stricte et proprie intelligenda:* Ibid. *Verba intelligi debent secundum communem usum loquendi* L. Librorum ff. de Legat. *Sensus magis quam verba spectandus est.* L. Sed et Celsus ff. de contr. empt. Ergo de multiplici sensu verbi *admittere* a Legislatore intento in casu non constat. Ergo, ut parum dicamus, dubium est an verbum *admittere* in casu habeat omnes sensus in dictionario Calepini allegatos; ergo dubium est pariter an verbum *admittere* se extendat etiam ad *associantes* et *approbantes* in casu; Ergo pro *approbantibus* et *associantibus* in casu de lege non constat; ergo eiusmodi associantes ab excommunicatione sunt eximendi.

Neque tantum ob eiusmodi rationem; sed etiam quia in casu proposito verbum admittere esset ambiguae significationis; Sed *verba ambigua in delictis debent capi in meliorem vel mitiorem partem.* L. 4 Praeses. ff. de poenis. Et *verba in dubio ab boni viri arbitrium reducuntur.* Leg. cum filius ff. de Legat. 2. *Et in dubio minimum est sequendum.* De reg. iur. in 6. Et *In re dubia benigniorem interpretationem esse sequendam.* L. 3 §. 1 ff. de his quae intest. Ergo quamvis verbum *admittere* haberet etiam significationem associandi etc. numquam vir religiosus in casu posset de excommunicatione damnari, quia in dubiis mitiorem partem sequi debemus.

Neque ratione petita ex fine legis movemur ad contrariam sententiam statuendam. Etenim 1° finis latae legis est removere ingressum mulierum a claustris religiosorum, at postquam mulieres iam sunt ingressae, finis legis iam violatus est. Non inficiamur utique, diuturniore mulierum mora infra claustra magis regularium quietem turbari, earumque vexari spiritum; at neque quis inficiabitur, finem primarium Legislatoris fuisse, ne ullam spiritus dispersionem Religiosi viri per

mulierum praesentiam paterentur, ideoque ipsarum ingressum prohibuisse; quare haec diuturnior mulierum mora non ad ipsam rei essentiam a Legislatore praevisam refertur, sed ad plus vel minus.

Addimus autem, non ad illum tantummodo finem Legislatorem respexisse, sed praecipue, ne Religiosi viri castitatis iacturam paterentur, ne bonum nomen amitterent etc., hic autem finis nullimode violatur per religiosum qui salutaret et una cum aliis mulierem ingressam in casu comitaretur; quare finis principalis a Legislatore intentus non violatur.

Advertendum insuper est, Donatum in loc. cit. loqui iuxta tenorem Const. *Regularium personarum* a S. Pio V latae, in qua Regularibus interdicitur *ne mulieres introducere admittereve praesumant;* atque verbum *admittere* ita interpretari ut significet etiam comitari seu *associare*. At id ex ipso S. Pio V excludimus. Sanctus enim Pontifex cum in Const. *Decori* moniales sine debita licentia e monasteriis egredientes excommunicationi subiicit, subiicit etiam eos qui illas comitantur atque domi recipiunt, *nec non comitantes;* quare idipsum non praestitit in sua Bulla *Regularium personarum* si eos quoque excommunicatos regulares voluit, qui nullo pacto mulierem infra claustra admiserunt, eamque tantummodo urbanitatis causa comitantur? De cetero adeo infirma ratiocinatio a Donato adducta nobis videtur, ut lectoribus nostris subiicere non vereamur ratiocinium Portelli quod ab ipso Donato loc. cit. affertur illud refutandi causa, et a quo potius ipse confutatur. Inquit: « Portellus... movet quaestionem » illam; an Monachus vel Monialis, » quae praedictas personas saecu- » lares illicite ingredientes non in- » vitavit ad ingressum, nec ex of- » ficio nullo modo tenebatur im- » pedire, et postquam tamen prae- » dictas personas ingressas obvias » habet, illas alloquitur, comitatur » seu ad cibum et potum invitat, » an iste talis monachus dicendus » sit admittere tales personas ob » praedictam allocutionem, comita- » tum etc. et propter haec incur- » rat praedictas poenas?

» Et ibidem subiungit (Portel- » lus) *olim audivi has moniales vel* » *monachos talia facientes incur-* » *rere; nunc re melius considerata,* » *salvo meliori iudicio, credo non* » *incurrere; hoc patet primo ex* » *prima explicatione Suarez, qui* » *ait illos solos admittere, qui vel* » *invitant ad ingressum, vel offi-* » *cio obligati ad impediendum il-* » *lum, non impediunt; at ille mo-* » *nachus qui nihil horum fecit,* » *nec tenebatur impedire, ex eo so-* » *lum quod personas iam ingressas* » *alloquitur, vel comitatur, nullo* » *modo fuit cooperatus ad ingres-* » *sum, ergo non incurrit. Lex enim* » *tam valde poenalis restringi de-* » *bet, et proinde puniens solos per-*

» *mittentes vel admittentes ad in-*
» *gressum, non puniet alloquentes,*
» *comitantes personas post ingres-*
» *sum; id enim oportebat explicari*
» *a Papa in re tam poenali. Quod*
» *confirmo. Nam Pius V in Bulla,*
» *quae incipit Decori et honestati,*
» *qua prohibuit et punivit gravi-*
» *bus poenis moniales indebite egres-*
» *sas a clausura, volens extendere*
» *praedictas poenas etiam ad per-*
» *sonas comitantes et recipientes*
» *easdem moniales extra suos con-*
» *ventus, in eadem bulla statim*
» *expressit personas extra Conven-*
» *tum illas comitantes, et recipien-*
» *tes; alias praedicti comitantes*
» *non incurrerent, si non exprі-*
» *merentur. Cum ergo in nostro*
» *casu illi duo Pontifices solum pu-*
» *niant male admittentes vel invi-*
» *tantes ad ingressum, non utique*
» *punient alloquentes, comitantes,*
» *vel hospitio recipientes post in-*
» *gressum.*

» Haec ille. »

At quibus argumentis Donatus allatas a Portello solidissimas rationes refutat? Lectores audiant decernantque.

« Et quamvis, inquit, haec Por-
» telli opinio sit probabilis, sunt
» alii qui oppositum probabilius et
» verius tenent, ex quo Pius V
» dicta sua Constitutione nedum
» statuit contra introducentes, ve-
» rum etiam contra licentiam con-
» cedentes, nec non et contra al-
» loquentes, vel comitantes aut re-
» cipientes foeminas introductas,
» et putant clare constare illis ver-
» bis *ne eas introducere admittereve*
» *praesumant.*

» Etenim hoc verbum *admitto*,
» *teste Ambrosio Calepino* etc. ut
» supra. »

At eiusmodi ratio potest ne ratiociniis Portelli solidior dici? Non putamus, nisi verbum *admittere* in abstracto consideretur, et contra omnes legitimae interpretationis regulas in poenalibus adhibendas. (1).

(1) Reiffenstuel lib. III Decretal. Tit. XXXV n. 79 quaerit : An Religiosi peccent et poenas incurrant, si cum illicite ingressis confabulantur, vel eas comitantur, vel hinc inde in Monasterio deducunt? Atque respondet : « quamvis non desint Doctores affirmativam tenentes..... nihilominus sententia negativa probabilis videtur, dummodo vi officii expellere non teneantur, et non sint causa per comitatum et confabulationem quod ingredientes diutius in monasterio commorentur, et aliunde non concurrat circumstantia mala, v. g. scandalum. Ratio est, quia Bullae Pontificiae praecise loquuntur de ingredientibus, et eos ingredi permittentibus, aut introducentibus, ut legenti patet : tales autem non sunt positi in conclusione, si conditiones annotatae absunt, ut consideranti patet ; ergo ad eos non sunt extendendae, praesertim cum sint odiosae. »

At, ut aliquid dicamus, in conclusione positi non sunt neque introducentes, neque admittentes, quamvis longiori tempore foeminam comitentur : actio enim hoc in capite speciem sumit ex facto.

Deinde si eiusmodi sententia est probabilis, quamvis nostro iudicio, contrario sit

Huic quaestioni illa subsequatur oportet, qua quaeritur: utrum regulares qui intra clausuram puellas quae septimum annum nondum attingerunt admittunt excommunicationem incurrant?

Etiam in antiquo iure negativa sententia probabilior erat quoad eiusmodi puellas, quamvis doctores excommunicationi subiicerent religiosos qui admitterent adultas mulieres fatuas (1). Non deerant tamen qui affirmativam acriter tuerentur, hi autem innitebantur Constitutioni *Regularem vitam* ab Eugenio IV editae die 4 Iulii 1436, in qua §. 8 pro Monachis S. Benedicti Congregationis S. Iustinae statuerat: « Plane, ut huiusmodi » congregationis Monachi in vitae » honestate, et honore bonae fa» mae apud Deum et homines con» serventur, et quia ibi cautius est » agendum ubi maius imminet pe» riculum animarum, eadem aucto» ritate statuimus, quod nulli ho» minum liceat quascumque mu» lieres laicas seu religiosas cuius» cumque aetatis, status, gradus, » auctoritatis vel conditionis exi» stant, quavis occasione ducere; sive » ipsis mulieribus ingredi seu com» morari infra septa monasteriorum » praefatae Congregationis; quod si » aliter scienter attentatum fuerit, » tam ipsae mulieres quam earum » ductores, sed et ipsi receptato» res, si voluntarie hoc fecerint, » ipso facto sententiam excommu» nicationis incurrant, a qua dictae » Congregationis personae absolvi » possint per praesidentem et vi» sitatores Congregationis huius» modi. »

Verum ex eiusmodi Eugenii verbis nihil omnino probatur; excommunicat enim *mulieres quascumque* infra claustra monachorum ingredientes, tum ipsarum ductores et receptatores: At 1° num ne nomine mulierum etiam puellae infra septem annos constitutae, et quae adhuc lac sugant veniunt? « Mi» nime. Puellae enim, ut inquit Do» natus loc. cit. non possunt dici » mulieres nisi ubi fuerint aptae » matrimonio, quod regulariter con» tingit esse post decimum an» num earum aetatis. » 2° Et dato quod etiam eiusmodi sub nomine mulierum veniant, imbecillis erat Eugenius IV qui nesciret, puellas infra septem annos, et perfecto rationis usu carentes, non posse neque papali auctoritate excommunicationi subiici? Ad excommunicationem enim incurrendam requiritur grave peccatum, quod in puellis infra septem annos raro admodum admittitur.

3. Notanda sunt verba: *quod si aliter scienter attentatum fuerit;*

valde probabilior; cum nemo sit excommunicatus habendus si ratio vere probabilis cum ab excommunicatione excuset, non intelligimus qua de causa sit eiusmodi religiosus excommunicationi subdendus.

(1) Cf. Donatum *Praxis Regularium* Tom. 1. Tract. IV. 22. 7. et 8.

quibus Eugenius requirere videtur in violantibus scientiam transgressionis; porro puellae infra septem annos plerumque huius scientiae seu cognitionis sunt incapaces.

At vero in Eugenii Constitutione excommunicationi subdebantur Monachi qui mulieres infra clausuram ducerent, et etiam receptarent; mulieres autem illae non erant puellae infra septem annos; ergo excommunicabantur monachi tantummodo qui infra claustra ducerent puellas quae aetatem illam excesserant. Ergo neque in antiquo iure affirmativae sententiae ratio aliqua quae solida videri posset favebat.

At post Pianam Constitutionem sententia eiusmodi est omnino deserenda. Mulieres enim quae in praesenti capite excommunicantur sunt quae ob violatam clausuram excommunicationem incurrunt; hae autem esse non possunt puellae infra septem annos, quia excommunicationis sunt ex iure constituto incapaces. At excommunicationi in secunda parte capitis subduntur superiores aliive eas, id est mulieres quae per ingressum infra claustra excommunicationem incurrunt, admittentes; ergo superiores aliive admittentes has tantummodo foeminas excommunicationi subiicientur, non vero puellas infra septem annos. Inutile autem repetere putamus, nomine mulierum non venire puellulas, legem esse poenalem et stricto sensu interpretandam, et non esse aliquem uti excommunicatum habendum si probabilis ratio eum ab excommunicatione eximat; rationes autem allatas esse valde probabiles; haec enim supra edisseruimus. Iisdem autem rationibus quas in Superiori capite adduximus, excusari putamus ab incurrenda excommunicatione regulares illos qui infra clausuram introducerent mulieres mentecaptas.

Expendenda nunc illa quaestio venit, qua quaeritur: an post Pianam Constitutionem mulieres quaecumque possint septa religiosa monachorum ingredi sive associandarum processionum, sive verbi Dei audiendi causa etc. iuxta facultates quas eis fecerat S. Pius V in cit. Const. pro Chartusiensibus Montis Virginis: « Mulieribus non praecludatur aditus ad monasteria et » loca regularia dictae Congregationis, ac eorum claustra, quando in eis missae et alia divina » officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando Christi » fidelium cadavera, ibi sepeliuntur » ac etiam pro eis suffragia fiunt, » sed libere perpetuo concedimus » eisdem omnibus mulieribus facultatem ut ad illa loca dictae Congregationis, in quibus dicta pia » opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere libere » et licite possint et valeant. Et » similiter quod quando divinum » verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur etc. »

Commentatores in re discrepant. Cl. Avanzini in h. a. not. 30 d) pag. 45 sententiam utique non profert, attamen affirmare videtur ex consuetudine adhuc facultates illas vigere: « Hae, inquit, quamvis » videantur speciales concessiones » factae monachis Montis Virginis; » tamen ex consuetudine his in circ- » cumstantiis, idem videmus quo- » que servari in nonnullis Regula- » rium ordinibus, qui intra mona- » steria habeant, puta cubiculum » S. Fundatoris, vel alterius San- » cti, die eiusdem Festo. »

Quae ratio, ut sincere loquamur, propositam thesim non probat. Etenim exemplum adductum semel vel iterum in anno verificatur; dum facultas concessa a S. Pio V in perpetuum concessa reperitur pro omnibus circumstantiis, de quibus in S. Pii V Constitutione sermo habetur; exemplum itaque visitationis cubiculi S. Fundatoris vel alius Sancti exceptio potius vocanda est; facultas scilicet vel specialiter concessa alicui Religiosorum monasterio, vel consuetudine immemorabili firmata admittendi infra claustra mulieres in illa tantummodo speciali circumstantia. Ad thesim probandam adducenda erant facta eiusdem speciei ac illa quae in S. Pii V Const. pro Chartusiensibus Montis Virginis citantur, quod quidem cl. Doctor Avanzini non praestat.

Idipsum tamen statuit Cretoni in notis ad Theologiam moralem Gury Tom. II. pag. 613 not. 1 in fine: « Id quidem S. Pontifex, in- » quit, declaravit pro monachis » Congregationis Montis Virginis.... » sed haec tamquam generalis con- » cessio est accipienda (1) tum quia » Pontifex ita declaravit praeceden- » tem Constitutionem, quae gene- » ralis erat, tum quia consuetudo » ita eam dispositionem accepit. »

Hi quapropter defendere videntur facultates a S. Pio V concessas adhuc vigere.

Rmus D. Varceno Theol. mor. Tom. II pag. 468 affirmat standum esse consuetudini: « Sed de hac re » hodie standum est vigenti con- » suetudini uniuscuiusque loci par- » ticularis. »

Ex quo inferre possumus, a claris. Theologo existimari, S. Pii V concessionem vel abrogatam, vel in desuetudinem abiisse, vel non fuisse penes quoslibet Regulares ordines admissam; attamen sine peccato observari posse in monasteriis ubi adhuc vigere reperitur.

His autem aperte contradicunt praestantissimi Scriptores Ephemeridis vulgo *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. IX, pag. 258:* his freti argumentis. 1° Quia concessio a S. Pio V facta Chartusiensibus et per communicationem privilegiorum ceteris Regularibus

(1) Certum est, easdem facultates vivae vocis oraculo factas fuisse ab ipso Pio V Religiosis omnium Ordinum, ut probat Donatus in *Praxi Regularium Tom I. Tract. IV. Q. 3. pag. 161.*

Ordinibus, revocata censenda est a Benedicto XIV per suam Const. *Regularis Disciplinae,* in qua revocat omnes huius generis facultates ad illud usque temporis concessas, iis exceptis tantummodo casibus quos ipse excipit.

2° Ferraris seu eius correctores et annotatores affirmare hac in re: « Nunc autem quoad supradicta est » omnino attendenda novissima di- » spositio Benedicti XIV. »

3° Boranga *Institutiones theologico-morales* Tom. VI, §. XXIV pag. 333 expressis verbis affirmare: « Nunc vero non amplius id » permittit pietatis ratio, vi Con- » stitutionis Benedicti XIV, quae » incipit *Regularis disciplinae,* qua » abstulit mulieribus quibuscumque » licentiam, indultum, privilegium » ingrediendi monasteria, id est » claustra Religiosorum quacumque » de causa, etiam devotionis, v. g. » associandi processiones, et S. Eu- » charistiae Sacramentum.... idcir- » co nunc constitutio haec est at- » tendenda, nec amplius illa S. Pii V » *Decet Romanum Pontificem,* quae » expresse concedebat. »

Absit ut sententiam dicamus; attamen per Constitutionem *Regularis disciplinae* a Benedicto XIV latam non videntur revocatae facultates a Pio V concessae Religiosis Congregationis Montis Virginis.

Et 1° certum est, a S. Pio V facultates illas factas fuisse non Abati, non Priori, non alii alicui personae singulari illius Congregationis, sed prorsus monasteriis, seu ipsi Congregationi « *intuitu et in favorem Congregationis Montis Virginis. Supplicationibus dictae Congregationis inclinati.... Monasteria et alia loca regularia dictae Congregationis etc.* » Ad eiusmodi facultates igitur revocandas necessaria erat aut specialis revocatio, aut saltem aliqua qua revocari affirmabantur quaelibet privilegia, gratiae concessiones etc. quibusvis religiosis ordinibus concessa. At in Benedicti XIV Constitutione eiusmodi revocationes, aut clausulae derogatoriae omnino desunt, dum tum ipse tum alii Romani Pontifices, ut non semel hoc in Commentario probavimus, quando de regularium privilegiis revocandis egerunt, solliciti fuere eiusmodi clausulas, sive generales sive speciales semper apponere.

2. Benedictus XIV confirmat omnes Romanorum Pontificum Constitutiones latas circa clausuram servandam in Monasteriis Regularium virorum tum ante tum post Concilium Tridentinum, at has inter erat S. Pii V constitutio, qua dum monachis Congregationis Montis Virginis praedictas concedebat facultates, declarabat ingressum in Monasteria virorum esse interdicendum quibuslibet foeminis. Ergo hanc etiam Constitutionem Benedictus XIV confirmavit. Sed nullam quoad facultates foeminis concessas fecit exceptionem; ergo nescimus quibus de causis ab aliis sit excipiendum.

3. In dicta Constitutione Benedicti XIV non revocantur concessiones factae religiosis Ordinibus ab Romanis Pontificibus. Cum autem facultates concessae Monachis Montis Virginis factae fuerint a Romano Pontifice: quo iure eas revocatas a Benedicto XIV dicemus?

4. § 2. Benedictus quaeritur de nimia facilitate eorum qui privilegia habere falso vel vere praesumebant, in concedenda mulieribus licentia infra virorum claustra ingrediendi; tum de iis regularibus qui privilegia comminiscentes, mulieres nedum intra claustra sed in ipsa cubicula ducebant; tum demum de illis qui idipsum agebant sub religionis praetextu, quando processiones fiebant. Atqui hos inter Chartusienses numerari non possunt, cum non praetextu religionis et pietatis, sed ex vera concessione S. Pii V in casibus expressis, mulieribus permittebatur processiones comitari quae ab illis agebantur.

5. §. 3. Ea quae Benedictus sua constitutione eliminare vult, vocat abusus. At concessio Chartusiensibus a S. Pio V facta, non erat, neque vocari poterat abusus.

6. §. 4. Idem Pontifex abolet et revocat facultates quascumque dispensandi ab clausura claustris virorum imposita quibuslibet personis concessas, *Omnibus et singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia, ac iurisdictione fungentibus, etiam Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationi.* At 1. facultas concessa monachis Montis Virginis non erat facultas dispensandi; etenim dispensatio illa dabatur ab ipso Romano Pontifice: 2. Eiusmodi facultas collata non est singularibus personis; sed ipsi Congregationi Montis Virginis; ergo haec facultas non potest comprehendi inter facultates, quas Benedictus in praedicta §. revocare se dicit, et revocat.

7. Paragrapho sequenti decernit, esse excommunicatos tum qui, revocatione facta posthabita, facultates concedere auderent foeminis quibuscumque introeundi in claustra virorum regularium, tum foeminae quae his facultatibus uterentur. At manifestum est a S. Pio V nullam factam fuisse singulis Chartusiensibus facultatem infra claustra foeminas admittendi; eam enim ipse Pontifex concessit, neque Chartusienses eiusmodi facultatem foeminis concedere, neque mediante aliquo rescripto has infra Chartusiensum claustra ingredi; ergo inter facultates a Benedicto XIV proscriptas, accenseri nequit gratia a S. Pio V Monachis Chartusiensibus concessa.

Paucis: Benedictus XIV revocat facultates omnes quas particulares personae habere praetendebant, tum illas quas indebite religiosae aliquae familiae sibi usurpabant; at harum numero adscribenda non est

facultas concessa a S. Pio V Monachis Montis Virginis. Ergo haec, cum ab alio Pontifice revocata non fuerit, adhuc perdurare censenda est.

At iis quae disputavimus lectores nostri opposituri fortasse erunt, quod si ita res se habet, Constitutio a Benedicto XIV lata inutilis censeri debeat. Etenim privilegium factum Chartusiensibus, collatum etiam fuit a S. Pio V omnibus aliis Religiosis Ordinibus, ut patet ex declaratione facta vivae vocis oraculo a S. Pio V Emo Cardinali Cribello, quaeque refertur a Donato in loco citato, Quaest. 3.

Ad haec respondemus; Constitutionem Benedicti XIV numquam censeri posse inutilem; ea enim abrogantur quaecumque facultates, quas plurimae personae ecclesiasticae ratione suae dignitatis habere gloriabantur, tum illae quas habere praesumebant personae saeculares titulis, opibus, et potentia conspicuae, tum abusus omnes qui admittebantur a nonnullis religiosis familiis, a quibus praetextu pietatis, non ex vera pietate, mulieres infra claustra ducebantur et etiam in cubicula admittebantur; tum e medio sublatae sunt processiones extraordinariae et insolitae quae aliquando poterant a Praelatis Regularibus praecipi *ad hoc* ut illarum occasione possent mulieres ingredi infra septa claustralia; de quibus loquitur Donatus *Praxis Regularium Tom. 1 Tract. IV Quaest. 21;* atque omnia reducta fuere ad tramites concessionis factae a S. Pio V Monachis Chartusiensibus, in qua illi abusus non apparent, quos sincere Benedictus XIV detestatur.

Ex his vero patere arbitramur, quid de eiusmodi quaestione tenendum sit post Constitutionem *Apostolicae Sedis*. Pius enim Papa IX censura ferit mulieres violantes clausuram regularium virorum, illas scilicet quae scientes volentesque, atque spernentes ecclesiasticae legis interdictum, clausuram eiusmodi violant. At mulieres quae ingrediuntur infra regularium virorum claustra intuitu exercendorum operum pietatis et religionis, de quibus in Constitutione S. Pii V, neque spernunt clausuram, neque ipsam violant; ad summum dicendae essent eam bona fide violare, proindeque sine peccato et censura. Ergo mulieres praedictae post Pii IX Constitutionem excommunicationem praesentis capitis non incurrunt.

Sed neque superiores aliive regulares eas admittentes, cum ex praescripto concessionis papalis agant.

Attamen desiderandum est, ut eiusmodi consuetudines, si adhuc supersunt, a superioribus regularibus eliminentur; nescimus enim quid per mulierum ingressum infra claustra capiant regulares utilitatis; nescimus quid gratiae acquirant mulieres; certum autem est, delatas ad S. Sedem querelas de abusibus et excessibus, ut ex ipsa Benedicti XIV Constitutione patet.

Antequam autem huic quaestioni finem imponamus, quod sequitur investigare omnino debemus.

Nostris temporibus ob suppressionem ordinum religiosorum, nonnulli Conventus in potestatem Municipiorum venerunt; municipes autem eos custodiendos tradiderunt tribus vel quatuor religiosis, quibus partem Conventus quam incolere debent, assignarunt; aliae partes autem ab ipso municipio liberrime retinentur.

Quaeritur: Utrum religiosi debeant clausuram servare quoad illam partem, quam ipsi incolunt, ita ut nequeant infra cubicula mulieres admittere?

Respondemus, nullum nos nosse S. Poenitentiariae decretum hanc clausuram praecipiens in praesenti rerum conditione: per se autem in monasteriis non teneri regulares illos paucos: qui in eis commorari permittuntur, clausuram servare, praecise ob rationem suppressionis, qua fit ut de facto monasterii claustra omnibus pateant; atque ipsi non tam uti religiosi, quam uti Ecclesiae Rectores considerantur. Attamen ni ex lege, certe ex decentia, caveant Regulares eiusmodi infra cubicula sibi assignata foeminas introducere; atque in re superiores Regulares attente invigilent. Excipiendi at sunt Conventus generalitii qui suppressi non fuere, in quibus certe clausura servanda est.

Superest ut loquamur de poenis quas sive superiores, sive alii simplices Regulares infra clausuram foeminas admittentes incurrunt.

Ut vidimus, in antiquo iure Superiores regulares aliique regulares qui foeminas infra claustra admitterent, praeter excommunicationis, incurrebant etiam poenam privationis dignitatum, beneficiorum, et officiorum suorum ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; idque ex Gregorii XIII sanctione. At ex S. Pii V dispositione incurrebant etiam poenam suspensionis a divinis ipso facto, absque ulla declaratione.

Quaerimus igitur: an post Pianam Constitutionem, praeter excommunicationem simpliciter Romano Pontifici reservatam, Superiores regulares incurrant etiam alias poenas?

Noster Avanzini dubitare videtur, an hae poenae adhuc permaneant; suspensionem autem esse penitus sublatam affirmat, cum a Pio IX renovata non fuerit (1). Inquit Op. cit. not. 30, pag. 44. Edit. 1874. In Constitutione Apostolicae Sedis, « de qua agimus, » hae poenae, certe suspensio ipso » facto incurrenda inflicta Regula» ribus introducentibus et admit-

(1) Suspensio a divinis renovata neque fuit a Gregorio XIII, qui de cetero ad privationem officiorum statutam a S. Pio V addidit etiam privationem beneficiorum: quare suspensio a divinis abrogata fuerat etiam ante Constitutionem *Apostolicae Sedis*.

» tentibus, conversae sunt in ex-
» communicationem ipso facto in-
» currendam, et Romano Pontifi-
» ci reservatam. Dixi certo suspen-
» sio ipso facto incurrenda; nam-
» que de aliis poenis canonicis
» dubitari potest, an permaneant,
» quum per gravissimam excom-
» municationis poenam videatur sa-
» tis consultum fini qui intenditur;
» ideoque ceterae poenae videntur
» hac nova dispositione indirecte
» cessare. »

De Varceno *Comp. Theol. Mor.* Vol. II pag. 468 assentitur Avanzinio, quamvis non sibi constans. Etenim Tom. I pag. 204. scripserat: « Religiosi vero ipsas introdu-
» centes incurrunt ipso facto prae-
» ter excommunicationem, etiam
» poenam privationis officiorum,
» et inhabilitatis ad alia officia ob-
» tinenda. »

Verum eiusmodi sententia ab cl. Avanzinio statuta suscipienda quidem est relate ad suspensionem, quae in Piana Constitutione renovata non fuit, non autem relate ad ceteras poenas.

1. Quia Pius Papa IX Constitutione *Apostolicae Sedis,* censuras dumtaxat limitavit; atque de aliis poenis quas superiores Pontifices statuerant ne verbum quidem habuit: quare si admittamus cl. Avanzinii sententiam, extendenda videtur mens legislatoris; et nescimus quo iure vel regula. « Ad haec, optime scri-
» bit Commentator Reatinus, ad-
» monendi sumus, Constitutione
» *Apostolicae Sedis* abrogatum vel
» obrogatum fuisse iuri antiquo
» quoad censuras tantum; quidquid
» aliud igitur in eo continetur,
» praeter censuras, integrum per-
» manet, seu poenae, seu nullitates
» actuum, seu privationes, vel in-
» habilitates ».

2. Quia ratio a cl. Avanzinio adducta, quod scilicet per gravissimam excommunicationis poenam videatur satis consultum fini qui intenditur, solida non videtur:

Etenim nonne eadem haec excommunicationis poena inflicta fuerat in casu etiam ab anterioribus Pontificibus? Quare ergo addiderunt etiam suspensionem, et ceteras inhabilitates et privationes?

Ergo quae cl. Commentator Reatinus subdit post loc. cit. « Ni-
» hilominus si ea quae veteri iure
» plectuntur his aliisve poenis hac
» Constitutione nostra coercentur
» excommunicatione, tenendum
» puto cum Avanzinio illas in hanc
» translatas et conversas fuisse:
» quia perdurum est et a iure alie-
» num, ob idem crimen pluribus
» legibus et poenis reum fieri, ma-
» xime quod excommunicatio est
» poena in Ecclesia omnium gra-
» vissima ».

Haec inquam ita intelligenda sunt, ut si quae in veteri iure plectebantur suspensione, privatione beneficiorum et officiorum tantummodo, in Pii IX Constitutione plectantur excommunicatione, poenae illae censendae sunt in excommu-

nicationem conversae. At si praeter alias poenas etiam excommunicatio in antiquo iure inflicta delinquentibus reperiebatur, nulla ratio est qua dicere possimus, illas poenas cessasse; non enim alienum est a iure, ob idem crimen quemquam pluribus poenis obnoxium fieri, cum prorsus in iure hae plures poenae ob idem crimen statutae reperiantur.

Atque cum iuxta Reatini verissimam sententiam, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* abrogatum fuerit iuri antiquo quoad censuras tantum, atque integrum permaneat quidquid aliud praeter censuras in eo continetur, seu poenae, seu nullitates actuum etc., ex hoc ipso sequi videtur, ob idem crimen quemquam pluribus legibus et poenis obnoxium fieri posse.

Quamvis autem excommunicatio sit poena omnium gravissima, tamen inficiandum non est, plures magis timere privationem officiorum et beneficiorum quam excommunicationem.

APPENDIX XXII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA REOS SIMONIAE REALIS IN BENEFICIIS QUIBUSCUMQUE EORUMQUE COMPLICES.

Mala tot inter quae olim Christi Ecclesiam divexarunt, non ultimum certe locum Simoniaca labes tenebat. Munus a manu, a lingua, ab obsequio, aliquibus in regnis, plerumque rationem constituebat qua beneficia ecclesiastica conferrentur. Lites acerrimae inter Romanos Pontifices et saeculares Principes, sanctorum virorum quaerelae, bella exorta, rebelliones Simoniacorum contra decreta universalis Ecclesiae Praesulum, investiturarum historia id abunde demonstrant.

Falso tamen quis iudicaret, primum in Ecclesia Christi eiusmodi scelus serpere coepisse, cum et in lege veteri illud aliquando praeformatum fuisse legamus. Etenim *lib. II Machab. IV* scriptum reperimus, tempore Antiochi qui appellabatur nobilis « ambiebat Iason frater O-
» niae summum sacerdotium. Adito
» rege, promittens ei argenti ta-
» lenta trecenta sexaginta, et ex
» reditibus aliis talenta octoginta,
» super haec promittebat et alia
» centum quinquaginta, si potestati
» eius concederetur gymnasium et
» ephebiam sibi constituere, et eos,
» qui in Ierosolymis erant, Antio-
» chenos scribere. Quod cum rex
» annuisset, et obtinuisset Princi-
» patum, statim ad gentilem ritum
» contribules suos transferre coe-
» pit. » Eodem capite idem fecis-

se legimus quemdam Menelaum, qui « in semetipsum retorsit summum » Sacerdotium, superponens Iasoni » talenta argenti trecenta. »

At etsi in veteri lege aliquando hoc crimen patratum fuisse sciamus, tamen nomen suum desumpsit a Simone Mago qui in lege Evangelica primus huius sceleris auctor fuisse scribitur. « Hic enim », uti legitur *Act. VIII vv. 19 et 20*, « Apostolis obtulit pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem ut cuicumque imposuero » manus, accipiat Spiritum Sanctum. » Cui Petrus statim respondit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. »

Et utinam cum Simone infandum crimen periisset! Verum contrarium contigit, ut liquet in primis ex Canonibus Apostolorum qui quamvis apocriphi, magna tamen antiquitate pollent. In canonibus enim 30 et 31 legimus: « Si quis Episcopus, aut » Presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, » deiiciatur et ipse, et Ordinator » eius, et a communione abscindatur, sicut Simon Magus a Petro. » Item: « Si quis Episcopus, » saecularibus potestatibus usus, » Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, et omnes » qui illi communicant. » Eadem depositionis et excommunicationis poena in Concilio Chalchedonensi adversus Simoniacos statuta fuit can. 2. (1) Saeculo autem sexto, Pelagius I R. Pontifex prohibet ne: « Ab Ostiario usque ad gradum » Episcopatus, neque per aurum, » neque per aliquas promissiones » quispiam proficiat. » Id prohibitum quoque videtur ab ipsis Imperatoribus. Legitur enim *Novella VI Iustiniani, c. 1, §. 9:* « Neque » (Episcopus) creationem pecunia » emat, neque re aliqua data acci- » piat, sed sancte et gratuito tanquam a Deo datam capiat. »

In ipsis Iurispatronatus Beneficiis hoc crimen aliquando patratum postea fuisse novimus a Concilii Londinensis (an. 1268) patribus, qui proinde rem eiusmodi prohibuere *Can. 34.* « Quia plerumque evenire » didicimus quod cum ad vacantem » Ecclesiam fuerit praesentatio fa-

(1) En Canon: Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam, quae non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Corepiscopum, aut Praesbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex iis qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino qui subiectus est regulae, pro suo turpissimo lucri commodo; qui hoc tentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subiacebit; et qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione vel promotione per negotiationem facta proficiat, sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis extiterit; et ipse, siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monachus, anathematizetur.

» cienda, is qui praesentandus est, » prius cum patrono de certa summa ex bonis Ecclesiae annuatim » solvenda paciscitur, et sic pactus » ad Ecclesiam praesentatur. Nos » huic actui tam Simoniae vitium, » quam ecclesiae dispendium ingerenti occurrere intendentes, universas promissiones et pactiones » huiusmodi penitus revocamus, » et eas in posterum fieri districtius » inhibemus, et si factae fuerint, » vires aliquas decernimus non habere. »

At hominum malitia his aliisque legibus sublata non fuit. Pluribus enim documentis praetermissis, in vita B. Romualdi a S. Petro Damiani conscripta legimus, quod « per totam Monarchiam (1) usque ad Ro» mualdi tempora (Saec. XI), vulgata consuetudine vix quisquam » noverat, Simoniacam haeresim » esse peccatum. » (2)

Hinc quo magis putidissima eiusmodi labes incrementum assumere videbatur, eo magis RR. Pontifices sive per se, sive per Concilia, eam ab Ecclesia eliminare nitebantur.

Ut pauca exempla afferamus; Urbanus II *Ep. 17* clarissimis verbis declaravit, quod: « Qui res Ec» clesiasticas, non ad hoc ad quod in» stitutae, sed ad propria lucra » munere linguae, vel indebiti » obsequii, vel pecunia largitur vel » adipiscitur, Simoniacus est ». Paschalis II eius successor immediatus Episcoporum exactiones in instituendis Parochis in Concilio Pictaviensi (an 1100) cui praeerant eius Legati, ita vetuit: « Ut neque » Clerici vel Monachi per pecuniam » Altaria, vel decimas a Laicis vel » quibuslibet personis sibi acqui» rant. » Annis 19 elapsis, in Concilio Rhemensi cui praefuit Calistus II R. Pontifex, primus qui latus fuit canon, contra Simoniam latus est: « Si quis vendiderit aut » emerit vel per se vel per quam» libet submissam personam, Epi» scopatum, Abbatiam,... Praepo» situram, Praebendam, Altaria, » vel quaelibet Ecclesiastica Bene» ficia....., et vendens et emens, » dignitatis et officii sui ac beneficii » periculo subiacebit ».

Quid plura? Cum Romani Pontifices viderent Simoniacos ad propriam tuendam iniquitatem niti consuetudinibus quae praevaluerant, illas omnes, quae speciem quandam simoniacam habere videbantur, abrogandas iussere. Id certe peregit Gregorius IX qui noscens, cuiusdam

(1) Intellige Ditionem Imperatoribus Germanicis subiectam.

(2) En quomodo S. Anselmus Lucensis Episcopus alloquebatur Guibertum antipapam: Rex tuus sine intermissione vendit Episcopatus, edicta proponens, ut nullus habeatur Episcopus qui a Clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi praecesserit honor regius, quasi ipse sit huius hostii hostiarius. Et infra. – In parte tua Germania quis praeficitur, nisi quem, aut gratia exhausto foenore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Lib. 1.

capituli canonicos portionem proventuum canonicalium novo canonico denegare ob prandium quod ab eo deberi commiscebantur, *tali consuetudine non obstante* eum in beneficii possessionem absque ullo onere immisit (1).

Neque praetermittere putamus ea quae a Martino V sancita in Constantiensi Concilio an. 1414, fuere. Cum enim ecclesiae viri plus acquirendae pecuniae quam conscientiae sanctitati, et fidelium utilitati in sibi beneficiis ecclesiasticis comparandis studerent, tantus Pontifex decrevit, Simoniacos hos beneficii fructus suos non facere, sed ad eos restituendos teneri. *Nec promoti, confirmati aut provisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem tanquam iniique ablata percipientes teneantur.*

Atque hinc ut sordescentibus Simoniae vitio conscientiis mederetur, decretum edidit, quo auctoritate apostolica praeterita quidem sanabat, futuras tamen praevaricationes strenue praecavebat. (2)

Post Concilium Constantiense abusus qui iterum invaluerant in beneficiorum collatione extirpare conata sunt plurima Concilia quae variis in regnis celebrata fuere.

Nos autem iis praetermissis, ad Concilium Tridentinum properamus, cuius Patres *Sess. XXIV, Capite 14 de Reformatione* eiusmodi decretum edidere: « In pluribus Ecclesiis tam » Cathedralibus quam Collegiatis et » Parochialibus, ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligitur ut in » electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiae vel Beneficii, Canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Haec cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis ut, quaecumque huiusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant, et illis tantum quas ut laudabiles probaverint exceptis, reliquas ut

(1) Idem Pontifex in *Cap. Iacobus 44 de Simonia* factum ita narrat. « Iste » cum sit receptus in Canonicum et fratrem, Canonici partem proventuum ac praebendam sibi assignare recusant, quamdam consuetudinem praetendentes, quod » prandium habere debeant a canonico recepto de novo. »

(2) Hoc decretum videri potest in tomo octavo collectionis Conciliorum Harduini, pag. 891 cap. 6.

» pravas ac scandalosas reiiciant et » aboleant. Eos vero qui adversus » haec in praesenti Decreto com- » prehensa, quavis ratione com- » miserint, poenis contra Simonia- » cos editis Sacris Canonibus et » variis Summorum Pontificum con- » stitutionibus, quas omnes innovat, » teneri decernit; non obstantibus » quibuscumque statutis, constitu- » tionibus, consuetudinibus etiam » immemorabilibus, etiam Aposto- » lica Auctoritate confirmatis, de » quarum surreptione, obreptione » et intentionis defectu Episcopus » tanquam Apostolicae Sedis dele- » gatus, cognoscere possit. »

Post Tridentinum Concilium, plures editae fuerunt RR. Pontificum Constitutiones ad Simoniam realem praecavendam in Beneficiis praesertim ac Ordinibus Sacris. Ne ab instituto deflectamus, eas tantum recensebimus quae ad Simoniam Realem et quidem in Beneficiis referuntur.

Iam ante ipsum Tridentinum, Sixtus IV Constitutione quae incipit *Perniciosam*, edita anno 1472, confirmaverat omnium Praedecessorum suorum Decreta contra Simoniacos, et statuerat irritas esse collationes Beneficiorum simoniace factas.

Anno post Tridentinum elapso, Paulus II celeberrimam edidit constitutionem quae extat in Corpore Iuris, *Extrav. Cum detestabile II De Simonia.* Hanc per extensum referimus:

« Cum detestabile scelus simo- » niacae pravitatis, inquit, tam Divi- » norum quam Sacrorum Canonum » auctoritas abhorreat atque da- » mnet, Nos considerantes quod » plures poenarum gravitas quam » Dei timor arcere solet a volun- » tate peccandi, ac summis desi- » deriis affectantes ut horum pesti- » ferum vitium non ex usu solum, » sed etiam ex mentibus hominum, » saltem propter poenarum metus, » penitus evellatur; Praedecesso- » rum Nostrorum Romanorum Pon- » tificum vestigiis inhaerentes, ac » etiam omnes et singulas excom- » municationis, suspensionis, priva- » tionis et interdicti sententias, » censuras et poenas dudum a Ro- » manis Pontificibus praedictis et » pro talibus reputatis contra Si- » moniacos quomodolibet latas, et » illos qui cuiuscumque status, gra- » dus, ordinis, conditionis vel prae- » minentiae fuerint, etiamsi Car- » dinalatus, Patriarchali, Episco- » pali, Regali, Reginali, vel alia » quavis Ecclesiastica seu mundana » dignitatibus praefulgeant, et eo- » rum quemlibet tam manifestum » quam occultum, quas ipso facto » eos incurrere volumus, et con- » firmantes et innovantes, Aposto- » lica Auctoritate declaramus quod » omnes illi qui simoniace ordinati » fuerint, a suorum sint ordinum » executione suspensi. »

« Per electiones vero, postula- » tiones, confirmationes, provisio- » nes, seu quasvis alias dispositio-

» nes quas simoniaca contigerit labe » fieri, et quae viribus omnino » careant in Ecclesiis, Monasteriis, » Dignitatibus, Personatibus, Officiis » Ecclesiasticis et quibusvis bene- » ficiis, aut aliquo eorum cuiquam » ius nullatenus acquiratur, nec » inde faciat aliquis fructus suos, » sed ad illorum omnium quae per- » cepit restitutionem sub animae » suae periculo sit adstrictus. Sta- » tuentes praeterea quod universi » et singuli, etiam praemissis di- » gnitatibus praediti, qui quomodo- » libet dando vel recipiendo Simo- » niam commiserint, aut quod illa » fiat mediatores extiterint seu pro- » curaverint, sententiam excommu- » nicationis incurrant, a qua nisi a » Romano Pontifice pro tempore » existente non possint absolvi, nisi » in mortis articulo constituti. » Fructus suos produxisse hanc con- stitutionem ex eo intelligimus, quod per integrum saeculum nulla alia sanctio edita fuerit, saltem quo- ad Simoniam realem in beneficiis.

At anno 1566 S. Pius V, die 1 Aprilis, aliam Constitutionem edidit, cui initium *Cum Primum,* ad tol- lendos plures abusus noviter induc- tos, quos inter etiam Simoniam recenset; etenim § 8 legitur: « Ut » Simoniacae pravitatis labes prorsus » aboleatur, constitutiones Ante- » cessorum nostrorum contra Si- » moniacos editas, et praesertim » Pauli II, (1) inviolabiliter obser- » vari mandamus, et delinquentes.. » in beneficiorum assequutione, sta- » tutis etiam inferius poenis, nostra » auctoritate affici volumus.... Qui » dignitates ecclesiasticas simoniace » acquisiverit, illis sit ipso iure » privatus, et in futurum inhabilis » ad eas et quascumque alias obti- » nendas. Qui beneficium aut offi- » cium ecclesiasticum simoniace » adeptus fuerit, illis similiter sit » ipso iure privatus, et ad fructuum » omnium quos perceperit restitu- » tionem teneatur, et perpetuo sit » inhabilis ad ea et quaecumque » alia Beneficia Ecclesiastica obti- » nenda. Si quis autem tale crimen » pluries commisisse convictus fue- » rit, praeter supradictas poenas » etiam corporaliter puniatur, et, » ab Ordinibus Ecclesiasticis degra- » datus, a fidelium consortio ejicia- » tur. Qui vero Ordines et Bene- » ficia simoniace contulerint, poenis » a iure statutis puniantur, cuius- » cumque gradus, conditionis et » dignitatis, etiamsi Episcopi, Ar- » chiepiscopi vel maiores fuerint. »

At haec satis non fuere. Cum enim Sanctus ille Pontifex animad- verteret, non servari Concilii Tri- dentini statuta *Sess. XXIV. cap. 14 de Ref.,* lata, quae superius retu- limus, novam hac de re die 1 Iu- nii anno 1570 edidit Constitutio- nem cui initium *Durum,* qua:

1. Revocavit omnes consuetu- dines et constitutiones adversus

(1) Nempe extrav. *Cum detestabile* 2. *De Simonia* superius allata.

Tridentini Concilii Decretum inductas.

2. Statuit in contrafacientes, si Episcopi fuerint, suspensionem a Pontificalibus donec Sedes Apostolica, praevia satisfactione, illam relaxaverit; si Capitula et Collegia, interdictum; si singulares personae, excommunicationem Romano Pontifici reservatam.

Hanc S. Pii V Constitutionem confirmavit, et quoad poenas ampliavit Innocentius PP. XII Constitutione quae incipit *Ecclesiae Catholicae* data die 22 Septembris anno 1695, quaque prohibuit omnes conventiones quae tunc temporis fiebant in providendis Ecclesiis et Monasteriis vacantibus.

Cum autem postea dubitatum fuerit, an sub hac Innocentii XII constitutione comprehenderentur etiam Monasteria foeminarum, vel Capitula seu Collegia sub unius Abbatissae, Praepositae, aut Priorissae regimine, Benedictus XIV constit. *Pastoralis regiminis* data die 15 Iulii 1754 confirmavit Decretum Congregationis Consistorialis, quo declaratum fuerat, sub Constitutione Innocentiana super Capitulationibus Sede Vacante initis, comprehendi etiam Monasteria et Collegia utriusque sexus; eadem insuper Constitutione prohiberi quascumque pactiones et Capitulationes etiam per se honestas et licitas.

Post hanc Constitutionem nullam aliam editam scimus hac super re usque ad annum 1869, quo Pius PP. IX hoc crimen insertum voluit inter ea quae excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam inducunt. Optimo autem iure S. Pontificem hoc fecisse, ei patebit qui attente consideret Simoniae intrinsecam malitiam et mala gravissima atque innumera quae aliquando in Ecclesiam induxit. (1) Nec eum Simoniae Realis reos et complices excommunicatione sibi reservata mulctando, aliquid novi fecisse certum est, cum hi excommunicati quoque reperiantur in Constitutione *Cum detestabile* Pauli II superius relata. Cum enim in Paulina Constitutione et Rei et Complices Simoniae realis in Beneficiis anathemate plectantur, Piana Constitutio fere in eodem statu hanc servasse videtur, cum ex ipsa excommunicationis censuram incurrant *Rei Simoniae Realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.*

Quoniam vero nedum hos, sed etiam reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis, et reos Simoniae realis ob ingressum in religionem Pius Papa IX excommunica-

(1 Simoniam peccatum esse contra iustitiam deducitur ex sequenti propositione damnata ab Alexandro VII: « Non est contra iustitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. »

tione perculit, pluraque vero scitu necessaria hisce capitibus sint communia, hinc ea praemittimus, et sequentem ordinem nobis praestituimus. Inquiremus enim :

I. Quid nomine Simoniae, praesertim realis, veniat, et quaenam requirantur ad hoc, ut huius capitis censura inducatur.

II. An defendi possit, infra reos Simoniae realis esse aliquos, qui excommunicationem R. Pontifici reservatam non incurrant ?

III. Quid intelligant Doctores nomine Beneficii, et quaenam efforment eius essentiale constitutivum; quaenam sint beneficia, quae hoc sub articulo Pius Papa IX comprehendere voluit; et quotupliciter Simonia realis in beneficiis committi possit ?

IV. Quinam sint complices hac excommunicatione perculsi ?

I. Et ut a primo Capite exordiamur :

Simonia a S. Thoma in 2. 2. *Q. 100. art. 1* definitur : *Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum* »; haec autem definitio a Doctoribus communiter admittitur, cum omnia contineat quae Simoniae essentiam constituunt. Iuverit eam ipsis Angelici Doctoris verbis breviter explicare. Dicitur in primis *studiosa voluntas,* quia, ut ait Angelicus *l. c.*, « Iustitia et omnes partes eius, et per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate sicut in subiecto, ideoque convenienter Simonia per voluntatem definitur. Additur autem *studiosa* ad designandum electionem quae principaliter pertinet ad virtutem et vitium. »

At Simonia definitur *studiosa voluntas* non solum propter hoc quod sicut alia peccata deliberationem exigit,sed quia sufficit etiam interna affectio simoniaca ad Simoniae crimen constituendum, quin exigatur ut exterius pacta manifestentur.

Verbis autem *emendi vel vendendi* intelligitur « omnis contractus non gratuitus. Unde, *addit S. Thomas,* nec permutatio praebendarum vel Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo Simoniae, sicut nec transactio, ut iura determinant. » Hinc nescio qua ratione ducti plures auctores illis verbis *emendi vel vendendi* addant « *pretio temporali* » cum in definitione S. Thomae haec verba includantur.

Additur denique « *aliquid spirituale vel spirituali adnexum.* » Nam, inquit Angelicus, « sicut anima vivit secundum seipsam, corpus autem vivit ex unione animae, ita etiam quaedam sunt spiritualia secundum seipsa, sicut sacramenta et alia huiusmodi; quaedam autem dicuntur spiritualia ex hoc quod talibus adhaerent. »

Tripliciter autem potest sumi

temporale spirituali adnexum, nempe *antecedenter, consequenter et concomitanter*. *Antecedenter* cum supponitur rei sacrae, seu rem sacram praecedit, uti sunt vestes sacrae, vasa etc. quae existunt ante consecrationem. *Consequenter* spirituali aliquid dicitur adnexum cum est veluti effectus illius rei spiritualis, uti beneficia quae adnexa sunt divinis officiis *consequenter* quia beneficium datur propter officium. *Concomitanter* vero quando intrinsece cum re sacra coniungitur, et est veluti illius pars, ut labor requisitus ad actionem sacram peragendam. Circa huiusmodi adnexa spiritualibus quatuor Regulae traduntur a Suarez *tom. 1 de Relig. l. 4 cap. 23, n. 8. Prima* est; adnexum spirituali, quatenus tale est, sive ratione connexionis seu ordinis quem habet ad spirituale, vendi non posse, quia spirituale videretur pretio aestimari, ut docet etiam S. Thomas *2. 2. q. 100. art. 4 ad 1:* « *Dicendum,* inquit » Angelicus Doctor, *quod omnia* » *temporalia adnectuntur spiritua-* » *libus sicut fini, et ideo ipsa qui-* » *dem temporalia vendere licet; sed* » *ordo eorum ad spiritualia sub* » *venditione cadere non debet* ». *Secunda* Regula est: adnexa antecedenter spiritualibus per se spectata, sive quoad materiale, vendi posse saltem ex natura rei, et seclusa prohibitione Ecclesiae, non obstante connexione cum re spirituali, modo non vendantur ratione illius. *Tertia* Regula est; adnexum spirituali concomitanter, nulla ratione vel respectu vendi posse, quia non tam est annexum, quam vere spirituale et intrinseca pars functionis spiritualis, ut dictum supra. *Quarta* Regula est; quae annexa sunt spiritualibus consequenter non posse vendi sine simonia, quia venderetur necessario illud spirituale quod ab illa praesupponitur, cuiusmodi sunt Beneficia Ecclesiastica. Hae sunt regulae a Suarez, Pirhing, aliisque auctoribus traditae, ut cognoscatur quando in venditione spiritualium rerum pro temporalibus Simoniae crimen non intercedit.

Criminis huius enormitas desumi potest ex verbis *can.* Eos qui *C. 1. q. 1* ubi habetur: « Tolera- » bilior est Macedonii et eorum » qui circa ipsum sunt, Sancti Spi- » ritus impugnatorum impia hae- » resis quam Simoniacorum. Illi » enim creaturam et servum Dei » Patris et Filii, Spiritum Sanctum » delirando fatentur; isti vero » eumdem Spiritum Sanctum effi- » ciunt servum suum. Omnis enim » Dominus quod habet, si vult, » vendit, sive servum, sive aliquid » aliud eorum quae possidet. » Et sane, « actus aliquis », inquit Angelicus, « est malus ex genere eo » quod cadit super materiam inde- » bitam. Emptionis autem et ven- » ditionis est materia indebita res » spiritualis triplici ratione. *Primo* » quidem, quia res spiritualis non » potest aliquo terreno pretio com-

» pensari, sicut de Sapientia dici-
» tur *Prov. 3: Pretiosior est cun-*
» *ctis opibus, et omnia quae desi-*
» *derantur huic non valent com-*
» *parari.* Ideo etiam Petrus in ipsa
» sui radice simoniacam pravitatem
» condemnans, dixit: *Pecunia tua*
» *tecum sit in perditionem, quoniam*
» *donum Dei existimasti pecunia*
» *possideri. Secundo* quia id non
» potest esse debita venditionis
» materia, cuius venditor non est
» dominus. Praelatus autem Eccle-
» siae non est dominus spiritualium
» rerum, sed dispensator, secun-
» dum illud I. Cor. 4: *Sic nos*
» *existimet homo, ut ministros*
» *Christi et dispensatores mysterio-*
» *rum Dei.*

» *Tertio* quia venditio repugnat
» spiritualium origini quae ex gra-
» tuita voluntate Dei proveniunt.
» Unde et Dominus dicit *Matth. 10:*
» *Gratis accepistis, gratis date.* Et
» ideo aliquis emendo vel vendendo
» rem spiritualem irreverentiam
» exhibet Deo et rebus Divinis,
» propter quod peccat peccato ir-
» religiositatis. »

Plures Simoniae divisiones a Doctoribus passim traduntur; praecipua Simoniae latissima partitio est in *Simoniam Iuris Divini* et in *Simoniam Iuris humani.* Prior habetur cum res vere per se spiritualis vel spirituali adnexa datur pro re temporali. Posterior vero adest cum vel datur res spiritualis aut spirituali adnexa pro alia re itidem spirituali aut spirituali adnexa, vel datur res *per se* temporalis pro pretio temporali. Vocatur hoc in casu Simonia, non *per se,* quia intrinsecam malitiam non habet, sed ratione Ecclesiae quae has permutationes merito prohibuit. (1)

At potior, quaeque magis ad institutum nostrum pertinet, est Simoniae divisio in *Mentalem, Conventionalem, et Realem.*

Iamvero in Simoniae Crimine tria considerari possunt, nempe *interna voluntas acquirendi* rem spiritualem vel spirituali adnexam pretio temporali; *pactio* tacita aut expressa signis vel verbis, et *executio* ipsius *pactionis.* Ideoque potius quam tres Simoniae species, distinguendi sunt in hoc crimine veluti tres gradus unius Simoniae.

(1) Huius divisionis praecipuum in eo versatur, quod omnes doctores pleno agmine Simoniam iuris Divini censuris subiectam faciant; non ita tamen conveniant quoad Simoniam iuris Ecclesiastici.

Cum vero *odia sint restringenda* et nos in odiosis versemur, veriorem cum Reatino commentatore putamus S. Alphonsi sententiam, qui *l. III, n. 108* post relatam sententiam eorum qui affirmant Simoniam iuris Ecclesiastici subiectam esse censuris, non minus probabilem dicit sententiam oppositam, quam ipse sequitur, quaeque tuto in praxi teneri posse videtur. Excipiunt tamen omnes cum La Croix *l. 3, p. 1, n. 213* Simoniam confidentialem, quam censuris obnoxiam faciunt DD. ex peculiaribus Pii IV et S. Pii V sanctionibus, quas in sequenti appendice referemus.

Simonia Mentalis habetur cum quis sibi non solum proponit inire pactum Simoniacum cum alio, sed revera sine ulla pactione externa dat alicui pretium aliquod cum animo illum obligandi ad reddendum sibi spirituale, vel viceversa.

Simonia Conventionalis illa vocatur quae fit cum pacto tacito vel expresso dandi vel recipiendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum pretio temporali, et tamen conventio nondum adimpleta est saltem ex una parte. Duplex est; *pura* si in sola conventione sistat absque rei traditione ex neutra parte; *mixta* si praeter conventionem traditio impleta ex aliqua parte iam sit.

Simonia realis habetur cum ex utraque parte pactum adimpletur mutua rei traditione.

Hic tamen observandum est. 1. Ad Simoniae realis essentiam necessarium non esse ut pretium integre solutum fuerit; nam communiter DD. docent, sufficere traditionem ex utraque parte inchoatam.

2. Ut *Simonia* vere *realis* habeatur etiam quoad effectum incurrendi poenas, requiri traditionem saltem inchoatam *ex utraque parte*, uti postea videbimus.

Tribus praedictis Simoniae gradibus accedit alia *Simonia* quae dicitur *confidentialis* et nomen sumit a *confidentia* seu quolibet pacto quod fiat in electione, praesentatione, collatione vel resignatione beneficiorum proprie dictorum.

Interea praestat animadvertere, pretium Simoniacum vocari *Munus*. Triplicis generis est: *Munus a manu, munus a lingua* et *munus ab obsequio* uti habetur *can.* Sunt nonnulli *c. 1. q. 1.* (1). Hoc igitur in canone legitur quod:

1. *Munus a manu pecunia est.* *Pecunia* autem dicitur quidquid homines possident, uti habetur *can.* Totum *6. c. 1. q. 3.* (2), ac confirmatur a D. Thoma *2. 2. q. 100. a. 2. in O:* « Per pecuniam intel» ligitur omne illud cuius pretium » potest pecunia aestimari. »

2. *Munus a lingua est favor.* Nam ait S. Thomas *2. 2. q. 100, art. 5 in O:* « Quod aliquis satis» faciat precibus alicuius ad tem» poralem gratiam quaerendam, » ordinatur ad aliquam utilitatem » quae potest pecuniae pretio aesti» mari. » Nomine autem *favoris* intelliguntur laudes, commendationes, intercessiones, preces, etc. Quaestiones super munus huius-

(1) Scilicet: « Aliud est *munus ab obsequio*, aliud *munus a manu*, aliud » *munus a lingua*. *Munus* quippe *ab obsequio* est subiectio indebite impensa. » *Munus a manu* pecunia est. *Munus a lingua*, favor. »

(2 Scilicet: « Totum quidquid homines habent in terra, omnia quorum do» mini sunt, pecunia vocatur: servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum » est, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habe» bant in pecoribus habebant. »

modi fieri solitae explicabuntur inferius.

3. *Munus ab obsequio est subiectio indebite impensa.* Hic autem dicitur *indebite impensa* non ratione ipsius subiectionis, sed ratione finis cuius causa impenditur servitus. Nomine autem servitutis intelliguntur servitia cuiuscumque generis praestita vel praestanda ex pacto, aut sub obligatione rei spiritualis conferendae; ratio est quia secundum Angelicum, *hoc obsequium aestimari potest pecuniae datae vel promissae ut aliquis det rem spiritualem.* Praestat hic verba referre S. Petri Damiani *lib. 2. Epist. 1.* adversus *Clericos aulicos* qui exhibendo obsequia venabantur Beneficia, et se a Simoniaca labe immunes dictitabant, quia *nullam talenti summam se pepigere daturos pro suscipiendis honoribus:* « Sed dic mihi, o Cle» rice, *inquiebat sanctus ille Doctor,* » quisquis es, si redempto quoli» bet aureo vase, vel praedio, » distractor exigeret, ut redempti » apud te, vice pretii, huiusmodi » sibi sedulitatis impendium exhi» beres, numquam non postmodum » constanter assereres te, quod ac» ceptum est iusto pretio compa» rasse? Non, videlicet, quia pecu» niam persolvisti, sed quia servi» tium praebuisti. Diceres enim, » fortasse non impudenter adstrue» res: carius emi dum tanto me » labore vexarem, dum toties fa» cultatum mearum sumptus expen» derem, quam si semel praefixae » quantitatis pecuniam numerarem. » *Nequaquam ergo sibi innocentiam* » *praebeant, et ea Simoniacae haereseos maculis se mundos esse* » *confidant, qui licet metalla vibrantia non appendant, pretium tamen pro suscipiendis honoribus* » *per subiectionis et obsequii quaedam quasi talenta persolvunt.* »

Ad rem Angelicus Doctor *2. 2. quaest. 100 art. 5 in O:* « Sicut » contrahitur simonia accipiendo » pecuniam vel quamlibet aliam » rem exteriorem (quod pertinet » ad munus a manu), ita etiam » contrahitur per munus a lingua, » vel ab obsequio ».

Hisce in genere praemissis quoad Simoniae nomen, et species, perpendendum est, quaenam requirantur ad hoc ut quis huius Capitis excommunicationem incurrat.

Ex tradita superius Simoniae realis definitione deducitur, ad eius constitutionem tria requiri.

1. *Intentionem* emendi aliquid spirituale vel huic adnexum pro temporali, et viceversa.

2. *Pactum onerosum* implicitum vel explicitum, ita ut si quis emat vel vendat rem spiritualem pro temporali aut viceversa absque praecedenti pactione, non incurrere videtur excommunicationem quia hoc in casu Simonia realis non est completa. Ad hoc autem ut incurratur censura, « actus peccati in » suo genere debet esse perfectus

» et consummatus, nisi expresse » aliud sonent verba legis; quia » poenae et odia sunt restringen- » da ». *S. Alph. l. VII n. 36.* Hinc *simoniam realem* quis non videtur committere si pro re temporali accepta rem spiritualem, aut viceversa pro spirituali accepta rem temporalem, tanquam compensationem ex iustitia debitam, alteri conferat. Hoc enim in casu deficeret pactum, ideoque haberetur simonia mentalis tantum, uti defendit cl. Ballerinius in notis ad Gury, *tom. I. p. 270.* Edit. Romanae an. 1878.

Ex hoc autem quod in Simonia, ut *Realis* dici possit, et poenae ab iure adversus hanc inflictae incurrantur, requiratur omnimode pactum onerosum, deducitur nunquam in Simonia Reali unam tantum partem poenas iuris incurrere. Cum enim pactum ex *l. 1. D. de pact.* definiatur: *Duorum vel plurium in idem placitum consensus,* fieri non posse videtur, ut una pars culpa careat, si pactio intercesserit et mutua rei traditio, quae omnino requiruntur ad constitutionem Simoniae realis etiam quoad effectum incurrendi poenas. Excipiendus forsan esset casus quo una pars ficte vel ignoranter huiusmodi crimen admitteret.

3. *Pactionis executionem* rei traditione. Hic fieri potest quaestio: utrum ad *Simoniam Realem* requiratur rei traditio ex utraque parte?

Sententia affirmans est communis; DD. enim communiter nomine *Simoniae conventionalis mixtae* intelligunt quae fit traditione rei ex aliqua parte tantum, ut supra notavimus, et tenent hanc non sufficere ad censuras incurrendas, cum non sit actus completus. Attamen ut traditio Simoniam Realem inducat, satis est ut ex utraque parte sit inchoata; ita communis DD. ac Theologorum sententia. Ex gr. Si quis pactum cum alio init solvendi 500 libellas pro collatione alicuius beneficii sibi facienda, eo ipso quo, beneficio accepto, aliquam libellarum, etsi minimam partem solverit, censura huius articuli innodatus dicendus est. Etenim hoc in casu adest traditio et acceptatio rei spiritualis pro aliquo pretio temporali, ideoque actus in genere suo completus videtur. Posset tamen dubitari utrum ad Simoniam realem sufficiat simplex promissio ex una parte, ex altera vero rei traditio. Caietanus in opusc. *De Simonia,* Sotus, Redoanus, aliique putarunt, revera Simoniam hoc in casu sufficere ad effectum incurrendi poenas a iure inflictas; atque hisce nituntur argumentis:

1. Ex ipsa sui natura, contractus venditionis perficitur vix contrahentes convenerint de pretio, quamvis hoc nondum numeratum fuerit; *leg. 2. ff. de contrahen. empt.* et § *1. Institut. de empt. et vendit.* (1) Atqui Realis Simonia

(1) *L.* enim *2. ff. de contr. empt.* haec habet: « Sine pretio nulla venditio » est; non autem pretii numeratio, sed conventio perficit sine scriptis habitam

committitur per emptionem vel venditionem rei spiritualis; ergo.

2. Irreligiosa contrectatio Rei Sacrae in nostro casu plene consummata est; ergo et Simonia Realis completa videtur.

3. His adde, in pluribus iuris textibus, poenis a iure latis subiici ordinationes, electiones etc. factas, *pecunia data vel promissa.*

Sed his non obstantibus, contrariae sententiae subscribendum putamus; hanc autem tenent etiam Suarez, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, aliique plures.

Et sane, nulla irroganda poena videtur nisi in iure clare expressa inveniatur; at in iure nulla invenitur expressa poena irroganda reis simoniae conventionalis mixtae; ipsi autem adversarii nostri hanc, de qua agimus, simoniam conventionalem mixtam vocant; qua ergo ratione reis huiusmodi Simoniae realis poena irroganda est?

Deinceps, nonne cum iura sunt dubia, *benignior in poenis est facienda interpretatio?* Nonne cum quaestio obscura est, et doctores hinc inde decertant, *minimum est sequendum?* Horum autem effatorum ratio nonne illa est, quod cum iura sunt dubia, de lege constare saltem in casu non videtur, ideoque non est applicanda poena per legem indicta?

Allata vero ab adversariis argumenta admodum solida non videntur. Non quidem primum petitum ex natura contractus venditionis; etenim etsi Simonia fiat emptione vel venditione rei spiritualis pretio temporali, requiritur tamen emptio vel venditio hinc inde perfecta. At in casu nostro perfecta dici non potest, cum traditio pretii nondum facta fuerit.

Atque advertendum est, in Simonia reali necessario requiri pretii traditionem, saltem ex parte, quia per hanc distinguitur ab aliis Simoniae speciebus. Qua de causa numquam habebitur Simonia realis sine ulla pretii traditione, fuerit etiam obsequium aut honor, cum hoc in casu deficiat ipsa Simoniae realis definitio.

Exinde vero corruit etiam secundum argumentum; quamvis enim irreligiosa contrectatio rei sacrae iam consummata sit, tamen deest conditio necessaria ad Simoniam realem constituendam, scilicet pretii traditio; at ubi deest conditio necessaria, Simonia non potest dici perfecta et completa, consequenter non possunt Simoniae applicari poenae contra reos Simoniae realis irrogatae, quia hae statutae sunt in eos qui actum Simoniae realis complete ponunt.

Nec ex citatis iuribus nostra evertitur sententia. Nam communiter Doctores docent, in illis Si-

» emptionem. » — Et in §. *1 Institut. de empt. et vendit.* legitur: « Emptio et » venditio contrahitur simulatque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium » numeratum sit ac ne arrha quidem data fuerit. »

moniam conventionalem poenis subiici non ipso facto, sed post iudicis sententiam. Qua de causa falsum esset reos eiusmodi incurrere censuras a iure latas ipso facto.

Si vero vice pretii tradatur chartula aliqua bancaria vel obligatio quaecumque in scriptis, hoc in casu putamus, Simoniam Realem completam esse, cum et chartula bancaria et obligatio solvendi scriptis facta, valorem pecuniae revera habeant, ita ut nostris diebus pro pecunia inter homines dentur et recipiantur.

Uti superius monuimus, *munus* seu pretium Simoniacum triplicis generis est, nempe *munus a manu, munus ab obsequio, et munus a lingua*. Quod Simonia contrahatur singulis muneribus est communis Doctorum sententia. Quaestio tamen est, an si quis singulis muneribus Simoniam Realem committat, censuras huius articuli incurrat.

De Varceno in *Compendio Theol. Moralis, Vol. I Tract. V, art. 6* §. 2 ait: « Simonia realis ut subiiciatur poenis debet esse a manu » Verum nullo argumento sententiam suam communit.

E contra omnes DD. asserunt *munus a lingua et munus ab obsequio* non secus ac *munus a manu*, esse aliquid temporale pretio aestimabile. Audiatur Angelicus in 2. 2. *quaest. 100 art. 5 in O.*: « Respondeo quod nomine pecuniae intelligitur cuiuscumque pretium quod pecunia mensurari potest. » Manifestum est autem quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur quae potest pretio pecuniae aestimari, unde et pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo temporali exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium pecunia aestimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quaerendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quae potest pecuniae pretio aestimari. Et ideo, sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam vel quamlibet aliquam rem exteriorem (quod pertinet ad munus *a manu*) ita etiam contrahitur per munus *a lingua* vel *ab obsequio*. » Quando igitur in Simonia invenitur intentio, pactio, ac pretium temporale quae tria ex Doctorum sententia Simoniam Realem constituunt, tenere debemus, huiusmodi Simoniae Reos poenas ab iure adversus Realem Simoniam inflictas incurrere, si pretium traditum fuerit vel munere *a manu*, vel munere *ab obsequio*, vel munere *a lingua*.

De hisce singulis muneribus aliquid dicere oportet, ut magis magisque eiusmodi caput declaretur.

a) Itaque *Munus a manu*, uti superius vidimus, *pecunia est*, quo nomine omne intelligitur quod pecunia aestimari potest. Notandum tamen, pretii exiguitatem non ex-

cusare a culpa gravi in Simonia ac proinde a poena, cum Alexander III *c. 20 De Simonia* non dubitarit Simoniacum vocare ac gravibus poenis coercere Clericum qui *sex* tantum *solidos* solverat ut ad Ordines promoveretur. Idem notat Glossa in *h. l.* verbis *sex solidos* addens rationem « *quia quantitas muneris* « *diversitatem iuris non inducit.* » Et rationabiliter; non enim in Simonia reali servanda est aequalitas rem inter et pretium, ut habeatur Simonia, sed satis est ut pretium temporale, quodcumque demum illud fuerit, solvatur pro re spirituali.

Ad *munus a manu* reducuntur: 1. *Debiti remissio;* si quis scilicet pro beneficio obtinendo debitum se remissurum promittat; ut constat ex *c.* Veniens *10 De Testibus et Attestationibus* (1) nec non ex pluribus aliis iuris textibus; non enim gratis accipit qui debitum remittit, sed pretio emit beneficium, oneroso contractu commutando rem spiritualem cum temporali. Etenim qui debitum remittit iam donat rem et pecuniam sibi debitam, et ille cui remittitur, accipit, uti habetur in *l. 2 ff. de Calumniat.* (2) Quod de remissione debiti dicitur, debet etiam intelligi de solutionis dilatione aut anticipatione. Nam si quis collator debeat hodie debitum solvere, et pactum iniret cum creditore se illi beneficium collaturum si solutionem debiti ad aliud tempus protrahere consentiat, nonne vere hic aliquid pecuniae saltem in mutuum accepisse videtur? Cum autem ex dicendis mutuatio pecuniae constituat munus a manu, patet hoc in casu verum munus a manu datum fuisse. Solutio debiti anticipata huc redit, ut quis usum pecuniae, quam anno sequenti accepturus fuisset, hodie ex. gr. accipiat, quod quidem est pretio aestimabile, ac proinde munus a manu vere constituit.

2. *Mutuatio pecuniae;* usus enim propriae pecuniae aliis concessus per se reapse est pretio aestimabilis ac proinde pretium simoniacum constituere potest. Ita communiter Theologi tenent ac Canonistae.

b) Iam animadvertimus, *Munus a lingua* esse favorem. Hinc Simoniam contrahere etiam illum DD. communiter tenent qui, pacto inito, confert alicui beneficium ut preces fundat apud principem, cuius familiaris est, ad aliquam gratiam pro ipso collatore obtinendam. Immo, ut notat Schmalzgrueber, etiamsi res obti-

1) En huius capitis verba: « Veniens ad Nos *(Alexander III hic loquitur)* » L. presbyter, sua relatione monstravit quod ei obiectum fuit quod in Ecclesia » de Oven. canonicum non habuerit ingressum quia promisisset unicuique paroe- » chianorum quinque Barillos vini remittere qui sacerdoti ibi pro tempore servienti » consueverant pro beneficio dari, etc. » Ex hoc capite omnes DD. arguunt, debiti remissione interveniente, canonicum ingressum non haberi in beneficio.

(2) Scilicet: Si quis obligatione liberatus sit, potest videri accepisse. »

nenda sit aliquid spirituale, puta beneficium.

Quaestio movetur; utrum dans pecuniam alicui ut beneficium a Pontifice vel alio Praelato preces, interponendo obtineat, Simoniam contrahat et quidem realem cum effectus sequutus fuerit. Hac in re puto optimam esse distinctionem quam tradit S. Alphonsus de Ligorio *Lib. III n. 64.* « Dicendum est » quod si des pecuniam Mediatori » non pro mediatione, sed pro la- » bore suscipiendo, vel damno su- » beundo, aut lucro amittendo ab » eo, et pecunia sit utique cum » illis proportionata, non est Si- » monia.

» Neque, si des illi pecuniam » ut tua merita simpliciter Episco- » po proponat, quia ad Simoniam » requiritur ut obtentio rei spiri- » tualis sit immediatus finis prae- » stationis pecuniae; non autem » sufficit quod sit quid consequens » ex alio immediato nullam habens » connexionem cum illo.

» E contrario dicendum est, » veram esse Simoniam si des pe- » cuniam mediatori non gratis ad » conciliandam illius amicitiam, ex » qua motus te adiuvet, sed cum » pacto ut intercedat ad rem spi- » ritualem obtinendam. »

Hoc enim in casu quamvis illa intercessio sit res mere temporalis, ac illam pecunia emendo, commutetur res temporalis cum alia temporali, tamen pecunia illa datur ut paretur sibi via ad rem spiritualem obtinendam; quod affirmat Divus Thomas *2. 2. Q. 100, a. 2 ad 5.* simoniacum esse. De cetero haec est communis sententia.

Aliqui argumentum hoc confirmare vellent auctoritate *Extr. II De Simonia,* quam superius retulimus; et prorsus ex illis verbis, quae ipse S. Alphonsus citat *lib. 3 n. 64.* scilicet: « Simoniam com- » mitti cum pecunia datur pro col- » latione, favore, seu mediatione ». Sed cum haec verba in allegata extravaganti omnino desiderentur, allatum argumentum per se corruit.

c) *Munus ab obsequio* consistit in servitute indebite impensa, quae aliquibus in casibus potest Simoniam Realem inducere, si pactum interfuerit. Hinc Simoniam Realem committit Episcopus vel Praelatus conferens beneficium famulo ut gratis sibi inserviat, vel ut servitium iam ab eo praestitum ex antecedenti pactione, compenset. Item famulus Simoniae Realis poenas incurrit si gratis Episcopo inserviat inita pactione obtinendi ob servitutem beneficium. Semper autem prae oculis tenendum est, ad Simoniam Realem omnino pactionem requiri. Hac de re S. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis, « *Mo-* » *nuit atque obtestatus est Episco-* » *pos aliosque quibus ius est confe-* » *rendi beneficia, ut familiaribus* » *suis certam mercedem constituant,* » *ne illi hoc subsidio destituti Be-* » *neficia Ecclesiastica tamquam* » *suae operae et laboris pretium*

» *praecipue sibi proponant.* » (*Ex actis Syn. Mediol.*)

Verum quaestio hoc in loco moveri poterit; utrum Simoniaci sint Canonici aliique Sacerdotes assumentes in explendis oneribus suorum beneficiorum Vicarios, qui exiguo contenti sunt stipendio, spe consequendi beneficium? Van-Espenius, *Iur. Eccles. Univ.P. II, Sect. III, tit. XIII, cap. 2, n. 19,* affirmativam sententiam docet. Verum ad sententiam negativam tuendam nos impellunt.

1. Praxis Ecclesiae Romanae, cum in ipsa Urbe in qua Romani Pontifices resident, usus vigeat ut Canonici senectute vel morbo laborantes, aut alia iusta causa impediti ad onera Beneficii personaliter explenda, sumant Coadiutores qui nullo, vel exiguo contenti sunt stipendio spe certa consequendi beneficium, cum ob mortem Coadiuti vacaverit; si enim hoc in casu Simonia aliqua adesset, RR. Pontifices utpote Domus Dei Speculatores consuetudinem huiusmodi abrogarent.

2. Ipsum obsequium quod ab huiusmodi Vicariis praestatur. « Duplex obsequium distingui solet, » inquit Suarez *T. I, de Religione Tract. III, lib. IV, cap. 39,* temporale scilicet et spirituale. Obsequium temporale dicitur omne opus hominis, quod ad usus et commoditates hominis sive corporis, sive animae in sua tantum naturali perfectione spectatae, ordinatur. Spirituale autem obsequium est omnis functio spiritualis. *De obsequio spirituali est certum, illud secundum se spectatum et ex natura sua non posse esse pretium rei spiritualis ad simoniam sufficiens,* quia in commutatione rei spiritualis pro alia spirituali non committitur simonia ». Patet ergo obsequium ab huiusmodi coadiutoribus praestitum esse mere spirituale. Commutationem autem rei spiritualis cum alia itidem spirituali esse simoniam tenent DD. in his tantum casibus in quibus Ecclesia commutationes inter spiritualia prohibet. Hic autem videtur non solum hanc consuetudinem Ecclesia tolerare, sed quodammodo approbare, cum ad huiusmodi coadiutorum electionem requirantur Bullae Institutionis non secus ac in electionibus ad beneficia alterius cuiuscumque generis. Qua de causa huiusmodi coadiutores habentur et sunt veri beneficiarii.

Huiusmodi munera dare pro spirituali semper simoniam esse iam vidimus, ita ut si hoc fiat in beneficiis, et praeter munerum traditionem pactio interveniat, haberemus simoniam realem in beneficiis quae hoc piano capite excommunicatione R. Pontifici reservata mulctatur. Aliqui tamen non defuere qui putarunt nullam simoniae labem inesse si munus non tamquam pretium rei spiritualis detur, sed dumtaxat tamquam motivum, ex quo alter

ad dandam rem spiritualem moveatur. Hac super re duae extant propositiones ab Innocentio XI die 2 Martii 1679 damnatae; quarum una est num. 45: « *Dare temporale* » *pro spirituali non est simonia,* » *quando temporale non datur tam-* » *quam pretium, sed dumtaxat* » *tamquam motivum conferendi vel* » *efficiendi spirituale, vel etiam* » *quando temporale sit solum gra-* » *tuita compensatio pro spirituali,* » *aut e contra.* » Altera vero n. 46, extat et sic fertur: « *Et illud lo-* » *cum habet etiamsi temporale sit* » *principale motivum dandi spi-* » *rituale, etiamsi sit finis ipsius* » *rei spiritualis, sic ut illud plu-* » *ris existimetur quam res spiri-* » *tualis.* » De vero harum propositionum sensu, confer Viva, in opere cui titulus *Damnatarum thesium Theologica trutina.*

II. Ex dictis satis superque patere arbitramur, quinam censendi sint rei simoniae realis. Inquirendum nunc est an S. R. E. Cardinales, Episcopi, aliique maiores praelati huius capitis excommunicationem incurrant, quamvis eiusmodi simoniae reatu sese commaculent.

Et imprimis fatemur, ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* excommunicationi latae in reos simoniae realis subiectos fuisse etiam S. R. E. Cardinales, Episcopos et maiores Praelatos; uti constat tum ex Extrav. *Cum detestabile* Pauli II quam supra retulimus, tum ex Constitutione s. Pii V incipien. *Cum primum* qua Paulinam Constitutionem confirmavit ac ex parte innovavit. In utraque enim S. R. Ecclesiae Cardinales, Episcopi, ac maiores praelati apertis verbis nominantur.

Quaerimus ergo: sub lata excommunicatione comprehendendi ne sunt etiam post Pianam Constitutionem?

Non pauci inter commentatores, uti Reatinus, Patavinus, De Varceno aliique sententiam affirmantem tuentur. Patavinus hisce nititur argumentis:

1. Huius capitis excommunicationem desumptam fuisse ex extravaganti Pauli II; hunc vero excommunicationem ferre in « universos » et singulos, cuiuscumque status, » gradus, ordinis, conditionis vel » praeeminentiae fuerint, etiamsi » Cardinalatus, Patriarchali, Episco- » pali, regali, aut alia quavis eccle- » siastica seu mundana dignitatibus » exornati fuerint. »

2. Ex regula generali quae statuit, excommunicationibus in iure latis obnoxios esse omnes cuiusvis gradus aut conditionis, eosque tantummodo esse excipiendos, qui expresse declarantur excepti a legislatore; at in nostro articulo nullos excipi.

3. Nihil obstare quod in articulo sequenti indicatur expresse excommunicatio in omnes *reos simoniae confidentialis, cuiuslibet sint dignitatis.* Nam ibi peculiaris occurrit ratio addendi expresse ea

verba. Quam rationem dat art. IX his verbis: « Verum quaeret fortasse quispiam, cur additae eae voces fuerint, cum excommunicationes generales ex regula generali omnes indiscriminatim inficiant?

» Ad hanc dubitationem declarandam sciendum est, Pium IV in sua Constit. *Romanum Pontificem* indixisse *interdictum ab ingressu Ecclesiae* in Cardinales, Episcopos, Archiepiscopos, aliosque maiores praelatos, qui sese simoniae confidentialis reatu obstringerent; in reliquos autem eiusdem sceleris reos tulisse *excommunicationem R. Pontifici reservatam*. Sciendum insuper est s. Pium V in Const. *Intolerabilis* protendisse eamdem excommunicationem ad *omnes et singulos* qui *confidentialem simoniam* committerent, simulque declarasse (die 14 Novembris 1569), *omnes S. R. E. Cardinales in constitutione et literis praefatis, ac singulis earum partibus etiam quoad privationes, omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis contentas comprehendi*.

» Post declarationem tam aperta nulla amplius dubitandi ratio superesse videbatur, circa extensionem huius excommunicationis. Nihilominus theologi non pauci, quos inter Navarrus *c. 23, n. 109 et 200*, Azorius *part. 3, lib. 12, cap. 10*, Filiuccius, Sayrius, Laymann, quorum opinionem non reiicit Reatinus Commentator (n. 97) (1), non pauci, inquam, theologi ab excommunicatione excipiebant Cardinales, Episcopos et alios maiores praelatos, et interdicto dumtaxat eosdem subiacere autumabant. Verum ad quaestionem omnem e medio tollendam prodiit tandem nova lex et nova Pii IX Constitutio, in qua expresse decernitur, omnes et singulos qui committunt simoniam confidentialem, cuiuscumque dignitatis sint, excommunicationi R. Pontifici reservatae esse omnino subiiciendos. »

Cum autem nec eiusmodi ratio nec alia (ita, ni opinio me fallit, vult cl. Patavinus argumentari) militet pro cap. praecedenti, quo excommunicantur rei simoniae realis, praetermissi fuere S. R. E. Cardinales, eo quod sine ullo dubio sub capite erant comprehendendi.

(1) Reatinus in Editione anni 1873 nedum non reiecerat, sed probaverat horum theologorum sententiam: scripserat enim: « ideo enim heic recensuit *cuiuscumque dignitatis homines*, ut comprehenderet S. R. E. Cardinales et Praelatos, qui antea solius interdicti ab ingressu Ecclesiae tenebantur. » At in postrema Editione anni 1880 eiusmodi sententiam ita exposuit, ut eam neque probare neque improbare videatur. Etenim post *Praelatos* addidit: qui antea *ex multorum sententia* solius interdicti etc. At opinio haec nullo solido argumento defendi poterat, si citator. theologorum auctoritatem excipias.

Ad haec cl. De Varceno *Compend. Theologiae moralis Tom. II, pag. 470, n. 5* duas alias rationes addit; comprehendi scilicet sub excommunicatione etiam Cardinales, *tum quia articulus generatim loquitur, tum quia haec simonia est intrinsece mala.*

Verum haec non ita firma videntur, ut per ea sententiam abiicere debeamus, qua arbitramur, saltem Cardinales, sub piano Capite non comprehendi.

Et 1. Cardinales, in *Extravaganti* Execrabilis *de Praebendis*, lata a Ioanne XXII aequiparantur regum filiis « Cardinalibus » tamen, inquit Ioannes, sanctae » Romanae Ecclesiae qui circa nos » universali Ecclesiae serviendo sin» gularum Ecclesiarum commodi» tatibus se impendunt, ac regum » filiis, qui propter sublimitatem » eorum ac generis claritatem (1) » sunt potioris praerogativa gra» tiae attollendi, dumtaxat exce» ptis ». Atqui Regum filii, seu personae regii sanguinis in poenalibus non comprehenduntur, nisi exprimantur; ergo neque Cardinales.

2. Eiusmodi vero cardinalium privilegium propugnant Doctores probatissimi, quos inter Felinus in *Cap.* Quia *de sententia excommunicationis in 6,* Barbosa *Iuris Eccl. Univ. lib. 1, cap. 4, n. 60,* Sanctarelli *Variar. Resolutionum q. 2, n. 22,* Mandos. *reg. 19, de infirm.* Bellencin. *De Charit. subsid. q. 66,* Cohellius *Notitia Cardinalatus cap. 16, privileg. 26,* Plati *De Cardinalis dignitate et officio. Appendix Synopsis privilegiorum S.R.E. Cardinalium n. 58,* De Luca *Il Cardinale prattico cap. 19, n. 11,* et novissime Vecchiotti *Inst. Can. lib. II, §. 39.*

His accensere iure possumus s. Alphonsum, qui *Theol. Moralis lib. VII, n. 15,* haec inquit: « Si » censurae sint a iure, eas nec etiam incurrunt Episcopi aut Cardinales, nisi de ipsis expressa » mentio fiat, *ex cap.* Quia periculosum *de sentent. excomm. in 6.* » Hoc tamen aiunt Salmanticenses » cum *Pal. Suar. Bon. Sayr. et comm.* dumtaxat intelligi de suspensione et interdicto, de quibus fit mentio in dicto capite, » non autem de excommunicatione cui subiacent Episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio » fiat. »

Quo in testimonio videmus, s. Alphonsum *unos Episcopos* excommunicationi subiicere, non autem cardinales, qui nullo quidem iure, sed consuetudine eiusmodi privilegio fruuntur, prout eo ex consuetudine gaudent regii sanguinis personae. Et quidem non immerito; censentur enim Cardinales, ut inquit Felinus loc. cit., partes

(1) Glossa ad haec verba haec inquit: Curialior est hic Papa quam Hostiensis qui notat s. *de praebendis Venerabilis*, quod disputare de notabilitate generis est disputare de nobilitate stercoris.

corporis Papae, atque Ecclesiae principes; incongruum autem videtur, ut poenis in iure latis ii, aut alii quilibet subiiciantur, qui et regendae Ecclesiae, et condendis legibus ipsi Papae perenniter adsistunt; atque de cetero tali gradu et praerogativis fruuntur, qui censeri nequeant, generice loquendo, sanctissimarum legum de eorum etiam consilio statutarum, transgressores. Addimus, simoniam plerumque committi vel egestate, vel avaritia: hisce autem plerumque cardinales non affici; ita ut affirmare possimus, fere inutiliter eos sub eiusmodi poena comprehendi.

Neque quis contra nos urgeat s. Pii V relatam excommunicationem sub qua etiam Cardinales comprehendebantur; eo enim tempore hi plurimo servorum comitatu stipabantur, atque *tanta convenientia* incedebant, ut ingentibus pecuniis ad expensas sustinendas indigerent; qua de causa et ipsi beneficia, commendas, praebendas opportune et importune venabantur, et in ordinem redigendi erant. At nostro aevo, paucis servis contenti et modesto comitatu, indigere non possunt, praesertim quod expensae diminutae fuerint, integra autem remanserit pecunia assignata.

Sed quidquid sit de hac postrema ratione, certum est praefatorum auctorum sententiam niti ipsi Pontificio iuri. Cum enim s. Pius V in Constitutione *Intolerabilis* quamvis sub latis censuris etiam S. R. E. Cardinales comprehenderit, tamen quia in clausula de ipsorum privilegiis abrogandis disertis verbis mentionem non fecerit, ipsi Cardinales putabant, et de re ad ipsum s. Pium V querelas tulerunt, se sub illius constitutionis poenis non comprehendi: « Hodie in consistorio » nostro secreto, inquit s. Pius V » *in Extensione quae sequitur Con-* » *stitutionem,* ut moris est, accepto quod a nonnullis praetendebatur, S. R. E. Cardinales, obtentu privilegiorum sub constitutione nostra de confidentiis beneficialibus, saltem quoad privationem, censuras et alias poenas » in constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum specialem et » expressam de dictis Cardinalibus » et privilegiis mentionem, minime » comprehendi, licet aliter mentis et intentionis nostrae fuerit, » quemadmodum et ex litteris » dictae constitutionis colligi posset. »

» §. 1. Ad tollendum tam omne » dubium, atque impedimentum, » quominus Constitutio praefata, » commune bonum et salutem animarum concernens, plenarium » effectum sortiatur, declaravimus, » omnes S. R. E. Cardinales in » constitutione et literis praefatis singulis earum partibus, etiam » quoad privationes omnesque et » singulas censuras et poenas in » ipsis literis contentas comprehendi, ac contrafacientes privatio-

» nes, censuras et poenas ipsas in-
» currere volumus eo ipso. »

» §. 3. Ac privilegia praefata...
» ad effectum praefatorum revoca-
» vimus et annullavimus, viribus-
» que et effectu quoad haec pror-
» sus carere decrevimus (1).

At ex hisce apparet: 1. Cardinales sub poenalibus non comprehendi nisi in poenarum impositione de ipsis eorumque privilegiis expressa mentio fiat.

2. Satis non esse unam Cardinalium, sed etiam privilegiorum quibus gaudent mentionem requiri.

3. Ob praetermissam Cardinalium et privilegiorum mentionem Doctores iudicasse, eos sub Pii V Constitutione non comprehendi.

4. Eiusmodi exceptionem rationabilem s. Pontificem iudicasse, eaque de causa appositam declarationem edidisse.

5. Cardinalium privilegia a sancto Pio V abrogata fuisse relate tantummodo ad *effectum praefatorum*, scilicet ad incurrendas poenas latas contra reos simoniae confidentialis, de qua agit eius Constitutio.

6. Relate igitur ad simoniam realem, (versamur enim in odiosis) Cardinalium privilegia integra manent.

7. Hinc cum in praesenti c. VIII, quo Pius Papa IX excommunicat reos simoniae realis, Cardinales non nominaverit, eos sub lata excommunicatione voluisse comprehendere censendus non est.

Idipsum probamus ex loquendi ratione a Legislatore adhibita hac in quaestione de simonia; cum enim in sequenti capite de simonia confidentiali quascumque Dignitates sub latis poenis comprehendere vellet, addidit verba *cuiuscumque dignitatis*. Cum itaque eiusmodi verba in capite de simonia reali non adhibuerit, saltem exclusos illos censere debemus, qui privilegio exclusi censentur, nisi exprimantur. Tales autem sunt Cardinales.

Insuper nemo negare poterit, inclusionem Cardinalium in praesenti capite importare extensionem quamdam legis; statuitur enim, eos comprehendi sub lege poenali, qui privilegio gaudent ne comprehendantur, nisi exprimantur; at ad extensionem legis praesertim odiosae requiritur principis auctoritas. Ergo ni declaratio aliqua authentica emittatur, qua exprimatur, Cardinales quoque comprehendi sub poenis latis contra reos simoniae realis, comprehendendi nullo pacto sunt.

Demum, in facto sub lata poena Cardinales non esse comprehendendos illa persuademur sententia ab omnibus doctoribus probata, neminem scilicet uti excommunicatum esse habendum, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione eximat; non negabunt autem lectores nostri, exposita a nobis argumenta sat esse probabilia.

Verum obiectis difficultatibus respondendum est.

Et relate ad 1. Nescimus quo-

(1) Habetur in Bullario Romano Vol. VII, pag. 758, Edit. Taurinen.

nam argumento Patavinus commentator probet, pianum caput desumptum fuisse ex Const. *Cum detestabile* a Paulo II lata. Etenim praeter Paulinam, aderat etiam s. Pii V Constitutio *Cum primum*, in qua reos simoniae realis censura ferit his verbis: « Qui vero » ordines et beneficia simoniace » contulerint, poenis a iure statutis » puniantur, cuiuscumque gradus, » conditionis et dignitatis fuerint, » etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, » vel maiores fuerint. » Et ut sincere loquamur nobis videtur Pius PP. IX potius a s. Pii V Constitutione caput suum sumpsisse, quam ex Paulina; verba enim a Pio IX adhibita accedunt potius ad illam, quam ad istam. Atqui in Constitutione sancti Pii V Cardinales non exprimuntur, et proinde excommunicationem ob eiusmodi simoniam non incurrunt; ergo neque in praesenti capite eam incurrere dicendi sunt.

Sed esto: desumptum sit pianum caput ex constitutione Paulina. Exinde minime sequitur, cardinales praesentem excommunicationem incurrere, eo quod incurrebant Paulinam; primo quidem quia cum a s. Pio V excommunicati iterum fuerint rei simoniae realis in beneficiis, atque nominaverit quidem ceteras ecclesiasticas dignitates, Cardinales autem praetermiserit, censendus est, quoad hanc partem, Pauli II Constitutionem non innovasse; idque eo vel magis quod in clausula derogatoria, cum aliorum privilegiis derogaverit, derogasse non legimus privilegiis Cardinalium. Deinde vero certum est, s. Pii V aetate viguisse principium, Cardinales in poenalibus non comprehendi, nisi de ipsis, eorumque privilegiis expressa mentio fieret, ut patet ex cit. extensione Constitutionis *Intolerabilis* circa simoniam confidentialem, in qua debuit et Cardinales expresse nominare, et eorum privilegia expresse quoad hunc effectum abrogare, ut eos sub lata excommunicatione comprehenderet. Cum itaque s. Pius V Cardinalium privilegia circa simoniam confidentialem tantummodo abrogaverit; dicit enim *ad effectum praefatorum revocavimus et annullavimus, viribusque et effectu quoad haec* (simoniam confidentialem) *prorsus carere decrevimus*, circa alia intacta Cardinalium privilegia conservasse dicendus est. Ergo tempore s. Pii V Cardinales excommunicationem ob reatum simoniae realis non incurrebant nisi exprimerentur; atqui eiusmodi privilegium a successoribus Pontificibus abrogatum non novimus, et neque a Pio Papa IX. Ergo eiusmodi privilegium adhuc Cardinalibus manet; ideoque sub censura piani capitis non debent comprehendi. Demum a clar. Patavino commentatore quaerimus: an sub piano capite reges comprehendantur? Profecto id numquam affirmaverit, cum sciat, hos in poenalibus excipi nisi disertis verbis exprimantur; atqui tamen non essent

excipiendi, quia in Pauli II Constitutione etiam Reges comprehenduntur.

2. Neque solidius secundum argumentum censeri debet; censuris enim in iure latis nedum sunt excludendi illi, quos legislator excludit, sed etiam illi qui ex iure constituto excipiuntur, sive hoc ius in lege fundetur, sive in consuetudine quae vim legis habeat; ni enim id admittamus, supponere debemus abrogata esse iura, quae abrogata non sunt, sublatasque consuetudines etc, quas sublatas nescimus, et Legislatorem admodum inconsulto agere, cum sine ulla legum vel consuetudinum vigentium revocatione, eas e medio tollere praesumat, quod admitti non potest.

Cum igitur legislator noverit, (ignorantia enim iuris in Legislatore non supponitur) Cardinales, et Reges in poenalibus non comprehendi, nisi exprimantur, eos nominare omnimodis debebat ut comprehenderentur, prout fecisse Paulum II novimus, aliosque. Atqui Pius Papa IX nec Reges, nec Cardinales nominavit, ergo eos comprehendere sub suo Capite noluit.

3. Summopere vero sententiae Patavini obstat tertia difficultas ab eo producta. Si enim Legislator ut sub censura lata contra reos Simoniae confidentialis etiam Cardinales comprehenderet, addidit verba *cuiuscumque dignitatis*, quare idipsum non praestitit in capite nostro, quo excommunicantur rei Simoniae realis? Idque multo magis facere debuisset. Si enim, ut vult Patavinus, ideo in capite de Simonia confidentiali citata intulit verba, ut illorum Doctorum sententiam eliminaret, qui putabant Cardinales interdicto quidem, non autem excommunicatione ob reatum Simoniae confidentialis teneri, quae sententia, post S. Pii V declarationem omnino improbabilis evaserat, multo magis verba cuiuscumque dignitatis inferre debuisset in capite de simonia reali, cum Legislator sciret, Cardinales sub poenis non comprehendi nisi exprimantur; haec autem ratio valde prae altera potentior est.

De cetero, nullo probat Patavinus argumento, Pium Papam IX verba *cuiuscumque dignitatis* adiecisse ut quaestionem illam dirimeret; sicut nullo probat argumento ob unicam illam rationem adiecisse. Qua enim ratione everteret illorum sententiam qui dicerent, citata verba a Pio Papa IX adiecta fuisse, nedum ut opinionem illam excluderet, quod minus erat; sed multo magis ut inter reos Simoniae confidentialis etiam Cardinales comprehenderet, qui sin minus, saltem ex recepta consuetudine, eorumque privilegiis, comprehensi non fuissent? Demum, an Cardinales comprehendantur inter illos qui excommunicationem incurrunt ob reatum Simoniae confidentialis in commentario sequentis capitis expendemus.

4. Neque nobis solidiores vi-

dentur rationes a cl. de Varceno allatae; non quidem prima deducta ex quo articulus generatim loquatur. Etenim in lege generali non comprehendi intelliguntur illi, qui ex aliquo iure excipiuntur, nisi ius revocetur, vel abrogetur. Deinde nonne etiam articulus VII, quo excommunicantur mulieres violantes clausuram regularium virorum generatim loquitur? Qua ergo de causa ipse *tom. cit. pag. 468, n. 4* inquit: « Reginae et Imperatrices » ac ipsarum filiae cum decenti » familia seu comitatu absque li- » centia ingredi possunt Monasteria » Religiosorum? »

Atque eiusmodi exceptionem admittit, quia Suarez, Sanchez, Bonacina et alii praedictas personas excipiunt. Si ergo ex quo nonnulli praestantissimi doctores Reginas etc. ex illo capite excipiant, De Varceno quoque illas excipit; quare ex capite nostro non excipit Cardinales, quos nedum praestantissimi Doctores excipiunt, sed legitima et antiquissima consuetudo, quae vim legis habet, quaeque revocata non fuit, esse excipiendos docet?

5. Fortasse ne *quia haec Simonia est intrinsece mala;* quae ratio constituit alterum argumentum a cl. De Varceno adductum?

Verum committere quod est intrinsece malum utique non excusabit a peccato, excusabit autem a censura. Nos non loquimur de peccato, sed de censura adnexa peccato, quae est quid extrinsecum, et auctoritate ecclesiastica inductum. Quare cl. De Varceno per huiusmodi rationem confundit intrinsecam peccati malitiam, cum poena, quam peccato illi Legislator adiunxit. Hinc Papa utique non potest Cardinales nec alium quemlibet eximere ab reatu Simoniae realis incurrendo, quia non potest in iure divino directe dispensare; potest autem illos eximere ab incurrenda poena ecclesiastica, quam ipse intulit. Non enim Deus, sed Papa excommunicationem intulit in reos Simoniae realis. Deus intulit poenam inferni, e qua Papa, quamvis Vicarius Christi, nec Cardinales nec alium quemlibet liberabit, nisi hi de peccato admisso sincere doleant. Ratio igitur adducta ad rem non facit, et nihil probat.

Hisce tamen difficultatibus aliam nos addimus, quae gravior videri poterit, et omnimodis dissolvenda.

Paulus II in Extravaganti citata sub excommunicatione lata contra reos Simoniae realis etiam Cardinales comprehendit; eos igitur quoad hanc privilegio expoliasse dicendus est; cum vero Caput Pianum sit generale, ratio non apparet, quare Cardinales sint excipiendi.

Verum et eiusmodi difficultas nullius est ponderis. Cardinalium enim privilegium a Paulo II ideo abrogatum dicendum est, quia eos disertis verbis nominavit, at eorum privilegia minime abrogavit; qua de causa in successorum Pontificum Constitutionibus Cardinales in poe-

nalibus toties quoties erant nominandi; id patet ex s. Pii V facto, et ex doctorum sententia. Cum ergo Pius Papa IX sub poena lata contra reos Simoniae realis Cardinales expresse non comprehenderit, neque eorum privilegia abrogaverit, eo ipso quod eos praetermisit, noluisse eos comprehendere censendus est. Etenim in legum renovatione vel excepti sunt semper nominandi, ut comprehendantur, vel saltem nominanda et confirmanda est lex anterior in qua excepti non fuere.

Quidam hoc privilegium probare vellent ex cit. *cap. Quia periculosum De sententia excom. in 6*, quod ita se habet: « Quia periculosum » est Episcopis et eorum superio- » ribus propter executionem Pon- » tificalis officii, quod frequenter » incumbit, ut in aliquo casu in- » terdicti vel suspensionis incurrant » sententiam ipso facto; Nos deli- » beratione provida duximus sta- » tuendum, ut Episcopi et alii » Superiores Praelati nullius Con- » stitutionis, occasione sententiae » sive mandati, praedictam incur- » rant sententiam ullatenus ipso » iure, nisi in ipsis de Episcopis » expressa mentio habeatur. »

Attamen hoc in capite Pontifex loquitur tantum de interdicto et suspensione, non autem de excommunicatione, ut ex Salmanticensibus notat S. Alphonsus *loc. cit.*

III. Inquiramus nunc oportet quid intelligant Doctores nomine beneficii; quaenam efforment eius essentialia constitutiva; quaenam sint beneficia quae hoc sub articulo Pius Papa IX comprehendere voluit, et quomodo Simonia realis in beneficiis committi possit.

Et relate ad primum quaestionis caput: *Beneficium* communiter definitur *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium spirituale auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Duo ergo ad beneficii constitutionem requiri videntur: primo scilicet *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Secundo *officium spirituale*, quod tribuit beneficiario ius percipiendi fructus.

Quoad primum constitutivum; ius intelligitur de iure vere spirituali, quia connexum est consequenter spirituali officio; dicitur autem *ius perpetuum*, quia perpetuitas pertinet ad naturam beneficii, ita ut quodcumque ius fructus percipiendi absque perpetuitate, beneficii nomine venire non potest.

Attamen duplex genus perpetuitatis distingui potest; alia scilicet *obiectiva*, alia vero *subiectiva*. *Obiectiva perpetuitas* est quae competit beneficio ita ut semel ac erectum sit, non possit absque Pontificis auctoritate tolli. Perpetuitatem huiusmodi ingenitam dici, et esse de essentia beneficii consentiunt omnes Doctores.

Perpetuitas *subiectiva* potius

Beneficiarium quam Beneficium respicit, et consistit in eo quod Beneficia ad vitam Beneficiarii conferri debeant neque sint ad nutum revocabilia; excipitur tamen Apostolicum Beneplacitum, quia Papa *omnia iura in scrinio pectoris sui habere censetur.*

Quamvis aliqui contradicere videantur, tamen fere omnes DD. ad Beneficii constitutionem hanc perpetuitatem absolute requirunt: distinguunt enim inter Beneficium stricte acceptum et Beneficium simpliciter sumptum. Illud asserunt requirere hanc subiectivam perpetuitatem, non ita hoc secundum quod solam perpetuitatem obiectivam habere potest. Ita Azor *p. 2 l. 3 cap. 26 q. 12.* Lessius *l. 2 de Iustit. cap. 34 n. 3,* Leurenius *Forum Beneficiale p. 1 sess. 1 cap. 1 quaest. 4,* Pirhing *in III Decretal. Tit. V n. 3,* Wiestner *cod. loco n. 6,* Schmier *Tract. de Person., reb. et iurib. eccl. p. 2 cap. 3 n. 8, 9, et 10,* Schmalzgrueber *Tomo III P. I Cit. 5, n. 4* Reiffenstuel *in tit. V lib. III Decretal. num. 52,* Fagnanus *in cap.* Ad audientiam *de Rescriptis n. 118*, et novissime Clarissimus De-Angelis *Praelect. Canon. tom. 2 p. 1 tit. V n. 17.* Cum ergo nos in materia odiosa versemur, et lex odiosa sit stricte interpretanda, putamus Pium PP. IX illa Beneficia tantum comprehendere voluisse quae revera perpetuitatem tam obiectivam, quam subiectivam adnexam habent, scilicet Beneficia stricto sensu accepta.

Quod autem de Beneficio additur esse ius perpetuum *percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae,* dicitur non solum de reditibus, sed etiam de praeminentiis, honoribus, dignitatibus quae ipsi Beneficio insunt. Reditus vero sunt ex *bonis Ecclesiae* quae possunt esse sive in bonis *mobilibus,* sive in *immobilibus,* ut plerumque contingit.

Hinc cum praesertim in Gallia ac in Belgio antiquae Ecclesiae possessioni subsistuta sit assignatio quaedam a Gubernio persolvenda pro Canonicatibus ac Paroeciis, Beneficia veri nominis canonicatus et Paroeciae iis in regionibus censeri debent; ideoque defendi non potest assertio Emery qui in praefatione operis cui titulus *Nouveaux Opuscules de Fleury* asserere non dubitavit, Beneficia Ecclesiastica veri nominis non amplius in Gallia subsistere; (1) id enim sustineri nullimode potest, ut probat Clar. De Angelis *l. c.* adversus Minghetti, cum S. Poenitentiariae decretum

(1) In eius verba: « L'*Église de France a été dépouillée en totalité de ses » biens; il n'y a donc plus de biens ecclésiastiques et qu'on puisse dire consacrés à Dieu; il n'y a donc plus de bénéfices.* » — Eamdem sententiam tenuit Eminentissimus Cardinalis Thom. M. I. Gousset in opere *Conférences d'Angers:* attamen S. Poenitentiariae Decretis permotus opinionem suam laudabiliter retractavit in *Theologia Morali, Vol. 1. n. 452.*

habeatur sequentis tenoris: Die 19 » Ianuarii 1819; a S. Poenitentia- » ria quaesitum fuit an salaria *quae* » *in Belgio solvuntur Pastoribus* » *et Canonicis induant naturam* » *Beneficiorum, seu Bonorum Ec-* » *clesiasticorum....;* S. Poenitentia- » ria rescripsit iam alias a S. Sede » rescriptum fuisse. *Affirmative* » (1)

Hoc autem ius fructus percipiendi debet esse constitutum *Ecclesiastica auctoritate.*

Alterum Beneficii constitutivum est Officium spirituale. *Beneficium* enim *datur propter officium,* ita ut quodlibet ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae absque ullo spirituali onere, Beneficii nomine non appellatur.

Ex his quae hactenus exposuimus deduci possunt regulae ad dignoscendum beneficium Ecclesiasticum; eas tradit Schmalzgrueber *l. c. n. 6,* idest:

1. Debet ab Episcopo vel alio Praelato conferri.

2. Debet soli Clerico tribui, cum laicus incapax sit Beneficii Ecclesiastici.

3. Debet adnexum habere aliquod onus spirituale.

4. Conferri debet in titulum, et quidem pure, seu absque pacto, modo vel conditione quae ex natura Beneficio non insit, nec pro commodo seu pretio temporali.

5. Debet adnexam habere perpetuitatem, obiectivam scilicet si late accipiatur, subiectivam vero si stricto sensu appelletur.

His autem regulis innixi aliisque principiis superius expositis:

Sub hoc articulo putamus non comprehendi Simoniam realem 1. in *Commendis* admissam, quae non ad vitam Beneficiati, sed temporarie ordinario conceduntur; qua de causa si data sit Commendatario in perpetuum, censetur verum beneficium; tribuit enim perpetuum ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter spirituale officium, et confertur auctoritate Pontificia; nihil ergo deest ad rationem veri Beneficii; subscribendum hinc putamus Reiffenstuel *in tit. V lib. III. Decretal. n. 79* ac Schmalzgrueber *eod. tit. n. 7* qui plures pro sua sententia allegat auctores, veri beneficii naturam hoc in casu commendae tribuentibus. Si autem non conferatur in perpetuum, cum desit unum ex praecipuis Beneficii constitutivis, nullimode teneri potest ut verum Beneficium, ac proinde Simonia Reali super ea intercedente, huius capitis excommunicatio non incurritur. Commenda autem dicitur *Custodia Ecclesiae alicui commissa.*

Quaestio fieri posset super Commendis ordinum Militarium, uti erant Ordines S. Ioannis Ierosolimi-

(1) Vide Bouix *De Capitulis* supp. I. p. 661-665 et Craisson n. 5379-5381 *Manual. Iur. Canon.* Id autem ob conditionis paritatem, extendi potest ac debet etiam ad Pensiones quae loco Beneficiorum inique ablatorum sive ab Italico, sive ab aliis Guberniis Beneficiariis solvuntur.

tani, S. Mariae Teutonicorum, etc. Attamen, quamvis inter Beneficia eas non recenseant plures DD. cum Barbosa *Iur. Eccl. Univ. l. 3 c. 7 n. 9*, manualis Beneficii naturam eas habere communior sententia est. Cum vero manualia Beneficia ad nutum revocabilia in odiosis nomimine Beneficiorum non veniant, incurri excommunicationem non putamus si super iis simonia realis committatur, quamvis fateamur semper illicitum id esse.

2. *In Praestimoniis. Praestimonium* communiter definitur *stipendium ab Ecclesiae reditibus abstractum quod dari solet Canonicis aut Clericis in vitae subsidium*, Piani capitis censura non contrahitur si Simoniacae pactiones intercedant super praestimoniis temporaneis, idest favore personae etiamsi ad vitam concessis; attamen cum Fagnanus in *cap.* Ad audientiam *n. 62 de Rescriptis* testetur, in Hispaniis habita aliquando fuisse praestimonia, obitu eius qui ea antea acceperat, vacantia, veri Beneficii nomine huiusmodi Praestimonia appellanda esse censent DD. ex *c. ult. de Concess. Praeb. in* 6, ubi ita legitur. « *Concessione super Canonicatibus, Dignitatibus, Praestimoniis et aliis quibuscumque* » Beneficiis *Ecclesiasticis.* »

3. Eadem de causa, nempe propter perpetuitatis deficientiam, inter Beneficia stricto sensu accepta, non sunt accensendae paroeciae omnes quae in Gallia, Belgio et Sabaudia succursales vocantur, cum ad nutum revocabiles sint, et absque concursu a Conc. Trid. *Sess. 24 cap. 18 De Ref.* praescripto conferantur; et quamvis curam animarum adnexam habeant et omnibus parochialibus muneribus eas obtinentes fungantur, tamen ab Episcopis revocabiliter conferuntur vi Concordati 1801. Idem in re tenent Praecl. Auctores Ephemeridum quibus titulus *Nouvelle Revue Théologique tom. IX p. 363 n. 20* (1). Huc revoca paroecias quae passim inveniuntur in America Septentrionali, in Anglia, aliisque regionibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis (2). In huiusmodi enim paroeciis teste Clarissimo De Angelis, *Praelectiones*

(1) Hinc minus recte sentire videtur Scavini, qui in *Compendio Theologiae Moralis Tom. I. n. 814 nota* (1) loquens de poenis Simoniae in Beneficiis admissae, ait : « Nomine Ecclesiasticorum Beneficiorum veniunt etiam Paroeciae, licet modo re- » vocabili conferantur, uti in Gallia ; nam ad rationem Beneficii, ait Pirhing, satis » est ut in se ita sit perpetuum ut semper maneat, etsi transeat de uno in alium Be » neficiatum *(S. Alph. l. III. n. 693).* » Etenim nonne uti superius vidimus fere omnes Doctores dicunt in poenalibus et odiosis Beneficii nomine non venire nisi Beneficia stricte accepta? Quin ipse Pirhing, a Scavini citatus, docet Beneficia ad nutum revocabilia, tametsi in se perpetua sint, aliquo modo deficere a ratione Beneficii stricte accepti, quia eis deest subiectiva perpetuitas. Hoc autem omnium fere Doctorum auctoritatibus muniri posset. Confer Pirhing in *lib. III Decretal. tit. V. n. 3.*

(2) Quod huiusmodi paroeciae saltem in Anglia Beneficiis proprie dictis accen-

Canon. Vol. II p. 180-181 collatio seu provisio fit ad tempus, non vero in perpetuum, nec titulus conceditur, sed tantum Vicaria temporalis. Pariter, ut beneficia stricte sumpta habendae non sunt, ut plurimum, Paroeciae Abbatiarum Nullius Regularium quarum Rectores nedum uti Parochi non habentur, sed proclamantur amovibiles ad nutum *etiam sine causa,* quia Parochi uti puri vicarii tenentur, cum omnium Paroeciarum, quae in abbatia reperiuntur, Parochus proprie dictus sit Abbas Ordinarius pro tempore.

4. Sed quid dicendum *de Vicariis perpetuis cum iure successionis,* quae communiter *Coadiutoriae* vocantur? Duplicis generis sunt. Aliae enim ad tempus et revocabiliter conceduntur, aliae vero in perpetuum et irrevocabiliter, immo cum futura successione; ita ut a Romano Pontifice tantum conferri queant, ut notat Benedictus XIV *de Syn. Dioec. l. XIII c. 10;* id autem ex eo profluxit quod Conc. Trid. *Sess. 25 cap. 7 De Ref.* has coadiutorias vetuerit.

Certum est, primae speciei coadiutorias beneficia non esse, ideoque nullam excommunicationem incurri, si realis simonia super iis committatur.

At circa secundae speciei naturam definiendam doctores discrepare reperimus; nec satis constat, sint nec ne veri nominis beneficia. Cum autem in dubiis minimum sit sequendum, optimo iure inferimus, excommunicationem eos non incurrere, qui simonia se commaculant pro coadiutoria presse sumpta, et sine ullo respectu ad beneficium, consequenda. Attamen nescimus, an eiusmodi speculativa distinctio in praxim deduci queat. Etenim huiusmodi coadiutor verum ius in beneficium acquirit tum *ex cap. Postulasti 27 De Rescriptis* (1) *et Clement. un. De off. Vicarii* (2) tum

sendae non sint, affirmatur in nuperrima SS. D. N. Leonis PP. XIII. Constitutione incip. « *Romanos Pontifices* » qua nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae sapientissime definivit.

(1) Ex caput: « Postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum alicuius Ecclesiae perpetuo vicario de proventibus vicariae bonisque paternis habenti unde valeat commode sustentari, tenearis per illam formam communem (cum secundum Apostolum) in Ecclesiastico Beneficio providere. Ad quod sic duximus respondendum, quod cum per formam praedictam necessitatibus pauperum clericorum (qui nullum sunt Ecclesiasticum Beneficium assecuti) Sedes Apostolica duxerit succurrendum, perpetuus vicarius (nisi de vicaria fecerit mentionem) commodum deportare non debet de huiusmodi litteris, utpote veritate tacità impetratis. Non enim carere Beneficio debet dici cui competenter de perpetuae vicariae proventibus est provisum, et pro habente Beneficii sufficientis subsidium, ex certa scientia super obtinendo alio Beneficio de levi non scribimus, quin faciamus de primo in nostris litteris mentionem. »

(2) Ita scripsit Clemens V in Concilio Viennensi: « Quae de Ecclesiis curam

ex constanti et universali consuetudine; ita ut post coadiuti mortem, nova collatione ad beneficium consequendum non indigeat coadiutor; atque ad eum acquisito iure spoliandum requiratur causa gravissima, non secus ac in ceteris beneficiis quibuscumque.

Hinc cum ii qui pactionem simoniacam adimplent, dando vel accipiendo coadiutoris officium, *parent sibi viam ad beneficium obtinendum;* eos excommunicationem incurrere dicimus utpote realis simoniae reos non ratione ipsius coadiutoriae, de qua non constat an sit verum beneficium, sed ratione beneficii, cuius obtinendi ius verum et certum adipiscuntur. Semper hinc est in praxi uti excommunicatus habendus qui simoniace eiusmodi coadiutorias obtinuit.

5. Circa *Pensiones* distinguendum putamus. Pensio est *ius percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio,* et dividitur in *laicalem* et *clericalem. Pensio laicalis* est quae dari potest etiam laico, ob ministerium temporale, vel aliam temporalem causam. Hanc nullimode Beneficium esse tenent communiter DD.

Pensio autem *Clericalis* est quae, auctoritate Superioris legitimi, Clericis confertur, ipsisque solis competere potest. In duas species subdividitur; quaedam enim detrahitur a reditibus alicuius Ecclesiae quae Ministris eget, et auctoritate Superioris confertur in titulum Beneficii perpetui alicui Clerico ipsi Ecclesiae inservienti, ut constat ex *cap.* Conquerente *6 De Cleric. non resid.* (1) Huiusmodi pensionem verum Beneficium esse tenent omnes DD. argumento ex *cit. cap. Conquerente* accepto, ubi huiusmodi pensio *Beneficium* appellatur. Ita Fagnanus in *cap.* Ad audientiam, *de Rescriptis, n. 44,* et Reiffenstuel *lib. III tit. V §. 3, n. 90.* Cum enim huiusmodi pensio detur in titulum ob ministerium spirituale, legitima intervenient auctoritate, et ius perpetuum tribuat Pensionario percipiendi fru-

» animarum habentibus, per receptionem aliarum similium amittendis, ac de ipsa-
» rum rectoribus promovendis ad sacerdotium, et de eorum aetate a iure statuta
» noscuntur, in perpetuis Ecclesiarum parochialium vicariis et assumptis ad eas
» volumus observari. » Statuit ergo Pontifex iura loquentia de Ecclesiis curatis, locum habere etiam in vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium, quae proinde aequiparantur paroeciis proprie dictis.

(1) Ita legitur: « Conquerente nobis R. praesbytero, accepimus quod G. Cle-
» ricus ab eo pro quo Ecclesia sua, de qua vitae necessaria vix potest percipere,
» annuatim viginti solidos extorquere conatur, asserens beneficium istud in eadem
» Ecclesia sibi fuisse collatum, *et infra.*

» Fraternitati tuae mandamus quatenus si tibi constiterit quod dictus G. ha-
» beat Ecclesiastica beneficia sibi sufficientia.... sibi super praescripto Beneficio
» silentium (sublato impedimento appellationis) imponas. »

ctus, perfecte convenit cum definitione Beneficii quam superius tradidimus. Hinc si quis pro obtinendis vel dandis huiusmodi pensionibus, aliquod pretium det vel accipiat, censura huius capitis innodatum esse tenemus. Altera vero *Pensionis Clericalis* species est quae constituitur ad tempus super reditibus alicuius Beneficii, et Superioris auctoritate alicui assignatur. Hanc secundam pensionis speciem iure merito Doctores censent nomine beneficii non venire, cum beneficium ecclesiasticum debeat ex sui natura esse perpetuum, pensiones autem huiusmodi sint temporales, et pensionarii morte cessent; habeant qua de causa tantum subiectivam perpetuitatem quae, uti superius adnotavimus, ex communi Doctorum consensu non sufficit ad Beneficium constituendum. Accedit quod ut notat Fagnanus *cap. Cum in cunctis De electione n. 106* ex stylo Concilii Tridentini, appellatione Beneficii non venit huiusmodi pensio, cum in Sess. XXI c. 2 *De Reformat.*, Sess. XXIII c. 18 *De Ref.* et Sess. XXV c. 15 *de Reform.*, Beneficia a pensionibus distinguantur. Nec obstat quod Gregorius XIII die 18 Decembris 1576 declaraverit, Pensionarium censeri Beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio fori Ecclesiastici de quo loquitur Concilium Tridentinum Sess. 23 c. 6 *de Reformat.* his verbis: « *Fori privilegio quis non gaudeat nisi Beneficium Ecclesiasti-* » *cum habeat* etc. » Nam quamvis hoc in casu inter Beneficia Summus Pontifex pensiones recensisse videtur, tamen id fecit quia agebatur de materia favorabili, scilicet quod Clerici non beneficium proprie dictum, sed pensiones huiusmodi possidentes, gaudeant privilegio fori uti idem Pontifex declaravit die 19 Iulii 1577 et tenuit Sacra Congregatio Concilii die 8 Augusti eiusdem anni, apud Fagnanum, *cit. cap. Ad audientiam De Rescriptis nn. 133* et *134*. Caeterum ipsa Sacra Concilii Congregatio apud Fagnanum *cit. cap. Cum in cunctis De electione n. 102* declaravit, decretum Concilii Tridentini sess. XXIII c. 6 *de Reform.* quo statuitur ut nemo ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere, *locum non habere in Pensionibus,* cum incapacitas ad Beneficium sit materia odiosa ideoque stricte interpretanda. Contraria autem decisio quae circumferebatur, et relata fuit a Garcia *De Beneficiis, parte I, cap. 5 n. 129* falsa est, ut docet idem Fagnanus, qui in rebus ad Sacram Congregationem Concilii pertinentibus diutissime versatus est.

Quapropter recte concluditur, excommunicatione Piani huius Capitis non innodari qui Simoniam Realem in huiusmodi pensionibus committat, cum in materia odiosa versemur et ex *cap. Odia de Reg. Iur. in 6*, odia sint restringenda.

Non negemus tamen, maximam

inter Doctores quaestionem esse de illis pensionibus, quae sustentationis causa, loco beneficii resignati, alicui Clerico ad vitam conferuntur. Attamen et in huiusmodi pensionibus illud practicum principium valere dicimus, quo Doctores statuunt, neminem esse de excommunicatione damnandum, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione excuset; ex discrepantia vero Doctorum circa aliquam sententiam, eiusmodi probabilem rationem vere oriri; et in casu nostro oritur dubium de existentia legis.

6. *Beneficia manualia* non cadunt sub huius capitis dispositione, cum vera Beneficia non sint, sed ad nutum revocabilia. Nomine *Beneficiorum Manualium* veniunt *Capellaniae* quae in perpetuum conferri non solent. Iamvero Capellaniae duplicis generis inveniuntur, aliae quae Ecclesiasticae, aliae vero quae laicales vocantur. Prioris generis sunt quae auctoritate Ecclesiastica interveniente, institutae fuerunt, et nonnis. Clericis conferri possunt; laicales autem non indigent nisi mera ac nuda acceptatione Ordinarii ut instituantur, et earum capaces sunt tum laici, tum etiam mulieres. Circa discrimen inter Ecclesiasticas ac laicales Capellanias, valde disceptatum est in Appendice XXIII Vol. I Ephemeridum « *Acta S. Sedis* » pag. 634 et seqq. (1) Certum autem est, laicales Capellanias etsi in perpetuum conferantur, nunquam Beneficiis proprie dictis accenseri, ut affirmat De Luca *De Beneficiis Disc. LXXX n. 17 et seqq.* ac decisum a Sacra Congregat. Concilii refert Pallottini *verbo* « Capellania » §. *VI n. 14 et 66.* Quin immo Pitonius affirmat, licitum esse convenire et pacisci cum futuro Capellano de pensione absque ulla superioris auctoritate solvenda. Ita in op. *De controvers. Patron. All. 67 n. 2.*

Capellaniae Ecclesiasticae duplicis generis sunt; aliae quae in perpetuum, aliae vero quae revocabiliter conferuntur. Si in titulum perpetuum huiusmodi Capellaniae conferantur, nullimode dubitari potest quin sint vera et proprie dicta Beneficia, cum habeant obiectivam et subiectivam perpetuitatem, atque ita communiter doctores sentiant.

Si vero auctoritate Episcopi, attamen ad nutum revocabiles conferantur, non censemus, eas sub veri beneficii nomine venire, cum destituantur subiectiva perpetuitate ideoque excommunicationem non incurrere eos, qui super iis simoniam committerent, cum in lege odiosa versemur, atque sciamus, eiusmodi capellanias nomine beneficiorum condecoratas fuisse, ratione

(1) Circa Capellanias confer decisiones SS. Congregationum quae inveniuntur in Ephemerid. « *Acta S. Sedis* » Vol. I. pag. 613 et seqq., Vol. II. pag. 323 et seq., nec non Vol. IX pag. 456 et seqq. ubi plura corollaria ad rem utillima subnectuntur.

tantummodo obiectivae perpetuitatis et in favorabilibus tantummodo, non quod veri beneficii naturam induant. Hanc distinctionem inter materiam odiosam et favorabilem saepius approbasse Sacram Concilii Congregationem asserit Fagnanus in *cit. cap. Ad audientiam De rescriptis n. 120.* (1)

Sequitur hinc, Piani Capitis excommunicationem incurrere qui Simoniam realem in Capellaniis ecclesiasticis quae perpetuitate tam obiectiva quam subiectiva pollent committunt; non vero qui in laicalibus cuiuscumque generis, aut etiam in Ecclesiasticis ad nutum revocabilibus huiusmodi scelus patrare audent.

7. De *Iurepatronatus* quaeri potest: an Censura huius Capitis incurratur illud vendendo? Negative respondendum ducimus, cum Iuspatronatus non sit beneficium, sed tantum ius praesentandi ad Beneficium; ideoque cum in odiosis versemur verba legis sunt stricte accipienda. Attamen huiusmodi venditiones semper illicitae erunt. (2).

Nec vendi licite potest iuspatronatus Capellaniae laicalis, cum id saepius reprobaverit S. Concilii Congr., praesertim. in *Viterbiensi* 15 Ianuarii 1661 et in *Tudertina* 3 Iulii 1762. Hac super re confer Cardinalem Petra *ad Constitutionem 7 Eugenii IV. num. 22* et Pitonium *De Controversiis Patron. Alleg. 67 n. 37 et 38.*

8. Illam quaestionem hoc in loco praetermittere non putamus, qua quaerunt doctores plerique, utrum, Beneficiis accensendae sint *Regularium Praelaturae* ex. gr. Generalatus, Abbatia, Praepositura, Prioratus, Guardianatus, etc, et utrum Simoniam Realem super iis committentes, Piani Capitis excommunicationem incurrant. Clar. P. Ballerinius in notis ad Gury *tom. I. p. 280, nota a* auctoritati innixus Schmalzgrueber in *lib. V Decret. titul. III n. 265* distinguit inter Praelaturas quae ad nutum revocabiles sunt, ideoque in nuda commissione consistunt, et illas quae in munere ordinario constituuntur; de illis negat, de istis vero affir-

(1) Confer Pallottini *Coll. omnium Concl. et Resol. S. Cong. Concilii* verbo *Capellania §. 6. n. 21.*

(2) Concilium Tridentinum Sess. 25 cap. 9 *De Reform.* excommunicationem statuit contra alienantes ius patronatus, his verbis: « Nec dictum ius patronatus » venditionis aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre » praesumant. Si secus fecerint excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur, » et dicto iure patronatus, ipso iure privati existant. » Poenas huiusmodi in vendentes ius patronatus, adhuc existere certum est cum nullibi revocatae inveniantur, dummodo tamen transferatur verum ius praesentandi ad Beneficium Ecclesiasticum, non vero ad laicalem tantum. Casus huiusmodi venditionis ob quam Sacra Concilii Congregatio die 21 Septembris 1816 denegavit absolutionem a censuris, videri potest in Ephemeride cui titulus « *Giornale del Foro* » V. I. p. 182 et seqq.

mat sub Constitut. « *Apostolicae Sedis* » dispositione comprehendi. Idem assèrit Gabriel de Varceno in *Comp. Theol. Mor. tom. I, p. 183.*

Verum Clar. Scriptores Ephem. *Nouvelle Revue Thëologique, Vol. 9 pag. 365 et seqq.* contrariam sententiam defendunt, et Regularium Praelaturis veri Beneficii qualitatem denegant sive ad nutum revocabiles sint, sive non. Hisce vero argumentis rem suam defendunt: primo quidem quia huiusmodi Praelaturae a pluribus Doctoribus Officia appellantur, praesertim a Tamburinio *De iure Abbatum Tom. 1, Disp. 1 quaest. II. n. 4,* Bonacina *De Simonia Disp. I, quaest. 7, punct. I,* § 2. *n. 4,* Sanchez *Consil. lib. II c. 3 dub.* CIV. n. 5 etc. At essentiam rei primum ex nomine demonstrari.

Secundo, quia intrinsecae earum notae non videntur convenire cum beneficiis proprie dictis. « Generalis, inquit Castropalaus *T. II,* » *tract. XIII, disp. I, punct. 4, n. 3,* » Provincialis, Prior, Rector, Guardianus dignitatem habent quae » est officium, sed non quae beneficium, cum non sit *ius perpetuum* percipiendi fructus, sed » solum sit ius, et regulariter temporale, gubernandi et regendi » collegas, et res Ecclesiasticas administrandi.

Qua de causa cum huiusmodi Praelaturis desit essentia et natura veri beneficii ecclesiastici, uti illud superius definivimus, non intelligitur quomodo inter beneficia accenseri possint.

Verum alii regularium praelaturas beneficia vocant; et praeter Schalmzgrueber *l. c.* eiusmodi nomen eis tribuunt De Luca *De regularibus, disc. XXXVI,* auctoritati innixus cuiusdam resolutionis Sacrae Congregat. Episcoporum et Regular. in *Eugubina* « Abbatiae; » et Van-Espen qui in *Iure Eccl. Univ. Par. II, Sect. III, tit. 1, c. 3, n. 2* ait: « Regularia *Beneficia* com- » muniter hodie vocantur quae Religiosis addicta sunt, aut per Regu- » lares regi debent. » Quare autem a regularibus potius quam ab aliis regi debeant inferius his verbis tradit.: « Contingit autem pluribus ti- » tulis ut Beneficia Regularibus ha- » beantur addicta. *Primo* quidem ex » vi institutionis seu quasi natura et » conditione Beneficiorum; eo quod » officium huiusmodi Beneficiis ad- » nexum, ipsam Regularium disci- » plinam et regimen vel quoad » spiritualia, vel temporalia imme- » diate concernit; ideoque con- » veniens plane fit ut Regularibus » potius quam Saecularibus officium » illud committatur. Huiusmodi *Be- » neficia* sunt Abbatiae, Prioratus » tam Conventuales quam Claustra- » les, *aliaque Regulare regimen* » *concernentia.* »

His adde Rebuff. in *Praxi Benefic.* tit. *Beneficia Regularia Multiplicia.* Item S. Alphonsus *lib. IV, n. 84,* « *Beneficium* duplex *dicitur* quod » est cum administratione ut Pa- » patus, Episcopatus, et *omnia* » *quae dicuntur dignitates,* hoc est

» quae habent praeminentiam cum » iurisdictione in foro externo, ut » Praepositura, Decanatus, Archi- » diaconatus, *Abbatia* sive saecula- » ris sive *regularis, Prioratus Clau- » stralis,* etc. » Novissime autem Clar. De Angelis *Praelect. iur. Can. tom. 2 part. 1 tit. 5 n. 19* eamdem sententiam confirmat. Hanc ipsam tenere videtur Sacra Concilii Congregatio, quae die 12 Decembris 1585 statuit « *Abbatias et » Beneficia* (Regularia) *administra- » tionem habentia non nisi Profes- » sis iuxta canones per Ordinarios » conferri posse.* » Apud Garciam *De Benefic. Part. VII cap. X n. 10.*

Ut quisque videt, Regularium praelaturis beneficiorum natura tribuitur nullo alio argumento nisi quia tum a Doctoribus plerisque, tum a s. Congregatione Concilii beneficia vocantur. Non praetermittunt autem Doctores animadvertere, huiusmodi praelaturis deesse plerumque tum perpetuitatem, tum redditus assignatos ratione voti obedientiae et paupertatis, ut observat Berardi *Commentar. in Ius Eccl. univ. in III lib. Decretal Dissert. 2, Osserv. 2.*

Ceterum, uti superius adnotavimus, ius perpetuum percipiendi fructus, quod requiritur in beneficiis, non consistit tantummodo in reditibus, sed etiam in praeminentiis, honoribus ac dignitatibus, quae ipsi beneficio inesse possunt, quasque Regularium quoque praelaturis adnexas esse nemo est qui neget.

Ut ex eiusmodi rationibus inferri posset, praelaturas regularium esse beneficia sui generis, quae confundi et aequiparari ceteris beneficiis non debeant. Insuper certum est, nullum extare explicitum decretum, quo decernatur, has regularium praelaturas inter veri nominis beneficia esse annumerandas, eamdemque habere naturam.

Qua de causa cum in hisce quaestionibus nihil decernendum sit nisi explicita lege, exploratum non esse nobis videtur, Regularium praelaturas inter veri nominis beneficia accensendas esse.

Hinc principio reflexo eiusmodi quaestionem dirimentes, dicimus, in obscuris minimum esse sequendum, et neminem in praxi de excommunicatione esse damnandum, si ratio vere probabilis ab ea excusare videatur. Quibus principiis positis tuto inferre possumus, committentes simoniam circa Regularium praelaturas non esse sub excommunicatione Piani capitis comprehendendos, quamvis alias poenas in iure inflictas, quas suo loco recensebimus, non effugiant.

Praestat tamen animadvertere dari aliquas Abbatias ac Prioratus quae vera beneficia sunt ob alia beneficia eis adnexa; quas inter recensendae tunt plerumque Abbatiae nullius Dioecesis, cum hi Abbates aliquando sint Parochi, Archipresbyteri et Canonici ecclesiarum quibus praesident.

9. His ergo expositis, recte con-

cluditur excommunicationem contrahi Simoniam realem committendo in *Beneficiis quibuscumque* duplicibus vel simplicibus, saecularibus vel regularibus, iurispatronatus et liberae collationis, modo stricto sensu beneficia Ecclesiastica revera sint.

Attamen dubitari potest utrum nomine Beneficiorum hic veniant quae communiter *Culmina Dignitatum* appellantur, uti sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus, et super omnes Pontificatus Maximus. (1) Sententiam affirmativam tuentur Avanzinius *n. 31* et Patavini Commentatores § 265. Nihil prorsus hac de re habent Reatinus ac Cl. Scriptores Ephem. *Nouvelle Revue Theologique*. Nos autem negativam sententiam veriorem putamus. Etenim, ut asserit Schmalzgrueber in *tit. V lib. III Decretalium n. 32* Dignitates maiores « *communi appella-* » *tione Beneficiorum praesertim in* » *poenalibus, aliisque strictae in-* » *terpretationis canonibus compre-* » *hendi non solent, cum sint cul-* » *mina Beneficiorum et dignita-* » *tum.* » Ita tenent Laym. *l. IV tract. 2. c. 4 n. 4,* Barbosa *iur. Eccl. Univ. l. 3. c. 3. n. 50,* Konig. *in tit. 5 lib. III Decretal. n. 50,* Reiffenstuel eodem loco *n. 21,* Pirhing *ibidem n. 9,* Van. Espen. *l. c. cap. 2 n. XXVI,* Garcia *De Beneficiis. Par. I cap. VI n. 66,* Vecchiotti *Instit. Canon. lib. III,* § *13* aliique plures, ita ut haec videatur communis Doctorum sententia.

Caeterum nec Avanzinius, nec Patavini commentatores rationem ullam ad suam sententiam probandam attulerunt.

Neque quis argumentum desumere ex eo potest, quod Pius Papa IX hoc in articulo adiecerit verbum « *quibuscumque.* » Etenim in verbis « *in beneficiis quibuscumque* » communis appellatio beneficiorum habetur, et sententia apprime sensum sortitur in beneficiis omnibus proprie dictis, quin ad dignitatum culmina ascendamus, quae diverso nomine plerumque vocantur, ut etiam advertit Schmalzgrueber. Hinc neque inutiliter adiectum verbum *quibuscumque* dici potest, cum beneficia cuiuscumque generis comprehendat, regularia vel saecularia, simplicia vel duplicia, iurispatronatus et liberae collationis. His adde quod si alicuius ponderis hoc argumentum esset, verbum illud « *quibuscumque* » comprehenderet sub huius capitis dispositione etiam Be-

(1) Adnotandum tamen occurrit hanc quaestionem non esse confundendam cum illa quam superius retulimus. Etenim in illa quaerebatur utrum excommunicationi subiicerentur S. R. E. Cardinales et Praelati qui Simoniam Realem committerent in *Beneficiis quibuscumque;* hoc autem in loco dubitatur utrum si quis committat Simoniam Realem super *Dignitatibus maioribus,* Piani capitis censuram incurrat.

neficia quae late nominantur, uti ex. gr. illa quibus deest subiectiva perpetuitas, quaeque, uti superius vidimus, ex communi DD. sententia non veniunt in odiosis nomine Beneficiorum. Id autem nec ipsi Patavini Commentatores affirmare audent.

Putamus ergo sub huius Capitis dispositione non comprehendi *Culmina Dignitatum*, ita ut si quis Simoniam Realem super iisdem committat, quamvis omnes alias poenas veteri in iure inflictas ipso facto incurrat, tamen in censuram ullam incidit, cum lex sit odiosa, proinde stricte interpretanda, atque recurrat adagium, in obscuris minimum esse sequendum, et neminem de excommunicatione damnandum, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione subtrahat.

Perpensis iis quae ad naturam beneficiorum pertinent, et enumeratis beneficiis quae sub Piano capite comprehenduntur, reliquum est ut videamus quibus modis in beneficiorum assecutione quis Simoniam committere possit.

Notandum igitur est, Simoniam realem in beneficiis committi posse in Erectione, Praesentatione, Collatione, Confirmatione, Institutione Resignatione, Permutatione etc, ac in genere circa omnes actus qui ad beneficiorum provisionem pertinent.

Et 1. *In Beneficiorum erectione.* Haec erectio est actus legitimus, quo sacrum aliquod officium vel ministerium in certa Ecclesia vel altari a Clerico obeundum constituitur cum perpetuo redditu, quem clericus iure suo percipiat, tum alimentorum et stipendii causa, tum ad ferenda beneficii onera. In huiusmodi Beneficiorum erectione Simonia realis committitur, si pro erigendo Beneficio tales conditiones exigantur quae in personalem utilitatem fundatoris cedant, ita ut haec utilitas possit pretio temporali vel pecunia aestimari. Liberum vero cuique est statuere leges fundationis etiamsi iuri communi contrariae sint, dummodo tamen non sint turpes vel naturae Beneficii repugnantes. Hinc S. Concilii Congregatio in *Senogalliensi* « Capellaniae » 9 Maii et 6 Iunii 1750 conditionem valere censuit « quam » Patronus, Ordinario approbante, » Beneficio ab se erecto, in limine » fundationis vel etiam ex inter- » vallo ob reservatam sibi facultа- » tem adiecit, ut deficientibus in » familia vocata Clericis, possint » etiam laici eiusdem familiae fru- » ctibus Beneficii sic erecti gaudere, » cum onere per Capellanum sa- » tisfaciendi Missarum oneribus, » idque *non iure et titulo Bene-* » *ficii, sed iure saecularis admini-* » *strationis* et absque onere reci- » tandi Horas Canonicas, donec » aliquis veniat de dicta familia, » qui Clericus sit, et obtinendo » Beneficio idoneus. »

Sed quid dicendum de Clerico Beneficiis obtinendis idoneo, qui in limine fundationis Beneficii iurispatronatus seipsum Episcopo praesentet ut omnino ad Beneficii ab se erecti possessionem admittatur? Benedictus XIV in *Institutione XCV* hunc casum refert, et solutis adversariorum difficultatibus, tenet contra Fagnanum, Pirhinghium, Cabassutium, Azorium, aliosque plures, Simoniam hoc in casu non haberi. Nec gratis. Pirhinghius enim et Azorius cum ipso Fagnano legitimam arbitrantur et iuri consentaneam conditionem, qua Beneficii Fundator filium suum, amicum aut consanguineum primum Beneficii possessorem exoptat.

Si igitur hoc in casu simonia deest, qua ratione simoniacum putabimus patronum qui seipsum ad beneficium obtinendum praesentat? Etenim conventio ex qua simonia dimanat utroque in casu invenitur. Quin et illud aptissime casui nostro convenit quod tradit Fagnanus in *cap. Tua nos, de simonia:* « Ex » praesentatione acquiritur praesentato ius spirituale ad beneficium obtinendum, et Episcopus » potest compelli ad instituendum ».

Tanti viri auctoritas in hac sententia defendenda maximi facienda est, eo vel magis quod etiam Pitonii auctoritate communiatur, qui in *Controversiis Patron. Tom. II, allegat 54, n. 14.* eamdem Benedicti XIV sententiam tenet, quique ipso Pontifice testante, in iure canonico et causis beneficiorum summa cum laude diutissime versatus est, et plura super his rebus monumenta in lucem protulit, quae omnium consensu summopere commendantur (1).

2. Simonia realis committi potest in *Praesentatione* ad beneficia praesertim iurispatronatus, interponendo pactiones ante vel post praesentationem adimplendas. Hinc patroni privati, aut capitula, vel monasteria quibus iuspatronatus inest, in simoniam realem incidunt dum ad beneficia praesentant aliquem, ea lege ut praesentatus minori redditu sit contentus, aut saltem augmentum illius quod iure praetendere posset non exigat. Similiter clerici qui tacite vel expresse imminutionem illam acceptant, aut augmento quod iure praetendere possunt, renuntiant, ut praesentationem obtineant, simoniae realis lepram non evadunt. Hoc enim in casu

(1) Hic obiter monendum occurrit, sententias quae in operibus Benedicti XIV defenduntur, auctoritatem eamdem habere ac si a privato Viro ceteroquin doctissimo proferantur; cum ante Pontificatus adeptionem ut plurimum ea Lambertinius confecerit, et quamvis dum Pontificatum gereret, ea ut doctor privatus explevit; attamen cum esset doctissimus, et in iure ecclesiastico, etiam per diuturnam experientiam versatissimus, eas certe sententias amplexatus est, quae a recepto iure difformes non essent.

debiti remissio fit ut beneficium conferatur vel accipiatur.

Quaeritur hoc in loco ; utrum simoniae realis reus sit clericus augens dotem beneficii iurispatronatus iam existentis, adiecta tamen lege, ut ad idem a patrono nominetur, et illius possessionem obtineat ?

Ad sententiam affirmativam tuendam nos impellit sacrae Congregationis Concilii in casu prorsus simili declaratio promulgata a. 1686 quaeque refertur a Nicolio in *Praxi Canonicat. Tom. II, litt.* §. *n. 41* et ita se habet:

ALEXANDRINA
augmenti dotis canonicatus.

« *Vacante a pluribus mensibus* » *canonicatu in Ecclesia Collegiata* » *s. Mariae de Nive iuspatronatus* » *fratrum de Mantellis, sacerdos* » *Thomas Maria Verrus proposuit* » *dictis patronis, se dicti canoni-* » *catus dotem auecturum fore, me-* » *diante assignatione cuiusdam vi-* » *neae, expressa tamen lege adiecta,* » *ut ad eumdem canonicatum de-* » *beat ab illis praesentari. Timens* » *nihilominus id aliquam simoniae* » *labem involvere, pro conscientiae* » *suae serenitate proposuit infra-* » *scriptum dubium:*

» *An conventio a Thoma Ma-* » *ria Verro cum Patronis inita sit* » *Simoniaca?* » Sacra Congregatio Concilii respondit: *Affirmative.* (1)

Ad simoniam realem *in praesentatione* ad beneficia reduci potest simonia commissa ab *examinatoribus synodalibus*, si scilicet occasione examinis ad paroecias, aliquid ante vel post ab examinandis quocumque modo accipiant.

Ut in re aliquid dicamus, Concilium Tridentinum postquam *Sessione XXIV, cap. 18, de reform.*,

(1 Attendat lector magnam differentiam adesse inter hunc casum et alium quem superius a Benedicto XIV retulimus. Ipse enim Pontifex id notavit cum adversus sententiam quam defendebat obiecta fuerit haec S. C. Concilii decisio. Ait enim, in *citata Institutione XCV:* « Qui percurrent hanc S. Cong. Concilii sen- » tentiam, manifestum discernen agnoscent inter nostram quaestionem, et illam » quae proposita tunc fuit. Etenim, non agimus de Beneficii institutione, quae » sciente ac probante Episcopo perficitur : agimus de Iure patronatus retinendo, quae » sane conditio a sacris sanctionibus permittitur, ut fideles ad nova statuenda Be- » neficia concitentur ; agimus postremo de conditione se ipsum praesentandi quae » simul cum Beneficii institutione coniungitur, quae nihil quidem ab aequitate » alienum praeseferat. In causa vero *Alexandrina*, canonicatus institutus iam » fuerat ; qui pro augmento Dotis vineam super addebat, nullum eiusdem canoni- » catus Iuspatronatus sibi comparabat, quod pristino Domino permanebat ; augmen- » tum vineae absque auctoritate Episcopi decernebatur, et licet ipse rem antea co- » gnovisset ac probasset, id tamen satis non erat ut apertissima Simoniae labes » evitaretur, quippe Thomas Maria Verrus sine Beneficii institutione, nulloque » inrepatronatus obtento, dotem Canonicatus augebat, et cum Patronis Beneficii con- » ventionem agebat ut se ipsum ad illud nominarent. »

indixisset formam concursus in collatione beneficiorum parochialium, examinatoribus synodalibus praescripsit: « Iurent omnes ad sancta » Dei Evangelia, se quacumque » humana affectione postposita, fi» deliter munus executuros, ca» veantque ne quidquam prorsus » occasione huius examinis, nec » ante, nec post accipiant; alioquin » simoniae vitium tam ipsi quam » alii dantes incurrant, a quo ab» solvi nequeant, nisi dimissis be» neficiis, quae quomodocumque » etiam antea obtinebant, (1) et » ad alia in posterum inhabiles » reddantur. »

Ex hoc Tridentini decreto apparet, rem hic esse examinatores inter et examinandos; quod patet tum ex quo iubeantur examinatores humanas affectiones posthabere, tum ne quidquam occasione huius examinis percipiant, utique ab examinandis, vel eorum addictis; munera enim humanas affectiones excitant; tum quia et dantes et accipientes occasione examinis simoniae vitium incurrunt, aliasque statutas poenas.

Huic Tridentini decreto contraire non putarunt plerique, qui aliquid accipiebant non ab examinando, sed ab iam electo ad paroeciam; praesertim et cum diuturna intercederet consuetudo, et esset conciliorum provincialium sanctione firmata.

Huius facti exemplum habemus in Concilio provinciali Toletano an. 1566 celebrato, in quo *actione secunda, cap. 24,* quoad examinatores synodales statutum fuerat: « Horum vero examinatorum cuili» bet, pro muneris suscepti labore » Ordinarius post beneficii collatio» nem ex redditibus Ecclesiae va» cantis, qui alioquin rectori de» beantur, iustam aliquam merce» dem, eius arbitrio, reddi curabit; » cum et dignus sit mercenarius » mercede sua. » (2)

Benedictus XIV *De Synodo lib. IV, cap. VII, n. 11* dicit, se non improbare quod a Patribus huius Concilii gestum fuerat; tamen illud non absolute approbare, cum quamdam simoniae suspicionem huiusmodi largitio vel solutio involvere possit.

At cum in Concilio provinciali Compostellano idem fere statutum fuisset, s. Concilii Congregatio hac super re requisita respondit: *non posse huiusmodi statutum dari,* uti

(1) Ex hisce videtur absolutio huius excommunicationis nulli esse reservata, cum nulla alia conditio requiratur ad illam impetrandam, nisi dimissio beneficiorum quae antea huiusmodi Simoniaci obtinebant. Concilium Tridentinum hinc absolutionem quidem reservatam pro examinatoribus abrogavit, auxit tamen poenam, cum ante absolutionem a quocumque obtinendam, deberent beneficia dimittere. Observant tamen plerique hanc poenam cum tanto rigore, scilicet ut ante sententiam iudicis beneficia dimittantur, non fuisse receptam. Ita Thesaurus loc. cit. et Balterini.

(2) Extat huiusmodi decretum Tom. X. Collect. Harduini.

refert Garcia *De Beneficiis part. V, cap. VII, n. 11.*

Ex quibus apparet, Benedictum XIV id non approbare, Congregationem Concilii vero poenas in Tridentino decreto statutas non affirmasse incurri ab huiusmodi, quamvis praedictas largitiones improbarit.

Hanc consuetudinem etiam alias a s. Congregatione improbatam scimus, praesertim in *Iacensi 14 Ianuarii 1758*, quae resolutio adducta fuit ab eadem s. Congregatione die 23 Septembris 1865 in casu prorsus simili, et extat *Volum. II Ephemeridum Acta s. Sedis* p. 88 et seqq. quin tamen affirmaverit, ob huiusmodi consuetudines incurri poenas in Tridentino decreto statutas; et quidem rationabiliter, cum casus sint valde diversi.

Verum quaerent lectores: an post pianam Constitutionem examinatores synodales aliquid occasione examinis recipientes ab examinandis excommunicationem nostri capitis incurrant?

Respondemus. Certum est, quod ante Pianam Constitutionem, vi Tridentini Decreti incurrebant excommunicationem et poenas simoniae realis, ut patet tum ex verbis: « *alio- » quin simoniae vitium tam ipsi » quam alii dantes incurrant;* » tum ex Doctorum consensu, qui citata Tridentini verba de poenis interpretantur.

Sed praestat hac in re excribere quae habet Thesaurus *De poenis eccles. part. 2, verb. simonia, cap. IV:* « Ex hac, inquit, particula » *vitium simoniae incurrant*, Do- » ctores communiter intelligunt, in- » curri excommunicationem contra » simoniacos super beneficiis la- » tam. Secundo incurrit provisus » nullitatem provisionis, seu con- » secutionis paroeciae illius; tertio » incurrunt omnes privationem o- » mnium beneficiorum etiam antea » legitime obtentorum, ut patet ex » textu, et hanc poenam ligare in » foro conscientiae ante declarato- » riam probat idem textus Triden- » tini, et docet Ugolini *Tab. I, » cap. 48*, §. 7. Tamen alii dicunt, » hanc poenam non esse usu re- » ceptam cum tanto rigore; ideo » non teneri ante sententiam di- » mittere. Ita *Less. cap. 35, n. 118.* » Quarto incurrunt inhabilitatem » ad quaecumque beneficia, ut pa- » tet ex eod. textu.

» Amplia hoc decretum, ut ne- » que a sponte dantibus dari vel » accipi possit, etiamsi liberaliter » ad captandam benevolentiam exa- » minatoris, quia est prohibitum » hic ob speciem simoniae. *Gar- » zias part. 9, cap. 2, num. 390.*

» Amplia ut incurrat poenas » simoniae dans pecuniam uni de » examinatoribus, licet etiam sine » eo ipse esset habiturus sufficien- » tia suffragia ad magis idoneum; » quia iam dicitur simonia contra- » cta, data pecunia et habito suf- » fragio illius; secus si ipso igno- » rante, ab alio data sit pecunia

» uni de examinatoribus, remanente adhuc numero sufficiente, » ut supra. Ita Sanchez *Opusc.* » *lib. 2, cap. 116, n. 9;* Doctores » in Cap. *Matthaeus*, de Simonia.

» Limita praedictas poenas, ut » non procedant, nisi simonia utrimque realiter completa, scilicet » dato pretio examinatori, et approbatione facta ab examinatore; » quia haec est simonia ordinaria » in materia beneficiali.

» Limitant secundo aliqui ut » excuset ab his poenis levitas materiae, ut si modica exculenta » vel poculenta examinandus fuerit largitus; ita Petrus Ledesma » in *Summ. part. 2, tract. VII,* » *Conclus. 7.*, etc.

» Sed contraria verior videtur, » ob illam particulam, *ne quidquam* » *prorsus;* et ita Garzias loc. cit., » ubi late examinat hanc materiam, » et num. 375, ubi refert declaratione sacrae Congregationis. »

Attamen ipse Garcias loc. cit. n. 365 refert declarationem s. Congregationis, ex qua deduci potest non esse prohibitum Episcopo sponte dare examinatoribus aliquid praemii titulo; quod etiam fieri Romae audivimus ab Emo Urbis Vicario. Hoc autem nihil commune habet cum Tridentina dispositione, atque cum periculis, quae ibi praecaventur.

Ex dictis autem patet, ante Pianam Constitutionem excommunicationem incurrisse examinatores aliquid accipientes ab examinandis, sive pactum intercessisset, sive non; idque de communi Doctorum sententia.

At post Pianam Constitutionem idipsum tenendum esse dicimus, ex vi quidem praesentis capitis, si pactum intercesserit; tum enim habetur vera et proprie dicta simonia realis quoad praesentationem in beneficiis: at ni pactum intercesserit, non quidem vi Piani Capitis, in quo excommunicantur rei simoniae proprie dictae, sed vi dispositionis Pianae Constitutionis, in qua confirmantur censurae a Tridentina Synodo directe inflictae.

Eiusmodi censuram enim directam esse, manifestum est ex hoc, quod Tridentini Patres poenas contra simoniacos proprie dictos latas extendant etiam ad examinatores, de quibus in casu, contra quos poenae eiusmodi ante Tridentinum inflictae non fuerant. Qua de causa eiusmodi Tridentina lex est extensiva; leges autem extensivae requirunt auctoritatem legislatoris, et sunt leges propriae dictae, quae nullam vim habent nisi legitime promulgentur.

3. Simonia realis committitur in beneficiorum *Collatione,* quando quis confert beneficium aliqua adiecta conditione, quae in bonum temporale sui ipsius vel alterius cedat, ita ut possit pecuniae pretio aestimari. Item si quis promittat, se aliquid facturum in emolumentum temporale ipsius collatoris vel eius addicti, statim ac sibi conferat aliquod beneficium, et post acceptum

beneficium promissionem adimpleat. Id prohibitum iam fuerat a s. Pio V constit. *Durum* ubi declaratur « non licere Episcopis quid- » quam sibi capere pro collatione » canonicatus, non obstante qua- » cumque consuetudine, etiam im- » memorabili. » (1)

Quaeri tamen potest: utrum conferens beneficium cum pacto ut alter subeat onus spirituale, simoniacus sit? Eiusmodi quaestioni s. Alphonsus *Theol. mor. lib. III, n. 60,* ita respondet: « Respondetur, quod » si beneficio de iure, vel ex illius » institutione inest onus v. gr. ca- » nendi, docendi etc. vel si ab » Episcopo vel capitulo imponatur » beneficio vacanti onus aliquod » honestum v. gr. infirmis assisten- » di etc., certe non est simonia. » Dubium est, prosequitur, an » a resignante vel praesentante ad » beneficium possit beneficiario im- » poni aliquod onus spirituale. »

Et huic quaestioni respondet: « Affirmant aliqui apud Sanchez etc. » Sed dicendum est, quod licet in » aliis rebus spiritualibus possit dari » commutatio, ut v. gr. applico » pro te missam, ut mane applices » pro me; in beneficiis tamen quod- » cumque pactum est simoniacum, » *ex c. Quam Pio, 1. q. 2.* »

Verum ex cap. *Quam pio* nihil pro eiusmodi sententia statuenda deduci potest, cum in eo non de imponendis pactis spiritualibus, sed agatur nihil esse exigendum ab iis qui ad conversionem accedunt, nec pretio aliquem ad conversionem esse invitandum.

Deinde simonia proprie dicta in eo consistit, ut commutetur res spiritualis vel spirituali adnexa pretio temporali; in casu autem nostro nulla res temporalis habetur.

Demum commutare rem spiritualem cum spirituali est simonia iuris ecclesiastici; at diximus eiusmodi simoniam non cadere sub piano capite.

Qua de causa, tum solum in eiusmodi casu simoniam adesse putamus, cum conditio spiritualis adnexa cederet in bonum temporale praesentantis vel resignantis, si ex. gr. ipse teneretur mercedem alicui dare ut infirmis adsistat, cum per se non posset vel nollet; adesset enim hoc in casu ex parte resignantis lucrum temporale.

4. Non tantum ante, sed etiam post electionem committi potest simonia in *Confirmatione,* uti si quis daret temporale pro ea obtinenda. Id simoniacum esse manifeste patet ex *c. Sicut tuis 33, de simonia*

(1) Advertat tamen lector haec intelligenda esse de iis pactis aut conventionibus quae Episcopi tantum utilitatem respicerent, vel inter ipsas partes stipularentur, nulla interveniente iusta causa, uti late deducitur ex decisionibus S. C. Episcoporum et Regularium Die 28 Maii 1875, 2 Iunii 1876 et 23 Martii 1877 in *Volumine Ephemerid.* « Acta S. Sedis » *pag. 255.* Confer hac super re Constit. « *Inter ceteras* » editam a Paulo IV die 27 Novemb. 1557.

ubi Innocentius III ad Abbatem Iemblacensem scribens, improbat peccatum eorum qui pro eius obtinenda confirmatione aliquid pecuniae Episcopo dederunt. Item si aliquis det pretium ne electio impugnetur ab aliquo qui iustam habet impugnandi causam, ut melius infra videbimus, simoniae realis reus tenendus est.

5. *In admissione ad possessionem beneficii* simonia realis committitur cum exigitur vel datur aliquid ut convertatur in commodum et utilitatem canonicorum vel beneficiariorum, aut personarum Ecclesiae, vel monasterii, etiamsi sit modicum v. gr. prandium vel convivium (1). Id vetitum fuit in *cap. Iacobus 44, de simonia* (2) et a Concilio Tridentino *Sess. 24, c. 14, de reform.* quod supra per extensum retulimus, nec non a s. Pio V in cit. Constitutione incip. *Durum*, ac ab Innocentio XII in Constit. *Ecclesiae catholicae*, quibus improbantur omnia et quaecumque statuta seu consuetudines quamtumvis immemorabiles, per quas noviter de beneficio provisi teneantur pro institutione, collatione, provisione, *vel admissione ad possessionem* aliquid tradere, quod non in usus pios convertatur, sed in utilitatem et commodum Capitularium cedat, etiamsi dulciaria praestentur; ipsa s. Congr. Concilii haec declaravit, statuens nomine dulciariorum prohiberi etiam quae vulgo *confetture* vocantur, uti resolutum fuit in *Tridentina* 19 Februarii 1633 relata a Barbosa, *de canonic. cap. 15, n. 27.* Alia extat declaratio s. Congregationis Concilii in *Una Leodiensi* quam refert Garcia, *de Beneficiis p. VIII, cap. 1, n. 84* et ita se habet: *Canonicis Ecclesiae s. Foliani Leodiensis dioecesis.*

« *Admodum reverendi domini:*
» *Nomine Arnoldi Berigelet, vestrae*
» *Ecclesiae canonici, expositum*
» *fuit congregationi illustrissimo-*
» *rum Patrum Tridentini Concilii*
» *interpretum, istic abusum vigere*
» *ut novi canonici 53 florenos vo-*
» *bis solvere cogantur, neque fru-*
» *ctus ullos ex suis canonicatibus*
» *per triennium percipiant, sed in-*
» *ter vos dividantur; quod, quia*
» *contra ipsius Concilii decreta in-*

(1) Requiritur tamen semper intentio dandi temporale pro spirituali ut Simonia habeatur. Hinc Simoniacus quis non esset si in admissione ad possessionem canonicatus, aliquid spontance daret pro defatigatione et incommodo canonicorum qui diutius in Choro stare deberent.

(2) Ita se habet: « Iacobus canonicus Esculanus exposuit quod cum ipse in » Ecclesia Aprutinensi sit receptus in canonicum et in fratrem, canonici eiusdem » Ecclesiae partem proventuum ac praebendarum sibi adsignare recusant, quam- » dam consuetudinem praetendentes quod prandium habere debeant a canonico re- » cepto de novo. Quocirca, mandamus quatenus, si ita est, dictos canonicos ut (tali » consuetudine non obstante) sibi sicut uni ex aliis in proventibus et praebenda » provideant, appellatione remota, compellas. »

» *ductum est, ideo Cardinales his* » *canonicatus fructus reperirentur*
« *litteris ad vos scribi voluerunt,* » *concessi, horum dumtaxat dimi-*
» *neque praedictam summam flore-* » *dia pars ipsi fabricae aut pio*
» *norum, neque fructus canonica-* » *loco tribuenda esset, altera vero*
» *tus ipsius oratoris exigi et inter* » *ipsi oratori iuxta S. M. s. Pii V*
» *vos dividi potuisse, refragante ipso* » *constitutionem.* »
» *Concilio Tridentino* sess. 24, c. 14
» *Quin immo si in usum fabricae*
» *vel sacristiae, sive in alium usum*
» *pium ultra semestre tempus sui*

Romae 8 Octobris 1592.

Vester in Domino
Hieron. Card. Matthaeus (1).

(1 Grave lectori non videatur, si aliquas Resolutiones ac declarationes Sacrae Congregationis Concilii circa Decret. Concilii Tridentini *Sess. XXIV*, cap. 14 hic referimus, cum praesertim quoad casus practicos maxime inserviant. Praecipuas tantum recensebimus:

1. Statutum seu consuetudinem iniungendi prandium praestandum a noviter receptis, indistincte S. C. reprobavit in *Poliguanensi* Dec. 1584, *Brugen.* 3 Septemb. 1729 in quo rescriptum postea fuit: « *Permittendum esse si velint, sed non cogendos.* »

2. Consuetudinem etiam immemorabilem, iuxta quam aliquid persolvitur occasione collationis canonicatus et prachendae, seu alterius cuiuscumque Beneficii, non attendendam esse, si id quod persolvitur cedit in utilitatem et privatum commodum Canonicorum seu sacerdotum, secus si erogetur in usus pios, respondit S. C. in *Poliguanen.* 1584, *Avenionen.* 1586, *Segobien.* 1590, *Aquilana* 27 Apr. 1630, *Cassanen.* 3 Dec. 1718 « *dummodo fuerit depositum in capsa sacristiae et erogetur in usum eiusdem sacristiae tantum.* »

3. S. C. censuit decretum *c. 14 Sess. 24* et Bullam Pii V super eadem re editam, non comprehendere consuetudinem Ecclesiarum deserviendi per aliquod tempus vel etiam per annum, et nihil interim percipiendi *de massa grossa*, nisi peracto integro dicto servitio, in *Meliten.* Mart. 1587. Eodem modo, cum de statuto simili ageretur, ad dubium: « An Sacerdotes Ecclesiae Parochialis terrae » Scorani post expletum servitium in minoribus Ordinibus nec non in Subdiaconatu et Diaconatu, teneantur non tantum choro per annum gratis inservire, sed » etiam missas celebrare antequam ad massae participationem admittantur? » S. C. respondit: « *Affirmative* » *Hydruntina* 28 Nov. 1705.

4. S. C. declaravit consuetudinem Cathedralis secundum quam Canonici in ordine subdiaconatus constituti tertiam, in ordine Diaconatus dimidiam, et Presbyteri integram portionem percipiunt validam esse, nec sublatam Decreto Tridentini Concilii *c. 14 Sess. XXIV*, « *proindeque Episcopus eam, si in Ecclesia legitime hactenus observata sit, etiam in posterum observari curet* » in *Marsicana* April. 1591.

5. Consuetudo quae dat fructus capitulo donec novus Beneficiatus fiat Presbyter. valet, quia intentio Concilii dicto *cap. 14* fuit ne ratione collationis aliquid exigeretur. Ita censuit S. C. in *Asten.* 6 Maii 1617.

6. Episcopo approbante permitti posse consuetudinem et Constitutiones Ecclesiae ut unusquisque canonicus pro reparatione Ecclesiae aliquid solvat, si hu-

Approbat tamen Concilium huiusmodi statuta vel consuetudines quando summa erogatur in usus pios, non vero quando in utilitatem canonicorum cederet. Cederet autem in canonicorum utilitatem etiam id quod solvitur mensae capitulari et convertitur in ipsius reparatione, uti probat Garcia *l. c. n. 90.* ex pluribus s. C. C. decisionibus. Attamen non potest in posterum statutum condi ut aliquid in usum pium solvatur, quia id s. C. declaravit his verbis: « *Non* » *potest de caetero ex quocumque* » *statuto imponi ut aliquid solva-* » *tur in locum pium cedens, veluti* » *pro fabrica vel sacristia Eccle-* » *siae* », nisi beneplacitum apostolicum habeatur (1). Hinc declarationem s. Congregat. in *Una Segob. 1590,* quam refert Barbosa *l. c. n. 30.* quaeque contraria huic S. C. decisioni videtur, ita intelligendam putamus cum Garcia *l. c.* ut nempe illo in casu Pontificis oraculum intervenerit. (2)

Ceterum in his et similibus ca-

iusmodi solutio non cedat in usum singulorum, rescripsit S. C. in *Aquilana* 27 April. 1630.

7. Resolutiones Capituli factas ante electionem ut duo Canonici eligendi certam solvant fabricae Ecclesiae pecuniae summam, quae fructus praebendarum ultra semestre absorberet, loco prandii quod antiquitus tradebatur, non esse sustinendas S. C. censuit in *Leodiensi* 30 Sept. 1730.

8. Consuetudinem vigentem in Cathedrali Ecclesia Tricaricensi admittendi Sacerdotes in numerum participantium sub lege praestandi primo anno gratuitum Ecclesiae servitium et satisfaciendi Missarum oneribus absque stipendio, approbandam non esse censuit S. C. *Tricaricen.* 12 Sept. 1801, etc.

(1) Attamen Romae nunc temporis contingit ut plures Ecclesiae Collegiatae vel etiam capitula alicuius ipsius Urbis Basilicae constitutiones a S. C. Concilii post Tridentinum approbatas habeant, quibus statuitur ut noviter recepti in admissione ad possessionem canonicatus vel Beneficii aliquid solvere debeant quod dividatur inter Canonicos in choro abstantes, cantores, aliosque Ecclesiae ministros. Cum id a S. Sede (quae huiusmodi constitutiones approbavit) permittatur, S. Congregationis C. decreta has constitutiones improbantia, interpretanda esse putamus de illis omnibus casibus in quibus beneplacitum Apostolicum abfuerit.

(2) En verba illius declarationis: « An constitutio quaedam ab Episcopo et Capitulo post Concil. Trid. de solvenda certa pecuniae quantitate ratione novae » possessionis Episcopatus et canonicatuum ac dignitatum, distribuenda in fabricam et salaria Notarii, Advocatorum, Campanarii et aliorum ministrorum » Ecclesiae, quibus iam alia constituta sunt certa salaria, sit valida nec ne? » SS. D. Noster ex sententia Congregationis respondit, huiusmodi constitutionem » servandam *(non vero validam ex se esse)*, nihil tamen ex ea pecunia Notariis, » Cursoribus et Campanario, aliisque Ecclesiae ministris tribuendum, sed integram » summam in usus fabricae convertendam, atque ita libenter solvendam tam a capitularibus, quam ab Episcopo, cum separari possint Officium, Ecclesiaeque dignitates, quia ob huiusmodi largitatem in aedificium, ornatumve Ecclesiae factam, sumitur exordium ad mysticam quoque Ecclesiae aedificationem, feliciter » in Domino processurum. « Die 11 Iulii 1590.

sibus semper prae oculis habenda sunt quae tradit Pirhing in *lib. V, decretal. Tit. III, sect. IV, §. III, n. 91,* circa requisita ut licite ac iuste possit aliquid temporale exigi vel recipi a canonicis aliisque clericis pro illorum receptione vel institutione, scilicet:

a) Ut id lege aliqua sit statutum, vel consuetudine receptum.

b) Ut acceptum ad pios usus applicetur.

c) Ut non exigatur priusquam libere praestita sint spiritualia, neque ea denegentur etiamsi nihil detur.

Cum maxime nobis placeant quae hac super re habet Benedictus XIV in Opere *De Synodo Dioecesana l. XI, cap. 6, n. 8,* ad lectorum utilitatem ea subnectere iudicamus: « Ubi eiusmodi solutiones, inquit, » (ob canonicatus possessionem peragendas) ab antiquo tempore legitime inductae et iustam quantitatem non excedentes (uti cavebatur in constitutione s. Pii V incip. *Durum*) utiliter et pie impendantur, si eas Episcopus, ob praetensum simoniae vitium, reprobandas abolendasque statueret, inconsulto potius novitatis studio quam restaurandae disciplinae zelo, flagrare se ostenderet. Sane in cap. *Iacobus* expresse reprobantur etiam convivia et prandia in canonicorum ingressibus paranda, et merito quidem; cum haec neque in Ecclesiae aut sacrarii beneficium, nec in usus pios cedant, sed privatorum solatio et voluptati deserviant. Verum cum magnae plerumque difficultates occurrere soleant in receptis usibus abolendis, ubi praesertim antiqua consuetudine nitantur, haud inopportunum erit hic adnotare quod praeter veterem quamdam causam *Polinianen.* in Congregatione Concilii iudicatam an. 1584 (de qua *lib. 4 decretor. pag. 9*) altera quoque cuius titulus erat *Brugen.* maiore partium studio ibidem proposita die 13 Augusti 1729 et die 3 sequentis mensis Septembris definita, in qua dictum fuit, *tolerari posse consuetudinem ab immemorabili tempore vigentem, ut novus canonicus ceteros capitulares convivio excipiat; dummodo id sponte ab eo fiat et moderatae frugalitatis leges serventur;* ut videre licet *tom. IV, Thesaur. resolut. p. 336, et pag. 342;* item *tom. V, p. 54,* §. *Consuetudo.* Et in eamdem sententiam resoluta fuit alia causa *Leodien.* proposita die 18 Iulii 1733 et relata in *Thesaur. tom. VI, pag. 141,* quorum decretorum aequitati magnopere suffragatur tenor cap. *Sane, inter Extrav. comm. de simonia*». Tanti viri auctoritas in rebus Sacrarum Congregationum diutissime versati nobis suadent, cum mica salis intelligenda esse omnia huiusmodi consuetudines improbantia decreta.

6. Simonia realis committi po-

test in *permutatione* beneficiorum. Permutationes beneficiorum privata auctoritate fieri non possunt absque periculo simoniae. Attamen, ut inquit Angelicus. « Potest praelatus » ex officio suo permutationes hu» iusmodi facere pro causa utili » vel necessaria ».

Licitum autem est permutare beneficia volentibus, pacta antecedenter inire, dummodo sint conditionata et dependeant a consensu praelati. Est sententia communis.

Hoc in loco duplici quaestioni satisfaciendum est, quarum prima sit: Cum pensio eamdem spiritualitatem non habeat ac beneficium; licitum ne est permutare pensionem cum beneficio?

Certum est, privata partium auctoritate id fieri non posse; attamen auctoritate praelati huiusmodi permutationes licitae sunt, si agatur de pensione ecclesiastica, quae nempe in titulum beneficii conferri potest, contra vero si pensio sit laicalis. Ratio est quia in permutatione beneficii cum pensione clericali haberetur commutatio rei spiritualis cum re pariter spirituali, quae commutationes praelatorum auctoritate fieri possunt, cum id eis in iure concedatur (1). E contra in altero casu haberetur simonia iuris divini, quia commutaretur res spiritualis cum temporali, quod neque Pontificis auctoritate licite fieri potest.

Altera quaestio est: an simonia realis committatur, compensando inaequalitatem beneficiorum quae permutantur, pecuniâ vel qualibet alia re temporali?

In primis notandum beneficia inter quae fit permutatio, quatuor modis posse uti inaequalia considerari. 1. Ut unum superet aliud in omnibus, scilicet in spiritualibus et in temporalibus. 2. Ut unum aliud in spiritualibus excedat; hoc vero illud in temporalibus superet. 3. Ut inaequalia in spiritualibus, aequalia vero sint in temporalibus. 4. Denique ut in spiritualibus aequalia sint, in temporalibus autem unum aliud superet.

Hisce praemissis, certum est, quando excessus est in re spirituali, non licere illum aequiparare dando pecuniam vel aliam rem temporalem, quia tunc venderetur spirituale pro temporali. Hinc non liceret permutare beneficium minus dignum sed pinguius cum alio dignori sed minus pingui, si id fieret intentione compensandi excessum fructuum excessu dignitatis et viceversa.

Difficultas ergo solum est quando beneficia, inter quae fit permutatio, sunt inaequalia in temporalibus. Sententia affirmantium id simoniacum esse verior videtur. Eam tenent plures magni nominis DD. uti Reiffenstuel, Bonacina, Suarez, Layman, Salmanticenses etc. et vocatur a s. Alphonso probabilior, et quidem merito; temporale enim

(1) Cf. S. Thomam 2-2. Q. 100, Art. 1. ad 1^m. et S. Alphonsum lib. III n. 72.

illud est antecedenter adnexum spirituali; vendere quapropter non licet. Nec id fieri posset auctoritate Praelati. Romanus Pontifex tamen licite id faceret, non per modum propriae permutationis, sed novum ius ex parte ipsarum rerum statuens, scilicet diminutione unius beneficii, aliud augendo quoad temporales reditus. Attendendae tamen sunt conditiones necessariae ut permutationes in materia beneficiali pure et absque simonia fiant. Eas tradit Suarez *l. c. de simonia c. 34, n. 19* et sunt:

a) Ut res sint permutabiles natura sua.

b) Ut permutatio fiat auctoritate Superioris Praelati, ad quem de iure id spectat.

c) Ut nullum pactum inter partes privatim fiat nisi in ordine ad consensum Pontificis vel Praelati qui possit illi auctoritatem dare.

7. Denique Simonia Realis committi potest in *Beneficiorum resignatione*, quae communiter definitur *Ecclesiastici Beneficii ex auctoritate Superioris sponte et legitime facta abdicatio.*

Resignatio Beneficii potest fieri quatuor modis, nempe:

a) *Pure* et *absolute*, absque reservatione pensionis, et sine designatione personae cui Beneficium post resignationem conferri debeat.

b) *Pure* et *non absolute* seu cum designatione successoris, absque pensionis reservatione.

c) *Absolute* et *non pure* reservando nempe pensionem, absque successoris designatione.

d) *Nec pure nec absolute* seu quando Beneficium resignatur cum pacto ut alicui certae personae conferatur, et cum reservatione pensionis.

Resignatio primo modo facta non est Simoniaca; immo licitum est unicuique suo Beneficio renuntiare, dummodo tamen hoc non fiat adimplendo pactionem antea initam renunciandi Beneficium ad aliquid temporale obtinendum, quia tunc censura huius Capitis incurreretur.

Item resignans Beneficium cum pacto ut solvantur expensae factae in possessionis adeptione, Simoniam committit. Est sententia communis cum Schmalzgrueber *n. 129 De Simonia*, Suarez. *l. c. cap. 35 n. 24*, et Parisio Flaminio *De resignat. l. 14 quaest. 7 n. 1* qui refert ex Put. *decis. 40, lib. II* id firmatum a S. Rota fuisse die 19 Octobris 1543. Ratio est quia in materia Beneficiorum omnis pactio onerosa est Simoniaca, ex *cap. Quaesitum De Rerum permutatione*, et *cap. ult. de Pact.* Attamen placet moderatio quam huic sententiae addit Roncaglia *Tract. VII, Quaest. III cap. 3 n. IX. Theologiae Moralis*, nempe licitum resignatario esse indemnitatem petere laboris et expensarum coniunctarum cum ipsa resignatione, cum haec omnia in commodum ipsius resignatarii praestentur, ideoque non am-

plius habeatur mutua rei traditio quae requiritur ad constituendam Simoniam Realem.

Simoniaca est resignatio quae fit cum designatione successoris, si tamen adsit pactio onerosa renunciandi Beneficium, dummodo Episcopus personae designatae illud conferat. Ecclesia semper ab huiusmodi conditionatis resignationibus abhorruit, ne ius quasi haereditariae successionis in beneficiis induci inter consanguineos videretur (1). Et S. Pius V tertio sui Pontificatus anno edidit Constitutionem incip. « *Quanta* » in qua postquam nonnullas statuisset moderationes ac declarationes circa tempus et modum quibus in posterum admittendae essent ab Ordinariis Beneficiorum resignationes, prohibuit Episcopis aliisque collatoribus, in quorum manibus cuiuslibet Beneficii resignatio fieret, ne idem Beneficium aut suis aut resignantis consanguineis, affinibus, vel familiaribus conferrent. (2)

Beneficii Renunciatio cum reservatione Pensionis facta, Simoniaca est, si abfuerit Apostolicum Beneplacitum, quia, solus Papa imponere potest Pensionem quae transeat ad Successores in Beneficio, quidquid contra aliqui DD. affirmare audeant ; qua super re confer Card. De Luca *De Pension. D. 40 n. 4.*

Hoc in loco quaeri potest, utrum simoniaci sint Clerici qui Beneficia aliis resignent, reservata sibi sub Beneplacito Apostolico, annua pensione, et inito eodem tempore pacto cum resignatario cassandi et abolendi dictam pensionem factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniae ad eam usque summam, quae ad abolitionem et extinctionem ipsius pensionis stabilita fuit; deposita tamen interea pecuniae summa apud mensam argentariam, donec Bullam resignationis Beneficii et reservatae Pensionis a Dataria Apostolica obtinuerint.

Cum ad aures Benedicti XIV huiusmodi casus pervenisset, magnus ille Pontifex die 29 Augusti 1741 Constitutionem edidit incip. « *In Sublimi* » qua irritas ac nullas huiusmodi pactiones declara-

(1) Concilium Tridentinum *Sess. XXV cap. 15 de Reformatione* vetuit ne filii Clericorum illegitimi, in ipsa Ecclesia ubi Pater Beneficium obtinuerat, aliud quamvis diversum Beneficium habere praesumerent « ut paternae incontinentiae » memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur. » Hoc Tridentini Decretum pulcherrime illustravit doctissimus Pontifex Benedictus XIV in opere *De Synodo Dioec. lib. 13, cap. 24.*

(2) Hanc S. Pii V Constitutionem habere locum etiam in Beneficiis Paroecialibus declaravit S. C. Concilii, uti videre est apud Benedictum XIV *De Synod. Dioec. l. c.*, servata forma examinis per concursum a S. Tridentino Concilio *c. 18 Sess. XXIV* praescripta. Ideoque Episcopi in collatione Parochiarum per concursum, consanguineos, affines vel familiares suos vel resignantis admittere nequeunt. Hac super re confer Fagnanum in *cap. Non sine, 2, De Arbitris, numero 52.*

vit, adiecta poena privationis Beneficii a Resignante ac Resignatario huiusmodi pactiones statuentibus ipso facto incurrenda, una cum inhabilitate ad alia Beneficia quaelibet assequenda.

Ex hac ipsa Benedictina Constitutione clare deducitur, huiusmodi pactiones Simoniacas esse; cum Pontifex dicat « Beneficii resignationem » in *occultum venditionem* execrabili transformatione in his casibus » commutari. »

Quoad casus resignationis non purae nec absolutae ex dictis patet, Simoniae crimen in illis haberi, nisi interveniat Pontificis auctoritas. Ceterum cum malitia hominum novas semper legis violationes inveniat, infiniti essent casus quibus Simonia Realis in Beneficiis contrahitur. Nec eos referre ducimus, cum iam principia generalia quaedam posuerimus, quibus facillime Confessarii iudicare poterunt quando Simonia Realis habeatur, quando vero non. Praeterire tamen non putamus quasdam quaestiunculas, quas DD. omnes hanc materiam pertractantes numquam omittunt.

Et 1. quaeritur: an licitum sit pecunia vexationem redimere, si quis impedimentum ponat quominus Beneficium consequi possit?

Distinctione utendum hac in re nobis videtur. Id licitum esse putamus, cum is cui impedimentum opponitur, verum ius habet, non tantum *ad beneficium*, sed *in ipso Beneficio*. Etenim tunc agitur de iure quaesito ac certo, quod redimi ab iniusta molestia *cap. Cum dilectus 28 De Simonia* (1) permittit. Huic autem capiti, non opponitur *cap. Matth. 23 eodem tit.*, ubi Lucius III reprobare videtur huiusmodi pactiones (2). DD. simul conferunt has oppositas sententias, et unani-

(1) Hoc enim in capite Celestinus III Liconiensi Episcopo ita loquitur : « Dilectus filius R. praepositus nobis exposuit quod cum Eboracensis Archiepiscopus » cum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem » pecuniae se daturum ut ab ipsius desisteret laesione. Verum dictus Archiepiscopus » post receptionem pecuniae super dignitatibus et beneficiis eius, ab eius molestia » non quievit. Ideoque districte mandamus quatenus si res ita se habet, Archiepiscopum restituere quod accepit si eum contra permissionem suam venisse constiterit) compellatis. »

(2) En eius verba: « Matthaeus Cardinalis secreta nobis insinuatione monstravit » quod cum fuisses ad Ecclesiae tuae regimen de voluntate maioris et sanioris » partis fratrum electus, paucis tibi contradicentibus, quidam amicus tuus de consscientia tua et voluntate turbata, ei qui magister discordiae videbatur certae » quantitatis munus exsolvit, et sic contradictio conquievit. Nunc autem dubitas » quod non sis a labe Simoniae prorsus immunis donec in administratione volueris » remanere. Quia igitur consilium requisisti quid tibi sit faciendum, respondemus » quod multum sibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, » illius verbi memor existens: *Nihil prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.* »

mes (1) asserunt, in primo casu ius *in re* extituisse, in alio vero solummodo ius *ad rem*, quod ius est valde imperfectum. Ita docere videtur etiam S. Thomas in 2. 2. *quaest. 100 art. 2 ad 5* « Antequam alicui acquiratur ius in » Episcopatu vel quacumque dignitate vel praebenda per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere. » Item in *IV Sententiar. dist. 25 quaest. 4 art. 2 quaestiuncula 1 ad 7* ait idem Angelicus: « Si non est sibi acquisitum ius per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario ut desistat. Si autem est ei acquisitum ius, potest aliquid dare, non ut pretium Praelationis, sed ut redemptionem vexationis propriae. »

Id confirmatur ex praxi Sacrae Congregationis Concilii, quae cum de similibus casibus iudicare debet, ante omnia scribit Ordinario ut referat *de vexatione iniuste passa, et an sit ius quaesitum in eo qui vexationem pecunia redimit*, uti videre est in *Auriensi* 9 Aprilis et in *Ravennatensi* 18 Iunii anno 1785.

Quapropter ut liceat pecuniâ finem ponere dissidiis circa Beneficia, Benedictus XIV *Instit. 93* tria exigit:

a) Ut qui solvit pecuniam ius habeat non solum *ad Beneficium* sed *in Beneficio*.

b) Ut ius clare suffragetur illi qui pecuniam solvit.

c) Ut vexatio sit iniusta.

His tribus requisitis aliud ex pluribus DD. addit Suarez *l. c. de Simonia, cap. 50, n. 1* scilicet ut vexatio sit de facto non de iure. Attamen, ut ipse Suarez addit, haec conditio cum praecedentibus coincidit; nam si vexatio esset de iure, non de facto, non amplius iniusta dici posset. Hae autem conditiones requiruntur ab omnibus DD. ut Simonia realis in redimenda vexatione habeatur. Satis sit S. Antonin. qui *part. II Summ. tit. 1 cap. 4, in fin.* §. 2 sic ait: « Ratione redimendae vexationis et antequam ius acquiratur alicui in Beneficio vel dignitate, non licet dare ad redimendam vexationem suam, alias Simonia esset; sed postquam fuerit adeptus et ius sibi acquisitum, vexationem sibi iniuste factam super Ecclesia, vel Beneficio, vel Dignitate licet pecunia redimere, sed non iustam vexationem, ut si iuste accusetur, vel huiusmodi. » Quod s. Thomas confirmat exemplo Iacobi dicens. *loc. cit. art. 4 ad 3* : « Ius primogeniturae debebatur Iacob ex divina electione... et ideo non peccavit emendo, quia in-

(1) Confer Gonzalez in *cit. cap. Matthaeus*.

» telligitur suam vexationem rede- » misse ».

Unde Simoniam committit dignus offerendo in concursu pecuniam digniori ut desistat ab oppositione, ut tenent Navarrus in *Manual. cap. 23 n. 101;* Soto, Fernandez et Barbosa *De offic. et potest. parochi cap. 2, n. 106.*

Attamen aliquam moderationem his quae dicta sunt, addunt DD. dicendo licitum esse pecunia iniustam vexationem redimere etiam ante ius acquisitum, si ille qui vexat iniuste et impedit electionem, non potest in eam influere positive, etiamsi a vexatione desistat, ut cum aliis pluribus asserit Soto, *quaest. 6 art. 1 ad 5, et quaest. 7 art. 1 in corp. Dubit. ultim.* Quod comprobatur exemplo eius qui precibus importunis aut pretio corrumpit electores, cum ipse elector non sit, ne aliquis eligatur. Tunc Valentia *Tom. III, disput. 6, quaest. 16, puncto 3,* et Lessius *lib. II cap. 35 dub. 18* asserunt, licitum esse ei, contra quem haec vexatio infertur, pecuniâ subornatorem inducere ad desistendum.

Item si quis tradidit pecuniam electoribus indignum eligere volentibus ne illum ad Beneficium eligant, Simoniam hunc non committere censet Barbosa in *Collectanea DD. ad Conc. Trident. cap. 14 Sess. XXIV de Ref. n. 139* et quidem recte; non enim pecuniam dat, ut indigno posthabito, sibi beneficium conferatur, sed digniori cuicumque; hoc itaque in facto desunt ipsa requisita ad Simoniam constituendam necessaria, ut ex definitione patet.

Ad evitandam autem omnem Simoniae speciem in vexatione redimenda, tutior vía est quae a S. Carolo Borromaeo in primo Provinciali Mediolanensi Concilio statuta fuit *Part. 2 Const. c. 11* his verbis: « Ne redimendae vexationis specie » in causis Beneficiorum, simoniacae pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam » vexationem, ne in casibus quidem » a iure permissis, pecuniam dare, » quidquam pacisci aut transigere » nisi Episcopi consensus accesserit; cuius partes erunt et perspicere diligenter an subsit aliqua » fraus, et, ubi rem fraude carere » et iure permissam esse cognoverit, non denegare ei qui petierit » facultatem se a vexatione liberandi. » (1)

2. Altera huic affinis quaestio est: utrum licita sit, an simoniaca transatio ad dirimendam litem in Beneficiis?

Notandum in primis est, transactionem esse pactionem non gratuitam de re dubia et lite incerta

(1) Sanctissimo Archiepiscopo adstipulantur alia Concilia, nimirum *Provinciale Ravennatense* habitum an. 1569 ac *Synodus Ravennatis* an. 1607. Item *Concilium Provinciale Beneventanum* an. 1656, *Concilium Provinciale Neapolitanum* an. 1683, *Synodus Auximana* an. 1593, *Raven.* an. 1640 ac *Synodus Absina* habita an. 1683. Confer Benedictum XIV *De Syn. Diaec. lib. XII c. 6. n. 5*

ad litem dirimendam, uti definitur a Bonacina *de Simonia* §. *XV n. 1.*

At patet, pactionem quamcumque non gratuitam in Beneficiis, si executioni mandetur, Simoniam Realem, prout hoc in capite censura plectitur, constituere et consequenter semper illicitam esse. Quoad transactionem in Beneficiis ad litem dirimendam id certum est ex *cap. Super eo, 7 De transact.*, ubi Alexander III, ita loquitur: « *Super eo quod quaesivisti utrum* » *ab Ecclesiastico Beneficio in litigium deductum possit fieri transactio, tale damus responsum* » *quod transigi super Re Sacra et litigiosa non potest. Etenim Res* » *sacrae ut possideantur aliquo dato,* » *vel retento, seu promisso, speciem* » *credimus habere Simoniae. Alias,* » *si gratis et amicabiliter inter se* » *litigantes componant, Sacris Ca-* » *nonibus nequaquam dicimus ob-* » *viare.* » Et *cap. Constitutus, 4 eod. tit.* idem Pontifex haec habet : « *Constitutus in Nostra praesentia* » *G. Clericus sua nobis assertione* » *monstravit quod cum inter ipsum* » *et A. Clericum super Capella de* » *Castris controversia emersisset,* » *tandem per transactionem sopita* » *fuit, et, licet hinc inde fide prae-* » *stita firmata fuisset, eam tamen* » *praefatus A. servare recusat.* » *Quia igitur huiusmodi transa-* » *ctiones speciem continent Simo-* » *niae, mandamus quatenus revo-* » *cata transactione in irritum, cau-* » *sam audiaris* (sic) etc. »

At si huiusmodi transactiones partium auctoritate fieri non possunt, quaerendum superest utrum iudex arbitrio suo possit uni litigantium constituere pensionem solvendam ab altero, quem in beneficio instituit, eius vita durante.

Sententia affirmans verior videtur *ex c. Nisi essent: 21 de Praeb. ac dign.* (1) et *c. Non sine 2 de Arbi-*

(1) Haec enim habet Innocentius: « Nisi essent viri providi et honesti tam qui » ordinationem fecerunt, tam illi circa quos est facta ordinatio in Ecclesia vestra » super negotio prioratus, ordinationem illam valde suspectam propter exempli pe- » riculum haberemus. Quod ergo post concertationem diutinam ordinatum est circa » unum de duobus electis ut ipse habeat prioratum, hoc ex iurisdictione delegata » secundum institutam videtur esse statutum; quod autem ordinatum est circa reliquum » ut ipse viginti libras de reditibus capituli et quadraginta de proventibus prioratus » percipiat annatim, hoc secundum providentiam intelligitur esse praeceptum ex » arbitraria potestate, cum in delegatos fuerit compromissum qui auctoritatem » retinendo sibi commissam, se pro bono pacis et utilitatis hoc ordinasse fatentur. »

» Quia igitur haec ordinatio ab omnibus est accepta, possuntque licite prior » et Capitulus de proventibus suis propter causas praedictas, non quidem ex pactione » partium, sed ex iussione iudicum provisionem huiusmodi exhibere. Nos eam hoc » adhibito moderamine toleramus ut ad praestationem quadraginta librarum non » dignitas prioratus sed persona prioris maneat onerata; ne forte circa proventus » aliqua videatur facta sectio prioratus, ita quod ipso priore defuncto successor » ipsius ad praestationem quadraginta librarum minime teneatur. »

tris. (1) Ratio cur id Simoniam realem non redoleat est, quia iudex, vel Episcopus propter bonum pacis hoc facere potest. Bonum autem pacis includit temporale commodum et utilitatem, quae certe pretio aestimabilia sunt; ideoque cum in huiusmodi transactionibus non habeatur ratio ipsius iuris spiritualis, sed tantum commoditatis temporalis, nulla Simonia in iis intercedit, quia commutatur temporale cum temporali.

Sed quid dicendum, si Episcopus, vel iudex non suo arbitrio tantum, sed etiam de partium instantia, pensionem beneficiario, qui victor litem superavit, imponat?

Neque hoc in casu Simonia adesse videtur, si partes inter se convenerint in ordine ad consensum praelati vel iudicis, quod late probant Suarez, *De Religione lib. 1, cap. 51, nn. 20. 21,* ac Bonacina *De Simonia* § *15 n. 10.*

IV. Recensitis modis multiplicibus, quibus Simonia realis committi potest in beneficiis, ad capitis absolutionem superest, ut sermonem instituamus de complicibus; et hos enim Pius Papa IX excommunicationi subegit per verba *eorumque complices.*

Atque primum animadvertere oportet, in antiquo iure, *extrav. Cum detestabile de Simonia,* hanc censuram incurrisse omnes qui mediatores *extiterint aut procuraverint* ut simonia realis in beneficiis admitteretur. Hinc ab initio quaerimus; an verbum *complices* eamdem extensionem habeat in Constitutione *Apostolicae sedis,* id est utrum aequipolleat *mediatoribus aut cooperatoribus.* Affirmativam sententiam nobis tenendam esse videtur ex eo quod nomen *complicis* comprehendat eos omnes qui ad delictum patrandum concurrunt. Atqui ad aliquod delictum patrandum quis concurrere potest vel uti *mediator,* vel uti quomodolibet *cooperans;* ergo *complices* in Piana constitutione exprimunt mediatores et cooperatores, de quibus in Extrav. *Cum Detestabile.*

(1) En Alexandri III. verba quae hoc in capite referuntur:

» Non sine multa necessitate A. Presbyter nobis proposuit, quod cum in Ecclesia S. Alfridi per manum N. Archidiaconi de Suella, Personae illius Ecclesiae, Capellanus institutus fuisset, eodem R. mortuo, M. nepos eius qui sibi in Ecclesia iam dicta successit, eumdem presbyterum Capellanum ibidem iterum ordinavit; » *et infra:*

» Cum autem idem Presbyter extra provinciam exulans de suo beneficio non posset institiam obtinere, nec suam ulterius inopiam sustinere, per dolum et fraudem ipsius M. ab eo est Sacramentum extortum, ut arbitrium clericorum duorum exinde susciperet et servaret, qui iam dicto M. faventes, presbytero praeceperunt ut quinque marcas ab eodem susciperet, et toti cederet quaestioni. Quoniam igitur non decet te aliquatenus sustinere ut quod perperam arbitrati sunt debeat incorrectum relinqui, mandamus quatenus si se cognoverint praefati Clerici tam nequiter arbitratos fuisse, dictum Presbyterum ab observantia iuramenti auctoritate nostra prorsus absolvas; vel si arbitrium ipsum noveris aequitate subnixum, ad observantiam ipsius utramque partem, appellatione cessante, compellas. »

Hinc censuram huius capitis incurrunt:

1. *Mediatores*, idest qui se interponunt inter Collatorem et eum qui Beneficium consequi cupit, ut Beneficium pretio temporali obtineat. Item nomine mediatoris venit *intercessor mediatus*, qui scilicet, accepta pecunia, intercedit apud Collatorem ut Beneficium conferat.

Alexander Ciolli in *Commentario de Censuris* n. 117 asserere non dubitavit, in excommunicationem incidere illos intercessores quibus, nulla interveniente pactione, res temporalis datur ut favorem suum praestent ad rem spiritualem obtinendam (1). Verum haec assertio omni argumento destituitur, dum nil ponderis habeat illud quod ab extrav. *Cum detestabile* desumpsit. Etenim suam sententiam ex eo probat quod in *cit. extrav.* dicatur, *simoniam committi cum pecunia datur pro collatione... favore, seu mediatione.* At haec verba ibi nullimode inveniuntur, ut legenti patebit; eam superius ex integro fere retulimus.

Praeterea ex communi Doctorum sententia iam superius vidimus, Simoniam Realem ad effectum incurrendi poenas requirere pactionem inter partes. Ergo putamus nullimode defendi posse praefatam sententiam.

2. *Procurantes* ut Simonia Realis in Beneficiis committatur, idest quomodolibet *cooperantes*, qui scilicet reapse *physice* influant in actionem, vel etiam, uti contendunt Patavini Commentatores, *moraliter* in illam cooperentur, dummodo tamen hac intentione agant.

Ad incurrendam tamen Piani Capitis excommunicationem requiritur tum pro Reis tum pro Complicibus ut effectus revera secutus fuerit. Non censetur enim vera Simonia Realis adesse, si res nondum tradita sit, saltem incipienter ex utraque parte. Ideoque haec excommunicatio incurritur effectu secuto; et rationabiliter; effectu enim non secuto, deest ipsum Simoniae crimen.

V. Sed non solam excommunicationis poenam Rei Simoniae Realis in Beneficiis incurrunt; aliis quoque poenis et censuris in veteri iure subiacebant. Cum vero post Constitutionem « *Apostolicae Sedis* » quae censuras latae sententiae limitavit, huiusmodi censurae non amplius vigeant, restat ut de aliis poenis loquamur a Romanis Pontificibus inflictis ob Simoniam Realem in materia Beneficiaria commissam, quaeque sublatae non fuerunt per Constitutionem « *Apostolicae Sedis.* »

Igitur qui Simoniam Realem in

(1) En eius verba prouti italice sonant: « Quanto ai complici, *la incorrono* » censuram i mediatori, cioè non solo quelli a cui si dà cosa temporale col patto » che ottengano la spirituale, ma *anche quelli a cui si dà, benché senza patto,* » *la cosa temporale per procurare il loro favore ad ottenere la cosa spiri-* » *tuale.* »

Beneficiis committunt, his poenis subiacent:

1. Eorum electio, confirmatio, institutio et alia quaevis provisio circa Beneficium ipso iure irrita ac nulla est si Simoniace facta fuerit.(1) Ita habetur in *Extrav.* Cum detestabile *De Simonia* his verbis: « *Per* » *electiones, postulationes, confir-* » *mationes, provisiones, seu quasvis* » *alias dispositiones, quas Simonia-* » *ca contigerit labe fieri, et quae* » *viribus omnino careant in Ec-* » *clesiis, Monasteriis, Dignitatibus,* » *Personatibus, officiis Ecclesiasticis* » *et quibusvis Beneficiis, aut aliquo* » *eorum cuiquam ius nullatenus ac-* » *quiratur, nec inde faciat aliquis* » *fructus suos, sed ad illorum o-* » *mnium quae percepit restitutionem* » *sub animae suae periculo sit ad-* » *strictus.* » Quae Pauli II dispositio confirmata ac renovata fuit a S. Pio V constit. *Cum primum* citata, §. 8. Circa hanc poenam dubia non pauca oriuntur. Qua de causa quaerimus:

a) Utrum nullus sit actus, ex. gr. electio, quae a pluribus fiat iure communitatis vel collegii, si unus tantum Simoniacum ferat suffragium, aliis omnibus rite eligentibus. Affirmative respondendum censemus cum Schmalzgrueber *De Simonia l. c. n. 266,* quia vota se habent per modam unius; ideoque vitium unius voti inficit totum actum.

Limita tamen si praesentatio vel collatio a pluribus fiat prout singuli sunt, uti ex. gr. a patronis, quorum aliquis Simoniace praesentet. Simoniaca enim unius praesentatio vel collatio, alterius collationem vel praesentationem non inficit. Id etiam decisum fuisse a Rota in *Una Comensi.* « Iurispatronatus » *die 6 Martii 1595, coram Mellino,* testis est Farinacius *dec. 103 lib. I,* ubi resolutum fuisse refert quod *praesentatio Simoniaca unius patroni non reddit praesentationes aliorum simoniacas in praeiudicium praesentati qui nullam scientiam habuit simoniae, sed sunt validae ad effectum ut sustineatur praesentatio in favorem praesentati ignorantis.* Hoc enim in casu procedit Regula Iuris in 6 qua *utile per inutile non vitiatur.*

b) Quid autem in casu quo quis Beneficium acquirat per Simoniam non ab ipso sed ab alio commissam? S. Thomas 2. 2. *q. 100, art. VI ad 3* haec habet: « Si ali- » cuius nescientis nec volentis per » alios promotio simoniace procu- » ratur, caret quidem ordinis exe- » cutione et tenetur resignare be- » neficium quod est consecutus cum » fructibus extantibus; non autem

(1) Animadverto tamen quod per simoniam in posteriori actu circa Beneficium commissam, non vitiantur actus iam prius absque ullo Simoniae vitio completi. Ut ex. gr. si Simoniae vitium intervenit in confirmatione vel institutione, valida manet electio vel presentatio quae absque Simoniaca pactione impleta fuit, quamvis confirmatio vel institutio irrita sit.

» tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit; » nisi forte inimicus eius fraudolenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel nisi ipse » expresse contradixerit, tunc enim » non tenetur ad renuntiandum, » nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum. »

Hinc intelligimus distinguendum esse, an Simonia ab alio sit commissa sciente vel ignorante, contradicente vel non contradicente illo pro quo Beneficium procuratum, fuit; item an id in eius favorem vel odium contigerit. Si quis Beneficium obtineat per Simoniam Realem ab alio commissam, si id ignoraverit, tenetur dimittere Beneficium ante omnem Iudicis sententiam, vix cognoverit simoniam intercessisse, eo quod simonia inficit ipsum actum independenter a persona nesciente; excipe tamen si in eius fraudem vel odium inimici eius Simoniam committant, uti habetur *cap. Nobis fuit 27 De Simonia.* (1) Ratio est quia « *non est indulgendum malitiis hominum, et non debet aliquis alterius odio praegravari* », *ex c. 22 de Reg. Iuris in 6.*

Si vero alicui scienti simoniace obtentum Beneficium ab alio fuit, si ipse non contradixerit, tenetur Beneficium restituere, cum provisio nulla sit. Si vero contradixerit, valida est Beneficii collatio; dummodo tamen, ipso ignorante, Beneficium simoniace etiam post eius contradictionem obtineatur, ex *cap. Sicut tuis 33 de Simonia* (2).

2. Qui Simoniace Beneficium adeptus fuerit non defenditur regula *de triennali possessione,* (3) quia

(1) In caput: « Nobis fuit ex parte tua intimatum quod cum quatuor essent » a Capitulo constituti qui debebant quemdam eligere in plebanum, amici eius de » cuius electione spes habebatur uni vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam » soluturos, eo tamen ignorante qui eiusmodi promissione interveniente postmodum » est electus. Quia igitur super hoc consulere Nos voluisti, consultationi tuae breviter respondemus quod nisi constaret illos qui promissum tale fecerunt, per » fraudem in dispendium illius qui eligendus erat id malitiose fecisse, quamvis ipse » promissionis conscius non fuerit, eius tamen electio tanquam Simoniaca pravitate » praesumpta est penitus reprobanda. »

(2) Ibi enim legitur: « Quamvis secundum Sacrorum Canonum instituta etiam » parvuli qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti eas dimittere » teneantur, quia tamen longe diversum est non praebere consensum et expresse » aliquid prohibere, taliter duximus respondendum: Quoniam ex eo quod contra » prohibitionem et voluntatem tuam a qua postmodum minime recessisti aliquis » te penitus ignorante promisit pecuniam et exsolvit, praesertim cum is nulla sit » tibi consanguinitate coniunctus, nihil debet tibi ad poenam vel culpam imputari; » nisi postea consenseris pecuniam solvendo promissam aut reddendo solutam. »

3) Est XXXVI inter Regulas Cancellariae et ita fertur: « Si quis quaecumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, *absque simoniaco ingressu,* ex

in ea excipitur *ingressus Simoniacus*. Si vero Simonia, inscio proviso, ab alio commissa fuerit, huius regulae exceptio ei competit, ut censet Rigantius *in Reg. XXXVI Cancellariae n. 132*, auctoritatibus innixus plurium magni nominis Doctorum, ac Sacrae Rotae Decisionibus quas affert.

3. His poenis accedit obligatio restituendi fructus ex Beneficio simoniace obtento comparatos, dummodo Simonia super Beneficio ab ipso Beneficiario, vel etiam ab alio, ipso sciente et non contradicente, commissa fuerit. Quinam autem sint restituendi fructus ex Beneficio simoniace obtento percepti, indicat S. Thomas *2. 2. q. 100 art. 6 aa 4.* « Pecunia, vel possessio, vel fructus, simoniace accepta, debent restitui Ecclesiae in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quod Praelatus vel aliquis de Collegio illius Ecclesiae fuit in culpa, quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt inde commodum non consequantur. Si vero Praelatus et totum Collegium sunt in culpa, tunc debet, cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiae erogari. »

4. Alia poena ipso facto incurrenda ab illo qui per Simoniam Realem Beneficium aliquod obtinuit, est inhabilitas perpetua ad idem Beneficium, vel etiam ad alia omnia obtinenda. Constat ex *cit.* § *8. Bullae S. Pii V. incipientis* « *Cum Primum* » ubi legitur: « Qui » beneficium aut officium Ecclesiasticum Simoniace adeptus fuerit... » *perpetuo* sit inhabilis ad ea et » quaecumque alia Beneficia Ecclesiastica obtinenda. » Hinc non potest tuto teneri sententia Schmalzgrueber qui *l. c. n. 268* censuit, inhabilitatem ad idem Beneficium obtinendum *pro ea vice* tantum incurri, quia uti observat Reiffenstuel *l. c. n. 266* post verba praefatae Constitutionis, res omni controversia caret. Quoad inhabilitatem ad alia Beneficia obtinenda, Navarrus *Consil. 92 De Simonia*, Palaus *De Simonia punct. 25*, Suarez *De Simonia cap. 58, n. 16* et Pirhing *lib. V tit. 3 n. 170* tenent, hanc poenam inhabilitatis non procedere nisi post sententiam iudicis declaratoriam, quia Bullam Pii V in hac particula dicunt non fuisse usu receptam. Verum, observat Thesaurus *l. c. n. VII* oppositam sententiam veriorem esse, eamque observare stylum Sacrae Poenitentiariae, ideoque hanc poenam obligare ante omnem sententiam in conscientia.

» quovis titulo... per triennium pacifice possederit dummodo in Beneficiis huius» modi se non intruserit) super eiusdem beneficiis molestari nequeat, nec non » impetrationes quaslibet Beneficiis ipsis sic professis factas irritas et inanes censeri » debere decrevit (Sanctissimus), antiquas lites super illis motas penitus extin» guendo. »

Immo id locum habere etiam in Simonia Conventionali tenuit Garcia *De Beneficiis p. 8. c. 1 n. 63* pluribus Rotae decisionibus, quas refert, innixus.

5. Pretium Simoniacum, idest omne lucrum quod pro Beneficio acceptum fuit, restituendum est ante omnem sententiam etiam pro foro conscientiae, quod pro mediatoribus quoque procedere in Simonia conventionali mixta tenent Navarrus, Suarez, Lessius, Sanchez, aliique communiter apud Thesaurum *l. c. n. 4.* Cuinam restituendum sit pretium Simoniacum iam vidimus ex S. Thoma in *loco* superius *citato.* Hoc tamen limitant Doctores aientes, ante iudicis sententiam restitui posse etiam ipsi qui prius illud dedit. Ita Sotus, Palao, Lessius, Bannez, aliique plures apud Reiffenstuel *l. c. n. 296* et Schmalzgrueber *n. 304.*

VI. His quoad Simoniae realis poenas delibatis, restat ut loquamur de absolutione ab iisdem. Igitur:

1. Certum est, ab Excommunicatione ob Simoniam realem in Beneficiis incursa, solum Romanum Pontificem absolvere posse, cum inter simpliciter Sedi Apostolicae reservatas huiusmodi censura recenseatur. Hoc limitandum in casibus occultis, in quibus Episcopi facultate pollent absolvendi ex Concilii Tridentini *cap.* « Liceat » *6 Sess. 24 de Reform.;* haec enim facultas confirmata fuit per Constitutionem « *Apostolicae Sedis.*»

2. Quoad poenam inhabilitatis ad eadem vel alia Beneficia obtinenda, distinguere solent Doctores:

a) Si Beneficium super quo Simonia commissa est, *simplex* extiterit (1) potest Episcopus dispensare dummodo electus nullo modo reus Simoniae fuerit, utpote qui vel eam ignoraverit, vel cognitam ratam non habuerit. Id constat ex *cap. Si alicuius 59 De Electione,* quod ita se habet: « *Si alicuius electionem pro*» *pter Simoniam eo ignorante ac* » *ratam non habente commissam,* » *contigerit reprobari, cum eo su*» *per Praelatione ad quam tali*» *ter fuerat electus, illa vice non* » *potest Episcopus dispensare; quam*» *vis circa eum qui ignoranter* » *decepit, simplex Beneficium per* » *simoniacam pravitatem, post li*» *beram resignationem dispensatio* » *Episcopi toleretur.* »

b) Ex eodem autem capite intelligimus quod si Beneficium duplex fuerit, *pro illa vice* recurrendum est ad Romanum Pontificem. Dicitur autem *pro illa vice* ut intelligatur, Episcopum dispensare posse ab inhabilitate ad obtinendum Beneficium si nova eiusdem vacatio contigerit.

1) Beneficium *simplex* iuxta Schmalzgrueber *lib. III tit. 5 n. 30-32,* « est quod nullam iurisdictionem, curam animarum, vel administrationem, aut specialem praeminentiam sibi adnexam habet, sed ad solam adsistentiam in choro, vel altaris servitium obligat. » E contra beneficium duplex,

c) Si vero Beneficiarius ipse vel etiam alius, ipso sciente et non contradicente, Simoniam commiserit non potest Episcopus dispensare ut illud Beneficium vel tunc vel postea Beneficiarius obtinere valeat. Hinc iure S. Thomas *2. 2. q. 100 art. VI ad 7* dicit « *quod* » *dispensare cum eo qui est Be-* » *neficiatus simoniace scienter, so-* » *lus Papa potest.* » Immo id locum habere etiam in casibus occultis declaravit S. Congregatio, cuius decisionem ex Farinaccio refert Palaus *De Simonia punct. 28 n. 3* his verbis: « *Episcopus etsi a Simo-* » *nia occulte absolvere possit, non* » *potest tamen simoniacum reha-* » *bilitare ad Beneficia imposterum* » *obtinenda, neque ad retinenda* » *quae per occultam simoniam re-* » *tinet.* »

Caeterum Maior Poenitentiarius facultate absolvendi in aliquibus casibus alioquin Romano Pontifici reservatis, pollet. Qua super re extat Constitutio quaedam incipiens « *Pastor Bonus* » edita a Benedicto XIV die 13 Aprilis 1744 hac de causa, ut facultates Maioris Poenitentiarii declararet circa absolutionem a censuris et poenis Sedi Apostolicae reservatis. (1) Aliquid de Simonia Reali in Beneficiis ibi invenitur quod coronidis gratia hic subnectendum putamus. Ait igitur Benedictus XIV §. 22 et sequentibus.

« Cum agitur de Simonia Reali » scienter contracta et de Beneficiis super quibus eadem contracta fuit, abstineat (Maior Poenitentiarius) a dispensationibus seu » convalidationibus Titulorum etiam in foro conscientiae tantum, » etiam in casibus occultis; nisi » forte praedicta Simonia contracta fuerit ignorantia facti vel iuris, et Orator de illa certior factus quam primum commode poterit, dispensationem petierit. » Idemque intelligatur de Pensionibus super quibus Simonia Realis scienter contracta et commissa » fuerit.

» Abstineat a condonatione pretii Simoniaci, quando in Ecclesiam laesam vel pauperes erogari » debet; praeter quam si delinquentium paupertas et qualitas suadeant, aliquam eius partem ipsis » remitti aut condonari posse, residuo semper in Ecclesiam vel » alios pauperes erogando. »

Porro si Simonia *publica* fuerit ita ut dispensatio necessaria sit etiam pro foro externo, recursus fieri debet ad Datariam Apostolicam, qua de re confer Pyrrhum Corradum in *Praxi Dispensation. l. 5, c. 9, n. 13 et 14.* Si autem Simonia *occulta* sit, ita ut dispensatio sit necessaria pro foro interno tantum, sup-

(1) Hoc in loco adnotandum occurrit quod edita anno 1869 Constitutione « *Apostolicae Sedis* » dubitatum Romae fuit utrum illius Constitutionis vi cessarent facultates S. Poenitentiariae a Benedicto XIV concessae. Pius PP. IX declaravit, ut a viris probatis audivimus, se derogare nolle Benedictinae Constitutioni.

picari debet S. Poenitentiariae inscribendo libellos supplices Cardinali Maiori Poenitentiario uti fit pro obtinendis dispensationibus in causis Matrimonialibus.

VII. Hisce pleno iure huic capiti finem imponere potuissemus; attamen gratum quid facturos nos esse lectoribus nostris speramus, si aliquid addamus de abrogatione censurarum in Simonia commissa circa res sacras, ordines, atque officia.

Certum igitur in primis est, excommunicationem non amplius eos incurrere, qui Simoniam realem in rerum sacrarum venditione committunt. Dubium tamen exoriri potest; utrum adhuc teneant poenae antiquo iure latae adversus Simoniace ordinantes ac ordinatos. Ratio dubitandi est quia Pius PP. IX hac sua Constitutione confirmavit censuras a Concilio Tridentino inflictas. Porro Tridentina Synodus *Sess. XXI c. 1 de Reformatione* (1) poenas a iure inflictas adversus Simoniace ordinantes ac ordinatos confirmavit (2).

Verum si verba Constitutionis

(1) En illius capitis verba: « Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis tonsurae, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi et alii Ordinum collatores aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. Nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit *(S. Synodus)*, contrarias taxas ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quae potius abusus et corruptelae simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cessando et interdicendo, et *qui secus fecerint tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, poenas a iure inflictas ipso facto incurrant.* »

2) Poenae contra simoniacam Ordinationem a Veteri iure inflictae quoad ordinantem haec erant *(Schmalzgrueber lib. 5 tit. 3 n. 257)*:

1. Excommunicatio Papae reservata.
2. Suspensio a Collatione cuiuslibet ordinis etiam primae Tonsurae.
3. Suspensio a pontificalibus.
4. Interdictum ab ingressu Ecclesiae.
5. Suspensio ab Ecclesiae administratione.

Quoad ordinatum vero erant:

1. Excommunicatio Papae reservata.
2. Privatio spei ascendendi ad ordines superiores.

Has censuras Tridentina Synodus confirmavit.

Post Tridentinum celeberrima est hac super re Sixti V Constitutio incipiens *Sanctum* edita die 5 Ian. 1588, quae etsi a Clemente VIII (Constit. « Romanum » 28 Februarii 1596) ad terminos iuris communis redacta fuerit, hoc non fuit quoad

« *Apostolicae Sedis* » inspiciamus, quibus Pius PP. IX voluit in suo vigore Tridentinas censuras manere, statim videmus, haec referri ad eas censuras quas Tridentina Synodus directe inflixit. Etenim ait: « *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici, aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus.* » Et rursus: « *Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.* » At ex usu loquendi Romanae Curiae, non dicerentur *inflictae* a Concilio Tridentino illae censurae quas Sancta Synodus tantum innovavit, non tamen ipsa directe tulit, uti sunt censurae latae in Simoniace ordinantes ac ordinatos. At, cum hac super re sermo rediturus sit hóc in Commentario nunc hic sistimus. Dubium unum superest; analiae poenae contra Ordinantes et Ordinatos simoniace adhuc vigeant. Affirmative hac in re respondendum videtur, cum quoad poenas quae proprie censurae nomine non veniunt nihil in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » innovatum sit; in exemplum sit illa poena quam incurrit Simoniace ordinatus idest *suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores.* Haec cum proprie non sit *censura,* sed potius *irregularitas* quaedam, in suo robore permanere videtur.

Dubitatur tamen utrum ab hac irregularitate in occultis dispensare possint Episcopi ex capite *Liceat,* quo Tridentinum Concilium facultatem dispensandi a censuris et irregularitatibus in casibus occultis Episcopis impertivit. (1) Ad negativam sententiam defendendam cum Clariss. P. Ballerinio nos impellit citata Sixti V Constitutio incipiens « *Sanctum* » qua derogatum fuit huic capiti pro poenis Simoniae in collatione ordinum.

Equidem Cl. Auctores Operis cui titulus *Vindiciae Alphonsianae, Part. III, quaest. 5, conclus. nota 6*

poenas in ipsa inflictas adversus Simoniacas ordinationes, cum id Clemens VIII in sua Constitutione expresse declaret. Super hac Sixti V Constitutione nulla quaestio movetur, cum censurae ab ea inflictae contra Simoniacos Ordinum collatores vi Constitutionis « Apostolicae Sedis » sublatae fuerint.

(1) Habetur Sess. XXIV cap. 6 *de Reform.* his verbis: « Liceat Episcopis in » irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ex- » cepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum » contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apo » stolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua, per » se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis » absolvere, imposita poenitentia salutari..... »

asserere non dubitarunt, « *hodie non* » *amplius vigere memoratam dero-* » *gationem a Sixto V factam dis-* » *positioni Tridentinae cap. Li-* » *ceat cit.* » eo quod « *in citata* » *constitut.* « Apostolicae Sedis » » *expressis verbis dicitur.* Firmam » tamen esse volumus absolvendi » facultatem a Tridentina Synodo » Episcopis concessam *Sess. XXIV* » *c. 6 de Reform.* in quibuscum- » que censuris Apostolicae Sedi » hac nostra Constitutione reserva- » tis, iis tantum exceptis, quas » eidem Apostolicae Sedi speciali » modo reservatas declaravimus. »

Sed animadvertere Praefati Auctores debuissent quae hoc in loco in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » diserte leguntur, scilicet firmam hanc facultatem Episcopis a Tridentina Synodo concessam manere pro *censuris* tantum quae ab hac ipsa Constitutione « *Apostolicae Sedis* » Romano Pontifici reservatae fuerint. Cum itaque Constitutio « *Apostolicae Sedis* » non derogaverit Sixtinae Constitution, qua in irritum deducebantur facultates episcopis concessae in c. t. Cap. *Liceat*, absolvendi et dispensandi Simoniace ordinantes et ordinatos quoad alias poenas, neque Pius Papa IX in sua Const. eiusmodi poenas abrogaverit, patere putamus, vigere Xisti V Constitutionem, et episcopos etiam post Pianam Constitutionem destitui facultatibus eiusmodi Simoniace ordinantes absolvendi ab hac suspensione, qua privantur spe ascendendi ad ordines superiores; et proinde non est censura. Affirmandum hoc tamen est pro iis locis tantum ubi praefata Sixti V Constitutio est usu recepta.

Neque *secundo* sub huius Capitis Piani dispositione recenseri putamus officia, quamvis gravem culpam simoniam Realem super iis committendo adesse censeamus. Hinc si quis emat officium Cantoris, Œconomi, Vicarii Generalis etc. huius articuli censuram non incurrit, uti tenent omnes Constitutionis « *Apostolicae Sedis* » commentatores.

Et satis.

APPENDIX XXIII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN REOS SIMONIAE CONFIDENTIALIS IN BENEFICIIS QUIBUSLIBET CUIUSCUMQUE SINT DIGNITATIS

Simonia confidentialis hominum malitia inducta fuit, tum ut poenas effugerent contra realem Simoniam latas, tum ut beneficia veluti haereditaria successione possiderent.

Ea porro consistit in collatione vel renunciatione Ecclesiae, officii, aut Beneficii in alterius favorem facta, hac adiecta lege, ut in ipsos conferentes aut resignantes, vel etiam in eorum addictos ipsa beneficia, vel eorum fructus, vel etiam pensiones super iis impositae transferantur.

Ad huiusmodi Simoniae genus abolendum Tridentini Patres *Sess. XXV cap. 7 de Reformatione,* vetuerant accessus et regressus ad quodcumque Beneficium:

« Cum in Beneficiis Ecclesiasticis, » inquiunt, ea, quae haereditariae » successionis imaginem referunt, » Sacris Constitutionibus sint odiosa, » et Patrum decretis contraria, ne- » mini in posterum accessus aut » regressus, etiam de consensu, ad » Beneficium Ecclesiasticum cuius- » cumque qualitatis concedatur...; » hocque decretum in quibuscumque » Beneficiis Ecclesiasticis, ac in qui- » buscumque personis etiam Cardi- » nalatus honore fulgentibus locum » habeat. »

Verum, cum plures S. R. E. Cardinales Beneficia in confidentiam recepissent, idque efficerent, ut tempore opportuno ea renunciando, aliis ipsorum consanguineis vel familiaribus conferrentur, Pius IV eos in Secreto Consistorio monuit ne Beneficia in confidentiam reciperent, et ita recepta ultro dimitterent. Cito tamen Rom. Pontifex cognovit, Cardinalium alios, monitione et praecepto posthabitis, Beneficia huiusmodi non dimisisse; alios vero etiam Archiepiscopos, Episcopos ac Camerae Apostolicae Clericos Beneficia confidentialiter in sui favorem dimissa vel resignata acceptasse, et insuper ad eludendas solutiones Camerae Apostolicae debitas, aliis Beneficia renunciasse cum pacto ut, elapso solutionum tempore, denuo in ipsos transferrentur. Qua de causa idem Summus Pontifex die 17 Octobris 1564 Constitutionem edidit incipientem « *Ro*

» *manum Pontificem* » qua declaravit:

1. « Omnes et singulas Ecclesias etiam Metropolitanas, et alias Cathedrales, ac Monasteria, etiam Consistorialia (1), Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, Dignitates etiam maiores et principales, etiam conventuales, Personatus, Administrationes et officia ceteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam de iurepatronatus, etiam laicorum, etiam nobilium et illustrium, etiam ex fundatione et dotatione existentia, per eiusdem Romanae Ecclesiae etiam Episcopos Cardinales et quoscumque alios, etiam Patriarchas et Archiepiscopos et alios Episcopos, ac etiam eiusdem Camerae Clericos, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias in huiusmodi confidentiam iure prohibitam, cuiusvis personae contemplatione vel intuitu, quovis modo recepta, ipso iure a die receptionis earumdem vacavisse et vacare », immo eorum collationem et dispositionem sibi ac Sedi Apostolicae reservatam esse.

2. « Fructuum et pensionum reservationes, ac facultates transferendi, et collationis Beneficiorum concessiones eis factas, ac regressus, sive accessus et ingressus concessos cessare et extinctos esse. »

3. « Eosdem Cardinales seu quosvis alios a prima die receptionis Beneficiorum huiusmodi, fructus, redditus et proventus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, et aliorum Beneficiorum, ac pensiones praedictas indebite percipere, suosque facere non potuisse neque debuisse, sed illos omnes et singulos ad Cameram Apostolicam devolutos fuisse et esse, illique deberi; ac ipsos Cardinales et alios ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, et eorum haeredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri, et ad id opportunis iuris remediis compelli debere. »

Inferius vero haec habet:

» Insuper universis et singulis tam eiusdem Romanae Ecclesiae Cardinalibus etiam Episcopis, quam Praelatis et Clericis ac aliis praedictis, praesentibus et futuris, ne deinceps ullo unquam tempore aliquas Ecclesias, Monasteria, Dignitates vel alia Beneficia etiam de dicto iurepatronatus, uti praefertur, existentia, aut fructus vel pensiones, aut regressus seu accessus in confidentiam praedictam, aut ad effectum reservationum huiusmodi sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere

(1) *Consistoralia* dicuntur Monasteria quorum dispositio in Consistorio fieri contingit.

» praesumant, Cardinalibus videlicet » et aliis Praelatis huiusmodi in » virtute Sanctae Obedientiae et » sub Interdicti ingressus Ecclesiae, » reliquis vero sub maioris excom- » municationis latae sententiae poe- » na per contrafacientes eo ipso » incurrenda, a qua nisi a Nobis » aut a Romano Pontifice pro tem- » pore existente, praeterquam in » mortis articulo constituti, absolvi » nequeant, districtius inhibemus. »

« Ac quascumque collationes, » provisiones, praefectiones, com- » mendas, reservationes, facultates » etiam transferendi ac regrediendi » sive accedendi ac ingrediendi, ac » alias dispositiones de Ecclesiis, » Monasteriis, Dignitatibus et aliis » Beneficiis, eorumque fructibus et » Beneficiorum collationibus, per » Nos et alios Romanos Pontifices » Successores Nostros, etiam motu » proprio seu consistorialiter, aut » etiam per Ordinarios et alios in- » feriores Collatores, etiam ad pa- » tronorum eorumdem praesenta- » tionem, et alios quomodolibet, » cum interventu confidentiae hu- » iusmodi, expresse sive occulte ac » de iure praesumpto, et alias con- » tra praemissa pro tempore factas, » nullas et invalidas, nulliusque » roboris vel momenti fore, neque » cuiquam suffragari, sed Ecclesias, » Monasteria, Dignitates ac alia Be- » neficia huiusmodi ipso iure vacare, » ac Nostrae et Sedis Apostolicae » dispositione reservata, fructusque » et pensiones Camerae Apostolicae » applicatas, ut praefertur, esse et » censeri decernimus »; non obstan- tibus contrariis quibuscumque.

Cum tamen ipse Pius IV cognitionem causarum confidentialium Sibi et Successoribus suis non reservasset, et istae confidentiae ut plurimum inter S. R. E. Cardinales et Archiepiscopos, Episcopos aliosque potentes viros committerentur; inferiores vero iudices non auderent contra dignitatum culmina iura pronuntiare, Pius PP. V. successor immediatus Sibi et Successoribus suis quascumque causas confidentiales motas vel pendentes, vel etiam in futurum quomodolibet movendas avocavit, hac super re edita speciali Constitutione incipien. « *Licet* » quae promulgata fuit die 5 Ianuarii 1567.

Sed haec Simoniacos non deterruere. Etenim cum plerique cognoscerent, difficillimum esse probare in publicis iudiciis Simoniam Confidentialem, spretis praedictis Constitutionibus, Ecclesias, Monasteria et Beneficia in confidentiam recepta ut prius retinuere, ita ut alii eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoverentur.

Hac de causa Pius V, cui maxime cordi erat huiusmodi confidentias e medio tollere, novam Constitutionem edidit quae magna pollet celebritate, ut et declararet casus omnes in quibus Simoniam Confidentialem intercessisse quisque intelligeret, et coniecturas sufficientes ad huiusmodi crimen in

iudiciis probandum statueret. Eam referre hoc in loco per integrum duximus ut lectoribus melius elucescant quae dicenda sunt.

Ita se habet:

Pius Episcopus
Servus Servorum Dei
Ad Perpet. Rei Memor.

« Intolerabilis multorum perversitas, qui Sacrosanctas Constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, saepe illarum auctores in necessitatem adducit cautius providendi, quo pertinaciam animi ab improbis conatibus, graviore sanctione proposita, reprimantur. »

« § 1. Bene quidem et provident fel. rec. Pius Papa IV praedecessor noster ad tollendam fiduciariae mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit et decrevit etc. (1) ».

« § 2. Verumtamen, propter improbas multorum cupiditates praedictas, quae ad purgandam hac pernicie Ecclesiam et animarum salutem ab ipso Praedecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem, cum, frequentibus plurium querelis pridem concitati quod judices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes et singulas causas ipsas ubicumque motas ad Nos advocavissemus, (2) ac omnimodam huiuscemodi causarum praesentium et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem Nobis et Successoribus Nostris reservavissemus, et super quibusdam coram Nobis processum fuisset, variis inde nec levibus coniecturis intellexi-mus, vitium quidem confidentiae occulte irrepsisse, sed plerisque causis praesumptiones et coniecturas quae ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante litterarum praedictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis confidentias ipsas, contempta Constitutione praedicta, Ecclesias, Monasteria et Beneficia sic recepta ut prius retinere, alios fructus, pensiones et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa Beneficia iure retinere nequeuntes; alii ne cogantur ad Sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant aut defendant, alii propter crimina incapaces; quidam ut, purgato delicto vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque

(1) Uti in Const. inc. *Romanum Pontificem* superius relata.
(2) In Constitutione « *Licet* ».

» fructus ipsorum aut eis minis-
» strantur, aut quibus ipsi statuunt,
» saepe laicis et inhabilibus. Ple-
» rique vel senes, vel infirmi, ut
» beneficia in domibus suis perpe-
» tuent, illa renunciarunt, et re-
» nunciant in alios, qui, vel pro-
» fanam familiam cedentium de
» fructibus ecclesiasticis alant, vel
» illa etiamnum infantibus aut na-
» scituris asservent, facto interdum
» circuitu retrocessionis, cum re-
» servatione fructuum et aliarum
» rerum, aut accessu, praesertim
» ab illis qui praestandorum iurium
» Camerae Apostolicae sunt im-
» munes; alii, aut incapaces, aut
» aliis Beneficiis Ecclesiasticis onusti,
» aut Ecclesiastico Ordini sese man-
» cipare refugientes, aut mere laici,
» Beneficia Ecclesiastica aliis con-
» ferenda procurant, ut de illis
» postmodum ad libitum suum di-
» sponatur, fructus etiam perci-
» pientes illorum. Ad haec, pleri-
» que Ordinarii et collatores ac
» etiam patroni laici curant depo-
» nenda Beneficia, ut fructus seu
» pensiones capiant eorumdem,
» aliisve faciant ministrari. Alia
» item permulta eiusmodi admit-
» tuntur, quibus immaculata rerum
» divinarum puritas impie violatur,
» disciplinae ecclesiasticae nervus
» dirumpitur, et imminens patra-
» tur exitium animarum. »

« § 3. Quare Nos, volentes pe-
» riculosam talium audaciam novi
» iuris subsidio cohibere, praesen-
» tium auctoritate statuimus: Ut
» si quis, quacumque auctoritate,
» Ecclesiam vel Monasterium aut
» aliud Beneficium Ecclesiasticum
» qualecumque ex resignatione vel
» cessione cuiuscumque personae,
» simpliciter aut cum circuitu re-
» trocessionis, cum regressu vel
» accessu, etiam sola dimittentis
» intentione receperit, ut illa vel
» illud, etiam in eventum regressus
» vel accessus, eidem dimittenti,
» vel alteri postea conferatur, aut
» illius fructus vel eorum pars alii
» vel aliis concedantur, vel pen-
» siones solvantur ex eisdem, haec
» Confidentia censeatur. »

« Itidem, si Ordinarius vel alius
» collator contulerit antehac aut
» conferat in futurum Beneficium
» Ecclesiasticum quovis modo va-
» cans, ea conditione tacita vel
» expressa, ut postea in alterum
» pro arbitrio collatoris seu alte-
» rius cuiuscumque, contra iuris
» communis ordinationem, dispo-
» natur; sive ut de eo provisus,
» fructus illius vel partem ad uti-
» litatem vel conferentis vel de-
» cedentis aut alterius relinquat et
» remittat, seu pensionem illi vel
» illis, quem vel quos idem collator,
» vel cedens, vel alius, per se vel
» alium, scripto aut verbo iusserit
» seu significaverit, persolvat; et
» pariter si a patrono etiam laico
» vel alteri praesentatori seu ele-
» ctori contigerit aut contingat id
» fieri. »

« Ad haec, si Clericus praedi-
» ctae Camerae, aut Cardinalis,

» aut alius a solutione iurium ipsius » Camerae vel etiam Cancellariae » Apostolicae exemptus, post re- » signationem vel cessionem ali- » cuius extranei de Ecclesia, Mo- » nasterio aut alio Beneficio Eccle- » siastico, in se Apostolica vel alia » auctoritate factam et admissam, » illam vel illud, etiam confectis » Litteris Apostolicis et possessione » apprehensa, in eumdem resignan- » tem vel cedentem, modico spatio » interiecto, veluti duorum vel » trium mensium, retrocesserit, aut » retrocedat in futurum, et ex illa » retrocessione fructus Ecclesiae, » seu Monasterii, aut Beneficii, vel » eorum pars, seu pensio, seu quid » aliud super his reservatum, aut » regressus, seu accessus, et in- » gressus ad illam vel illud ipsi » Clerico, vel Cardinali, aut alii » exempto, sit, fueritve concessus. »

« Postremo, si quis crimine » aliquo absolutus, aut cum quo » super irregularitate dispensatum » est, denuo receperit, quacumque » auctoritate, Ecclesiam, Monaste- » rium, vel aliud Beneficium Ec- » clesiasticum, quod ante vel post » commissum delictum, aut con- » tractam irregularitatem dimiserit, » in quibusvis horum casuum Con- » fidentiae pravitas sit contracta, » casusque huiusmodi litteris prae- » dictis comprehendantur, ac si » illis speciatim expressi fuissent, » licet ipsum confidentiae crimen » alterius tantum partis conscientia » sit admissum. »

« § 4. Ad probandum vero » plene Confidentiarum abusum, » inter alias, etiam hae praesump- » tiones et coniecturae habeantur, » videlicet: Si quis post cessam ab » se Ecclesiam, vel Monasterium, » aut Beneficium, et publicatam » resignationem seu cessionem, » captamque a Successore posses- » sionem, sese in illa, vel illo, seu » rebus illius, per se, vel aliam, » seu alios, de facto ingesserit, » aut fructus perceperit, aut qui- » cumque successor illi, vel eius » propinquis, ipsos aut partem ali- » quam remiserit eorumdem: »

« Si recipiens Beneficium con- » stituerit dimittentem, vel eius » parentes, aut propinquos, pro- » curatores ad percipiendum, vel » locandum fructus Beneficii di- » missi, et illi, vel illis de fru- » ctibus perceptis aut percipiendis » donationem fecerit: »

« Si, vel sola procurationis de- » positione, vel libris rationalibus » mensariorum ex parte dimittentis, » expeditio, quae personam reci- » pientis concernit, prosecuta sit, » simulque expensae pro ea ne- » cessariae ab illo factae fuerint: »

« § 5. Denique, si quis pro « concessione alicui facta, qua- » cumque auctoritate, de Beneficio » Ecclesiastico, per se, vel alium » seu alios, intercesserit, vel alias » in negotio concessionis sese im- » miscuerit quoquo modo; deinde » aliquid de fructibus talis Benefi- » cii de facto, etiam per manus

» possessoris, ac etiam simplicis » donationis titulo, perceperit, seu » de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum » quandocumque ; »

« § 6. Testes autem de quaque » re singulares singulas probare » valeant praesumptiones et coniecturas, pluresque huiusmodi praesumptiones et coniecturae plenam » probationem faciant in praedictis ; »

« § 7. Ceterum, criminosi et » ceteri omnes qui ad perhibendum » in casibus Simoniae testimonium » recipi possunt, ad praedicta omnia » admittantur. »

« § 8. Sed ne quisquam, etiam » vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censurae stimulo » usquequaque prohibeatur, omnes » et singulos qui hucusque Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc Confidentiae vitio, » receperunt ac retinent, nisi statim, ad se reversi et resipiscentes, » celeri dimissione sibi prospexerint, et quid tale admiserint in » futurum, etiam omnibus et singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, » Dignitatibus, administrationibus, » officiis et Beneficiis obtentis, quae » pariter sub dicta reservatione » comprehendi volumus, nec non » fructibus, pensionibus et aliis » rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanae Curiae et aliis Officiis » temporalibus, praesentium auctoritate privamus, et ad futura » inhabiles decernimus, et, in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, a qua » nullus, nisi in mortis articulo » constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos » enim, advocatione causarum huiusmodi et reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium » inde emergentium, Nobis et » praedictis Successoribus, ut praedictum est, facta, causis illis » dumtaxat exceptis, quae iam » coram Nobis pendere noscuntur, » ac etiam iis, quas, ratione Ecclesiarum et Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio » fieri consuevit aut debet, itemque » contra ordinarios Collatores, Episcopos et alios superiores Praelatos, etiam Cardinales, haberi » contigerit, uti iam aliis Nostris » Litteris statutum est, audiendis, » decidendis et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii » Apostolici Auditores, ac praedictae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et ipsorum cuicumque, quavis aliter iudicandi » et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari, interpretari et definiri debere; nec » non irritum et inane quidquid » secus in praedictis per quos-

» cumque, quavis auctoritate, scien-
» ter vel ignoranter contigerit at-
» tentari. »

« § 9. Quocirca, omnibus loco-
» rum Ordinariis districtius iniun-
» gimus ut in suis quisque Eccle-
» siis, Civitatibus, Dioecesibus et
» locis, etiam exemptis, ad prae-
» dicta studiose attendant, et qua-
» tenus illis relaxavimus, in de-
» linquentes severe animadvertant,
» si Divinae Maiestatis iudicium,
» dictaeque Sedis censuram volue-
» rint evitare. In ceteris vero
» causis et negotiis (nobis et prae-
» dictis Successoribus exceptis) eos-
» dem locorum Ordinarios, prae-
» sentium auctoritate delegamus
» ut, gratia et favore postpositis,
» pro se quisque, cum venerit usus,
» contra praedictos omnes sub ipsa
» exceptione comprehensos diligen-
» ter inquirant, suasque inquisi-
» tiones omnes, sigillo obsignatas,
» ad praedictam Sedem quampri-
» mum transferant, ut Nos et prae-
» dicti Successores, in causis hu-
» iusmodi procedentes, quod iustum
» fuerit decernamus. Nos enim,
» singulis Ordinariis ipsis, praedi-
» ctos omnes et quoscumque alios,
» etiam exemptos, etiam per edi-
» ctum publicum, constito prius
» summarie et extraiudicialiter de
» non tuto ad illos accessu, citandi
» et monendi; eisque ac iudicibus
» ordinariis et delegatis, aliisque
» personis quibuscumque, ne prae-
» dictorum executionem quoquo
» modo impediant, vel alias in
» illis sese interponant, etiam per
» simile edictum inhibendi; eosdem
» ac alios contradictores et rebelles
» quoscumque per censuras et
» poenas ecclesiasticas ac omnia
» alia iuris et facti remedia op-
» portuna compellendi; auxilium
» brachii saecularis, quandocumque
» opus erit, invocandi, ceteraque
» in praedictis omnibus et singulis
» necessaria faciendi et exequendi,
» plenam et liberam, tenore prae-
» sentium, concedimus facultatem. »

« § 10. Non obstantibus felicis
» recordationis Bonifacii PP. VIII,
» Praedecessoris Nostri de una, (1)
» et in Concilio generali edita de
» duabus dietis, (2) aliisque Apo-

(1) Habetur in *c. 11 De Rescriptis in 6* ubi Bonifacius VIII statuit quod si in quolibet iudicio actor et reus eiusdem dioecesis existant, causa committi non possit extra illam, nisi in sex casibus in quibus tamen non trahatur ultra *unam dietam*; si vero actor et reus diversae sint dioecesis, actor deberet iudicem delegatum impetrare vel in dioecesi rei, vel in alia non propria nec ultra unam dietam distante a dioecesi ipsius rei. Dieta autem accipienda est pro itinere quod percurri potest intra unius diei spatium. Dietae diversae habebantur secundum regionum consuetudines. In iure Romano dieta constabat viginti millibus passibus ut habetur l. *Itineri ff. De Verborum significat.* et l. *vicena ff. si quis cautionibus.* Glossa vero in *c. 28 De Rescriptis*, ad verba *ultra duas dietas* dicit hoc de dietis communibus accipiendum esse quae diversae habentur secundum consuetudinem regionis.

(2) Extat in *c. 28 De Rescriptis* et continet statutum Innocentii III. in

» stolicis Constitutionibus et Ordi-
» nationibus; quodque Episcopis,
» Collatoribus et Praelatis praedictis,
» etiam Cardinalibus et quibusvis
» aliis, communiter vel divisim, a
» praedicta sit Sede indultum vel
» in posterum indulgeri contingat
» quod interdici, suspendi vel ex-
» communicari, aut contra indulta
» huiusmodi ad iudicium trahi non
» possint per Litteras Apostolicas
» non facientes plenam et expres-
» sam et ad verbum de indulto
» huiusmodi mentionem; et qui-
» buslibet aliis privilegiis, indul-
» gentiis, et litteris Apostolicis,
» generalibus vel specialibus, quo-
» rumcumque tenorum existant, per
» quae praesentibus non expressa
» aut in totum non inserta, effe-
» ctum praesentium, aut attributae
» praedictis Ordinariis iurisdictionis
» explicatio, seu exercitium, vel
» executio impediri valeat quomo-
» documque, vel differri, et de
» quibus quorumque totis tenoribus
» habenda sit in Nostris litteris
» mentio specialis, ceterisque con-
» trariis quibuscumque. »

« § 11. Litteris Praedecessoris
» huiusmodi nihilominus in suo
» robore duraturis. »

« § 12. Volumus autem ut
» praesentium exempla, etiam im-
» pressa, edantur, eaque Notarii
» publici manu et cuiuscumque
» Curiae Ecclesiasticae vel Praelati
» sigillo obsignata, eamdem illam
» prorsus fidem, in iudicio et extra,
» ubique locorum faciant, quam
» ipsae praesentes facerent si essent
» exhibitae vel ostensae. »

« Nulli ergo omnino, etc. »

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae, 1569 Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri anno IV.

Cum vero die XIV Novembris eiusdem anni, in Consistorio secreto accepisset « quod a nonnullis prae-
» tendebatur, S. R. E. Cardinales,
» saltem quoad privationem, Cen-
» suras et alias poenas minime
» comprehendi in praefata Consti-
» tutione » eodem die nova edita Constitutione declaravit « S. R. E.
» Cardinales in litteris praefatis ac
» singulis earum partibus, etiam
» quoad privationes, omnesque et
» singulas censuras et poenas in
» ipsis litteris contentas comprehen-
» di » quibuscumque contrariis non obstantibus.

Haec est Pii V constitutio quam per extensum hic referre placuit ut quivis facile videre posset an, quando et a quibus Simonia Confidentialis committatur.

Concilio Lateranensi IV, quo vetatur ne quis possit ad iudicium trahi ultra *duas dietas* extra suam dioecesim, nisi de consensu partium litterae Apostolicae fuerint impetratae, et statuitur ut huiusmodi Litterae mentionem facere de hoc statuto debeant. Ratio huius decreti fuit quia olim reus ad remotos iudices trahebatur, ut fatigatus laboribus et expensis liti cedere vel importunitatem actoris pecuniâ redimere compelleretur. Hisce iuris communis dispositionibus expresse derogavit S. Pius V ad Sedem Apostolicam causas omnes Simoniae Confidentialis avocando.

Hanc providam Constitutionem servare cupientes, ad Simoniacam labem funditus extirpandam Patres Concilii Rhemensis anno 1583 *titul. De Simonia num. 13, 14, 15 et 16* haec statuenda censuere: « Quisquis acceptat Beneficium ut » ei postea cedat in favorem cu- » iuscumque personae capacis vel » incapacis, saecularis vel regula- » ris, laicorum vel alicuius ex » Clericis, fiduciarius esse cense- » tur. Idemque esto iudicium de » eo qui per resignationem eius » Beneficium recipit, cuius prius » erat illi facta promissio. Qui eam- » dem Confidentiam verbo vel » facto iuverit vel procuraverit, » eiusdem criminis particeps ha- » beatur. Qui Beneficium acceptat » non ut cedat, sed ut alius fru- » ctibus vel eorum portione sub » ipsius nomine gaudeat, fiduciarius » esse iudicetur. Patroni etiam seu » Ecclesiastici, seu Laici qui Cle- » ricorum personas interponunt ut » ex pacto vel expresso, vel tacito » fructus Beneficiorum ad quae » praesentant, vel eorum partem » aliquam in proprios usus con- » vertant, vel qui aliquo supposito, » vel etiam nullo titulo existente, » fructus Beneficiorum occupant, » non solum huius criminis rei, » sed etiam iniustissimi raptores » censeantur et iure Patronatus » ipso facto privati existant. »

Eamdem Pianam Constitutionem ab omnibus exacte observandam Turonenses Patres hoc eodem anno decernunt declarantes: « Ecclesiam » fiduciarios Simoniacos non mi- » nore quam fidei desertores odio » habere » Ipsi enim « magno » Cleri scandalo, animarum sua- » rum periculo ac Ecclesiae bo- » norum gravi dispendio ad Be- » neficia provehuntur ».

Praetermissis aliis innumeris, quae afferri possent, Conciliorum Decretis adversus hanc Simoniae speciem, sufficiat hic ea referre quae in Concilio Mediolanensi, a S. Carolo indicto statuta fuere:

« Ne ita detur Beneficium cui- » quam ut is ad nutum eius qui » dederit vel cuiusvis alterius po- » stea cedat. Neve in eo dando » nulla fructuum pars ab Episcopis » et inferioribus contra Sacrorum » Canonum instituta, quovis etiam » pietatis studio reservetur. Qui ex » iis quos diximus secus fecerit, » iure ac facultate eligendi, nomi- » nandi, vel praesentandi deinceps » uti non possit. Qui vero Benefi- » cium conditionibus huiusmodi » acceperit, sciat ex Sacrorum Ca- » nonum Decretis se nullum in eo » ius adeptum esse, atque ideo » fructus suos non facere; quosve » perceperit sine conscientiae labe » retinere non posse, ad eorumque » restitutionem compellatur. Omnes » item ii ceteras poenas dent Si- » moniacis a Sacris Canonibus et » Constitutione SS. Domini Nostri » Pii Papae V constitutas, et quas » Episcopi propterea de iis su- » mendas iudicaverint. Eamdem

» Pii Constitutionem Episcopi in-
» Dioecesana Synodo ac bis quotannis
» in celebrationibus suae Dioecesis
» oppidis publice recitari iubeant. »

Addi possent statuta a Patribus Concilii Burdigalensis anno 1624, sed ne lectores graventur, ea praetermittimus.

Post haec nihil circa Confidentialem Simoniam innovatum usque ad haec tempora novimus, quibus Pius PP. IX Constitutionem « Apostolicae Sedis » promulgans, excommunicatione mulctavit solos *Reos Simoniae Confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.*

Perpendamus igitur haec verba, et videamus qua ex parte servatum, qua vero innovatum fuerit ius antiquum circa poenas in Simoniae Confidentialis reos latas.

Itaque *Simonia Confidentialis* committitur quotiescumque quis resignatione, collatione, electione, praesentatione, postulatione, vel quavis alia provisione alteri dat Beneficium cum certa confidentia seu pacto aut conditione, ut accipiens Beneficium, tamquam ex debito, Beneficium ipsum sibi vel alteri intra certum temporis spatium iterum cedat aut resignet, vel illius fructus aut eorum partem solvat.

Qua de causa Simonia Confidentialis quatuor praecipue modis committi potest, scilicet reservatione accessus, regressus et ingressus, vel stipulatione *pensionis* ex fructibus ipsius Beneficii.

1. *Accessus* reservatur quando is qui ad Beneficium collatum quomodocumque concurrere potest, cupiens ut idem Beneficium sibi vel alteri, qui modo ex aliqua causa inhabilis est ad illud obtinendum, conferatur, alterum de Beneficio providet cum pacto ut accipiens sibi vel alteri post aliquod tempus illud resignet; vel quando quis Beneficium accipit, inito pacto, illud postea Collatori vel Patrono aut eius Consanguineo vel amico resignandi.

2. *Regressus* reservatur ab illo qui alteri Beneficium sibi collatum et iam possessum resignat cum pacto ut si illud quomodocumque vacare contigerit, sibi denuo obveniat, vel alteri consanguineo vel amico. Vocatur regressus quia facta Beneficii resignatione, retinetur quasi iuquoddam regrediendi ad illud.

3. *Ingressus* reservatur quando resignatur Beneficium iam collatum sed nondum possessum, inita pactione, ut si illud quomodocumque vacare contigerit, ipse resignan ius habeat illius possessionem ingrediendi.

4. Denique Simonia Confidentialis committitur *stipulatione pensionis,* scilicet quando collator vel qui Beneficium resignat alteri, cum eo pactum init ut ipse pensionem ex fructibus ipsius Beneficii iam collati vel resignati, collatori vel alteri ad arbitrium designato solva quod intelligi debet etiam de fructibus ipsius Beneficii resignati v

collati, quorum reservatio Simoniam Confidentialem inducit. Constat ex relata S. Pii V constitutione § 3. ubi legitur, quod « si Bene» ficii fructus vel eorum pars alii » vel aliis concedantur, vel pen» siones solvantur ex eisdem, haec » confidentia censeatur. » (1)

Nuperrime hac superre exemplum nobis obtulit causa *Melevitana* « Absolutionis » quae anno 1880 disceptata fuit in S. Concilii Congregatione et refertur in Ephemerid. cui titulus *Analecta Iuris Pontificii, livr. 176, coll. 374 et seqq.* In illa enim agebatur de quodam Beneficio simplici iuripatronatus laicali subiecto, quod ob possessoris mortem vacans, prouti ius habentes optarunt Clericus C. et M. qui tribunal civile adierunt, ut res per sententiam definiretur. Verum ut exortae liti finem imponerent, per publici notarii actum transactionem iniere, cuius vi Clericus C. cuilibet iuri ad Beneficium renuntiabat, dum M. quatuor annorum fructuum summam ei solvendam curabat, ita tamen ut praefatus Clericus C. omnes litis inceptae expensas solvere promitteret. Cum autem praefatus M. simoniaca labe hoc infectum fuisse novisset, eidemque institutionem Curia Ecclesiastica denegavisset, supplex SSmum adivit, absolutionem expostulans ad hoc ut in Beneficii possessionem devenire posset, quam S. C. C. eidem denegare censuit. Hoc autem iure meritoque factum quisque videt qui praecedentem Appendicem legit, ubi ex Angelici Doctoris verbis, plurium Canonum ac Doctorum auctoritatibus, et praesertim Benedicti XIV *Instit. 93,* late probavimus, ad transactionem super Beneficio licite faciendam non sufficere ius *ad rem,* sed requiri ius *in re,* quod hoc in casu defuisse facile noscitur.

Attamen ad Simoniae Confidentialis naturam poenitius cognoscendam, iuverit animadvertere quod:

1. Simonia Confidentialis prouti a S. Pio V poenis coercetur, ad Simoniae conventionalis speciem reduci potest. Etenim Confidentiae omnes in Beneficiis vel in sola intentione conferentis aut resignantis consistunt, et habetur *Simonia Mentalis;* vel exprimuntur aliquo

(1) Navarrus et Lessius relatis S. Pii V verbis innixi asserere non dubitarunt. Simoniam communem, non vero Confidentialem committi si procuretur Beneficium cum pacto ut annua pensio *non alii vel aliis solvatur,* sed *ipsi* Resignanti aut procuranti Beneficium. At contrarium tenent Paulus *De Simonia p. 18 n. 6,* Garcias *De Beneficiis p. XI c. 3 n. 194,* Suarez *c. 43 n. 7,* Reiffenstuel *De Sim. n. 37,* aliique plures. Ratio est quia S. Pius V per suam Bullam confirmavit Bullam Pii IV qui expresse § 1. Simoniam Confidentialem committi dicit in casu, quo resignans aut procurans Beneficium pensionem *sibi* solvendam paciscatur. Nihilominus contrariam sententiam improbabilem dici non posse affirmat Auctor praeclarissimus *Summulae Theologiae Moralis ad usum Seminarii Ugatini n 452. nota 13.*

signo aut verbo, et habetur *Simonia pure conventionalis;* vel aliqua ex parte adimplentur, et erit *Simonia conventionalis mixta;* vel denique adimplentur utraque ex parte saltem incipienter, et tunc *Simonia Realis* censenda est. Atqui Pius IV et S. Pius V poenas statuunt adversus illam Simoniae speciem quae committitur dando vel conferendo Beneficium cum pacto aliquo ex supradictis, nulla facta mentione illius executionis, ergo de Simonia Confidentiali locuti fuisse videntur, quae ad Simoniam Conventionalem mixtam facile reducitur. Hinc deduces:

a) Simoniam Confidentialem non induci sola spe retrocessionis Beneficii resignati vel collati, etenim de eius essentia est pactum.

b) Ob eamdem rationem non sufficere ad eam inducendam quod Collator habeat animum obligandi alium ad dandum sibi vel alteri regressum, ingressum, accessum vel partem fructuum aut pensionem ex eisdem; quamvis enim verum sit, S. Pium V in laudata Constitutione etiam provisiones Confidentiales Beneficiorum vetuisse, quae fiunt *sola dimittentis intentione, licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum,* verum quoque est, Doctores fere omnes huiusmodi verba interpretatos esse de intentione signo aliquo externo expressa, uti videre est apud Schmalzgrueber *in tit. III. lib. 5. Decretalium, n. 42.* quidquid cum paucis aliis sentiat Bonacina *De Simonia, D. 1, quaest. 7, punct. 1, §. 1, n. 4.*

His adde quod Constitutio S. Pii V magis ad forum externum pertinere videtur, scilicet ad probationem Simoniae Confidentialis in iudiciis; huc enim illa verba revocantur; ideoque S. Pius V statuisse videtur, Simoniam Confidentialem adesse censendum esse, quoties Confidentia reapse intervenerit, licet id constet ex sola dimittentis intentione.

c) Certum itaque tenendum est, ad Simoniae Confidentialis poenas incurrendas requiri non solum intentionem signo aliquo exterius manifestatam, sed etiam pactum ab utraque parte initum, ut tenet Reatinus Commentator auctoritatibus innixus S. Alphonsi, Lessii ac Suarez. Secus tamen dicendum cum S. Alphonso *l. III. n. 87* si quis Beneficium resignans declaret, se velle ut solvatur alicui pensio ex fructibus, quia hoc est explicite in Bullis Pianis notatum.

Hoc autem etiam de Collatore intelligi debet. Ideoque statutis poenis est locus si ex. gr. Episcopus conferat Beneficium, reservata pensione pro persona a se nominanda; secus vero si persona certa ab initio sit, uti statuit Rota *decis. 166, numm. 5 et 6 p. 1 noviss.* apud Thesaurum, *De poen. Eccl. p. 2: Verbo* Simonia *cap. III. n. II.*

2. Ad Simoniam Confidentialem ergo requiritur pactum aliquod saltem tacitum. Sed non quodcumque pactum Simoniam Confiden-

talem inducit. Solae pactiones superius memoratae scilicet reservationes regressus, ingressus, accessus, fructuum vel pensionis Confidentiam constituunt, cum de illis tantum loquantur Pius IV et V in citatis Constitutionibus. Requiritur tamen ut pactum nullum ex alio capite non sit; idcirco si ex alio capite pactio invalida foret, (1) non sufficeret ad Simoniae Confidentialis crimen inducendum, quia ex *c. 52 de Reg. Iur. in 6.« quod nullum est, nullum parit effectum »;* adverte tamen. Simoniae crimen adesse si pactum nullum sit vi ipsius Simoniae, ut optime notat S. Alphonsus *lib. III n. 90.*

Remus Reatinus Commentator affert casum quo alter *simulate* retrocessionem Beneficii promiserit, alter vero ex animo. De illo certum est excommunicationem aliasque Simoniae Confidentialis poenas non incurrere, quamvis pro eo Confidentiae crimen in foro externo praesumi nemo dubitet. Sed neque *hunc* in huiusmodi poenas incidere tenet ipse Reatinus, quia pactum (quod consistit ex duorum consensu) revera deest. Huic sententiae libenter subscribimus quia cum ex *l. 1. ff. De Pactis* pactum sit *duorum vel plurium in idem placitum consensus,* si alter ex contrahentibus simulate pactionem ineat, dum interne non consentit, deest substantia pacti, ideoque pactum ipsum non habetur.

Atqui ad Simoniae Confidentialis poenas contrahendas omnino pactio aliqua requiritur, ergo hoc in casu, nullus ex contrahentibus in has poenas incidit. Nec dici posset, pactum verbo tenus vel signis expressum sufficere ad Confidentiae poenas inducendas; etenim in *c. 54 De sententia Excommunicationis,* ad excommunicationem incurrendam dicitur non sufficere actum externum si internus desit.

Insuper lex est odiosa et proinde stricte interpretanda; cum autem lex loquatur de pacto; pactum vero sine interno consensu, saltem in foro conscientiae, non subsistat, non poterit dici pactum quod interno consensu careat.

3. Huiusmodi pacta ad Simoniae Confidentialis crimen inducendum debent fieri super Beneficium ipsum vel eius fructus. Beneficium enim quod alicui datur est res spiritualis; retrocessio autem eius, vel solutio fructuum, vel pensio ex iisdem sunt quasi pretium, et in hac Simonia, ut Confidentialis dici possit, debent necessario intervenire. Hinc si de aliis rebus temporalibus vel spiritualibus Confidentia alioquin illicita intervenerit, non erit Simonia Confidentialis, licet pure conventionalis dici possit. Ratio est quia Pianae Constitutiones non loquuntur nisi

(1) Id evenire ex. gr. posset in Beneficiorum renuntiationibus absque Episcopi auctoritate factis.

de huiusmodi Confidentiarum genere, ideoque si quis renunciat, vel quomodolibet alteri dat Beneficium aliquod, inita pactione, ut aliud Beneficium renunciatarius vel collatarius reddat resignanti, vel collatori, aut eius addicto, non committit Simoniam Confidentialem, sed solum quamdam Simoniacam permutationem reciprocam vel triangularem. Huiusmodi differentiae ratio in eo reponi potest, quod Confidentialis Simonia prohibeatur ut a Beneficiis ea omnia arceantur *quae haereditariae successionis imaginem referunt*, ut cum Tridentino loquamur; et ne quis fructus Beneficii retineat dum inhabilis est ad ipsum Beneficium, aliisque de causis quae videri possunt in exordio Constitutionis « Intolerabilis » S. Pii V. Atqui haec incommoda non sequerentur si Confidentiae interveniant non de ipso Beneficio vel eius fructibus, sed de aliis Beneficiis vel rebus; ergo, solum Beneficium resignatum vel collatum, vel eius fructus habendi sunt veluti pretium in Simonia Confidentiali.

4. Denique Simonia Confidentialis locum habet in Resignationibus aliisque omnibus Beneficiorum provisionibus, solis Permutationibus exceptis. Has excipiunt Doctores quia Pianae Constitutiones de illis non loquuntur, ideoque cum lex sit odiosa, valet iuris axioma quod sit stricte interpretanda nec extendenda ultra expressa. Praeterea praefatae Constitutiones loquuntur de omnibus Beneficiorum cessionibus et resignationibus, quibus sub nominibus, ex communi sententia, ea quae fiunt ex causa permutationis non veniunt. Attamen censent Doctores, Simoniam Confidentialem etiam in Beneficiorum permutationibus committi si Episcopus vel alius Collator cum uno vel utroque Permutantium pactum iniret, se permutationem admittere dummodo sibi vel eius addicto ipsum vel ipsa Beneficia vel eorum fructus aut pensio ex eisdem cedatur, nisi tamen Episcopus vel Collator pensionem imponere possent; qua super re confer Reiffenstuel in *Tit. 12 lib. III Decretalium*, § 4.

Ut suam quoad hunc casum sententiam probent, afferunt Doctores verba S. Pii V: « Si Ordi» narius vel alius Collator contu» lerit vel conferat Beneficium » *quovis modo vacans etc.* » statuentes quod cum verba *quovis modo vacans* sint generalia, generaliter sunt intelligenda ex *c. Quia circa 22 De Privileg.*, consequenter etiam de Beneficiorum permutationibus (1). Verum his rationibus non

(1) Salmanticenses *De Sim. c. 3 n. 17* (apud S. Alphonsum *lib. III n. 88*) asserunt, Pianis Constitutionibus comprehendi confidentias quae in Beneficiorum permutationibus fierent, quia dicunt expresse in S. Pii V Bulla legi haec verba: « *At etiam omnes permutationes, praesentationes, collationes... et alias di*» *spositiones nullius momenti fore,* » Verum non solum *videndum*, ut ait S. Alphonsus, *quomodo praefati Auctores praedicta verba explicent*, sed insuper dicendum, nullimode in cit. Constitutione huiusmodi verba inveniri.

acquievit Revmus Reatinus Commentator qui addidit; « Sed vix est ut » vacare intelligantur Beneficia permutata, quippe quae permutatione ipsa conferuntur ultro citro» que » Sed bona pace tanti Viri allata ratio solida non videtur. Etenim, ut alia praetermittamus iura, in *c. unic. De Rerum permutation. in 6* habetur, quod qui Beneficia permutare cupiunt, ea resignare tenentur in manibus suorum Ordinariorum; qua facta resignatione; perpendere Ordinarius debet num admittenda sit nec ne talis resignatio et si admittendam censuerit, nulli alteri, sed praecise hisce Clericis, causa permutationis resignantibus, Beneficia illa conferre poterit ac debebit, ut loquitur Reiffenstuel in *tit. IX lib. I Decretalium* §. *4. n. 90,* aliique Doctores quos praetermittimus. Ex hoc autem facile intelligitur quomodo Beneficia permutata, quamvis permutatione ipsa conferantur ultro citroque, vacare possint. Inter resignationem enim et novam collationem ab Ordinario faciendam, aliqua vacatio intercedere nobis videtur.

5. Quod autem circa Simoniae Confidentialis naturam praecipue observandum videtur, est quod ex communi Doctorum consensu, ad Simoniae Confidentialis poenas incurrendas non requiratur executio pactionis mutua rerum traditione impleta. Eo ipso enim quod, ut superius vidimus, Simonia Confidentialis a Pianis Constitutionibus damnata ad Conventionalem mixtam revocetur, eius poenae statim incurruntur ac ex una parte Beneficium traditum est cum pacto confidentiali, etsi ex altera parte pactio huiusmodi nondum adimpleta sit.

His igitur de Simoniae Confidentialis natura delibatis, facile intelliguntur verba huius articuli Constitutionis «Apostolicae Sedis» qua excommunicatione plectuntur *Rei Simoniae Confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.*

Etenim certum est, Simoniam Confidentialem prout hac Pii IX Constitutione excommunicatione plectitur, non differre ab illa quae Pianis Constitutionibus superius relatis damnatur. Nulla enim ratio id suadet, nec alia extat Simonia quae Confidentialis dici possit, praeter eam in cuius damnationem Pianae Constitutiones editae sunt.

Iamvero verba *in Beneficiis quibuslibet* eamdem extensionem habere ac verba *in Beneficiis quibuscumque,* quae in superiori articulo reperiuntur, nemo sanae mentis negaverit, atque de cetero Commentatores pleno agmine id affirmant. Dubitari tamen fortasse posset an verba quae sequuntur, *cuiuscumque dignitatis* ad verbum *Beneficia* referantur; si hoc esset, sub Simonia Confidentiali cadere forsan possent etiam *culmina dignitatum,* quae in praecedenti appendice vidimus non comprehendi sub simplici Beneficiorum appellatione in odiosis. Sed communiter tenent Commentatores,

haec verba ad vocem *Rei* referri, uti videre est apud Patavin. *n. 268.* et apud Reatinum *n. 122.* Igitur si quis Beneficia cognoscere cupit quae sub huius articuli dispositione cadunt, adeat praecedentem Appendicem, ubi late de eis disseruimus.

Nos interim perpendemus quinam sint qui hanc excommunicationem incurrunt. Igitur:

1. Censuram huius articuli incurrunt omnes qui, dando vel recipiendo Beneficia, quacumque ratione Confidentialem Simoniam committunt. Etenim *Rei* Simoniae illi omnes sunt qui pactum confidentiale inter se ineunt, ideoque tam dantes quam Beneficia recipientes confidentialiter, in excommunicationem Piani capitis incidunt.

Antiquo iure plerique Doctores hanc eamdem extensionem Pii IV ac S. Pii V constitutionibus tribuebant, uti Schmalzgrueber in *tit. 3 lib. V Decretal. n. 270,* Vviestner *eodem tit. n. 95,* Leurenius *Forum Benef. Part. III, quaest. 201, n. 3,* Castropalao, *Op. Mor. tract. 17, disp. III, p. 25, n. 8,* aliique. Tamen verius id negabant alii plures, quos inter enumerare placet Suarez *De cens. Disp. 22, sect. 6, n. 15,* Bonacina, *De Simon. D. I, q. 7, p. 1,* Thesaurus, *loco citat. c. III, n. 2,* Filiuccius *Tract. 15, cap. 5, quaest. 9, n. 122,* etc. qui omnes putabant, solos recipientes Beneficia confidentialiter huic excommunicationi subiici, non vero dantes quia Pianae Constitutiones, de illis tantum loquuntur. Quidquid sit de hac quaestione, e medio sublata per Constitutionem *Apostolicae Sedis* videri debet, quae indistincte loquitur de *reis* Simoniae Confidentialis.

2. Hanc excommunicationem non incurrunt Simoniae Confidentialis complices vel mediatores, quia eos Legislator non comprehendit, ac diserte expressit, cum eos comprehendere voluit; quin immo in excommunicationem non incidunt etiamsi Simonia conventionalis transeat in realem; hoc enim in casu non contrahunt novam excommunicationem rei principales, ut infra videbimus, multo minus igitur illam contrahere complices poterunt?

Neque quis obiiciat, reos principales ideo non contrahere Simoniae realis excommunicationem, quod iam excommunicationem latam in reos confidentialis Simoniae contraxerint, neque ob idem peccatum iudicari quemquam duplici eiusdem speciei poena ab eodem legislatore obstringi, quod quidem dici non possit de complicibus; semper enim verum est, excommunicari primario et directe principales, secundario complices; deficiente ergo lege in illis, multo magis deficiat in istis oportet; cum hi illorum intuitu, actione, et occasione excommunicentur.

Quibus addimus, quemquam excommunicari ob actionem a legis-

latore intentam; at actio intenta a legislatore hoc in capite est Simonia confidentialis, propter quam complices et mediatores lata poena non percelluntur; transitum vero Simoniae confidentialis in realem, hoc in capite, esse complementum Simoniae confidentialis, cuius tantummodo complices extitere participes.

3. Porro *cuiuscumque extiterint dignitatis,* rei Simoniae confidentialis excommunicatione percelluntur: hinc etiam Archiepiscopi, Episcopi, aliique maiores Praelati, qui poenas latas effugissent, si Legislator eiusmodi praetermisisset verba.

At quid de Cardinalibus dicendum ?

Ob rationes in praecedenti capite adductas sub lata excommunicatione eos non comprehendi putamus; tum quia non nominantur nec eorum personae, nec eorum privilegia; tum quia sententia est, eos sub latis poenis non comprehendi, nisi exprimantur; quo privivilegio etiam nunc gaudent; tum quia non comprenduntur in formulis et clausulis amplissime derogatoriis, ex. gr. *quocumque privilegio non obstante,* ut videre est apud Cohellium *Notitia Cardinalatus* cap. 16, privileg. 26; tum quia illud *cuiuscumque dignitatis* verificatur etiamsi Cardinales excipiantur, prout verificatur in potestatibus saecularibus, ex quibus excipiendi sunt semper Reges, et regii sanguinis personae.

Neque praefatae conclusioni obstare potest, quod Cardinales sub Tridentina dispositione, et Constitutione *Intolerabilis* iam relatis comprehenderentur; Pium vero IX excommunicasse *cuiuscumque dignitatis* homines; etenim ideo sub relatis dispositionibus comprehendebantur, quamvis non ab omnibus Doctoribus, quia diserte exprimebantur; at a Pio IX praetermittuntur; et Cardinales etiam nunc privilegio fruuntur exemptionis a latis poenis, nisi exprimantur.

Nullum ergo dubium remanere potest circa eos qui huius capitis censuram incurrunt ob Simoniam Confidentialem in Beneficiis admissam.

Verum cum Simonia Confidentialis species quaedam sit Simoniae Conventionalis mixtae, Realis fieri potest quoties restitutio Beneficii confidentialiter accepti, vel solutio pensionis aut fructuum ipsius, ex utraque parte adimpleatur. Quaestio igitur fieri potest, utrum qui ob Confidentialem Simoniam excommunicationem huius articuli incurrunt, ligentur alia censura in articulo praecedente lata, si postea Confidentialis Simonia Realis fiat ob pactionis confidentialis exequutionem.

Nullibi hanc quaestionem pertractatam vidimus; ipsi quoque Constitutionis *Apostolicae Sedis* Commentatores nil prorsus hac de re habent (1). Verum huiusmodi quaestio magni momenti iis videri po-

(1) Patavini Commentatores quamvis in capitis explanatione nil prorsus in re

terit qui considerent, neminem inveniri qui confidentiales pactiones solummodo ineat, quin executioni eas mandare curet; quid enim prodessent huiusmodi pacta si traditione utrimque non absolverentur? De cetero pactio quaelibet fit ut hinc inde paciscentes ligentur, est enim consensus duorum vel plurium in idem placitum.

Probabilior igitur nobis sententia est, qua negatur, novam censuram incurri propter Confidentialis pactionis executionem, qua Simonia realis evaderet.

Observamus enim cum Rmo Auctore Summulae Theol. Mor. ad usum Seminarii Reatini, *Vol. I, n. 298* « propter *idem* peccatum, ab *eodem* legislatore pluribus » *eiusdem* speciei censuris obnoxium » fieri a regulis iuris alienum videri ».

Hoc principium commune apud Doctores nos esse censemus, quia illud certum supponunt.

Satis sit afferre La Croix, ac S. Alphonsum, quorum primus *lib. VII, num. 88* scribit: « Probabile est, quod possit aliquis pro » eodem delicto duplici censura eiusdem rationis affici, una a iure, » altera ab homine; item una ab » hoc superiore vel iudice, altera » ab alio.

Alter vero *Theol. mor. lib. 7, n. 28* ait: « Propter idem delictum » potest quis multipliciter ligari » (censura) a *diversis*, scilicet ab » iure et ab homine, a Papa et » Episcopo. Ita probabilius Suarez » D. 5, sect. 2, n. 13 Pal. p. 6, » n. 5. Bonac. p. 5, n. 13 et Salmanticenses c. 1, n. 276 cum » Fil. etc. contra aliquos.

Citati, inquam, auctores nobis omnino favent cum affirment, duplicem pro eodem delicto censuram incurri posse, quarum una ab iure, altera sit ab homine, una ab hoc latasuperiore, alia ab illo; nos vero loquamur de duplici eiusdem speciei censura ab eadem auctoritate uni crimini inflicta; et utraque in casu ab iure.

Cum enim affirment, duplicem pro eodem delicto incurri posse eiusdem rationis censuram, ab iure scilicet et ab homine etc., implicite concedere videntur, non posse pro eodem delicto duplicem eiusdem speciei censuram incurri ab eodem legislatore inflictam. Addimus, ad novam excommunicationem incurrendam necessarium esse novum peccatum mortale cui excommunicatio adnexa sit; at potest ne solida argumentatione defendi, reos Simoniae confidentialis novum committere peccatum dum pacta conventa executioni mandant?

habeant, in quodam tamen ex casibus commentariis adiectis. huiusmodi quaestionem attingunt. Etenim § 275 eatenus quemdam a duabus censuris excusant, quatenus non satis constet num revera simonia confidentialis patrata fuerit. Ergo si satis constaret, duas censuras illum incurrisse putassent, quod admittendum non videtur.

Etenim executio pactionis confidentialis nil aliud est quam opus ad venditionem rei sacrae ordinatum, et aliud non constituit peccatum ab ipsa distinctum, cum hic valeat regula tradita a Gury in *Comp. Theol. Moral. Tomo I. n. 16. 2. §. 3.* « Actus » externi seu externe consummati » non multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, *quando sunt veluti partes* » *actus principalioris,* seu quando « ad finem unicum tendunt, » Huic vero consonat S. Alphonsus qui *libro V. n. 41;* « Actus externi » moraliter uniuntur si ad eius» dem peccati consummationem di» riguntur; hinc si quis ad homi» cidium patrandum emit arma, » viam carpit, quaerit hostem et » occidit, unum peccatum commit» tit. » Recte qua de causa inferimus, atque idipsum de aliis dicito, executionem pactionis confidentialis non constituere peccatum numero distinctum ab ipso actu quo pactum initum fuit; nam tum actus tum pactum ad eiusdem peccati consummationem diriguntur, nempe ad rei sacrae venditionem.

Nova igitur non incurritur censura ab iis qui pactiones confidentiales executioni mandant.

Superest ut de aliis poenis, quas rei Simoniae confidentialis incurrunt aliquid dicamus, cum hae quia abrogatae non fuere, perdurare censendae sunt.

Igitur ob Simoniam confidentialem in Beneficiis hae incurruntur poenae:

1. Nullitas resignationis aut collationis confidentialiter factae, ut constat ex Const. Pii IV, ac etiam ex § 8 Constitutionis S. Pii V.

2. Inhabilitas ad idem Beneficium et ad alia obtinenda ex eodem § 8 Constitutionis *Intolerabilis.*

3. Privatio Beneficiorum, Officiorum ac Pensionum, quae legitime antea obtenta fuerant. Pius enim V in § *citat.* suae Constitutionis id statuerat. Haec poena tamen, iuxta S. Alph. l. III, n. 111 locum non obtinet nisi post iudicis sententiam, saltem declaratoriam de crimine admisso. Idque ex principio generali quod ponunt Doctores de lege poenali loquentes; scilicet quod si poenae ipso iure latae etiam externam executionem requirant, (uti est privatio Beneficii) tunc ad obligationem in conscientia producendam requiritur sententia declaratoria iudicis super crimine admisso, nisi lex addat clausulam: « *alia etiam declaratione non sequuta* ». Vide Reiffenstuel in *Tit. 2 lib. I Decretal. n. 227.*

4. Reservatio Beneficii resignati vel collati in Confidentiam ad Sedem Apostolicam, uti in Constitutione Pii IV, § 2 statuitur. Haec vero poena locum non habet illis in locis ubi vigent concordata inter S. Sedem et Civile Gubernium, quibus extra menses Papales nulla Beneficiorum collatio Ordinariis in-

terdicatur. Id ex. gr. locum habebat in Germania teste Schmalzgrueber *l. c.* n. 273.

5. Denique fructus male percepti applicari debent Camerae Apostolicae.

Ad cognoscendum autem in foro externo quando Simonia Confidentialis commissa fuerit, sufficiunt coniecturae in Bulla S. Pii V assignatae; qua super re confer Parisium *De Confident. Benefic. quaest. 27, et seqq.*

His autem satis quae de Simonia Confidentiali dicenda erant explicasse putamus; ideoque hic finem facimus.

APPENDIX XXIV.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN REOS SIMONIAE REALIS OB INGRESSUM IN RELIGIONEM.

« Status Religionis, inquit S. Thomas 2-2 *q. 189. art. 1. in Corp.* » est quoddam spirituale exercitium ad consequendam charitatis » perfectionem, quod quidem fit » in quantum per Religionis observantias auferuntur impedimenta perfectae charitatis. »

Ergo, iuxta Doctorem Angelicum, status Religionis est aliquid spirituale in quantum est quoddam spirituale exercitium a Deo institutum ad consequendam charitatis perfectionem. Cum autem quaelibet spiritualium pro temporali commutatio simoniam redoleat, nullo modo licet statum religiosum pretio quolibet vel assumere vel concedere.

Nil mirum proinde si Ecclesia exactiones omnes quae ob ingressum in religionem fieri poterant, fere ab initio prohibuerit. Et ut aliquod in re documentum proferamus, S. Gregorius Magnus lib. IV Ep. 27. ad Archiepiscopum Calaritanum vetustissimam in Sardinia restituit consuetudinem nihil accipiendi a virginibus, quae solemniter sese Deo devovere vellent, spontaneis oblationibus dumtaxat exceptis. « De Ordinationibus vero, scri- » bit, aut de iis quae velantur vir- » ginibus nullus, ut nunc fieri di- » citur, quidquam praemii praesu- » mat accipere, nisi quidpiam sua » sponte offerre maluerint ». Aliquid tamen pro alimentis exigere licitum putabat, si iusta causa intercessisset; Virigantino enim monacho partem aliquam maternae hae-

redi alis assignandam censuit, quia in Monasterio alebatur, et ob infirmitatem, qua detinebatur, operari non poterat (1).

At lapsu temporis non unice legitimarum causarum, aut oblationum quae sponte fiebant, ratio habita fuit, sed apud nonnullos Monasteriorum praesides mos invaluit neminem in religionem cooptandi, nisi aliqua soluta pecuniae summa. Id praecipue discimus ex Concilio Nicaeno II, generali VII, an. 787 celebrato, cuius Patres, conventiones omnes pecuniarias, quae pro habitu monastico suscipiendo in Orientali Ecclesia inductae fuerant improbarunt, exceptis dumtaxat voluntariis oblationibus, ac dote quam virgini parentes ipsi constituissent ultra citroque, can. XIX. « Tanta, inquiunt, » execrabilis avaritiae labes Ecclesiarum praefectos invasit, ut nonnulli horum virorum ac mulierum, qui pii ac religiosi dicuntur, Dominici mandati obliti fallantur, et eos qui ad sacerdotalem ordinem, aut ad vitam monasticam accedunt, pecuniis admittant; et quorum reprobum est initium, universum quoque reiiciendum effi» citur, ut ait Magnus Basilius; nec » enim licet Deo servire et mammonae. Si quis inventus fuerit » hoc facere; qui hoc facit, si si » quidem Episcopus, vel Monaste» rii Praefectus, vel ex sacerdotali » ordine, vel cesset, vel deponatur, ut vult secundus Canon Chalcedonensis Concilii.(2) Sin autem » Monasterii Praefecta, a Monaste» rio extrudatur, et alii Monasterio » tradatur ad subiectionem. Simili» ter et Monasterii Praefectus, qui » Presbyterii ordinationem habet. De » iis autem quae dantur liberis a pa» rentibus instar dotis, vel de rebus » suis propriis oblatis, profitentibus » iis qui ea offerunt, esse Deo con» secrata, statuimus, ut sive ma» neant, sive exeant, ea in Mona» sterio maneant ut fuit eorum pro» fessio; nisi is qui praeest, in cul» pa fuerit. »

Ex hoc autem canone evidenter colligitur, pecuniarias omnes conventiones prohibitas, permissas autem voluntarias oblationes, quas inter locum tenebat dos, quam parentes sponte constituissent, veluti si virgo alicui pergeret nuptura.

Utinam vero pessima illa consuetudo in orientali tantum Ecclesia invaluisset! sed quod dolendum est, etiam in occidentali Ecclesia grassari coepit. Hinc Concilium Francofurdiense anni 794 huiusmodi pecuniarias solutiones prohibere cupiens, statuit « ut pro suscipiendis in S. Or-

(1) Canon Chalcedonensis allegatur quantum ad poenas tantum, etenim quantum ad rem attinet agit de Simonia in Collatione Ordinum.

(2) Cui vix potui imponere ut expensas eidem Virigantino in monasterio quo lectioni vacat, et laborare non potest, parum aliquid de substantia matris suae dare debuisset. *Epist. lib. IV. Ep. 47.*

» dine Fratribus nequaquam pecu-
» nia requireretur, sed secundum
» s. Benedicti regulam susciperen-
» tur. » Cum autem s. Benedicti re-
gula voluntarias oblationes non re-
pudiet, (1) hinc eiusmodi Canon
Nicaeni Concilii II Canoni relato con-
formis dicendus est.

Verum non omnes qui monasti-
cum habitum induere desiderabant,
spontaneas oblationes afferebant ;
plurimi sed vero hi erant; atque
hinc ad pecunias exigendas causa
afferebatur, quod cum plurimi mo-
nasticum habitum exposcerent, eos-
que ob substantiarum defectum Mo-
nasteria alere non possent, vel erant
illi excludendi qui habitum monas-
ticum induere vellent, aut sin mi-
nus aliquid a postulantibus accipien-
dum, quo iis necessaria suppedita-
rentur. Verum huic rationi non
acquieverunt Ecclesiae praesules,
qui potius minorem Monachorum
numerum exoptarunt, quam ut pe-
cunia monasticum ingressum sibi
aliqui compararent. Concilium qua-
propter Arelatense VI anno 813 ce-
lebratum statuit « ut non amplius
» suscipiantur in Monasterio Cano-
» nicorum atque Monachorum, seu
» etiam puellarum, nisi quantum
» ratio permittit, et in eodem mo-
» nasterio absque rerum neces-
» sariarum penuria degere pos-
» sunt (2). »

Post annum Christi millesimum
innumeri fere Conciliorum Canones,
et Romanorum Pontificum decreta
prodiere quae ab religionem ingre-
dientibus aliquid exigere vetant.
Concilium Melphitanum, cui prae-
fuit Urbanus II, anno 1089 celebra-
tum, can. VII decrevit: « Nullus Ab-
» bas pretium exigere ab eis qui
» ad conversionem veniunt aliqua
» occasione praesumat.

Atque cum eiusmodi abusus adeo
excreverint, ut Monasteriorum Prae-
fecti pretium taxatum pro recipien-
dis Monachis et Sanctimonialibus
statuerint, Patres Concilii Londi-
nensis an. 1127 condemnarunt « exa-
» ctiones certas pecuniarum pro re-
» cipiendis Monachis, Canonicis et
» Sanctimonialibus. »

(1) En quid praecipit S. Benedicti regula cap. 58. 59. *Res si quas habet* (monachus cooptandus), *aut eroget prius pauperibus, aut conferat Monasterio.* De parentibus cooptandi vero: *Si aliquid offerre volunt in eleemosynam Monasterio* etc. Nemo vero quamvis pauperrimus reiiciebatur: *Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciunt.* et cum *oblatione afferant filium suum coram testibus.*

(2) Idipsum Canonicorum coenobiis praescripsit Concilium Aquisgranense anno 816. « Ne plures admittant clericos quam ratio sinit et facultas Ecclesiae » suppetit; ne si indiscrete et extraordinarie plures adgregaverint, nec ipsos gu-» bernare, nec caeteris Ecclesiae necessitatibus, ut oportet, valeant adminiculari. » De monialibus vero can. 89 statuit: « Tot talesque admittantur Sanctimoniales, » quae et morum probitate commendentur, et ecclesiasticis possint rationabiliter » sustentari stipendiis. »

» Attamen editae ab Ecclesiae praesulibus sanctiones brevi in desuetudinem abierunt, ita ut subsequentia Concilia spretas aut violatas canonicas constitutiones renovare coacta fuerint. Ita factum videmus in Concilio Lateranensi III, oecumenico XI sub Alexandro III, anno 1179 celebrato, cuius Patres Canone X statuerunt. « Monachi non » pretio recipiantur in Monasterio... » Siquis autem exactus pro sua re» ceptione aliquid dederit, ad Sa» cros Ordines non ascendat. Is au» tem qui acceperit officii sui pri» vatione mulctetur. »

Graviora tamen Concilii Lateranensis IV Patres anno 1215 quoad simoniacas Sanctimonialium receptiones statuerunt: « Quoniam, in» quiunt, simoniaca labes adeo » plerasque sanctimoniales infecit, » ut vix aliquas sine pretio reci» piant in sorores, praetextu pau» pertatis volentes huiusmodi vi» tium palliare; ne id de cetero fiat » penitus prohibemus, statuentes ut » quaecumque de cetero talem pra» vitatem commiserit, tam recipiens » quam recepta sine spe restitu» tionis de suo monasterio expel» latur in locum arctioris regulae » ad agendam perpetuam poeniten» tiam retrudenda. »

Ne innumera Conciliorum decreta in re afferamus, ex quorum renovatione intelligimus, ecclesiasticas sanctiones nunc hac, nunc illa de causa violatas fuisse, celeberrimam potius Urbani IV, alias V Constitutionem incipientem *Sane*, atque relatam inter *Extravag. comm. c. 1, tit. De Simonia* (1) lectorum nostrorum oculis subiicimus. In ea porro prohibitum fuit « universis » Abbatibus, Prioribus, Decanis, » Praepositis et magistris, nec non » Abbatissis et Priorissis, aliisque » praelatis quovis nomine nuncu» patis, et eorum Officialibus qua» rumcumque Ecclesiarum, Mona» steriorum, Prioratuum, domorum

(1 De vi huius Extravagantis non levis inter Doctores est quaestio. Alii, ut Navarrus, qui a Schmalzgrueber l. cit. n. 255 *Constitutionum Apostolicarum scientissimus* vocatur, Lessius, Palaus, Silvester etc. cum S. Alphonso *lib. III, n. 108* huiusmodi Constitutionem usu non receptam dicunt. Alii vero cum Monacelli *Formularium. Part. III, Tit. 4 de Excomm. §. 1 n. 3* vim legis eam semper habuisse affirmant. His vero rationibus niti possunt: reperitur inserta in corpore iuris, et solemniter publicata, nec unquam per aliam Constitutionem abrogata fuit; quin immo saltem tacite innovata videtur in edictis tum ab Innocentio XI promulgatis in urbe an. 1667 et 1684, tum ab Innocentio XII an. 1692 super exactiones Simoniacas Monialium; insuper vim legis ei tribuit Benedictus XIV *De Synodo Dioec. lib. VI, cap. 6. n. 6.* Ex quibus legitime infertur, saltem Romae, eam usu fuisse receptam, quamvis non inferatur eam alibi receptam fuisse. Nunc autem temporis eiusmodi quaestio inutilis videtur, cum Pius IX excommunicatione Romanis Pontificibus simpliciter reservata perculerit *reos Simoniae realis ob ingressum in religionem.*

» et locorum quorumlibet, Religio-
» num etiam militarium tam exem-
» ptorum quam non exemptorum,
» quocumque nomine censeantur,
» ac Capitulis et Conventibus et
» singularibus personis eorum.....
» ne tam a maribus quam a mu-
» lieribus volentibus ingredi eorum
» Religionem, Ecclesias, Monasteria,
» Prioratus, domus seu loca, in ea-
» rumdem personarum receptione,
» aut ante vel post illam, quoscum-
» quo pastus, prandia seu coenas,
» pecunias, jocalia, aut res alias
» etiam ad usum ecclesiasticum, seu
» quemvis pium usum alium depu-
» tata vel deputanda, directe vel
» indirecte petere vel exigere quo-
» quo modo praesumerent; sed eas
» potius cum omnimoda pietate re-
» ciperent, ac in victu et vestitu,
» sicut alias personas suarum Ec-
» clesiarum, Monasteriorum, Prio-
» ratuum, Domorum, et locorum
» sincera charitate pertractarent;
» illa dumtaxat quae personae ipsae
» ingredientes pure et sponte et
» plena liberalitate, omnique pa-
» ctione cessante, dare vel offerre
» Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus,
» Domibus, et locis huiusmodi vo-
» luerint, cum gratiarum actione
» licite suscepturi. »

Ne autem ut alia in re decreta, lata a se Constitutio violaretur, Urbanus adiecit in contrafacientes, si personae privatae fuissent, excommunicationem; si vero capitula vel superiores conventus suspensionem latae sententiae, a quibus poenis nemo, inconsulta Sede Apostolica, absolvere poterat, excepto mortis articulo.

Concilii Tridentini Patres nil novi statuerunt. At cum probe noscerent, transgrediendi lata a Conciliis vel a Pontificibus Romanis decreta, praecipuam fuisse causam Monachorum et sanctimonialium receptionem supra eum numerum, qui convenienter de Monasteriorum substantiis ali posset, praecedentia decreta renovantes *Sess. XXV. c. 3 de Regul.* statuerunt, ut in Monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum is tantum numerus reciperetur, ac in posterum conservaretur « qui vel ex redditibus pro-
» priis vel ex consuetis eleemo-
» synis commode possent susten-
» tari. »

Atqui, dicturus aliquis fortasse erit: si a monachis vel sanctimonialibus nihil exigi poterat, unde tot tamque ingentia bona Monasteriis obvenire potuerunt? Breviter respondebimus, ea obvenisse ex fundatoribus, qui monasteria abunde dotabant, ex spontaneis fidelium oblationibus, ex ipsis monachis qui cum in saeculo ditissimi essent, bona omnia sua, vel partem eorum monasterio in quo cooptabantur, donabant, ex dispositionibus testamentariis, ex munifica saecularium principum, Romanorum Pontificum, Episcoporum, Regum, Imperatorum largitione, ex fidelium pietate, ex haereditatibus quas tum Monachi adire poterant, etc. Atque si qui plura

sive circa media, quibus monasteria ditata sunt, sive circa evolutionem historicam simoniae realis ob ingressum in religionem desiderat, adeat Thomassinum, *Vetus et Nova Ecclesiae disciplina, Part. III, cap. 30 et seqq.*

Ex iis vero quae praemisimus haec liquido sequuntur:

1. Ecclesiam semper improbasse solutiones pecuniarias ob ingressum in religionem a superioribus regularibus vel praetensas, vel taxatas.

2. Numquam improbasse spontaneas oblationes, neque dotem illam, quam parentes virgini Deo sacrandae libere constituebant.

3. Aliquando permisisse ut cooptatus in Monachum quid monasterio penderet ratione victus, si utilis ob aliquam infirmitatem monasterio esse non posset.

4. Gravissimis poenis lata decreta violantes subiecisse.

Has autem poenas temperasse Pium Papam IX cernimus, dum excommunicatione Romanis Pontificibus simpliciter reservata animadvertit in *Reos Simoniae realis ob ingressum in Religionem.*

Igitur commentationibus quibusdam Piani capitis verba illustraturi, a principio inquirere ducimus: an eiusmodi Simonia realis, complectatur tantummodo *munus a manu*, seu pecuniae solutiones receptionesque, vel etiam *munus a lingua et ab obsequio.*

Etenim ex latis a praedecessoribus Pontificibus, vel a Superioribus Conciliis decretis apparet, in iis verba tantummodo fieri de pecuniariis solutionibus, et ob has tantummodo tum dantes, tum recipientes canonicis poenis innodari, neque unquam in tot decretis, quae pervolutavimus et legimus, nobis aliquid occurrit quod etiam munus a lingua vel ab obsequio complecteretur. Incredibile autem videri, Pium Papam IX praecedentium decretorum tenorem extendere voluisse.

Addendum, non satis apparere, quomodo ob ingressum in religionem committi possit munus a lingua vel ab obsequio, cum haec nihil in Monasterii temporale bonum conferre videantur, atque de cetero factum constituant quod communiter non contingat, leges autem ferri de iis quae frequenter accidunt.

Verum certa sententia ea nobis videtur, quae statuit Simoniam realem ob ingressum in religionem complecti tum munus a manu, tum munus a lingua, tum munus ab obsequio.

Etenim 1. in Simonia reali, omne illud includitur quod importat permutationem rei spiritualis vel spirituali adnexae cum pretio temporali; porro certum est, triplicem illam Simoniae speciem, quae ad unam facile reducitur, id omnino importare, ut ex disputatis in praecedentibus capitibus patet.

2. Iuxta receptam simoniae realis significationem tria illa in ea includuntur. Ergo nisi aliquid per legislatoris sententiam excludatur,

eodem sensu ab omnibus accipienda est.

At Pius Papa IX nihil excepit; iuxta receptas igitur interpretandi regulas, ea omnia in Simonia reali inclusisse dicendus est, quae iam includebantur.

Neque quidquam obstat quod in anteactis decretis de una pecuniarum solutione sermo fieret; etenim id nil aliud demonstrat, quam quod per eiusmodi solutionem ingressus in religionem plerisque parabatur; legislatores autem loqui de iis quae communiter accidunt; at ex eo non sequitur excludendas esse, vel exclusas fuisse alias duas Simoniae realis species.

Addimus, per plerasque leges anteriores caveri, ne Monachi, vel Sanctimoniales *pretio* recipiantur; pretium autem non in solo auro vel argento constituitur.

Optime sed vero apparet quomodo simonia per munus a lingua, vel ab obsequio in religionis ingressu committi possit.

Si ex.gr. Superiores alicuius Monasterii habitum religiosum petenti dicant: nobis per aliquod temporis spatium famulatum gratis impende, et te postea inter religiosos viros cooptabimus, en munus ab obsequio auro et argento aequivalens, cum per eiusmodi gratuitum servitium, Superiores rebus Monasterii parcant.

Ita si alii dicant: libenter nos te acceptabimus; sed antequam aedes nostras ingrediaris, tu apud Principem cura, ut vel nostro Monasterio, vel Patri B. talis favor, gratia, vel emolumentum conferatur, idque veluti conditio sine qua non, habebis munus a lingua.

Haec autem cum facillime contingere possint, ruit postrema difficultas.

Secundo loco enucleandum est, quid nomine *ingressus* in Piano articulo veniat.

Duplex enim quaestionis caput exinde oritur.

1. Utrum per verbum *ingressus* intelligatur admissio ad religiosam professionem tantum; vel etiam admissio ad habitum et ad Novitiatum.

2. Utrum verbum illud includat etiam admissionem viri, qui sive in alio Monasterio, sive in alia religione vitam religiosam solemniter professus fuerat, vel tantummodo viros religiosa professione non obstrictos.

Quoad primum quaestionis caput, in duas easque diversas sententias Doctores abeunt.

Prima quam sequuntur Thesaurus *De poenis ecclesiasticis P. II verbo* Simonia *Cap. 10, n. 1.* Filiuccius *Tract. 45, cap. 13, n. 11,* et nuperrime Daris *De censuris* n. 221 affirmat, verbum *ingressum*, quod etiam in Extrav. *Sane* invenitur, etiam de receptione ad habitum intelligendum esse (1), ita

(1) Thesaurus *loc. cit.* pro sua sententia allegat Bonacinam *De Simonia*

ratiocinium ducentes. Cum receptio ad habitum, vel ad Novitiatum admissio sint velut initium illius excellentissimi perfectionis gradus qui in statu religioso invenitur, considerari potest veluti quid spirituale; ideoque aliquid dando vel accipiendo pro huiusmodi receptione ad habitum, habetur emptio et venditio rei spiritualis pro temporali, ideoque et Simonia. Cum autem intentio R. Pontificis sit, huiusmodi criminis reos excommunicatione plectere, etiam hi comprehendi sub hac excommunicatione videntur

Solidioribus tamen argumentis alia sententia nititur, quae statuit, Romanos Pontifices per religionis ingressum religiosam professionem intellexisse. Etenim 1. hanc sententiam auctores probatissimi tuentur, ut Suarez *De Religione Tract. III. lib. 4, cap. 56, n. 7,* Schmalzgrueber, Reiffenstuel, et Commentatores fere omnes. Consensus vero Doctorum magnam vim habet.

2. Ius antiquum fere ab omnibus Canonistis ita intelligebatur, et Pius Papa IX cum iisdem fere verbis utatur ac Urbanus V *in Extrav.* Sane *De Simonia,* neque ullo pacto innuat se ius antiquum vel immutare vel extendere velle, censendus est rem ibi relinquere voluisse ubi reperiebatur. Nulla certe ratione probabitur Pianum hoc caput a veteribus canonibus disconvenire.

3. Si adversarii dicant, legem obscuram esse; primum id negabimus, cum obscura ea non sit lex in cuius interpretatione convenit maxima et sanior Doctorum pars; deinde respondebimus, in obscuris minimum esse sequendum, verba scilicet ambigua in odiosis accipienda semper esse in mitiorem partem, neminem insuper excommunicatum habendum esse si ratio vere probabilis eum excommunicatione eximat; at fere communis Doctorum sententia probabilem rationem certe constituit. Demum nonne in odiosis versamur? Stricto igitur sensu lex est interpretanda; at lato sensu eam interpretaremur si per in-

Quaest. VIII §. V. Verum, ut etiam observant claris. Scriptores Ephemeridum *Nouvelle Revue Theologique Vol. 9 pag. 372, nota 5.* iniuria Bonacinae haec opinio tribuitur. En eius ad quaestionem huiusmodi responsio. « Respondeo, committere quidem Simoniae culpam (qui dat aliquid vel recipit in ipso ingressu et receptione ad habitum) quia spsceptio habitus ordinatur ad professionem; nihilominus probabile est censuram non incurrere donec professio emittatur. Ratio est quia censura non incurritur nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus; effectus autem sub censura prohibitus tunc solummodo adest, dum adest traditio rei temporalis, nempe professio, seu admissio ad professionem. Ergo quamdiu professio non emittitur, censura non incurritur. » At ex his apparet, Bonacinae sententiam esse poenas inflictas contra Simoniam realem ob ingressum in religionem incurri post professionem, non antea, quamvis non neget et antea Simoniam adesse

gressum in religionem intelligeremus vel habitus monastici susceptionem, vel inter novitios cooptationem. Neque observare praetermittimus, in contraria sententia incurri posse eiusmodi excommunicationem quin aliquis sit perfectus religiosus; scimus enim, per professionem solemnem quemquam perfectum religiosum et perpetuum evadere; Novitiatus autem tempus vocari tempus probationis. Si quis ergo habitum dimittat vel quod a Deo non vocatus, vel quod praescriptis dotibus carens, atque ad saecularia vota iterum transeat, nullo pacto hic religiosus est; quanam igitur ratione hunc dicimus excommunicationem incurrisse ob ingressum in religionem, cum religiosus vero et proprio sensu numquam fuerit?

Quid enim? graviori ne ratione eiusmodi excommunicationem iudicabimus? Profecto in iure antiquo evadebat excommunicationem et Simoniam in collatione ordinum Episcopus qui valide ordines non contulisset; et in novo excommunicatus non est beneficium simoniace conferens, sed invalide; atque ita de plurimis aliis capitibus dicito. Qua ergo de causa excommunicatos dicemus reos Simoniae realis ob ingressum in religionem sine vera et proprie dicta religiosa professione?

Iterum tamen advertimus, ad iuris poenas incurrendas requiri nedum pactum tacitum vel expressum, sine quo Simonia realis non habetur, ut multis in Appendice XXII probavimus, sed etiam hinc traditionem saltem inchoatam pretii temporalis, illinc vero professionem religiosam iam completam, cum ut in praecedentibus Appendicibus vidimus, Simonia realis non habeatur, nisi traditio saltem inchoative ex utraque parte executioni demandetur.

Quid vero de altera quaestione? Ea exordium sumpsisse videtur ex Cap. *Quam pio, c. 1, q. 2,* quo refertur aliqua Bonifacii Papae responsio ad omnes Carolitanae Ecclesiae coenobitas, qui ut refert Glossator, cum diu Abbate caruissent, quemdam ex alio Monasterio adsciverunt, quod paupertate premebatur; cum autem ille aut ire recusaret, aut Monachi eum concedere nollent, nisi vocantes aliquid Monasterio largirentur, hi Romanum consuluere Pontificem, num id sibi liceret? Summus Pontifex negative respondit haec dicens: « Nusquam legimus, Domini discipulos vel eorum ministerio » conversos, quempiam ad Dei » cultum aliquo muneris interventu » provocasse. »

Huic fortasse textui innixus Thesaurus *loc. cit.* affirmavit, poenas in reos Simoniae realis ob ingressum in religionem latas incurri etiam pro Simoniaca alicuius iam professi admissione.

Verior tamen contraria sententia apparet. Etenim 1°. ut affirmat Suarez *De Religione loc. cit. c. 17 n. 1,* vera illius textus quaestio

alia fuisse videtur ac ea, quam Glossator proponit. Nam ex cit. cap. *Quam pio* colligitur utique agi de vocanda persona ad Monasterii regimen, sed an illa vocaretur ex alio Monasterio, an vero ex statu saeculari ex cit. cap. non constat. Glossator hinc historiam facti gratuito supponit. Cum itaque factum sit dubium, nescimus quid inde deduci possit.

2°. Sed hoc praetermisso; in nostro articulo Pius Papa IX loquitur de ingressu in religionem. At certum est, religiosum qui ab uno ad aliud Monasterium transfertur, illud moderandi praesertim causa, dici non posse religionem ingredi, sed in religiosa palaestra quodammodo perfectum et consummatum, ut patet. Qua de causa sub verbis Piani capitis comprehendi non potest, cum ei non conveniant. At quibus non conveniunt verba legis, non convenit legis dispositio. *L. Quod constitutum ff. de milit. testamento.*

Huic affinis est alia quaestio, qua quaeritur: utrum per verbum *religionis* intelligendae etiam sint illae Congregationes religiosae, in quibus emittuntur tantummodo vota simplicia; an illae tantummodo societates in quibus professio votorum solemniter emittitur.

Daris qui severiores plerumque sententias amplectitur, affirmat, hoc verbum indigitare etiam Congregationes votorum simplicium, quia, ut ipse ait, « in istis Congregatio» nibus observantur tria consilia » evangelica, habetur status reli» giosus; ac consequenter sunt » etiam religiones. »

At contrariam sententiam sequi existimamus, tum quia haec apud Doctores et Commentatores Pianae Constitutionis communior est; tum quia Congregationes votorum simplicium non habentur uti Religiones proprie dictae, uti plurimis probavimus in Appendice XXI; tum quia cum in odiosis versemur, verba stricto sensu accipere debemus.

Quin et illud contendimus, censuram huius Capitis non incurri per simplicem professionem quae nunc praemittitur professioni solemni ex Const. *Neminem latet* lata a Pio Papa IX die 19 Martii 1857, et in qua quis per triennium permanere debet antequam solemnem professionem emittat. Id enim sequitur ex quo eiusmodi excommunicatio non incurratur in Congregationibus votorum simplicium, quando quis professionem emittit; et eadem est ratio.

Neque excipiendi videntur Alumni Societatis Iesu quod votis simplicibus obstricti veris religiosis accenseantur vi Constitutionum *Quanto fructuosius* 1583, et *Ascendente Domino* 1584 a Gregorio XIII latarum.

Id enim factum putandum est peculiari de causa, ut verorum scilicet religiosorum privilegiis fruerentur, cum in ea Societate professio solemnis post statutum tem-

pus emittatur; ideoque haberi non possit ut alia quaelibet Congregatio votorum simplicium, in qua vota solemnia numquam emittuntur. Ratio igitur haec est quiddam extrinsecum et a re nostra alienum, quaeque quaestionem de qua agimus immutare non potest. Quidquid enim sit, vota simplicia quae ante professionem solemnem emittuntur in Societate Iesu sunt eiusdem naturae ac ea quae emittuntur in aliis Ordinibus. Qua de causa si quae nunc emittuntur in his non veniunt sub Religionis nomine, neque quae in illa emittuntur venire possunt. Denique et Iesuita qui post nuncupata vota simplicia Societatem deserit, non habetur ut verus religiosus.

Evoluta significatione nominali huius articuli, videamus quandonam licitum, quandonam vero Simoniacum sit aliquid in religionis ingressu exigere.

1°. Imprimis itaque certum est, Simoniam committi si aliquid detur vel accipiatur uti pretium status religiosi, aut admissionis ad professionem vel ad habitum, quamvis, ut diximus, in hoc ultimo casu poenae non incurrantur nisi post expletam professionem religiosam. Religio enim est quid spirituale, et neque vendi aut emi pretio quolibet temporali potest.

Certum pariter est, non licere aliquid a novitiis exigere, excepto victu et vestitu, pro illo temporis spatio quo in probatione detinentur. Id nedum vetuerat Concilium Tridentinum *Sess. XXV Cap. XVI de Regul.* (1), sed etiam absolute reprobavit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in Decreto pro Carmelitarum Ordine, quod refertur

(1) En Decretum « Neque ante professionem, excepto victu et vestitu, novitii » vel Novitiae illius temporis quo in probatione est, quocumque praetextu a pa- » rentibus vel propinquis aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eius- » dem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem » partem substantiae suae Monasterium possideat; nec facile si discesserit id re- » cuperare possit: quin potius praecipit Sancta Synodus sub anathematis poena dan- » tibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem » omnia restituantur quae sua erant, quod ut recte fiat, Episcopus etiam per cen- » suras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. »

At stante eiusmodi decreto, debet ne Monasterium ita hanc substentationis pensionem exigere, ut sine illa possit Novitium non admittere? Huic quaestioni ita respondet Suarez. *De Relig. lib. IV De Simonia Cap. 18.* « Cum hoc Con- » cilium non prohibeat, per rationem naturalem et alia iura id regulandum est. » At ex vi rationis id non est malum, nec per alia iura est prohibitum, saltem » quando Monasterium egei: ergo etiam illo modo licita est exactio. »

Praeter victum et vestitum aliquid a Novitiis accipere ante professionem nefas est. Idque non tantum ex bonis ipsius Novitii, sed etiam ex bonis parentum et consanguineorum, uti decisum fuisse a S. C. Concilii refert Fagnanus in Cap. Statuimus *De Regularibus nn. 55. 56.*

ab Emo Bizzarri *in sua Collectanea ad usum Secretariae pag. 439* his verbis « Non licere Superioribus Regularibus, aut Conventui, » aut cuicumque Religioso particulari, intuitu admissionis ad » habitum, vel professionis Novitii » aliquid ab eo exigere sive ratione » filiationis, sive ratione expensarum, aut convivii, pastus, aut » quocumque alio praetextu, non » obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili contraria, excepto victu et vestitu » illius temporis, quo in probatione » fuerit, salva tamen libertate Novitio, vel eius parentibus, aut » Curatoribus sponte faciendi sacristiae conventus, in quo recepit habitum religiosum, vel professionem emittit aliquam oblationem cereorum adhibendorum » pro sacris functionibus dictis de » causis peragendis, nec non parandi Communitati religiosae » eiusdem Conventus prandium » vestitionis et professionis diebus, » exclusa tamen in his quacumque » vel tacita vel expressa conventione, et dummodo oblatio sit » moderata, et convivium frugale, » nec ad illud saeculares admittantur, salvis in reliquis constitutionibus Apostolicis, Decretis » S. Concilii Tridentini, Iuribus » confirmatis, et privilegiis a S. Sede » concessis Ordini Carmelitarum. »

Eiusmodi vero decreta nullo modo suffragantur iis Ordinibus, in quibus ex specialibus et approbatis Constitutionibus, nihil pro victu et vestitu a Novitiis accipitur. Atque ita a S. C. EE. et RR. refert Bizzarri loc. cit. pag. 85. (1) de-

(1) Ordinis Minorum. *Super pensione pro alimentis a Novitiis persolvenda.*

Apud Religiosos Ordinis Minorum Cismontanae familiae, a tempore cuius memoria non aderat, consuetudo invaluerat, ut a Novitiis pensio quaedam alimentorum titulo persolveretur. Itaque Provinciale Definitorium die 15 Decembris 1835 decernere non dubitavit, ut *Conventus Salutiarum S. Bernardi..... cedere deberet* (in utilitatem aliorum Conventuum, ubi studium institutum erat) *annuam pensionem eorum Novitiorum, qui in dicto Novitiatu ultra sex reperirentur.* Huiusmodi Decreto accessit confirmatio Visitatoris Apostolici, qui Gallica tempestate sedata, a Sancta Sede Apostolica ad illius religionis res ordinandas institutus fuerat.

At vero hanc dispositionem effectui mandare detrectavit Conventus S. Bernardi Guardianus, ideoque ad S. Congregationem EE. et RR. res deducta est. Dum huiusmodi res versaretur, consuetudo, quam super innuimus deprehensa est, et non immerito dubitatum, an eadem cum Ordinis Constitutionibus conciliabilis esset, vel potius ut abusus et corruptela abroganda foret.

Generalis curiae Commissarius hac super re interpellatus, declaravit, huiusmodi usum Ordinis instituto non esse consentaneum, ideoque auctoritate S. Congregationis esse prorsus avellendum.

Consultor. cui de more S. Congregationis, res demandata fuerat, ut senten-

cretum fuisse pro Religiosis Ordinis Minorum Cismontanae Familiae, quibus abrogare praescripsit consuetudinem exigendi pensionem a Novitiis pro alimentis ea de causa, quod ex sui Ordinis approbatis Constitutionibus aliquid accipere etiam ratione victus prohiberentur.

III. Si aliquid temporale detur alia de causa quam ob Religionis ingressum, censura huius articuli non incurritur. Hinc Simonia non committitur si ex mera liberalitate aliquid detur vel accipiatur, quia ex *Cap. Dilectus 30 De Simonia* « illud gratanter recipi poterit quod » fuerit sine taxatione gratis oblatum ». Atque de cetero ex citatis aliis superius iuris textibus idipsum luculenter evincitur.

Itemque Simoniacum non est, si Regulares utriusque sexus alicui Monasterio praepositi cum parentibus cooptandi paciscantur de certa pecuniae summa post eius professionem Monasterio persolvenda ea sub conditione, ut cooptandus renuntiet cuilibet haereditario iuri vel utilitati temporali. Hoc enim in casu daretur temporale pro temporali, quod licite fieri posse nemo negabit. Etenim nisi vota religiosa nuncupaturus haereditario iuri renuntiaret, post emissam professionem, Monasterium haeres legitimus evaderet, cum eorum quae vel acquirit vel possidet Monachus non ipse, sed Monasterium sit dominus. Licite igitur Monasterii superiores pacisci cum parentibus poterunt de aliqua summa post professionem solvenda, cum ipsi Monasterii notiam suam exponeret, eam quam Commissarius retulerat suo voto confirmavit. Neque vero iniuria; siquidem praeter alias rationes, Constitutiones anno 1827 pro Cismontana familia editae, art. 34 sic statuunt. *Nemini licent quidquam a Novitiis accipere.* Quae dispositio sanctionem accipiebat ex poenis contra violatores ibidem statutis. Huc accedebat, quod alibi, nempe Art. 186, 334, 434 ratio praescripta erat, qua Conventibus qui indigentia laborant, prospici valeret.

Itaque proposita causa in generalibus Comitiis diei 30 Martii 1838 sequentibus dubiorum formulis.

An et quomodo toleranda sit consuetudo exigendi pensionem a Novitiis?

Et quatenus Affirmative.

An et quomodo Decretum in quaestione sustineatur?

Quatenus Negative.

An et quod consilium accipiendum in casu?

Emi Patres rescribendum censuere

Ad 1. Negative.

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3. Scribatur Patri Generali ad mentem. Mens est, ut ipse det literas ad Provincialem, quibus certiorem hunc reddat. S. Congregationem improbasse consuetudinem exigendi a Novitiis pensionem ratione victus, et eiusmodi decretum manifestandum esse omnibus Conventibus Provinciae illius, in quibus Novitiatus peragitur, absolvendo, *quatenus opus sit*, omnes superiores, qui similes pensiones exegerunt.

mine cuicumque lucro renuntient, et cooptandi parentes ditiores exinde fiant, quin ius aliquod ad illam haereditatem habeant, atque de cetero cooptandus velit ut summa illa Monasterio conferatur; qui certe id facere potest cum rerum suarum sit dominus. Neque huic sententiae obstat citatum Concilii Tridentini decretum. Etenim Tridentinum prohibet quominus Monasterii praesides cooptandi bona ante professionem accipiant, ne hac de causa hic discedere nequeat; nos autem loquimur de summa post professionem accipienda; qua de causa cooptandus liber semper est ad alia vota transire quin aliquid amittat. (1) De cetero, inter alios etiam Reiffenstuel huic sen-

(1) Circa eiusmodi renunciationes prae oculis habenda sunt quae referuntur ab Emo Bizzarri in sua Collectanea pag. 539. Urbinaten. *Super renunciationibus Novitiorum minoris aetatis et Novitiarum.*

In pluribus Dioecesibus in recipiendis renunciationibus Novitiorum et Novitiarum, servatur tantum forma s. Concilii Tridentini Sess. 25, cap. 16 de reform., quin ullo modo ratio habeatur eorum, quae quoad contractus mulierum et minorum in codice iudiciario civili die 10 Novembris 1834 praescribuntur. Verum ad omnem ambigendi occasionem removendam dubium S. C. propositum fuit cum sententiis Doctorum, qui docent sufficere servare formam a Concilio Tridentino praescriptam. Giovius in Tract. *De solemnitatibus in contract. minorum, Gloss. XVI, n. 280* habet: *Non tenetur Statuti solemnitates adhibere, sed sufficit habere licentiam renunciandi ab Episcopo, vel eius Vicario.* Idem tradit Costantini in Voto 254, n. 8, et Cardinalis de Luca in *Theatro veritatis et iustitiae tit. de renunciat., observ. 254.* Et re sane vera renunciatio ob ingressum in religionem vim non habet nisi peracta professione ad instar testamenti, quod morte testatoris irrevocabile robur acquirit: sed in factione testamenti mulierum et minorum servari minime debent solemnitates pro contractibus mulierum et minorum praescriptae, ita nec in praedictis renunciationibus emittendis. Et hac de causa a Curiis Episcopalibus minime servabatur in huiusmodi renunciationibus excipiendis forma statuta in Const. Benedicti XIV incipien. *Romanae Curiae praestantiam.*

Proposita proinde fuerunt in Congregatione generali diei 17 Martii 1843 dubia:

1°. An validitati renunciationum Novitiorum in minori aetate constitutorum, et Novitiarum, quae fiunt occasione professionis, satis sit forma conciliaris, an etiam necessariae sint solemnitates praescriptae ab Codice iudiciario in vigore?

Et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam.

2° An expediat sanare omnes praecedentes renunciationes factas in Curia Urbinatensi ad praescriptum Concilii Tridentini tantum?

Emi Patres, referente Emo Polidori, rescripserunt:

Ad I. Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.

Ad II. Provisum in primo (*)

17 Martii 1843.

(*) *Edita lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium iuxta encyclicam S. C. super statu Regularium diei 18 Martii 1857, et litteras Apostolicas diei 7 Februarii 1862 incipien.* Ad universalis, *dubium exortum est circa tempus, quo renunciatio, de qua Concilium Tridentinum*

tentiae suffragium suum porrigit tit. 3. Lib. 5. Decret. n. 182.

IV. Si Monasterium egestate laboret, ex communi Doctorum sententia aliquid exigere *titulo substentationis* potest. Ut enim loquitur Angelicus 2-2. *q. 100 a. 3 ad 4.* « Dicendum quod pro ingressu » Monasterii non licet aliquid exi» gere vel accipere quasi pre» tium. Licet tamen si Monasterium » sit tenue quod non sufficiat ad » tot personas nutriendas, gratis » quidem ingressum exhibere, sed » accipere aliquid pro victu per» sonae quae in Monasterio fuerit » recipienda, si ad hoc non suffi» ciant Monasterii opes ».

Et *in IV, Dist. 25, q. 3, a. 2. quaestiuncula* 2. ad 7. « Cum pos» sessiones alicuius loci religiosi » non sufficiunt ad sustentandum » plures, tunc potest exigi ab eo » qui in illo vult Deo servire, non » quasi pretium religionis, sed ut » habeat Monasterium unde ei possit » providere, et ideo non commit» titur Simonia ».

Idipsum porro tradunt S. Bonaventura in *lib. Apologet. in eos* qui Ordini Fratrum Minorum adversantur, quaest. 18, S. Raimundus *in Summa lib. 1., tit. 1.* §. 22. S. Alphonsus *lib. III, n. 91*, aliique Doctores a cl. Schmalzgrueber citati *tit. III, lib. V Decretal. n. 194*; quibus addimus Commentatores fere omnes.

Certum enim est, ut Suaresii argumentis utamur, *De Religione lib. 1, Cap. 17, n. 6* id neque divino iure, neque ratione prohibitum esse; non quidem illo, cum nullibi sive in sacris literis, sive in divinis traditionibus expressum praeceptum id prohibens reperiamus; non ratione, cum haec nedum non interdicat, sed potius

loquitur, emitti possit. Dicto dubio ad SSmum D. N. Pium Papam IX relato a Secretario S. C. super Statu Regularium in Audientia habita die 1 Augusti 1862, Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuit atque constituit, renunciationem quam in cit. Cap. XVI. Sess. XXV de Regularibus (**) Concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Professi vero votorum simplicium iuxtà declarationem eiusdem S. Congregationis dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

(**) **Ex Concilii Tridentini verba:** « *Nulla quoque renunciatio aut obli» gatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque cau» sae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive eius Vicarii fiat intra duos » menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum » sortiri, nisi secuta professione.* »

suadeat Deo in Religiosis Institutis servire ad quae a Deo vocamur, eisque bona nostra largiri, si secus in eis cooptari non possimus, quod mediis ad substentationem nostram careant. Quid enim? Tenemur proximo subvenire si egeat, et criminosum putabimus Monasterio alicui bona nostra largiri, ut inde nobis alimenta subministret, quo ambulare possimus ea vocatione qua vocamur? Si hi, de quibus agimus, Deo propriis in domibus essent militaturi, nonne suis expensis vivere deberent? Ut quid ergo peccatum erit ex iisdem vivere, si Monasterium ingressuri, ab eo, ob paupertatem alimenta habere non possint? Monasteriorum vero superiores unum e duobus eligere deberent; aut illos repudiare quos Deus ad monasticam vitam deducit, aut eos ad professionem religiosam admittere, aliquid ab illis causa sustentationis exigendo. Utrum magis rationi consentaneum?

Praefatae tamen sententiae Van-Espenius adversatur in Dissertatione canonica, cui titulus: *De peculiaritate in Religione, et de Simonia circa Religionis ingressum* (1), *Part. 2, cap. 1, §. 3.*, in eaque ostendere conatur, non licere inopi monasterio aliquid ab ingredientibus Religionem exigere *neque substentationis titulo,* eo fretus argumento, quod « ex natura et conditione proventuum Monasterio» rum ostendi potest, ius substen» tationis in Monasteriis esse spi» rituali adnexum. »

At eiusmodi argumentum per ea corruit quae disserit S. Thomas *2-2. quaest. 100, art. 4. ad 1.*, scilicet « omnia temporalia adne» ctuntur spiritualibus sicut fini, » et ideo ipsa quidem temporalia » vendere licet; sed ordo eorum » ad spiritualia sub venditione ca» dere non debet. » At in casu nostro nonne temporale datur titulo sustentationis, prout sustentationis ius est quid temporale? Non igitur temporale prout ad spiritualia ordinatur, sed prout in seipso consideratur, cum temporali alio commutatur.

De cetero nulla extat lex, nullumque ecclesiasticum decretum quod huiusmodi exactiones pro Monasteriis inopia laborantibus prohibeat; ideoque cum peccatum et poenae non dentur nisi ex iure constituto, non intelligimus quanam innixi ratione contrariam sententiam tuentes excommunicationem in huiusmodi indicere possint.

Attamen tum Van-Espen, tum Lucius Ferraris in Bibliotheca, *Verbo Simonia* art. 2, n. 23, nonnulla afferunt argumenta, quae expendenda omnino sunt.

Van-Espenius itaque primum

(1) Extat huiusmodi dissertatio initio Tomi V Collectionis omnium Van Espenii Operum, quae aucta additionibus Ioannis Petri Gibert, edita fuere Venetiis anno 1781 sumptibus Remondinianis.

argumentum deducit ex Canonibus Conciliorum, quae ante Tridentinum celebrata fuere, et praecipue ex Lateranensi IV. can. 64 iam citato, in quo Patres detestantes exactiones in receptione Monialium, excludere ipsam paupertatis rationem videntur. » Quoniam Simo» niaca labes, inquiunt, adeo ple» rasque Moniales infecit, ut vix » aliquas sine pretio recipiant in » sorores, paupertatis praetextu » volentes huiusmodi vitium pal» liare, ne de cetero fiat penitus » prohibemus. »

Accipit secundum ex Extrav. *Sane De Simonia* superius allegata. Cum enim in ea Urbanus V Religiosorum Ordinum Superioribus interdicat omnes etsi minimas exactiones, aut res alias *etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputatas vel deputandas,* Lovaniensis Doctor contendit, illas quoque exactiones in huiusmodi extravaganti prohiberi, quae *sustentationis titulo* fierent.

Tertium demum et potissimum argumentum desumit ex illis ecclesiasticis legibus, quibus cavetur ne plures in Monasteriis recipiantur; quam ali possint, quas inter leges recenseri quoque potest *Cap.* Periculoso, §. Sane de *Statu Regularium in 6,* quo Bonifacius VIII vetat « ne in Monasteriis Mendican» tium aliquae recipiantur in so» rores, nisi quot poterunt de ipso» rum Monasteriorum bonis, sive » proventibus, absque penuria sub» stentari. »

Doctissimus Lucius Ferraris *loc. cit.* tunc huic argumento nititur, dum scribit: « Hodie autem cum » Regulares tot solum stare de» beant et possint in Monasteriis, » quo tali commode possunt per red» ditus, seu consuetas eleemosynas » eorum.... stat quod neque Mona» sterium praetensum inops possit » aliquid per pactum exigere ab » ingredientibus pro illorum su» stentatione, quin eius Religiosi la» bem Simoniae iuris saltem ec» clesiastici contrahant. »

Tum nititur cuidam S. Congregationis Concilii declarationi quam refert: « Quod non liceat aliquid » peti, seu exigi, neque titulo » eleemosynae pro admittendis ad » habitum et professionem regula» rem, patet etiam ex declaratio» nibus S. Concilii, quae in una » Leodiensi pro Patribus Carmeli» tis Calceatis huic quaesito pro » maribus facto 9 Februarii 1697, » respondit: *Servetur dispositio » iuris. Sic refert Monacelli part. I, » tit. XI, form. 7, n. 8.* »

Ex his vero quisque intelligit, fundamentum huiusmodi sententiae esse Decretum Concilii Tridentini latum Sess. XXV, cap. 3 de Regularibus, quo statuitur « In Monasteriis et » domibus tam virorum, quam » mulierum bona immobilia possi» dentibus vel non possidentibus » is tantum numerus constituatur

» ac in posterum conservetur, qui vel » ex redditibus propriis Monasterio- » rum, vel ex consuetis eleemosynis, » commode possit sustentari »

Hoc autem decretum nemo ignorat confirmatum fuisse a plurimis Romanis Pontificibus, et praesertim a Clemente VIII Const. *Nullus omnino*, a Paulo V Const. *Sanctissimus*, ab Urbano VIII Const. *Cum saepe*, ab Innocentio X Const. *Inter cetera*, ab Innocentio XII Const. *Nuper a Congregatione*.

Ut itaque obiectis difficultatibus respondeamus. Argumentum primum petitum ex Lateranensi Concilii IV Canone explodimus per hoc quod decretum illud latum fuerit contra moniales illas, quae non causa *verae inopiae*, sed *paupertatis praetextu vix aliquas sine pretio in sorores recipiebant*. Nos autem de causa verae paupertatis loquamur; quare nullo pacto eiusmodi decretum contra sententiam nostram urgeri potest. Verba enim legis sunt proprio et naturali sensu accipienda, et cum lex est odiosa non potest extendi de casu in casum neque ob rationis paritatem; ratio autem relati canonis toto coelo est a ratione nostrae sententiae diversa.

Idipsum autem invicte ex eo quoque ostenditur, quod paullo post Lateranense Concilium sub Gregorio IX scripsit S. Raymundus de Pennafort, qui certe cavisset in sensum repugnantem verba Lateranensis Canonis detorquere. Hic autem in Summa lib. 1. Tit. 1. § 22 ita in re nostra scribit. « Si » Monasterium esset adeo tenue, » vel paupertate depressum, quod » reditus vel vix, vel non sufficerent personis praesentibus; non » solum intentionem posset habere, » sed etiam credo quod posset dicere: non sufficiunt nobis; libenter suscipimus te ad spiritualia, » ad temporalia non possumus nisi » habeamus plures possessiones. Et » tunc ille offerat se ac sua. Quod » autem dicitur in Constitutione » (nimirum supradicti Lateranensis » Concilii) eodem cap. Quoniam, » vers. paupertatis praetextu, de » Simonia intelligitur, cum hoc » dicebant in fraudem. »

Glossa autem in dictum Caput eadem docet. « Posset dici, inquit, » quod si ita pauperes sunt, quod » non possunt ibi alias aliquo modo » aliquem recipere, quia non haberent ibi victum; possunt sub » hac forma recipi: Non habemus » quid demus tibi pro victu, nisi » tu portes tecum unde vivas. » Dum tamen hoc non dicatur in » fraudem. (1) »

At ex his evidens est, contra

(1) His libet accensere duos praestantissimos auctores, quorum unus ante Concilium Lateranense IV scripsit, alius non multo post. Primus sit Petrus Cantor, qui floruit saeculo XII, quique in Tractatu de Verbo abbreviato cap. 33 scripsit: « Si Monasterium adeo inops est, ut non possit recipere, aut nutrire sine pecuniae » contributione illum, qui se offert ad religionem, poterit huic concedere confraternitatem spiritualem, non autem corporalem; vel etiam habito respectu ad domus

legitimas interpretandi regulas afferri a Van-Espenio Lateranensem canonem, eiusque primum argumentum nullius esse ponderis.

» inopiam, et ad necessaria pro alimentis ipsius postulantis expensas, exigere ab » illo ut sub ea conditione admittatur, quod suppeditabit Monasterio reditus tem- » porales ad subsidium et alimoniam vitae suae. «

Alius sit S. Bonaventura qui in libello apologetico adversus obtrectatores Religionis Fratrum Minorum, q. 18 proponit ac resolvit hanc illorum obiectionem. » Cum ergo sitis informatores earum Monialium S. Clarae) quare permittitis, quod » plures apud eas impure, id est per pecuniam recipiantur, quae si nihil secum » ferrent, nullatenus reciperentur et aperte Simonia videtur?

» Responsio. Si illud alii faciunt, de hoc non a nobis, sed ab illis est ratio » exigenda. Sed tamen ut satisfaciamus quaerentibus, sciendum quod quantum spe- » ctat ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi in ordinem qualemcum- » que. Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure » pro Deo; et ista est purissima coram Deo et hominibus. Secunda, quando aliquis » recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reci- » peretur pro Deo; et similiter hoc purum est coram Deo, sed caute agendum est » coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, et ne sit ibi affectus avaritiae » infectus ex spe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen » reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in » necessitatibus corporis providere: cum tenues facultates domus vix sufficiant iam » receptis, nec ad eas audeant plures recipere, et istos suis necessitatibus spoliare, » ita quod talis persona quae sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reci- » peretur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias et nobilitatem eius quae » habet nasum, nec tamen propter hoc duxit eam quia nasum habet, quam tamen » si naso careret, nullatenus duxisset. Et hoc non est impurum, licet non appareat » forsitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniae, ita quod si » possent pecuniam illam habere sine persona, non reciperent personam, sed ut » habeant pecuniam, personam recipiunt; et hoc penitus impurum est et simonia » cum, quia ibi pecunia causa est receptionis personae, et non e converso. Ubi » ergo recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi venditur spiri- » tuale, id est consortium spiritualis societatis pro temporali scilicet pecunia. Et » hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum opibus, » quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, » vel bona concupita emerentur, vel aedificia construerentur. De talibus dicit Ec- » clesiasticus cap. XXVII: Propter inopiam multi deliquerunt. Ubi vero pecunia » recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent unde eam » pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. » Et hoc modo sustinemus quod sorores sanctae Clarae recipiunt pecuniam cum » personis, si quando oporteat eas plures personas recipere, quam de facultatibus » Monasterii congrue valeant sustentari. » Doctor ergo Seraphicus negat esse simo- niacum si monasterium carens sufficientibus facultatibus ad sustentationem illius qui habitum religiosum postulat, recuset illum admittere, nisi temporale aliquid Monasterio tribuat, quo sustentari valeat. Duo tantummodo requirit: primo, ut Monasterium sit revera inops ac insufficiens ad victum postulanti suppeditandum; secundo, ut persona propter Deum tantummodo admittatur, et non propter pecuniam quam defert.

Quid autem de secundo argumento? Praetermittentes quaestionem, quam superius indicavimus de vi hodierna huius Constitutionis, observamus cum plerisque Doctoribus, eam non esse intelligendam de Monasteriis paupertate ita pressis, ut sufficientia media non habeant ad ingredientium sustentationem, sed de aliis quae mediis abundant. Etenim hac in Constitutionem Urbanus V praecipit, ut superiores Regulares ingredientium personas « cum omnimoda pietate » reciperent, ac in victu et in ve» stitu sicut alias personas suorum » Monasteriorum sincera charitate » pertractarent » At quomodo haec agere Monasterii superiores possent, si mediis careant ad haec ingredientibus praestanda? Supponit ergo Pontifex Monasteria, de quibus loquitur, mediis sufficientibus instructa esse ad victum et vestitum postulantibus suppeditandum.

Sed et illud addimus, casum nostrum nullo pacto sub Urbani verbis comprehendi. Etenim prohibet « ne tam a maribus quam a » mulieribus volentibus ingredi.... » religionem; in earumdem per» sonarum receptione; aut ante » vel post illam, quoscumque pa» stus, prandia, seu coenas, pecu» nia, jocalia, aut res alias etiam » ad usum ecclesiasticum, seu quem» vis pium usum alium deputata » vel deputanda directe vel indi» recte petere vel exigere quo» cumque modo praesumant. » At sustentatio Monachi sub hisce vocabulis neque venit neque venire potest, saltem relate ad Urbani intentionem.

Ad 3^am^. difficultatem respondemus, non adeo stricte accipienda esse Bonifacii VIII verba. Etenim ipse loquitur de solis Monialibus Ordinum non mendicantium, quin intentio ulla appareat, eum de Monialibus omnibus eadem voluisse sancire; cum enim in prima Capitis parte praescripserit Monialibus clausuram, de omnibus indiscriminatim loquitur; postea vero de solis non mendicantibus. Non fuit igitur Bonifacii intentio ad alias extendere quae solis non mendicantibus praescribit. Hinc si Van Espenii argumentum aliquid valeret, pro monialibus non mendicantibus tantummodo valeret. At quaerimus: potest ne aliqua probabilitatis specie affirmari, Simoniacum pro non mendicantibus Monialibus fuisse, quod pro Monialibus mendicantibus Simoniacum non erat? Si autem hoc defendi non potest, neque defendi poterit, a Bonifacio VIII prohibitam fuisse Monialibus Ordinum Mendicantium quamlibet pecuniae exactionem, etiam cum Monasterio sufficientes facultates deessent, et pecunia erogari in Monialis sustentationem deberet.

Accedit quod Bonifacius VIII eodem in Capite affirmet, vivere Sanctimoniales non Mendicantes debere *de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus;* proventuum autem nomine optime venire possunt dotes,

sive pecuniae quae titulo sustentationis ab postulantibus exigebantur. Accedit etiam, paullo ante Bonifacium VIII scripsisse S. Bonaventuram, et ex eius testimonio supra relato apparere, etiam a Mendicantibus susceptas fuisse sanctimoniales cum dote aliqua, si Monasterio bona necessaria ad ipsas sustentandas non suppeterent. Demum Bonifacii lex non est ita clara ut sub ea casus a nobis propositus comprehendi dicatur. Leges autem odiosae non sunt extendendae, neque aliquis condemnandus, nisi lege aperta criminis arguatur. (1)

Ex iis vero quae postremo loco diximus corruunt ea quae primo loco ex Lucio Ferraris adduximus, cum eamdem difficultatem constituant.

Quoad hunc tamen addimus, eum non satis sibi constare. Etenim loc. cit. n. 22 postquam scripserit: « Si Monasterium reperiretur inops, » mediis vel reditibus non suffi- » cienter fundatum, licite conse- » quenter, absque Simonia peti et » accipi possent temporalia ab in- » gredientibus illud; non quidem » pro ipso ingressu, seu pro ipsa » admissione ad Religionem, vel » professionem, *sed pro honesta* » *sustentatione:* » et hanc sententiam auctoritate Aquinatis, S. Bonaventurae, S. Raymundi et Glossae firmaverit, atque insuper sequenti ratione « quia tum non daretur, » neque exigeretur temporale pro » spirituale, scilicet pro ingressu » ad Religionem, seu admissione » ad professionem, sed ut quid » necessarium pro victu, vestitu, » ac honesta sustentatione ingre- » dientis, seu profitentis, quod est » etiam quid mere temporale. »

Postquam, inquam, haec scripserit, omnia in irritum deducit per ea quae in difficultatibus retulimus.

At pace tanti viri. Quis e Romanis Pontificibus Aquinatis, S. Bonaventurae, S. Raymundi et aliorum sententiam in irritum redu-

(1) Hoc in loco Van Espen veluti suae sententiae sectatorem Ludovicum Thomassinum allegat, quod hic in Opere *Vetus et nova Ecclesiae disciplina Part. 4. lib. 3, cap. 14* (alias *Parte III, lib. 1, cap. 53, n. 6*) scripserit, a Romanis Pontificibus numerum sanctimonialium recipiendarum praefinitum fuisse, ea de causa, *ut violentae exactiones in religionis ingressu impedirentur*. At certum est, in subsequentibus Operis Editionibus, eum in haec alia praedicta verba commutasse. *Nec enim definiebatur numerus ad mensuram reditnum, nisi ne quid invitis exculperetur in Religionis ingressu.* Quae multo mitiorem sententiam redolent. At quomodocumque Thomassinii verba sumantur, quid demum probant? per eiusmodi scilicet sanctionem impeditas fuisse violentas exactiones. Optime; sed exinde non sequitur, prohibitas fuisse exactiones non violentas. Id vero adeo certum est, ut cit. Auctor, loc. cit. cap. 34 totus sit in defendendo D. Carolo Borromaeo, qui licitum monasteriorum Superioribus esse putabat, dotem a postulantibus monasticam professionem exigere, nihil eiusmodi facto contradicentibus vel Cap. *Periculoso*, vel aliis apostolicis Constitutionibus vetantibus plures in monasteria recipi, quam ex eorum bonis ali possent.

it.? In quanam Romanorum Praeulum Constitutione *apertis verbis* reperitur scriptum, prohibitum esse aliquid exigere pro sustentatione eorum qui habitum monasticum induere volunt, cum Monasterio bona sufficientia non suppetunt? At si *apertis verbis* id scriptum non reperitur, licitum ne est legem odiosam ad alia extendere, quae, ut minimum dicamus, dabium est an sub illa comprehendantur? Relate vero ad rationem adductam, quaerimus: an aliquid, nec ne valeat? Si valet; ergo etiam nunc temporis, licitum erit a postulantibus religionem in casu aliquid exigere. Si nihil valet, qua lege vim suam amisit? Certe vel Tridentini decreto, quo cavetur, ne Maior Religiosorum numerus in Monasteriis admittatur, quam *qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode valeat sustentari;* vel ex Constitutionibus citatis Romanorum Pontificum, vel ex allegata Declaratione S. Congregationis Concilii *in una Leodiensi*.

Atqui non Concilii Tridentini decreto. Quo enim argumento probatur, in verbis *ex consuetis eleemosynis* non includi etiam dotes vel alia bona temporalia, quae mulieres aut viri religionem profiteri cupientes pro honesta sui sustentatione inopi Monasterio afferunt, praesertim cum plures Sacrorum Canonum tractatores, et ipsi patres Congregationi Episcoporum et Regularium praepositi, ut infra videbimus, id affirment? Etenim etiam huiusmodi largitiones eleemosynarum titulo venire possunt; atque etiam *consuetae* non incongrue dicentur, si solitum sit ut afferantur, cum Monasterium ea in necessitate versatur.

Constitutiones Pontificiae vero eiusmodi interpretationem mirifice confirmant. Etenim Clemens VIII in cit. Const. ad mentem Concilii Tridentini dicit, in quocumque Monasterio vel Conventu, talem Religiosorum numerum servandum esse, *qui de consuetis, sive communibus, sive singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus commode sustentari possint.* At negare quis audebit, *subventionum* nomine venire largitiones eorum qui ad sui substentationem pauperi Monasterio aliquid offerunt? Clementi vero conformis est Innocentius X qui memorat *reditus, eleemosynas, et obventiones.*

Pariter Innocentius XII recenset *bona immobilia, census, reditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones tam communes Monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas etc.* Ita ut ex Pontificiis Constitutionibus nihil contra sententiam quam defendimus extendi possit.

Superest declaratio S. Congregationis Concilii in *una Leodiensi*. Verum, ut ingenue loquamur, non intelligimus quomodo eiusmodi de-

claratio afferri possit contra sententiam quam defendimus. Etenim 1°. quaestio nostra est de Monasteriis quae necessariis careant ad monachi habitum exposcentis sustentationem; verba autem Lucii Ferraris possunt intelligi etiam de aliis Monasteriis, quae quamvis necessariis non careant, tamen aliquid eleemosynae titulo petant. 2°. Concilium respondit: *Servetur dispositio iuris.* Dispositio autem iuris est, inquit Ferraris, *loc. cit.* « quod Re» ligiosi et Religiosae non debent, » nec possunt pretio recipi ad re» ligionem et professionem regula» rem. » Optime; sed eleemosyna vel subventio, quam postulans regularem habitum Monasterio pauperi ad propriam tribuit sustentationem, vocari ne potest *pretium?* Profecto vocari non potest, neque est. Ergo obventio illa sub iuris dispositione non cadit. 3°. Inter alias iuris dispositiones Ferraris affert Caput *Quoniam* cuius verba sunt: *Paupertatis praetextu volentes huiusmodi vitium palliare.* At nos loquimur de vera paupertate, non de paupertatis praetextu. 4°. Luciusnosterdeclarationem excipit a Monacelli. At hic ille adversatur. Etenim in Formulario *loc. cit.* proposito dubio: *An praeter dotem sit licitum aliquid recipere pro monachandis titulo eleemosynae?* S. C. Concilii in *una Leodiensi* respondit etc. Casus igitur non est, ut saltem Monacelli supponit, an illicitum sit aliquid in eleemosynam a postulante habitum religiosum accipere; sed an sit licitum illud accipere, postquam sustentationis titulo iam dos accepta fuerat; qua de causa eleemosyna illa petita fuisset supra dotem, quod illicitum esse nemo negabit.

Certum igitur videtur esse, nullam extare legem ecclesiasticam huiusmodi subventiones in casu interdicentem (1). At extiterit: Per contrariam consuetudinem, quae legitime introducta est, quaeque vim legis habet, in desuetudinem abiisse dicenda est. Nunc temporis certe, a Monialibus praesertim, nulla recipitur quae dotem constitutam non solvat. (2)

Attamen ad eiusmodi compen-

(1) Hinc nescimus quomodo explicanda sint verba Mayer, qui in *Trismegisto Iuris Pontif. tit. III, lib. V, n. 73* ait: « Transgressores peccabunt quidem con» tra obedientiam, maiorem numerum religiosorum accipiendo; sed quis propterea » arguet eos de peccato simoniae, si titulo sustentationis aliquid a religiosis su» pernumerariis exegerint? » Atqui ipse ideirco in casu simoniae crimen non adesse putat, quia passim Doctores affirmant, nomine *consuetudinem eleemosynarum* etiam eiusmodi exactiones venire, idque intellexisse tum Concilii Tridentini Patres, tum Romanos Pontifices. At si hoc; quomodo contra obedientiam peccabit qui aliquem in Religionem mediante huiusmodi subventione reciperet, quando in Pontificiis Constitutionibus licite id fieri posse statutum est?

(2) Optima hac in re sunt quae habet Maschat, *Instit. Canon. lib. V. tit. 3, §. 1, n. 15*: « Existimo igitur iure antiquo ob iustas causas statutum fuisse ut

sationes *sustentationis titulo* exigendas nonnullae conditiones necessariae sunt, quas subnectere putamus. Et necessarium est:

1°. Ut Monasterium revera egeat, nec habeat necessaria ad Monachum alendum.

2°. Ut speciales ordinis Constitutiones non interdicant huiusmodi exactiones, prout affirmat Pirhing *tit. III, lib. V. Decret.* et confirmat Declaratio Episcoporum et Regularium, quam supra ex Bizzarri retulimus.

3°. Alii etiam tertiam apponunt, ne scilicet Monasterii superiores super huiusmodi exactionibus paciscantur. Ita Glossa in Cap. Non satis *De Simonia,* quam sequitur Abbas Panormitanus. Contradicit tamen Suarez veriori iudicio; quia cum exactiones huiusmodi iure canonico prohibitae non videantur, nil vetat quominus quis paciscatur super rebus aliunde licitis. Quod insuper necessarium est; pactum enim fieri debet de eo quod necessarium est ad sustentationem, ideoque in pactum venire debet tantum quantum satis. Porro penes varios religiosos ordines non eadem est sustentatio, neque penes diversas regiones et provincias eiusdem valoris.

Post haec expendere ducimus factum quod hisce diebus non raro accidit, in Germania praesertim.

Vi Constitutionis *Nemimem latet* diei 19 Martii 1857, Novitii, rite probatione et Novitiatu peractis, vota simplicia emittere tenentur; atque ab his ad solemnem professionem trium annorum spatium decurrere debet. Huius triennii tempore Superiores regulares religiosis votis simplicibus obstrictis literas dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram, et quatuor minores ordines concedere possunt (1). Contingit autem, ut Superiores regulares ab

» absolute nihil *ex pacto*, quocumque titulo quaesito exigi, vel recipi posset ab » ingressuris Religionem, sicut Clerici nihil recipere poterant ratione Baptismi, » Sepulturae, et aliarum functionum spiritualium (Cap. 9 de Simonia), quia tem- » poribus illis expediebat, imo necessarium erat, Clericos et Religiosos ab omni » temporalium cupiditate alienos esse. Sed mutatis temporibus, iura ista, partim » Constitutionibus et Declarationibus Pontificiis, partim generali consuetudine et » opinione fidelium relaxata sunt, ut hodie liceat et Clericis redditus stolae, et » Religiosis temporalia exigere. Dummodo pro ipsis functionibus spiritualibus, vel » pro ipso ingressu Monasterii, quod ius naturale vetat, nihil ex pacto exigatur. »

1) Non autem ad maiores Ordines ex Declaratione S. C. EE. et RR. diei 20 Ianuarii an. 1860 quae ad quaesitum: *Possuntne Novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad Sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione* Romanus *S. Pii V* die 12 Novembr. an. 1568 in lucem edita? ita respondit: *Negative quoad Ordines Sacros.*

Quin immo ex Piana Constitutione suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo Beneficii vel patrimonii, Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

eiusmodi decreto dispensationem a Sede Apostolica petant, et obtineant ut aliqui qui Monasterio vel utiles vel necessarii videntur, perdurante triennio simplicis professionis, ad maiores ordines promoveantur. Hi autem cum paupertatis, vel mensae communis titulo ordinari non possint, aliunde sibi patrimonium ecclesiasticum in titulum ordinationis procurant, quod, peracta solemni professione, in Monasterii dominium transit.

Quid igitur de eiusmodi consuetudine?

Nullo Simoniae vitio laborare, salvo prudentiori iudicio, videtur. Etenim 1°. Ex Declaratione S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 12 Iunii 1858, art. IX. « Professi votorum simplicium dominium *radicale*, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, » sed eis omnino interdicta est » eorum administratio, et reddituum » erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum » simplicium cedere pro tempore, » quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, » administrationem, usumfructum, » et usum quibus eis placuerit, ac » etiam suo Ordini, si ita pro eorum » libitu existimaverint. » Idque iuste et convenienter; professi enim votorum simplicium non sunt veri religiosi, attamen ad huiusmodi statum per vota simplicia disponuntur; qua de causa et iuste radicale dominium bonorum suorum retinere possunt, et convenienter eorum administratione, usufructu et usu privantur, ut ad religiosam paupertatem solemniter profitendam disponantur.

2°. Nulla lege, nulloque Ecclesiae decreto huiusmodi simpliciter professi prohibentur patrimonium aliquod sibi in titulum ordinationis comparare, sicut illicitum eis non est haereditates, vel alias obventiones, et eleemosynas accipere, dum tamen earum administrationem non retineant.

3°. Consequenter nulla pariter lege prohibentur, eiusmodi patrimonium in titulum ordinationis adscitum, proprio Monasterio donare.

4°. Post emissam solemnem professionem iure Monasterium eiusmodi patrimonia acquirit, cum ex iuris textu : quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit.

5°. Eiusmodi Monachi non admittuntur ad solemnem professionem intuitu patrimonii, quod habuerunt non religionis profitendae, sed ordinum sacrorum suscipiendorum gratia. Ergo nulla adest rei spiritualis cum temporali commutatio; nulla proinde Simonia.

Demum incertum omnino est, an eiusmodi casus sub lege comprehendatur. Non est igitur veluti Simoniacus damnandus, ni antea a legislatore aperta declaratio emittatur.

V. Disputavimus hucusque de Monasteriis paupertate pressis. Verum sunt alia quae bonis abundant. Quaerendum est igitur, an licitum sit aliquid ab religionem ingredientibus exigere, si Monasteriis bona

necessaria suppetant ad eorum sustentationem.

Ad rite quaestionem hanc dirimendam, necessarium est distinguere Monasteria mulierum inter, et virorum. Dicimus ergo, licitum esse Monasteriis Sanctimonialium dotes a postulantibus habitum accipere, etiamsi redditibus abundent.

Id probamus ex Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, quod refertur a Fagnano in *Cap.* Non amplius *De Institutionibus* his verbis: « S. Con» gregatio super negotiis EE. et » RR. animadvertens, sanctimo» nialium Monasteria sine dotium » subsidio diu sustineri non posse, » et propter ingruentes necessitates » et casus inopinatos plerumque ad » inopiam redigi; summis Pontifici» bus approbantibus prudenter san» xit, ut dotales eleemosynae a » monialibus numerariis (1) persol» verentur, tametsi numerus esset » taxatus ad mensuram redditumm » monasterii. » Id autem optimo iure sancitum fuisse, patebit iis qui considerent, Sanctimonialium Monasteria quae aliquando ditissima erant, lapsu temporis ad talem statum redacta fuisse, ut vix sufficientes haberent redditus ad mediocrem sororum numerum alendum. Id qua ratione contingeret non intelligere se fatebatur ipse Benedictus XIV *De Synodo Dioec. lib. XI, cap.* 6. Sed certum est id contigisse, et contingere. Satis sit ea referre quae dicit Cabassutius *in Theor. et Prax. Iur. Can. lib. V. cap. 5, n. 13.* « Videmus, inquit, in permultis Vir» ginum Monasteriis ad gravem ino» piam redactis, fuisse eo quando» que redactos praelatos, ut, soluta » clausura, virgines ad proprios » parentes transmiserint nutriendas, » suasque operas, ne a propriis pa» rentibus repellerentur, famulitias » et opificias, pro pane apud eos » quaerendo, locaturas. Vidimus » multoties, facile dissipatis Mo» nasteriorum exiguis facultatibus, » necesse fuisse quasi in communi » naufragio, ut singulae moniales » privatim suo victui consulerent, » suas operas externis pretio ad » vitae subsidium exhiberent, pro» prietatem rerum, quascumque » corrodere possent, sibi ad vitae

(1) Moniales numerariae dicuntur, quae continentur infra numerum sororum, quem in singulis Monasteriis, ad normam Concilii Tridentini Sess. XXV, cap. 3 de Regular. Episcopus statuere debet, ita ut tot sint moniales recipiendae, quot, Episcopi iudicio, ex communibus redditibus, aut consuetis eleemosynis commode sustentari possunt. Moniales autem suprannumerarias solvere debere dotem duplicatam patet ex Decretis S. C. Episcoporum et Regularium diei 20 Septembr. 1594 in Novarien. et 22 Augusti 1605; ac S. Congregationis Concilii in *Caesenen.* 18 Augusti 1596 relatis a Card. Petra in Const. 12 Innocentii IV, Sect. I, n. 55. Demum ex Declaratione EE. et RR. diei 6 Septembris 1604, in qua dicitur: « Si » quae supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre debe» rent. » Apud Bizzarri in Collectanea, pag. 269.

» privatae necessitates assererent, » tempora orationi vel lectioni de- » stinata, manuum labori insume- » rent, colloquia cum externis, a » quibus subsidium aliquod spera- » bant, miscerent, ex quibus con- » tingeret omnem interiorem et » exteriorem disciplinam evane- » scere. » Qua de causa optime concludit, non expectandam, sed praecavendam esse arctam et extremam Monasteriorum necessitatem.

Non nos equidem latet, citato a Fagnano decreto adversari Reiffenstuel loc. cit. n. 180 affirmando, illud de dotibus gratis oblatis intelligendum esse; et ex eo nullo modo deduci posse, licitum esse dotes exigere cum monasterium redditibus abundat ad Moniales numerarias commode sustentandas. At eiusmodi limitatio ipsius decreti verbis excluditur; etenim 1°, in eo dotes praescribuntur propter ingruentes necessitates et casus inopinatos; ergo veluti necessariae praescribuntur; 2° voluntariae largitiones numquam ab Ecclesia prohibitae fuerunt, quin immo commendatae; qua de causa non erant sub decreto comprehendendae; 3° decretum loquitur de dotalibus eleemosynis persolvendis a monialibus numerariis, quae constabiliuntur iuxta Monasterii redditus. Cum autem ad has sustentandas Monasterio sint opes sufficientes, quomodo cogi possent ad solvendam dotem, si hae tantum gratis offerendae essent? Optime quapropter Cardinalis De Luca *De Dote discept. XI* affirmat, dotem Monasterio adeo esse debitam « ut » iuxta plures determinationes Sa- » crae Congregationis, nec volens » Monasterium sine magna causa » maioris utilitatis et servitii eam » remittere, vel diminuere possit. »

Sententiam autem Eminentissimi Cardinalis confirmant plures S. Congregationis Concilii Declarationes. Cum enim in Belgio dubitatum fuerit, an Simoniacum esset recipere dotem pro victu, vestibus, supellectili et aliis puellae habitum exposcentis necessariis Monasterio solvendam, Sacra Congregatio die 18 Septembris 1683 respondit: *non esse Simoniacum;* quin distinctionem adhiberet inter Monasteria egestate pressa, et redditibus abundantia. Pariter nullam Simoniam redolere eiusmodi dotales exactiones respondit S. Congregatio EE. et RR. in *una Bononien.* die 14 Aprilis 1725, ut refert Benedictus XIV *Instit.* 29, n. 28. (1)

Rem vero extra omnem cantroversiam ponit Declaratio eiusdem S. Congregationis, quae extat in Bibliotheca Praemonstratensi, et refertur a Thomassinio *Vetus et Nova Ecclesiae disciplina Part. III, lib. 1, cap. 54, n. 7* his verbis. « Non » vestiantur Moniales, nec admit- » tantur ad habitum nisi prius pa- » rentes, vel illi ad quos earum

(1) Cf. hac super re Analecta Iuris Pontificii, Serie IV, Col. 1525.

» cura spectat, promptam habuerint » pecuniam pro dote, *vel eleemosyna consueta*, et illam deposuerint solvendam Monasterio post » emissam professionem, ipsisque » Monialibus interim, probationis » tempore, alimenta ab eis praestentur. Hae eleemosynae sive dotes, » ante emissam professionem, non » solvantur Monasterio, nec aliqua » obligatio aut renunciatio fiat, nisi » iuxta formam Concilii. » (*Tridentini sess. XXV De Regular. cap. 16.*)

Hoc idem decretum sancivit Clemens XIII die 13 Februarii 1759 pro Romana Urbe, et universo statu Pontificio, ut patet ex *Collectanea Emi Bizzarri pag. 37.* Quin imo S. Congregatio Episcoporum et Regularium eiusmodi dotis solutionem adeo necessariam putavit, ut concesserit etiam, acceptari posse loco numeratae pecuniae fundos stabiles et census. Eiusmodi Decretum ita legitur in *Collectanea cit.* pag. 468.

Incerti loci *pro facultate constituendi dotes Monasticas in stabilibus et censibus loco numeratae pecuniae.*

« Ex audientia Sanctissimi habita » 18 Iulii 1834, Sanctitas sua attenta relatione Episcopi oratoris » benigne annuit, et propterea » eidem committi mandavit, ut » attentis narratis, et accedente » consensu monialium capitulariter » respective quatuor Monasterio- » rum praestando, petita facultate » pro suo arbitrio et conscientia » uti possit et valeat ad hoc, ut » loco dotis spiritualis in numerata » pecunia, substituantur capitalia, » et etiam census, ut in precibus; » constito prius de eorumdem suf- » ficientia, libertate, et securitate, » executa transcriptione favore re- » spective Monasteriorum. Quibus- » cumque in contrarium non ob- » stantibus etc. »

Romae 18 Iulii 1834.

Patet idipsum ex paullo ante relata Declaratione S. Congregationis EE. et RR. in qua dum Monialibus supranumerariis duplex dos afferenda praescribitur, nullo pacto ab afferenda congrua dote Numerariae excipiuntur. « Declarat insu- » per eadem S. Congregatio du- » plicis eleemosynae nomine intel- » ligi semper debere duplicatam » summam eius, quae in receptione » cuiusque monialis intra numerum » in quolibet Monasterio constitu- » tum erogari pro tempore con- » suevit; ita tamen ut ubi summa » quae confertur, minor est scutis » ducentis, ibi saltem ratione du- » plicatae eleemosynae, solvenda » sint scuta quadrigenta, et non » minus. » *Ibid. pag. 270.*

Hac vero in Declaratione observandum praecipue est 1° quod S. Congregatio velit in Monasteriis, ad tramites Concilii Tridentini et aliorum Canonum, conservari numerum determinatum Sanctimonialium, *qui* vel ex *redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* 2.° quod Moniales numerariae dotem

praescriptam solvere debeant, supranumerariae duplicatam: 3.° dotem hanc vocari eleemosynam.

In hisce tamen dotibus exigendis illas limitationes referre putamus, quas tradit Schmalzgrueber *tit. III. lib. V Decret. n. 197;* scilicet 1.° Ne pactum de Dote solvenda fiat pro ipso ingressu seu professione, quia cum habitus receptio, vel professio sint quiddam spirituale, venderetur pro temporali, et foret simoniacum. 2.° Ne inhabilis aliqua admittatur ex sola spe ab ea recipiendi aliquid temporale. 3.° Ne dos ab omnibus exigatur in aequali quantitate, quia hoc in casu pauperes saepe digniores, et magis idoneae a statu religioso vere excluderentur.

Haec autem postrema conditio optima quidem est; attamen nemo putet, Moniales eamdem dotem a pauperibus exigentes Simoniam admittere; non enim in earum potestate est sine debitis facultatibus minorem dotem a postulantibus exigere; quin immo curare debent ut integra dos persolvatur, ut patet, saltem pro Monasteriis Status Pontificii, ex Chirographo Clementis XIII, quod habetur *in Collectanea Bizzarri pag. 37.* Haec quoad ius.

Nemo autem inficiabitur necessitatem dotium exigendarum nostris temporibus, quibus adeo tenues sunt Monasteriis redditus, et pensiones, ut vix, aut ne vix quidem Sanctimonialibus sufficiant (1). « Verum ait Benedictus XIV *De* » *Synodo Dioeces., lib. cit. n. 6.* » illud curabit Episcopus, ne ultra » praefinitam dotem Monasterio » pendendam, alia pecuniae summa » a puellis extorqueatur in Monia- » lium commodum aliosve usus im- » pendenda, qui ad puellae susten- » tationem nequaquam pertinent; » id quippe cum nulla ratione » cohonestari valeat, adhuc rema- » net sub censura *Extrav.* Sane » *De Simonia*, ubi Urbanus V » utriusque sexus Regularibus di- » stricte inhibuit, *ne ante aut post* » *cuiusquam in Religionem ingres-* » *sum, quoscumque pastus, pran-* » *dia, seu coenas, pecunias, joca-* » *lia, aut res alias etiam ad usum* » *ecclesiasticum seu quemvis pium*

(1) Sunt alii, qui nostram sententiam statuere nituntur ex quodam decreto Clementis VII, et Declaratione Innocentii VIII, qui ad tollendos Monialium scrupulos declarasse dicuntur *vivae vocis oraculo*, exactiones Dotium quae in mulierum monasteriis fiunt, etiam quando bonis abundant, quolibet simoniae vitio carere, et licitas esse. At eiusmodi argumentum qualibet solidilate caret. Observat enim ipse Reiffenstuel *tit. 33, lib. V Decret.*, n. 152 et seqq. omnia privilegia *vivae vocis oraculo* a Romanis Pontificibus Regularibus concessa, revocata fuisse a Gregorio Papa XV in Const. *Romanus Pontifex edita die 2 Iulii 1622*, quae postea confirmata fuit et extensa ab Urbano VIII in *Const.* Alias Felicis, *edita die 20 Decembris 1631.* Caveant igitur lectores nostri a *Compendio privilegiorum P. Alphonsi Cassarubias*, adnotationibus Hieronymi Sorbo aucto, in quo eiusmodi argumentum reperitur.

» *usum alium deputata vel deputanda, directe vel indirecte, petere vel exigere quoquo modo praesumant.* »

Licitum tamen esse dicimus, in receptione ad habitum vel professionem aliquid Monasterio eleemosynae Titulo impendere ad usum Sacristiae vel valetudinarii, vulgo *infermeria;* id enim declaratum novimus a S. C. EE. et RR. *in Ulyssipon. die 5 Novembris 1616* his verbis. « Sanctissimus Dominus Noster (Paulus V Burghesius), censuit, eleemosynas quae per pactum Sacristiis vel Infirmariis Monasteriorum Monialium dari solent, non comprehendi in Decreto, quo propinarum solutio, per Moniales dum ad habitum vel ad professionem admittuntur, fieri solita, interdicitur. » *Apud Monacelli, Formular. Tit. XI, form. 7, n. 9.*

Hisce disputatis, quaerendum superest; an a Simonia excusari possit consuetudo in plerisque Monasteriis olim inducta ut Religionem profitentes nedum Monasterio dotem, sed etiam nonnulla alia, *propinarum* titulo, singulis Monialibus persolverent, ex. gr. duos, vel quatuor argenteos, aut linteum, aut candelas etc.; vel etiam ut novitiae parentes aliquam summam erogarent convivii causa?

Consuetudinem eiusmodi inter alios licitam defendunt Sanchez *in Opusc. lib. II, cap. 3, dubit. 23, n. 6,* Caietanus de Alexandris *in Confessario Monialium cap.* 2. §. 5. 9. 6, et Pignatelli *Tom. VII, Cons. 90. n. 23,* qui postremus simoniaca labe eiusmodi propinarum solutionem et perceptionem nulla alia ratione excusat, « nisi asserendo, » dotem quae exigitur ad sustentationem Monialis non consistere in » indivisibili; sed sicut taxari potest » sexcentis ducatis, ita etiam taxari » potest sexcentis et quinquaginta, » distributis hoc modo, ut sexcenta » applicentur Communitati, seu Monasterio, et alia quinquaginta » distribuantur inter Moniales, singulis dando illos quatuor argenteos et candelam, ut suis necessitatibus subveniant. »

Verum eiusmodi sententiam respuendam esse dicimus 1.° quia S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 2. Iulii 1539, et in Lusitana *6. Iunii 1615 ad II Dubium*, tanquam abusum omnino abrogandum censuit, et poenarum etiam comminatione prohibuit consuetudinem dandi Monialibus aliquid *propinarum,* vel *munerum* titulo, tam in ingressu, sive habitus susceptione, quam in professione emittenda; quod decretum ab ipso Pignatelli *loc. cit.* adducitur. 2° Quia id vetitum constat in saepius cit. *Extrav.* sane *De Simonia,* ut ex iis etiam patet quae ibi Benedictus XIV in loco supra relato edisseruit. 3° Quia Alexander VII in Const. *Pro commisso* edita die 24 Septembris 1657 pro Urbis Monialibus idipsum prohibuit. « Praeci» pimus idem servari cum puellae

» seu mulieres ad habitum regula-
» rem et votorum solemnem emis-
» sionem seu professionem admit-
» tantur, ut scilicet omnia sine
» pompa, sine sumptu, et absque
» cerarum, aliorumque munusculo-
» rum quorumcumque distributione
» fiant, comprehensis etiam escu-
» lentis et poculentis,.. neque oc-
» casione susceptionis habitus et
» professionis huiusmodi, dispen-
» sari vel dono mitti possint flores,
» fructusque, sive veri ii sint et
» naturales, sive fictitii et artificia-
» les, aut pharmaca, placentae,
» liba, scriblitae, crustula, spirulae,
» et alia id genus edulia, cupediae
» et bellaria, quibuscumque perso-
» nis sive saecularibus sive eccle-
» siasticis, etiam regularibus utrius-
» que sexus, tam intra quam extra
» septa Monasteriorum degentibus.»
Quod etiam alii Pontifices praestitere qui videri possunt apud Ferraris *Voc. Moniales, art. 2. n. 55.*

Nec ratio a Pignatelli adducta solida videtur. Dos enim quae a puellis persolvenda statuitur, earum sustentationi inservire debet, et quidem etiam ea de causa, ne temporis tractu Monasteria inopia laborent; at quinquaginta illa ducata, quae Monialibus distribuuntur, quaeque ut dotis partem Pignatelli considerat, finem doti solvendae praestitutum non assequuntur, cum monialibus distribuantur, nescimus quonam religiosae paupertatis incremento, et quo ipsarum spirituali profectu. Solvi hinc neque possunt, neque debent, Vidimus insuper in Firmana supra relata dotes Monasticas etiam numerarias investiendas esse, et quidem integras: *Dotes Monasticae,* ita latino idiomate sonat Decretum, *quamvis numerariae integrae investiri debent ut exinde fructus percipiantur, neque ad alios usus sine beneplacito Apostolico adhiberi possunt.* Hinc quinquaginta illa ducata vel partem dotis constituunt, vel non; si primum, investiri debent; si secundum recipi non possunt, ut ex superius disputatis patere arbitramur.

Post haec inquirendum a nobis est: an idem sentiendum sit de Monasteriis virorum, quae redditibus abundant, et commode religiosos professos sustentare possunt.

Doctores in quaestione eiusmodi definienda discrepare videntur. Alii cum Soto *lib. IX de Iustit. quaest. 6, Art. 2.* et Salmanticensibus *De Simonia cap. 2. n. 53* apud S. Alphonsum, licitum esse censent Monasteriis divitibus aliquid ab ingredientibus, titulo sustentationis exigere, hisce praecipue rationibus innixi.

1°. Quia in casu pecunia, sive pretium temporale non datur nisi pro temporali sustentatione accipienda; ideoque cum non habeatur permutatio rei spiritualis cum temporali, Simonia in huiusmodi exactionibus intercedere non videtur.

2° Quia religionem ingredientes dici nequeunt ius aliquod ad Monasterii, vel Religionis bona temporalia habere, cum haec vel propria

industria, vel aliorum libera donatione acquisita fuerint.

3.° Quia nullibi in iure expresse prohibitum Religiosis inveniatur, aliquid titulo sustentationis recipere; quae prohibitio quamvis reperiretur, per legitimam consuetudinem contrarium statuentem abrogata censenda esset.

4.° In Monasteriis Monialium divitibus ab omnibus ingredientibus, sustentationis titulo, dos absque ullo simoniae vitio exigitur. Ergo a pari id fieri potest etiam in Monasteriis Religiosorum quae bonis abundant.

Attamen contrariam sententiam veriorem esse putamus.

Etenim 1.° Cum Monasterium bonis abundat, quod ab ingredientibus exigeretur, non vero sustentationis titulo, sed praetextu exigeretur. At hoc prohibitum esse ex disputatis patet. 2.° Si hoc licitum esset; ad quid canones sanciti fuissent? Quique enim dicere possent, se quod accipiunt, vel exigunt, sustentationis titulo accipere et exigere; quod certe omnes facillime dicere possent, et intentionem habere; atque ita omnes canonicae sanctiones in irritum mitterentur contra apertam earum sententiam, cum aliquid accipere paupertatis praetextu proscripserint; ergo multo magis id prohibuerunt sine ullo paupertatis praetextu.

3.° Bona Monasteriorum sunt ordinata ad gratuitam sustentationem Religiosorum; hac enim de causa vel acquisita, vel in donationem accepta fuere. Ergo ex hoc ipso quod quis in religionem suscipitur, ius habet ad sustentationem, et falso ab eo aliquid sustentationis titulo exigeretur, cum redditus adsint. Cum itaque sustentationis titulus in casu falsus esset et illusorius, superest ut ab religionem ingrediente aliquid exigeretur ob ipsum religionis ingressum, quod est simoniacum.

4.° Demum haec est communior Doctorum sententia, quam defendunt S. Thomas, Marchant, Reiffenstuel, aliique plurimi.

Ex his vero facilis est ad obiecta responsio.

Ad 1^m^ enim respondemus, intentionem illam recipiendi bona temporalia pro sustentatione, non fundari in re, et esse proinde falsam, cum Monasterium abundet; esse hinc *praetextum* paupertatis; vel aliquid minus in iure absolute prohibitum. Addimus, allatam difficultatem nimis probare, et proinde nihil. Cum enim intentio illa dandi vel accipiendi temporale in sustentationem religionem ingredientis possit haberi a superioribus Monasteriorum, quibus essent Cretensis Cresi divitiae, et etiam maiores, sequeretur, etiam a Monasteriis ditissimis aliquid exigi posse ab religionem ingredientibus; quod neque ipsi adversarii nostri admittere possunt.

Secunda difficultas duo falsa supponit, scilicet religionem ingredientes nullum ius ad sustentationem habere, quia non ab ipsis, sed ab

aliis Monasterio bona vel donata vel acquisita fuerint. At vel acquisita vel donata fuerint, id factum fuit in religiosorum sustentationem ; quin imo quo plura bona vel donata vel acquisita fuerunt, eo ut plures religiosi ex eis sustentarentur certam intentionem acquirentes vel donatores habuerunt; ut pluribus scilicet viam perfectionis aperirent. Ergo hoc ipso quo quis in religiogionem cooptatur, eo ipso ius habet ad sustentationem. Addimus, allatam difficultatem iniquitatem, et vel avaritiae vel prodigalitatis culmen redolere. Si enim ab ingredientibus religionem in huiusmodi monasteriis pro sustentatione aliquid exigi potest; ad quid tot Monasterii redditus?

Relate ad tertiam difficultatem negamus, in iure prohibitum non reperiri, saltem verbis aequivalentibus, sustentationis titulo aliquid ab ingredientibus religionem exigere, cum Monasterium opibus abundat. Id ex allatis documentis et rationibus manifeste patet. Ut tamen aliquid in memoriam revocemus ; nonne in Extrav. *Sane* sub excommunicationis paena prohibetur aliquid ad quemcumque finem ab ingredientibus religionem exigere, iis exceptis quae voluntarie offerantur? Consuetudo autem contraria cum sit *factum* probanda est, et non tantummodo asserenda. Nos autem ingenue fatemur nescire eiusmodi consuetudinem relate saltem ad Monasteria quae opibus abundant.

Quod attinet ad quartam difficultatem, negamus paritatem. Compertum enim est, Monialium Monasteria quae opibus florent ad paupertatem lapsu temporis redigi, ni dos praescripta exigatur, uti superius diximus; qua de causa eis iusta adest causa titulo sustentationis dotem exigendi. At idipsum non accidit in Monasteriis Religiosorum. Hi enim et per semetipsos bona administrant, et e Monasteriis egredi possunt ut perspiciant, quomodo latifundia, vineae, agri excolantur etc.; insuper missarum eleemosynae et alia huiusmodi non modicum ad religiosorum sustentationem conferunt. Eiusmodi autem a Sanctimonialibus nec fieri nec haberi possunt. (1)

Attamen S. Alphonsus lib. III. n. 92 excipit, si in religionem cooptandus sit infirmus, aut senex, aut hebes ingenio, vel aliqua alia infirmitate laborans « quia tum Mo-

(1) Rationes ob quas Sanctimonialium monasteria ad inopiam rediguntur, nis dotibus subleventur. hae mihi esse videntur. Plerumque dos quae exigitur eos fructus dare non potest qui satis sint ad monialis sustentationem ; bona monasteri sunt in aliorum manibus, et raro monasteriorum administratores divites non fiunt vel ditiores. Sanctimoniales per se nil vident, et omnimodam fidem administratoribus habent, et scrupulis anguntur ni habeant : non raro morbis gravissimi affliguntur, aliisque premuntur necessitatibus, quibus viri carent. Qua de causa nisi opportunas dotes Sanctimoniales exigerent, brevi in miseriam prolaberentur

» nasterium licite accipit aliquid » temporale ab illo, tum pro carentia servitutis quam alius sanus » vel iuvenis praestaret, tum pro » incommodo temporali extraordinario, quod pro ipso Monasterium » est subiturum. »

Post haec lectores nostri quaesituri fortasse a nobis erunt, an eiusmodi exactiones quae a Monasteriis divitibus fierent, inducerent Simoniam iuris divini, an tantum iuris Ecclesiastici?

Plures theologi, ut Billuart, S. Alphonsus, Boranga cum Reiffenstuel *loc. cit. n. 170* et quibusdam aliis Canonistis affirmare non dubitant, Simoniam iuris divini in casu committi. Alii tamen, ut Schmalzgrueber, Pirhing, Schmier, qui Schamhogen pro sua sententia adducit, contrarium affirmant. Absit ut sententiam dicamus. Attamen cum utramque sententiam auctores probatissimi defendant, dubium esse dicimus, an Simonia haec iuris sit divini vel ecclesiastici tantum; atque hinc excommunicatum in eiusmodi re delinquentem proclamare non audemus; nullus enim de excommunicatione damnandus est, nisi de lege et de crimine certo constet.

Ut autem etiam de poenis, quas ex antiquo iure Simoniaci huiusmodi incurrebant, aliquid dicamus, eas ex praestantissimo Schmalzgrueber *De Simonia, Part. 1. Tit. III. n. 251* enumerabimus.

Itaque 1. Dantes et recipientes pro religiosa professione ex pacto pecuniam, si personae erant singulares, incurrebant excommunicationem; Capitulum vero in receptionem ita factam consentiens suspensionem a Capitulari Officio. *Extrav.* Sane. Necessarium tamen erat ut adesset *praesumptio* ad hoc ut citatae poenae incurrerentur, cum ibi bis repetatur *qui praesumunt*. Huiusce excommunicationis absolutio erat Papae reservata.

2. Scienter aliquem recipientes et recepti, postquam de Simonia convicti et condemnati fuissent, iubebantur e Monasterio expelli, et in aliud arctioris regulae detrudi, ut constat *ex Cap. De Regularibus*, (1) nisi cum ipsis Episcopus, ut in Monasterio remanerent, dispensasset, prout ex *Extrav. cit.* affirmat Thesaurus *De poenis Eccl. part. 2. Voc. Simonia, cap. 10. n. 1.* Ex quo 1. sequebatur, Simoniace receptorum professionem va-

(1) Canon iste ita legitur : « De regularibus Canonicis, seu Monachis nos consulere voluisti, qui per Simoniam ingressum, ipsis scientibus, habuerunt. Unde » cum super hoc auctoritates multae reperiantur expressae, non aliud quam statutum est, respondemus; ut locum quem taliter adepti sunt omnino dimittant, et » solitudines seu alia monasteria districiora adeant, in quibus tam execrabilem » excessum sine intermissione deplorent. Si autem ignorantibus ipsis pecunia data » fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem, et postmodum in ipsum redire, si » ibi absque scandalo potuerint remanere, vel in alio qui sit de Ordine ipso ad » serviendum Deo poteris collocare. »

lidam fuisse, neque eos ad saecularia vota potuisse redire. 2. Eos in Monasterio remanere potuisse, donec per iudicis sententiam inde expellerentur; cum enim poena expulsionis in iure sancita sententiae ferendae videretur, eam sibi applicare Simoniaci non tenebantur.

3. Incurrebant etiam infamiam iuris, consequenter irregularitatem, saltem si crimen notorium fuisset natorietate iuris vel facti; ex *Extrav.* Sane *De Simonia,* in qua dicitur: « Ceterum personis illis utriusque » sexus quae iam labe huiusmodi » sunt foedatae, earum providentes » saluti, de benignitatis gratia eas » liberantes, concedimus quod per » suos locorum Dioecesanos a cri- » mine huiusmodi, et nota infamiae » inde contracta, auctoritate Apo- » stolica absolvantur. »

4. Pecuniam inde acceptam restituere Superiores Regulares compellebantur ex Cap. Veniens 19. (1)

Attamen in iure antiquo tres casus excipiebantur, in quibus poenae praedictae locum non habebant. 1. Quando ingressus per professionem consummatus non erat. Hinc si receptio ad habitum vel Noviciatum facta Simoniace fuisset, professio vero gratis, vel quia factum retractatum fuerit, vel pacta pecunia non recepta, vel si recepta fuerit reddita, excommunicatio non incurrebatur. Idipsum vero etiam post Pianam Constitutionem tenendum est. 2. Si aliquid sponte oblatum fuisset, vel ad Monachi veram sustentationem exactum. 3. Si Extrav. Sane, quoad excommunicationem, iis in locis in quibus crimen admittebatur, usu non fuisset recepta.

Quid vero de hisce poenis post Pianam Constitutionem?

Profecto suspensionis poena ab officio cum sit indeterminata, et ideo censurae rationem habeat, corruit, cum a Pio Papa IX renovata non fuerit. Infamia vero si sit notoria natorietate facti vel iuris et proinde irregularitas, insuper reclusio in strictioris observantiae Monasterium, cum censurae rationem non habeant in suo robore permanere videntur, cum per Constitutionem *Apostolicae Sedis* censurae quidem limitatae fuerint, at quoad reliquas poenas, quae censurae non sunt, nihil innovatum.

Observamus tamen, poenas hu-

(1) Ita hoc Caput legitur: « Veniens ad nos F. Presbyter proposuit quod Abbas » et Fratres Sancti D. noluerunt eum in Monachum recipere, quousque triginta » solidos dare convenerit; conventione autem facta, sequenti die eum monasticum » habitum induerunt. et idem monachi triginta solidos, Abbas vero decem, et familia » duodecim pro pastu (asserentes hoc esse de consuetudine monasterii postularunt. » Quoniam ergo factum huiusmodi perniciosum esse videtur, mandamus, quatenus » si ita esse inveneris, Abbatem et monachos ad restituendam pecuniam praefato F. » tam indigne acceptam compellas, et Abbatem et maiores personas monasterii pro » ratae pravitatis excessu ab officii executione suspendas, praecipias dicto F., ut » in alio monasterio in habitu monastico Domino studeat deservire. »

iusmodi, excommunicatione non excepta, raro admodum incurri. Quod enim hodie a Superioribus Regularibus in alicuius professione accipitur, vel sponte oblatum est, vel si exactum, certe in Monachi sustentationem, quae est titulus legitimus aliquid accipiendi, si Monasterium paupertate prematur; si vero bonis abundet, quamvis a Simoniae crimine eiusmodi exactiones excusari non possint, excommunicationem tamen Piani huius Capitis non incurri dicimus, quia probabile est, Simoniam hanc esse iuris ecclesiastici quae excommunicationem non infert; et in praxi, quod non semel diximus, nemo de excommunicatione damnandus est quem ratio vere probabilis ab excommunicatione eximit. Quoad reliquas poenas, infamiam, scilicet, quam sequitur irregularitas, et reclusionem in severioris observantiae Monasterium, videndum, an in desuetudinem abierint.

APPENDIX XXV.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN QUAESTUM FACIENTES EX INDULGENTIIS ALIISQUE GRATIIS SPIRITUALIBUS.

Neminem latere arbitramur, Lutherum haeresis suae disseminandae occasionem sumpsisse ex indulgentiarum praedicatione, quas Romani Pontifices iis concedebant, qui eleemosynam in aedificationem Basilicae S. Petri conferre voluissent; neque nos inficiabimur, eleemosynarum quaestores in indulgentiis praedicandis abusus quosdam commisisse, de quibus etiam ad Romanos Pontifices querelae delatae fuerunt.

Attamen neque inficiabimur, abusus eiusmodi sive ignorantiae, sive quaestorum pravitati tribuendas esse, non Ecclesiae aut Romanorum Pontificum mandatis, qui quaestus eiusmodi fuerant semper detestati, quique sanctissimas ob causas eleemosynas colligendas mandaverant.

Quamvis eiusmodi eleemosynariae indulgentiae rariores fuerint, tamen saeculo XI, et S. Petri Damiani aetate, eas iam inductas reperimus (1). Illae tamen post institutum ab Urbano II sacrum bellum

(1 S. Doctor ita ad Clerum Florentinum scripsit: « Cum Sacerdotes Ecclesiae » annosam indicunt quibusdam peccatoribus poenitentiam, numquid non aliquando » certam pecuniae praefigunt pro annorum redemptione mensuram, ut nimirum fa- » cinora sua eleemosynis redimant, qui longa iciunia perhorrescunt? Sed quia haec

frequentari admodum coeperunt ; largitae sunt enim omnibus qui exercitum in Palaestinam mittendum suis eleemosynis adiuvarent ; atque deinde extensae sunt ad eos qui ad hospitalia pauperum sustentanda, vel ad Basilicas instaurandas, aut alia huiusmodi eleemosynas conferrent. Et tam a Romano Pontifice, quam ab aliis Episcopis instituti sunt praedicatores qui per singula oppida et pagos adiuvarent indulgentias suis concionibus, et poenitentium oblationes colligerent. Et hos ista aetas appellavit eleemosynarum quaestores, ac praedicatores quaestuarios (1).

Nihil certe in iis reprehendendum erat, cum et eleemosynas facere praeceptum Domini sit, eaeque in piissimos usus erogarentur. Verum ea moderatio et prudentia a quaestoribus adhibita non fuit, quae adhibenda erat, atque proinde excessus commissi qui scandalum fidelibus porrexere. Nonnulli insuper homines avarissimi et pessimi, assumpto religionis habitu, dum religiosi non essent, pietate et bona fide christianorum abutebantur, huc illuc discurrentes, indulgentiarum praetextu, eleemosynas collecturi, quas deinceps in crapulis insumebant.

Hos compescere Patres Concilii Lateranensis IV sub Innocentio III, anno 1215 celebrati studuere, cap. 62, atque formulam praescripsere, qua et Episcopi in deputandis quaestoribus huiusmodi uterentur, et qua veri a fictis dignoscerentur. « Eleemosynarum vero quae- » stores, inquiunt Patres, quorum » quidem se alios mentiendo abu- » siones nonnullas in sua praedica- » tione proponunt admitti, nisi apo- » stolicas, vel Dioecesani Episcopi » literas veras exhibeant, prohibe- » mus; et tum praeter id quod in » ipsis continebitur litteris, nihil » populo proponere permittantur. » Formam vero quam communiter » talibus Apostolica sedes indulget, » duximus exprimendam, ut secun- » dum eam Dioecesani Episcopi » suas literas moderentur. Ea si- » quidem talis est.

» Quoniam, ut ait Apostolus, » omnes stabimus ante tribunal Chri- » sti recepturi prout in corpore » gessimus, sive bonum sive ma- » lum fuerit, oportet nos diem » missionis extremae misericordiae » operibus praevenire, ac aeterno- » rum intuitu seminare in terris, » quod reddente Domino cum mul- » tiplicato fructu colligere debea-

» pecuniae redemptio in antiquis Patrum Canonibus minime reperitur, absurdum » esse iudicabitur? » *Migne Patrol. Lat. Tom. 141. Col. 351. 352.* Exinde patet S. Doctorem nullo pacto eiusmodi indulgentias improbasse. Quomodo vero improbari possunt cum scriptum sit Daniel. IV. 24. *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum?*

(1) Ex Christiano Lupo Dissert. *De peccatorum ac satisfactionum Indulgentiis.* Operum Tomus VI, Edit. 1726.

» mus in coelis, firmam spem fidu-
» ciamque tenentes, quoniam qui
» parce seminat parce et metet, et
» qui seminat in benedictionibus,
» de benedictionibus et metet in
» vitam aeternam. Cum igitur ad
» sustentationem fratrum et ege-
» norum ad tale confluentium hospi-
» tale propriae non suppetant fa-
» cultates, universitatem vestram
» monemus et exhortamur in Do-
» mino, atque in remissionem vobis
» iniungimus peccatorum, quate-
» nus de bonis vobis a Deo collatis
» pias eleemosynas, et grata eis
» caritatis subsidia erogetis, ut per
» subventionem vestram ipsorum
» inopiae consulatur; et vos per
» haec et per alia bona, quae Do-
» mino inspirante feceritis, ad
» aeterna possitis gaudia pervenire.

» Qui autem ad quaerendas
» eleemosynas destinantur, modesti
» sint et discreti, nec in tabernis,
» aut locis aliis incongruis hospi-
» tentur, nec inutiles faciant aut
» sumptuosas expensas, caventes
» omnino ne falsae religionis habi-
» tum gestent. » Quid vero in iis ex parte Ecclesiae non sanctum, non prudens, non fidelium animabus utile, non charitati exercendae congruum?

Attamen et haec, avaritiae causa, spreta fuisse novimus, et pietatis praetextu multa christiano populo scandala exhibita, cum quaestores nonnulli ad aurum extorquendum sententias praedicarent ab evangelica et ecclesiastica doctrina difformes. Hos abusus coarguit severissime Clemens V R. Pontifex iuxta Concilii Viennensis, an. 1311 celebrati, sententiam, praecipiens etiam Episcopis ut quaestores delinquentes graviter punirent: « Abusioni-
» bus, inquit, (1) quas nonnulli
» eleemosynarum quaestores in suis
» proponunt praedicationibus, ut
» simplices decipiant, et aurum
» subtili, vel fallaci potius ingenio
» extorqueant ab eisdem; cum in
» animarum cedat periculum, et
» scandalum plurimorum, prout est
» nobis possibile, praecludere cu-
» pientes, iuxta statuta Concilii
» generalis, duximus prohibendum
» districte, ne quaestores aliqui,
» nisi Apostolicas vel dioecesani
» episcopi litteras exhibuerint, quo-
» modolibet admittantur, nec per-
» mittantur, (cum solum ipsis com-
» petat indulgentias sibi concessas
» insinuare populo, et charitative
» postulare subsidia suppliciter ab
» eodem) ullatenus ipsi populo
» praedicare, nec aliud exponere
» quam quod in litteris contine-
» batur supradictis. Litteras quoque
» Apostolicas Dioecesani Episcopi,
» ne quid fraudis committi valeat per
» easdem, ante quam admittant quae-
» stores ipsos, examinent diligenter.

» Ad haec cum aliqui ex eius-
» modi quaestoribus, sicut ad no-
» stram audientiam est perlatum,

(1) Habetur Tit. X De sentent. excom. in 6. Cap. II.

» non sine multa temeritatis audacia, et deceptione multiplici animarum indulgentias populo, motu » suo proprio de facto concedant, » super votis dispensent, a periuriis, homicidiis et peccatis aliis » sibi confitentes absolvant, male » ablata (1) incerta, data sibi aliqua » pecuniae quantitate, remittant » tertiam aut quartam partem, de » poenitentiis iniunctis relaxent, » animas tres vel plures parentum » vel amicorum illorum qui eleemosynas eis conferunt, de Purgatorio, ut asserunt mendaciter, » extrahant, et ad Paradisi gaudia » perducant, benefactoribus locorum, quorum quaestores existunt, » remissionem plenariam peccatorum indulgeant, et aliqui ex ipsis » eos a poena et a culpa, ut eorum » verbis utamur, absolvant; Nos » abusus huiusmodi, per quos censura vilescit ecclesiastica, et clavium Ecclesiae auctoritas ducitur » in contemptum, omnimode aboleri volentes, ea per quoscumque » quaestores fieri vel attentari de » cetero districtius inhibemus. Omnia » et singula privilegia, si qua super » praemissis, vel eorum aliquo sint » aliquibus locis, ordinibus vel personis quaestorum huiusmodi quomodolibet concessa, ne ipsorum » praetextu sit eis materia talia ulterius praesumendi, auctoritate » apostolica quantum ad praemissa » penitus revocantes.

» Quaestores autem qui deinceps » in praemissis, vel aliquo praemissorum deliquerint, vel alias etiam » quibuscumque suis privilegiis » abusi fuerint, sic per locorum » episcopos puniri volumus, nullo » prorsus eisdem quaestoribus in » hac parte privilegio suffragante, » quod a suis temerariis ausibus, » qui ubique, ut communis habet » assertio, nimium excreverunt, » poenae formidine propensius com» pescantur. »

Haec autem evidentissime demonstrant, Ecclesiae et Romanis Pontificibus prae animo semper fuisse, ab indulgentiarum praedicatione ea eliminare quae vel falsa, vel dubia essent, vel scandalum ingerere quomodocumque possent; eos iustis et sanctissimis de causis indulgentias contulisse, atque eleemosynas colligendas mandasse; abusus ab aliquibus sive ignorantia, sive privilegiorum praetextu, sive malitia commissos, privatis personis, non Romanis Pontificibus esse tribuendos, atque ineptissime Lutherum, aliosque ex eiusmodi abusibus ansam arripuisse ipsam indulgentiarum doctrinam denegare.

Dolendum est tamen, abusus eiusmodi non cessasse, atque quaestores ad colligendas eleemosynas pro aedificatione Basilicae S. Petri destinatos, eos instaurasse et multiplicasse, ita ut occasionem praebuerint deterrimae Lutheranae haeresi

(1) Alii legunt *male ablata et incerta*.

quae dimidiam Europam ab Ecclesiae catholicae doctrina et unitate segregavit.

Concilii hinc Tridentini Patres, quibus eiusmodi abusus apprime perspecti erant, tarde quidem, sed ad radicem falcem mittendam esse censuere, ipsum quaestorum nomen et officium e medio eliminando.

Id autem perfecerunt Sess. XXI. cap. 9 de Reformatione his verbis : « Cum multa e diversis antea Conciliis tam Lateranensi, ac Lugdunensi quam Viennensi adversus » pravos eleemosynarum quaestorum abusus remedia tunc adhibita posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque » eorum malitia ita quotidie magno » fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, » ut de eorum emendatione nulla » spes amplius relicta videatur ; » statuit ut posthac in quibuscumque » christianae religionis locis eorum » nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi » exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis, ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, » piis locis, et quibusvis cuiuscumque » gradus, status et dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus » etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias spirituales » gratias, quibus non ideo Christi » fideles decet privari, deinceps per » Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit. Quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi charitatis subsidia, » nulla prorsus mercede accepta, » fideliter colligendi facultas datur, » ut tandem coelestes hos Ecclesiae » thesauros, non ad quaestum, sed » ad pietatem exerceri omnes vere » intelligant. »

Attamen eiusmodi Patrum Tridentinorum decretum prudentissimum atque saluberrimum coepit a quibusdam in irritum deduci privilegiorum quorumdam praetextu, quae collata affirmabantur piis locis quibusdam, sive a Pontificibus Romanis, qui S. Pium V praecesserant, sive ab ipso S. Pio V, atque proinde iterum instituti quaestores fuerunt, qui plurimorum fidelium scandalo ea omnia renovabant quae a Concilio Tridentino, aliisque ecclesiasticis decretis penitus interdicta fuerant.

Re ad S. Pium V delata, die 8 Februarii an. 1567 Constitutionem edidit incipientem *Etsi Dominici gregis,* qua nedum eiusmodi quaestores suppressit, sed et indulgentias omnes revocavit, quarum causa quaestus exercebatur. Constitutionem hanc Lectores nostri in subiecta nota, si libuerit, legant (1).

(1) §. Sane, inquit, cum ad auditum nostrum ex diversis mundi partibus quamplurimae querelae perlatae fuerint, quod vigore diversarum indulgentiarum et facultatum per praedecessores nostros, ac etiam nos vel auctoritate nostra, tam fabricae nostrae Basilicae Principis Apostolorum et Ecclesiae S. Ioannis Latera-

Per ciusmodi S. Pii V Constitutionem quaestorum audacia generatim conquievisse videtur. At, suadente Diabolo, coepit in Hispania, et prorsus in Toletana Ecclesia, abusus invalescere, ut qui indulgen-

nensis de Urbe ipsiusque Ecclesiae, nec non S. Ioannis et S. Lazari Hierosolymitani, ac S. Spiritus in Saxia, et S. Ioannis Lateranensis, ac S. Iacobi incurabilium de eadem Urbe, et Sancti Bovis ac Sancti Gothardi, et Leuguzioni, nec non Sancti Nicolai et Sancti Bernardi Montis Iovii, nec non Sancti Leonardi ac Sanctae Marthae, nec non Sanctissimi Crucifixi Siracusensis, ac Sanctae Mariae de Monte Serrato, hospitalibus, ac etiam Sancti Sebastiani prope ac extra muros dictae Urbis, nec non Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennensis Dioecesis, et Redemptionis captivorum nuper Neapoli instituto, Monasteriis, illorumque ac diversis aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, militiis, confraternitatibus, societatibus et piis locis concessarum, multi quaestores ex iisdem indulgentiis lucrum temporale tantum quaerentes, nominibus fabricae Ecclesiarum, hospitalium, monasteriorum, militiarum, confraternitatum, societatum et piorum locorum praedictorum in diversis civitatibus et dioecesibus quaestas facere, confratres describere, cappellas et oratoria erigere, illisque erectis indulgentias eiusmodi communicare, et in diversis gradibus a iure prohibitis dispensare, ac plura etiam concedere, quam eis vigore facultatum praedictarum licitum sit; ipsique, lucro intenti, pecuniasque potius quam Christifidelium salutem quaerentes, ac eisdem indulgentiis sic abutentes, quaestam ex illis particularem facere conentur, variosque et diversos quaestores, commissarios, procuratores, receptores, thesaurarios, factores, nuncios et alios ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiam plura alia eis numquam concessa facere et concedere; nec non locorum Ordinarios illorumque in spiritualibus Vicarios generales et Officiales ac Ministros, ecclesiarumque et ordinum praelatos, superiores et personas quaestas huiusmodi impedientes censuris ecclesiasticis innodare, et alias in pluribus graviter excedentes, in divinae Maiestatis offensam, ac suarum et Christifidelium animarum perniciem, ac Ordinariorum perturbationem, et piarum mentium scandalum praesumant.

§. 2. Nos, qui Deo propitio, gregis Dominici, meritis licet insufficientibus, curam gerimus, et illum spiritualis thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex praemissis et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, felicis recordationis Callixti IV, Clementis VII, Pauli III, Iulii similiter III, et diversorum aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate et deliberatione; omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas et peccatorum remissiones fabricae et Ecclesiae huiusmodi, nec non Sancti Ioannis Hierosolymitani, etiam pro constructione et aedificatione illius novae civitatis praedictis, et quibusvis aliis hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, domibus, militiis, Ordinibus, etiam mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, et universitatibus et piis locis, illorumque Ordinibus, capitulis et conventibus, Magistris, Superioribus, et tam saecularibus quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regularibus personis, tam singulariter quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac ex quibusvis etiam urgen-

tias aliasque gratias spirituales vellet acquirere, pretio, eas sibi compararet.

Ad eiusmodi notitiam sanctissimus Pontifex Pius V graviter succensuit, et sacrilegum facinus improbavit; atque ne altius radices figeret, immo penitus e medio Ecclesiae auferretur, sub die 2 Ianuarii anni 1569 Constitutionem edidit *Quam plenum*, qua eiusmodi simoniacam venditionem coercuit, poenis gravissimis in eos qui in posterum id ausi fuissent, illatis.

Quoniam Piani Capitis intelligentia ex eiusmodi Constitutione pendet, ad lectorum nostrorum eruditionem hic eam referre ducimus,

Pius Episcopus Servum Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

« Quam plenum sit periculis » noxia populis ingerere, nimium,

tissimis causis. etiam causa redemptionis captivorum et alias quomodolibet concessis, pro quibus consequendis manus sunt porrigendae adiutrices, et quae quaestuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica, perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, ac viribus vacuamus.

§. 3. Et insuper perpetuo hac nostra valitura Constitutione decernimus, quod ex nunc de cetero, sub indignationis nostrae poena, praetextu indulgentiarum et facultatum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu simili, ac Sedis Apostolicae legatos, et alias quomodolibet concessarum, et quas a nobis et Sede praedicta in posterum verbo, literis aut alia quavis scriptura, etiam manu nostra signata, etiam cum clausula, quod sola signatura sufficiat, etiam in favorem fidei, ac Cruciatae Sanctae, vel cuiuscumque alterius piae causae, etiam privilegiatae, concedi quomodolibet contigerit, nullus, quavis etiam Episcopali, Archiepiscopali, et patriarchali aut maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu etiam regali vel temporali excellentia praefulgeat, audeat vel praesumat quaestas facere, aut nuncios, quaestores, commissarios, thesaurarios, receptores pro illis recipiendis in dictis hospitalibus, ecclesiis, domibus, monasteriis, militiis, et aliis supranominatis, vel pro eis aut illorum nominibus alibi constituere et deputare, nisi de speciali licentia et ex certâ scientia nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per litteras nostras et eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, locorum Ordinariis, vel eorum in spiritualibus vicariis seu officialibus, derogationem praesentis nostrae Constitutionis, illius tenore de verbo ad verbum inserto, expresse continentes.

§. 4. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 5. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus suis praesentes nostras litteras publicare et observare debeant, rogantesque omnes et singulos principes saeculares et alios dominos et magistratus temporales, eisque per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum suorum iniungentes quatenus in praemissis eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis assistant, et suum auxilium et favorem praestent, cum auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus etc.

» proh dolor, his temporibus afflicta » religio testatur; quod malum cum » in ceteris ministris, tum praeci- » pue Ecclesiarum praelatis animad- » vertendum est, quod ab his te- » mere profecta longe maxima in » Ecclesiam Dei conferant detri- » menta.

§. 1. Rem profecto indignam » audivimus, quod quidam Eccle- » siarum Hispaniae praesules, et » etiam quondam Gomentius Tel- » lezgiron, temporarius, quod ma- » gis detestandum est, et simplex » administrator Ecclesiae Toletanae, » gratia gratis accepta pietatis spe- » cie abutentes, et facultates a sacris » canonibus sibi concessas excedent- » tes, litteras suas in eorum civi- » tatibus et dioecesibus publicare » praesumpserunt, quibus, inter » cetera pericula, deprehenditur » quod cuicumque illas accipienti, » certa soluta pecunia, licitum sit » quem voluerit sibi sumere sacer- » dotem qui, confessione audita, » ipsum absolvere valeat non iis » tantum casibus in quibus simplex » Sacerdos absolvere potest, sed » etiam in iis quae solis Episcopis » reservata reperiuntur, aliquo » praeterea casu admixto, qui ad » examen huius sanctae Sedis esset » omnino referendus.

§. 2. Ad haec ipsi in dispen- » sandis coelestis gratiae donis ni- » mium prodigi, iis sic litteras prae- » dictas accipientibus indulgentias » et poenitentiarum iniunctarum » remissiones, nulla cum re tempo- » rali conferendas, profusius pas- » sim et indiscrete largiuntur, qui- » bus et aliis licentiis praedictis » non pauci fluctuantes et infirmi » veniae facilitate inducti ad pec- » candum procliviores fiunt, quando » tot et tantorum delictorum re- » missionem certo et vilissimo pre- » tio acquirere possint; et indicem » praeterea casuum ac indulgentia- » rum aedibus sacris appendi ius- » serunt, quibus emptores venari » videntur, cum palam significetur » solventibus suprascripta concedi.

§. 3. Itemque Missae sacrificium » et sepulturam tempore interdicti, » ciborum prohibitorum usum, as- » sumptionem duorum vel plurium » ut compatrum ad sacrum baptis- » ma, contra decretum Concilii Tri- » dentini (1), praeter eos qui syno- » dalibus, ut dicunt, constitutioni- » bus asciscuntur, a simoniae reatu » absolutionem Sedi Apostolicae » reservatam impendunt, reparatio- » nem Ecclesiarum et pias causas » praetexentes, ut honesta praescri- » ptione (2) videantur cupiditatis » vitium obduxisse.

§. 4. Cum igitur inter cetera

(1) Decretum Concilii Tridentini de quo Pontifex loquitur habetur Sess. XXIV Cap. 2 de Reform. Matrim. his verbis: « Sancta Synodus statuit, ut unus tantum sive vir sive mulier, iuxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. »

(2) Fortasse *praeceptione*.

» scandala, etiam Simoniae pravitas » non obscure redoleat, et praedi- » ctis S. Concilii Tridentini decre- » tis et aliis sanctionibus canonicis, » nostrae praeterea constitutioni de » indulgentiis ad quaestum non » emittendis (1) adversetur, clavium » auctoritas evilescat, et poeniten- » tialis satisfactio enervetur : Nos » his malis celeri remedio occur- » rendum, eademque opera futuris » praecavendum fore censentes, » motu proprio et ex certa scien- » tia et de apostolicae potestatis » plenitudine, supradicta omnia, » quae in ipso archiepiscopatu To- » letano, et quibuscumque aliis civi- » tatibus, dioecesibus et locis, tam » Hispaniarum quam aliarum qua- » rumcumque provinciarum et re- » gionum hucusque, etiam prae- » textu Confraternitatum erigenda- » rum et quocumque alio emana- » runt, damnamus et execramur, » ac perpetuo abolemus, nullaque » et irrita fuisse et esse nunciamus.

§. 5. Mandantes litteras et in- » dices, nec non scripturas et mo- » numenta quaecumque publica et » privata per ipsos locorum Ordi- » narios et alios Ecclesiarum Recto- » res, ubicumque reperientur, dila- » cerari, confringi, penitusque de- » leri ; et ne talia de cetero a » quoquam fiant, publicentur vel » concedantur, districtius prohibe- » mus.

§. 6. Quicumque, etiamsi Car- » dinalatus honore praefulgeant, » secus egerint, seu contenderint » attentari, ab ingressu et perce- » ptione fructuum suarum Eccle- » siarum tamdiu suspensi iaceant, » donec, satisfactione praevia, illis » per Sedem praedictam suspensio » relaxetur ; inferiores vero ab » Episcopis sententiam excommu- » nicationis incurrant, a qua nisi » in mortis articulo constituti, ab » alio quam Romano Pontifice abso- » lutionis beneficium nequeant obti- » nere.

§. 7. Decernentes etiam irritum » et inane quidquid secus per » quoscumque, quavis auctoritate, » scienter vel ignoranter contigerit » attentari. etc. »

In hac porro S. Pii V Constitutione, ii qui inferiores Episcopis essent excommunicatione speciali modo Romanis Pontificibus reservata plectebantur, Episcopi vero aliique superiores Praelati, et etiam Cardinales interdicto ab Ecclesiae ingressu, et privatione fructuum suarum Ecclesiarum, donec satisfactione praevia, per Romanum Pontificem suspensio relaxata fuisset ; hi quapropter qualibet excommunicatione erant immunes.

Pius Papa IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicatione perculit. *Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitu-*

(1) Loquitur de Constit. *Etsi Dominici gregis* superius relata.

tione S. Pii V. Quam plenum *2 Ianuarii 1569.*

Ut autem legenti patet quaedam sunt in quibus Pii IX Caput cum Constitutione S. Pii V convenit, quaedam vero in quibus discrepat.

Convenit quidem 1. relate ad personas quae inferiores Episcopis esse noscuntur, cum hae tantummodo in Constitutione *Quam plenum* excommunicatione multentur. 2. Convenit relate ad casus, qui conformes esse debent, cum Pii Papae IX Caput eos excommunicatione feriat qui quaestum faciunt ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, prout in Constitutione S. Pii V. At si latiori sensu explicandum esset Pii IX caput, et ad alias personas extendendum, vel ad alios casus, falsum esset per illud excommunicatione plecti omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur in Constitutione *Quam plenum;* cum in eiusmodi Constitutione non omnes quaestus gratiarum spiritualium, sed nonnulli tantummodo prohiberentur, et excommunicatione ferirentur; dicit enim S. Pius V *supradicta omnia,* ergo ea tantummodo quae expresserat, non alia quae ob paritatem rationis intelligi poterant.

Haec autem observare voluimus, ne cui sententia irreperet extendendi ad alios casus, praeter eos qui in S. Pii V Constitutione exprimuntur, verba Pii IX *aliisque gratiis spiritualibus,* quasi ipse per eiusmodi verba omnes gratias spirituales quascumque intelligere voluerit, et non eas tantummodo quae a S. Pio V explicite declarantur.

Attamen, ne error subrepat, advertendum est, in S. Pii V Constitutione explicite declarari quasdam gratias spirituales, at in §. 1. inter has gratias spirituales accenseri absolutionem ab casu aliquo ad examen S. Sedis omnino referendo; haec autem facultas intelligenda est de quocumque casu S. Sedi reservato; igitur quamquam casus hi explicite non declarentur, declaratur tamen explicite concessio facultatis, seu gratiae spiritualis absolutionem referendi per quemcumque Sacerdotem a casu aliquo S. Sedi reservato, qui casus quilibet esse potest. Sed de hoc inferius.

Pianum vero Caput a Constitutione S. Pii V discrepat 1. in eo quod dum excommunicatio lata in Constitutione *Quam plenum* esset Romano Pontifici speciali modo reservata; excommunicatio lata a Pio Papa IX est simpliciter Romanis Pontificibus reservata. 2. Manifestum est, in Constitutione *Quam plenum* duplicem personarum classem diversis poenis subiectam fuisse; Episcopos et dignitate vel potestate superiores personas, non exclusis Cardinalibus, suspensos fuisse ab ingressu Ecclesiae, et a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, usque dum, satisfactione praevia, illati poenis absoluti non fuissent; reliquos vero Episcopis inferiores, ex

communicatione S. Sedi specialiter reservata.

At Pius Papa IX excommunicatione simpliciter reservata eos tantummodo afficere se dicit, qui excommunicatione mulctabantur in Const. *Quam plenum,* nulla de aliis facta mentione; ergo suspensio ab ingressu Ecclesiae et a perceptione fructuum abrogata censenda est, cum a Pio Papa IX renovata non fuerit.

Neque quis obiiciat, Pium IX limitasse quidem censuras, poenas vero integras reliquisse; illatam autem suspensionem a S. Pio V non tam censurae, quam poenae rationem habere. Etenim 1. suspensio vel interdictum ab ingressu Ecclesiae alias plurimas suspensiones importat; quare ingreditur definitionem suspensionis proprie dictae, id est censurae, qua Clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur; cum vero suspensio possit importare etiam privationem perceptionis fructuum; haec privatio considerari potest ut quid consequens interdictum ab ingressu Ecclesiae. 2. Vero S. Pius V et utitur suspensionis nomine, et per modum non tam poenarum, quam unius suspensionis duo illa intulisse videtur, cum dixerit, *donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur.* 3. Suspensio ab ingressu Ecclesiae idem est ac interdictum ab ingressu Ecclesiae, quod privat hominem publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum sacramentorum administratione, et usu ecclesiasticae sepulturae; atque est censura proprie dicta; eiusmodi vero interdictum in Constitutione *Apostolicae Sedis* renovatum non fuit. Demum haec est communis Commentatorum sententia.

Hisce praenotatis; Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo debitae pro peccatis quoad culpam remissis, concessa a legitimo ministro extra Sacramentum poenitentiae per applicationem thesauri Ecclesiae. Dividitur autem.

1. In plenariam vel partialem, prout integra poena temporalis remittitur, vel eiusdem pars tantum.

2. In personalem, localem, aut realem, prout conceditur immediate personis, v. gr. Confraternitati, vel est affixa alicui loco, ex. gr. templo, Oratorio etc; aut adnectitur alicui rei, ex. gr. imagini, Crucifixo etc.

3. In temporalem aut perpetuam, prout ad tempus determinatum, aut sine ullo termino praefixo conceditur.

Cum autem hae omnes sint veri nominis indulgentiae, nullaeque piano Capite excipiantur, excommunicatione omnes plectuntur qui ex cuiuscumque nominis indulgentiis quaestum facere audent. At non ita de gratiis spiritualibus, quae considerari debent uti favores concessionesque collatae quidem ab habente potestatem in bonum spirituale et commodum aliorum, at

iuri communi derogantes, cum sint privilegia quaedam quae aliquid speciale indulgent praeter, vel contra ius commune. Non enim quaestus gratiarum spiritualium cuiuscumque nominis in Piano capite excommunicationi subditur, sed ille tantummodo qui respicit gratias spirituales in Const. *Quam plenum* recensitas.

Illae porro erant 1. facultas sibi eligendi Sacerdotem quemcumque etiam non adprobatum ad confessiones, per quem quis absolveretur a casibus sive simpliciter reservatis et a quibus quilibet Confessarii absolvere poterant, sive etiam a reservatis solis Episcopis aut cum, aut sine censura; et etiam ab aliquo casu, (distributive non collective) qui Sedi apostolicae reservatus esset, qui cum determinatus non sit, quilibet esse potest.

2. Missae sacrificium et sepultura tempore interdicti.

3. Usus ciborum prohibitorum, qui cum in genere a S. Pio V asseratur, eum possumus intelligere de quocumque anni tempore, ex. gr. Quadragesimae, quatuor temporum, et diebus Veneris, Sabbati etc.

4. Assumptio duorum vel plurium patrinorum ad sacrum baptisma contra citatum Concilii Tridentini decretum.

5. Absolutio a reatu Simoniae Sedi Apostolicae reservatae; *a Simoniae reatu absolutionem Sedi apostolicae reservatam impendunt.* (1)

Et quidem quoad postremum hoc caput restricta a Pio Papa IX Simoniae censura dicenda est; cum enim in antiquo iure etiam Simonia admissa in collatione Sacrorum Ordinum esset R. Pontifici reservata; neque in Constitutione *Apostolicae Sedis* renovata fuerit; dicendi non sunt excommunicati ex Constitutione *Quam plenum* illi qui ob turpem quaestum facultatem concederent absolvendi a Simoniae crimine contracto in collatione Ordinum, eo quod Pius Papa IX in praesenti Capite insistat cit. S. Pii V. Constitutioni; excommunicationes enim in antiquo iure latae abrogatae censendae sunt, ni sint in Piana Constitutione renovatae. Qua de causa quaestus ob Simoniae reatum post Constitutionem *Apostolicae Sedis* intelligendus est de Simonia reali vel confidentiali in beneficiis, et de Simonia reali ob ingressum

(3) Cl. De Varceno. Theol. Moral. Tom. 2. pag. 472. 2°, 5° inquit: « Demum absolutio a Simoniae reatu Sedi Apostolicae reservato; haec enim sunt cit. Const. verba: *aliquo praeterea casu admixto, veluti Simoniae reatu, qui ad examen huius S. Sedis est referendus.* « Ut legentibus Const. *Quam plenum* patebit, De Varceno. ab aliquo minus accurato auctore certe deceptus, textum sincere non retulit, et sensum confudit. Etenim §. 1. S. Pius V non loquitur de Simonia, sed de quocumque casu, qui ad examen Apostolicae Sedis esset omnino referendus. Et in §. 3. loquitur tantummodo de Simoniae reatu.

in religionem, cum tantum rei huiusmodi censura a Pio Papa IX plectantur. Hinc si quis auctoritate episcopali destitutus nunc temporis facultatem, seu gratiam spiritualem alicui, turpis lucri gratia, concederet ut a quocumque Sacerdote absolutionem obtineat Simoniae realis vel confidentialis in beneficiis admissae, aut realis ob ingressum in religionem, excommunicatione teneretur; si id in aliis casibus quamvis Simoniacis concederet, peccaret quidem graviter, excommunicationem tamen non incurreret.

At quid relate ad alios casus papales, de quibus S. Pius V in Const. cit. §. 1 dicit: *aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius sanctae Sedis esset omnino referendus?* Censeri ne debent comprehensi sub praesenti articulo? Affirmativam sententiam tenendam esse putamus. Etenim S. Pius V loc. cit. loquitur de facultate sibi Confessarium eligendi, a quo poenitens absolvatur ab aliquo casu ad Sanctam Sedem omnino referendo. Quicumque igitur Episcopo inferior quaestum faciens, eiusmodi facultatem, seu gratiam spiritualem alicui concederet, ut absolutionem referat a quocumque peccato S. Sedi reservato, quamvis peccatum eiusmodi non pertineat ad Simoniam, excommunicationem praesentis capitis incurrit, tum quia in citatis verbis S. Pius V speciem peccati S. Sedi reservati non determinaverit, tum quia §. 4 proscribat *supradicta omnia*, et §. 5 dicat *ne talia de cetero fiant*, tum demum quia Pius Papa IX in praesenti articulo ad S. Pii V Constitutionem sese omnino referat.

Qua de causa ratio quidem inductae excommunicationis est unica, scilicet quaestus; at ratio eiusmodi se extendit ad omnes casus qui sint Sedi Apostolicae in praesenti Constitutione reservati, a quibus absolvendi alicui, pretio soluto, facultas concedatur; tum ad casus omnes cum vel sine censura reservatos Episcopis, cum et de illis S. Pius V loquatur, et Pius Papa IX nullo modo restringat gratias spirituales ad illas tantummodo quae a S. Sede concedi solent, vel conceduntur.

Attamen ut ex Piano Capite excommunicatio incurratur duo necessaria omnino sunt. 1. ut quaestum facientes aliquid eorum concedant quae in Constitutione S. Pii V proscripta reperiuntur; non refert autem an publice vel private concedant, cum ratio excommunicationis sit quaestus, qui haberi potest sive gratia spiritualis vel indulgentia concedatur publice, ut si publicetur aut affigatur ad valvas Ecclesiae index indulgentiarum aut gratiarum spiritualium pecunia comparandarum; sive privatae personae, privato prorsus modo concedatur. Atque de cetero S. Pius V etiam de privatis concessionibus loquitur, cum § 5 dilacerari, confringi et deleri mandet litteras, indices, scripturas, et monumenta quaecumque

publica vel privata, prohibeatque ne talia de cetero publicentur, vel *concedantur*.

Exinde vero sequitur nullam eum excommunicationem incurrere, qui aliud publicaverit vel concesserit extraneum ab iis quae S. Pius V interdixit; aut eum qui aliquid ex his vel publicari, vel concedi mandaverit, et neque publicatum neque concessum fuerit. In quo Pianum Caput a Constitutione S. Pii V discrepare deprehenditur; hic enim nedum factum, sed etiam conatum ipsum ad factum excommunicatione feriit, ut patet ex illis verbis: *Quicumque secus egerint, seu contenderint attentare;* at Pius Papa IX ipsum tantummodo factum excommunicatione mulctavit, cum quaestus ex actione completa redundet, non ex attentatu.

Altera conditio ad eiusmodi excommunicationem incurrendam est, ut quaestus ex indulgentiarum vel aliarum gratiarum spiritualium concessione vel publicatione reapse referatur; necessarium scilicet est, ut hinc indulgentiae vel gratiae spirituales publicentur, vel concedantur, illinc ut pecunia solvatur; verba etenim Piani Capitis sunt: *quaestum facientes*. Hinc si quis gratias spirituales, vel indulgentias concedat aut publicet, et quacumque de causa nullam pecuniam accipiat, excommunicationem non incurrit; nullum enim quaestum facit; incurrit autem si partem pretii accipiat; quia habetur realis commutatio rei spiritualis cum temporali pretio, saltem inchoative, ideoque vera simonia.

Tria demum manifesta esse in re putamus: 1. hanc excommunicationem incurrere tantummodo concedentes indulgentias aliasque gratias spirituales et quaestum exinde facientes, non autem emptores et pecuniam solventes. 2. Nullam excommunicationem cooperatores incurrere, quia in Capite de his nulla mentio. 3. Eam tamen incurrere principalem agentem, quamvis aliorum opera utatur, tum quia vere ipse quaestum facit et Pius Papa IX non nudum factum, sed quaestum interdicit; tum quia qui per alium facit per seipsum facere videtur.

Postrema, quam dirimere debemus, quaestio sit: S. Pius V in cit. Const. *Quam plenum* eos excommunicatione, vel suspensione ferit qui indulgentias et gratias spirituales pretio conferrent, *reparationem Ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse*. Atque §. 4 eiusmodi prohibet *etiam praetextu Confraternitatum erigendarum, et quocumque alio*.

Quid igitur si causa indulgentiarum et gratiarum spiritualium conferendarum, non praetextus, sed vera causa sit?

Respondemus comprehendi sub lege.

1. Quia in cit. Const. S. Pius V non tam de veris aut falsis causis,

quam de facto et modo praecipue quaeritur, quo indulgentiae et gratiae spirituales concedebantur; quasi scilicet pretio venderentur; at eiusmodi peccatum potest etiam cum vera causa consistere.

2. Ut ex praemissis patet, ex Const. *Etsi Dominici* S. Pii V, et ex huius Constitutionis tenore certum est, praedictos Episcopos facultates suas excessisse, et contra leges ecclesiasticas peccasse, pretio, etiam in pias causas erogando, concedentes sive indulgentias, sive gratias spirituales in Constitutione designatas, sive absolutionem ab aliquo casu qui erat omnino ad S. Sedem referendus. Ut ergo reprehenderentur necessarium non erat ut falsas causas allegarent; reprehendendi enim erant quamvis absolute veras allegassent. Etenim in Tridentino decreto quilibet prohibebatur quaestus, et qualibet de causa. Si contrarium dicamus, sequitur posse quemlibet, de quo in Constitutione, prohibita concedere si ex vera causa id faciat; quod est falsum, abrogasset enim S. Pius V anteriora decreta.

3. Rationes quibus S. Pius V eiusmodi indulgentiarum et gratiarum spiritualium concessiones proscribit, verae sunt, et subsistunt quamvis causae quaestus essent undequaque verae. Non est igitur dicendus proscripsisse concessiones eiusmodi ob falsas tantummodo causas.

4. Si ob falsas causas, sive praetextus, proscripsisset Sanctus Pontifex eiusmodi concessiones, declarare debuisset licitas esse ob veras causas. At nullo modo declarat.

5. Atque tantummodo vel in Hispania, vel in iis dioecesibus, in quibus admittebatur, crimen prohibendum erat, non generaliter in universa Ecclesia, nulla declaratione saltem praemissa circa causas.

6. S. Pius V §. 4 affirmat, quae committebantur in Hispania, Concilii Tridentini decreto et aliis Constitutionibus Pontificiis contradicere. At hae prohibebant eiusmodi etiam ex vera causa, et sub quocumque respectu.

7. De facto S. Pii V Constitutio ab omnibus intellecta fuit sensu a nobis exposito.

8. At Pius Papa IX S. Pii V prohibitionem renovavit. Ergo et antea, et nunc si qui, facultatibus antea a Romano Pontifice non obtentis, etiam ob veram pietatis causam, indulgentias et gratias eiusmodi concedant pretio comparandas, illatas poenas incurrere sunt dicendi.

APPENDIX XXVI.

DE EXCOMMUNICATIONE CONTRA LUCRUM EX ELEEMOSYNIS MISSARUM CAPTANTES.

Capite XII inter excommunicationes Romanis Pontificibus simpliciter reservatas Pius Papa IX excommunicatione ferit « Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, » et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi » Missarum stipendia minoris pretii » esse solent. »

Sed etiam haec prohibitio antiqua est, nec primum anno 1869 lata excommunicatio.

Urbani VIII Romani Pontificis aetate, sub die 21 Iunii 1625, S. Congregatio Concilii nonnulla decreta, quorum initium est *Cum saepe contingat,* (1) circa Missarum celebrationem et onera promulgans, § 4 statuerat. « Ac similiter » omne damnabile lucrum ab Ec» clesia removere volens, prohibet » Sacerdoti, qui Missam suscipit » celebrandam cum certa eleemo» syna, ne eamdem missam alteri, » parte eiusdem eleemosynae sibi » retenta, celebrandam committat. »

Verum in transgredientes nulla canonica poena sancita fuit.

Attamen, ut etiam alias contigit, sensum relati decreti interpretari coeperunt Ecclesiae viri, atque inquirere: an intelligendum esset de eleemosyna manuali, cui pars aliqua subtraheretur, an etiam de quacumque alia eleemosyna maiori, cuius excessus subtrahendus non esset, si Missa alii sacerdoti celebranda committeretur. Hinc a S. Congregatione Concilii quaesitum fuit.

X. « An Sacerdotes, quibus ali» quando offertur eleemosyna maior » solita pro celebratione Missae, » debeant dare eamdem integram » eleemosynam iis, quibus Missas » celebrandas committunt: an vero » satis sit, ut dent celebrantibus » eleemosynam consuetam? » (2)

Cui dubio eadem S. Congregatio respondit: Ad X: *Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.* (3)

Scimus eiusmodi decretum impugnatum fuisse, quod non fuerit ab Ecclesia acceptatum; at scimus etiam ab Alexandro VIII sub die 24 Septembris an. 1665, per organum Supremae Inquisitionis Romanae inter alias propositiones et sequentem n. 9 damnatam fuis-

(1) Habetur in Bullario Romano Tom. XIII, pag. 336, Edit. Taurin. 1868.
(2) Ibid. pag. 341, Col. 1.
(3) Ibid. pag. 343, Col. 1.

se. « Post decretum Urbani potest » Sacerdos, cui Missae celebrandae » traduntur, per alium satisfacere, » collato illi minori stipendio, alia » parte stipendii sibi retenta. » (1)

Atque insuper novimus, Innocentium XII die 23 Decembris an. 1697 Urbani VIII decreta plenissime approbasse et innovasse in Const. *Nuper a Congregatione,* ea de causa, quod plures contra latas leges abusus irrepserint, et plurimae idcirco querelae ad S. Sedem delatae fuissent. (2)

Atque utinam eiusmodi nequitia post Innocentii XII decreta conquievisset! Compulsus non fuisset Benedictus XIV vocem attollere, et excommunicatione illos ferire qui turpissimum Missarum mercimonium etiam suo tempore exercebant.

Id doctissimus Pontifex praestitit in Constit. *Quanta cura* data sub die 30 Iulii an. 1741, quam ita legimus. « Quanta cura adhibenda » sit, ut Sacrosanctum Missae sacri- » ficium non solum omni Religionis » cultu, ac veneratione celebretur; » verum etiam ut a tanti sacrificii » dignitate, cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et im- » portunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam » postulationes, aliaque huiusmodi, » quae a Simoniaca labe, vel certe » a turpi quaestu non longe absunt, » e medio tollantur, nemo est ex » catholicae fidei cultoribus qui » ignoret.

§. 1. Verum eo usque tandem » progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum virorum avaritia, quae est idolorum » servitus, ut eleemosynas quidem » seu stipendia propter Missarum » celebrationem, iuxta locorum consuetudines, vel Dioecesanarum » Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscuiusque » Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus praescripta » colligant; Missas vero celebrari » curent alibi, ubi eleemosynae seu » stipendia, vel consuetudine, vel » synodali lege, pro singulis Missis » attributa sunt minoris pretii, quam » illic ubi accipiuntur, darentur.

§ 2. Id quam absonum sit, atque » alienum ab ipsa sive expressa, » sive tacita pie offerentium voluntate omnes plane intelligunt. Nec

(1) Incipit eiusmodi Decretum *Sanctissimus Dominus Noster,* et habetur apud Gury *Theol. moral. Thom.* I. LI. Edit. 1878. Propositiones autem referuntur, etiam pag. 177 huius Commentarii.

(2) Habetur haec Innocentii Const. in cit. Bullar. Rom. Tom. XX. pag. 806. Ita vero illa confirmat: « Imprimis praeinserta decreta cum praemissis illorum de- » clarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque » et singula ibidem contenta et expressa, iterum omni meliori modo decernit, sta- » tuit, ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individua nota seu expressione » dignis penitus observari, et omnimodae executioni demandari decernit, sancit, et » praecipit. »

» aliter existimandum est; in illa » enim potius Missas esse celebrandas » quisque vult, ad quam religionis » et pietatis stimulis ductus eleemo- » synas confert, aut in qua quispiam » fortasse tumulatus est, quam in » alia Ecclesia sibi prorsus ignota. » Quod sane veluti mercaturis facien- » dis a turpis lucri cupiditate indu- » ctum, non solum ab avaritiae » suspicione et vitio, verum etiam » a furti crimine, unde restitutioni » subiacet haud immune, in causa » est ut bonorum quamplurimi, ad » quorum notitiam mercatura huius- » modi venit, graviter offensi, ab » eleemosynis ad celebrandas mis- » sas amplius offerendis sese absti- » neant.

§ 3. Execrabilem huiusmodi » abusum alicubi sensim irrepen- » tem detestantes Romani Pontifi- » ces praedecessores nostri, de con- » silio tum Congregationis S. R. E. » Cardinalium universalis Inquisi- » tionis contra haereticam pravi- » tatem, tum Congregationis Car- » dinalium Concilii Tridentini In- » terpretum decretum voluerunt, » nimirum a quolibet Sacerdote, » stipendio seu eleemosyna maioris » pretii pro celebratione Missae a » quocumque accepta, non posse » alteri Sacerdoti Missam huiusmodi » celebraturo stipendium seu elee- » mosynam minoris pretii erogari, » etsi eidem sacerdoti Missam cele- » branti et consentienti, se maioris » pretii stipendium, seu eleemosy- » nam accepisse indicasset.

§ 4. Eapropter vos, Venerabi- » les Fratres in Apostolici Ministerii » et sollicitudinis nostrae partem » adscitos, rogamus, et maximopere » in Domino hortamur, ut custo- » dientes vigilias super gregibus » vestris, enitamini, ne ea pestis » amplius pervagetur, sed ut peni- » tus extinguatur. Ab avaritia enim, » tamquam a radice, mala omnia » germinant, quam quidam appe- » tentes erraverunt a fide, inseruе- » runt se doloribus multis. Ava- » ritia quidem nulla potior conta- » gio, quae conceptam apud omnes » Sacerdotalis perfectionisque opi- » nionem magis inficiat evellatque. » Avaritia opibus Deum posthabe- » re, ac servire Mammonae docens, » efficit, ut avari haereditatem non » habeant in regno Christi et Dei. » Quod si haec in laicis hominibus » minime toleranda, atque adeo » legibus coercenda, quid in eccle- » siasticis viris, qui terrenis rebus » nuntium miserunt, qui in sortem » Domini vocati, qui Deo mancipati » sun? Quid, quod non per mundana » lucra, sed per altaris ministerium, » tam sordide, et cum sanctissima- » rum legum contemptu, et cum » Sacerdotalis characteris dedecore, » in avaritiam praecipiti animo ra- » piuntur? Contendite igitur, Vene- » rabiles fratres, quibus Christi » ovium cura demandata est, non » solum ut verbo et exemplo prae- » euntes, Christi sitis bonus odor » in omni loco, unde populi vesti- » gia vestra sequantur, verum

» etiam ut Ecclesiasticos primum, » deinde laicos viros ab infectis » vitiorum pascuis avertentes, per » viam mandatorum Dei ad coeleste » ovile currere doceatis.

§ 5. Quoniam autem ita compa- » ratum est, ut praesentis poenae » metu salutaribus monitis facilius » obtemperetur; per edictum in » vestris Dioecesibus proponendum » affigendumque universis notum » facite, quemcumque qui eleemosynas, seu stipendia maioris » pretii pro Missis celebrandis, » quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia statuta » exigunt, colligens, Missas, retenta » sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi » pro Missis celebrandis minora » stipendia, seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum » quidem seu saecularem, praeter » alias arbitrio vestro irrogandas » poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero, sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a » quibus nullus per alium, quam » per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, » nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem » in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae- » posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. »

Constitutionem eiusmodi ad universos catholici orbis Episcopos, ut diximus, dedit Benedictus quartus decimus. At cum praecipue in Pedemontana Ecclesia vitium eiusmodi grassaretur, idem Pontifex ad illius Ecclesiae Episcopos Breve Encyclicum dedit, quod ad Archiepiscopum Taurinensem direxit, in quo eos hortatus est, ut ad coercendum eiusmodi quaestum etiam brachii saecularis auxilium postularent. (1)

(1) In hoc Encyclico haec aiebat Pontifex: « Etsi autem detestabilem in » Missarum celebratione mercaturam, de qua tantopere querimur, alibi etiam fieri » accepissemus, non ea tamen, nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri no- » veramus, quam a nonnullis Pedemontii ecclesiasticis et laicis viris frequentari » recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut salutare ad tam sordidae negotia- » tionis et criminis notam a Dioecesibus Pedemontii penitus delendam, remedium » adhibere satageremus. Verum nos, ne opinionem, quam omnes de ecclesiasticae » disciplinae decore et observantia in Pedemontii Dioecesibus vigente habent, mi- » nuere videremur, et ut debitae apostolicae solicitudinis officiis faceremus satis, » id scribendi inivimus consilium.

» §. 1. Itaque quemadmodum facile hinc perspicis, Venerabilis frater, non ob- » scurum hac in re peculiaris nostrae erga unumquemque Pedemontii antistitem » caritatis testimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro ne- » gotii gravitate, quam pro nostrae providentiae ratione operam colloces, ut de » contagione mercaturae huiusmodi penitus extincta Tecum gratulemur.

» §. 2. Verum si malorum hominum pervicacia tanta fuerit, ut poenis per cas-

Eiusmodi Benedicti XIV Constitutionem considerantibus illico apparebit.

1. Eum excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata perculisse laicos qui de Missarum eleemosynis quaestum facerent. Clericos vero suspensionis censura ipso facto incurrenda.

2. Episcopos vero in delinquentes potuisse etiam aliis poenis animadvertere.

3. Censuras a Benedicto XIV irrogotas eos omnes incurrisse qui missas minori stipendio celebrandas aliis Sacerdotibus commisissent sive in loco eodem, sive alibi.

Hisce praemissis sequentia inquirenda esse censemus·

1. In quo Pianum Caput ab antiquo iure differat.

2. Quinam sit sensus, et quamnam extensionem habeant Piani Capitis verba.

3. Quaenam ad latam excommunicationem incurrendam necessaria sint.

4. Postremo coronidis gratia referemus decreta recentiora, quae circa missarum eleemosynas promulgata sunt.

Et quoad 1. Suspensio a Benedicto XIV contra Clericos lata abrogata censenda est, cum a Pio Papa IX renovata non fuerit. Tum Clerici tum laici nunc excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam incurrere dicendi sunt, cum Pius Papa IX generice prorsus excommunicet *colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes;* qui porro tam clerici quam laici esse possunt, ut antea erant, prout ex Benedicti XIV Constitutione intelligimus.

In Benedictina Constitutione aperte declarabatur, illatas poenis eos omnes incurrere qui missas minori stipendio aliis celebrandas committerent sive in eodem loco, sive diverso: *Sive ibidem sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur.* Dici ne potest idem ius post Pianam Constitutionem vigere?

Clarissimus Avanzini *In Const.* Apostolicae Sedis *Comment, pag. 50* edit. *1874 Romae,* postquam affirmasset, a Pio Papa IX Benedicti XIV Constitutionem limitatam seu potius declaratam fuisse, quum non dicatur *ibidem,* sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent,* prosequitur. « Ceterum » cum execrabile illud lucrum quod » Rom. Pontifex voluit in primis » cohibere, verificari possit, eodem » loco colligendo et minori stipen- » dio Missas celebrari faciendo, ad » declinandam praesertim gravis- » simam poenam ac proinde in » fraudem huius legis, improbanda » non videtur illorum Doctorum » sententia, qui attenta hac super

» dem litteras nostras irrogandis arroganter despectis, ad eam confringendam bra- » chii saecularis auxilio tibi opus sit, illud invocare ne omittas, minime dubitans » quin libentius quam optas, tibi praesto sit. »

» re identitate, si non locutionis, » certe rationis Benedictinae Constitutionis cum praesenti articulo, » praefatos Missarum collectores in » casu, huiusmodi censuram incurrere autumant. »

Quod tamen Avanzini dubitando affirmare videtur, aperte tradit Cretoni *in notis ad Compendium Theologiae Moralis R. Gury, Tom. 2. pag. 614. Edit. Rom. 1875.* « Non » tantum, inquit, eum qui Missas » sic collectas alio celebrandas minori pretio transmitteret, verum » etiam qui eodem in loco Missas » colligeret, atque eas minori stipendio alteri celebrandas committeret, eleemosynarum partem » sibi retinendo, dictam excommunicationem incurrere; licet enim » vetitum huiusmodi lucrum Missas » alio mittendo captari plerumque » contingat, identitas tamen rationis et finis, nullum respectu loci » substantiale discrimen esse suadent, idque patet etiam ex verbis » ipsis Benedictinae Constitutionis » *Sive ibidem sive alibi.. celebrari fecerit;* neque enim est cur in » hoc dicamus a Piana Constitutione » fuisse Benedictinam limitatam. »

Eiusdem sententiae est Reverendus Pater Dumas, *Compendium Theologiae Moralis P. Gury Tom. 2. n. 1009,* nullum affirmando discrimen intercedere, quantum ad locum celebrationis attinet, Benedicti XIV Constitutionem inter, et Constitutionem Pii IX. « Excommu- » nicationi subiicitur, scribit, non » solum qui in alio, ut plerumque » fit, sed etiam qui in eodem loco » eleemosynas minoris pretii transmittit; nam vox illa *in locis* generalis est, nullumque locum » excludit, et in Bulla Benedictina » expresse dicitur: *sive ibidem, sive alibi.* »

Hos sequitur Conrado *Memoriale de Censuris pag. 83, Romae 1881,* ea etiam de causa « quia in sen- » tentia contraria mercimonio via » non ita clauderetur ac intentio » debuit esse legislatoris. Plures » sunt loci, in quibus fidelium fre- » quentissima liberalitate abuti quis » posset modo hic proscripto. » (1)

Ut patet, qui eiusmodi sententiam tuentur triplici nituntur argumento, quorum 1. petitur ex ratione, seu fine datae legis, 2. ex identitate locutionis verborum *in*

(1) Eiusmodi rationes exposuit Ciolli in suo Commentario prattico delle Censure pag. 91. « 2° S'incorre la censura in qualunque luogo si facciano celebrare le Messe con elemosina così ridotta, cioè sia nel luogo stesso dove sono » state raccolte, sia altrove; poichè sempre si verifica il turpe mercimonio, nè vi è » alcuna ragione di escludere da quel *locis* del nostro caso il posto dove sono » state raccolte, essendo che la legge non distingue, e che *ubi eadem est ratio, » et eadem dispositio legis;* e finalmente che Benedetto XIV dice: *sive ibidem » sive alibi,* quali parole sono state compendiate e comprese nel *locis;* nè vera- » mente si vede come si possa dubitare di questo. »

locis quae habentur in Constit. Pii IX cum verbis: *sive ibidem sive alibi* Constitutionis Benedicti XIV. 3. ex inutilitate legis si de eodem loco non intelligeretur. Attamen huic sententiae alii Commentatores aperte contradicunt, quos inter Commentatores Patavinus, Reatinus, quem sequitur P. Ballerini; Scriptores Ephemeridis *La Nouvelle Revue Theologique Tom. IX. pag. 483. n. 14.* atque de Varceno *Theol. Moral. Tom. II. pag. 474. n. 4.*

Cuinam igitur sententiae adhaerendum est?

Ni fallimur; solidioribus argumentis nituntur ii qui postremam sententiam amplectuntur.

Revera. Ex iuris effato, *Legislator quod voluit expressit; quod non expressit noluisse censendus est,* intelligimus, ad inducendam obligationem aliquam, ex cuius transgressione poena, praesertim gravissima, incurratur, necessarium esse, ut lex sit ita aperta, et clara ut dubium de obligatione, eiusque natura et quantitate nullum subditis maneat; sin minus enim in gravissimos errores subditi possent induci, cum nesciant ad quid et ad quantum teneantur; de cetero conditio legi ferendae omnino necessaria est, ut sit clara. At possuntne dici verba illa *in locis* a Pio IX adhibita, ita esse aperta et clara, ut indicent ea etiam de eodem loco esse intelligenda? Plurima contrarium certe suadent.

a) Certum est enim Benedictum quartum decimum verba *ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur* non de adverbio *ibidem* dixisse, sed unice de adverbio *alibi*. Id primum eruimus ex § 1, qua dicit: « ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem, iuxta locorum consuetudines, vel Dioecesanarum synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscuiusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus praescripta, colligant; Missas vero celebrari curent *alibi ubi eleemosynae, seu stipendia vel consuetudine vel synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii quam illic ubi accipiuntur darentur.* »

Verba autem haec adeo ad diversa loca referuntur, ut si ad eadem referrentur, eleemosynae et stipendia missarum essent in eodem loco sive synodali lege, sive consuetudine maioris simul et minoris pretii. Grammaticali insuper sensui valedicendum esset, praesertim anthitesi quae intercedit inter verba *ubi*... stipendia.. pro singulis Missis. attributa sunt minoris pretii quam *illic* ubi accipiuntur darentur.

b) Eruimus ex § 2, in qua affirmat Pontifex id esse etiam alienum a pia offerentium voluntate; *in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est,*

quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota.

Haec autem verba nullo modo de loco eodem intelligi possunt; etenim etiam in Urbe aliqua populosiori non sunt Ecclesiae piis offerentibus prorsus ignotae, sed plerumque plane cognitae.

c) §. 5 Statuit Pontifex poenas in eum qui *colligens eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive* ibidem *sive* alibi, *ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur celebrari fecerit* etc. Haec autem verba *ubi pro Missis celebrandis minora stipendia.. tribuuntur* non possunt referri ad adverbium *ibidem;* cum loquatur Pontifex de eleemosyna vel consuetudine, vel Synodali lege constituta, quae in eodem loco eadem est; referenda sunt igitur verba citata ad adverbium *alibi,* seu diversum locum, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, lege scilicet vel consuetudine, ut in § 1. dixerat, et aperte subintelligitur; generaliter enim et absolute in loco quolibet minora non tribuuntur stipendia, nisi id consuetudine vel lege receptum sit.

Neque quis obiiciat, quod si ita res est, excludendus esset in Benedicti constitutione locus idem; etenim eiusmodi conclusio ex praemissis non sequitur, cum certum sit, Benedictum condemnasse crimen eiusmodi etiam in eodem loco per adverbium *ibidem* quod inutile fuisset, et contradictionem inducens si verba *ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur,* ad ipsum referrentur. Non loquitur de arbitrario stipendio, sed de constituto sive per consuetudinem, sive per legem synodalem, quae in eodem loco eadem est, etiam in Regularium Ecclesiis; atque de cetero in eodem loco Missae minori stipendio celebrari possint ratione valde ab ea diversa, quam consuetudo aut lex synodalis exigit.

2. Certum pariter est ex instituta inter utrumque legislatorem comparatione, postrema tantummodo verba Benedicti XIV Pium Papam IX usurpasse, praetermisso adverbio *ibidem:* quo igitur argumento defendi potest, hunc eumdem locum complecti voluisse, cum neque in Benedicti constitutione praedicta verba locum eumdem designent?

3. De eodem loco Pii IX verba intelligi non possunt; cum enim loquatur vel de consuetudine, vel de taxa Dioecesana, vel de utraque simul, quae in iisdem locis eadem est, falsum esset, eum, qui Missas maioris pretii celebrandas committeret pretio minori in iisdem locis, celebrandas committere *in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent;* nam in Dioecesi, vel oppido, vel Urbe taxa, aut consuetudo eadem est; atque si qui mi-

nori stipendio Missas celebrent, non ex consuetudine, vel Synodali lege, sed sponte, ex arbitrio celebrant, et etiam ex charitate.

4. Avanzini, Cretoni, et alii eiusmodi Missarum collectionem intelligunt de Missis manualibus, pro quibus unum idemque, saltem ut plurimum, in loco eodem est stipendium. Ergo saltem in horum sententia ad incurrendam excommunicationem locus diversus requiritur, in quo Missae manuales minoris stipendii esse solent.

Haec vero speculative; in praxi autem.

5. Dubium certe est, an idem locus sub lege Pii IX comprehendatur. At in dubio minimum est sequendum. Nemo igitur de excommunicatione damnari posset, cum lex sit poenalis.

6. Demum; nemo de excommunicatione damnandus est si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione eximat; quis autem negare poterit, tum ob allatas rationes, tum ob auctoritatem plurimorum commentatorum adesse rationem vere probabilem eximendi ab excommunicatione eum qui missas maioris eleemosinae vel consuetae, minori pretio in iisdem locis celebrandas committeret?

Neque allata ob contrariam sententiam tenentibus argumenta ita solida sunt quae refutari non possint.

Etenim argumentum petitum ex ratione, seu fine legis exinde excludimus, quod non quicumque finis seu ratio legis cadit sub lege, sed ille qui sub verbis legis cadere, et eo modo quo cadere deprehenditur; sin minus enim leges poenales ad alia plurima essent extendendae, quae sub lege non comprehenduntur; hoc autem inter alia, axiomate illo excluditur, quo statuitur, legem poenalem extendi non posse de casu in casum neque ob rationis paritatem.

Secundum argumentum petitum ex identitate locutionis ab utroque legislatore adhibitae negandum esse videtur, 1° quia paritas non est supponenda, sed probanda; nulla vero ratione qui contrariam sententiam defendunt adhuc probarunt, identitatem intercedere inter verba *sive ibidem, sive alibi* a Benedicto XIV adhibita et verba *in locis* a Pio Papa IX usurpata. 2° E contra multa suadent diverso sensu ea esse accipienda, prout iam exposuimus.

3°. Certe non apparet utriusque locutionis identitas tum per se, tum ob Expositorum discrepantiam.

4°. Hinc cum identitas verborum et sententiarum non appareat, legem esse saltem dubiam dicimus: at in lege dubia minimum esse sequendum iura docent. Verba quae possunt dupliciter intelligi, debent in humaniorem partem interpretari: *Le fin. Cod. de comm. ser. manum.* Et: semper in dubiis et obscuris benignior interpretatio est facienda. *L. semper ff. de reg. iur.*

5°. Vera non esse videntur duo illa quae observat Ciolli, scilicet legem non distinguere, atque Pi-

um IX compendiose per verba *in locis* expressisse quae per verba *sive ibidem, sive alibi* a Benedicto XIV expressa fuerant; etenim quoad hoc postremum Ciolli supponit quod in quaestione omnino versatur; quaestio enim est an verba a Pio IX adhibita identica sint cum verbis Benedicti XIV., thesis autem non habet argumenti et probationis vim; quoad illud vero, legem satis distinguere dicimus, cum ex sensu distinctio apparet, et verbis non contradicitur; id autem non spernendis argumentis probavimus.

Ex his vero duo sequuntur 1°. quod cum in lege dubia humaniorem interpretationem sequi debeamus, non possumus in praxi identitatem utriusque locutionis tenere, sed debemus Pii IX locutionem de loco diverso, et non eodem interpretari. 2°. Quod identica haec interpretatio legem Pii IX extendit; at lex estensiva est vera lex, ad eamque inducendam requiritur Principis auctoritas, tum quia solus princeps leges facere potest. *L. 9 ff. de just. et iur.* tum quia: eius est legem interpretari cuius est condere. *L. 1. 9. et ult.* 3°. Consequenter qui lucrum ex celebratione missarum in eodem loco captaret, numquam posset uti excommunicatus haberi.

Neque maior argumentis vis inest tertiae difficultati, qua statuitur, inutilis fore ut lata a Pio IX lex redderetur, si de loco eodem non esset intelligenda.

Etenim 1° etiam hoc concesso, cum lex sit dubia, benigniori sensu eam semper accipere deberemus. At 2. negamus fore ut lex redderetur inutilis; utilis enim esset semper quoad loca diversa; porro non omnis utilitas ex lege expectanda est, sed ea quae sub legis verbis comprehenditur. Neque rationes legislatori defuisse dicimus quibus motus sit ad eundem locum excludendum; etenim in loco eodem difficilius reperiuntur qui missas minori stipendio celebrent, quae ratio urget eos praesertim expositores qui eiusmodi eleemosynas manuales esse intelligunt; porro lex fit de communiter contingentibus. Nonne deinceps verum est, eiusmodi mercimonium committi inter vel varia regna, vel diversas provincias, in quibus missarum stipendium, seu eleemosyna dioecesana diversa reperitur? Atque nemo contra nos subsumat, Benedictum XIV etiam locum eumdem exclusisse; etenim singulis temporibus sunt speciales circumstantiae et singulis legislatoribus singulae sunt voluntates; haec insuper difficultas supponit a Pio IX vel renovatam, vel renovari debuisse Benedicti legem; quod prorsus in quaestione versatur. Unde vero hoc in enthimemate consequentia: Benedictus XIV etiam eumdem locum exclusit, ergo et Pius IX? Certe nostris temporibus de eiusmodi mercimonio, saltem in iisdem locis, querelae allatae non sunt.

Potuit igitur esse Pio Papa IX ratio eumdem locum excludendi,

utpote in quo crimen proscriptum infrequens esset. At quae raro accidunt contemnunt Legislatores. *Lib. 6. de Legib.*

Ex his vero et altera quaestio dirimitur, qua quaeritur: an excommunicationem incurrat ille qui missas celebrandas committat in aliis locis ubi vel consuetudine, vel synodali lege missae eiusdem eleemosynae esse solent. Iisdem, inquam, argumentis eiusmodi quaestio resolvitur. Cum enim lex loquatur de locis ubi minoris stipendii missae esse solent, eius verba non verificantur in locis ubi sunt stipendii eiusdem. Transgressor itaque huiusmodi sub legis verbis non comprehenditur, nullamque excommunicationem contrahit, quamvis graviter peccet.

De cetero praestantiorum Commentatorum haec est sententia, quam practice, ob principia reflexa quae superius posuimus, sequi omnino tenemur.

Attamen si iis in locis « penuria » eleemosynarum sit frequens ita, » ut non obstante taxa vel consue » tudine, sacerdotes communiter » saepe celebrant stipendio minoris » pretii, tunc locum habet excom» municatio; complentur enim ver» ba: *minoris pretii esse solent;* et » lex afficit casus frequentiores. Si » vero hoc quandoque, et nonnisi » in aliquo Sacerdote accidat, ex» communicatio locum non habet, » quia tunc dicta verba non com» plentur, et lex non est lata pro » casibus prorsus singularibus ». Ita De Varceno *loc. cit.*

II. At inquiramus quinam sit sensus, et quamnam extensionem habeant Piani Capitis verba.

Et quoad verbum *colligentes*, sub hoc nomine nedum veniunt ii qui ex officio, vel quasi officio missas a fidelibus oblatas acceptant recipiuntque, uti sunt ex. gr. sacristae, vel qui in Ecclesiis, Sacristiis, Paroeciis ad fidelium oblationes recipiendas constituti sunt; sed etiam privatae personae quaecumque quae a Christi fidelibus missas petant, easque minori stipendio alibi celebrari faciant; hi enim vel officio, vel arbitrio veri sunt collectores, ideoque sub legis dispositione comprehensi.

At relate ad eiusmodi vocabulum duplicem quaestionem enatam scimus. De Varceno *Compendium Theologiae Moralis Tom. II, pag. 474* censet, non comprehendi sub eiusmodi censura collectores illos qui missas ab uno vel a duobus tantum colligunt, cum verbum *colligentes* indicet missarum eleemosynas a pluribus esse accipiendas: « Si quis ab uno vel duobus tan» tum eas colligit, non comprehen» ditur hac censura; verbum *colli» gentes* enim indicat accipere Mis» sarum eleemosynas a pluribus ».

Eiusdem sententiae est Commentator Reatinus dum scribit *Commentar. Edit. 3. pag. 82.* » nec » demum is qui eas colligit ab uno » vel altero tantum »; tum cl. Ballerini qui prioris sententiam exscribit

Alteram quaestionem, ni fallimur, excitavit Cretoni, dum *in notis ad Theologiam Moralem P. Gury Tom. II. pag. 614.* nota 3 scribit: « 4° Demum incurri (excommunicationem) etsi (quis) eidem Sacerdoti missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset ». Quibus insinuare videtur, excommunicationem incurri, etiamsi excessum unius tantummodo stipendii quis sibi retineat.

Ut itaque eiusmodi sententias ad examen revocemus, ingenue dicimus, primam solido argumento defendi non posse.

Revera sanctio legis tum locum habere dicenda est, cum crimen lege prohibitum completum censetur et est. At negari ne potest, eum qui ab uno vel altero tantum missas colligeret, sacrilegi huius mercimonii plene et perfecte crimen admittere, atque ab uno tantum missas colligendo, lucrum inde non modicum captare posse? Si ex. gr. quis ab Episcopo Dioec. Americanae, in qua maioris stipendii plurimae essent missae celebrandae, eas colligeret, easque in Italia minori stipendio celebrandas committeret, nonne lucrum captaret? nonne legem violaret?

Etenim verum esset, et eum missas colligere, earumque celebrationem committere in locis, ubi minoris stipendii esse solent, et exinde lucrum captare. Porro in hoc legis interdictum consistit.

2°. Verbum *colligentes* non refertur ad eos, a quibus missae petuntur, sed ad eos qui Missas colligunt. Ergo hi quomodocumque et a quibusvis colligant, praescriptum legis violant, et excommunicationem incurrunt.

3°. Si illam sententiam admittamus, lex fere inutilis redderetur.

Titius enim Missas habet a Caio, hic a Sempronio, hic ab Episcopo N. Titius igitur quamvis ingentem missarum numerum colligat, easque minori stipendio celebrandas committat, indeque magnum captet lucrum, nullam excommunicationem incurrit. At si hoc concedamus, nonne omnes eiusmodi ratione sese tueri possent; et tunc ad quid lex?

4. Legislator nullo modo explicite praescribit, eiusmodi missas a pluribus esse colligendas. Quo igitur iure excipimus?

Sed neque implicite mens legislatoris deprehendi potest. Etenim ab uno tantummodo non modicus Missarum numerus colligi potest. Atque de cetero Legislatoris mens est eiusmodi sacrilegum mercimonium cohibere, quod oriri potest sive ab uno, sive a pluribus missae accipiantur.

6°. Idque praesertim in eorum sententia qui Pium IX loqui tantummodo de Missis manualibus censent: hae autem ab Episcopis, Vicariis generalibus, aliisque Ecclesiarum et Diocesium praepositis magno numero haberi possunt, et habentur.

Hisce vero patere arbitramur, non admodum veram esse senten-

tiam illorum, qui putant excommunicationem non incurri, si missae ab uno vel ab altero tantum accipiantur.

Quid vero de altera sententia, quam Cretoni propugnare videtur?

Etiam hanc minus veram esse dicimus; primo quidem quia Legislator adhibet numerum pluralem, *missas*.

2°. Quia de una missa vix aut ne vix quidem Legislatorem locutum esse intelligere possumus. Etenim si singulari numero lex proponatur, habebimus, *colligens missam*, aut *colligentes missas* distributive, non collective, quatenus scilicet singuli colligentes excommunicationem incurrerent, quamvis unius stipendii excessum sibi retinerent; per id autem mentem reddi legislatoris vix credibile nobis videtur.

3°. Quia cum collectores sint singulares personae, eiusmodi dici non possent pro unius vel alterius missae collectione.

4°. Quia Legislator prohibet turpe mercimonium, et lucrum. At quod lucrum ex retento excessu unius eleemosynae?

5. Quia quantum ad substantiam seu legis obiectum, eadem est Lex Pii Papae IX ac illa Benedicti XIV; sed hic inductus ad prohibitionem ferendam fuit ex horribili mercimonio, quod nonnulli Ecclesiastici et laici speculatores pessimi, praesertim in Pedemontanis provinciis, circa missarum stipendia exercebant; qua de causa dici non potest excommunicationi subdidisse eum qui retineret unius vel alterius missae excessum. Ergo neque Pius Papa IX.

Hinc nimis stricta Cretoni sententia putanda est.

Attamen neque illorum sententia probanda videtur, qui ad excommunicationem incurrendam magnam missarum collectionem exigunt. Hanc sententiam defendit cl. Avanzini dum *l. c.* scribit « non agi de uno » paucisque numero stipendiis, *sed* » *de quadam copiosa collectione fu-* » *cienda usu mercaturae*, ut ea col- » ligens verum lucrum percipiat ».

Hanc autem sententiam nonnullis observationibus subiacere dicimus, quas nostrorum lectorum oculis subiicimus.

Et 1°. textus Pianae Legis, cui insistere debemus, est *colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes*. Ergo dummodo quis colligat eleemosynas maioris pretii, non certe unam, aut alteram, et ex iis lucrum captet, excommunicationem huius capitis incurrere dicendus est. At ad id non requiritur magna missarum collectio, sed talis quae lucrum verum et proprie dictum importet.

2°. Legislatores lucri quantitatem non determinarunt; ergo censendi sunt inclusisse lucrum quodcumque, dummodo, communi usu loquendi, verum lucrum censeatur.

At si quis colligat Missas triginta cum eleemosyna ex. gr. obulorum triginta vel quadraginta, multo magis quinquaginta, easque celebrandas committat cum eleemosyna

ibellae unius, hic certe lucrum captaret. Qua igitur ratione hunc ab excommunicatione excusabimus?

3°. Ratio inde petita quod Benedictus XIV missarum mercaturam prohibuerit, eamdemque prohibitionem Pius Papa IX renovaverit, solida non videtur. Illa enim turpissima mercatura utique dedit causam legi, seu Legislatores ad ferendam prohibitionem compulit, at lata lege non illam tantummodo mercaturam prohibuerunt, sed quodcumque proprie dictum lucrum ex retento stipendiorum excessu emergens. Benedictus XIV certe §. 5°. excommunicatione vel suspensione ferit *quemcumque qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro missis celebrandis. . . . . colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, sive stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur celebrari fecerit.* At iis ex verbis deduci non potest, ad latas poenas incurrendas requiri copiosam missarum collectionem, sed satis esse talem numerum, per quem finis a legislatore intentus pessumdetur, quique sub verbis legis cadat.

Id vero multo magis ex Piano Capite intelligimus, in quo nulla de Benedicti XIV lege facta mentione, Pius IX excommunicationi, subdit *colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes.* Quis autem exinde legitimo ratiocinio deducere poterit copiosam requiri collectionem? Num ne copiosum lucrum excommunicatione lata prohibetur? Num mediocre non est lucrum?

4°. Quid? quod in Avanzini sententiis dari casus posset ut lata lex undique violaretur, et nemo excommunicationem incurreret? Si ex. gr. in aliquo regno, multo magis provincia, plurimi essent missarum collectores, singuli copiosam sibi collectionem certe comparare non possent. Hi ergo excommunicatione immunes censendi essent, dum ecclesiastica lex sacrilege pessumdaretur?

Quamvis itaque determinari numerice non possit missarum numerus ad eiusmodi excommunicationem incurrendam necessarius, arbitramur tamen habendum esse uti excommunicatum illum qui talem missarum numerum colligat, et alibi celebrandas committat, ex quibus tale sibi lucrum procuret, quod lucrum proprie dictum censendum sit; tale autem esse etiam lucrum mediocre nullus rationabiliter negare poterit.

Ex disputatis patere arbitramur, praesenti excommunicatione illum feriri, qui missas colligat, sit id ex officio, vel quasi officio, sit privato studio et voluntate, ut eas alibi minori stipendio celebrandas committat, et exinde lucrum captet. Ergo, cum lex sit odiosa, et consequenter stricte interpretanda, si cui non petenti, neque quaerenti missae ab oblatoribus tradantur celebrandae vel a seipso, vel ut aliis eas celebrandas committat, isque mi-

nori stipendio eas celebrare faciat, excommunicationem non incurrit, quia non potest dici missas colligere ut exinde lucrum captet; excipiendus est tamen cui ex officio vel quasi officio missarum celebratio committeretur.

Etiam relate ad vocabulum *missas* quaestiones inter commentatores enatae sunt. Noster Avanzini, *loc. cit.* affirmat, agi de missis manualibus. « In hoc articulo sermo » est de eleemosynis missarum manualibus, ut deprehenditur ex » verbo *colligentes*, nec non ex Constitutione Benedicti XIV». *Quanta cura*, ex qua hic Articulus originem duxit.

Eumque sequuntur Commentator Reatinus, (1) cl. Ballerini (2). De Varceno (3). Cretoni (4), ut alios praetermittamus. Hi, ut patet, duplici argumento, ad sententiam suam statuendam, nituntur; argumento scilicet deducto ex verbo *colligentes* quod importare videtur missas tantummodo manuales; et argumento deducto ex Const. Benedicti XIV, in qua sermo esse tantummodo videtur de missis manualibus.

Ex eiusmodi vero sententia illud sequeretur, missas fundatas, sive simpliciter, sive beneficiis ecclesiasticis adnexas sub legis praescripto non cadere, ideoque excommunicationem eum non incurrere qui turpe mercimonium in iis committeret.

Verum huic sententiae opponuntur auctores Ephemeridum vulgo dictarum *Nouvelle Revue Théologique Tom. 9, pag. 479, n. VIII;* qui utique illatam conclusionem admittunt, si agatur de beneficio, cui missae *in globo* adnexae sint, absque determinata scilicet eleemosyna, secus autem si de beneficio agatur, cui adnexae sint missae cum determinata eleemosyna. Hoc enim in casu missae censendae sunt manuales; allegantque in probationem decreta s. C. Concilii diei 18 Iulii 1868, et 22 Augusti 1874 (5).

Cuinam sententiae adhaerendum sit inquirere non abs re pu-

(1) Hoc articulo compescitur mercimonium quoad missas manuales. *Collament. Edit. 3, pag. 81. num. 127.*

(2) Ut collectio fiat missarum quae *manuales* dici solent; id enim importare videtur vox *colligentes*. et satis eruitur ex Const. *quanta cura* Benedicti XIV *Gury Theol. Moral. Tom. II. pag. 990. nota a. Edit. 1878.*

(3) Materia huius articuli est eleemosyna Missarum mannalium, ut patet ex verbo *colligentes*; ideoque haec censura non extenditur ad eleemosynas non manuales. *Theol. mor. Tom.* 2: pag. 473.

(4) Exinde colligitur hunc articulum esse restringendum dumtaxat ad missa manuales uti etiam eruitur ex verbo *colligentes*. Theol. moral. T. 2. p. 614. nota 3

(5) Cette consequence est trop générale. Elle est admissible quand la fondation a pour ainsi dire le caractère d'une bénéfice, c'est a dire, quand le revenus sont affectes *in globo* à la décharge des messes, et quand l'honoraire de chaque messe n'est pas déterminé. Il en serait autrement, si la fondation fixai l'honoraire de chaque messe. Ces messes seraient alors de veritables messes ma

tamus. Responsioni autem praemittimus, Missas manuales easdem esse ac missas *adventitias*, illas scilicet, quae a fidelibus de die in diem offeruntur, quin pro eis aut fundus aut onus aliquod constituatur, et plerumque solvendo eleemosynam ex consuetudine vel taxa synodali constitutam eo ipso quo missae celebrandae committuntur. Id intelligimus nedum ex Benedicto XIV, qui in *Instit. 56, n. 10* inquit: « Missae adventitiae vocantur » pro quibus stipendium a fidelibus » traditur, ita tamen, ut nullus fun» dus, nullumque onus in futurum » tempus constituatur »; sed etiam ex responsione S. C. Concilii data die 25 Novembris an. 1698 Episcopo Interamnensi. Petierat hic: *Primo quanta esse debeat eleemosyna missarum manualium? secundo, quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus?* Sacra Congregatio respondit: *Ad primum et secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem eius arbitrio* (1).

Id vero presbyteris tum saecularibus tum regularibus observandum indicitur ab eadem s. Congregatione decreto diei 15 Ianuarii an. 1639:

Eleemosynam pro quilibet missa per Regulares celebrandam in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis.

At ex eiusmodi petitione et responsione intelligimus, 1°. missas manuales easdem esse ac missas adventitias, seu non fundatas; 2°. earum eleemosynas constitui aut per consuetudinem, aut per legem synodalem; 3°. tum adventitiarum, tum fundatarum eleemosynam competentem taxari posse per Episcopum; 4°. Episcopi decreto obligari tum saeculares presbyteros tum regulares; 5°. intelligimus etiam, quod cum missae manuales eaedem sint ac adventitiae, earum differentia substantialis non est in eo reponenda quod aliquando sint eleemosynae maioris quam taxa dioecesana, vel consuetudo constituunt, sed in eo quod non sint fundatae; ex quo sequitur, missas hasce maioris eleemosynae *esse adventitias, et manuales*. Ita ex. gr. si in funere cuiusdam nobilis et divitis viri celebrandae ab haeredibus indicantur in die obitus missae cum eleemosyna etiam decuplo maiori quam taxa Dioecesana

nuelles, quoique fondées. La S. Congregation du Concile l'a décidé a maintes reprises, et specialement le 18 Juillet 1868, et le 22 Août 1874. On n'a donc aucun motif valable de leur refuser l'application de la loi. La S. Congregation, interprète légitime et autorisée des Constitutions Pontificales, les ayant appliquées a cette espece de messes, de quel droit irions nous, contrairement aux decisions de la S. Congregation, soustraire ces messes à l'empire de la loi?

(1) Apud Benedictum XIV Inst. 56, §. X.

exigat, hae missae sunt et censeri debent *manuales*, quia sunt *adventitiae*, nulli adhaerentes beneficio, quibusque una celebratione fit satis (1).

Exinde vero deducitur, quaestionem non esse, an eiusmodi missae maioris eleemosynae censeri debeant nec ne manuales ; id enim ultro ab utriusque sententiae defensoribus concedendum est ; sed an censeri debeant manuales missae fundatae sive simpliciter, sive beneficio alicui adhaerentes veluti beneficii ipsius onus, et sive taxam Dioecesanam excedant, sive non, dummodo earum eleemosyna sit taxata.

Ita vero quaestionis proposito statu, sententiam nostram statuimus, qua defendimus, missas omnes manuales, tum etiam simpliciter fundatas, quae scilicet neque beneficii rationem habent, neque alicui beneficio adhaerent, sub Piano Capite comprehendi; missas vero quae vel beneficii rationem induunt, vel beneficio adhaerent uti ipsius beneficii onus, sub Piana lege non comprehendi.

Et 1° negari non potest, in communi usu loquendi, illas missas colligi, quae manuales sunt. Hae enim sunt frequentiores, et aliquando diversae eleemosynae iuxta vel taxam synodalem, vel pietatem maiorem fidelium, atque cum nullum onus adnexum habeant, si ipsam celebrationem excipias, possunt plerumque ubique celebrari; atque hinc ubique colligi. Legislatores autem solitos esse verba usurpare in usitatiori eorum significatione, ne difficultatem in lege proponenda subditis inferant, et detrimentum claritati, qua lex proponenda semper est. Leges enim ab omnibus intelligi debent. *L. 9. Cod. de Leg.* Nescimus autem quonam argumento probari possit, Pium Papam IX ab usitatiori vocabuli acceptione recessisse, missasque omnes voluisse comprehendere.

2°. Id vero eo vel magis inverisimile putamus, ex quo missae beneficiis adhaerentes rariores sunt, et plerumque ad determinatum altare vel Ecclesiam obbligatae, atque Sacerdotibus attributae, qui iis satisfacere debeant iuxta taxam Dioecesanam, ni maiori eleemosyna. Commercium igitur circa huiusmodi missas difficilius committi posset, infrequens necessario esset, nec frequens lucrum proinde ex iis capi posset; at leges adaptantur ad ea quae frequenter accidunt. *L. Nam*

(1) Idipsum patet ex Const. *Nuper* Innocentii XII, in qua §. 7: « Eleemosynas manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere » possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant ; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam » sponte oblatis, in futurum recipiendis ; et capsulas auferant ab Ecclesiis cum » inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem poenis » ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. »

de leg. Certe turpissimum commercium, de quo questi sunt Romani Pontifices, circa missas manuales committebatur; atque ex eo ad leges ferendas compulsi sunt. Verisimilius igitur est, de manualibus missis Pium Papam IX locutum fuisse.

3°. Pariter ex iis quae diximus, probabilius, ne certum dicamus, videtur, Benedictum XIV locutum fuisse de missis manualibus; nemo autem negat, Pium Papam IX ex illius lege caput suum esse mutuatum; et hic ergo de missis manualibus locutus censendus est, praesertim cum ipsis Benedicti verbis utatur. Certe non constat, relate ad Missas, Pium IX Benedicti legem extendisse. Certum insuper est, in antiquo iure Benedicti XIV legem non fuisse intellectam de missis beneficiis ecclesiasticis adnexas, vel quae rationem beneficii haberent. Id ex S. Alphonso discimus *lib. VI. n. 321.* scribente: « Decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de Missis manualibus ».

4°. Quidquid sit, Commentatores in lege interpretanda discrepant, et plures sunt, iique fortasse praecipui, qui missas quae beneficiis adhaerent ab lege excludunt, quam qui comprehendunt. Lex igitur dubia dicenda est: At in dubio minimum est sequendum.

5°. Nullum sequitur absurdum, ut patet, si missae eiusmodi ab lege excludamus; neque finis legis inutilis redditur, cum in iis missis raro interdictum mercimonium committi possit; atque de cetero legislator non omnes fines possibiles sibi praestituit, sed quos intendit, atque sub verbis legis comprehendit. Nemo autem adhuc probavit, Pium IX voluisse sub lege missas beneficiis adhaerentes comprehendere.

Dicturi ne erunt contrariae sententiae defensores, tum Benedictum XIV tum Pium Papam IX de missis locutos esse; hoc autem vocabulum missas quaslibet complecti?

At si ita res est, quare missas excludunt fundatas et beneficiis adnexas, quarum eleemosyna est indeterminata? Etenim et hae sunt missae. Responsuri ne erunt, eiusmodi missarum a lege exclusionem deprehendi ex aliis adiunctis? Optime et vere.

Non igitur, ex unico missae vocabulo res definienda est, sed etiam ex adiunctis, ex antecedentibus, etc. Quaerimus igitur ab ipsis, quibus ex adiunctis decernere possint, a Pio IX sub lege comprehensas fuisse etiam missas beneficiis adnexas? Ad affirmantem enim spectat probatio. Non certe ex verbis legislatoris quae, ut parum dicamus, adeo dubia sunt, ut plures praestantissimisque Commentatores contrariam sententiam teneant; non ex mente, de qua aliunde non constat; non ex antecedentibus vel consequentibus, ex quibus potius appareret, eum locutum fuisse de missis

manualibus, ut iam fati sumus ; non ex fine, cum finis legi latae praestitutus optime subsistat, quamvis missae eiusmodi ex lege excludantur. Nullo igitur argumento probare valent, missas beneficiis adnexas sub lege comprehendi.

Ex iis itaque sat patere arbitramur, missas quae beneficii rationem induunt, sub Piano Capite non comprehendi.

E contra comprehendi dicimus missas quaslibet fundatas, quae beneficii rationem non habent, quibusque per unicam celebrationem fit satis, cum alio quocumque onere careant.

Id 1°. constare dicimus ex causa quae per *Summaria precum* definita fuit a s. Congregatione Concilii die 18 Iulii 1868, quaeque ita se habet (1). Anno 1867 Archiepiscopus N. expostulavit a s. Congregatione solutionem dubii sequentis.

« In Archidioecesi N. permultae existunt fundationes missarum, pro quibus certa stipendia ordinario maiora constituta sunt. Hae missae beneficio non inhaerent, sed tum ab Ordinario, tum a Fundatoribus, vel Provisoribus ecclesiarum, certis Sacerdotibus persolvendae assignantur. Haud raro evenit, ut ii quibus hae missae modo praedicto assignatae sunt, impediantur, quominus ipsi easdem persolvant, tum propter exequias habendas, tum propter stipendia manualia, quae a fidelibus oblata, attentis circumstantiis peculiaribus, reiici non possunt, vel alias ob causas legitime excusantes.

» Quaeritur : utrum sacerdotes supranominati, si legitime impediti fuerint, quominus missas modo supra exposito sibi assignatas ipsi celebrent, celebrationem harum missarum alteri sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium fundatione constitutum pro celebratione missarum solvendum sit; an potius sufficiat ordinarium, ita ut quae supersunt, a sacerdotibus, quibus hae missae assignatae sunt, tuta conscientia retineri possint.

» Atque si in priorem partem quaestio sit affirmanda, supplicare audeo, ut mihi gratiose concedatur facultas singulis sacerdotibus licentiam, quae in quaestionis altera parte continetur, impertiendi, si eadem indigere videantur ».

Atqui ad haec quaesita s. Congregatio respondit. *Iuxta exposita, solvendum esse integrum stipendium; quoad expetitas facultates non expedire.*

At certum est ex Canonistae vel Theologi voto, S. Concilii Congregationem ad eiusmodi devenisse sententiam , ex quo observatum fuit « fundationes illas reputari debere veluti missarum manualium

(1) Habetur apud Acta S. Sedis Tom. IV. pag. 39.

» cumulum, cum quivis titulus in » illis deficeret a celebratione di- » stinctus, cuius intuitu eleemosy- » narum dominium posset acquiri; » et in hoc repositam esse *manua- » litatis* rationem, cum unice elee- » mosyna tradatur titulo celebra- » tionis ». (1)

Missae igitur quamvis fundatae, dummodo beneficii rationem non habeant sub lata lege comprehendendae sunt; etenim sunt missae manuales, et omnes utriusque sententiae defensores concedunt, missas manuales sub lege comprehendi.

Idipsum vero melius fortasse ex decreto demonstratur quod ab eadem s. Congregatione prodiit die 22 Augusti an. 1874.

Idem Archiepiscopus, iis repetitis quae exposuerat, et recensita s. Congregationis responsione, prout hanc nos superius retulimus, sequentia dubia exposuit.

« Nonnullae aliae in hac mate- » ria exortae sunt difficultates, qui- » bus ut opportuna adhibeatur me- » dela humillime supplico.

» 1°. Multae enim in ecclesiis » parochialibus fundatae sunt mis- » sae cantandae sive pro vivis, sive » pro defunctis, quibus a fundato- » ribus assignata est dos pinguior, » ab Ecclesiae provisoribus admi- » nistranda, ex qua parochi, quibus » ex iure dioecesano et consuetu- » dine harum missarum celebratio » competit, eleemosynam dioecesa- » na maiorem percipiunt, nullo ta- » men Sacerdote a fundatoribus ad » has missas celebrandas expresse » vocato.

» 2°. In celebrandis matrimo- » niis exequiisque defunctorum iura » stolae Parocho non in cumulo sol- » vuntur, sed certa portio assignata » est pro singulis actibus ad has » functiones rite persolvendas re- » quisitis. Hinc certa quoque elee- » mosyna eaque pinguior quam pro » ceteris missis manualibus ab Or- » dinario fixa est tam pro missis » nuptialibus, quam pro missis exe- » quialibus, quarum celebratio de » iure et consuetudine ad Parochum » spectat.

» 3°. Plurimae per annum Paro- » chis a fidelibus offeruntur elee- » mosynae pro missis cantandis sive » secundum taxam ab Ordinario con- » stitutam, sive etiam sponte tra- » duntur pinguiores.

» Cum autem Parochi nonnun- » quam morbo, absentia, aliisque » sacris functionibus impediantur, » quominus missas in tribus enun- » ciatis casibus ipsimet celebrent, » eorum vices supplent alii sacer- » dotes, sive iisdem Ecclesiis in » eorum adiutorium adscripti, quo- » rum salarium ab Ecclesiae provi- » soribus solvitur, sive etiam extra- » nei.

» Hinc quaestio oritur, an Paro- » chi in eisdem tribus casibus sa- » cerdotibus eorum vices supplen-

(1) Acta S. Sedis Tom. IV, pag. 40.

» tibus tradere debeant integram » eleemosynam; an potius eis fas » sit, retenta sibi parte, minorem » eleemosynam dare celebranti?

» Quod si in his casibus pars » eleemosynae a parochis licite re- » tineri possit, quaeritur ulterius, » an ab eisdem celebranti sacer- » doti solvenda sit eleemosyna dioe- » cesana pro missis lectis, an po- » tius pro cantatis ab Ordinario con- » stituta?

S. Congr. die 28 Martii 1874 ad proposita quaesita respondit: *Dilata.*

At causa iterum discussa, sub die 22 Augusti 1874 eadem S. Congregatio ita dubia diremit.

Ad 1^m^. *Integram eleemosynam a Parocho esse solvendam pro missis sive lectis, sive cantatis.*

Ad 2^m^. *Cum agatur de iuribus stolae, satis esse si Parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam.*

Ad 3^m^. *Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius Parochi* (1).

Atqui horum decretorum ratio unica est, integram scilicet eleemosynam esse solvendam, ex quo eiusmodi missae sint omnes manuales; aliquibus autem accedere quid extrinsecum, scilicet, vel Paroeciale jus, vel personae intuitus, atque exinde excessum posse retineri. At, ut ex Archiepiscopi precibus constat, missae de quibus in 1. dubio sunt fundatae; ergo missae fundatae non habentes beneficii rationem censendae sunt manuales, ideoque sub Piano capite comprehendi.

Neque hisce opponi ea putamus, quae Archiepiscopo Monacensi eadem sacra Congregatio respondit sub eadem die et anno, scilicet a Parochis Regni Bavariae retineri posse missarum excessum; nam ea ratio accedebat quod illae eleemosynae tenebant ex parte locum congruae parochialis; hinc habebatur in eis titulus omnino extrinsecus, quo sine, integra eleemosyna et ab iis Parochis fuisset solvenda. « *Attento,* inquiunt Patres S. C. Concilii, *quod eleemosynae missarum, de quibus in precibus, pro parte locum teneant congruae parochialis, licitum esse Parocho, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro missis lectis, sive cantatis.* Manifestum igitur est, missas omnes sive manuales, sive fundatas, quae beneficii rationem non habent, sub Piano capite comprehendi; et tantummodo esse excipiendas missas beneficiis adnexas.

Verum contra primam conclusionem haec urgeri difficultas posset: Missae illae cum sint fundatae, debent in praescripta Ecclesia celebrari; cum autem propugnaverimus, per Pianam legem locum eumdem non comprehendi, deduci posse

(1) Acta S. Sedis Tom. VIII. pag. 84.

videtur, aut id falsum esse, aut etiam missas fundatas a Piano capite ita excludi, ut earum excessus sine excommunicatione retineri possit.

Non ita tamen solida est haec difficultas, ut primo intuitu videtur.

Etenim 1°. quamvis missae eiusmodi fundatae in praescripta Ecclesia fuerint, tamen non apparet, eas ita esse ibi celebrandas, ut in alia Ecclesia celebrari non possint. Constat insuper, multas reperiri missarum fundationes sine ulla obbligatione eas in determinata Ecclesia celebrandi.

2°. Concessso quod in praescripta Ecclesia celebrandae sint, rationabili de causa, et praeviis sive Episcopi, sive Administratorum, sive Sanctae Sedis facultatibus, alio celebrari possunt.

3°. Non modum quaerimus, sed factum; data scilicet hypothesi quod hae missae alio in loco celebrentur, in quo minoris pretii missae esse solent.

4°. Difficultas insuper aliqua non destruit solidissima argumenta: sed unum demonstrat, Legislatorem scilicet non omnes difficultates, casus, et circumstantias praevidisse; quod frequentissime, ne dicam semper, contingit.

5°. Demum ex praemissis conclusio in difficultate posita non sequitur. Quodnam enim est eiusmodi argumentum: Si Pius Papa IX sub lege missas fundatas non inclusit; ergo aut missarum fundatarum excessus sine excommunicatione retineri potest; aut idem locus includendus, cum alio celebrari nequeant?

Conclusio enim legitima esset: Ergo si missae fundatae quamvis manuales in eodem loco celebrentur, impune earum excessus retineri potest; non autem si alio celebrentur, contingat demum id quacumque de causa.

Post haec cum ab Piana lege excludendae sint tantummodo missae beneficiis adnexae, aut quarum eleemosynae excessus alio prorsus respectu tributus est, quam exigat missae stipendium, haec liquido sequuntur.

1°. Si pinguior eleemosyna data sit personae intuitu, quod scilicet fuerit praestantioris pietatis, dignitatis, consanguinea etc. potest excessus retineri, et alteri missa celebranda committi collato manuali stipendio; id nedum ea ratione patet, quod tribuens pinguiorem eleemosynam, si alteri illam commisisset celebrandam, tradidisset manuale stipendium, cum ad pinguius tradendum nullo respectu adductus fuisset, sed etiam Doctorum sententia, quos citat s. Alphonsus *lib. VI. Tract. III de Eucharistia n. 321*; quamque his verbis amplectitur: « Ab hac ta» men prohibitione excipiunt 1°. ca» sum, quo aliquis daret maiorem » illam stipem non tam intuitu mis» sae, quam amicitiae, paupertatis, » gratitudinis, propinquitatis etc; » potest enim tunc Sacerdos excess-

» sum retinere, committendo alteri » celebrationem. »

Prosequitur autem s. Doctor : « Hoc vero non admittit Croix, nisi » dans eleemosynam hunc suum spe- » cialem affectum verbis expresse- » rit; sed haec limitatio superflua » videtur, si ex circumstantiis mo- » raliter constet, eleemosynam prae- » stitam fuisse intuitu personae. »

Et quidem recte : eiusmodi enim specialis affectus expressio aliquando dedeceret donatorem, aliquando donatarium pudore suffundere posset, ita ut nullo pacto sit exigenda. Hinc si qui ab Sacerdote favorem aliquem obtinuit, quem quidem compensare vellet, at sacerdos amicitiae causa compensationem quamlibet respuat; ille vero pinguem pro missa tribuat eleemosynam; vel si qui a sacerdote dono aliquid accepit, et ne videatur inferioris humanitatis, cum non possit vel nolit aliquid aliud dono porrigere, porrigat pingue missae stipendium; vel si qui cum solitus sit missas celebrandas committere iuxta Dioecesanam taxam, alicui sacerdoti consanguineo, pauperi etc. pinguiorem tribuat aut aliqua alia specialis ratio subsit, qua moraliter coniici possit pinguius illud stipendium personae intuitu datum fuisse, potest sacerdos alteri celebrationem committere iuxta eleemosynam manualem, retento sibi excessu.

Neque huic sententiae obstat responsio quam Emi S. Congregat. Concilii Patres dederunt ad quaesitum propositum in Declaratione *Nuper* iam cit. quamque supra retulimus. Etenim ibi responsio est absoluta ad quaesitum absolutum, quod scilicet nullum habet ad qualitates personales celebrantis respectum.

Pariter excipitur sacerdos qui alteri missas celebrandas committat, quas ipse beneficii titulo celebrare tenetur, nedum ea de causa quia eiusmodi missae sub lege non comprehenduntur, sed etiam ex explicita declaratione S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII edita, qua ad art. VIII « An hoc decretum ha- » beat locum in beneficiis, quae » conferuntur in titulum: id est, an » rector beneficii, qui potest per » alium celebrare, teneatur sacer- » doti celebranti dare stipendium ad » rationem reddituum beneficii ? »

Ita respondit: *Non habere locum; sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.*

Cum enim 1°. praeter missarum celebrationem etiam alia onera sint beneficio adnexa, eaque pretio aestimabilia, dici non possunt universi beneficii redditus pro missarum celebratione assignati, 2°. Missarum eleemosynae non sunt taxatae; potest hinc dici missarum eleemosyna arbitrio Rectoris beneficii commissa, qui certe nulli iniuriam infert si eas celebrandas tradat iuxta elee-

mosynam manualem; porro ubi nulla iniuria est vel iniustitia, ibi nullum peccatum; at sine peccato excommunicatio non datur.

Attamen in cit. Declaratione dicitur: *Nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit:* si scilicet fundator determinatum missarum numerum cum determinata eleemosyna constabiliverit ex. gr. centum missas cum eleemosyna viginti quinque obulorum.

Et rationabiliter. Hoc enim in casu contra iustitiam esset eleemosynam fraudare, tum quia fundatoris voluntas servanda est, si praesertim constet, non ex unica missarum eleemosyna beneficii redditus constitui; tum quia beneficiarius conditionem illam in possessione beneficii acceptavit, ideoque servare debet. Putaremus tamen hunc quidem peccare, si secus agat, et ad restitutionem teneri; excommunicationem tamen non incurrere, eo quod in Urbani VIII sanctione, cui haec declaratio subsequitur, nulla infligitur censura, et, ut probavimus, in Piana Constitutione non comprehenduntur missae beneficiis adnexae.

Excipiendum insuper censemus illum, cui a celebrante eleemosynae excessus sponte et liberaliter condonatur; nedum quia quisque iuri suo vel ex parte, vel ex toto cedere potest; sed etiam quia hoc in casu non reperitur mala illa voluntas, ex qua mercimonium huiusmodi profluit; proprie enim non captatur lucrum ex missis, sed ex voluntate et beneplacito donatoris. De cetero haec est communis Doctorum sententia, quam his verbis tradit s. Alphonsus *Lib. VI. Tract. III. de Eucharistia n. 321.* « Excipiunt casum, quo sacerdos, cui » committitur celebratio, liberaliter » et omnino sponte tibi condonet » excessum illum; tunc enim licite » posses retinere; sicut enim ille « potest totum remittere, sic et » partem. »

Attamen hac in re observandum est, excessum esse donandum prorsus liberaliter, independenter scilicet a quacumque donatarii petitione et nutu; ex. gr. Titius committit Caio missam celebrandam, eique dat integram eleemosynam, cuius, numerata pecunia, animadvertit excessum, et Titio illum prorsus liberaliter reddit. In aliis autem casibus observanda sunt quae addit s. Doctor: « Veruntamen hoc minime admittendum, » si tu indices maius pretium acceptum, et sacerdotem roges ut » remittat; vel ab eo quaeras an consentiat ut tu partem retineas; tum » enim nequis eam retinere, etiamsi » ille annuat; nam hoc in praefata » Bulla Benedicti XIV asseritur tamquam execrabilis abusus vetitus » a pluribus Pontificibus, qui decretum voluerunt, nimirum *a quolibet Sacerdote, stipendio maioris pretii pro celebratione missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti et consentienti*

» (nota) *se maioris pretii eleemosy-* » *nam accepisse indicasset.* »

Et quidem vere: Etenim nonne in casu alteri celebrationem committens hinc lucrum missarum eleemosynis captat, illinc maxima suspicio, ne dicam certitudo, exurgit, a celebrante sponte et liberaliter excessum non remitti? Solent enim ii quibus missae celebrandae committuntur plerumque eleemosynis carere, ideoque etiam excessus remittunt quamvis aegre, timentes, ne si negent, de cetero sibi non tribuantur eleemosynae; qui vero petunt excessum, ideo petunt, quia sciunt fore ut ille non negetur huiusmodi timoris causa. Consequenter hinc adest malitia in petendo, illinc deest in concedendo voluntas, saltem plena. Cum insuper ex citatis Benedicti XIV verbis constet, eiusmodi excessus retentionem vetitam esse in casu, constat etiam, petentem non admodum de legis observantia curare, ideoque contra legem agere, sub eaque comprehendi.

Neque illum excusandum putamus, qui cum pauper sit, eleemosynae titulo excessum quaerat et obtineat; quamvis enim propriae inopiae subvenire non sit illicitum; illicitum est ei mediis consulere ab Ecclesia reprobatis. Posset hic celebranti totam eleemosynam tradere, et post traditionem, eius charitati propriam commendare egestatem et tuto accipere quod celebrans porrigat, sive sit eleemosynae excessus, sive quid maius, sive quid minus.

At excessum petere eleemosynae titulo antequam stipendia tradantur, non petitio, sed coactio videtur; non enim causae honestiori petitio illa tribui potest, cum celebrationem committens illicite antea petat quod omnino licite eadem de causa postea peteret.

Corruunt hinc argumenta quae ad contrariam sententiam statuendam ab aliquibus afferuntur scilicet, pauperem eiusmodi committentem missae celebrationem, inferioris conditionis effectum non esse prae caeteris indigentibus, ex eo quod missarum stipendia colligat; neque insuper suspicari posse, Ecclesiae legem charitati et misericordiae operibus contrariam esse; corruunt, inquam, eiusmodi ratiocinia; si enim inferioris conditionis non est prae ceteris pauperibus, licite subsidia quaerat ut ceteri pauperes, atque opera misericordiae et charitatis poscat ad Ecclesiae praescriptum.

Hoc autem multo magis eos urget, qui pauperem eiusmodi excusant, etiamsi sine ulla petitione excessum sibi retineat. Etenim num ne ex quo quis sit pauper potest impune furari? Nonne ab ipso Benedicto XIV omnes qui ita agant indiscriminatim furti arguuntur? Nonne omnes Doctores hos ad restitutionem obligant? Nonne de cetero legem vere et proprie transgrediuntur, lucrum modo indebito et proscripto captantes? Qua igitur ratione eos ab excommunicatione eximemus? Quia ne, ut Reatinus in-

quit, non ut mercatores, sed ut fures agant? Ergo 1°. cum fures ii sint qui clanculario, nesciente et non vidente Domino, aliquid surripiunt, si allata ratio staret, sequeretur, omnes qui excessus quantumvis copiosos sibi retinerent, celebrantibus nescientibus, excommunicationem non incurrere: Commoda quidem ratio ad latam poenam evadendam! at non videmus quomodo cum Legislatoris mente et sententia conciliari possit. 2.° Impossibile est, ut in casu quis sit fur quin sit etiam mercator, et ut quis sit mercator quin sit etiam fur; ideo enim quis furtum committit, quia mercimonium Missarum agit; et ideo quis mercimonium missarum agit ut lucrum ex excessibus retentis captet; unum igitur non potest ab alio separari. Poterit dari tantummodo materiae parvitas quae excommunicationem non inferat. 3.° Mercaturae eiusmodi prout ab adversariis proponitur, neque sensum, neque extensionem intelligimus.

Quid enim per eam intelligere volunt? ut ne quis missarum commercium proprie dictum exercere debeat, ita ut, scilicet, cuncti noverint eum negotiationem eiusmodi gerere? At ex quo legis capite hoc probatur, cum lex circumstantiam eiusmodi neque implicite indigitet? atque de cetero ex ipsis adversariis certum sit lucrum, ut ita dicamus, quodcumque, satis esse ad excommunicationem hanc inducendam, quod mercaturam ipsam excludit? Ipsi enim affirmant, excommunicationem hanc incurri cum quantitas ex missarum excessibus detracta pertingit ad materiam gravem furti: quae cum relativa sit, potest etiam ex libella una constitui; ad quod certe non requiritur mercatura. 4.° Si missarum mercaturam sensu adeo lato sumamus, lex posset undequaque sine ulla excommunicatione violari. Etenim illa ex repetitis actibus constat, et ab exercitio seu professione nomen suum mutuatur; et cum in lege odiosa versemur, verba stricto sensu interpretari cogimur; cum itaque mercator non sit ille intelligendus, neque proprie dici possit qui semel tantummodo commercium missarum iniret, sequeretur Titium qui semel lucrum quodcumque etiam ex mille missarum excessu captaret, non esse mercatorem, consequenter excommunicationem non incurrere. At quo vel levi argumento id defendemus? Legem enim undequaque transgreditur, cum lucrum non mediocre captet ex vetita eleemosinarum retentione, aliaeque adsint conditiones ad excommunicationem incurrendam necessariae; aut ergo hic sub lege et poena comprehenditur; aut sin minus neque legislatoris mentem, et prohibitionis huiusmodi vim, obiectum, finem, extensionem intelligimus.

Atque hinc iterum observamus, mercimonium illud turpissimum, de quo tantopere Legislatores Pontifices questi sunt, utique dedisse

causam seu motivum legi ferendae; at exinde falso concluderemus, eos mercaturam proprie dictam missarum, in sensu supra exposito, prohibuisse; prohibuerunt enim actus et facta singula, ex quorum repetitione mercatura illa exurgebat. Si ex. gr. in aliquo regno plura homicidia et latrocinia ab aliquibus, admittantur, et haec crimina princeps, gravissima indicta poena prohibeat, num ne qui unum aut latrocinium aut homicidium committeret, poena solvendus esset, eo quod de multis princeps homicidiis et latrociniis doluit? Profecto qui ita ratiocinium duceret, latam legem destrueret. Hodie enim hic latrocinium, cras ille homicidium, postridie alius hoc vel illud patraret, et nemo sancita poena plecti posset, eo quod princeps doluit de plurimis criminibus a quibusdam commissis, et non de uno vel alio ab hoc vel illo semel patrato.

At simile ratiocinium ducentes; Benedictus XIV, cuius legem Pius Papa IX instauravit, quamvis acrem querimoniam duxerit de amplissimo et turpissimo Missarum commercio, quod ante latam a se legem committebatur, exinde tamen concludere non licet, eum prohibuisse ejusmodi noxam tantummodo ea proportione, qua antea committebatur, sed actus singulos prohibuisse, ut penitus exterminaretur.

Id 1.° demonstratur ex verbis legis tum Benedicti XIV, tum Pii IX, ex quibus intelligimus, actus singulos, dummodo assequantur verborum substantiam et sensum sub lege comprehendi. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis,* inquit Pius Papa IX, *et ex iis lucrum captantes,* etc. At qui semel eleemosynas maioris pretii colligat, iuxta legislatoris mentem, ex iisque lucrum captet proprie dictum, faciendo eas celebrare in locis etc, nonne apertissime legem violat? ergo una transgressio sub lege cadit et excommunicationem inducit. Atque idipsum lectores inferant ex lege Benedicti XIV.

2.° Ex huius, ad Episcopos Pedemontanos praesertim, directis precibus, quibus eos monet, ut ad extirpandum vitium nefandissimum talem operam navent, ut de contagione mercaturae huiusmodi penitus extincta cum eis posset gratulari; at nullum vitium penitus extinguitur, nisi actus singuli extinguantur.

Hinc concludimus quod citata ratio, *quippe magis fur est quam mercator*, eo sensu intellecta, ut ad latam excommunicationem incurrendam necessaria sit actionum vetitarum repetitio, unaque actio debitis vestita conditionibus non sufficiat, defendi neque potest, neque debet; eo autem sensu intellecta, ut ad latas poenas incurrendas una quidem actio satis sit, attamen quae mercaturae rationem induat; captet quidem quis lucrum ex interdicta eleemosynarum pro missis collata-

rum excessus retentione, defendi quidem potest et debet; at hic in sensu adversariorum neque mercator, neque mercaturam exercere dici posset, cum unus actus satis non sit ad constituendam mercaturam; ideoque iuxta adversarios, sub lege non caderet, quamvis actionem lege vetitam poneret.

Quod autem nullo modo defendi posse putamus ea sententia continetur, quam doctissimus Reatinus Commentator hoc in capite ponit; scilicet *nec eam* (excommunicationem) *incurrit, qui partem stipendii . . . vel alias in suum commodum intervertit.*

Huius sententiae sensum fortasse non assequimur, sed prout iacet, quo vel probabili argumento defendi potest? Etenim lucrum quodcumque nonne in proprium commodum intervertitur? Certe ideo lucra captantur, ut iis quis frui possit. Si is igitur qui ex missis lucra percepta in proprium intervertat commodum excommunicationem non incurrit, nemo profecto ob eiusmodi facinus excommunicatus erit. Titius ex. gr. ex vetito mercimonio lucrum captat, et vineam exinde emit; Caius ex iisdem lucris domum extruit; Sempronius itinera per varias mundi urbes instituit, alius aliud facit: Hi certe lucra ex Missis percepta in proprium commodum interverterunt. Attamen si stat sententia doctissimi Commentatoris Reatini excommunicationem non incurrunt.

At si ab excommunicatione hos eximamus, quos ei subiiciemus?

Etenim et ceteri eiusmodi lucra intervertent in proprios usus, consequenter in proprium commodum. Nemo hinc excommunicationem incurret.

Hinc, ut nobis saltem videtur, sententia ab doctissimo Reatino proposita universam legem destruit; quicumque enim in proprium commodum lucra ex eleemosynis missarum percepta intervertat, excommunicationem evadit: hi autem sunt omnes, vel esse possunt omnes; conditionem illam intervertendi in proprium commodum lucra percepta nemo rationabiliter respuere poterit; poterunt ergo omnes legem impune violare. Pro quibus igitur lata ea est?

Idque nescimus quonam argumento negari poterit: Ii enim qui ante latam a Benedicto XIV Constitutionem lucra eiusmodi percipiebant, nonne illa in proprium commodum intervertebant? At pro iis lata lex non fuit; excommunicationem enim non incurrunt. Lata ergo fuit pro iis qui lucra interdicta vel in proprium commodum non intervertebant; quod est certe falsum; mercatores enim praesertim huius generis lucra in proprium commodum intervertunt; vel intervertebant in commodum alienum. Hi autem qui tanta charitate ducebantur cum spretu legum ecclesiasticarum quot erant? Et deinceps in omnibus immunes ab excommunicatione erant, et sunt?

Putamus igitur, aut nos Reatini sententiam non esse assecutos, aut sin minus, eam falsam esse et omnino reiiciendam — Lectores iudicent.

Ad haec: Gabriel de Varceno *Compendium Theologiae Moralis Tom. II. pag. 474, n. 3.* postquam scripserit: « Item si sacerdotes Missas illas celebrantes concedant » sponte ac libere huic collectori » titulo purae eleemosynae partem » dicti stipendii; quia in hoc Ecclesia non vetat opera charitatis » et misericordiae erga collectorem » indigentem. » Postquam, inquam, haec scripserit, subdit: « Verum si » recensiti sacerdotes hoc faciant » ex conventione cum collectore » (excipe propter laborem, ut diximus) vel eum alliciendi causa » ut ad ipsos mittat haec stipendia, » collector excommunicatione punitur; quia Ecclesia poenam excommunicationis intulit non tantum favore celebrantium, sed » principaliter ad compescendum » hoc mercimonium. »

Circa eiusmodi sententiam praestantissimi auctores Ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique Tom. IX. pag. 487. n. 20* ita loquuntur. « Sententiae eo tantummodo in casu » subscribimus quo, circumstantiis » rite perpensis, donator ad excessum dimittendum compelleretur, » vel si donatarius praevidit donatorem excessum dimittere, timore actum ne in posterum Missarum eleemosynae sint ei denegandae. Si vero haec absint, quo iure donatario sancitam poenam ex » communicationis infligemus? Quae » in eo culpa reperitur? At ubi culpa » non est neque excommunicatio » esse potest. »

At nescimus utrum eiusmodi ratiocinio sententia a De Varceno propugnata corruat.

Etenim 1°. Benedictus XIV in Const. cit. §. 3 scribit: « a quolibet » sacerdote stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti » missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem » sacerdoti Missam celebranti et » *consentienti,* se maioris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset. »

Consensus igitur sacerdotis celebrantis est a Legislatore praevisus, et non excusat donatarium ab retinendo eleemosynae excessu. Quo igitur pacto ab lege eximetur Donatarius, de quo De Varceno loquitur?

Dicturi ne erunt, in allegata Benedicti sanctione sermonem non esse de sacerdote celebrante sponte prorsus et libere excessum dimittente? Sed quo id probatur argumento? Quandoquidem committens missae celebrationem indicat se maiorem eleemosynam accepisse, celebrans consentit ut retineat excessum; nullam profecto hoc in facto coactionem percipimus, aut quid

aliud; non enim celebrationem missae committens dicit celebranti: aut excessum mihi condona, aut sin minus eleemosynam non tribuam; sed innuit tantummodo, se maiorem eleemosynam accepisse; celebrans autem consentit in excessus condonationem. Neque quis subsumat, celebrantem intentionem donatarii percipere posse, cum hic maiorem eleemosynam se accepisse indicet, attamen integram non offerat. E contra in conventione, de qua De Varceno loquitur, liberam excessus dimissionem supponi.

Etenim id falsum apparet. Quandoquidem 1°. donatarius ne dum integram non tribuit eleemosynam, sed cum donatoribus conventionem explicitam init ut eleemosynam condonent. Conventiones autem non supponunt sed excludunt liberalitatem; habent enim rationem contractus. 2°. Si sententiam a De Varceno propugnatam abiiciamus, legi transgrediendae amplissimam viam aperimus. Titius ex. gr. missas colligit in America, quarum eleemosyna sit trium, quatuor vel quinque francorum. Eas vero celebrandas committit Italiae praesbyteris cum eleemosyna duorum francorum. Quis e celebrantibus Titio negaturus erit, et non potius libentissime excessum condonaturus? In Italia enim eleemosynae duorum francorum non sunt admodum frequentes, et excedunt taxam synodalem.

Cum igitur hi libentissime prorsus et liberalissime Titio condonent excessum, hic poterit missas colligere in locis ubi eleemosynae maiores esse solent, easque celebrandas committere ubi eleemosynae minoris pretii tribuuntur, et nullam excommunicationem incurrere; legem scilicet impune transgredi, quin poenam incurrat. Quod eadem proportione, vel maiori, aut minori alii facere possent, atque ita fere inutilem latam legem reddere. 3°. Neque ullo argumento Titius posset ab lata poena excusari. Certum est enim, eum lucrum captare ex eleemosynis missarum, certum est, eum in singulis partibus legem transgredi. Qua igitur ratione ab lata excommunicatione eximetur?

Quia ne celebrantes excessum condonant? Sed nonne excessum etiam illi condonant qui consentiunt ut retineat? Neque igitur hi erunt excommunicati, quamvis excommunicatos Benedicti XIV constitutio proclamet.

Neque hinc intelligimus, quomodo a peccato immunis Titius possit proclamari, cum certum sit eum legem undequaque transgredi.

Utique dicturus quis erit, quod si ita res est, etiam ille erit excommunicatus, cui excessus liberaliter et omnino sponte donatur a celebrante, atque ita sententiam corruere, quam superius cum S. Alphonso propugnavimus.

Verum inter utrumque casum magnum intercedere discrimen ne-

mo non intelligit. Etenim S. Alphonsus loquitur de casu, quo sacerdos cui committitur celebratio *liberaliter et omnino sponte* tibi condonet excessum; De Varceno autem de casu loquitur, quo inter donatarium et donatorem fit conventio de excessu dimittendo. Ideoque si excusandi sunt donatores, quomodo donatarium excusabimus qui eleemosynas tribuit certus antecedenter de retinendo excessu? Atque hinc post conventionem posset excessum illum retinere quin de cetero indicaret se maioris eleemosynae missas accepisse? Utique conventio illa fuit facta sponte et liberaliter. Sed exinde quid? Num ne lex punit collectores illos tantummodo qui excessum retinent contra voluntatem celebrantis? Num ne qui ante Benedictum XIV eiusmodi se crimine commaculabant, dissentientibus celebrantibus excessum retinebant? Certe de omnibus id dici nequit. Et tamen interdictum generale fuit, nullum excipiens; neque quemquam Pii IX lex excepit; atque de cetero verum undequaque est, legem latam fuisse praecipue ad interdicendum eiusmodi mercimonium, casum vero celebrantis in dimissione excessus consentientis praevisum a legislatore fuisse, et sub lege comprehensum.

Essentia igitur differentiae inter utrumque casum in eo reponenda est, quod casus a De Varceno propugnatus sub lege comprehenditur, quia donatarius *antecedenter* conventionem vel init, vel acceptat de retinenda parte excessus; casus vero a S. Alphonso aliisque propositus nullam supponit conventionem, aut voluntatis expressionem, aut nutum antecedentem; qua de causa tota ratio dimissionis excessus se habet ex parte donatoris absolute et independenter a quacumque vel petitione vel donatarii nutu.

4°. Ulterius sententia a De Varceno propugnata optimo iure comprehenditur in exceptione a S. Alphonso posita, scilicet: «Verumtamen » hoc minime admittendum si tu » indices maius pretium acceptum, » et sacerdotem roges ut remittat; » vel ab eo quaeras an consentiat, » ut tu partem retineas; tunc enim » nequis eam retinere, etiamsi ille » annuat. » At qui conventionem instituit de excessu sibi dimittendo, nedum innuit, nedum rogat, sed obligare donatorem intendit; plus enim conventiones quam preces innuunt. Sententia igitur a De Varceno propugnata omnino tenenda est.

5°. Animadvertimus denique, legem latam esse non contra donatores, sed contra donatarios, his enim prohibetur sub excommunicationis poena eleemosynarum excessum retinere, nullamque a Legislatore fieri exceptionem. Hinc si donatoris, liberalitas donatarium semel veliterum excusat, quia ob unius vel alterius excessus retentionem non incurritur excommunicatio, non

putamus eum excusari, si eiusmodi excessus retentio sit frequens, et nulla alia ratio intercedat quam donatoris liberalitas. Etenim quamvis donator possit nedum partem, sed etiam integram eleemosynam donatario dimittere, tamen lege donatarius interdicitur excessum retinere, cuius excessus frequenti retentione donatarius et lucrum captat, et legem transgreditur vere et proprie. Atque insuper innumeris transgressionibus aperitur via, cum nemo liberrime non condonaret excessum qui aliquando eleemosynas acciperet a donatario taxam dioecesanam excedentes.

Et ii pariter qui missarum eleemosynis carent liberrime excessum dimitterent, ut iuxta episcopalem taxam eleemosynam acciperent.

Neque nos allegata ab adversariis ratio suadet; quod enim missam celebrans possit etiam integrum stipendium donatario remittere, verum utique est; sed etiam verum est, non esse lege prohibitum donatario integrum stipendium retinere, sed partem, seu excessum acceptae eleemosynae; et nullo modo prohibitum est donatori seu partem, seu totum stipendium donatario tribuere.

Argumentum igitur hoc: qui potest totum stipendium tribuere multo magis potest partem, verum est ex parte donatoris, qui sub lege non cadit, sed non ex parte donatarii, qui sub lege quoad retentionem excessus eleemosynae comprehenditur. Quod si qui argumentum invertant, et dicant: qui potest sine excommunicatione totum missae stipendium retinere, multo magis potest partem; Atqui donatarius sine excommunicatione potest totum stipendium retinere; ergo multo magis partem. Nos syllogismi maiorem negabimus, cum lege donatario prohibitum sit sub excommunicationis poena excessum eleemosynae retinere, et non integrum stipendium.

Argumentum ne instaurabunt, quod tota ratio se tenet ex parte celebrantis qui potest excessum remittere?

Fatemur; ast eo tantummodo casu, quo donatarius nullam voluntatem, aut nutum expressit de excessu sibi tribuendo; non autem si vel tantummodo innuerit, se maiorem eleemosynam accepisse, quin excessum petat. Hic enim casus est in lege Benedicti XIV praevisus. Nullimode vero negari potest, in conventione, de qua De Varceno loquitur, contineri placitum antecedens, et universae legi transgrediendae viam aperiri.

At dices: Ergo si donatarius nullimode innuat, se maiorem accepisse eleemosynam, excessum retinere poterit. Verum negamus eiusmodi illationem, quae falso supposito laborat; affirmavimus enim, inconsulto antecedenter donatario excessum dimittendum esse ad probandam plenam donationem et liberalitatem donatoris; cum hoc in

casu donatarius nihil omnino egerit pro retentione excessus, et independenter a missae celebratione, donatio illius tribuenda sit totaliter voluntati donatoris; numquam autem affirmavimus, posse donatarium retinere excessum, si hunc silentio premat; illatio hinc deducta ex praemissis non sequitur.

Ex dictis, S. Alphonsi exceptio tum solum admittenda videtur cum ratione paupertatis qua donatarius premitur, vel alia de causa omnino gravi, et ab missarum huiusmodi celebratione aliena, excessus nullo modo petitus condonetur a celebrante, qui ob relatas causas excessum a donatario oblatum respuat, et ultro reddat, non autem ob eam rationem qua celebrans donet excessum si utcumque donatio, vel nutu suggesta fuerat; hic enim casus est in lege praevisus, et prohibitus.

At reliqua prosequamur.

Cl. Commentator Reatinus *in Commentario p. 123, edit. 1880,* Gabriel de Varceno, et alii affirmant, nullam missarum eleemosynas colligentem excommunicationem incurrere, si excessum *sibi retineat quasi laboris sui pretium, dummodo et pro modo laboris retineat, et ad hoc munus sit destinatus,* allegantque pro sua sententia S. Alphonsum, qui *lib. VI. n. 322.* ad quaesitum: « An Sacerdos colligens » eleemosynas pro celebrandis missis possit aliquid retinere pro suo » labore, si missas non tradantur » ipsi ut ab ipso celebrentur? ita » respondet: Negat Concina pag. 165 » n. 13, dicitque hoc vetitum esse » a Bulla Benedicti XIV, ex verbis supra citatis *n. 321, v. Decreto* (1). Affirmat tamen Viva » *in prop. 9. damnata ab Alexandro VII,* si talis sacerdos moderatam retineat mercedem iuxta » rationem sui laboris. Idque non » videtur improbabile, si ille ad » hoc munus sit destinatus, et suus » labor vere mercedem mereatur; » tunc enim huiusmodi merces ei » debetur ex naturali aequitate, et » ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium. Pontifex autem » censetur tantum eos damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex eis turpem faciant » quaestum, nempe colligendo stipendia praescripta in uno loco, et » alibi missas curando celebrari, » ubi eleemosynae sunt minoris pretii, quam illic ubi excipiuntur. »

Ex his vero dignoscitur, in horum Scriptorum sententia, licitum esse collectori retinere excessum ea conditione, et ut collector sit ad hoc destinatus, et ut eius labor vere mercedem mereatur, et ut mercedem pro modo laboris retineat.

Quid de eiusmodi sententia?

Non paucis certe, iisque levibus difficultatibus subiacet.

(1 Ab Urbano VIII edito, et ab Innocentio XII confirmato scilicet: *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens* etc.

Et 1° A quo eiusmodi homo destinatus est, vel destinari debet ad colligendas Missarum eleemosynas? Non certe ab iis qui missarum eleemosynis indigent; hi enim ûtique rogare poterunt aliquem ut sibi applicationes Missarum procuret, at nullam dare possunt auctoritatem ut sibi retineat excessum, cum collectori hoc sit lege prohibitum. Si in Ecclesiis, et Sacristiis aliquando ecclesiasticus destinatur ad recipiendas missarum eleemosynas, id gratis praestatur ab huiusmodi munus exercente et plerumque munus eiusmodi connexum est cum officio Sacristae ; de cetero hic casus nihil commune habet cum casu nostro.

Neque collector destinari potest ab Episcopo, ea conditione ut ille sibi aliquid de excessu eleemosynarum retineat; etenim Pontificiae dispositioni subiacent et Episcopi, imo hi ex Benedicti XIV Constitutionibus invigilare debent, ne pontificia dispositio vulnus aliquod patiatur, et absolute curare, ut turpissimum mercimonium omnino ab Ecclesia auferatur.

Utique collectores eiusmodi destinari a Romano Pontifice poterunt, eisque concedi ut eleemosynarum excessum retineant ; qua in hypothesi nullam quaestionem cum adversariis habebimus. Attamen nescimus, an Romani Pontifices eiusmodi collectores aliquando destinaverint, nescimus an in posterum destinaturi sint; difficillimum putamus ut destinent latis Constitutionibus Pontificiis vulnus infligentes.

Interea ni collector a legitima auctoritate, et facultatem habente ei aliquid de excessu dimittendi destinetur; quo iure munus eiusmodi sibi arrogare poterit ea conditione ut de eleemosynarum excessu pro labore praestito quidquam sibi retineat?

Dignus est utique operarius mercede sua; sed operarius qui ad vineam excolendam a domino vocatus est, quique vineam excolit iuxta voluntatem domini. At dignus ne esset operarius mercede, si non vocatus ad vineam excoléndam pergeret, vel opus exerceret a domino non praeceptum, imo prohibitum ?

Atqui hic est casus. Collector eiusmodi non destinatus a legitima auctoritate sibi assumit laborem, et mercedem sibi tribuit a Praesule universali Ecclesiae prohibitam. Mercede ergo dignum dicemus quia transgressus est voluntatem domini sui? Nonne potius punitione dignus proclamandus est?

2° Certum est, hunc undequaque legem transgredi. Colligit enim missas maioris eleemosynae, eas celebrandas committit in locis ubi minoris pretii esse solent (semper ad praescriptum disputatorum loquimur) et excessum sive totalem sive partialem sibi retinet. Hic igitur nonne legem transgreditur?

3° Et nonne lucrum captat sibi laboris compensationem adsciscendo?

4° Atque, quod gravius est, nonne si eiusmodi sententiam ad-

mittamus, latum legem inutilem reddimus? Quis enim non ad eiusmodi officium destinari quaereret? et quae facilior via ad legem eludendam?

5° Demum: quis iudex erit mercedis quam sibi sumere collector destinatus debet? et quis iudicium feret de veritate et quantitate laboris quem adhibuit in colligendis missis? Ipsemet ne vel alii? At non ipse, quia nemo iudex in causa propria; alios quis constituit iudices? Fatemur tamen, hanc postremam rationem ad rei substantiam non pertinere.

Concludendum hinc esse putamus, eos, qui charitatis gratia exercendae erga Sacerdotes Missarum eleemosynis carentes, onus sibi suscipiunt his missas comparandi nihil omnino de excessu eleemosynae sibi retinere posse, exceptis tantummodo expensis quas sustinuere sive in itineribus suscipiendis, sive pro literis huc et illuc mittendis, sive pro pecuniae transmissione etc. Collectores enim iacturam pati non debent.

Exinde vero non sequitur, Sacerdotes quibus missae dantur celebrandae, non posse collectori aliquid prorsus libere et spontanee tribuere. Eiusmodi enim remuneratio extranea prorsus ab quaestione nostra putanda est.

At idipsum putandum non est de iis, qui collectas Missas ad Bibliopolas, aliosque negotiatores mittunt, nulla excessus parte retenta, et exinde aut libros, aut alias merces accipiunt, ex quibus lucrum captant.

Quamvis enim huiusmodi graviter peccent, tum quia turpe et improbatum mercimonium instituant (1) tum quia celebrationem missarum periculo exponant (2) cum

(1) In Decreto diei 31 Augusti 1874, a S. Congregatione Concilii quaesitum reperimus: IV. « An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam » coercendi, ut supra sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas » missarum tradunt Bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive » recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine? » Responsum fuit: Ad IV *affirmative. Acta S. Sedis Tom. VIII, pag. 108.*

(1) Eiusmodi missarum commercium a quibusdam Bibliopolis et negotiatoribus nefarie adeo committitur, etiam post citatum decretum 1874, ut haec contingere sciamus. Titius sacerdos emit a Bibliopola N. vel negotiatore obiectorum sacrorum vel non sacrorum N. libros, aut alias merces pro duobus ex. gr. millibus francis quos promittit se soluturum cum celebratione missarum, quas a negotiatore accipit. Titius autem illico vendit libros et alias merces pro mille francis. Putari ne potest Titius missas celebrasse? Attamen sacerdos huiusmodi certe ad negotiatorem transmittit notas celebrationis missarum fortasse etiam sigillo Curiae Episcopalis munitas. Praeterito anno, Episcopus quidam nos exoravit, ut apud legitimas auctoritates querelas duceremus, subdens mercatorem esse talem, qui se perfectum catholicum, et Sedi Apostolicae addictissimum profitebatur. *At cavendum ab catholicis tantae perfectionis, et fidelitatis!*

negotiatores non admodum sint solliciti ni de fideli earum adimplementum, saltem de committenda celebratione probatae famae Ecclesiasticis, eas enim tradunt iis qui libros et merces emunt; tamen dici non possunt excommunicationem incurrere, cum lucrum non captent ex Missarum mercimonio, quarum eleemosynas integras tradunt, sed ex venditione librorum aliarumque mercium receptarum.

Ex dictis patere putamus, collectorem tum excommunicationem contrahere, cum, praeter alias conditiones, lucrum ab excessu eleemosynarum captat. Lucrum autem hoc in loco intelligitur, quod in commodum lucrantis cedit, et convertitur in usus non pios.

Exinde sequitur, eos omnes qui lucrum acceptum ex missarum eleemosynis non in proprium commodum, sed in pios usus impendunt, ex. gr. in Ecclesiarum restauratione, hospitalium erectione, refectione pauperum etc. contra legem quidem agere, at excommunicationem non contrahere, eo quod lucrum non captent. In lege enim poenali, ad cuius poenas incurrendas plures requiruntur conditiones a legislatore praescriptae si una desit, poena non incurritur. In casu autem deest *lucri* conditio.

Id tamen illicitum esse et culpae obnoxium plura suadent. Et suadet 1° Ratio, qua certum est, integram eleemosynam pertinere ad celebrantem, ergo qui eum excessu fraudat, furti crimine tenetur.

2° Constat, hunc legis praescriptum violare, cum missas minori eleemosyna celebrandas committat. At transgressio legis peccatum est. Si excommunicationem effugit, eo quod lucrum non faciat suum.

3° Id prohibitum scimus specialibus decretis. In citata ad Urbani VIII decretum declaratione sequens dubium propositum reperimus: VII. Super quarto eiusdem declarationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscipit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

« Quaeritur: an permittendum » sit administratoribus ecclesiarum, » ut retineant aliquam eleemosy- » narum portionem pro expensis » manutentionis Ecclesiae, altarium, » inserventium, paramentorum, lu- » minum, vini, hostiae, et simi- » lium ?

» S. Congregatio Cardinalium » Concilii Tridentini interpretum, » auctoritate sibi a D. N. attributa » respondit:

» Ad VII. permittendum non » esse, ut Ecclesiae ac loca pia, seu » illorum administratores, ex elee- » mosynis missarum celebrandarum » ullam, utcumque minimam, por- » tionem retineant ratione expensa- » rum, quas subeunt in missarum » celebratione, nisi cum Ecclesiae » et loca pia alios non habent red- » ditus, quos in usum earumdem » expensarum erogare licite possint,

» et tunc quam portionem retine-
» buntur, nullatenus debere excedere
» valorem expensarum, quae pro
» ipsomet tantum missae sacrificio
» necessario sunt subeundae, et nihi-
» lominus eo etiam casu curandum
» esse, ut ex pecuniis quae su-
» persunt, expensis ut supra dedu-
» ctis, absolute tot missae celebren-
» tur, quot praescriptae fuerint ab
» offerentibus eleemosynas. »

Ex his vero evidenter infertur, nullo modo licere missarum collectoribus aliquid de missarum eleemosynis sibi retinere quamvis ad pia opera applicandum, cum ipsae parvae expensae excludantur quae necessariae sunt ad missae sacrificium celebrandum, quaeque ad unum vel duos obulos pro singulis missis assurgunt; subtractio vero ad expensarum tramites eo tantum in casu permittatur, quo Ecclesia aliis redditibus careat ad praedictas expensas sustinendas, et nihilominus tot sint missae celebrandae quot ab oblatoribus allatae sunt.

Exinde vero respuenda est omnino Gabrielis de Varceno sententia, qui *loc. cit. pag. 474. n. 3 scribit:* « Quare excommunicationem
» non incurrit, qui partem stipen-
» dii retenti in pios usus distri-
» buit, v. gr. Ecclesiis reparandis,
» quod videtur licitum, praesertim
» si necessitas urgeat. »

Unde vero probat huius actionis liceitatem? Ipse certe nullo ex capite; neque rationi alicui niti potest, cum non liceat ad opera licita mediis illicitis et proscriptis uti.

At alios novimus (1) nixos fuisse cuidam S. Congregationis Concilii declarationi latae sub die 20 Augusti 1860, qua ad probatos auctores consulentes remittuntur.

Sequentia dubia scilicet proposita fuerant: 1° « Utrum Sacerdos
» qui stipendium solito pinguius
» accepit, possit in gratiam pii
» operis, alii Sacerdoti ordinarium
» tantummodo stipendium tradere,
» retinendo prorsus partem quae
» taxam ordinariam superavit?

2° » Utrum idem Sacerdos pos-
» sit sibi alium Sacerdotem substi-
» tuere ea lege, ut aliquam partem
» stipendii ordinarii vel extraordi
» narii in gratiam pii operis deter-
» minati remittat? »

S. Congregatio Concilii die 20 Augusti 1860 respondit: Consulat theologos, praesertim S. Alphonsum *Tract. III De Eucharistia, cap. III,* (n. 322), et Benedictus XIV *De synodo Dioeces. lib. V., cap. 9* et eius Constitutionem *Quanta Cura,* eorumque sententiis se conformet.

Ex qua responsione inferre se posse putarunt, in re nullam prohibitionem existere, cum S. Congregatio nullum decretum emiserit.

(1) Reatinum ex. gr. qui in 2ª. Edit. Commentarii sui 1873, scripserat: *quod nec illicitum videtur:* hanc tamen sententiam expunxit in 3 Editione an. 1880. Id noverint lectores ne praeclarissimo viro reprobatam ab ipso sententiam tribuant.

At eiusmodi ratio corruit si consideremus, quod cum Romanae Congregationes ad probatos auctores consulentes remittunt, illorum sententiam suam faciant, ad eamque sequendam omnes compellant; quod in praesenti casu certissimum est ex verbis : *eorumque sententiis se conformet.* Atqui certum est tum S. Alphonsum, tum Benedictum XIV in locis citatis liceitatem huius actionis respuere, in medium decretis authenticis productis ad rei probationem.

Qua de causa nullo modo citata conclusio inferri poterat, nedum ob adductam rationem, sed etiam quia cum auctores citati authentica decreta attulerint ad propriam sententiam statuendam, planum erat inferre leges extare, ex quibus falsitas contrariae sententiae dignosci poterat (1).

At quod per auctores probatos

(1) Benedictus XIV, cuius sententiam S. Alphonsus excribit, haec ait. « Quia » vero recta ratio non patitur, ex eleemosyna ab Episcopo taxata, quae exigua » esse solet, aliquid detrahi in commodum Ecclesiae subministrantis Sacerdoti sacra indumenta, aliaque utensilia ad missae celebrationem necessaria; hac de causa » Urbanus VIII decrevit, nihil ex eleemosynis esse eo nomine detrahendum. Ex » stipendiis vero pro missis perpetuis relictis, tunc solum Ecclesias, ubi sunt celebrandae, aliquid percipere permisit, cum alios redditus non habent quibus onus » sustineant sacra utensilia praestandi; quae omnia a nobis adducta, et fuse pertractata fuere in nostra *Institutione Eccles. 56*, et in dissertatione, quam dum » munus obiremus Secretarii S. Congregationis Concilii, exaravimus, quae extat in » *Thesaur. Resolut. Tom. 3. pag. 307.* »

Porro in citat. Institutione n. 13, haec scribit: « Cum deinde eadem causa » expensarum, quae pro missae sacrificio fieri necessario debent ab Ecclesiis, piisque Locis quibus ob inopiam ea facultas non suppetit, cum, inquam, causa eiusmodi in examen iterum adduceretur in Sac. Congregatione Concilii, cum nos ipsi » Secretarii munus gereremus, haec petita fuerunt: *An Archipresbyter Ecclesiae* » *Collegiatae Oppidi Montis Curoni fuerit et sit obligatus subministrare vinum, ceram, et hostias Cappellanis aliisque Presbyteris de Clero celebrare volentibus, vel obligatis celebrare missas in eadem Ecclesia.* Responsum » his verbis fuit: *Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia* » *de quibus agitur, illis qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione Beneficii sive Cappellaniae, exceptis illis cum quibus habet conventiones particulares; at quoad missas adventitias, teneri ad dictam subministrationem,* » *quatenus permittat eos in sua Ecclesia celebrare; nec teneri ad has missas* » *adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.* (Benedi- » ctus XIV cum integram responsionem non referat, eam excepimus ex Thesauro resolutionum S. C. C. Tom. III. pag. 556). Prosequitur vero Pontifex: Insuper die 14 » Maii 1729, dum causa Maceratensis ageretur, vetustius S. Congregationis decretum, quod anno 1685 confectum fuerat, confirmatum est. Illud quidem Patribus » Minoribus Conventualibus permittebat, ut aliquid retinerent pro expensis Missarum, quas Presbyteri saeculares in ipsorum Ecclesia celebrare ex officio tenebantur, non autem cum reliqui sacerdotes pietate solum ducti Sacrum in eadem » Ecclesia conficerent. Ex his satis aperte coniicitur, primum, si Ecclesiae pau-

S. Concilii Congregatio semel dirimendum esse decrevit, postea explicite per decreta emissa diremit.

Anno 1869 ad eamdem S. Congregationem sequens libellus supplex delatus est: (1)

Beatissime Pater.

« Franciscus Regis Abbas et » Procurator Generalis Ordinis Ci- » stercensium Reformatorum, vulgo » *de Trappa* nuncupatorum ad pe- » des Sanctitatis Vestrae humiliter

" pertas interveniat, aliquid retineri posse pro necessariis missarum expensis, " cum perpetuae sunt; etenim consuetum stipendium non minuitur, cum Testatores " perpetuas missas instituentes integro Sacerdotis stipendio omnibusque expensis " pro sacrificio peragendo necessariis consulere debuerint. Quod si aliquid deesse " videatur, vel quia per testatorem praescriptum non fuerit, aut quia cursu tem- " poris constituti proventus ad missas agendas imminuti habeantur, aliquis inter " haeredes fortasse aderit, qui aere suo expensis omnibus satisfacere debeat. Po- " stremo si nulla ex parte subsidium desumi potest, semper aditus patet ad pe- " tendum ut missae eiusmodi ad minorem numerum redigantur. Secundo, si uti " superius dictum est, Ecclesiae paupertas intersit, aliquid retineri potest pro " missarum expensis, quae in ipsa Ecclesia per aliquem pium testatorem insti- " tutae fuerunt, vel cum sacrarii custodes, plurimis congestis eleemosynis, missas " celebrandas indicunt. Tunc enim ex consueto stipendio aliquid plerumque detra- " hitur, quod tamen permitti nequit, cum Ecclesia privilegium a Sede Apostolica " obtinuerit, ut pro expensis in sacrificio necessariis Missarum numerus minuatur; " quo sane privilegio aliquas Romae Ecclesias gaudere non ignoramus; tertio, etsi " Sacrarium Ecclesiae prematur inopia, nihil pro expensis missarum necessariis " exigi potest a sacerdotibus, qui ad eamdem Ecclesiam accedunt rem divinam fa- " cturi, aut pietatis causa, aut certe nullo ducti stipendio per Ecclesiae ministros; " quamvis ipsi nullo iure astringantur illis sacerdotibus permittere ut sacrum " ibidem perficiant; quarto, si sacerdos ipse celebrare in eo templo omnino postu- " lat, de cuius paupertate constat, tunc aliquid pro expensis deposcere licet, vel " a Presbytero qui ob pietatem sacrum facit, vel ab eo qui, collato stipendio, " sacrificium indixit, si forte sacerdoti aliquid superaddere velit pro consuetae " eleemosynae detrimento, quod ratione expensarum subeundum est; vel, tandem, " si aditus eiusmodi praecludatur, ex ipso consueto stipendio aliquid expetere " conceditur. »

Ex his vero planum est inferre 1°. licitum numquam esse per se aliquid de collato missae stipendio detrahere. 2°. Quoad missas perpetuas ex iis detrahi posse expensas necessarias ad sacrificium, si Ecclesia paupertate prematur, et nemo sit qui illas subministret; ratio autem a Benedicto XIV adducta peremptoria videtur; qui enim missas perpetuas relinquunt, beneficium, non onus relinquunt; onus autem esset si expensas necessarias Ecclesia sustinere deberet, praesertim in adducta paupertatis hypothesi. At hoc in casu nullum intervenit commercium, nullumque lucrum; qua de causa factum eiusmodi sub lege non comprehenditur. 3°. demum expensas pro sacrificio petendas esse vel a celebrante, vel a conlatore eleemosynae. Haec autem absolute demonstrant, per se nihil de collato stipendio retinendum esse. Observamus insuper haec de aliquid retinendo pro expensis celebrationis nihil commune habere cum casu de retinendo excessu ad causas pias conferendo.

(1) *Acta S. Sedis* Tom. IV. pag. 537.

» provolutus supplicat pro solutio-
» ne sequentis dubii.

» Quaeritur saepissime ab Ora-
» tore, an Sacerdos qui acceperit
» numerum missarum celebranda-
» rum cum eleemosyna viginti obu-
» lorum pro qualibet Missa, easque
» omnes nequit celebrare, possit
» tuta conscientia aliquas missas sic
» acceptas retrocedere aliis Sacer-
» dotibus celebrandas, ipsis solvendo
» tantummodo obulos quindecim
» pro qualibet Missa, et alios vero
» quinque obulos in bonum et uti-
» litatem Ecclesiae, cuius Rector
» est erogare.

» Nonnulli praesertim in Gallia
» sustinent hoc esse licitum, alii
» vero contrariam sententiam pro-
» pugnant. Cum quaestio sit tanti
» momenti, opportunum Oratori vi-
» sum est, eam ab Apostolica Au-
» ctoritate solvendam proponere. »

At his precibus ita rescriptum fuit.

« Die 19 Ianuarii 1869: S. Con-
» gregatio EE. S. R. E. Cardina-
» lium Concilii Tridentini interpre-
» tum, inhaerendo resolutionibus
» alias in similibus editis, suprascri-
» pto dubio censuit respondendum:
» *Negative ad formam* §. *V, ac XXII*
» *ad septimum Decreti sa. me. Ur-*
» *bani VIII confirmati et ampliati a*
» *sa. me. Innocentii XII, quod vul-*
» *go audit de celebratione missa-*
» *rum; nempe* §. *V.* Ac similiter
» omne damnabile lucrum ab Ec-
» clesia removere volens prohibet
» sacerdoti qui missam suscipit ce-
» lebrandam cum certa eleemosyna,
» ne eamdem missam alteri, parte
» eiusdem eleemosynae sibi retenta,
» celebrandam committat. §. *XXII*
» *ad septimum:* Permittendum non
» esse, ut Ecclesiae ac Loca pia,
» seu illorum administratores ex
» eleemosynis Missarum celebran-
» darum, ullam utcumque minimam
» portionem retineant ratione ex-
» pensarum, quas subeunt pro Mis-
» sarum celebratione, nisi cum Ec-
» clesia et loca pia alios non ha-
» bent redditus, quos in usum ea-
» rumdem expensarum erogare li-
» cite possint, et tunc quam por-
» tionem retinebunt, nullatenus
» debere excedere valorem expen-
» sarum, quae pro ipsomet tantum
» Missae sacrificio necessario sunt
» subeundae, et nihilominus eo et-
» iam casu, curandum esse, ut ex
» pecuniis quae supersunt, expen-
» sis ut supra deductis, absolute tot
» Missae celebrentur, quot praescri-
» ptae fuerint ab offerentibus elee-
» mosynas (1). »

Quod nisi haec satis videantur,

(1) Ex eiusmodi responsione cl. Avanzini haec duo corollaria optime deduxit.

1°. « Etsi causa impellens Urbaniani decreti est remotio lucri damnabilis, » non tamen damnabili remoto lucro, licere partem eleemosynae manualis missa- » rum proprio arbitrio subtrahere, et in aliam piam causam convertere.

2°. » Praecisione enim facta a speciali Urbaniano Decreto, res ex universali

in medium proferemus Decretum quod Summus Pontifex Pius Papa IX ad omnes Episcopus transmisit, ni quo ad quaesitum VIII: « An liceat » Episcopis sine speciali S. Sedis » venia ex eleemosynis missarum, » quas fideles celebrioribus sanctua- » riis tradere solent, aliquid detra- » here ut eorum decori et orna- » mento consulatur, quando prae- » sertim ea propriis redditibus ca- » reant. »

Responsum fuit: *Negative, nisi de consensu oblatorum.*

Qui oblatores non sunt celebrantes, sed illi qui missas offerunt, quique certe dare possunt facultatem aliquid ex stipendio collato detrahendi.

At post eiusmodi decretum licitum non erat contrariam sententiam defendere, qua statuitur, posse quemlibet missarum excessus licite retinere ut ad pias causas applicentur.

III. Ex disputatis autem iam patere arbitramur quaenam sint ad latam excommunicationem incurrendam necessaria, scilicet 1. ut quis eleemosynas missarum colligat. 2. ut has minori stipendio celebrandas in locis committat, in quibus minores, sive synodali lege, sive consuetudine, eleemosynae tribuuntur.

3. Ut lucrum ex excessus retentione collector in proprium commodum captet.

Advertendum tamen est, excommunicationum hanc incurri effectu secuto, non cum, scilicet, collector missarum celebrationem committit, sed cum excessum sibi retinet. Etenim tunc lucrum captat, et legis transgressionem complet.

His finem quaestionum tractationi imponere possemus.

At coronidis gratia expendere necessario ducimus illam sententiam, quam cl. Reatinus in suo Commentario scripsit n. 128, quamque amplexus est De Varceno *loc. cit.* pag. 475; idque non solum propter rei gravitatem, sed etiam ut nonnullis quae iam fati sumus lux affulgeat.

Reatinus itaque affirmavit: «Haec » excommunicatio incurritur, non » cum quis colligit eleemosynas, » sed cum pro missis celebratis vel » celebrandis, tradito stipendio, re- » tinet sibi huius partem, nec quam- » libet, sed eam quae alias grave » furtum foret. »

De Varceno autem: « Ad hanc » incurrendam excommunicationem » necesse est quod quatuor adsint » conditiones 1. ut hi colligant sti- » pendia missarum (1)... 4. ut eam

» ecclesiastica lege prohibita est, qua traditur, ea bona, quaecumque sint, quae in » aliquam determinatam causam piam a fidelibus tradantur, neminem, auctoritate » propria, in aliam quoque piam alienam causam, quamvis utilius, convertere » posse ».

(1) Scilicet notabilem missarum numerum iuxta veram significationem verbi *colligo*, parvus igitur numerus non comprehenditur sub hac censura, ut scripserat paullo ante n. 1.

» partem stipendii retineant, quae » alias esset materia gravis furti. »

Qua sententia certe adstruunt, tunc collectores in retinendo eleemosynarum excessu excommunicationem incurrere, cum lucrum inde perceptum assurgit ad materiam gravem furti.

Tantorum virorum pace dixerim; eiusmodi sententia in casu generaliter non est vera.

Et 1. gravitas materiae in casu relative, non absolute spectari debet, cum etiam inter Sacerdotes, pauperes, mediocres, divites et ditissimi sint, tum in variis locis existant, in quibus maior vel minor pecuniae quantitas reperitur, et proinde varium de materiae gravitate ad furtum necessariae iudicium; quas circumstantias prae oculis Confessarius habeat. Hinc cum Gury, *Theol. moral. Tom. 1 pag. 528 n. 607* dicimus: « Ad gravem ma- » teriam relative spectatam (atten- » tis praecipue Europae locis, et » temporum nostrorum adiunctis) » requiri videntur 1. circiter valor » unius franci, seu 20 asses rela- » tive ad pauperes, et aliquando » minus pro maiori gradu necessi- » tatis; 2. circiter duo vel tres franci » seu 40 vel 60 asses relative ad » operarios, qui labore diuturno » victum sibi comparant; 3. circiter » quatuor vel quinque franci rela- » tive ad homines mediocriter di- » vites; 4. circiter sex vel septem » franci relative ad divites ordi » narios.

» Quod spectat vero ad mate- » riam absolute gravem est com- » munior sententia apud S. Alphon- » sum, duos aut tres aureos mate- » riam gravem existimari. Aureus » autem quinque circiter francis » aequivalet. In mentem tamen re- » vocare velis, pecuniam tunc tem- » poris utpote rariorem, fuisse et- » iam pretiosiorem. »

Hisce praemissis, cum materia gravis in furto sit relativa, et inter Sacerdotes celebrantes, quibus subtrahitur excessus, sint cuiusvis conditionis, materia gravis potest esse retentio excessus unius, duorum, trium, quatuor, quinque, et pro ditissimis decem vel quindecim francorum.

At 1. Si collector ex aliqua regione colligat Missas quinque francorum, easque committat celebrandas in Italia huic vel illi Sacerdoti cum stipendio triginta obulorum, iam hic pro potiori Sacerdotum parte committeret furtum relative grave retentione excessus unius eleemosynae, cum plures Sacerdotes nunc in Italia vix aut ne vix quidem operariis comparari possint. Cum autem iuxta citatos auctores excommunicatio haec incurritur quando retentio excessus pertingit ad materiam gravem furti, necessario sequitur, collectorem excommunicationem incurrere ob retentionem excessus unius eleemosynae.

At potest ne haec sententia rationabiliter defendi? Potest ne hic dici missarum collector?

2°. Si ex retentione excessus stipendiorum qui alias materiam furti gravem constituunt quis excommunicationem incurrit, nescinus quomodo suam sententiam defendere illi possint qui affirmant, ad incurrendam hanc excommunicationem requiri notabilem missarum numerum, parvumque non sufficere; multo minus, illi qui requirunt ingentem: etenim pro plurimis aliquarum provinciarum Sacerdotibus materia furti gravis est subtractio trium francorum, quamvis sine errandi periculo pro non paucis affirmare possemus esse vere et proprie unius franci subtractionem. Ergo si quis colligat decem missas cum eleemosyna triginta obulorum, easque celebrandas committat cum stipendio unius franci, hic sibi retinendo excessum sex missarum, et fortasse duarum grave furtum committeret. Atque minorem etiam computum lectores instituant relate ad pinguiora stipendia. Hic ergo incurreret praesentem excommunicationem committendo celebrationem duarum, trium, quatuor, quinque, vel ad summum sex missarum, earumque eleemosynarum excessum sibi retinendo. At duae, tres, sex missae possunt ne dici notabilis missarum numerus? Potest ne, eiusmodi sententia admissa, scribi a cl. De Varceno: *parvus numerus igitur non comprehenditur sub hac censura?* Quandoquidem comprehenditur excessus qui pertingit ad gravem furti materiam; haec autem potest derivare etiam ex retentione excessus unius eleemosinae.

3°. Demum unus, duo, tres, vel quatuor franci constituunt ne lucrum proprie dictum saltem in sensu adversariorum? Non putamus. Etenim ad incurrendam excommunicationem requirunt notabilem missarum numerum: numerus autem notabilis vix triginta Missis constituitur. Si quis igitur alteri celebrandas committat triginta missas cum eleemosyna franci unius, quas tamen collegit cum eleemosyna obulorum triginta, hic lucrum referret francorum quindecim et maius si pinguiores eleemosynas accepit; ergo in adversariorum sententia, comparato lucro quod referri potest cum notabili missarum numero, potest esse falsum, quod ad incurrendam excommunicationem requiratur lucrum, quod constituat tantummodo materiam furti gravis, sin minus aut huic sententiae valedicendum est, aut notabili missarum numero, multo magis ingenti.

Ergo 1° principium positum a citatis clarissimis auctoribus simpliciter et absolute est falsum, cum defendi non possit ex retentione excessus unius duorum vel trium stipendiorum, ex quibus aliquando exurgit materia gravis furti, aliquem praesentem excommunicationem incurrere, cum hic dici nequeat Missarum collector, eo certe sensu quo verbum *colligentes* explicant Avanzini, De Varceno, aliique. 2°. Si

principium defendere velit, De Varceno sibi contradicat oportet; etenim fateri compellitur nedum parvum missarum numerum sub lege comprehendi, sed etiam unam fortasse missam, contra sensum legis latae, et communem Commentatorum expositionem. 3°. Lucrum quod pertingit ad materiam furti gravis in casu nostro est relativum. Constitui igitur posset ex retentione excessus unius franci, et fortasse ex minori excessu, si sacerdos sit vere pauper, ut non pauci nunc sunt sacerdotes in Italia, et etiam alibi. At lucrum unius franci, vel etiam minoris summae non potest dici lucrum, saltem in sensu Legislatorum, et eorum quorum sententiam impugnamus.

Quid igitur dicendum?

Absit ut sententiam proferamus, attamen haec lectorum nostrorum iudicio submittimus.

1°. Tunc poenam incurri a legislatore irrogatam, cum vere et proprie lata ab eo lex transgreditur.

2°. Legislatores prohibuisse missarum collectionem; *colligentes missas,* quae verba verificari non possunt de una aut duabus missis, saltem eo sensu quo legem possumus interpretari, quae cum sit poenalis benigniori sensu eam accipere debemus.

3°. Certum est insuper legislatores eos excommunicasse, qui ex retentione excessus eleemosynarum lucrum captarent. At certe locuti sunt de eo lucro quod tale habetur in communi usu loquendi, non de quocumque lucro, quod constitui posset etiam ex retentione excessus unius, duorum, trium obulorum. Eiusmodi enim lucrum communi sensu risu excipitur.

4°. Ergo ut regulam certam in re statuamus, oportet concordare verba legis quantum ad missarum numerum attinet cum lucro proprie dicto. Ita ut et talis missarum numerus habeatur, qualis sub lege comprehendi sine iniuria potest, et tale lucrum, quod lucrum proprie dictum vocari possit. Utraque enim conditio ad excommunicationem incurrendam requiritur.

5°. Sequitur hinc 1°. numerum missarum tum sub lege comprehendi, cum collectori dat lucrum proprie dictum absolute, non relative. 2°. Ex una lucri proprie dicti perceptione, excommunicationem non incurri, si illud percipiatur ex tali eleemosynarum excessu, quae sub lege comprehendi non intelliguntur. Etenim non verificatur haec altera conditio. 3°. Confessarii quapropter poenitentem interrogent de Missarum numero, et de lucro percepto ex retentione excessuum, et ex utriusque conditionis adimplemento, eum excommunicatum iudicent, vel ab excommunicatione immunem. Ad restitutionem autem eum semper obligent; neque tam facile horum sacerdotum paupertati fidem adhibeant; qui enim eiusmodi peccato sese commaculant pessimi Sacerdotes sunt habendi, qui non

paupertatis, sed avaritiae causa in praedictum facinus labuntur.

IV. Quamvis superius dixerimus, velle nos ea tantummodo decreta circa praesentem quaestionem afferre, quae recentiora sunt, non abs re tamen putamus, etiam vetustiora recensere, cum et haec adhuc vigeant, et cum recentioribus concordent.

Itaque in Declaratione ad Decretum Urbani VIII *Cum saepe contingat*, sequentia dubia proposita fuere.

« II. Super secundo eiusdem » Congregationis decreto, quo ca- » vetur, ut celebrentur tot Missae, » quot ad rationem tributae elee- » mosynae praescriptae fuerint.

» Quaeritur: an verba illa *prae- » scriptae fuerint* intelligenda sint » de praescriptione facta ab offe- » rente, vel ab Ordinario.

» III. An, cum Ordinarius prae- » scripserit eleemosynam congruam » iusta qualitatem loci, personarum, » ac temporum, sacerdotes accipien- » tes stipendium minus congruo » teneantur missas illis ab offerente » praescriptas celebrare?

» IV. An Sacerdotes, qui te- » nentur Missas celebrare ratione » beneficii, seu Capellaniae, legati, » aut salarii, possint etiam manua- » lem eleemosynam pro missis vo- » tivis, aut defunctorum, recipere, » et unico missae sacrificio utrique » oneri satisfacere?

» V. Posito quod testator relin- » quat, ut celebrentur pro eius » anima centum missae absque ulla » praescriptione eleemosynae.

» Quaeritur: an liberum sit hae- » redibus eleemosynam sibi bene » visam praescribere, an vero ea- » dem eleemosyna praescribenda sit » ab Ordinario?

» VI. Super quarto eiusdem » s. Congregationis decreto, quo » prohibetur Sacerdoti, qui suscipit » missam celebrandam cum certa » eleemosyna, ne eamdem missam » alteri, parte eiusdem eleemosynae » sibi retenta, celebrandam com- » mittat;

» Quaeritur: an permittendum » sit administratoribus Ecclesiarum, » ut retineant aliquam eleemosy- » narum portionem pro expensis » manutentionis Ecclesiae, altarium, » inservientium, paramentorum, » luminum, vini, hostiae et simi- » lium?

» VII. An hoc decretum habeat » locum in beneficiis quae confe- » runtur in titulum; id est an Re- » ctor Beneficii qui potest per alium » celebrare, teneatur Sacerdoti ce- » lebranti dare stipendium ad ra- » tionem reddituum beneficii?

» VIII. An Sacerdotes, quibus » aliquando offertur eleemosyna ma- » ior solita pro celebratione Missae, » debeant dare eamdem integram » eleemosynam iis, quibus missas » celebrandas committunt; an vero » satis sit, ut dent celebrantibus » eleemosynam consuetam? »

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi a SS. D. N. (Urbano VIII) attributa, ad singula dubia superius proposita in hunc modum respondit; videlicet.

« Ad II. Esse intelligenda de » praescriptione facta ab eo qui » eleemosynam tribuit, non autem » ab Ordinario. Quod si tribuens » eleemosynam numerum Missarum » celebrandarum non praescripserit, » tunc tot Missas celebrari debere, » quot praescripserit Ordinarius se- » cundum morem civitatis vel pro- » vinciae.

» Ad III. Teneri.

» Ad IV. Sacerdotes quibus die- » bus tenentur missas celebrare ra- » tione beneficii, seu Capellaniae, » Legati, aut salarii, si eleemosynas » pro aliis etiam missis celebrandis » susceperint, non posse eadem » missa utrique obligationi satisfa- » cere.

» Ad V. Censuit, ubi nullam » certam eleemosynam testator re- » liquit, esse ab Episcopo praescri- » bendam eleemosynam congruam, » quae respondeat oneribus missa- » rum celebrandarum, secundum » morem civitatis vel provinciae.

» Ad VII. Permittendum non » esse, ut Ecclesiae ac loca pia, seu » illorum administratores, ex elee- » mosynis Missarum celebrandarum » ullam, utcumque minimam, por- » tionem retineant ratione expen- » sarum, quas subeunt in Missarum » celebratione, nisi cum Ecclesiae » et loca ipsa alios non habeant » redditus, quos in usum earumdem » expensarum erogare licite possint; » et tunc quam portionem retine- » bunt, nullatenus debere excedere » valorem expensarum, quae pro » ipsomet tantum Missae sacrificio » necessario sunt subeundae, et ni- » hilominus eo etiam casu curandum » esse, ut ex pecuniis quae super- » sunt, expensis ut supra deductis, » absolute tot missae celebrentur, » quot praescriptae fuerint ab of- » ferentibus eleemosynas.

» Ad VII. Non habere locum, » sed satis esse, ut Rector beneficii » qui potest Missam per alium ce- » lebrare, tribuat Sacerdoti cele- » branti eleemosynam congruam se- » cundum morem civitatis, vel pro- » vinciae, nisi in fundatione ipsius » beneficii aliud cautum fuerit.

» Ad VIII. Debere absolute inte- » gram eleemosynam tribuere Sa- » cerdoti celebranti, nec ullam il- » lius partem sibi retinere posse. »

Datum die 22 Septembris anno 1625 Pontificatus Urbani VIII anno III.

Anno 1874 a s. Congregatione Concilii decretum prodiit, quod *apud Acta s. Sedis Tom. VIII. p. 107* ita refertur.

Responsio ad nonnulla dubia data a s. Congregatione Concilii Tridentini.

« Cum circa eleemosynas mis- » sarum quaedam quaestiones s. Sedi » propositae fuerint, eas SS. D. N. » Pius divina providentia Papa IX

» Emis, ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus Concilio Tridentino interpretando ac vindicando praepositis, expendendas ac resolvendas mandavit. Itaque iniuncto sibi muneri, ea qua par est diligentia et consilii maturitate iidem Emi Patres satisfacere cupientes, infrascripta dubia desuper concinnari voluerunt.

» I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum Bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecunia sed libros aliasve merces rependunt?

» II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus Sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur?

» III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

» IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus, vel Locis piis eleemosynas Missarum tradunt Bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine?

» V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis Bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro?

» VI. An illicite agant ii, qui pro missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie?

» VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant?

» VIII. An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem Sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant?

» IX. An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae

» singulis Sacerdotibus, sive quae » Ecclesiis et locis piis a fidelibus » celebrandae committuntur, accu- » rate et fideliter persolvantur?

» Quibus dubiis non semel in » propriis comitiis sedulo et accu- » rate perpensis, tandem in Con- » gregatione generali habita in Pa- » latio Apostolico Vaticano die 25 » Iulii 1874, iidem Emi Patres in » hunc modum respondendum cen- » suere:

» Ad I. Affirmative.

» Ad II. Negative

» Ad III. Affirmative.

» Ad IV. Affirmative.

» Ad V. Affirmative.

» Ad VI. Negative.

» Ad VII. Negative nisi de con- » sensu oblatorum.

» Ad VIII. et IX. Standum Con- » stitutionibus Apostolicis et Decre- » tis alias datis. (1)

» Factaque die 31 Augusti 1874 » de his omnibus SSmo D. N. per » me infrascriptum Secretarium re- » latione, Sanctitas Sua resolutio- » nes S. Congregationis Apostolica » sua auctoritate adprobavit et con- » firmavit, atque ad Episcopos » transmitti iussit, ut ipsi eas intra » propriae iurisdictionis limites exe- » quendas, perpetuoque et invio- » labiliter servandas curent. Con- » trariis non obstantibus quibuscum- » que.

» Datum Romae ex Secretaria » S. Congregationis Concilii die 9 » Septembris 1874. »

P. Card. Caterini *Praef.*
P. Archiepiscopus Sardianus Secret. (2)

Eiusmodi Resolutiones novas excitarunt dubitationes pro casibus particularibus. Hinc ad eamdem S. Congregationem Concilii expositum fuit.

« I. In Dioec. T. percelebre adest » Sanctuarium B. Mariae primaevae » labis experti dicatum, quo innu- » meri quotidie peregrinantur, et » pro Missis quas relinquunt cele- » brandis stipendium tradunt, quod » commune plurimum excedit. Or- » dinarius videns fieri non posse ut » tot Missae in Sanctuario persolve- » rentur, alio eas celebrandas mitte- » bat, retenta pro Sanctuario quarta » parte eleemosynae, ratus fideles » pinguiora stipendia largientes san- » ctuarii expensis ac decori con- » sultum voluisse. Quotidie sed pro » omnibus offerentibus unam Mis- » sam in sanctuario celebrandam » praeceperat. Dein quartam par- » tem eleemosynarum non modo » Sanctuarii necessitatibus, sed » etiam clericis pauperibus alendis » addixit. Tandem anno 1873 a » S. Concilii Congregatione petiit, » ut hanc agendi rationem ratam » haberet, rescriptumque accepit: » *praevia sanatione quoad praete- » ritum, ac celebrato maiori qui*

(1) Vide Benedictum XIV. Inst. Eccl. 56; De Synod Dioeces. lib. V. cap. 8. et seq. De Sacrif. Missae lib. 3. cap. 21 et seq.

(2) *Acta S. Sedis* Tom. VIII. pag. 107.

» *fieri potest*, Missarum numero in » designata Ecclesia, pro gratia » translationis reliquarum, cum fa- » cultate de earumdem eleemosy- » na, quatenus unum francum exsu- » peret, retinendi medietatem por- » tionis illius, quae francum eum- » dem excedat, in expositam cau- » sam sub Episcopi dependentiam » fideliter erogandam arbitrio et » conscientia eiusdem docto ad » quinquennium.

» At anno insequenti idem Epi- » scopus exposuit non leves exoriri » difficultates in divisione residui » ultra francum; hinc postulavit, ut » Sacerdoti celebranti communis » loci taxa, id est unus francus as- » signaretur; reliquum vero, si » quinque francos excederet, San- » ctuario cederet, si quinque fran- » cos non superaret, dimidium » Sanctuario, alterum dimidium » maiori et minori Seminario, et » Dioecesanis Collegiis addiceretur. » Arguebat namque Episcopus, » quidquid communem et manua- » lem eleemosynam lege Dioece- » sana statutam superat, praesumi » a fidelibus oblatum non presby- » teris alio celebrantibus, sed San- » ctuario ipsi et communi Ecclesiae » bono.

» II. Archiepiscopus L. narra- » bat, ad Sanctuarium Mariae Vir- » ginis F. confluere magnam Mis- » sarum celebrandarum copiam, » quarum taxa ad duas gallicas li- » bellas pro eo loco statuta est. » Sanctuarii Capellanos si ibi cele- » brent integram taxam percipere; » dum e contra exteri Presbyteri » ibi pariter celebrantes libellam » unam et cent. 25 percipiunt. Sed » multas semper superesse Missas » quae infra annum litari nequeunt; » quarum decem millia traduntur » Archiepiscopo. Hunc vero toti- » dem alibi celebrandas committere, » tradita unius libellae eleemosyna; » proindeque in eius manibus su- » peresse quotannis libellarum de- » cem millia, quas ipse impendit » pro supplenda Capellanorum Ca- » thedralis Ecclesiae sustentatione. » Demum alias Missas quae infra » annum in sanctuario absolvi ne- » queunt, tradi Curiae Episcopali » alio celebrandas, detracta prius e » singulis una libella, per Sanctuarii » Rectorem in expensis cultus, at- » que pro alendis poenitentiariis, » fratribusque qui Ecclesiae et Sa- » crarii curam gerunt eroganda.

» III. Superior Monasterii T. pro- » vinciae B. exponebat octo iam » ab annis se stipendia Missarum » accipere consuevisse, et dimidiam » vel etiam maiorem partem reti- » nere pro nova fundatione Mona- » sterii in iisdem regionibus. Omnes » enim in illis regionibus novas » fundationes ex eleemosynis so- » lummodo oriri et prosperari posse. » Reliquam vero partem tribuere » Sacerdotibus celebrantibus, qui » consentientes ea contenti erant.

» IV. Episcopus E. in sequelam » memoratarum resolutionum diei » 25 Iulii 1874 exponebat, se suae

» Dioecesis sacerdotibus prohibuisse » *ne imposterum quoscumque libros,* » *vel quaelibet Diaria acciperent* » *vel peterent ab Ecclesiasticis vel* » *Ephemeridum moderatoribus, qui* » *pro Missis celebrandis eleemosy-* » *narum loco ea traderent... Sed* » *dubitatum fuisse, an vere in prae-* » *laudatis resolutionibus comprehen-* » *sum fuerit eiusmodi vetitum.* » Ideoque bina proponebat dubia: » 1°. *An illicite agant ii qui cum* » *non sint Bibliopolae ac mercatores* » *vel aliter Missarum celebranda-* » *rum quaesitores, verum Ecclesia-* » *stici viri, quibus sponte a fideli-* » *bus missarum celebrandarum elee-* » *mosynae tribuuntur, quique ad* » *bonos libros, vel diaria religiosa* » *evulganda, eas celebrandas offe-* » *runt Sacerdotibus, ut inde hi* » *accipiant stipendii loco libros vel* » *ephemerides?*

» 2°. An illicite agant huiusmodi » Sacerdotes, qui vel iis oblatas a » supradictis Ecclesiasticis missas » acceptant, vel ipsi eas petunt ce- » lebrandas, ut inde queant *pro* » *Missis iam celebratis* earum sti- » pendii loco libros vel diaria ac- » ceptare vel petere, cum ipsi » aliunde sciant aut sibi persuadeant » aliter non obtenturos easdem mis- » sas pro effectiva eleemosyna ce- » lebrandas?

» V. Administrator Latinae Ephe- » meridis *Acta S. Sedis* ad S. Con- » cilii Congregationem exposuit, » quidquid ex eiusdem Ephemeridis » venditione hauritur lucri, impendi » pro Collegio Missionum Aposto- » licarum (1); cumque plures fre- » quenter praesto sint eleemosynae » Missarum, has celebrandas hucus- » que commisisse Sacerdotibus, qui » vel nomen Ephemeridi dederant, » vel Editionem manualem *Com-* » *mentaria in Apostolicam Consti-* » *tutionem* Apostolicae Sedis a Petro » Avanzini exarata coemerant; tali » tributo eleemosynarum numero, » qui pretium rei aequaret, nihil » retento. (2) Verum cognitis me- » moratis s. Congregationis reso- » lutionibus, ne quid illicitum ad- » mitteret, huiusmodi methodum » se intermisisse; licet inde magnum » Pia Institutio incommodum ferret.

(1) Hoc advertant lectores nostri. Lucra quae ex Ephemeride percipiuntur pro missionibus Catholicis applicantur, non nobis porriguntur; ideoque qui huic Ephemeridi dant nomen, beneficium sacris missionibus impendunt.

(2) Neque hoc tantum: Sed missas iis sacerdotibus celebrandas committimus, de quorum *conscientia bona* sufficiens testimonium habemus. Respuimus enim sacerdotes associationem pro missarum eleemosynis petentes, quos aut non novimus, aut minus pios novimus. Paucis: nos nullam fidem damus documentis de satisfacta celebratione etiam ab officialibus Curiae Episcopalis visis. Hi enim testimonium ferunt *de identitate characteris, aut personae,* non vero *de celebratione missarum.* Quomodo enim ipsi scire possent sacerdotem N. celebrasse missas? Quia scilicet sacerdos N. id affirmat. Quid autem si Sacerdos N. mentiatur?

» Quapropter et ipse instituit ut de-
» clararetur; an eamdem viam in
» posterum sequi tuto posset. »

Idipsum plus minus exposuit aliquis alius sacrarum Ephemeridum Moderator.

Proposita hinc fuerunt sequentia dubia:

« I. An et quomodo annuendum sit Episcopi T. precibus in casu?

2. An et quomodo annuendum sit Archiepiscopi L. precibus in casu?

III. An et quomodo concedenda sit Superiori T. provinciae B. sanatio et absolutio quoad praeteritum pro missis tam celebratis quam celebrandis in casu?

IV. An et quomodo annuendum sit eiusdem Superioris precibus?

V. An et quomodo sustineatur Decretum Episcopi C. absolute prohibens Sacerdotibus suae Dioecesis ne libros vel Diaria religiosa pro Missis celebratis vel celebrandis recipiant?

VI. An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui Sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu?

Et quatenus affirmative.

VII. An, et quomodo concedenda sit sanatio et absolutio quoad praeteritum, et facultas quoad futurum, iis religiosarum Ephemeridum moderatoribus vel administratoribus, qui supplicem ea de re huic s. Congregationi libellum dederunt in casu? »

S. Congregatio sub die 24 Aprilis 1875 omnibus mature perpensis respondit:

« Ad 1. Affirmative: commonefactis oblatoribus de translatione, de dilatione celebrationis missarum, ac de usu excedentis eleemosynae, facto verbo cum SSmo (1).

Ad II. Affirmative ad decennium; a die et ad formam praecedentis indulti, et ad mentem. Mens est *quod scribatur Archiepiscopo ut elapso decennio moneantur oblatores,* facto verbo cum SSmo.

Ad III. Affirmative, celebrata una Missa cum cantu, adsistente universa Communitate, facto verbo cum SSmo.

Ad IV. Negative, nisi agatur de Missis sponte oblatis, monitis oblatoribus, ut in primo dubio, facto verbo cum SSmo.

Ad V. Praeformato dubio: *An et quomodo respondendum sit Episcopo C. in casu,* Negative in omnibus ad utrumque.

Ad VI. Negative; dummodo nil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum, ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione Missarum, et

(1) Duo perspiciant lectores, et consensum oblatorum, et facultates apostolicas. Nulla hinc contradictio aut derogatio praecedentibus decretis.

docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad VII. Provisum in praecedenti; et attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dilationis celebrationis, non ultra tamen sex menses, facto verbo cum Sanctissimo. »

Exinde colligant lectores:

1. Vetitam esse quamcumque dispositionem circa eleemosynas missarum citra oblatorum mentem susceptam.

2. Quoties vel translatio, vel dilatio celebrationis, vel partis eleemosynae taxam excedentis in pios usus conversio opportuna ac utilis videatur, toties oblatores de huiusmodi commutationibus esse admonendos.

3. Eos omnes qui proprio marte, sed bona fide secus egerint, absolutionem quoad praeteritum ac sanationem petere debere.

4. Ecclesiasticos viros, quibus sponte a fidelibus Missarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda intendunt, quoties sacerdotibus libros vel diaria quaerentibus Missas celebrandas committunt, ac stipendii loco libros vel Diaria tradunt, eleemosynis retentis, illicite non agere. (1)

5. Vicissim Sacerdotibus Missas sibi commissas celebrantibus licere stipendii loco libros religiosos ac diaria accepto habere.

6. Ephemeridum Moderatoribus vel Administratoribus permitti eamdem rationem sequi; dummodo non obsit oblatorum vel fundatorum voluntas, exclusa qualibet studiosa Missarum collectione, nec non docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione.

7. Celebrationis dilationem ultra sex menses numquam esse protrahendam.

« Plures Episcopi in Galliis A- » postolicum obtinuerunt indultum

(1) At quaeritur: Quid, ni sint sacerdotes qui libros et diaria religiosa quaerant, sed bibliopolae, vel auctores missas ultro offerant pro libris religiosis et non religiosis, et mediante Missarum oblatione in pubblicis ephemeridibus praeconio indicta, emptores quaerant?

Quid; si quibuscumque sacerdotibus merces offerantur pro missarum eleemosynis?

Quid; si venditoribus magna ingeratur suspicio de praetermissa omnino celebratione missarum, quamvis sacerdotes afferant documentum Curiae Episcopalis? Ex. gr. Titius sacerdos emit a Bibliopola N. Breviarum cum missarum eleemosynis respondentibus pretio viginti francorum. At illico Titius vendidit Caio sacerdoti idem Breviarium pretio francorum quinque. Bibliopola id novit et accepta documentum de paracta celebratione missarum a Curia Episcopali visum. Potest ne Bibliopola iste rationabiliter supponere, a Titio fuisse missas reapse celebratas? Attamen eiusmodi infanda committuntur, utinam raro! et mercatores habentur christianissimi, religionis zelo ornati, et Sedi Apostolicae addictissimi! Ut cetera silentio promamus.

» cuius vigore Parochi facultatem » habent, certis diebus, quibus aliunde Missa pro populo dicenda foret, ss. sacrificium ad intentionem » stipendium dantis celebrandi; ea » tamen lege ut illud stipendium » ad Episcopos mittatur, et pro piis » operibus Dioecesanis a S. Sede » determinatis impendatur. Porro » cum fideles pro hac Missa eleemosynam stipendio ordinario pingu'iorem, saepe saepius offerant, » Parochi non pauci, misso, ut par » est, ad Episcopos stipendio a statutis Dioecesanis taxato, quod superat servari sibi licitum esse vindicant, quia adest, inquiunt, pro » hac parte eleemosynae retinenda, » titulus extrinsecus, nempe vel *labor extraordinarius*, si Missa sit » cum cantu, si aliquod intersit » faciendum, si Missa fuerit publice » praenuntiata in Dominica praecedenti; vel praesertim *liberalitas* » intuitu solius personae *sponte et* » *evidenter* impertita. »

Propositum hinc fuit sequens dubium dirimendum.

« An Parochi, misso ad Episcopum » stipendio a statutis Dioecesanis taxato, valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu. »

Sacra Congregatio sub die 31 Ianuarii 1880 censuit respondere:

Negative, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae, oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum?

Et de hoc capite satis.

Monitum Auctoris Commentarii ad Lectores.

Novi, plerosque lectores queri de Commentarii prolixitate. Fateor illud prolixum esse: sed etiam fateor me aliter facere non posse. Clarissimus Presbyter Avanzini qui illud incoepit, ei hunc titulum praemisit: *Constitutio qua censurae latae sententiae limitantur* DOCUMENTIS OMNIBUS MUNITA. Ipse vero ne indicto programmati deesset, pro tribus Capitibus, tertio tamen non absoluto, impendit 149 paginas. Ego hinc arbitror, nedum me non esse modum praetergressum, sed fortasse programmati statuto defuisse; non enim documenta omnia attuli quae afferre poteram.

Puto tamen, volumen primum proximo anno esse absolvendum, quod benevolis lectoribus cum indice analytico daturus ero.

APPENDIX XXVI

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN TRACTANTES SUADENTES AUT ALIAS VERBA FACIENTES DE ALIENATIONE ET INFEUDATIONE LOCORUM AD ROMANAM SEDEM PERTINENTIUM

« Officii nostri ratio postulat, » inquiebat Pius Papa IX in allocu- » tione habita die 20 Aprilis 1849, » ut in civili Apostolicae Sedis » principatu tuendo, iura posses- » sionesque S. R. Ecclesiae, atque » eiusdem Sedis libertatem, quae » cum totius Ecclesiae libertate et » utilitate est coniuncta, totis viri- » bus defendamus. Et quidem ho- » mines qui commemorato plau- » dentes decreto (1) tam falsa et » absurda affirmant, vel ignorant, » vel ignorare simulant, singulari » prorsus divinae providentiae con- » silio factum esse, ut Romano Im- » perio in plura regna variasque » ditiones diviso, Romanus Ponti- » fex, cui a Christo Domino totius » Ecclesiae regimen et cura fuit » commissa, civilem principatum » hac sane de causa haberet ut ad » ipsam Ecclesiam regendam, eius- » que unitatem tuendam plena illa » potiretur libertate, quae ad su- » premi Apostolici ministerii munus » obeundum requiritur.

» Namque omnibus compertum » est, fideles populos, gentes, re- » gna numquam plenam fiduciam » et observantiam esse praestitura » Romano Pontifici, si illum alicuius » principis vel gubernii dominio » subiectum, ac minime liberum » esse conspicerent. Siquidem fi- » deles populi et regna vehemen- » ter suspicari ac vereri numquam » desinerent, ne Pontifex idem » sua acta ad illius Principis vel » gubernii, in cuius ditione versa- » retur, voluntatem conformaret, » atque idcirco actis illis hoc prae- » textu saepius refragari non du- » bitarent. Et quidem dicant vel » ipsi hostes civilis principatus Apo- » stolicae Sedis, qui nunc Romae » dominantur, quanam fiducia et ob- » servantia ipsi essent excepturi » hortationes, monita, mandata, » constitutiones Summi Pontificis,

(1) Vulgo *Costituente Romana*, qua Pontifex Romanus de iure et de facto declarabatur exclusus temporali gubernio.

» cum illum cuiusvis principis, aut » imperio subditum esse cognosce- » rent, praesertim vero si cui sub- » esset Principi, inter quem et » Romanam ditionem diuturnum » aliquod ageretur bellum! »

Atque saepissime hanc in rem praeclarus ille Pontifex toto sui Pontificatus tempore institit, praesertim in allocutione *Si semper antea* 20 Maii 1850, in litteris apostolicis *Cum catholica Ecclesia* 26 Martii 1860; in Allocutione *Novas* 28 Septembris 1860; in Allocutione *Iamdudum* 18 Martii 1861; in Allocutione *Maxima quidem* 9 Iunii 1862; hancque sententiam in Syllabo consecravit, dum num.° 76 hanc propositionem diris amandavit: *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.* Cuius propositionis damnatio veluti praeformata fuit a Clemente VIII, dum affirmavit, praetextum potius, quam veram necessitatem aut utilitatem induci cum Romanus Pontifex impellitur ad alienanda, vel infeudanda Ecclesiae dominia, ut inferius lectores nostri videbunt.

Interea, ut dominium temporale S. Sedis hisce infaustis temporibus sartum tectumque maneret, et ne qui, procella ingruente, Romanum pro tempore Pontificem ad illud alienandum vel feudo tradendum aliquo pacto impelleret, Pius Papa IX excommunicationi sibi simpliciter reservatae subiecit: *Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V* Admonet nos *quarto kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX* Quae ab hac Sede, *pridie Nonas Novembris 1291; Clementis VIII* Ad Romani Pontificis curam, *25 Iunii 1592;* et *Alexandri VII,* Inter ceteras *nono kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. Ecclesiae respicientibus.*

Ut ex lectione patet, Piani Capitis intelligentia omnino pendet ex citatis Praedecessorum Pontificum Constitutionibus; qua de causa illas afferre, et illis insistere oportet, antequam in re quidquam nobis disputare vel definire liceat.

Prima itaque Constitutio quae in praefato Capite citatur, a S. Pio V lata fuit die 29 Marti 1567, quaeque ita legitur. (1)

« Admonet nos suscepti cura » regiminis universalis Ecclesiae, » cui, auctore Domino, praeside- » mus, ut civitates, terrae, oppida » et loca Nobis et Sedi Apostolicae » in temporalibus mediate et im- » mediate subiecta, perpetuo in » iure, dominio et proprietate ac » possessione dictae Sedis conser- » ventur.

» §. 1. Sane licet nonnulli Ro- » mani Pontifices Praedecessores » Nostri, per eorum Constitutiones, » rerum ecclesiasticarum alienatio- » nes prohibuerint, et iam factas

(1) Habetur in Bullar. Ed. Taur. 1862. Tom VII. pag. 560.

» revocaverint et annullaverint; ni-
» hilominus cum retroactis tempo-
» ribus nonnulli nimium ambitiosi
» et dominandi cupidi, sub variis
» praetextibus, coloribus et causis,
» saepe etiam falsis (quod non sine
» maximo animi nostri moerore re-
» ferimus) aliquibus Romanis Pon-
» tificibus suggestionibus et insi-
» nuationibus suis conati sint osten-
» dere et persuadere, magis utile
» et expediens S. R. E. et Sedi
» praefatae fore, si aliquae civita-
» tates, terrae, oppida, castra, arces
» et loca ad ius et proprietatem
» eiusdem Sedis pertinentia, in
» feudum, gubernium, vicariatum,
» ducatum, aut quemvis alium ti-
» tulum perpetuum, vel ad tertiam
» generationem, seu ad vitam, aut
» alias ad longum tempus conce-
» derentur; vel etiam ex eo quod
» alias in feudum data, aut quovis
» alio titulo huiusmodi alienata fue-
» rint, et propterea tamquam ad
» Sedem praedictam devoluta vel
» devolvenda; posse et debere de
» iure iterum infeudari et alienari,
» atque inde nonnullas alienationes
» et concessiones a Sede Apostolica
» emanasse, ex quibus illa non me-
» diocrem diminutionem non solum
» patrimonii, sed etiam aestimatio-
» nis recepisse dignoscitur.

» §. 2. Hinc est quod nos con-
» siderantes omnium civitatum et
» locorum praedictorum singularem
» fidem et promptam devotionem
» eidem Sedi exhibitam omni tem-
» pore valde utilem et salutarem
» fuisse et esse; ac volentes non
» solum alienationes huiusmodi,
» quas tempore nostro omnino e-
» xulare intendimus, de medio tol-
» lere, et quod nobis licere non
» patimur, nostris Successoribus in-
» dicamus, quod non immemores
» fore speramus ante Domini No-
» stri Iesu Christi, in examine diei
» magni adventus, tribunal, villi-
» cationis nostrae rationem reddi-
» turos nos esse, sed ut omnis alie-
» nationum huiusmodi fiendarum
» occasio penitus aboleatur, quan-
» tum cum Deo possumus, per
» amplius providere, Constitutio-
» nibus praedecessorum nostrorum
» huiusmodi etiam inhaerendo, il-
» lasque innovando, motu proprio
» et ex certa nostra scientia, non
» ad alicuius super hoc nobis ob-
» latae petitionis instantiam, sed
» ex mera animi nostri delibera-
» tione, et de Apostolicae potesta-
» tis plenitudine, habita etiam su-
» per his cum venerabilibus fratri-
» bus nostris Sanctae Romanae Ec-
» clesiae Cardinalibus in Consisto-
» rio nostro secreto deliberatione
» matura, de eorum consilio et una-
» nimi assensu (qui etiam iurave-
» runt praesenti Constitutioni non
» contravenire, nec Pontificibus
» alienationes contra tenorem prae-
» sentium attentatibus consentire,
» et absolutiones a iuramento hu-
» iusmodi non petere, nec acce-
» ptare), hac nostra perpetuo va-
» litura Constitutione decernimus
» et declaramus civitates, et loca

» praedicta, etiam hactenus in feu-
» dum aut quemvis alienationis ti-
» tulum dari solita vel consueta,
» ad nos et Sedem praefatam quo-
» modolibet devoluta, et pro tem-
» pore devolvenda, absque alia ul-
» teriori declaratione et illorum
» possessionis apprehensione, eo
» ipso Sedi Apostolicae incorpora-
» rata, ac ad ius et proprietatem
» et dominium pristinum ac pos-
» sessionem rediisse censeri, per-
» inde ac si, per quadraginta annos
» et ultra, civitates et loca prae-
» fata a nobis et Sede praefata im-
» mediate possessa, et numquam
» in feudum aut alium titulum con-
» cessa fuissent.

» §. 3. Statuimus et decerni-
» mus quod omnes et singulae,
» tam communitates et universita-
» tes, quam cives et incolae civi-
» tatum, terrarum et locorum prae-
» dictorum, aliaeque quaecumque
» personae, tum ecclesiasticae, tum
» saeculares, cuiusvis dignitatis et
» ordinis, etiam episcopalis vel ma-
» ioris, existentes, ac S. R. Eccle-
» siae Cardinales, tam publice in
» consiliis civitatum et locorum
» praefatorum, quam privatim alibi
» in quibusvis locis, etiamsi civi-
» tatum et terrarum earumdem
» gubernatores, aut Sedis Apostoli-
» cae Legati vel Prolegati existant,
» tractantes, consulentes, aut alias
» verba facientes de infeudationi-
» bus aut alienationibus de civita-
» tibus et locis praefatis immediate
» ad Nos et Sedem praefatam spe-
» ctantibus et pertinentibus, etiam
» devolutis, etiam in feudum com-
» muniter et pluries dari solitis,
» etiam ex causa permutationis vel
» sub annuo censu et canone aut
» alias quomodolibet, etiam con-
» templatione meritorum erga Se-
» dem praefatam, aut sub praetextu
» necessitatis vel evidentis utilita-
» tis faciendis, seu de postulandis
» a Nobis et Sede praefata quibus-
» vis personis, cuiusvis dignitatis,
» status, gradus, etiam nobis et suc-
» cessoribus nostris secundum car-
» nem coniunctis, etiam S. R. Ec-
» clesiae Cardinalibus, aut quavis
» alia temporali vel ecclesiastica
» dignitate fungentibus, in duces,
» vicarios, gubernatores, seu quem-
» vis alium titulum ad vitam, vel
» in perpetuum, vel longum tem-
» pus, aut etiam Sedis Apostolicae
» beneplacitum, civitatum et loco-
» rum praefatorum, ac propterea
» de eligendis oratoribus ad nos et
» successores nostros super prae-
» missis vel illorum occasione mit-
» tendis, proponentes, tam ipsi,
» quam Oratores munus huiusmodi
» recipientes, aut alii quicumque
» alienationes huiusmodi Romano
» Pontifici pro tempore existenti,
» per se, vel alium seu alios insi-
» nuantes vel suadentes, eo ipso
» sententiam excommunicationis in-
» currant, a qua, nisi ab ipso Pon-
» tifice, praeterquam in mortis ar-
» ticulo, absolvi nequeant. Et in-
» super S.R. Ecclesiae et Sedis Apo-
» stolicae praefatae rebelles, etiam

» in primo capite laesae Maiestatis, » et proditores civitatum et loco- » rum praefatorum ac bona eorum » Fisco et Camerae Nostrae Apo- » stolicae ipso iure devoluta et in- » corporata sint et esse censeantur; » omnibusque Ecclesiis, Monasteriis » et aliis per eos quomodolibet ob- » tentis beneficiis ecclesiasticis eo » ipso privati existant, neque ad » civitates et loca praefata ullo um- » quam tempore remitti possint. » Et si aliquando eos reintegrari » contigerit, nihilominus infames » remaneant, illisque honorum et » dignitatum portae perpetuo clau- » dantur.

» §. 4. Et quoniam intelleximus » aliquos etiam Cardinales, civita- » tes, terras, oppida, castra, arces » et loca ad vitam, seu tertiam vel » aliam generationem, aut alias a » dicta Sede, etiam ex causa one- » rosa, obtinere, habere et possi- » dere, cum facultate faciendi in » illis melioramenta, ita quod ab » eis amoveri non possint, nisi re- » stitutis sibi prius pecuniis in me- » lioramenta huiusmodi expositis, » omnes et singulas facultates fa- » ciendi melioramenta praefata qui- » busvis personis, etiam Cardina- » libus, per eosdem praedecessores » nostros aut alios ad id facultа- » tem habentes quomodolibet con- » cessas harum serie revocamus et » annullamus, et nemini deinceps » suffragari posse, neque debere; » ac cuicumque facultatem faciendi » melioramenta huiusmodi habenti, » illa etiam pro munitione et tui- » tione, nisi ex causa necessariae » conservationis locorum eorum- » dem, facta fuerint, post publica- » tionem praesentium facere om- » nino interdicimus ac prohibemus; » et si secus a quoquam factum » attentatumve fuerit, melioramen- » ta quaecumque per eos contra » tenorem praesentium facta locis » ipsis cedere, et Cameram ad il- » lorum satisfactionem minime te- » neri et obligatam esse volumus » et declaramus. »

Atque post clausulas praeservativas, decretum irritans, et clausulas derogatorias, prosequitur Pontifex.

» §. 9. Volumus autem quod, » sicut omnes et singuli Cardinales » praesentes Constitutionem huius- » modi, quantum in eis erit, ob- » servare, illique non contravenire, » nec Pontificibus contrafacientibus » consentire (1), aut absolutionem » a iuramento praestito non pete- » re, nec oblatam aut concessam » acceptare, in consistorio nostro » secreto promiserunt et iurarunt, » item per absentes Cardinales a » Consistorio, in habitatione eo- » rum, et a Romana Curia, ut quan- » documque ad eamdem Curiam » se contulerint, ac per futuros » pro tempore Cardinales, in as- » sumptione pilei, promitti, et iu-

(1) Idque prudentissime: Pontifices enim contrafacientes, tunc temporis futuri non erant alii quam Nepotistae.

» rari debeat, ac promissionem et » iuramentum huiusmodi in forma » iuramenti per eosdem Cardinales » praestari soliti adiungi et inseri » debere; ac contrafacientes poe- » nam periurii et perpetuae infa- » miae iuris et facti eo ipso in- » currere decernimus. Propterea » quod ipsi Cardinales, occurrente » Apostolicae Sedis vacatione, in » conclavi, quando de observandis » litteris Iulii Papae II praedeces- » soris nostri, super electione R. » Pontificis et aliis constitutionibus » iuramentum praestare solent, et- » iam de inviolabiliter observanda » praesenti Constitutione nostra, » per quemlibet eorum, qui in Ro- » manum Pontificem electus fuerit, » et postmodum idem ad summi » Pontificatus fastigium assumptus, » post eius assumptionem, hoc » ipsum promittere ac iurare, et » deinde post coronationem suam, » promissionem et iuramentum hu- » iusmodi per literas suas specia- » les harum confirmatorias reiterare » debeat. Quod si illud a Pontifice » (quod credendum non est) recu- » sabitur aut differetur, tunc dicti » Cardinales, in primo Consistorio » secreto, et praecipue eorum De- » canus et Capita Ordinum apud » eum omni cum instantia et in- » stantissime pro praesentium ob- » servatione petere et rogare ac » obtestari non cessent, idque ut » omnino efficiat, diligentissime cu- » rare studeant, statuimus et ordi- » namus.

» §. 10. Quodque praesentes li- » terae in libellum redigantur, et » post praedictas Iulii litteras, quae » in dicto conclavi legi solent, in- » ter alias constitutiones nostras » adiungantur, et etiam in quin- » terno Cancellariae Apostolicae » cum aliis extravagantibus nostris » describantur, ac ad valvas Basi- » licae B. Petri Principis Apostolo- » rum, et in Cancellaria Nostra » Apostolica, ac acie Campi Florae » publicentur. Et quia difficile fo- » ret praesentes ad singula quaeque » loca deferri, decernimus etiam » et declaramus quod earum tram- » sumptis, etiam impressis, manu » alicuius notarii subscriptis, et si- » gillo alicuius praelati munitis, » eadem prorsus fides ubique, in » iudicio, et extra adhibeatur, quae » praesentibus adhiberetur, si fo- » rent exhibitae vel ostensae.

» §. 11. Nulli ergo omnino ho- » minum liceat etc. »

Haec Constitutio quamvis lata die 29 Martii, promulgata tamen solemniter fuit die 23 Maii 1567.

Ne errores quoad casus practicos subrepant, animadvertendum sedulo est, S. Pium V non loqui de alienatione proprie dicta, quae consistit in translatione perpetua dominii directi et utilis in alium, prout ex. gr. contingit in venditione, donatione etc; sed de alienatione improprie dicta, qua scilicet directum dominium, vel ius aliquod in loca alienata a S. Sede semper retinetur. Id constat 1. Ex

quo lex huiusmodi lata a S. Pio V fuit tum ut Romanos Pontifices cohiberet, qui aliquando Nepotum et propinquorum amore nimium abrepti, eis in feudum, vel alium titulum oppida et loca Romanis Pontificibus subiecta conferebant, quo super caeteros potentia et divitiis excellerent, sicut ob propinquitatem cum Romano Pontifice excellebant; tum ut refraenaret Cardinalium quorumdam sive audaciam, sive avaritiam, sive vanitatem, quibus ducti vel sibi, vel propinquis et familiae, sive amicitia coniunctis, a Romanis Pontificibus instantissime hoc vel illud feudum petebant.

2. Quia tunc temporis plurima aderant feuda eiusmodi variis Principibus ab antecessoribus Pontificibus collata, quibus illi etiam contra ipsam Romanam Ecclesiam abusi sunt; ex quo temporalis potentia Romanorum Pontificum, auctoritas, et bonum nomen valde minuebatur. In iis vero Romani Pontifices directum dominium retinebant.

3. Quia Romani ipsi Pontifices quos de Nepotismo accusant, dominia S. Sedis proprie non alienabant, sed Nepotibus et propinquis in feudum, ducatum etc. concedebant. Ex quo patet, quod cum alienatio proprie dicta non intercessisset, de ea S. Pius V loqui non potuit.

4. Ex hac ipsa S. Pii V Constitutione. Quamvis enim duplex vocabulum adhibeat, alienationem scilicet et infeudationem, tamen ex contextu patet, alienationem non esse intelligendam de absoluta dominii translatione. Id constat

a) Ex §. I. qua affirmat Pontifex, nonnullos antecessores Pontifices alienationes rerum Ecclesiasticarum prohibuisse, et iam factas revocasse. At non potuissent revocare alienationes absolute factas, nisi ratione contractus invalidi, qui non est praesumendus. Venditio enim ex. gr. vel donatio pretii et rei, aut rei traditione perficiuntur.

b) Ex eadem §., in qua paullo post affirmat, a nonnullis ambitiosis hominibus suggestum fuisse Romanis Pontificibus utilius S. Sedi futurum, si *aliquae civitates, terrae, oppida, castra, arces et loca ad ius et proprietatem eiusdem Sedis pertinentia in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur, vel etiam eo quod alias in feudum data, aut quovis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, et propterea tamquam ad Sedem praedictam devoluta vel devolvenda, posse et debere de iure iterum infeudari et alienari etc.*

Atqui 1. in terris vel oppidis quae concedebantur in feudum, gubernium etc. Romani Pontifices retinebant supremum dominium.

2. Terrae vel oppida quae quovis titulo fuerant alienata iterum

aliquando devoluta fuerant ad Romanam Sedem. Ergo alienationes eiusmodi non erant verae et proprie dictae alienationes, cum omnigena scilicet dominii directi et utilis translatione; alioquin quomodo iterum infeudari et alienari poterant?

3. S. Pius V promiscue adhibet et applicat verbum alienari ad loca data in feudum, aut alium quemvis huiusmodi titulum. Ergo alienatio, de qua S. Pius V, complecti non potest neque complectitur alienationes proprie dictas.

c) Ex §. 3. in qua praetermissa voce *infeudationem*, loquens de variis investiturarum generibus et nominibus, sive ad tempus, sive perpetuis eas sub unica *alienationis* voce complectitur, *proponentes*, dicens, *alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti*. Quod et perfecerat § 2 his verbis: *Sed ut omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur*. Et paullo post: *Declaramus..... loca praedicta etiam hactenus in feudum aut quemvis alienationis titulum dari solita:* at alii tituli alienationis erant *Ducatus, Vicariatus, Gubernium* etc; qui tituli constituebant investiturarum species, non autem proprie dictas alienationes. Ergo S. Pius V de alienationibus proprie dictis non loquitur.

Post haec videamus quinam a S. Pio V excommunicationi subiiciantur.

Et 1. excommunicantur generice omnes tam saeculares quam viri Ecclesiastici, fuerint Episcopi et Cardinales, Legati vel pro Legati S. Sedis Apostolicae qui tractent de infeudationibus aut alienationibus eiusmodi.

2. Etiam Communitates et Universitates, personae scilicet illas constituentes, quae in suis consiliis de re eadem pertractent sive publice sive privatim.

3. Consulentes tractationes eiusmodi, seu ii qui tractantibus de infeudationibus et alienationibus consilium porrigunt pro re ad effectum deducenda. Non enim *consulentium* nomine hoc in loco sunt intelligendi illi qui Romano Pontifici ipsi dant consilium de alienandis aut infeudandis Ecclesiae Romanae locis, oppidis etc., de quibus postea sub fine paragraphi agit Pontifex, sed de iis consulentibus qui in locis ipsis ubi morantur vel alibi eiusmodi porrigunt consilia. Id autem evidentissime patet ex verbis *tum publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum*, illorum scilicet, quae in feudum tradenda essent vel alienanda, *quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdem gubernatores, aut Sedis Apostolicae legati vel prolegati existant*. At certum est, haec de Romana Urbe intelligi non posse, cum in ea neque legati neque prolegati existant, et quamvis adsit gubernator, numquam tamen in mentem

eius vel venit, vel venire fortasse potuit de Romana civitate in feudum tradenda. Sunt igitur loca diversa: ergo praefati consulentes intelligi non possunt ii qui Romano Pontifici dant consilium.

4. Ii, qui quamvis non consulant, *alias* tamen *verba faciunt de infeudationibus aut alienationibus* civitatum, locorum etc. Quae legis dispositio ita intelligenda esse videtur, ut serio quis et accurata aliqua dispositione verba de eiusmodi faciat, non autem leviter et perfunctorie; ita scilicet ut rem, causas, rationes et modos proponat, quibus res ad effectum deduci possit. Nimis enim durum esset affirmare, excommunicationem eum incurrere qui adstantibus quibuscumque simpliciter diceret ex. gr. *placeret mihi ut Romanus Pontifex urbem N. N. in feudum daret;* aut: *volumus ne Romano Pontifici insinuare, ut haec vel illa oppida in feudum, vel ducatum tribuat Principi N, vel Cardinali N?*

Haec enim nimis levia videntur, quaeque comprehendi nequeant sub verbis *aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus* etc. Quae communi sensu significant tractatum quemdam habere circa rem perficiendam, aut de ea serio loqui.

Ancipites haesimus an actiones expressae per verba *tractantes, consulentes, aut alias verba facientes* inducerent excommunicationem per se, nullo habito respectu ad subsequentes actiones, de *postulandis*, scilicet, a Romano Pontifice *personis cuiusvis dignitatis in duces, vicarios* etc., *ac propterea de eligendis oratoribus* etc.; an vero illam inducerent coniunctae cum his postremis actionibus.

At re accurate perpensa, postremam sententiam amplectimur hisce ducti rationibus.

a) Quia finis Constitutionis latae est eiusmodi suasores, suggestores et consiliarios a Romanis Pontificibus removere.

b) Quia inutile est loqui de infeudationibus et alienatienibus sine ulla Romani Pontificis cognitione et scientia, qui unicus potest eiusmodi negotia ad effectum amandare.

c) Quia verba §. 3 *super praemissis, vel illorum occasione mittendis* possunt complecti omnia quae supra proposita sunt; in odiosis autem mitiorem interpretationem sequi cogimur.

d) Quia haec est omnium interpretum et commentatorum Pianae Constitutionis sententia, eorum saltem quos nos legimus, quique pauci non sunt, neque levis auctoritatis.

5. Ii qui agunt de postulandis a Romano Pontifice, vel Romana Sede *personis cuiusvis dignitatis, status* etc. *in duces, vicarios et gubernatores.... civitatum et locorum praefatorum; ac propterea de eligendis oratoribus* ad Sedem Apostolicam super praemissis mitten-

dis. Quo in loco advertendum est, pro duplici hoc facto unam excommunicationem incurri, cum adverbium illud *propterea* coniungat actionem, seu consilium postulandi, cum consilio de eligendis oratoribus pro exequenda postulatione; quae altera actio, ut ex contextu patet, habetur veluti primae complementum.

6. Excommunicationi pariter subduntur oratores qui munus Summi Pontificis adeundi suscipiunt et acceptant. Qua in re notandum est, quod S. Pius V de una acceptatione loquitur, quin verbum proferat vel de suscepto itinere rei gratia consequendae, vel de re a Romano Pontifice impetrata; hinc excommunicatio ex hoc capite incurritur legatione non secuta sed tantummodo acceptata, neque effectu obtento.

7. Demum alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se, vel alium seu alios insinuantes vel suadentes.

Porro *insinuare*, iuxta Bonacinam, idem est ac declarare mentem suam esse, ut Summus Pontifex praedicta loca alienet, vel infeudet. *Suadere* autem est consulere, aut aliquo praetextu, seu ratione permovere ad alienationes huiusmodi faciendas. *De Excomm. in partic. extra Bullam coenae, Disp. II. Q.III. Punct. 41. n. 4.*

Hoc vero in loco sermo est de iis qui ipsi Romano Pontifici per se vel per alios huiusmodi alienationes insinuant, vel suadent. Qua de causa, cum in lege odiosa versemur, proindeque stricto sensu interpretanda, non essent illi excommunicati qui id suaderent vel insinuarent per epistolas, cum S. Pius V de personis loquatur. (1)

Non refert autem an huiusmodi personae insinuationis et suasionis effectum retulerint, cum legislator de una insinuatione et suasione loquatur, quae ratione praesumptionis seu attentati in se completa censetur, etiam non secuto effectu.

Hac tamen in re ea scire necessarium est quae tradit Bonacina *De Censuris in particulari extra Bullam Coenae, Disp. II, Quaest. III, Punct. 41, Propos. secunda, n. 7.* « Limitatur (propositio) quoad eum » qui hoc facit de licentia Summi » Pontificis; eius enim est legem » abrogare, cuius est eam condere. » Immo Sopranus apud Filliucium » *Tract. 44, cap. 3, §. 3, quaest. 4* » illum eximit ab excommunica- » tione, qui Summum Pontificem » adit, ipsumque de hac re allo- » quitur, et ab eo non repellitur; » nam eo ipso quo Summus Pon- » tifex illum ad proponendum ad-

(1) Novimus alios contrarium tenere, incurri scilicet excommunicationem, etiamsi quis per epistolam Romano Pontifici insinuet aut suadeat interdictam alienationem; at ut sincere loquamur, nescimus quo argumento sententiam suam probent.

» mittit, censetur cum eo dispen-
» sare, et facultatem tractandi con-
» cedere.

» Haec opinio probabilis est, pro-
» sequitur Bonacina, modo Ponti-
» fex conscius esset rei ab altero
» agendae, antequam ille de ea re
» ageret; nam dispensatio praece-
» dere debet actionem sub excom-
» municatione prohibitam. Secus
» si Pontifex ignorabat de qua re
» acturus esset, aut si eum repulit
» postquam cognovit quid agere
» vellet. »

Et quidem recte; nam eo ipso quo oratorem Romanus Pontifex repulit nullo pacto a lege dispensasse censendus est. Attamen si orator autem quaestionem insinuet, et Romanus Pontifex benigne annuat, et audiat, quamvis antea non monitus, improbabilem non putamus sententiam Soprani; cum enim Romanus Pontifex sciat tractationem ineundam sub excommunicatione esse prohibitam, eo ipso quo eam benigne audit, a lege dispensare videtur.

Hi autem omnes excommunicationem Romano Pontifici specialiter reservatam incurrebant, cum S. Pius V scribat: *eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant.*

Verum praeter excommunicationem aliae poenae a S. Pio V constitutae fuerant; scilicet 1. ut qui talia peregissent, haberentur rebelles Sedis Apostolicae etiam in primo capite laesae maiestatis, rei scilicet perduellionis, (1) et proditores locorum et civitatum earumdem. 2. ut eorum bona fisco et Camerae Apostolicae ipso iure devoluta et incorporata censerentur. 3. ut privarentur beneficiis quibuslibet et gradibus ecclesiasticis et saecularibus quibus praefulgerent. 4. Ad haec ut infames haberentur, eisque clauderentur portae dignitatum et honorum.

Ut saepius hoc in Commentario diximus, certum est a Pio Papa IX unas censuras limitatas fuisse,

(1) De maiestatis crimine haec habet Heinecius apud Vicat. Diction. Iuris. « Maiestatis crimen definitur *in L. 1. D. ad L. Iul. maiest.* quod adversus populum (Rom. cui libera respublica pro summo imperante erat) vel adversus securitatem ejus committitur, et Cicero monet in hoc quoque crimen cadere, quod » adversus principem, in quem populus omne suum imperium transtulit, committitur. Olim autem, ut Tacitus scribit, in iudicium maiestatis haec tantum crimina veniebant; si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique » male gesta Republica, Maiestatem Populi Rom. minuisset. Nec apud veteres » maiestatis crimen diversum fuisse videtur a crimine perduellionis, quod hodie » ab illo subtilius secernitur, ut hoc sit, cum quis animo hostili in principem, » vel populum fertur, et statum, seu summam Reipublicae labefactare conatur. »

Paucis: Maiestatis laesae crimen ille committere dicitur qui vadit contra Principem, vel civitatem suam.

poenas quapropter, quae rationem censurae non habent, integras permansisse et permanere dicimus. Ratione igitur Pianae Constitutionis poenae eiusmodi adhuc vigent. An vero ob alias causas cessaverint non quaerimus, quod rem inutilem existimemus.

Relatam S. Pii V Constitutionem cum omnibus in ea contentis confirmavit tum Gregorius XIII in Const. *Inter ceteras* lata die 27 Maii 1572, tum Xixtus V in Const. *Quanta Apostolicae Sedis* data die 18 Martii 1586, tum Gregorius XIV in Const. *Romanus Pontifex*, quam dedit die 19 Decembris 1590. (1)

Verum relatas S. Pii V sanctiones in irritum deducere coeperunt eo praetextu quod ipse locutus sit de feudis devolutis, et utique etiam de devolvendis, atque de utrorumque alienatione prohibuerit tractare et consulere post devolutionem, non autem antequam devolverentur; hinc non esse neque illicitum neque prohibitum loqui de alienatione et infeudatione locorum, et civitatum illarum quae nondum devoluta fuerant ad S. Sedem, sed quae devolvenda adhuc erant.

Fiebat hinc ut non pauci Romanos Pontifices vexarent pro sive confirmatione, sive renovatione investiturae feudorum aliorumque locorum quae brevi praevidebantur ad Romanam Sedem iterum devolvenda esse, atque ita saluberrimae S. Pii V dispositiones, saltem ex parte, in irritum deducebantur.

Accesserat quod Gregorius XIV in Consistorio secreto habito die 13 Septembris 1591 declaraverat, non requisita Cardinalium sententia, imo non paucis contradicentibus, Pii V Constitutionem non esse intelligendam de feudo nondum devoluto, quando evidens Ecclesiae utilitas aut necessitas postulabat iterum esse in feudum tradendum.

Innocentius IX quapropter sapientissime huic incommodo occurrens, sub die 4 Novembris 1591 Constitutionem promulgavit *Quae ab hac Sancta Sede* in qua prohibitionem S. Pii V extendit etiam ad loca devolvenda. Attamen quoad relatam Gregorii XIV sanctionem nihil innovavit.

« §. 4. Declaramus, inquit, eadem Constitutione (S. Pii V) prohibitam fuisse, ac prohiberi omnem et quamcumque infeudationem et alienationem civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum eidem Sedi tam immediate quam mediate subiectorum (2), non solum ne fiat,

(1) In cit. Const. ita loquitur R. Pontifex Gregorius XIII: « Praedictas litteras (S. Pii V.) et omnia in eis contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, comprobamus, confirmamus et innovamus, volumusque eas perpetuo observari. » Eodem tenore eam Xistus V. confirmavit.

(2) Loca immediate S. Sedi subiecta, inquit Bonacina *De Censuris in Bulla Coenae contentis, Disp. 1, Quaest. 22. Punct. 3, N. 3.* « Sunt illa in quibus

» neve attentetur post eorum de-
» volutionem, sed etiam antequam
» devolvantur, ac omnem et quam-
» cumque in perpetuum, vel ad
» tempus prorogationem et exten-
» sionem, infeudationem investitu-
» rarum, ac concessionum de dictis
» civitatibus, terris, oppidis, locis
» nondum finitarum ipsorumque
» incorporationem quoad effectum
» impediendae alienationis, proro-
» gationis et extensionis huiusmodi,
» non a die eorum devolutionis
» sed a die ipsius Constitutionis,
» et etiam antequam illa devol-
» vantur, ipso iure cum omnibus
» clausulis et decretis in praedicta
» Constitutione contentis, Camerae
» et Sedi Apostolicae factam cen-
» seri.

» §. 5. Insuper volumus et de-
» claramus ut promissio et iura-
» mentum praestitum et praestan-
» dum de servanda eadem Pii prae-
» decessoris praefati constitutione
» per nos, et Romanos Pontifices
» successores nostros, ac S. R. E.
» Cardinales intelligatur de ipsa Pii
» praedecessoris constitutione, ut
» supra per nos declarata, et secun-
» dum hanc nostram declarationem
» eamdem constitutionem ad un-
» guem et inviolate observari opor-
» tere ac debere, sicut et nos ser-
» vaturos esse promittimus, ac
» sancte et solemni more iuramus.»

Nihil, ut dictum est, Innocentius IX circa Gregorii XIV dictam declarationem innovaverat; qua de causa contigebat ut multa argumenta reperirentur ad probandam sive utilitatem sive necessitatem Ecclesiae Romanae relate ad infeudationem et alienationem feudorum nondum devolutorum, et ita importunae molestiae ab ambitiosis hominibus Romanis Pontificibus inferebantur; et cum plurima essent feuda nondum devoluta, plurimae excogitabantur necessitates et utilitates Ecclesiae ut iterum in feudum traderentur; atque ita fiebat ut scelera, oppressiones, aliaque crimina quae a principibus feudatariis perpetrabantur numquam cessarent, Ecclesiae insuper Romanae dignitati et subditorum eius quieti et prosperitati detrimentum inferretur.

Hinc Clemens VIII hisce malis

» Summus Pontifex dicit, vel dicere potest ius per seipsum, vel per gubernatores
» a se missos, vel etiam per Delegatos ab ipsis Gubernatoribus vel Consulibus
» seu Praesulibus civitatum, ad quos Summus Pontifex gubernatores vel iudices mit-
» tit. Illa vero dicuntur mediate subiecta, in quibus Ecclesia iurisdictionem non
» exercet, sed facultatem ius dicendi in alios transtulit, retento sibi dominio di-
» recto, ut sunt loca quae in feudum alicui tradita sunt. Quamquam inter huius-
» modi loca differentia est, quod aliqua recognoscunt Papam tamquam superiorem
» temporalem, ut est Ducatus Sermonetensis, Signinus, Braccinensis et similes;
» alia vero non recognoscunt Papam tamquam superiorem temporalem actu, ut Du-
» catus Parmensis et olim Ferrariensis, Urbinatensis et alii, antequam finita linea
» ad Sedem Apostolicam devolverentur.

occurrere cupiens sub die 26 Iulii 1592 Constitutionem dedit *Ad Romani Pontificis curam*, qua ratum habuit quidquid S. Pius V et Successores Pontifices in re sanciverant, tum Innocentii IX ampliationem confirmavit.

Ea vero quae Gregorius XIV in citato Consistorio decreverat in irritum deduxit:

« §. 6. Piae memoriae, scriptum » est, Gregorium XIV itidem praedecessorem suum in Consistorio secreto, Romae apud S. Marcum, » die Veneris, XIII Septembris 1591 » habito, sententiis tamen S. R. E. » Cardinalium, qui tunc aderant, ac » de quorum numero etiam Sanctitas sua erat, minime requisitis, » quin imo multis eorum expresse » contradicentibus, declarasse et » decrevisse, Pii praedecessoris constitutione praedicta non prohiberi, feudum nondum devolutum, » quando necessitas, aut evidens et » vera Ecclesiae utilitas postulaverit iterum infeudari. Nec iuramentum in ea praestitum simile» lem casum comprehendere, ac » neminem licite iurare posse quod » contra necessitatem aut evidentem » utilitatem Ecclesiae sit; sicque » praedictam Constitutionem intelligendam iudicasse ac definivisse, » ita ut nemini postea de ea aliter » quam tunc ab ipso declaratum » fuit, loqui et scribere liceret, » prout in eodem decreto et declaratione plenius continetur. (1)

» §. 7. Verum quia reipsa compertum est, quod fere omnes » alienationes terrarum, civitatum, » oppidorum et locorum huiusmodi » hactenus factae, ex quibus magna » laesio et imminutio patrimonii ac » existimationis sanctae Romanae » Ecclesiae secuta est, etiam sub » praetextu et colore verae et evidentis necessitatis vel utilitatis » praedecessoribus Sanctitatis suae » insinuatae fuerunt, cum tamen » vix ulla necessitas excogitari possit, cui ex aliis bonis, aut redditibus et proventibus quam Constitutione praedicta alienari prohibitis subveniri nequeat, vix » etiam ulla dari possit utilitas, cui » non praeponderet recuperatio et » realis reintegratio in patrimonium » S. R. E. earumdem civitatum et » locorum hucusque alienatorum; » cumque huiusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi quam » usu venire possint, multo magis » expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub » quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino » praecludere, quam ob rarissimos » casus, qui vix umquam contingere

(1) Eiusmodi Gregorii XIV declarationem in Bullario Taurinen. Edit. 1865 reperire non potuimus.

» possunt, apertam relinquere; cumque lucrum in tempore negligere » maximum quandoque sit Ecclesiae lucrum, utilius esse radices » omnes, ex quibus huiusmodi alienationes provenire valeant, penitus evellere, quam ex eo quod » aliquando possit earum aliqua utilis esse, occasionem praebere ut » multae praeiudiciales et damnosae fiant; cui absurdo atque incommodo ipsum Pium praedecessorem praefatum dicta Constitutione non immerito occurrere voluisse, qui longe plures et graviores iacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse » censuit, quam utilitates ex paucissimis, siquae umquam contingerent fructuosae; proinde Sanctitas sua, habita super hoc cum » venerabilibus fratribus S. R. E. » Cardinalibus deliberatione matura, et singulorum auditis sententiis, de eorum consilio et unanimi assensu, decretum et declarationem superius memoratam » felicis recordationis Gregorii XIV, » tamquam destruens praedicti Pii » constitutionem, alienandique occasionem praebens, ac minime » necessariam, et desuper forsan » confectas litteras (quarum omnium » tenores haberi voluit pro expressis ac ad verbum insertis) auctoritate apostolica revocavit, abrogavit, cassavit et annullavit, perinde si numquam emanassent.

» §. 8. Declarans dicta Constitutione prohiberi civitatum, terrarum, oppidorum, feudorum et » locorum in ea contentorum, tam » quae numquam antea in feudum » concessa, quam quae alias etiam » saepius alienata vel infeudata, ac » postmodum devoluta, aut etiam » nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, et prorogationes et extensiones investiturarum, feudorum et concessionum, » etiam ex causa necessitatis, aut » evidentis et verae utilitatis factas » et faciendas, iuramentum quoque » super eiusdem Constitutionis observationem per Sanctitatem suam » et successores suos, ac S. R. E. » Cardinales praestitum et praestandum, casum hunc necessitatis » etiam absolutae, et evidentis et » verae utilitatis omnino comprehendere; nec propterea aliquid illicitum iurari, aut quod contra » necessitatem vel utilitatem Ecclesiae sit, sed quod rationi consonum atque e re illius sit, ac summopere conducit, prout eadem » auctoritate declaravit, statuit et » decrevit cum clausulis et derogationibus opportunis. »

Antequam Alexandri VII Constitutionem afferamus, sciendum est, Gregorium XIII in Const. *Tanta tamque horrenda* edita sub die 11 Iulii an. 1580 decrevisse tum maiorem excommunicationem, tum bonorum confiscationem, aliasque poenas in illos duces, comites, Marchiones, Vicarios, feudatarios gubernatores, aliosque omnes Sedi Apostolicae immediate vel mediate subiectos qui

homicidas, latrones, grassatores, et alios quocumque crimine capitali bannitos vel diffamatos in suis quisque dominiis, locis seu domibus, tam in ipso statu quam extra eum consistentibus receptaverit, seu quod in huiusmodi locis receptentur permiserit quoquo modo, etc.

Eiusmodi vero bona Camerae apostolicae et liberae Romanorum Pontificum dispositioni permisit.

« §. 11. Ducatus vero ac dominia, » vicariatus, gubernia, feuda ceteraque bona et iura praedicta eorumque fructus et emolumenta » aliis fisci nostri iuribus perpetuo » applicamus. Et ita Camerae Apostolicae eo ipso, absque declaratione super incursu poenae privationis huiusmodi, aut citatione » eius vel eorum, qui poenam » huiusmodi incurrerint, facienda, » aut iudicis sententia vel decreto, » vel alia iuris et facti solemnitate » habenda, perpetuo applicata, appropriata, et incorporata, et ad » nostram Romanique Pontificis pro » tempore existentis liberam dispositionem pertinere volumus, ac si » per lapsum temporis concessionis » eorum, aut finitam lineam ad » ipsam revertissent. »

Attamen noluit Gregorius ut eiusmodi bona sub relata S. Pii V Constitutione comprehenderentur.

« §. 13. Declarantes ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, » aliaque praedicta sub Constitutione dicti Pii V praedecessoris, » super huiusmodi dominiis et iurisdictionibus in feudum aut alias » non concedendis edita, minime » comprehendi. »

Qua de causa bona eiusmodi ob praefata crimina fisco addicta poterant alienari et in feudum tribui.

Relatae Gregorii XIII Sanctiones confirmatae fuerunt a Xisto Papa V in Const. *Hoc nostri Pontificatus* edita sub die 1 Iulii an. 1585 (1).

Sciendum insuper est, Clementis VIII aetate nonnullos Barones aere alieno sese gravasse, illud vero creditores repetere non potuisse. Huic malo iustus Pontifex occurrere cupiens sub die 25 Iunii 1596 Constitutionem edidit *Iustitiae ratio,* qua constituit Congregationem quamdam, quae Creditoribus Baronum illorum satisfaceret, eisque credita solveret, bonorum vero quorumcumque ad Barones debitores pertinentium possessionem caperet, et spatio unius mensis subhastanda proponeret, atque inter oblatores etiam Cameram apostolicam admitteret, cui si bona adiudicata mansissent, trium annorum spatio sub s. Pii V constitutione minime comprehenderentur.

« §. 14. Civitates vero, terras, » castra et loca iurisdictionalia per » Cameram apostolicam in vim praesentium emenda et acquirenda, » in Constitutione felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris » nostri, de civitatibus, terris, castris, et locis sanctae Romanae Ec-

(1) Habetur in Bullario Edit. Taurinen. Tom. VIII, pag. 585.

» clesiae non infeudandis, per trien-
» nium, a die illarum venditionum
» computandum, minime compre-
» hendi debere declaramus. »

Alexander hinc VII in Constitutione *Inter ceteras* lata, ut dicitur in Piano Capite, *Nono Kalendas Novembris 1660*, (1) nedum S. Pii V, Innocentii IX, et Clementis VIII a Pio Papa IX citatas Constitutiones ratas omnino habuit, sed etiam ea quae sancita fuerant a Gregorio XIII relate ad bona fisco adiudicata, et alia a Camera Apostolica ob soluta pro Baronibus debita iuxta alteram Clementis VIII Constitutionem empta, omnino confirmavit, iis tamen iterum in irritum deductis quae Gregorius XIV statuerat circa feuda nondum devoluta, *quando necessitas aut evidens et vera Ecclesiae utilitas postulaverit iterum infeudari*. Inquit.

§. 1. Quia nonnullae pro va-
» rietate casuum contingentium suc-
» cessivis temporibus excitatae fue-
» runt dubitationes, ac impropriae
» forsan subsecutae interpretatio-
» nes, propterea, ut hae quoque
» cessent ac removeantur, congruum
» fore duximus easdem litteras in
» praesentia comprobare, innovare,
» et confirmare ac verum illarum
» sensum exponere, et quatenus
» opus sit, de novo decernere. Hac
» igitur nostra perpetuo valitura Con-
» stitutione, motu proprio, non ad
» alicuius supplicationem vel super
» hoc oblatae nobis petitionis in-
» stantiam, sed ex mera deliberatione
» et certa scientia nostra, easdem
» praedecessorum, et specialiter
» praeinsertas Pii V et Innocentii IX,
» ac omnia in eis contenta, aucto-
» ritate apostolica, tenore praesen-
» tium, comprobamus, confirmamus
» et innovamus, easque inconcussae
» ac validissimae firmitatis robur,
» plenamque executionem et effe-
» ctum perpetuis etiam futuris tem-
» poribus obtinere et ab omnibus
» inviolabiliter observari decerni-
» mus, praecipimus et mandamus.
» Praeterea ne imposterum germa-
» nus earumdem litterarum sensus
» in dubium revocari, et a condi-
» toris mente recidi contingat, mo-
» tu, scientia ac deliberatione pari-
» bus, et de potestatis apostolicae
» plenitudine,... declaramus, prae-
» fatas Pii V litteras comprehendere
» non solum principatus, ducatus,
» civitates, castra, oppida, terras,
» arces, dominia et loca iurisdictio-
» nales et iurisdictionalia S. R. E,
» ac Sedis Apostolicae in feudum,
» vicariatum vel alium titulum tunc
» concessas et concessa, ac etiam
» alias aliquando, et pluries con-
» cedi solitas et solita, quocumque
» tempore ad Sedem Apostolicam
» devoluta; verum illas quoque et

(1) In Bullario Taurinensis Editionis haec Constitutio data dicitur *Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae 1661, Kalendis Februarii, Pontificatus Nostri anno VI.* Quae consignatio temporis si vera est, **falsa est illa Piani Capitis.**

» illa, quae numquam antea in feu-
» dum vel alio titulo concessa, sed
» per Cameram et Sedem Aposto-
» licam immediate possessa fuerunt,
» vel tunc possidebantur, prout
» etiam felicis recordationis Cle-
» mens VIII praedecessor noster suo
» consistoriali decreto die 26 Iunii
» anno 1592... declaravit....

» Pariterque declaramus sub ea-
» dem Constitutione comprehendi
» principatus, ducatus, civitates,
» castra, oppida, terras, arces, do-
» minia, et loca iurisdictionales et
» iurisdictionalia, non tantum ad
» S. R. E. et sedem et Cameram
» Apostolicam eo tempore devoluta,
» aut alio quocumque titulo quo-
» modolibet acquisita, sed quae post
» eam usque in praesentia, et in
» futurum successivis temporibus in
» perpetuum, sive devolutionis, sive
» alio quovis titulo, quomodolibet
» acquisita fuerunt et acquirentur,
» salvis tamen Constitutionibus pro
» bonis confiscatis a felicis recorda-
» tionis Gregorio XIII... et Sisti V...
» quibus cautum fuit, ducatus, do-
» minia, vicariatus, gubernia, feu-
» da, aliaque bona ad praedictam
» Sedem et Cameram Apostolicam
» ratione delictorum et confiscatio-
» num in casibus in eis statutis de-
» lata, sub eadem Pii V constitu-
» tione super huiusmodi dominiis
» et iurisdictionibus in feudum aut
» alias non concedendis nec alie-
» nandis edita minime comprehendi;
» declarantes tamen illas intelligen-
» das esse, prout intelligi decerni-
» mus et mandamus ut principatus,
» ducatus, civitates, castra, oppida,
» terrae, arces, loca, dominia, vi-
» cariatus, gubernia, feuda et loca
» iurisdictionalia in illis comprehen-
» sa, et ex earum dispositione con-
» fiscata et confiscanda non subia-
» ceant, neque subiacere debeant
» praefatis litteris Pii V pro eo tem-
» pore solum quo delinquens seu
» delinquentes vixerint, et investi-
» turae, si quae antea concessae
» fuerunt, durabunt ac personae
» seu lineae in illis comprehensae
» supererunt, et salvis etiam pactis
» in ipsis investituris contentis.

» Insuper eisdem motu, scientia,
» deliberatione ac potestate decla-
» ramus, dispositionem praefati re-
» colendae memoriae Clementis VIII
» in eiusdem litteris VII Kalendas
» Iulii an. 1596... in quibus decre-
» vit, civitates, terras, castra et loca
» iurisdictionalia per Cameram Apo-
» stolicam in vim eiusdem Consti-
» tutionis emenda et acquirenda in
» dicta praecedenti Constitutione
» Pii V per triennium a die illarum
» venditionis computandum minimè
» comprehendi debere, ita intelli-
» gendum esse, ut statim finito
» dicto triennio, quatenus eo du-
» rante non fuerit deventum ad il-
» lorum veram, propriam et effe-
» ctualem alienationem, civitates,
» castra, terrae et loca praedicta
» ipso iure et facto censeantur unita
» et incorporata eidem Sedi et Ca-
» merae apostolicae, atque subiecta
» et comprehensa in praefatis Pii V

» litteris, etiam nulla alia facta de-
» claratione, acceptatione seu de-
» creto, ita ut dictus terminus trium
» annorum nullo pacto suspendi,
» prorogari, vel aliter impediri aut
» retardari possit cursus illius, ne-
» que incorporatio, comprehensio
» et subiectio praedicta, et ita ser-
» vandum esse decernimus et man-
» damus. »

Post haec quisque videt, Pium Papam IX illas actiones et personas excommunicationi subiicere quae excommunicationi in allegatis quatuor Constitutionibus subiectae reperiuntur, atque eodem sensu; nihil propterea de antiqua lege immutasse, nihil addidisse, imminuisse nihil; unam tantummodo excommunicationem, quae in antiquo iure specialiter reservata erat, simpliciter reservatam reddidisse.

Excommunicavit hinc Pius Papa IX, ut compendiaria via utamur.

1. Personas omnes tum laicas tum Ecclesiasticas etiam patriarchali aut Cardinalitia dignitate fulgentes, quae quacumque de causa tractant, consulunt, aut alias verba faciunt de infeudatione aut alienatione locorum Romano Pontifici mediate vel immediate subiectorum, dummodo consilium capiant de eligendis ad id oratoribus ad Apostolicam Sedem, eosque elegerint.

2. Oratores munus eiusmodi acceptantes, quamvis postea legationem vel non susceperint, vel ex ea nihil retulerint.

3. Omnes insinuantes vel suadentes per se vel per alios Romanum Pontificem ad huiusmodi infeudationes vel alienationes.

Clarissimus Commentator Patavinus eos etiam excommunicationi subiicit qui per Oratores postulantur a Romano Pontifice in duces, vicarios etc.; illi scilicet pro quibus alienatio postulatur.

Scribit enim *Comment. p. 208.*

« III. Tandem expendenda est
» huiusce censurae extensio ex parte
» personarum, in quarum favorem
» alienatio, vel infeudatio R. Pon-
» tifici proposita fuerit. Ex diligenti
» lectione Bullae S. Pii V clare con-
» stat, etiam ex hoc capite exten-
» sionem poenae esse revera maxi-
» mam. Et revera quaecumque sit
» ipsarum dignitas, status et gra-
» dus quamvis fortasse cardinalitia
» dignitate polleant, aut aliquo pro-
» pinquitatis gradu cum ipso Ro-
» mano Pontifice sint coniuncti,
» excommunicationi pariter locus
» est concedendus. Itemque censura
» adest, sive eiusmodi personae
» eligendae in *Duces, Vicarios, Gu-*
» *bernatores,* vel alium quemcum-
» que titulum, nominatim R. Pon-
» tifici proponantur, sive tales per-
» sonas eligendi potestas eidem Ro-
» mano Pontifici concedatur. »

Praevia clarissimi Commentatoris venia, prolatam excommunicationem admittere non possumus, ea prorsus de causa, quia in cit. S. Pii V Constitutione nulla infligitur poena in eos qui postulantur

in *duces, gubernatores*, seu pro quibus alienatio vel infeudatio petitur. Verba §. 3 sunt apertissima; excommunicantur enim *tam ipsi*, proponentes, *quam Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici per se, vel alium seu alios insinuantes vel suadentes.* Atqui sub his non comprehenduntur illi pro quibus Feudum vel alienatio postulatur.

Atque generice, sine ulla scilicet limitatione, comprehendi nec poterant, nec debebant. Quid enim si postulaturi fuissent aliquem qui de negotio nihil nosset, aut particeps non fuisset? Ad incurrendam enim excommunicationem hanc requiritur voluntaria legis latae transgressio; at hi de quibus loquimur, nullo modo legem transgressi fuissent; ergo nullo modo dici possent praesentem incurrisse excommunicationem.

Durissima consequenter, et repudianda est postrema Commentatoris Patavini sententia, qua dicit « *Sive tales personas eligendi potestas eidem Romano Pontifici concedatur.* » Si enim oratores personas eligendas non proponant, sed earum electionem R. Pontifici committant, cum hic nominare possit quamcumque, quae nihil omnino de negotio noverit, vel cogitaverit, quo iustitiae vel rationis dictamine hanc excommunicatam habere poterimus?

Hinc eo tantummodo in casu personas, pro quibus feudum, vel alienatio postulatur, excommunicatas proclamabimus, si ipsae participes fuerint consilii suscepti, atque contra latam legem praevaricatae fuerint; at hoc etiam in casu non ex ratione, quod fuerint postulatae, vel propositae Romano Pontifici, sed ex quo vel tractaverint, vel alias verba fecerint, vel oratores elegerint, vel per se aut per alios Romano Pontifici insinuaverint aut suaserint alienationes et infeudationes interdictas.

Post haec, clarissimus de Varceno *Compendium Theologiae Moralis tom. 2, pag. 477* quaerit: An comprehendantur sub hoc articulo qui hodie cum Italico Gubernio conciliationem Papae proponunt? Atque respondet: Affirmative: in hac enim Conciliatione verificantur quae dicta sunt superius.

Eamdem sententiam defendit Grandclaude *Comment.* pag. 55, 56 scribens: « Hinc patet quid sen» tiendum de ratione agendi illo» rum catholicorum liberalium qui » variis modis olim suadere cona» bantur Romano Pontifici renuncia» tionem toti principatui civili in » commodum regni Italici. » Qui ergo, concludit, subscriberent litteris ad Romanum Pontificem, ut renuntiet suo dominio temporali, innodarentur hac excommunicatione.

Idemque tenent Episcopus Formisano *Comment. pag. 87*, et Ciolli. Conrado *in Comment. pag. 84* scribit: Proinde qui sciens et prudens

praedictam abdicationem Pontifici consuleret *probabiliter* huius articuli censuram incurreret.

Praestantissimi Scriptores Ephemeridum *Nouvelle Revue Theologique Tom. IX pag. 615* sententiam a cl. De Varceno propugnatam his verbis limitant.

« Id est verum, si suasores huiusmodi quaererent Romanum » Pontificem ad conciliationem cum » Italico gubernio ineundam inducere cum sacrificio bonorum » S. Sedis. Sed si illi minime eiusmodi sacrificium consulerent neve » insinuarent, sed tantummodo hortarentur Romanum Pontificem ad » inveniendam aliquam conciliationis viam, hoc in casu non videmus qua ratione hi excommunicati haberi possent. »

His tamen omnibus contradicit doctissimus Commentator Reatinus *Comment. pag. 83, n. 131, Edit. 3. Non puto huic excommunicationi esse obnoxios qui hodie auctores sunt R. Pontifici conciliationis cum Italico Gubernio ineundae, abdicatione usurpati dominii, quippe haec stricta significatione vix alienatio dici posset, aut ne vix quidem.*

Et ni fallimur iuste et vere. Etenim 1. Non spernendis argumentis probavimus, Romanos Pontifices in cit. Constitutionibus non fuisse locutos de alienatione proprie dicta, quae reponitur in translatione dominii directi et utilis, sed de variis investiturarum modis et nominibus; qua de causa nihil commune haberent eiusmodi prohibitiones cum abdicatione dominii temporalis.

Equidem non diffitemur, finem latarum constitutionum esse, integrum conservare Romanae Ecclesiae patrimonium; at neque diffitemur legem esse poenalem et stricte interpretandam, alienationem autem et abdicationem non esse unum et idem; legem ideo non posse extendi de casu in casum neque ob rationis paritatem.

2. In praxi autem nemo negabit, rationes eiusmodi tum ob vim intrinsecam, tum ob doctorum favorem veram et proprie dictam probabilitatem habere: at in praxi nemo excommunicatus habendus est, quem ratio vere probabilis ab excommunicatione eximit. In praxi itaque Confessarii amplecti non debent sententiam a cl. Conrado superius positam.

Hinc sequitur, excommunicationem non incurrere illos qui programmatibus, vulgo *indirizzi*, subscripturi essent, quibus Romano Pontifici conciliatio cum Italico gubernio suadeatur, etiam mediante abdicatione dominii temporalis; idque ea quoque de causa, quia Constitutiones relatae Rom. Pontificum non agunt de infeudatione aut alienatione tractanda cum Romano Pontifice per litteras, sed per Oratores ad hoc destinatos, litterae autem nullo modo comprehendi possunt sub verbis *per se, vel alium seu alios*, quibus usus est S. Pius V.

Limitationem vero ab clarissimis Scriptoribus Ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique* utique veram et iustam esse dicimus; attamen nullo modo eos excommunicatos habere possemus, qui Romano Pontifici suaderent conciliationem cum Italico gubernio inire etiam abdicatione dominii temporalis.

Hos igitur eo in casu excommunicatos proclamare deberemus, si Romano Pontifici vel per se, vel per electos Oratores suaderent partem, aut totum dominium temporale S. Sedis Italiae Regi tribuere in feudum, vel in Vicariatum, vel in alium quemcumque titulum, quae investituram saperet, non autem si abdicationem suaderent.

APPENDIX XXVII.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA RELIGIOSOS PRAESUMENTES SINE PAROCHI LICENTIA SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIOIS AUT VIATICUM INFIRMIS MINISTRARE.

In Piana Constitutione eiusmodi caput ita legimus: Excommunicamus *Religiosos praesumentes Clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia.*

Unicuique enim iura sunt servanda, neque impune ut quis ea transgrediatur permittendum.

Antiqua tamen eiusmodi censura est, neque noviter inducta. Cum enim ob specialissima atque amplissima privilegia quibus Regulares cumulati a Romanis Pontificibus fuerant, zelo religionis salutisque animarum abrepti, etiam infirmis laicis aut clericis infra Paroecias constitutas degentibus, Sacramenta Eucharistiae, atque Extremae Unctionis ministrarent, atque etiam matrimoniis benedicere praesumerent, querelae ad Clementem V delatae fuerunt, ne aliena iura invadi permitteret.

Clemens Quintus hinc in Concilio Viennensi an. 1313 celebrato statuit: « Religiosi, qui Clericis aut » Laicis Sacramentum Unctionis ex» tremae vel Eucharistiae ministrare » matrimonia ve solemnizare, non » habita super his parochialis Pre» sbyteri licentia speciali.... prae-

» sumpserint, excommunicationis in-
» currant sententiam ipso facto, per
» Sedem Apostolicam dumtaxat ab-
» solvendi, quos etiam locorum
» Ordinarii (postquam de hoc eis
» constiterit) excommunicatos fa-
» ciant publice denunciari, donec
» de absolutione ipsorum eis fuerit
» facta fides. »

Attamen quoniam laici aliquando in ipsis Regularium Monasteriis vel domibus morabantur, his vero a Romano Pontifice potestas facta fuerat huiusmodi laicis Sacramenta ministrandi, limitatio adiecta fuit, quae his verbis continetur: « Sane Reli-
» giosis illis, quibus est ab Apo-
» stolica Sede concessum, ut fami-
» liaribus suis domesticis aut pau-
» peribus in hospitalibus suis de-
» gentibus Sacramenta possint ec-
» clesiastica ministrare, nullum ex
» praemissis volumus quoad hoc
» praeiudicium generari. »

Ex huiusmodi limitatione autem haec duo sequuntur: 1. Religiosis quibus illa potestas facta non fuit a Romanis Pontificibus, interdictum esse laicis in ipsorum Monasteriis aut Hospitalibus Sacramentum Extremae Unctionis aut Viaticum ministrare. 2. numquam eos haec Sacramenta posse Clericis ministrare sive in Monasteriis, sive in Hospitalibus morentur, cum hi sub familiarium aut pauperum nomine non veniant.

Non putaremus tamen Clericum illum esse excipiendum, qui morbo correptus, cum domi, inopiae causa, curari non posset, ad valetudinarium deferretur; utique enim hic sub pauperum nomine comprehendi potest, cum reapse sit pauper.

Ad rectam Capitis Piani intelligendam tria inquirenda esse existimamus.

1. In quo Pianum Caput differat ab antiquis Canonibus.

2. Quinam hanc excommunicationem incurrant.

3. Quaenam ad eam incurrendam requirantur conditiones.

Et quoad primum, manifestum est, abrogatam esse excommunicationem quam Religiosi incurrebant ob praestitam matrimoniis adsistentiam et benedictionem, cum Pius Papa IX eam non innovaverit. Si igitur nunc Religiosi sine Parochi facultate matrimoniis assisterent, graviter quidem peccarent, excommunicationem autem non incurrerent. Sequitur hinc, antiquos Canones a Pio Papa IX limitatos fuisse.

Aliam differentiam inter utramque legem in eo reponimus, quod in Clementina exigebatur *specialis* Parochi *licentia,* certe scilicet et expresse concessa; in Piano vero capite eiusmodi licentia specialis non requiritur, sed sufficit etiam praesumpta, ut inferius melius declarabitur.

Nullimode vero dubitandum est, a Pio Papa IX conservatam fuisse Religiosis facultatem, quae eis facta fuerat a Romanis Pontificibus, administrandi Viaticum et Extre-

mam Unctionem familiaribus domesticis, in Monasterio aut pauperibus in valetudinariis eorum degentibus; haec enim facultas, seu privilegium transierat in ius commune, cum a Concilio Tridentino confirmatum fuerit Sess. XXIV, cap. 11 de Ref. his verbis : *exceptis tamen iis qui praedictis locis aut militiis actu serviunt, et infra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt ;* hi scilicet, iuxta Tridentinorum Patrum sententiam, exempti ab Ordinariorum iurisdictione iudicandi sunt; ergo et a Parochorum iurisdictione; his qua de causa Religiosi possunt Sacramentum Extremae Unctionis aut Viaticum ministrare. Attamen ex Constitutione *Circumspecta* data a Gregorio XIII die 25 Nov. 1580. conditiones praedictae simul concurrere debent, ut Religiosi privilegio et facultate uti possint: « Exceptis tamen iis, inquit, qui » Ecclesiis aliisque locis dictorum » militum actu serviunt, et intra » eorum septa et domos actu re» sident, ac sub eorum obedientia » vivunt, quae omnia debere simul » concurrere intelligantur. »

Cum igitur eiusmodi loca Pius Papa IX Ordinariorum iurisdictioni non submiserit, et a Regularium potestate non subtraxerit, manifestum est, Regulares adhuc eiusmodi frui facultate et privilegio.

II. At videamus quinam excommunicationem hanc incurrant. Eam incurrunt Religiosi. Hi vero stricto sensu sunt intelligendi, cum igitur quis verus religiosus evadat per solemnem votorum professionem, sequitur tantummodo religiosos solemniter professos sub lege comprehendi.

Equidem Daris *Tractatus de Censuris n. 228, pag. 146* contrarium censet et scribit: « Vox *religiosi* desumpta est ex Canone » Concilii Viennensis, quo Religio» sis prohibetur ne clericis vel lai» cis praefata Sacramenta ministrent » absque licentia Parochi. Praesu» mendum est quod Pius IX eam » eodem sensu usurpavit ac Con» cilium. Porro tempore Concilii » Viennensis (1313) omnes qui sta» tum religiosum amplexi erant » vocabantur religiosi et emitte» bant vota solemnia. Decursu tem» pore introductum fuit, ut qui» dam in statu religioso emittant » vota simplicia; sed hisce non ob» stantibus sunt religiosi. Voce *re*» *ligiosi* intelligendi igitur sunt » omnes qui statum religiosum am» plexi sunt per professionem, par» vi refert utrum solemnia an sim» plicia emiserint vota. Nulla enim » habetur relatio inter qualitatem » votorum, et iura Parochi non » violanda. Avanzini opinatur ta» men illos qui vota simplicia emi» serunt non cadere sub hanc cen» suram, quia in iure canonico non » vocantur religiosi, nec censentur » hoc nomine; sed ista assertio est » gratuita et erronea. » (1)

(1) Apud la Nouvelle Revue Théologique Tom. X pag. 180. n. 6.

Verum si quid gratuitum et erroneum est, id prorsus est quod in relato testimonio scribit clarissimus Daris.

Et 1. praesumptio quae nulli vel admodum infirmo fundamento nititur, solidum, ne dicam probabile, argumentum conficere non potest; tota autem ratio ab cit. auctore desumitur ex quo praesumendum sit, Pium Papam IX eodem sensu vocem *religiosi* usurpasse, quo usurparunt Patres Concilii Viennensis. Id vero quo demonstrat argumento? Quia ne Pius Papa IX Clementini Capitis dispositionem instauravit? At nonne in iure canonico, et per sexcentas Romanarum Congregationum declarationes sensus verbi illius immutatus iam fuerat? Quo ergo iure inferri potest, Pium IX sensu obsoleto illam usurpasse vocem, et non sensu communi et usitato? Legislatores enim leges condunt iuxta verborum sensum qui communiter recipitur. Et quomodo factum est, ut cum Pius Papa IX noverit illius vocabuli sensum immutatum fuisse, subditos non monuerit, vocabulum illud esse accipiendum non stricto sensu, sed prorsus universali? Idque praesertim cum nosset in lege odiosa vocabula stricto accipi sensu, legemque, quam ipse promulgabat, odiosam esse? Insipientiae igitur redarguendus esset legislator si vocem *Religiosi* eo sensu accepisset quo Concilii Viennensis Patres.

2. Unde probat Daris, eos qui decursu temporis emiserunt vel emittunt vota simplicia tantummodo, esse religiosos, non quidem quocumque sensu, sed eo sensu quo iuxta canonicas dispositiones Religiosi vocantur? Quandoquidem ex iis quae in superioribus appendicibus edisseruimus, praesertim in appendice ad Caput VII, omnino constat in iure Canonico eos haberi tantummodo veros Religiosos, qui vota per solemnem professionem nuncupaverint. At legislatores vocabula eo sensu usurpant, quem habere in iure noscuntur; ille enim est sensus communis.

3. Quid cl. Daris huic argumento responderet: Legislatores loquuntur iuxta communem verborum sensum; ipse Pius Papa IX per organum Romanarum Congregationum non semel declaraverat, Religiosos proprie dictos eos esse tantummodo qui Deo per solemnem professionem sese devoverunt, non autem vota simplicia professos, Professores votorum simplicium societatis Iesu, ut veri religiosi possent haberi, indiguerunt speciali Gregorii XIII declaratione, quam emisit in Bulla *Ascendente Domino* (1); eiusmodi vero sensum fuisse in iure consecratum. Ergo Pius Papa IX iuxta recentiorem vocabuli

(1) « Statuimus atque decernimus, inquit Pontifex, omnes et quoscumque, qui » in ipsam societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria

religiosi acceptionem locutus est; neque iuxta antiquiorem sensum loqui potuit, declaratione mentis suae non addita?

4. Et haec quidem speculative. In praxi autem nullo pacto Daris opinio defendi potest, nedum quia in odiosis verba stricto sensu accipienda sunt, sed etiam quia nemo est de excommunicatione damnandus, si ratio vere probabilis eum ab excommunicatione eximat. Lectores autem iudicent an sententia a nobis propugnata sua intrinseca probabilitate, ut parum dicamus, muniatur.

5. Sed munitur etiam extrinseca. Commentatores enim omnes, Daris excepto, sententiam nostram propugnare reperiuntur.

Attamen quaeri posset; an et iam ii religiosi a Piana lege excludendi sint, qui post probationem nunc vota simplicia tantummodo emittunt, et iis tantummodo obstringuntur antequam solemnem votorum nuncupationem pronuntient? Cum enim professis votorum simplicium Societatis Iesus, ideo veri religiosi habeantur, quia in illa Societate vota solemnia emittuntur, et ad haec vota simplicia ordinantur, eadem nunc posset urgeri ratio pro ceteris Religionibus votorum solemnium. Addimus insuper, penes Congregationem Episcoporum et Regularium disceptatum fuisse super eiusmodi quaestione, nihilque explicite definitum. Causam prout habetur in Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcoporum et Regularium ab Emo Cardinali Bizzarri edita pag. 801. Nota 1. reperient lectores *in Appendice XXI huius Commentarii pag. 784, Nota 1.*

Quid ergo dicendum?

Simpliciter respondebimus, professos votorum simplicium in religionibus approbatis excludendos esse ab Piano Capite, ita ut quamvis illud violando peccent *ob usurpatae potestatis abusum*, latam tamen excommunicationem non incurrant; atque ad rem probandam propositae disceptationi insistemus.

1. Etenim nullo pacto dubium illud fuisset propositum, si professi votorum simplicium universaliter et certe habiti fuissent uti veri Religiosi: ubi enim certitudo est, dubium esse non potest.

2. Neque Eminentissimi Patres in oppositas sententias abiissent, si concors Doctorum sententia, vel apodiptica rationum momenta, religiosos huiusmodi uti veros et proprie dictos religiosos demonstrassent.

» vota substantialia praedicta, tametsi simplicia emiserint, aut emittent, in fu-
» turum, *vere et proprie religiosos fuisse et esse ac fore*, et ubique semper
» et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus atque ipsos tùm Societatis,
» tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum professos.

3. Sed neque adeo ancipites haesissent, ita ut nullam sententiam pronuntiaverint, si saltem sententiam, qua professi votorum simplicium uti veri religiosi habendi essent, veriorem aut probabiliorem ob intrinsecam extrinsecamque auctoritatem putassent.

4. Quin imo ea non pronuntiassent, ex quibus contraria sententia solidior definitur: affirmant enim « non expedire ut *privile-* » *gium singulare Societatis Iesu* ad » alios ordines extenderetur, ne » novus status Religionis contra vi- » gentem Ecclesiae disciplinam ge- » neraliter constitueretur. » Atqui neque Societatis Iesu Alumni privilegium illud postulassent, si saeculo XVI professi votorum simplicium habiti fuissent uti veri religiosi; neque Grugorius XIII *singulare* privilegium Iesuitis concessisset, si concessio illa fuiset ceteris religionibus communis; sed neque postulatis fuisset assensus, cum gratiam largitus fuisset inutilem; ex quo enim Iesu Societas ut vera religio probata fuisset, Iesuitae vota simplicia professi uti veri religiosi erant habendi; in casu enim eiusmodi conditio non ex votorum solemnium nuncupatione, sed ex statu vere regulari dimanasset.

Neque quis apponat, eo tempore, ceteros regulares Ordines ita fuisse constitutos, ut eorum alumni post probationem, illico vota solemnia emitterent, Iesuitae vero non ita: exinde enim nulla difficultas, imo disputatorum confirmatio; quandoquidem ideo relatum privilegium Iesuitae expostularunt, ne professi votorum simplicium illius Instituti a vero Religiosorum censu excluderentur: Ergo tum Iesuitae, tum alii Religiosi Ordines putabant, sine professione solemni nullum haberi posse uti verum et proprie dictum Religiosum.

Eminentissimi Patres insuper privilegium Religiosis Societatis Iesu concessum vocant *privilegium singulare*. Ergo ceteris Ordinibus non commune. Ergo censuere simpliciter Eminentissimi illi patres, verum religiosum quemlibet evadere per solemnem votorum professionem. Addunt privilegium hoc singulare Societatis Iesu non esse ad alios Ordines extendendum; ergo alii Ordines hoc privilegio non gaudent: sin minus privilegium illorum Ordinum extensum fuisset ad Societatem Iesu, et ineptissime Patres Eminentissimi locuti fuissent. Ergo professi votorum simplicium aliorum Ordinum regularium non possunt neque debent ante professionem solemnem haberi uti veri religiosi. At in Piano Capite sermo est de religiosis proprie dictis, qui sunt illi tantummodo intelligendi qui vota solemnia emiserunt; manifestum igitur est, quod si qui professi votorum simplicium, alumnis tantummodo Societatis Iesu exceptis, Sacramentum Extremae Unctionis vel Viaticum infirmis laicis

vel Clericis sine Parochi licentia ministrent, excommunicationem non incurrant.

Quid est autem quod subdunt Eminentissimi Patres, non expedire, scilicet, ad alios religiosos Ordines extendere privilegium Societati Iesu in re concessum, *ne novus status religionis contra vigentem Ecclesiae disciplinam generaliter constituatur?* De qua enim disciplina loquantur? Si de ea quae vigebat ante Constitutionem *Ad universalis Ecclesiae regimen* latam a Pio Papa IX die 7 Februarii 1862 (1) qua praecipit Religiosis, ab emissa votorum simplicium professione triennium expectandum esse antequam solemnem professionem emittant, concludendum est, disciplinam in Ecclesia receptam fuisse ut solemniter non professi veri religiosi non haberentur: si vero de disciplina post citatam Constitutionem loquantur, inferri liquido oportet, saltem post Pianam illam Constitutionem non esse inter veri nominis religiosos accensendos illos qui professionem solemnem nondum emiserunt. Qua de causa, cum in praesenti capite Pius Papa IX de religiosis proprie dictis loqui intelligendus sit, ii qui nondum illam emiserunt sub latis poenis comprehendi non possunt.

5. Demum negandum non est, hanc legem odiosam esse, strictae proinde interpretationi subiiciendam; qua regula iuris prohibemur vocabulum *religiosi* sensu universali accipere; neque negandum est ob expositas rationes nostram sententiam valde probabilem effici; neminem autem esse excommuni-

(1 Habetur in Collectanea Bizzarri pag. 912: in eaque haec Summus Pontifex statuit. « Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, » Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis a S. Sede adprobatorum, » novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim » ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a Sta- » tutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad Laicos et Con- » versos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII » incipiente *In Supremo* praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota » simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum » solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Insti- » tutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa » fuerit. Poterit vero Superior generalis, ac etiam Superior provincialis ex iustis » et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen » ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in Ordine seu Insti- » tuto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum so- » lemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu » tamen Magistri Novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo » gradu sunt insigniti. Decreta Congregationis super Statu Regularium incipien. » *Romani Pontifices, et Regulari disciplinae* anno 1848 promulgata omnino » serventur in receptione ad habitum, Novitiatum, et professionem votorum sim- » plicium. »

cationis damnandum, qui ab ea ratione verè probabili eximitur.

Ex dictis vero evidenter infertur, sub Piano Capite multo minus comprehendi illos qui votorum simplicium professionem in Congregationibus aut Institutis a quibus solemnia vota absunt, emiserunt.

Verum nonnulli inquirunt: an etiam Religiosi qui curam animarum gerunt ab latis in Piano capite poenis excludendi sint, si absque licentia Parochi alienis subditis Sacramentum Extremae Unctionis aut Viaticum administrent.

Et quidem Navarrus, *Manuale Confessariorum cap. XXVII, n. 101,* aliique affirmativae sententiae subscripserant ea ducti ratione, quod Parochi Religiosi inferioris conditionis non sint prae Parochis saecularibus; hi autem peccabant quidem si latam a Clemente V legem transgrediebantur; absit autem ut excommunicationem incurrerent.

At alii, quos inter Suarez, *De Censuris Disput. XXII, Sect. IV, n. 10;* Alterius *Disputationes de Censuris ecclesiasticis Tom. 1, lib. V, disp. 22, cap. 3,* negativam sententiam amplexi fuerant, et quidem solidiori innixi argumento. Etenim nonne Parochi Regulares, dummodo solemnem professionem emiserint, sunt veri nominis religiosi? Num ne Paroeciae administratione eiusmodi praerogativam amiserunt vel amittunt? Ergo si Parochi regulares, dummodo solemni professione sint obstricti, vetitam actionem ponant, latam excommunicationem incurrere dicendi sunt. Praetermittimus, hanc esse communem Constitutionis Pianae Commentatorum sententiam.

III. Postremo perpendendum est quaenam ad hanc excommunicationem incurrendam requirantur conditiones.

Et 1. requiritur praesumptio, *(praesumentes)*. Praesumptio autem hoc in loco est appetitus aliquid contra ius temere aggrediendi. Importat igitur nedum cognitionem rei illicitae, quam quis vult agere, sed etiam spretum legis latae vel legislatoris. Effata illa autem, quae, frequenter reperiuntur in Constitutionibus Pontificiis aliisque canonicis documentis, scilicet: *Qui scienter, qui consulto, qui praesumpserit, qui contempserit, qui temere, qui ausu temerario, qui temerarius violator extiterit,* hoc evidenter demonstrant.

Cum igitur praesumptio scientiam et contemptum aliquem importet, necessario inferimus ab incurrenda huius capitis excommunicatione excusare ignorantiam quamlibet, etiam affectatam. Etenim quamvis per hanc quis voluntarie et expresse velit ignorare, ut liberius peccet, tamen certum est eum legem eique adnexam poenam ignorare; at ubi ignorantia est, ibi vera praesumptio transgrediendae legis actu esse non potest, quamvis adsit voluntas eam transgrediendi si cognosceret. Certum est

autem Pium Papam IX loqui de praesumptione actuali et reali qua quis transgreditur legem certe cognitam, quod patet tum ex verbo *praesumentes*, tum ex conditionibus necessariis ad legem transgrediendam, et poenam incurrendam quae omnino scientiam requirunt. Addimus, in casu ignorantiam affectatam vix aut ne vix quidem locum habere posse, cum viatici praesertim delatio ad infirmum sit factum publicum, quae ab aliis impediretur, si adeo pessimus Religiosus inveniretur qui ignorantia affectata sese communiret, atque idipsum de extrema unctione plus minus dicite. Demum nescimus an qui diabolica eiusmodi ignorantia laborant, curent aut viaticum aut extremam unctionem infirmis ministrare; haec autem innuimus ut lectores intelligant, legislatores sub latis legibus non comprehendere casus qui vel numquam, vel vix contingunt.

Non nos quidem latet pluribus arridere sententiam oppositam, sed neque latet a pluribus aliis nostram defendi, praesertim a Sanchez, Bonacina, Salmanticensibus, Roncaglia, apud S. Alphonsum VII, 58; atque etiam a cl. Commentatore Reatino qui *pag. 7 Comment. Edit. 3* dicit: « demum excusat ignorantia) *affectata*, si censura in eos lata sit qui aliquid faciunt *consulto-scienter*, quae plurium sententia est. » Addit autem in nota 25. « Contraria sententia est communior, sed nostra *reapse improbabilis dici nequit*, ait S. Alphonsus H. A. Tract. XIX n. 8. Et quid ni sit oppido probabilis, et fortassis verior? Nam ignorantia ex quacumque causa profluat (quae naturam ignorantiae non mutat) differt a scientia, et *reipsa*, quod planum est, et *moraliter*, ut ita dixerim; nam qui transgreditur legem sciens prudens legem aperte contemnit: qui causat ignorantiam, eam aliquatenus vereri videtur. Et suprema Urbis Inquisitio 1 Feb. 1871, ex Oraculo SS. respondit: Censuras latas in eos qui *ausu temerario aliquid fecerint, vel facere praesumpserint*, ab eo solum incurri, qui haec facit *prudens et sciens.* » Prudens autem et sciens non facit qui ignorantia affectata laborat, dato etiam quod facturus esset si sciret. Hinc timore potius eorum qui contrariam sententiam defendunt, quam rei veritate ducitur Ninzatti *Theologia Moralis Tom. 2, pag. 337, n. 1667* qui postquam scripserit: « Si lex ipsa requirat scientiam formalem censurae, prout evenit quando censura est lata in *audentes*, aut *praesumentes* crimen patrare, vel in *scienter*, aut *temere* aut *consulto* peccantes, tunc excusat ignorantia graviter culpabilis, et etiam crassa seu supina, quae adest quando vel nulla vel valde parva adhibetur diligentia. »

Postquam, inquam, haec scripserit subdit: « Si autem quaeras » utrum excuset ignorantia affectata, cum censura est imposita » scienter peccantibus, respondeo: » non audeo dicere improbabilem » sententiam affirmantem, sed ne» ganti magis adhaereo. »

Quid est hoc? Nonne ignorantia affectata est graviter culpabilis? Si ergo haec a censuris *praesumentes et consulto peccantes excusat,* quomodo adhaerere magis potest sententiae neganti?

2. Requiritur ut Viaticum aut Unctio Extrema a Religiosis ministretur Clericis vel laicis. Qui igitur neque sub Clericorum, neque sub laicorum nomine veniunt sub legis praescripto non cadunt.

Qua de causa graviter quidem peccabit Religiosus, sed excommunicatione eximetur, si alicui religioso sui ordinis extra monasterium, et in Paroecia degenti, vel alii diversi ordinis in suo monasterio commoranti, vel alibi praedicta Sacramenta ministret. Neque eam incurret si vel Episcopo vel Cardinali eadem exhibeat, cum hi sub Clericoroum nomine non veniant.

Pariter excommunicationem evadet si alicui Novitio illa ministret; Novitii enim sub laicorum nomine non veniunt, quamvis neque prima tonsura fuerint insigniti. Sed neque si ministret alicui Eremitae, praesertim si conditiones a iure requisitas adimpleverit; etenim neque Eremitae infra laicos computantur.

Demum si Viaticum aut Unctionem Extremam Religiosi exhibeant laicis, qui Monasteriis inserviunt et monasterii expensis aluntur, infra religiosorum septa ac domos resident, et sub eorum obedientia vivunt ut superius dictum est. Hi enim in iure excipiuntur a parochi potestate (1).

Quoad hos tamen laicos observandum est, eos sub lege comprehendi si habitent domum aliquam quamvis Monasterio contiguam, et infra clausuram non comprehen-

(1) In *Uratislavien. iurium Parochialium,* proposito dubio.

An P. Abbati Ordinis Praemonstratensis in civitate Uratislaviae, sive Religiosis ab eo deputatis competat exercitium omnimodae iurisdictionis Parochialis quoad personas inservientium eidem Monasterio, eorumque familias degentium infra, quam extra illius septa in casu?

S. Congregatio respondit: *Negative; et P. Abbatem, seu Religiosos ab ipso deputatos posse tantum laicis deservientibus intra septa monasterii, atque actu inservientibus ministrare Sacramenta Eucharistiae etiam tempore Paschatis, ac Extremae Unctionis, nec non sepulturam dare in propria Ecclesia iuxta decretum editum in Mediolanen. sub mense Iunii* 1587.

Hospitibus vero qui non sunt familiares, quamvis continuo degant intra septa Monasterii, ibique infirmentur et moriantur, nullatenus dicta Sacramenta, irrequisito Parocho ministrare possunt, eosque in propriis Ecclesiis sepelire. **Bizzarri Collectanea pag. 618 Nota.**

sam, nedum quia hoc in casu non habitarent infra septa ac Religiosorum domos, sed etiam ob declarationem S. Congregationis Concilii latam die 17 Septembris 1722. Proposita enim ei resolvenda haec dubia fuerunt.

II. « An famuli et famulae Monialium saeculares in iisdem mansionibus (sitis in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, et quae sunt contigua Monasteriis) degentes teneantur recipere Sacramentum Eucharistiae tempore paschali a parochis in quorum parochiis Monasterium et mansiones sitae sunt?

III. » An ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis famulis et famulabus ministrare in casu ultimae infirmitatis? »

Sacra Congregatio respondit

Ad II Affirmative.

Ad III Affirmative. (1)

Relate ad alumnos in Seminariis aut Collegiis a Regularibus directis et administratis degentes auctores discrepant. Avanzini *Acta S. Sedis, Vol. III, pag. 61 Corollario VI* statuit « Congruum sententiae Tridentinae legis videri, » Seminaria regularibus familiis rite constitutis dirigenda et educanda tradita, quae intra eorum septa cum iisdem degunt, a parochiali iurisdictione, in Sacramentorum saltem administratione, esse immunia. »

Clarissimus autem Ballerini in Notis ad Theologiam P. Gury, pag. 1001, hanc sententiam probabilem vocat: *et probabiliter etiam suis Alumnis Convictoribus,* remittitque lectores ad Tom. II, n. 564, quo Pater Gury quaerit: *An Regulares absolvere possint Alumnos Convictores sine Episcopi approbatione, utpote de familia?*

Atque respondet: « Secunda sententia valde probabiliter affirmat. Ratio est 1. quia ubi Alumni seu Convictores habent actu omnimodam dependentiam a Regularibus, iam ipsorum *familiares* sunt. Nec verisimile est, Patres Concilii Tridentini minoris aestimasse dependentiam, quae Regularibus adstringit alumnos sub respectu educationis, quam quae famulos sub respectu materialis servitii ac stipendii iisdem alligat, ac proinde alumnos, non secus ac famulos, voluisse beneficio *familiaritatis* donare. 2. Quia pluribus Ordinibus Regularibus, quales sunt Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici Ministri infirmorum etc., imo et nonnullis saecularibus Congregationibus, uti S. Sulpitii, S. Spiritus etc., privilegium competit *familiaritatis* pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communione privilegiorum ceteri Ordines Regulares iam tale privilegium consequuntur. Haec autem

(1) Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii Tom. III, pag. 173 et 384.

» sententia, plures Romanos theo-» logos; et quidem gravissimos, » habet patronos. »

Verum alii huic sententiae contradicunt et affirmant, speciali quidem privilegio quod alicui religiosae familiae concessum fuerit, posse Regulares alumnis aut Convictoribus qui in suis commorantur Seminariis praedicta Sacramenta ministrare, non autem de iure communi: Hi autem sunt Cardinalis de Lugo *Responsalia moralia lib. IV, dub. 33,* Commentator Reatinus, qui in hoc caput diserte scribit: « non item (scilicet excommunica-» tione non eximerentur Religiosi) » si ea ministraverint Clericis aut » laicis forte in suo Monasterio de-» gentibus studiorum, educationis, » aut valetudinis causa. » Atque de Varceno *Compendium Theologiae Moralis Tom. 2, pag. 478, 479,* qui Reatinum excribit. Conrado *Memoriale de Censuris pag 85.*, Ciolli *Commentario prattico delle Censure pag. 96, n. 125, Cl. Auctores Ephemeridis Nouvelle Revue Théologique Tom. X, pag. 187, 188.*

Hi vero propugnant, Religiosos eiusmodi qui sine speciali privilegio alumnis aut convictoribus praedictis interdicta Sacramenta ministrent esse excommunicatos; 1. Quia ex cit. Concilii Tridentini decreto Religiosi possunt Viaticum et Extremam Unctionem ministrare iis qui praedictis locis aut militiis actu serviunt; at alumni et Convictores non serviunt. 2. Quia Gregorius XIII in cit. Const. *Circumspecta* decernit, tres conditiones, de quibus supra, debere simul concurrere; at in casu nostro excluditur omnino prima; lex ergo in casu deficit. 3. Quia si lex de alumnis et convictoribus etiam intelligatur, intelligenda pariter esset,et quidem potiori ratione de iis, qui quamvis in statu laicali maneant, domos tamen religiosas ingrediuntur, ut ibi devotam vitam ducant, perpetuo commorentur; potiori, inquam, ratione; alumni enim et convictores nullam habent intentionem in Seminario perpetuo manendi; atqui tamen religiosis non licet sine Parochi licentia illis Viaticum aut Sacramentum Extremae Unctionis ministrare, ut ex cit. decreto anni 1722, et ex alio dato ordinis Ponemonstratensis Abbati patet; ulterius ex lato a Sacra Congregatione Concilii die 27 Septembris 1670, quodque refertur a Ferraris *Bibliotheca Canonica V. Eucharistia, Art. I, N. 19, et V. Extrema Unctio, n. 27,* scilicet « Non licere fratribus abs-» que licentia Episcopi vel Parochi » administrare Sacramenta advenis; » qui in eorum Conventibus infir-» mantur, et si decedant non posse » sepeliri in eorum Ecclesiis », tum ex decreto quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium dedit ad Episcopum Zagabriae, qui ab ea petierat ut ad quaestiones quaslibet amovendas, « sibi concede-» rentur declarationes aliae circa

» eiusmodi Sacramentorum admi-
» nistrationem emanatae ».

Quare S. Congregatio censuit dandas esse sequentes declarationes.

« In una Senogalliensi 5 Februa-
» rii 1650, Sacra Congregatio au-
» ditis partibus censuit, Fratri-
» bus Minorum Conventualium
» S. Francisci Conventus Montis
» Bodii non licuisse forensi, qui ad
» dictam terram se transtulerat, et
» in eodem conventu commora-
» batur administrare Sanctissimum
» Eucharistiae Sacramentum, Extre-
» mae Unctionis, nec illius cadaver
» in eorum Ecclesia sepeliri absque
» licentia parochi, cui solvenda est
» quarta funeralis, dictosque fratres
» consulere debere propriae con-
» scientiae. »

In una Cremen. 17 Februarii 1649 quaeritur. « An Regulares
» possint laicis ratione hospitii et
» similis, habitantibus in eorum
» Conventibus, si ibidem infirmen-
» tur ministrare SS. Eucharistiae
» Sacramentum pro Viatico, nec
» non Sacramentum Extremae Un-
» ctionis; S. Congregatio respondit:
» *Non posse, sed tantum illis qui*
» *sunt continui commensales et de*
» *familia Conventuum.* »

In una Camenecen. 7 augusti 1638 S. Congregatio respondit:
« Quoad regulares absque consensu
» Episcopi seu Parochorum Sacra-
» menta administrantes (circa quod
» in Congregatione de Propaganda
» fide) cum habita fuerit informa-
» tio, eos nullum habere privile-
» gium, Sacra Congregatio manda-
» vit responderi Episcopo, quod
» cessantibus privilegiis Apostoli-
» cis post idem Sacrum Conci-
» lium concessis, contra dictos Re-
» gulares ad coercitionem et pu-
» nitionem procedat. »

Quod si haec pauca videantur, cum S. Congregatio Concilii interrogata fuisset: An Patres S. Augustini licite potuerint, irrequisito Parocho, Sacramenta ministrare (alicui qui in monasterio sese receperat ut ibi ad mortem usque moras ageret) et corpus tumulare in casu? Die 27 Novembris 1717 S. Congregatio respondit: *Negative* (1).

At si his, qui ad Monasteria accedunt ut ibi devotam vitam ad mortem usque perducant, prohibentur Religiosi quominus Viaticum et Extremam Unctionem administrent, quomodo putare possumus id eis licere erga Seminarii alumnos et convictores, qui tali carent intentione? De iure ergo communi eiusmodi facultas eis nullo pacto competere potest.

Quod 4. ulterius demonstramus ex causa, quam refert Petrus Avanzini in actis S. Sedis Vol. 3. pag. 47. Quamvis enim haec causa dirempta non fuerit, gravissima tamen in ea documenta habentur ad sententiam nostram statuendam.

(1) Thesaurus Resolutionum S. Concilii, Tom. 1. pag. 13.

Etenim pag. 49 refertur causa *S. Iacobi de Chile, Erectionis Collegii*, in qua Prior et Vicarius generalis Ordinis Praedicatorum S. Congregationi Episcoporum et Regularium exponebat, sese non sine auctoritate Episcopi cogitasse Seminarium, seu Collegium erigere prope coenobii hortum, in quo pauperes nobiles, congrua soluta pensione alerentur, et in scientiis erudirentur. Unus e Religiosis munus Rectoris obiturus erat, alii vero religiosi Magistrorum officio sedulo defuncturi.

Statutum erat ut Rector cum socio ac duobus religiosis laicis in Seminario vel Collegio viveret ac pernoctaret, Magistri autem suo officio functi in eo degere non deberent. Oratorium seu Cappella haberetur, in qua convenirent non solum alumni, sed etiam extranei qui possent satisfacere hoc pacto praecepto audiendi Sacrum diebus festis; scopus autem huius Collegii vel Seminarii esset inserviendi Religioni et Reipublicae, obsecundandi statutis ordinis etc.

Cum vero a S. Congregatione opportunas facultates expostulasset, die 6. Martii 1846 sequens dubium dirimendum propositum fuit.

An et quomodo annuendum sit precibus R. P. Magistri Francisci Alvarez Prioris et Vicarii generalis Ordinis Dominicanorum S. Iacobi de Chile in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Affirmative et ad mentem: Mens est 1. ut Collegii tantum et non Seminarii nomine donetur; 2. ut ita stabiliatur Collegii existentia, ut iurisdictionis collisio evitetur, suumque ius cuilibet, Ordinario scilicet, Parocho, ac Religiosis sartum tectumque servetur; 3. ut domesticum, non publicum intra aedificii septa erigendi oratorium facultas concedatur.*

Atqui 1. Si de iure communi Seminaria subiecta regularibus familiis a Parochi iurisdictione essent exempta, per eiusmodi decretum S. Congregatio violasset Religiosorum iura, quod dici non potest. 2. Eminentissimi Patres sua iura servanda esse decernunt Ordinario, Parochis et Religiosis; ergo in Seminariis commissis directioni Regularium sua iura sunt Parocho; ergo de iure communi non sunt a Parochi iurisdictione exempta.

Alterum exemplum desumimus in Parmensi, in qua exponitur quod anno 1847 Episcopus Parmensis Decretum ediderat, quo Barnabitis absque ulla dependentia a Parocho facultas fiebat administrandi Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis, itemque funeris exequias peragendi non solum pro Religiosis, Alumnis et eorum famulis, sed etiam pro hospitibus et quibuscumque personis repentino morbo forsitan correptis in Collegio a Maria Ludovica nuncupato, quod Barnabitarum directioni commissum fuerat. At reclamante Parocho, suaque iura persequente tum ex

iure Canonum, tum ex consuetudine; et contra adversantibus Barnabitis, Constitutiones Apostolicas praeseferentibus, quas Theatinis, Benedictinis aliisque ex communicatione iurium et privilegiorum sibi competere contendebant, nominatim vero Constitutionem S. Pii V *Ad immarcescibilem*, et Gregorii XV *Romanus Pontifex;* dubium in generalibus Comitiis diei 21 Iulii 1848 in deliberationem adductum fuit.

« An sustineatur decretum Episcopi » Parmensis super exemptione a » iurisdictione parochiali totius Col- » legii a Maria Ludovica nuncupati » sub cura Clericorum Regularium » S. Pauli? »

Emi Patres rescripserunt: « *Decretum Episcopi esse reformandum iuxta mentem, scilicet firmo remanente tenore dicti decreti quoad omnes et singulos clericos et Fratres Congregationis S. Pauli, et quoad eorum domesticos et familiares, qui Religiosis actu inserviunt, comprehensis illis praefatae domus, qui intra eius septa resident, et sub eorumdem religiosorum obedientia vivunt iuxta praescriptum S. Concilii Tridentini* Cap. 11, Sess. 24 de Reform. *et Constitutione Greg.* XIII. *incip.* Circumspecta, *diei 25 Novembris 1580, pro Alumnis seu adolescentulis, hospitibus, perpetuis commensalibus aliisque personis in memorato decreto enunciatis, iura Parochi in casu mortis salva remaneant:* ac insuper » superior dicti Collegii notulam » religiosorum, alumnorum, hospi- » tum, famulorum et aliarum per- » sonarum in eadem domo degen- » tium, Parocho quotannis dare *te- » neatur.* » Loc. cit. pag. 51.

Atqui si eiusmodi decretum perpendamus haec omnino sequuntur.

1. Neque Episcopum, Parocho contradicente, posse alumnos Seminariorum Religiosis concreditorum ab iurisdictione Parochi eximere.

2. Eos tantummodo exemptos a iurisdictione Parochi iudicandos esse, qui comprehenduntur in cit. decretis Concilii Tridentini et Gregorii XIII.

3. Alumnos sub illis decretis non comprehendi; alioquin et his Religiosi possent viaticum et extremam Unctionem ministrare, quod S. Congregatio affirmat ad Parochum spectare.

4. Consequenter exemptio a iurisdictione Parochi non competit de iure communi Seminariis quae a Religiosis familiis diriguntur.

5. Requiri hinc speciale privilegium a S. Sede concedendum, neque hac in re dari communionem privilegiorum, ut patet.

Quod postremum adeo certum est, ut apud Lucidi *De visitatione Sacrorum Liminum, Vol. II. p. 355. num. 45* reperiamus indulta specialia concessa Maristis die 15 Iunii 1860, et Sulpicianis die 17 Iulii 1863; facultas scilicet eis dabatur *administrandi tam sociis quam alumnis Seminariorum infirmis sa-*

crum viaticum, nec non iisdem in articulo mortis constitutis Sacramentum Extremae Unctionis, de licentia tamen respectivi Ordinarii, ac salvis iuribus Parochialibus ad formam sacrorum Canonum quoad funeralia absolvenda.

Quod ipsum privilegium die 3 Septembris 1864 concessum etiam fuit Patribus Societatis Iesu quibus commissa fuerat Seminarii Setiae directio: *salva tamen eidem Paroco quarta funeraria in casu obitus alumnorum, et Seminario actu inservientium, dummodo intra eiusdem Seminarii septa resideant.*

At ad quid eiusmodi Regularium postulationes? Ad quid eiusmodi S. Sedis concessiones et privilegia? Ad quid eiusmodi iurium Parochialium exceptiones, si alumni Seminariorum, quae Religiosis familiis dirigenda committuntur, de iure communi essent a Parochi iurisdictione exempta, et in casu hi alumni ipsa Regularium exemptione fruerentur? Exemptio igitur Regularium ad Seminariorum alumnos non extenditur; eiusmodi privilegio Religiosae familiae neque de iure communi fruuntur, neque ob communicationem privilegiorum.

Hinc ea necessario corruunt quae ex clariss. P. Gury supra retulimus. Si enim vel Romani Pontifices vel Superiores Regulares iudicassent, alumnos Seminariorum aut comprehendi sub *familiarium* nomine, aut ipso iure esse exemptos a potestate Parochorum ratione communionis privilegiorum quibusdam Religiosis Ordinibus concessorum, nec illi petiissent, nec hi concessissent exemptionem eiusmodi, neque Emi Patres EE. et RR. reformassent decretum Episcopi Parmensis, neque praecepissent salva esse debere Parochorum iura, et his deberi quartam funerariam. Quod autem affirmat cl. Gury Tom. 2. pag. 465. n. 564. Decisionem Sacrae Congregationis *in Parmensi* datam fuisse pro casu specialissimo, quae proinde ad casus alios extendenda non est, nescimus quomodo probari possit, habita praesertim ratione tenoris lati decreti et decretorum, quae in subiecta materia edita sunt.

4. Alia conditio necessaria ad praesentem excommunicationem incurrendam est, ut infirmo porrigatur *Viaticum*. Cum ergo in poenalibus versemur, si qui Religiosus Clerico vel laico Eucharistiam praebeat non per modum viatici, sed devotionis causa, excommunicationem hanc non incurrit; ita si qui post acceptum viaticum iterum communionem cupiat, et Religiosus eam etiam publice deferat, excommunicationem evadit. Manifestum est autem, quod si Religiosus alia Sacramenta ministret, ex. gr. Baptismum, poenitentiam etc. nullam excommunicationem contrahit, cum sub Piana lege viaticum tantummodo, et Unctio Extrema comprehendantur.

5. Conditio est, ut praedicta

Sacramenta Religiosus ministret *extra casum necessitatis*. Necessitas autem haec considerari potest tum relate ad Clericum vel laicum, tum relate ad Parochum.

Relate quidem ad illos, si repentino morbo corripiantur, aut in periculo mortis versentur, non quidem reali, sed praesumptivo, qui scilicet supponantur brevi esse morituros: quo in casu a poena qualibet et culpa Religiosus eximitur, ut patet; imo peccaret nisi infirmo praedicta Sacramenta ministraret.

Relate vero ad Parochum requiritur, vel ut sit absens, vel putetur ob temporis angustias, et imminens mortis periculum inutiliter advocari, vel ut sit ad ministranda praedicta Sacramenta impotens, ex. gr. si sit infirmus; vel cum possit, irrationabiliter recuset praedicta Sacramenta ministrare. Cum enim nemo sine sacramentis decedere debeat, Religiosi quilibet iis in circumstantiis illa possunt infirmis ministrare; atque vere scribit Suarez *Tom. VI. in 3. part. disp. 44. Sect. II. n. 3.* relate ad postremam circumstantiam. « Non est » verisimile, velle Ecclesiam in eo » casu privare infirmum tam utili » remedio, nec favere iniquitati et » iniuriae proprii pastoris, aut tam » rigorosum ius ei tribuere contra » spiritualem salutem fidelium. »

Contrarium autem affirmare in re velle, esset quid absurdum defendere.

6. Excepto tamen necessitatis casu, ad licite eiusmodi Sacramenta ministranda, et statutam poenam effugiendam requiritur *licentia* Parochi.

Parochus est ille qui curam animarum gerit, fuerit Parochus proprie dictus, vel Vicarius curatus, vel qui eorum vicibus fungitur, quamvis ad tempus.

Cum autem Pius Papa IX praetermiserit vocabulum *speciale*, quod in Clementina reperiebatur, ut iam diximus, ad evadendam praesentem excommunicationem quaecumque licentia sufficit; etiam tacita, et praesumpta, cum scilicet putatur, fore ut Parochus dedisset licentiam: hoc enim in casu deest praesumptio iniqua. Satis est insuper licentia illa infirmo concessa ut viaticum et Extremam Unctionem a quocumque sibi bene viso recipiat.

APPENDIX XXVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE IN EOS LATA, QUI ABSQUE LEGITIMA VENIA EXTRAHUNT RELIQUIAS E SACRIS COEMETERIIS SIVE CATACUMBIS URBIS ROMAE.

Prudentissima atque sapientissima eiusmodi lex est. Per eam enim nedum sive falsae devotioni, sive horribilibus abusibus obviam itur, sed etiam vero Sacrarum Reliquiarum cultui consulitur, cum sine S. Sedis auctoritate nefas sit Reliquias exponere et venerari.

Quamvis autem SS. Reliquiarum cultus in Ecclesia catholica sit relativus, ideoque de peccato ille arguendus non esset qui bona fide reliquias aliquas veneraretur, quamvis ad nullum Sanctum ab Ecclesia probatum et declaratum pertinerent, ea tamen Ecclesiae voluntas semper et intentio fuit, ut verae reliquiae, apprime recognitae, atque sub designato nomine traditae publico exponantur cultui atque a fidelibus colantur. Atqui e contra non omnes qui in Sacris Coemeteriis sive Catacumbis sepulti fuerant, vel Sancti Confessores, vel sancti Martyres erant; periculum hinc erat ne pro veris reliquiis sumerentur particulae et corpora quae Sanctorum non fuissent, eaeque publico cultui bona fide exponerentur, quod Ecclesia numquam voluit, numquam volitura erit.

Iam a die 24 Augusti 1613, Cardinalis Millini Pauli V Romani Pontificis in Urbe eiusque districtu Vicarii, de Summi Pontificis mandato, edictum promulgavit, quo eiusmodi noxa sub poenis gravissimis cavebatur; illud ex italico in latinum idioma fideliter transferemus (1).

(1) Eiusmodi edictum refertur a Bonacina *De Excomm. in part. extra Bullam Coenae, Disp. II, Quaest. III. Punct. XIII. §. Incidens:* « Che persona » alcuna di qualsivoglia stato e condizione dell'uno e dell'altro sesso, tanto eccle- » siastica come regolare, o secolare non ardisca, nè presuma, nè possa entrare (textus » apud Bonacinam habet *estrarre*, sed evidenti errore typographico) in alcuna delle » Grotte, Cattacombe, o Cimiterio, dentro o fuori di Roma, ne da quelle estrarre » reliquie anche in minima particella, ne in ciò dare aiuto o favore in qualsivo- » glia modo, sotto pena della galera, et altre pecuniarie a nostro arbitrio da in- » correrssi ipso facto, et da applicarsi come nel seguente capitolo, et anco di scom- » munica latae sententiae, dalle quali i trasgressori non possino essere assoluti se » non da Sua Santità, eccetto che in articolo di morte, all'esecutioni delle quali » pene si procederà irremisibilmente.

» Et tutte le pene sopradette tanto corporali come pecuniarie, et di scommu-

« Nemo cuiusvis status, sexus, » conditionis, sive ecclesiasticus sit, » sive regularis, aut laicus audeat, » praesumat, vel possit in aliquam » Cryptam, Catacumbam, aut Coe- » meterium sive intra, sive Ro- » mam extra ingredi, et ex illis » extrahere reliquias quantumvis » parvas, aut ad id, auxilium, sive » favorem quomodolibet praestare » sub poena carceris et aliis pecu- » niariis ad arbitrium nostrum poe- » nis ipso facto incurrendis...., et » etiam sub poena excommunicatio- » nis latae sententiae, a qua nemo » absolvi possit nisi per Romanum » Pontificem, excepto mortis arti- » culo; quae poenae executioni sine » ulla spe veniae mandabuntur.

» Constitutas insuper poenas tam » corporales quam pecuniarias, et » latae sententiae excommunicatio- » nem illi etiam incurrunt, ad quo- » rum petitionem reliquiae aut a » praedictis coemeteriis extrahentur, » aut extrahere conabuntur, com- » plices horum, atque illi omnes » qui reliquias erunt acceptaturi, » dummodo noverint a praedictis » locis extractas fuisse, cuiusvis sint » gradus aut conditionis, et etiam » speciali mentione digni; a quibus » poenis atque censuris a nemine, » nisi a Romano Pontifice absolvi » possint, ut supra dictum est. De- » claramus insuper, Regulares hoc » edictum violantes, nedum supra- » dictas poenas, sed etiam ipso facto » incurrere privationem vocis acti- » vae et passivae, et inhabilitatem » ad dignitates et officia suorum » Ordinum, a quibus, a nullo ab- » solvi, et habiles iterum reddi pos- » sint, praeterquam a Romano Pon- » tifice. »

Prosequitur vero Bonacina, « Hoc et similia edicta confirmata fuerunt in alio edicto anno 1614 (die 16 maii) lato, addita excommunicationis sententia Rectoribus seu Curatoribus Ecclesiarum, locorum piorum, cryptarum et coemeteriorum permittentibus vel consentientibus reliquias extrahi. In praefato etiam edicto prohibentur Notarii et alii quicumque, etiam regulares, fidem publicam vel privatam facere absque licentia illustrissimi Vicarii circa extractionem, donationem, consignationem, translationem, aut alium quemlibet contractum, vel scripturam, in qua de reliquiis mentio

» nica latae sententiae incorrono ipso facto tutti quelli, ad istanza de quali si ca- » vara, o si tentara di far cavare reliquie da detti Cimiterii, o saranno complici, » et tutti quelli che riceverano reliquie sapendo esser cavate da' detti luoghi di » qualsivoglia grado, o conditione, ancor che fossero tali, de quali si dovesse fare » special mentione, dalle quali pene et censure non possino essere assoluti se non » da Sua Santità, come di sopra, dichiarando che li Regolari che contraverano » al presente editto, oltre alle pene sopradette, incorrono anco ipso facto la priva- » tione di voce attiva et passiva, et inhabilità alle dignità et governi delle loro » religioni, da quali non possono essere assoluti, et habilitati, se non dalla San- » tità di Nostro Signore. »

habeatur; in hoc tamen casu non imponitur excommunicatio, sed privatio officii et aliae poenae. »

Addit autem Thesaurus *De poenis ecclesiast. Part. II. pag. 360. Col. 2. Edit. 1831* per edictum diei 16 Maii 1614 statutum etiam fuisse, ut nullus vigore licentiarum a Papa vivae vocis oraculo ante duos menses proximos concessarum, possit reliquias extrahere de Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, coemeteriis vel cryptis intra, vel extra urbem; alias incurrant excommunicationem ipso facto Papae reservatam.

Verum quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Omnino lata excommunicatione poenisque pecuniariis et carceris posthabitis, spe lucri illecti coeperunt nonnulli corporum reliquias e catacumbis extrahere, easque huic et illi tradere, cum maximo fidelium scandalo, sanctaeque religionis nostrae dedecore et damno. Quod cum Clementi X Romano Pontifici innotuisset, de re graviter questus est, atque sub die 13 Ianuarii an. 1672 Constitutionem edidit *Ex commissae Nobis caelitus*, qua et latam a Paulo V excommunicationem ratam habuit confirmavitque, et alia decrevit quae ad sacrarum reliquiarum cultum, conservationem, et publicam expositionem referebantur.

§. 1. « Praecipimus et mandamus, inquit, ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi eius rei facultatem habeat scripto..., quod pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus generalis sigillo munitum, et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae effodiat, et ex aliquo coemeteriorum huiusmodi extrahat aliter quam coram Sacerdote per... pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. C. Cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita (1). »

(1) Reliqua in notam coniicimus: §. 2. « Qua omni recognitione facta, statim » singula corpora et cuiuscumque Martyris reliquias seorsum in capsulis recondat, » quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem, in palatio nostro asservandas, » et a venerabili fratre.... pro tempore existente sacrarii Apostolici Praefecto, vel » ab alio per praefatum.... pro tempore existentem Vicarium designando, qui probatis moribus, ac presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas.

» §. 3. Haec autem Martyrum corpora et reliquiae ne distribuantur, et publice » ad cultum et venerationem exponantur antequam per dictum..... pro tempore » existentem Vicarium, vel alios, quibus haec cura demandata est, examinata et » examinatae, ac Romani Pontificis, vel memoratae Cardinalium Congregationis » auctoritate approbata et approbatae fuerint.

Quae autem signa habenda sint pro certis martyrii indiciis, discimus ex decreto Sacrorum Rituum Congregationis lato die 10 Decembris 1863, quod a Pontifice Pio IX probatum refertur in actis S. Sedis, Vol. II. pag. 170 in nota.

DECRETUM GENERALE.

Postquam Saeculo XVI laboribus praesertim et studiis Antonii Bosii iterum sacra suburbana patuere coemeteria, quae a Saeculo VIII exeunte summorum Pontificum cura penitus interclusa remanserant, ne barbari romanum solum devastantes ibi aliquam inferrent profanationem, in iis conquiri coeperunt Martyrum corpora, quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita.

Tutissimum dignoscendi sacra haec pignora signum a maiorum traditione receptum erant phialae vitreae, vel figulinae cruore tinctae, aut crustas saltem sanguineas occludentes, quae vel intra vel extra

» §. 4. Quoniam vero eadem sacra corpora et insignes reliquias, videlicet caput, crus, brachium, et eam corporis partem, in qua passus est Martyr, si tamen integra est, nec in privatis aedibus, neque apud laicos homines, sed in Ecclesia religiose collocari et asservari par est; ideo iubemus ea et eas nemini in posterum concedi qui Ordinarii litteras non afferat, quibus apud praefatum..... pro tempore existentem Vicarium commendetur Ecclesiae pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat operae pretium esse petitis Sanctorum reliquiis Ecclesiam illam donari, et ibi futurum ut ea qua decet religione custodiantur et colantur.

» §. 5. Excipiendos tamen volumus magnos principes et praecipuos Ecclesiae praelatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne ceterorum quoque fidelium pietas hoc munere omnino privetur, minus insignes reliquiae illis concedentur. In omnibus autem modum servari iubemus, quoniam prae copia saepius accidit, ut sanctiora quaeque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est.

» §. 6. Conficiatur etiam liber, in quo sacra corpora et reliquiae a coemeteriis praedictis extractae adnotentur, tum nomina illorum, quibus reliquiae ipsae distributae, et Ecclesiarum, pro quibus impetratae fuerint. Porro qui ornant, et vendunt capsulas, thecas et vasa, quibus reliquiae sanctorum includuntur, reliquiis alia ne adscribant nomina, nisi quae.... a pro tempore existente Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetae, aliisque poenis eiusdem Vicarii arbitrio infligendis. Atque ut omnis tollatur occasio turpis quaestus, iis quorum operam et ministerium in effodiendis et extrahendis sacris corporibus idem.... pro tempore existens Vicarius adhibebit, de pecuniis et eleemosynis, quae piis operibus applicandae forent, et de mandato ipsius Vicarii, accipient quantum aequum fuerit pro expensis omnibus, et iuxta eorum mercedem.

» §. 7. Postremo sub excommunicationis latae sententiae poena per transgressores ipso facto incurrenda districte prohibemus, ne in tradendis sacris corporibus et reliquiis, et pro confectione litterarum patentium desuper expediendarum, earumque sigillo aliquid, etiam modicum, ullo unquam praetextu, etiam a sponte dantibus, accipiatur. »

loculos sepultorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit viris eruditis alias praeter sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant.

Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, placuit Clementi IX Summo Pontifici singularem deligere Congregationem, quae ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque doctissimis viris constaret, eique hac super re gravissimum commisit examen.

Haec Congregatio, quae postea a Sacris Reliquiis et Indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis, die 10 Aprilis anni 1668. Decretum hoc tulit: *Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita de notis disceptaretur, ex quibus verae Sanctorum Martyrum reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint; eadem Congregatio, re diligenter examinata, censuit palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse, aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit.*

Decretum huiusmodi duorum fere saeculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente saeculo nonnulli selecti scriptores de phialae sanguineae signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV auctoritas obstitit, quum in litteris Apostolicis ad Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis de S. Proco Martyre ex coemeterio Thrasonis cum vase sanguinis effosso edoceret (Bullar. vol. XII. pag. 210): *Ipsi debetur cultus et titulus sancti, quia procul dubio nulli umquam venit in mentem, quamtumvis acuto ingenio is fuerit, et cupidus quaerendi, ut aiunt, nodum in scirpo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod corpus in catacumbis Romanis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno aut tincto, non sit corpus alicuius qui mortem pro Christo sustinuerit.*

At nostris hisce temporibus alii supervenere viri eruditione aeque pollentes, et in sacrae Archeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis, vel etiam voluminibus editis adversus phialam sanguineam utpote indubium Martyrii signum decertarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa IX, de decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, cum videret tamen eruditorum difficultates in ephemeridibus tum catholicis, tum heterodoxis divulgari, ad praecavendum quodlibet inter fideles scandalum, sapientissime censuit, ut huiusmodi difficultates in quadam peculiari Sacrorum Rituum Congregatione severo subiicerentur examini.

Peculiaris vero Congregatio haec nonnullis ex eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis Officialibus, ac selectis ecclesiasticis viris, pietate, doctrina,

prudentia, rerumque usu eximie praeditis constituta, prae oculis habens universam argumentorum seriem, nec non fidelem eiusdem Secretarii relationem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die 27 Novembris vertentis anni duobus his propositis dubiis.

An phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae, quae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant Martyrii signum?

II. An ideo sit standum Decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum diei 10 Aprilis 1668?

Respondit ad primum: *Affirmative*. Respondit ad secundum: *Provisum in primo.*

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX a subscripto Secretario accurata omnium expositione, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, atque praesens Decretum expediri praecepit.

Die 10 Decembris 1863.

C. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. *Praef.*

D. Bartolini S. R. C. *Secret.*

Post haec afferamus 1. Pianum Caput.

2. Perpendamus poenas in iure antiquo illatas contra extrahentes ab sacris coemeteriis reliquias.

3. In quo ius vetus a novo differat.

Quinam hanc ex 4. communicationem incurrant.

5. Quaenam ad illam incurrendam conditiones requirantur.

1. Pianum porro Caput ita legitur: XV. *Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex Sacris Coemeteriis, sive Catacumbis Urbis Romanae, eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praestantes.*

2. Poenae porro in antiquo iure latae contra huiusmodi delinquentes erant excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservata, a qua per alium absolvi non poterant nisi in articulo mortis.

Poena carceris et poecuniaria ad arbitrium infligenda; quae pariter poenae nonnisi a Romano Pontifice remitti vel condonari poterant.

Illas autem poenas incurrebant quilibet, cuiusvis status, sexus, conditionis, qui vel reliquias e sacris coemeteriis extraherent, vel ad eas extrahendas auxilium aut favorem porrigerent; ideoque etiam illi ad quorum instantiam seu petitionem extrahebantur, aut quomodolibet complices erant; tum illi qui reliquias recipiebant, si tamen nossent, eas extractas fuisse e sacris catacumbis urbis Romae vel eius territorii, (verba enim illa quae habentur in edicto Pauli V, *intra, aut extra Romam* [dentro o fuori di Roma] non sunt extendenda ad alia coemeteria quae extra Romanum territorium reperiuntur, ex. gr. in oppido vulgo *Rignano*, aut in territorio oppidi, vulgo *Civi-*

tella S. Paolo prope antiquum territorium Capenatium, aut alibi; quae Catacumbae Pauli V tempore nondum, ut arbitramur, detectae fuerant; sed intelligenda sunt tantummodo de chryptis, coemeteriis, et catacumbis in Romano territorio existentibus, ut etiam patet ex Clementis X relata Constitutione). Regulares autem praeter relatas poenas incurrebant etiam privationem vocis activae et passivae, atque inhabilitatem ad dignitates et officia suorum Ordinum.

3. Patet hinc Pium Papam IX antiqua iura moderatum fuisse. Latam enim excommunicationis poenam nunc tantum incurrunt *extrahentes absque legitima venia* e sacris coemeteriis reliquias, et eis *auxilium vel favorem praebentes.*

Ergo non amplius illi, ad quorum petitionem extrahuntur, nisi tamen auxilium aut favorem praebeant; sed neque illi qui reliquias acceptant, quamvis noverint, eas e sacris coemeteriis Urbis Romae eiusque territorii extractas fuisse. Demum neque illi qui tradendis sacris corporibus et reliquiis, et pro confectione litterarum patentium, earumque sigillo, prout Clemens X statuerat, aliquid accipiunt; cum hi omnino in Piano Capite praetermittantur.

Illi demum certe hanc excommunicationem evadunt qui reliquias extraherent ex Ecclesiis, Lipsanotecis, aliisque locis ubi asservantur. Etenim Legislator loquitur de sacris coemeteriis, seu Catacumbis.

Reliquae autem poenae privationis vocis activae et passivae, aut inhabilitatis ad officia obtinenda pro Regularibus statutae cum censurae rationem non habeant, adhuc in suo robore permanere dicendae sunt.

4. Attamen extrahentes reliquias e catacumbis, vel eis auxilium et favorem praestantes, tum tantummodo excommunicationem incurrunt, cum eas et absque legitima venia extrahunt, et reliquias reapse extrahunt.

Ex citata Clementis X Constitutione, et ex consuetudine certum omnino est, eiusmodi veniam dari posse tantummodo ab Emo Urbis Cardinali Vicario; hinc aliae quaelibet Romanae auctoritates excluduntur. At quaerimus: venia eiusmodi concedenda est in scriptis, prout statutum reperimus a Clemente X; vel satis est si ab Emo Cardinali Vicario voce tenus concedatur? Putamus, post Constitutionem *Apostolicae Sedis,* facultatem satis esse, quae voce tenus ab Emo Cardinali Vicario tribuatur. Etenim 1. etiam eiusmodi facultas est legitima, cum ab Auctoritate legitima concedatur; 2. In Piano Capite non praescribitur, facultatem hanc esse debere in scriptis; in odiosis vero minimum est sequendum. 3. In superiori Capite, cum sententia communiori affirmavimus, ad deferendum viaticum aut extremam unctionem infirmis clericis vel laicis satis esse si Religiosi habeant a Parochis licentiam quamlibet, etiam praesum-

ptam, dum in antiquo iure requirebatur licentia *specialis;* idque etiam ea de causa quia in Piano Capite eiusmodi verbum *specialis* desideretur ; ergo a pari quamvis in antiquo iure exigeretur ad extrahendas reliquias licentia in scriptis, cum eiusmodi conditio praetermissa fuerit in Piano Capite, pleno iure inferimus, ad excommunicationem evadendam satis esse licentiam etiam voce tenus concessam.

Novimus plerosque Commentatores contrarium sentire, alios quaestionem praeterire; at primi ideo licentiam in scriptis contendunt necessariam, quia verbum *legitima* interpretantur de licentia prout a Clemente X statuta est. At eiusmodi interpretatio est ne certa? E contra licentia voce tenus concessa ab Auctoritate in re constituta est ne legitima? Quis de re dubitare poterit? Ad summum imprudens erit Cardinalis Vicarius, et contra legem ipse peccabit (si tamen peccabit post Pianam Constitutionem) in concedenda verbo tenus eiusmodi licentia ; non autem qui licentiam petit, eaque utitur. De cetero qui propugnant licentiam scriptam, abstinent ab indicenda excommunicatione in illos, qui vera et legitima , quamvis non scripta, licentia in casu utuntur.

Certum est tamen, non sufficere licentiam praesumptam, tum quia deest necessitas extrahendi reliquias, tum quia reliquiarum extractio et delatio facienda est ad formam Constitutionis Clementis X; tum quia eiusmodi licentia praesumpta in casu neque supponi potest, ut per se patet.

Altera conditio ad incurrendam hanc excommunicationem est, ut quis ex catacumbis, et sacris coemeteriis Urbis Romanae eiusque territorii reliquias extrahat.

Porro non omnia corpora quae in Catacumbis reperiuntur ad sanctos sive Martyres sive Confessores pertinent; atque ad Martyres dignoscendos quaenam indicia veriora iudicentur Decretum generale Congregationis sacrorum Rituum supra relatum refert.

In tres autem classes corpora quæ in catacumbis reperiuntur dispesci possunt. Etenim vel habent certa et constituta Martyrii signa; vel ea quae habent, dubia sunt; vel nullum Martyrii, aut sanctitatis indicium habent.

Nullimode dubitandum est, eos qui ex sacris coemeteriis praedictis reliquias extraherent nullum vel sanctitatis vel martyrii indicium gerentes, praesentis capitis excommunicationem effugere; etenim non extrahunt veri nominis *reliquias;* in poenalibus vero verba stricto sunt sensu accipienda.

Neque difficultatem inducit Clementis X Constitutio, in qua prohibetur quominus aliquis iis in locis *ossa vel corpus ullum effodiat.*

Quamvis enim fateamur, Clementis X verba accipi et intelligi

posse de quocumque corpore, et de quibusvis reliquiis, etiam non sacris; attamen cum Pius Papa IX praedecessorum decreta limitaverit ad *reliquias* quo nomine intelliguntur reliquiae sanctorum, Clementis X lex vigore destitui est censenda; antiqui enim canones vim habere dignoscuntur quatenus cum Piana Constitutione concordent, et non e contra.

Certum autem est, excommunicationem hanc eos omnes incurrere, qui e praedictis locis corpora vel reliquias extrahunt indubia martyrii et sanctitatis signa praeseferentia. Etenim contra hos lata lex est.

At relate ad extrahentes reliquias praeseferentes dubia martyrii et sanctitatis indicia. Commentatores inter se discrepant.

Noster Avanzini *Commentarii in Const. Apostolicae Sedis. pag. 56. Nota 37. Edit. 1874* affirmat, hos excommunicationem incurrere: «Secus esset dicendum, si de reliquiis ageretur, de quibus non admodum constaret an sint martyrum, vel tantum fidelium.»

Eum porro sequuntur Ciolli *Commentario prattico delle Censure* pag. 98 eo ductus argumento, quod cum lex fundetur in praesumptione periculi ne sacrae reliquiae extrahantur, in dubio lex possidet et obbligat.

Cl. Ballerini Avanzinium excribit, cum eoque omnino sentit. Itemque de Varceno *Theologiae Moralis Compendium, Tom. 2. pag. 480,* atque alii.

At contra sentiunt cl. D'Annibali in suo Comment. in hunc locum, atque Scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique, Tom. X. pag. 292. §. VII.*

Nos hisce postremis subscribere decernimus. Etenim 1. Pius Papa IX loquitur de *Reliquiis,* quo nomine veniunt sanctorum corpora, vel sanctorum corporum particulae. At corpora dubia martyrii vel sanctitatis signa praeseferentia reliquiae non sunt, neque tales umquam habebuntur, nisi dubium in certitudinem transeat; quod difficillimum est.

2. Lex haec cum sit poenalis strictae est interpretationi subiicienda; cum itaque per reliquias intelligantur corpora et particulae corporum Sanctorum, de iis tantummodo intelligi potest atque debet, neque ad dubias reliquias extendi, quae ad eos pertinere possunt qui sanctitate non praefulserunt.

3. Falsum est quod ait Ciolli, legem fundari in praesumptione periculi ne sacrae reliquiae extrahantur; etenim cum lex loquatur de Reliquiis, non in praesumptione, sed in certitudine fundatur extractionis verarum Reliquiarum.

4. Ad statuendam inductam a Ciolli sententiam, necesse esset probare, Pium Papam IX locutum esse de reliquiis quibuslibet, quae in sacris coemeteriis praedictis re-

periuntur. At si haec admittatur sententia, excommunicatione illi quoque percellentur, qui extrahunt reliquias quae sanctorum certo non sunt; quod neque ipse admittit, neque Avanzini, neque alii qui cum eo sentiunt.

5. Lex poenalis extenderetur a casibus certis ad dubios; quod non licet.

6. Et iniuste prorsus extenderetur. In hoc enim dubio contingere posset ut abstractae reliquiae vulgarium hominum sint, et proinde inferretur excommunicatio extrahentibus reliquias, quae, iuxta legislatoris mentem, reliquiae non sunt; numquam autem contingeret, ut inferretur excommunicatio abstrahentibus veras reliquias, etenim reliquiae cum dubiis indiciis ab Ecclesia venerationi numquam exponuntur, neque pro veris reliquiis habentur.

7. Demum in praxi hae rationes veram probabilitatem constituunt, quae excommunicationem excludit, ut non semel diximus.

Qui sint auxilium aut favorem praestantes non semel hoc in Commentario diximus. Hoc autem in casu illi essent qui sacrorum coemeteriorum ianuas aperirent, ea explorarent, introducerent, indicarent, effoderent, e loculis reliquias deponerent, traderent, efferrent, invigilarent ne custodes superveniant, aut eos pecunia, aliisque mediis corrumperent, aut suaderent ut Catacumbas aperiant, etc. etc. (1).

(1) Si lectores nostri iniquissima nostris temporibus admissa circa Sacrarum Reliquiarum venditionem nosse desiderant, legant Decretum, quo emere aut mercari prohibentur sacrae reliquiae et Sanctorum exuviae tam in Urbe quam extra. *Acta S. Sedis, Vol. XI. pag. 365.*

Tum literas Emi Cardinalis Vicarii de mandato SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopos datas quoad sacrilegum commercium falsarum reliquiarum. *Acta S. Sedis, Tom XIV pag 39.*

APPENDIX XXIX.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN COMMUNICANTES CUM EXCOMMUNICATO NOMINATIM A PAPA IN CRIMINE CRIMINOSO.

In Piana Constitutione articulum istum ita legimus: XVI. *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.*

Ad tuendam Romani Pontificis potestatem lex pertinet, atque ad pervicaciam aliquorum retundendam, qui qualibet erga supremum Ecclesiae pastorem reverentia posthabita, nefarios homines impellunt ad peiora quaelibet. Quis autem hos non existemet gravissimi criminis reos, dum nedum Ecclesiasticas sanctiones, et decreta supremi Pontificis aspernantur, sed ab eo reiectis vel animos addunt, vel favores impendunt, quo et in admisso scelere constantes perseverent, et debitam poenitentiam agere recusent? In eodem enim scelere communicare, est eamdem animi pravitatem ostendere; at delinquentem post crimen laudare, ei favorem impendere, eique, ne perpetrati criminis poenitentiam agat, imo ut in crimine perseveret, animos addere, est peiorem animi pravitatem demonstrare; hinc si ille excommunicationem meretur, et iste illam mereri, immo potiori ratione, dicendus est.

Antiquiori Ecclesiae disciplina, ante Constantiense Concil., (1414) fideles tenebantur quamlibet sibi communionem interdicere cum eo, quem maiori excommunicatione obligatum nossent, fuerit illa ab iure, vel ab homine lata (1).

Quin imo communicantes eadem excommunicatione percellebantur. Praetermisso *C. Excommunicatos 17. Caus. XI. Q. III,* quod Isidorianae merci tribuitur (2), et cuius

(1) Comment. Patav. pag. 214. id demonstrare quaerit ex Cap. *Cum non ab homine* 14 De sent. Excomm. At hoc Caput loquitur de violenta manuum in clericos iniectione; neque potest aut debet ad alios casus extendi: En Caput: « Consultationi tuae respondemus, quod a communione illius qui pro sacrilega manuum iniectione in clericum, in edictum excommunicationis incidit, licet denuntiatus non sit, debes abstinere, nisi forte id tibi soli pateret: in quo casu ipsum privatim tantummodo evitabis, quandiu ab Ecclesia toleratur, ut saltem verecundiae rubore suffusus, pro latenti excessu satisfacere compellatur. »

(2) « Excommunicatos quoscumque a Sacerdotibus nullus recipiat, ... nec cum eis in oratione aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec Ave eis dicat, quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, iuxta Apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subiacebit. »

tamen dispositio in usum deducebatur, in Concilio Chartag. IV. c. 75 statutum fuerat: Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive Clericus, sive laicus excommunicetur (1).

Negandum tamen non est, eiusmodi iura quae maiorem excommunicationem, saltem verbo tenus, inducebant in eos qui cum maiori excommunicatione implicatis communicarent, ante Bonifacium VIII. (1294-1303) viguisse ; hic autem Decretali edita minorem excommunicationem in participantes huiusmodi induxit: « Statuimus ut nul» lus iudicum participantes cum » excommunicatis ab eo in locutione » et aliis, quibus ligatur participans » excommunicatione minori, ante » monitionem canonicam excom» municare maiori excommunicatio» ne praesumat: salvis constitutio» nibus contra illos legitime pro» mulgatis, qui in crimine praesu» munt participare damnato. Quod » si ex locutione et aliis, quibus » participans labitur in minorem, » excommunicatus fortius indure» scat, poterit iudex post monitio» nem canonicam huiusmodi partici» pantes consimili damnare senten» tia. Aliter autem in participantes » excommunicatio prolata non te» neat, et proferentes poenam legi» timam poterunt formidare. *Cap.* » Statuimus, 3, *De sententia excom» municationis in 6.* »

Ad hunc autem Bonifacii VIII textum sunt ceterae canonicae dispositiones exigendae, quibus maior excommunicatio iis videtur infligi, qui cum excommunicatis communicarent. Quando enim aliunde legitima iuris dispositio deprehenditur, nil valent canones qui contrarium statuere videntur.

Quibus autem fideles abstinere cum excommunicato deberent, norunt lectores nostri ex subiectis Canonibus, quorum dispositiones concluduntur in notissimo versiculo: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

At cum plurima essent crimina quibus fideles maiori excommunicatione teneri poterant, atque plures essent etiam illi qui non verebantur sese criminibus commaculare, incommoda plurima exinde oriebantur: fiebat enim ut plurimi cum excommunicato vitando communicarent partim timore, partim obbligatione, partim necessitate; alii vero conscientiae angustiis vexarentur, quod nescirent quid sibi in circumstantiis illis esset agendum; praesertim cum viri potentes excommuni-

(1) Repetita scilicet fuit dispositio Can. II Concilii Antiocheni an. 341. « Non » licere communicare cum excommunicatis, neque in domibus convenientes orare » pro iis qui in Ecclesia non communicant Si quem autem ex Episcopis, vel Pre» sbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex Canone excommunicatis communicare ap» paruerit, eum quoque esse excommunicatum, ut qui Canonem Ecclesiae con» fundat. »

cationem spernerent, atque ad illam spernendam ceteros incitarent.

Tot igitur incommoda Martinus V. (1417-1431) perpendens, severitatem antiquorum canonum mitigandam esse existimavit. Atque distinctione facta inter *publice et nominatim* excommunicatos, aliosque, qui *nominatim* excommunicati non essent, illos quidem vitandos esse sancivit, non autem postremos, quamvis notoria esset excommunicatio qua tenebantur obstricti, dummodo non essent notorii Clericorum percussores.

Id porro praestitit in Extravaganti *ad evitanda scandala* edita in Constantiensi Concilio, quam apud Harduinum *Tom. VIII Conciliorum, col. 292* ita legimus: « Insuper ad evitanda scandala et » multa pericula, subveniendumque » conscientiis timoratis, omnibus » Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, » quod nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum » administratione vel receptione, » aut aliis quibuscumque divinis, » vel extra, praetextu cuiuscumque » sententiae aut censurae ecclesiasticae a iure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur » abstinere vel aliquem vitare ac » interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura » huiusmodi fuerit in vel contra » personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, » aut locum certum vel certam, a » iudice publicata vel *denunciata* » *specialiter et expresse.* Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: salvo, si quem » pro sacrilegio et manuum iniectione in Clerum, sententiam latam a Canone adeo notorie contstiterit incidisse, quod factum non » possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio » excusari. Nam communione illius, » licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas » sanctiones. »

Cum autem Martinus V dispositionem Bonifacii VIII circa minorem excommunicationem ab iis incurrendam qui cum excommunicato communicarent, non abrogaverit, etiam post latam ab eo Constitutionem, ii omnes qui cum excommunicatis *denunciatis specialiter et expresse* communicarent, excommunicatione minori tenebantur obstricti, duobus tamen casibus exceptis, quibus maiori excommunicatione percellebantur, casu scilicet, quo quis communicaret *in crimine criminoso cum nominatim excommunicato,* et casu quo *Clerici scienter et sponte communicarent in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, illosque in officio reciperent.*

Primum discimus ex Decretali Innocentii III (1198-1216) (*Cap. Nuper, 29, De sententia excommunicationis*), numquam revocata, quaeque ita legitur: « Nuper Nobis tua discre-

» ctio requisivit.. Et utrum qui no-
» minatim excommunicatis scienter
» communicant, absolvi ab excom-
» municatione possint per confes-
» sionem a simplici sacerdote, vel
» Episcopi seu Archiespiscopi sit ab
» eis absolutio expetenda? Nos igi-
» tur inquisitioni tuae ex ordine
» respondemus.... In secunda vero
» quaestione credimus distinguen-
» dum, an is, qui nominatim excom-
» municato communicat, scienter in
» crimine communicet criminoso,
» ei consilium impendendo, auxi-
» lium vel favorem, aut alias in ora-
» tione vel osculo, aut orando se-
» cum, aut etiam comedendo.

» In primo quidem articulo cum
» talis communicet crimini, et par-
» ticipet criminoso, ac per hoc ra-
» tione damnati criminis, videatur
» in eum delinquere qui damnavit;
» ab eo vel eius superiore merito
» delicti tunc erit absolutio requi-
» renda, cum facientem et consen-
» tientem par poena constringat. In
» secundo vero casu a suo Episcopo,
» vel a proprio Sacerdote. »

Qua sanctione Innocentius III omnino decernit, in crimine criminoso communicantes eadem, maiori scilicet excommunicatione, implicari; communicantes vero extra crimen criminosum, minori.

Aliud vero novimus ex Cap. *Significavit 18 De sententia excommunicationis*, quo Clemens III (1187-1191) statuit. « Verum Cle-
» ricos, qui scienter et sponte par-
» ticipaverunt excommunicatis a No-
» bis, et ipsos in officiis receperunt,
» eadem excommunicationis senten-
» tia cum ipsis non dubitamus in-
» volvi; quos etiam pro beneficio
» absolutionis habendo ad nos vo-
» lumus cum litterarum tuarum in-
» sinuatione remitti. »

Pius Papa IX quapropter, quod ad substantiam attinet, antiquos canones renovavit, attamen et limitavit quoad aliqua.

1. Ex Innocentii III Decretali constat, excommunicationi subactos fuisse illos qui communicarent in crimine criminoso cum nominatim excommunicato a quocumque Episcopo, vel Archiepiscopo. At Pius Papa IX illos tantummodo excommunicat qui in huiusmodi communicant cum excommunicato nominatim a Papa; qua de causa communicantes in crimine criminoso cum nominatim excommunicatis ab Episcopis, post Pianam Constitutionem non amplius excommunicatione tenentur.

2. Innocentius eos excommunicatione maiori plectebat qui *scienter* communicarent in crimine criminoso cum personis nominatim excommunicatis; ex quo sequebatur quod ignorantia nedum crassa, sed etiam affectata, ut in superiori Capite probavimus, ab lata excommunicatione excusaret. Pius vero IX cum adverbium illud praetermiserit, ignorantiam crassam, et multo magis affectatam exclusit. Exinde vero nemo inferat, eos excommunicationem incurrere, qui nescien-

tes *simpliciter* aliquem esse excommunicatum a R. Pontifice, participarent cum eo in crimine criminoso; etenim ad excommunicationem incurrendam semper requiritur scientia aliqua; excluditur vero ignorantia crassa, et multo magis affectata, eo quod sint graviter culpabiles; postrema insuper in iure scientiae aequivaleat; ex quo sequitur Pium Papam IX quoad hanc partem vetera extendisse iura.

3. Innocentius III eos excommunicatione innodabat, qui nominatim excommunicatis *consilium impenderent, auxilium vel favorem;* at Pius Papa IX *consilium* praetermisit, illosque excommunicavit qui *impenderent auxilium vel favorem.* Exinde vero sequitur, in Piana constitutione consiliarios excommunicatos non esse.

Equidem novimus, hac in re Commentatores discrepare, atque alios velle etiam consiliarios excommunicatos, quod consilio suo in crimen criminosum moraliter cooperentur; (1) alios vero excommunicatione illos liberare, quod a Legislatore fuerint praetermissi. (2) Horum autem sententiam veriorem existimamus.

Etenim *a*) cum Pius Papa IX consulentes excommunicatos voluit, expressit; ut in excommunicationibus specialiter reservatis, nn. 4. 5. 6, et 12. Cum igitur consiliarios hoc in Capite, sicut et in praecedenti praetermiserit, stat iuridicum effatum: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est.*

b) Lex est odiosa, non extendenda proinde neque ob rationis paritatem.

c) Si etiam consiliarii sub Capite Piano comprehenderentur, ea certe ratione, quia consilio suo favorem excommunicato nominatim a Papa praestarent in crimine criminoso. At si haec admittamus, comprehendendi essent rei secundarii sub qualibet excommunicatione, quamvis eorum una tantummodo classis recenseretur, si praetermissorum actio ad actionem proscriptam referri posset. Ex. gr. si tit. 1. nn. 4. 5. 6. etc. Romanus Pontifex excommunicasset tantummodo favorem praestantes, essent etiam

(1) Hi porro sunt Commentator Patavinus *pag. 218, n. 301.*, Grand-claude, *Pii IX Constitutio Commentariis illustrata pag. 57* Cretoni *Compendium Theologiae Moralis P. Gury Tom. II, pag. 615, nota 5.* Del Vecchio *Theologia Moralis auctore Scavini Tom. 1, pag. 715, n. 897.* Ninzatti *Theologia Moralis s. Alphonsi, Tom. II, pag. 375, n. 1744.* Conrado, *Memoriale de Censuris, pag. 87.*

(2) Sunt, Commentator Reatinus, *Commentarii pag. 87, n. 141, Edit. 3.*, Gabriel de Varceno, *Compendium Theologiae Moralis, Tom. II, pag. 482. 3:* Nouvelle Revue Théologique *Tom. X, pag. 298.* Godschalk, *Constitutio Apostolicae Sedis, pag. 94.*

excommunicati habendi praestantes auxilium, et consilium, mandantes, etc; etenim hi omnes favent. Sed quis hoc dixerit?

d) Apud Legislatores singula verba suum sensum habent directum. Sensu autem directo Consilium non est favor; potest immo sine favore consistere; cum ergo consulentes Legislator praetermiserit, horum directam actionem sub lata poena concludere noluit.

e) Praetermittimus, in re gravius esse auxilium et favorem praestare quam consilium; etenim auxilium et favor importare possunt cooperationem physicam et moralem; consilium vero moralem tantummodo.

In antiquo iure ii qui cum excommunicato non tolerato communicarent, exceptis duobus recensitis casibus, minorem excommunicationem contrahebant. Hinc Commentatores quaerunt: 1. an Pius Papa IX minorem excommunicationem abrogaverit? 2. An post eius Constitutionem servanda a fidelibus sit prohibitio communicandi cum excommunicatis vitandis, ex. gr. cum notorio Clerici percussore?

Relate ad 1. quaestionem nullimode dubitandum est, ob intrinsecas extrinsecasque rationes, excommunicationem minorem e medio fuisse sublatam. Decernit enim Pius Papa IX ut « ex quibuscumque » censuris, sive excommunicationis, » sive suspensionis, sive interdicti, » quae per modum latae sententiae, » ipsoque facto incurrendae hacte- » nus impositae sunt, nonnisi illae, » quas in hac ipsa Constitutione » inserimus, eoque modo, quo in- » serimus, robur exinde habeant. »

At excommunicatio minor per modum latae sententiae imposita in canonibus fuit, nullo autem pacto inserta in Piana Constitutione reperitur; ergo abrogata censenda est. Ita ut qui nunc cum excommunicatis non tolleratis communicent, etiam illis qui nominatim a Papa excommunicatione perculsi sunt, dummodo cum iis in crimine criminoso non communicent, nullam minorem excommunicationum incurrunt.

Haec deinceps est communissima Commentatorum sententia, Avanzini scilicet, Commentatorum Reatini et Patavini, Ballerini, Ciolli, Formisano, Scriptorum Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique, Tom. 10, pag. 296,* Cretoni, De Varceno, Conrado, Frassinetti etc.

Non diffitemur, cl. De Angelis Iuris Canonici Professorem contrariam tenuisse sententiam, adhuc vigere, scilicet, post Pianam Constitutionem excommunicationem minorem, deque argumento nos cum eo aliquando disputasse; promisit quidem se rationes allaturum in opere iuris Canonici quod morte praeventus, imperfectum reliquit; at disputationis actu, hoc unum attulit argumentum; non posse abrogatam censeri excommunicationem minorem, eo quod Pius

Papa IX de ea in sua Constitutione ne verbum fecit. At ratio huiusmodi tanto viro indigna dicenda est. Cum enim Pius Papa IX censuras quaslibet latae sententiae ad eas reduxerit quas suae Constitutioni inseruit, et excommunicatio minor latae sententiae censura sit, hoc ipso quod de ea ne verbum fecit, eam abrogasse censendus est. Deinde si allata ab doctissimo viro ratio aliquid valeret, subsisterent adhuc plurimae antiqui iuris censurae, eo quo de ipsis Pius Papa IX ne verbum quidem fecit. Quod nemo cogitet.

Secunda quaestio implexa videtur. Clarissimi Scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique Tom. X. pag. 296.* scribunt « a Pio Papa IX abrogatum non fuisse interdictum antiquo iure latum communicandi cum excommunicatis non toleratis; distinctionem igitur inter excommunicatos toleratos et vitandos adhuc subsistere; excommunicationem tantummodo minorem ob eam communicationem illatam abrogatam censeri per Constitutionem *Apostolicae Sedis;* Commentatorum communem esse sententiam, abrogatam esse excommunicationem minorem inflictam ob eiusmodi communicationem; prohibitionem autem communicandi a Pio IX sublatam non fuisse. Eos hinc corripit, quos inter Avanzinium nostrum, qui putant, post Pianam Constitutionem neminem teneri notorios Clericorum percussores vitare. Id autem esse Constitutionem Pianam ultra praescriptos limites extendere, et legislatoris mentem transgredi qui voluit unas censuras limitare, quin prohibitionibus antiqui iuris detrimentum inferret. (1)

Huic sententiae subscribendum esse dicimus.

Revera Pius Papa IX unas latae sententiae censuras limitavit, non poenas, non nullitates actorum etc; at prohibitio excommunicatos non

(1) IV. Notons que la Constitution de Pie IX n' a point dérogé à la partie de l'ancienne législation qui contenait la défense de communiquer avec les excommuniés. La distinction entre les excommuniés tolérés et ceux qu'on doit éviter est donc mantenue. Il n'y a que la peine autrefois infligée aux transgresseurs de la défense qui a été abrogée par la Constitution *Apostolicae Sedis.* Du moins l'opinion communément reçue par les Commentateurs de cette Bulle est que Pie IX a aboli l'excommunication mineure, qui atteignait ceux qui, hors des cas permis par le droit communiquaient avec les excommuniés non tolérés; mais qu'il a maintenu la défense de communiquer avec eux.

V. De cette disposition de la Bulle de Pie IX, quelques auteurs, dont nous avions trop facilement accueilli l'opinion, tirèrent la conclusion que l'on n'était plus obligé d'éviter ceux qui ont notoirement frappé un ecclésiastique. C'était donner à la Constitution *Apostolicae Sedis* une portée qu'elle ne comporte pas; c'était outrepasser le but du législateur, qui a simplement voulu restreindre le nombre des censures *latae sententiae,* sans porter atteinte aux prohibitions ou pures défenses de la législation antérieure.

toleratos vitandi poena est, non censura. Quandoquidem antequam minor excommunicatio inferretur, haereticos evitare fideles tenebantur, iuxta Apostolum Paulum *Tit. 3. 10.* dicentem: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita;* atque a Ioanne Apostolo prohibebantur quominus haeretico *Ave* dicerent: *Nec Ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave communicat operibus eius malignis.* 2. Ioan. 10. 11.

Addendum, ideo minorem excommunicationem invectam in communicantes huiusmodi fuisse, ut poenae timore ab communicando abstinerent. Huius autem abstentionis ratio erat, et ut excommunicati propriam iniquitatem agnoscerent, et ut nossent, se ab Ecclesiae gremio divulsos, cum reliquis fidelibus communionem habere non posse nisi resipiscerent, et ne fidelibus communicantibus perversionis periculum immineret, et ne excommunicatis animi adderentur, si reliquos viderent sibi communicare etc. Intentio igitur Ecclesiae semper illa fuit, ut excommunicati vitarentur; minor vero excommunicatio inducta ut statuta illa haereticorum vitatio conservaretur. Non potest igitur inferri, non esse de cetero haereticos vel excommunicatos vitandos quod minor excommunicatio sublata fuerit, tum quia vitandi lex excommunicationi minori sit anterior, et haec ad illam conservandam lata, tum quia vitandi lex poena est nullam censurae rationem habens.

Profecto si nunc excommunicatione maiori perculsos vitare non teneremur, quod superesset medium excommunicatos ad meliorem frugem reducendi, cum ob excommunicationem nullam poenam referrent?

Unum tamen in relato praestantissimae Ephemeridis *Nouvelle Revue Theologique* testimonio non intelligimus, quo scilicet loco cl. Avanzini affirmet, post Constitutionem *Apostolicae Sedis* non esse excommunicatos ob Clerici notoriam percussionem vitandos. Quod enim claris. Commentator affirmavit, *post Constitutionem Apostolicae Sedis cessare censuram quamvis quam antea contrahebant illi, qui communicarent cum notorio Clericorum percussore,* hoc utique ab eo scriptum loc. cit. a clarissima Ephemeride reperimus; scriptum autem ab Avanzinio, fuisse non esse, quamvis sine aliqua minori excommunicatione, excommunicatos ob notoriam Clerici percussionem vitandos, minime reperimus. (1)

(1) En eius verba in Comment. *Edit. 1871. pag.* 28. n. 1. « Ante Concilium » Constantiense omnes excommunicati excommunicatione maiore erant vitandi: » post hoc Concilium ob Constitutionem Martini V, quae incipit *Ad evitanda* » *scandala,* vitandi tantum erant notorii percussores Clericorum et qui excom- » municati essent nominatim, expresso videlicet nomine, ut consuetudo hactenus s » tulit. . . »

Post haec ipsius Capitis verba perpendamus.

In eo porro uni communicantes cum excommunicatis *nominatim* a Papa excommunicantur; quicumque ii demum sint, cum generice prorsus Legislator loquatur, non tamen communicantes in aliis quibuscumque, sed tantummodo in *crimine criminoso*.

Communicare autem in *crimine criminoso* idem est *ac cooperari crimini, vel contumaciae, ob quam alter fuit excommunicatus.* (1) Huius communicationis exempla suppeditat S. Alphonsus dum Theolog. Moral. lib. VII, n. 197 scribit: « Si » quis suam concubinam excommu- » nicatam post excommunicationem » iterum cognoscat, » ut habetur ex *Cap. Concubinae V de sententia Excom.* (2) « vel si quis post Ex- » communicationem latam in ali- » quem ob furtum, concubina- » tum etc. impendat ei auxilium, » aut consilium ne restituat, ne con- » cubinam dimittat, vel ne exeat » ab excommunicatione. »

Communio igitur in alio aliquo facto quod non sit *crimen criminosum*, nullam inducit excommunicationem.

Attamen requiritur ut eiusmodi communio in crimine criminoso sit cum excommunicato nominatim a Papa.

Ergo 1. communicatio in crimine criminoso ante excommunicationem, quamvis ob illud crimen postea excommunicetur, nullam censuram inducit, quandoquidem hic nondum excommunicatus est.

2. Neque censuram communicantes incurrunt, si principalis non sit nominatim excommunicatus; lex enim dicit *nominatim*, id est *specialiter* et *expresse*, designato scilicet nomine et cognomine aliisque adiunctis, ex quibus excommunicatus cum alia persona confundi nequeat. Hinc si Romanus Pontifex excommunicationis sententiam in quemquam generalibus tantum verbis protulerit, quamvis persona excommunicata dignoscatur, communicando cum eo in crimine criminoso, excommunicatio non incurritur, quia non potest dici *nominatim* excommunicatus iuxta vim quod in iure habet eiusmodi adverbium, et ex quo in odiosis verba sunt stricto sensu accipienda.

Pariter excommunicationem praesentem non incurrit communicans

« Hodie autem post Constitutionem *Apostolicae Sedis*, cessat censura quaevis » quam antea contrahebant illi qui communicarent cum notorio Clericorum per- » cussore... Quare hodie sub poena excommunicationis vitandi tantum manent *no-* » *minatim* excommunicati a Papa. » At ex his unum eruitur, non incurrere quidem excommunicationem illos qui communicant cum notorio Clericorum percussore, non autem hunc non esse vitandum.

(1) Bonacina *Disp. II, quaest. 3, Punct. 22.*

(2) « Concubinae ad tempus adhibitae, nec etiamsi causa filiorum concubant, » iustum faciunt concubinatum suum. »

in crimine criminoso cum eo, quem papali quidem censura innodatum novit, non tamen ab R. Pontifice, sed ab Episcopo, Patriarcha, vel Pontificio legato nominatim excommunicatus declaretur, etenim hic a Papa nominatim excommunicatus dici nequit; atque sensus Capitis est ut excommunicatio directe a Romano Pontifice ferri debeat.

Excommunicati tamen essent participantes in crimine criminoso si communicarent cum iis qui nominatim a R. Pontifice excommunicati denunciantur ob excommunicationem latae sententiae iam incursam; etenim et hi essent *nominatim* excommunicati a Papa, neque in Capite discrectio ulla inducitur circa excommunicationis naturam, atque de cetero optime scribit Avanzini *De Constitutione Apostolicae Sedis Edit. 3 manualis 1874, pag. 60.* « quod in praesenti disci- » plinae ordine inducto post con- » stitutionem Martini V, distinctio » quidem invaluit inter excommu- » nicatos toleratos et vitandos; sed » inter vitandos nulla alia subdis- » tinctio dignoscitur; vitandi enim » sunt sive illi, qui sine praeexi- » stente sanctione latae sententiae » prima vice excommunicantur, sive » illi, qui iam ex praeexistente san- » ctione latae sententiae excommu- » nicati, nominatim denuncientur. » Unde sanctiones, quae respiciunt » excommunicatos vitandos, sive in » his reperiantur verba *excommu-* » *nicati nominatim,* sive *denun-* » *ciati nominatim,* quoad legis effe- » ctus in idem recidunt; quod » usus confirmat. »

Praeter citatas, ad incurrendam praesentis capitis excommunicationem, necessarium est etiam ut communicans noverit principalem ob crimen illud excommunicatum fuisse, in quo communicat; deesset sin minus tum excommunicationis ratio et scientia, tum superioris contemptus, qui in participatione *criminis criminosi* semper invenitur; sicut et necessarium est, ut participatio sit in materia gravi; ad incurrendam enim excommunicationem maiorem peccatum mortale requiritur.

Verum in Piano Capite communicatio *in crimine criminoso* ad duas reducitur actiones, ut scilicet communicans impendat auxilium vel favorem, *ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.* Quaelibet igitur alia communicatio in crimine criminoso, quae non redoleat *auxilium vel favorem* excommunicationi non subiicitur. Atque advertendum, est eiusmodi *auxilium* vel *favorem* esse debere in crimine criminoso, non autem relate ad alia; scilicet ut quis auxilium vel favorem praestet, quo excommunicatus in crimine obduratus permaneat: Ex. gr. si quis excommunicatus nominatim a Papa ob furtum sacrilegum, ob concubinam, ob haeresim etc. impendat auxilium in re ablata abscondenda, vel alio adducenda, vel suadeat ut in concubi-

natu vel in haeresi permaneat; non autem si in aliis, quae non pertinent ad crimen criminosum, auxilium vel favorem impendat, ut supra iam exposuimus : Ita a Papa nominatim excommunicatus, sine ulla excommunicatione, potest domi hospitio excipi etiam humanitatis causa, et alia ei impendi auxilia vel favores quae tamen nullam participationem in crimine criminoso importent; quamvis praebens auxilium aut favorem praevideat, excommunicatum exhibita humanitate abusurum, quo obstinatior fiat. Recte Suarez *De Censuris, disp. XVII. sect. II. n. 6.* scribit: « Non satis » erit favere ipsi personae, vel secundum se, vel in alio opere, » licet inde ex accidente seu indirecte resultet excommunicatum » fieri potentiorem, aut animosiorem ad suum crimen continuandum. »

Verum ad conclusionem praesentis Capitis observamus quod Capite 1. inter excommunicationes speciali modo reservatas, Pius Papa IX excommunicat haereticorum et Apostatarum *receptatores, fautores, ac generatim quoslibet illorum defensores.*

Quid ergo si Pontifex *nominatim* ex capite haeresis vel apostasiae aliquem excommunicet? Num ne communicantes cum eo *in crimine criminoso* duplicem excommunicationem incurrunt; hanc scilicet simpliciter, et illam specialiter reservatam?

Quamvis non desint qui id affirment, verior tamen sententia est, quam tenet Avanzini *Constitutio.. nonnullis illustrata Commentariis, Append. II. pag. 107,* qua defendit communicantes in *crimine criminoso* cum haeretico nominatim a Romano Pontifice excommunicato, unam incurrere excommunicationem specialiter reservatam. « Ratio est, quod non est praesumendum, Pontificem in una eademque lege, duplicem excommunicationis poenam voluisse infligere ob eamdem causam; poenae enim non sunt multiplicandae, nisi constet, multiplicandas esse; ideoque, quum fautores haeretici, eiusque defensores ob communicationem in crimine haeresis contrahant excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam, non videntur in aliam incidere simpliciter Romano Pontifici reservatam. »

Unum enim idemque crimen est. Qua de causa dum communicantes in *crimine criminoso,* quod non sit haeresis, excommunicationem simpliciter reservatam incurrunt; specialiter reservatam incurrunt qui communicant in crimine criminoso ex capite haeresis, et in hoc tantum.

APPENDIX XXX.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN CLERICOS COMMUNICANTES IN DIVINIS CUM PERSONIS A ROMANO PONTIFICE NOMINATIM EXCOMMUNICATIS.

Praeter communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, Pius Papa IX postremo loco excommunicatione simpliciter Romanis Pontificibus reservata ferit *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.*

Porro, ut ex superiori Capite patet, haec excommunicatio nedum nova non est, sed ita in antiquo iure constituta, ut nil Pius Papa IX addiderit, detraxerit nihil.

Cap. *Significavit*, 18. *De sententia excommunicationis* Clemens Papa III haec statuerat: « Verum cle» ricos, qui scienter et sponte par» ticipaverunt excommunicatis a No» bis, et ipsos in Officiis receperunt, » eadem excommunicationis senten» tia cum ipsis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio ab» solutionis habendo ad nos volu» mus cum litterarum tuarum insi» nuatione remitti. » Cui Capiti concors omnino Pianum Caput deprehenditur.

Tria porro ipsius Capitis tenor inquirenda decernit.

1°. Quinam hanc excommunicationem incurrant?

2°. Quaenam actiones excommunicationi subiiciantur?

3°. Quaenam ad illam incurrendam requirantur conditiones?

Quoad primum itaque, tantum Clerici huic excommunicationi subduntur, cum textus unos *Clericos* recenseat; non igitur alii quicumque qui laici sint, cuiuscumque conditionis, dignitatis et status extiterint. Clerici vero sunt illi qui per primam tonsuram in coetum ecclesiasticum cooptati fuerunt.

Attamen circa *Clericos* illico quaestio exurgit, an, scilicet, sub hoc nomine comprehendantur Episcopi et Religiosi. Relate ad primam quaestionem Lucius Ferraris *Bibliotheca Canonica, V Clericus, Art. 1, N. 20* Episcopos non venire contendit. « Sic nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque Superiores, et multo minus sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales. »

Non desunt tamen qui observant, Lucium Ferraris ad rem suam tuendam niti canoni *Quia periculum*, qui loquitur tantummodo de

suspensione et interdicto; (1) hinc non esse excommunicationi applicandum, quae si generalibus terminis feratur, eam incurrere possunt tum Episcopi, tum Clerici, tum reliqui quilibet, *Revue Théologique Tom. X. pag. 421, N. V.*

Verum hisce sententiam a Lucio Ferraris propugnatam labefactari non putamus. Et 1°. Falsum est, eum niti unico Capiti *Quia periculum;* argumentum enim sumit etiam ex Cap. *Sedes Apostolica 15 de Rescriptis,* quem ita legimus: « Nos igitur » volentes eorum malitiis obviare, » decernimus, ut cum in commis- » sionibus nostris minores et vilio- » res personae solummodo desi- » gnantur, maiores et digniores sub » generali clausula non intelligan- » tur includi. » Atqui Clerici respectu habito ad Episcopos sunt minores personae; ergo si in aliqua Commissione vel Constitutione, vel Lege uni Clerici nominentur, eorum nomine in odiosis venire non debent Episcopi.

2°. Certum est, Clericorum nomine numquam vocatos esse Episcopos, sed *Apostolos, Apostolorum successores et filios, viros apostolicos, hierarchas, principes populi, principes Ecclesiae, praefectos, praepositos, praesidentes, Antistites, principes sacerdotum, summos sacerdotes, Pontifices, Papas et patres, patres patrum, iudices, reverendissimos, sanctissimos, honorabiles, devotissimos, Patriarchas, Vicarios Christi, Angelos Ecclesiae, pastores et praesules,* (2) numquam autem Clericos. Legislatores autem iuxta communem et usitatum sensum verba adhibent; cum itaque sub Clericorum nomine numquam Episcopi designati fuerint, qua interpretationis regula sub eo vocabulo illos comprehendemus?

3°. Cum in favorabilibus Episcopi sub Clericorum nomine veniunt, non certe per acceptionem vocabuli, sed per extensionem; existimatur enim collatum multo magis Episopis beneficium fuisse, quod inferiori Clero concessum a Principe fuit. Hinc ab eiusmodi in casu favorabili Episcoporum comprehensione sub Clericorum nomine, difficultas oriri non potest.

4°. Certum est, in praesenti Constitutione Pium Papam IX sub Clericorum nomine non comprehendisse Episcopos, sed eos semper distinsisse; id praesertim patet ex Art. V excommunicationum primi

(1) En Canon: « Quia periculum est Episcopis et eorum superioribus propter, » executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu in- » terdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: Nos deliberatione pro- » vida duximus statuendum, at Episcopi et alii Superiores Praelati nullius Con- » stitutionis occasione, Sententiae, sive mandati, praedictam incurrant sententiam » ullatenus ipso iure; nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur. » *Cap. 4. De sententia excommucationis in 6.*

(2) Cf. Mamachium *Origines et antiquitates christianae, Tom. IV, pag. 520. et segg.*

tituli, et art. II tituli secundi; at ratio loquendi a Legislatore adhibita serio attendenda est; argumentum igitur afferri in casu non posset, quo probetur, Legislatorem clericorum nomine etiam Episcopos indigitare voluisse.

5°. Fatemur, excommunicationem terminis generalibus latam generaliter a quibuslibet incurri, nisi in iure quoad exceptiones aliter cautum sit. At negandum est, hanc excommunicationem terminis generalibus latam fuisse; quandoquidem Legislator non excommunicat *omnes quoslibet*, *quoscumque*, sed unos *Clericos*. Ergo illi tantummodo sub eiusmodi vocabulo veniunt, qui in iure sub Clericorum classe designantur. At sub clericorum classe non designantur Episcopi, nec aliquando designati fuerunt. Ergo hi sub Clericorum nomine comprehendi non possunt.

6°. Quam conclusionem adversarii plerique respuere non possunt. Quandoquidem ipsi decertant, sub eo nomine non venire viros religiosos quamvis sacris Ordinibus insignitos, ea unica ratione, quod in communi appellatione Religiosi sub *Clericorum* nomine non comprehenduntur, quamvis reapse clerici sint; quo igitur iure venient Episcopi, qui in ipso iure numquam sub Clericorum nomine venerunt?

Neque hisce opponi potest, sub Clericorum nomine in odiosis neque designari Canonicos aliosque qui Episcopi non sint, ita docente Lucio Ferrari *Bibliotheca Canonica* Voc. *Clericus Art. 1. n. 19.* « Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, cum sicet agitur de damno, vel incommodo Clericis inferendo, veniunt duntaxat soli inferiores Clerici saeculares; non autem Canonici, Abbates, aliique in dignitate Ecclesiastica constituti, nisi secus exprimatur, vel aliunde de oppositio constet. »

Etenim prorsus ex hoc ipso Capite de opposito constat. Quandoquidem excommunicantur clerici communicantes in divinis et recipientes in officiis personas a Romano Pontifice nominatim excommunicatas. At si Canonicos, aliosque in dignitate aliqua constitutos excipiamus, quomodo a Papa excommunicati in officiis recipi possent? etenim ad dignitates pertinet de eiusmodi decernere, cum officia divina, non privatae res sint, sed publicae, quarum directio ad Clericos in dignitate constitutos pertinet. Quare si hos excipiamus fere inutilis Canon redderetur. Hinc sequitur, Canonicos et dignitates sub Capite comprehendi quod et Clerici sint, et ad eos verba Capitis referantur; non tamen comprehendi Episcopos, quod sub Clericorum nomine per se neque in odiosis, neque in favorabilibus veniant; atque in hisce per extensionem tantummodo, non proprie comprehendantur.

Exinde sequitur, extra quaestio-

nem eos argumentari qui ex quo in Cap. *Quia Periculum* agatur tantummodo de suspensione et interdicto, quibus poenis Episcopi excluduntur, nisi disertis verbis exprimantur, concludunt eos comprehendi sub excommunicatione, quamvis non exprimantur, si suspensio generice lata fuit.

Etenim hoc verum est: At quaestio non versatur in eo, an Episcopi comprehendantur sub excommunicatione generice lata, sed: an Episcopi veniant sub *Clericorum nomine;* an, scilicet quando excommunicatio lata sit in Clericos, infra eos etiam Episcopi concludantur? Haec autem quaestio nil commune cum alia habet, ut patet. Nos autem ad excludendos Episcopos ab *Clericorum* vocabulo talia argumenta adduximus, quae probabilem sententiam constituunt; at in sententia probabili nemo de excommunicatione, in praxi, damnatur.

Quae autem de Episcopis diximus, multo magis de Cardinalibus dicenda sunt, ob specialia privilegia, quibus gaudent, ut non semel hoc in Commentario probavimus.

Quantum ad Religiosos attinet, in triplicem sententiam Doctores abeunt Grand – claude *Commentaria in Const. Apostolicae Sedis pag. 58,* affirmat « Clericorum appellatione, iuxta communiorem sententiam, continentur regulares Clerici; eique assentitur Conrado *Memoriale de Censuris pag. 87.*

Cl. D'Annibali defendere videtur, Religiosos tunc sub Clericorum nomine venire, si fuerint prima tonsura initiati. *Adeoque nec religiosi, nisi sint Clerici.* (1) Alii demum ab Clericorum appellatione Religiosos omnimodis excludunt, quos inter recensendi sunt Commentator Patavinus *pag. 224* (2), Gabriel de Varceno *Compendium Theologiae Moralis. tom. II. pag. 484 6°* (3). Scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. X, pag. 421 422.* (4)

Postrema sententia nobis verior videtur. Revera 1°. tum per se, tum in iure Clericorum nomine non veniunt Religiosi; at in Piano Capite sermo est de Clericis, quo nomine indigitantur saeculares Ecclesiastico servitio mancipati, non vero religiosi.

2°. Lex est odiosa, ideoque stricto sensu interpretanda.

3°. In iure Clerici saeculares a regularibus discriminantur. Exemplo sit Caput. Si quis suadente diabolo violentas manus in Clericum vel Monachum iniecerit; et alia plurima Iuris Capita.

4°. In hac ipsa Piana Consti-

(1) Comment. N. 10, pag. 87, Edit. 3, 1880.

(2) Cum versemur in odiosis, et odia sint restringenda, arbitramur.. Religiosos non esse obnoxios huic excommunicationi.

(3) Probabilius videtur quod Religiosi huic censurae non subiiciantur.

(4) Cette opinion est plus conforme aux principes d'interprétation.

tutione discrimen idem servatur Cap. II, tit. 2. *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos.*

5°. Falsum est quod Grand-claude affirmat, communiorem sententiam esse sub Clericorum appellatione Regulares Clericos contineri; potius enim communior est contraria sententia: Ut aliquot citemus; Lucius Ferraris *Bibliotheca Canonica, V. Clericus, Art. 1, n. 22.* scribit « Nec etiam nomine Clericorum in » odiosis veniunt Monachi, seu Regulares utriusque sexus, nisi istud » exprimatur, vel ex subiecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. » Atque praeter auctores quos citat, id colligi contendit ex Cap. *Si quis suadente 29 Caus. 17, qu. 4.*, et *Cap. Super specula* 10, *Ne Clerici vel Monachi,* aliisque consimilibus Canonibus, *ubi Clerici et Monachi ponuntur tanquam quid diversum.*

Schmalzgrueber *Ius Ecclesiasticum lib. V. Tit. XXXIX, n. 336* nedum hanc sententiam defendit, sed contrariam tenentium rationes confutat. Scribit: « An vero interdicto Clero alicuius loci, sub nomine Cleri contineantur etiam » Religiosi, dissident inter se doctores. Alii apud Palao volunt » contineri ex ratione quia Communitas dividitur in Clerum et » populum; at religiosi etiam laici, » sive mares sive foeminae non sunt » de populo; ergo sunt de Clero, » ergo interdicto Clero, etiam ipsi » interdicti censendi sunt. Sed probabilius non continentur huiusmodi interdicto, licet istud latum » sit a Pontifice, vel alio, qui in » saeculares et regulares iurisdictionem habet. » Atque in rem allegatis novem Doctoribus, quos inter Reiffenstuel, prosequitur. « Ratio est, quia esto religiosi sub nomine Cleri comprehendantur in » favorabilibus, non tamen in poenalibus et odiosis, utpote qui diversis legibus et constitutionibus reguntur. *Excipiuntur* 1°. Religiosi » qui beneficium saeculare possident; » nam hi cum Clericis saecularibus » unum corpus constituunt, consequenter sub interdicto Clerici intelliguntur. *Excipitur* 2°. nisi interdictum latum sit sub nomine » personarum ecclesiasticarum; nam » tali interdicto comprehenduntur » etiam religiosi quicumque utriusque sexus, quia vere sunt personae ecclesiasticae, ad Ecclesiam » et illius iurisdictionem directe » pertinentes. »

Neque quis obiiciat citatum Doctorem loqui de interdicto; etenim vim argumenti reponimus in eo tantummodo quod Religiosi sub Clericorum nomine non veniant in poenalibus et odiosis, quia diversis legibus et constitutionibus reguntur.

Reiffenstuel *lib. V, Tit. XXXIX,* n. 187. « Etsi in materia favorabili nomine Cleri intelligantur » etiam religiosi; secus tamen est » in materia odiosa, prout late pro- » bavimus lib. III, tit. 1., *De vi-*

ta et honestate Clericorum cap. 19, ad quem locum Lectores remittimus. Ut vero ceteros omnes praetermittamus, S. Alphonsus *Theologia Moralis lib. VII, n. 331.* « Nec interdicto clero, interdicuntur religiosi, qui in favorabilibus tantum nomine Clerici comprehenduntur. (1)

Ex his vero satis patere arbitramur, Clericorum nomine Religiosos non venire, ideoque neque hos, neque Episcopos, neque Cardinales sub praesenti excommunicatione concludi, sed tantummodo viros ecclesiasticos saecularis Cleri inferioris.

2°. Post haec perpendamus, quaenam actiones huic excommunicationi subiiciantur?

At profecto subiicitur *communicare* in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, easque in officiis *recipere*.

Attamen aliud est communicare cum excommunicato in divinis, aliud est eum in officiis recipere; primum importat quamlibet communicationem in precibus publice illae fiant, vel privatim: qua de causa qui una cum excommunicato eiusmodi vel preces funderet, vel Missae sacrificio assisteret, cum eo in divinis communicaret.

At recipere aliquem in officiis est illum admittere ad preces et functiones sacras, quae publice fiunt et Ecclesiae nomine. Officiorum enim divinorum nomine intelliguntur sacrificium Missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et cetera annexa ordini clericali, quae solemniter fiunt, excepta Concione. » S. Alphonsus, *Theologia Moralis, lib. VII, n. 177.*

Cum itaque aliud sit communicare in divinis, et aliud excommunicatum ad officia recipere; quaerendum est an recensitae actiones divisim, vel coniunctim excommunicationem praesentis Capitis inducant; alias: an ad excommunicationem hanc incurrendam necessarium sit tum communicare in divinis, tum in officiis excommunicatum recipere, vel horum alterutrum ad excommunicationem inducendam sufficere?

Ut respondeamus; certum est, de Clementis III recitato Capite nihil a Pio Papa IX immutatum fuisse; eam igitur Pianum Caput habere extensionem, quam Clementinum habebat; at in hoc, ni ob verba quibus constat, certe ex Doctorum interpretatione, utraque actio, communicatio in divinis scilicet, et in officiis receptio, necessaria erat ad excommunicationem inducendam.

Alterius profecto *De Censuris Ecclesiast. Tom. 1. lib. 1. Disp. XIII,*

(1) Ne quis autem argumentum desumat, ex quo in antiqua Ecclesiae disciplina, Sacerdotes Religiosi vocarentur Presbyteri, quod nomen ad Clerum saecularem pertinet, observamus, nomen illud impositum fuisse ut Sacerdotes ab reliquis monachis distinguerentur, qui plerumque erant laici, atque in singulis monasteriis unus vel duo erant Sacerdotes.

Cap. VIII, p. 144 etiam aliorum Doctorum allegata sententia, affirmat « incurrere hanc excommunicationem Clericum qui admittit ad divina sic denunciatum a Papa ». Atque ex Caietano in Summa V repetit: « ut » Clericus sponte et scienter admittat ad divina officia denunciatos a » Papa; oportet ergo ut sit clericus » et sponte et scienter admittat denunciatos publice et nominatim a » Papa ad officia ecclesiastica... »

Suarez, *Disp. X. Sect. II.* n. 3, eamdem sequitur interpretationem scribens. « Verus ergo sensus illius, textus est, quem Panormitanus sequitur, et dicit esse communem, scilicet, ut illa sit specialis poena lata contra clericos scienter et sponte violantes excommunicationem latam a Papa, participando cum excommunicatis *in divinis officiis;* ita ut ad illam poenam incurrendam quinque conditiones requirantur... secunda quod participatio sit recipiendo excommunicatum in officiis. »

Demum, ut alios quoscumque praetermittamus, Bonacina *De Excommunicationibus in particulari, Disp. II, Q. V. Punct. III, n. 3* « Observa, inquit, ad incurrendam » istam excommunicationem, non» nullas conditiones requiri... Se» cunda ut participet admittendo » ad divina officicia; nam textus » loquitur per particulam *et* ibi *par*» *ticipaverunt excommunicatis a* » *Nobis et ipsos in officiis recepe*» *runt* ».

Ex quo patet non sufficere quamlibet « participationem, sed eam » requiri, quae fit recipiendo in » divinis; hunc enim sensum im» portant praecitata verba coniun» ctive pronunciata. Propterea si » Clericus non admittat ad divina, » sed tanquam unus de populo as» sistat divinis Officiis cum excom» municato non incurrit istam ex» communicationem. »

Cum itaque Pius Papa IX nihil immutaverit, et eius Caput utramque actionem complecti dicendum est.

Nimis quapropter rigida et respuenda est sententia quam tenet Grand-Claude *in hunc loc.* incurrere, scilicet, excommunicationem eum, qui cum eiusmodi excommunicato recitaret horas canonicas, *etiam privatim et extra chorum;* etenim ceteris praetermissis, communis Doctorum sententia veram probabilitatem constituit; vera autem probabilitas in praxi ab excomunicatione excusat.

Manifestum hinc est, praesentem excommunicationem numquam laicos incurrere cum Clerici tantummodo ad divina officia aliquem admittere possint; laicos vero a divinis officiis ipso iure excludi.

Quamvis de unica excommunicatione nos loqui debeamus, inutile tamen non erit aliquid de peccato innuere, quod Clerici illi committerent. quo nominatim excommunicatum ad recitationem privatam divini Officii, seu horarum canoni-

carum advocarent. Grand-claude quidem et alii pauci eum mortaliter peccare contendunt. At solidior est sententia Suaresii qui *De Censuris Disp. XII, sect. II, n. 18.* scribit: « Addit Covarruvias, posse huius» modi communicationem excusari » a peccato mortali, quia non est » illa communicatio in divinis, quae » per se primo per hanc censuram » prohibetur; nec materia est adeo » gravis, ut ad peccatum mortale » sufficiat. Quae sententia mihi val» de probabilis videtur, et practice » secura, et extendenda etiam ad » casum de quo agimus; nam licet » sacerdos excommunicatus ex prae» cepto recitet officium, cum tamen » privatim id faciat, quod illud cum » alio recitet, non est peculiariter » prohibitum ea speciali ratione, » qua communicatio in sacris et di» vinis officiis publicis prohibita » est; sed generatim, ut alia quae» libet communicatio. »

Quae quidem sententia post Pianam Constitutionem, qua excommunicatio minor sublata est, solidior evadit; cum enim excommunicatio minor incurratur ob communicationem cum excommunicato vitando, excommunicatio autem sine gravi peccato non habeatur, praesumi non potest legislator, qui poenam substulit, prohibitionem communicandi tanto rigore conservare voluisse, ut ea gravem culpam semper inferret, scilicet iis etiam in casibus, in quibus nullus contemptus, nullumque scandalum deprehenditur; in eorum autem sententia qui affirmant per eam sublatum fuisse etiam communicandi interdictum, absolute certa.

3°. Superest ut de conditionibus ad hanc incurrendam excommunicationem necessariis loquamur.

Suarez in testimonio superius relato ita eas recenset: « Ad illam » poenam incurrendam quinque con» ditiones requiruntur.

Prima, quod excommunicatio sit Papalis; scilicet ut persona nominatim sit a Romano Pontifice excommunicata; adeo ut cum alia quacumque persona confundi non possit.

Secunda, quod participatio sit recipiendo excommunicatum in Officiis, divinis scilicet et publicis; qua de causa una communicatio in divinis non sufficit ad excommunicationem hanc incurrendam.

Tertia, quod participans sit Clericus; ii enim tantummodo hoc in capite excommunicationi subduntur.

Quarta et quinta quod scienter et sponte id faciat. Hinc qui ignorantia qualibet, etiam affectata, laborant; vel qui metu aliquo, etiam levi, ad communicandum in divinis, vel recipiendum nominatim excommunicatum a Papa in officiis ducuntur, excommunicationem non incurrunt; adverbium enim *scienter*, ut in superiori Capite exposuimus, importat plenam scientiam, adeo ut communicatio includat legislatoris contemptum, qui in ignorantia affectata concipi quidem potest, at actualiter non deprehenditur. Adver-

bium autem *sponte* innuit plenam voluntatem faciendi id quod lege prohibitum est, atque excludit metum, violentiam, minasque quaslibet; qui autem etiam metu levi ad aliquid faciendum compellitur, plena voluntate caret, ideoque ab eiusmodi excommunicatione excludendus.

Hisce autem huic Capiti finem imponimus, et Commentarii nostri primo Volumini (1).

(1) **Sunt quidem aliae excommunicationes simpliciter R.** Pontifici reservatae, ex. gr. quae latae sunt in missionarios mercaturam in Indiis exercentes, in praesumentes absolvere ab excommunicationibus **R. P.** speciali modo reservatis, et aliae in Tridentina Synodo latae. At de iis in alio volumine, et suis locis, Deo auxiliante, acturi erimus.

INDEX ANALYTICUS

Praefatio 3

Textus Constitutionis *Apostolicae Sedis* cum brevibus adnotationibus Petri Avanzini. 7

Suspensiones et interdicta a Concilio Tridentino lata. 51

PARS PRIMA

APPENDIX I.

Adnotatio historico-iuridica de Censuris Bullae Coenae, quae referuntur ad Apostatas a Fide, haereticos et schismaticos. 59

APPENDIX II.

De natura excommunicationis, deque eiusdem moderamine et applicatione in Apostatas a Fide, haereticos et schismaticos. 68

De excommunicatione latae sententiae. 83

Epistola Pii Papae IX ad Eminentissimum Cardinalem Patrizi, qua declarat non licere prorsus iuvenibus se illis Professoribus et Magistris auditores praebere, qui catholici esse cessarunt. 91

Epistola Cardinalis Patrizi ad Romanos ea super re. *In nota.* 93

De discrimine inter excommunicatos ob apostasiam a fide ob haeresim vel schisma, et inter excommunicatos ob alia crimina. 93

De discrimine inter excommunicatos vitandos et toleratos. 99

De applicatione censurae excommunicationis inflictae in Apostatas a fide, haereticos et schismaticos per Constitutionem *Apostolicae Sedis.* 101

Constitutio Nicolai III R. Pontificis circa haereticos. 111

APPENDIX III.

De libris haereticorum aliisque auctoritate Apostolica prohibitis, nec non de impressione librorum sine ecclesiastica adprobatione, deque propositionibus a S. Sede damnatis. 113

Decretum Gelasii Papae *de recipiendis et abiiciendis libris.* 113

Decretum Tridentinum. 114

Regulae quaedam Indicis. 115

Libri nominatim prohibiti per Apostolicas literas. 117

Ephemerides et diaria haereticorum non comprehenduntur sub hac censura. 133
Epistola S. Congregationis Indicis ad Episcopos circa librorum, libellorum, et pravarum Ephemeridum prohibitionem. 136
De impressione librorum de rebus sacris tractantium sine Ordinarii approbatione, aliorumque impressione librorum. 138
Constitutio Leonis X circa impressionem librorum. 138
Decretum Tridentinum. 139
Regula X Indicis. 140
Epistola Encyclica Pii Papae IX. 143
De propositionibus a S. Sede damnatis. 148
Propositio haeretica quid sit. 157
Propositio erronea. 158
Propositio temeraria. 159
Propositio haeresim sapiens, et aliae. 160
Proposit. damnatae a Leone X. 168
Propositiones Michaelis Baii damnatae. 171
Propositiones damnatae a Clemente VIII et Alexandro VII. 177
Propositiones damnatae ab Innocentio XI. 180
Propositiones Michaelis de Molinos damnatae. 185
Propositiones damnatae ab Alexandro VIII. 192

APPENDIX IV.

De vi illata in Hierarchicas Ecclesiae catholicae personas dignitate ecclesiastica fulgentes, deque poenis Canonicis inflictis in horum criminum reos.

Textus articuli. 196
Lex Codicis Iustiniani in re. 196
Lex Alexandri II R. P. 200
Lex Bonifacii VIII et Clem. V. 201
Lex Ioannis XXII. 203
Constitutio Clementis Papae X. 204
Variae quaestiones. 206
An excommunicati qui crimen non impediunt ex charitate. 213
Interficientes et mutilantes. 215
Percutientes, capientes, carcerantes, detinentes. 216
Hostiliter insequentes. 217
Quaestiones de mandante et consulente. 219
De ratum habente. 223
De ratum habente actum continuum. 229
An sub capite veniant Episcopi nondum consecrati. 231

APPENDIX V.

De impedientibus exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. 232

Rescriptum Constantini Magni de ecclesiasticis iudiciis. 236
Sanctio Valentiniani III et Marciani Imperatorum. 238
Basilii Macedonis verba ad Patres Concilii VIII. 239
Epistola Stephani V R. P. ad Basilium. 239
Ludovici Pii Epistola ad Eugenium II R. P. 240
Textus Piani Capitis. 24

Caput relativum Bullae Coenae et differentiae. 241
Qui sint impedientes. 243
Quot modis quis impedire possit exercitium ecclesiasticae potestatis. 245
Casus varii. 246
Iurisdictio interni et externi Fori. 249
Illationes ex disputatis circa particulares casus. 249
Qui sint recurrentes ad Forum saeculare, et eius mandata procurantes. 251
Recurrentes praetextu abusus potestatis. 255
Qui sint edentes mandata. 256
Qui sint auxilium, consilium, favorem praestantes. 257
Variae quaestiones. 257

APPENDIX VI.

De cogentibus iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, atque de iis qui edunt decreta contra libertatem et iura Ecclesiae.

Textus articuli. 259
Textus Bullae Coenae in re. 260
Duplex excommunicatio statuitur in Capite Piano. 260
Qui sint iudices laici. 261
Quae sint personae ecclesiasticae. 261
Instructio Sancti Officii circa cogentes. 261
Quid sit cogere *directe*. 262
Quid cogere *indirecte*. 265
Quibus in casibus potest Clericus conveniri coram iudice laico. 265
An incurrant hanc excommunicationem iudices Conciliatores. 267
Variae quaestiones. 267
Qui sint edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae. 269
Variae propositiones in Syllabo proscriptae. 271
Hanc excommunicationem non incurrunt Consiliarii, administri, etc. 273

APPENDIX VII.

De excommunicatione lata contra recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta.

Textus Capitis. 273
Constitutio Martini V in re. 274
Constitutio Leonis X. 274
Constitutio Clementis VII. 277
Caput relativum Bullae Coenae. 279
Appellatio variarum literarum Apostolicarum. 279
Excommunicantur *recurrentes, prohibentes, laedentes* vel *perterrefacientes*, qui sint. 281
An Syndici excommunicationem hanc incurrant. 282
Incurritur excommunicatio effectu non secuto. 283
An illam incurrat innocens recurrendo ad laicam potestatem. 284
Qui sint prohibentes *directe* vel *indirecte* promulgationem vel executionem literarum Apostolicarum. 285

Quando habetur prohibitio directa. 286
Quando indirecta. 287
An quoad hanc partem excommunicatio incurratur effectu secuto. 288
Laedentes aut perterrefacientes. 291

APPENDIX VIII.

De excommunicatione lata contra falsarios literarum apostolicarum, contra eas falso publicantes, et falso signantes supplicationes sub nomine Romani Pontificis.

Textus Capitis. 293
Caput relativum Bullae Coenae. 293
Qui sint falsarii, et quid requiratur ad falsitatem inducendam. 294
Quaestiones variae, et casus. 295
Innocentii III Caput *de crimine falsi.* 300
Mandantes falsificationem non incurrunt excommunicationem. 301
Neque fabricantes falsas literas Apostolicas. 302
Qui sint falso signantes literas Apostolicas. 304

APPENDIX IX.

De excommunicatione lata contra absolventes complicem in peccato turpi.

Textus Constitutionis. 305
Constitutio Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae.* 306
Constitutio *Apostolici muneris.* 307
Quid necessarium sit ad incurrendam hanc excommunicationem. 309
Sola peccatorum auditio sine absolutione non sufficit ad incurrendam excommunicationem. 310
Peccatum complicitatis non est reservatum. 310
Absolutio Confessarii collata complici quem non novit valida est. 313
Resolvitur quaestio a cl. Ballerinio proposita. 316
Idipsum confirmatur in Additionibus ad appendices. 37
Invalida est absolutio collata complici quem Confessarius agnoscit, quamvis ab eo non cognoscatur. 322
Invalida pariter est absolutio peccati commissi cum complice ante ordinationem. 323
Confessarius numquam potest *directe* absolvere complicitatis peccatum quamvis ab alio absolutum. 324
Nulla est absolutio aliorum peccatorum, quae una cum complicitatis peccato Confessario complici subduntur. 327
Agendi ratio adhibenda a Confessario cum complice. 331
Confessarius potest absolvere complicem dubium. 333
Quid sit articulus mortis, et an comprehendat etiam mortis periculum. 334
Sacerdos suspensus vel excommunicatus in articulo mortis praeferendus non est Sacerdoti complici. 335

Casus varii. 338
Expenditur casus a cl. Gury propositus. 342
Ut peccatum complicitatis non possit absolvi, debet esse externum, et mortale utrinque. 344
Turpiloquium sub lege comprehenditur. 345

APPENDIX X.

De excommunicatione lata contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum.

Textus Capitis. 352
Ecclesia bona temporalia iure possidet. 353
Antiqui in re Canones. 359
Quare solvendae sint decimae. 361
Tridentini Decretum. 362
Textus Capitis Bullae Coenae. 363
Differentiae inter Pianum Caput et textum Bullae Coenae. 363
Quid sit usurpare. 363
Quid sequestrare. 364
Usurpatorum nomine non veniunt personae privatae. 365
Quid veniat iurisdictionis nomine. 365
Quid necessarium ad incurrendam hanc excommunicationem. 367
Non sunt excommunicati usurpantes bona, fructus etc. quos clericus ex bonis patrimonialibus percipit. 368
Variae resolutiones. 368
Decretum Supremae Inquisit. 370
Sub hoc capite non comprehenduntur monasteriorum bona. 372
Quid de bonis Ecclesiarum aut beneficiorum vacantium. 373

APPENDIX XI.

De excommunicatione lata contra eos qui invadunt, destruunt, detinent civitates et loca quaelibet ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel in eis supremam iurisdictionem usurpant et retinent.

Textus Capitis. 377
Propositiones in Syllabo damn. 377
Textus Bullae Coenae. 384
Literae Apostolicae Pii Papae IX. 385
Qui excommunicentur. 386
Qui sint invadentes, destruentes. 386
Decretum S. Poenitentiariae quoad milites. 391
Detinere quid sit. 393
Casus varii. 394
Usurpare, perturbare, et retinere supremam iurisdictionem. 395
Quando deputati hanc excommunicationem incurrant. 397
Quando *praebentes consilium, auxilium, favorem.* 399
Hos inter non sunt recensendi simpliciter Oratores Statuum apud Italicum gubernium. 400
Adhaerentes sunt excommunicati. 401

APPENDIX XII.

De excommunicatione lata in eos qui ab ordinationibus et mandatis Romani Pontificis appellant ad universale futurum concilium.

Definitio Concilii Florentini. 405
Definitiones Concilii Vaticani. 406

Textus Bullae Coenae. 406
Textus piani Capitis. 407
Constitutio *Execrabilis* Pii II. 407
Constitutio *Suspecti Regiminis* Iulii II. 408
Variae quaestiones. 409

APPENDIX XIII.

De excommunicatione lata a Pio Papa IX die 28 Augusti 1873 contra Canonicos et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium vacantium qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu, et in electos ac praesentatos, qui ultra in eiusmodi administrationem se ingerere praesumant. Demum in eos qui praemissis auxilium, consilium aut favorem praestiterint.

Textus Constitutionis Pianae. 413
Expositio. 417

APPENDIX XIV.

De excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata in eos lata, qui dant nomen Societati catholicae Italicae pro recuperatione iurium spectantium ad populum christianum, et specialiter ad populum Romanum in electione Summi Pontificis.

Dubium propositum S. Poenitentiariae. 418
Resolutio dubii. 419
Partes praecipuae programmatis. 419
Observationes in programma. 421
Decretum Nicolai II circa electionem Romani Pontificis. 426
Decretum Alexandri III. 426
Constitutio Gregorii X. 427
Expositio huius Constitutionis. 427
Modus eligendi Pontificem. 433

APPENDIX XV.

Commentarium in clausulam qua absolvuntur excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Textus Constitutionis. 437
Expositio clausulae. 438
Nemo potest absolvere a censuris speciali modo Romano Pontifici reservatis, neque ipsi Legati a latere. 439
Ordinarii tamen absolvere possunt illos qui nequeunt Romam pro beneficio absolutionis se conferre. 440
Qui sint hi. 440
Quid investigare teneatur Episcopus circa excommunicationes occultas. 444
Impeditus adire R. Pontificem et Episcopum loci, potest absolvi a quocumque Confessario. 447
Quid in poenitentibus huiusmodi animadvertere Confessarii debeant, et ab iis exigere. 449
Clausula Constitutionis Pianae non detrahit facultatibus particulariter concessis. 450
In facultatibus particularibus exce

pti semper intelliguntur casus Constitutionis *Sacramentum Poenitentiae*. 451
Absolventes ab excommunicationibus Romano Pontifici specialiter reservatis incurrunt excommunicationem R. P. simpliciter reservatam. 451
Conditiones ad incurrendam hanc excommunicat. requisitae. 452
Facultates Regularium post Constitutionem Apostolicae Sedis. 455

COMMENTARII PARS ALTERA

De excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici reservatis.

APPENDIX XVI.

De excommunicatione lata in defendentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas, et in docentes, vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis.

Textus Capitis. 458
Necessaria ad hanc excommunicationem incurrendam. 458
Differentia inter hoc caput, et Caput primum Tituli I. 459
Corollaria circa propositiones. 460
Constitutio *Suprema* lata a Benedicto XIV. 461
Constitutio *Ubi primum*. 464
Constitutio *Ad eradicandam*. 467
Quae constare debeant Confessario ut onus denuntiandi supremo Inquisitori Confessarium exquirentem nomen complicis poenitentibus imponat. 469
Confessarius exquirens imprudenter nomen complicis est Episcopo denunciandus. 469
Constitutio *Apostolici ministerii*, eiusque vis post Constitutionem Pianam. 471
Sacerdos non tenetur semetipsum denuntiare. 475
Duplex personarum classis in praedictis Constitutionibus excommunicatur. 476

APPENDIX XVII.

De excommunicatione lata contra iniicientes, suadente diabolo, violentas manus in clericos, vel utriusque sexus monachos.

Textus Capitis. 478
Canon Concilii Lateranensis II. 478
Differentiae. 478
Quinque inquiruntur. 479
Qui sint *iniicientes*. 480
Disceptatur an mandantes consulentes et ratam habentes percussio-

nem clerici excommunicationem hanc incurrant. 481
Quid intelligendum per verba *violentam manuum iniectionem*. 494
Quousque se extendant verba *in clericos vel utriusque sexus monachos*. 497
Percutiens monachum qui simul sit clericus non incurrit duplicem excommunicationem. 499
Limitationes excommunicationis quoad casus particulares. 502
Qui possint ab eiusmodi excommunicatione absolvere. 508
An praelati Regulares post Pianam Constitutionem possint absolvere saeculares ab eiusmodi excommunicatione. 513
Et in additionibus ad Appendices. 1

APPENDIX XVIII.

De excommunicatione lata in perpetrantes duellum.

Origo et iniustitia duelli. 536
Varia decreta contra duellum. 539
Constitutio *Detestabilem* Benedicti XIV, qua etiam proscribuntur variae propositiones circa duellum. 546
Textus Piani Capitis. 549
Quaestiones. 549
Quando habeatur duellum. 550
In quaestionibus circa duellum standum est verbis Constitutionis Pianae. 554
An post Pianam Constitutionem una excommunicatio duellantes afficiat. 558
Qui sint *perpetrantes duellum*. 561
Fingentes duellum non incurrunt excommunicationem. 561
Qui sint *simpliciter provocantes* ad duellum. 569
De *acceptantibus* duellum. 573
De complicibus. 575
De consulentibus. 576
De mandantibus. 581
De lanistis, vulgo *Maestri di scherma*. 584
De industria spectantibus. 589
De permittentibus aut duellum non prohibentibus. 592

APPENDIX XIX.

De excommunicatione lata contra eos qui nomen dant sectis Masonicis, eis praebent qualemcumque favorem, earumque occultos coriphaeos non denunciant. 595

Constitutio in re Clementis XII. 596
Constitutio Benedicti XIV. 598
Constitutio Pii Papae VII. 602
Constitutio Leonis Papae XII. 607
Textus Articuli Piani. 613
Excommunicantur nomen dantes Sectae Masonicae. 614
Societates biblicae et clerico-liberales sub hoc capite non comprehenduntur. 618
Comprehenduntur Feniani. 619
Excommunicantur favorem praestantes. 622
De iis qui adsunt sectarum Comitiis. 623
Saeculares principes tolerantes Masonum societates non incurrunt hanc excommunicationem. 626

Obligatio denunciationis quanta, et variae quaestiones. 627
Quid advertendum circa eos qui denuntiare praetermiserunt. 640
Declaratio Sacrae Poenitentiariae an. 1821. 642

APPENDIX XIX (bis)

De excommunicatione lata contra violantes immunitatem asyli ecclesiastici. 644

Textus Capitis. 645
Quid immunitas et quotuplex. 645
Quid ius asyli, et a quo iure repetendum. 645
Locorum sacrorum immunitas non repetenda ex iure civili. 653
Const. *Cum alias* Gregorii XIV. 656
Quaestiones variae. 657
Quibus locis competat asyli immunitas. 660
Quid Oratorium publicum, quid privatum. 667
Ad quae personarum genera extendatur ius asyli. 674
Quae crimina iure asyli privent. 679
Quaenam crimina suspecta de haeresi habeantur. 688
Quibus iuribus fruebantur confugientes ad locum sacrum. 690
Quaenam requirantur ad extrahendum aliquem e loco sacro. 693
Quid requiratur ad incurrendam hanc censuram. 696
Quid complectatur ausus temerarius. 700

APPENDIX XX.

De excommunicatione lata contra violatores clausurae monialium.

Varia Conciliorum decreta. 701
Lex Bonifacii VIII. 703
Decretum Tridentinum. 705
Constitutio *Circa pastoralis Officii* S. Pii V. 706
Constitutio *Decori.* 708
Constitutio Gregorii XIII. 710
Constitutio *Dubiis quae emergunt* eiusdem. 711
Const. *Per binas* Benedicti XIV. 712
Textus Piani Articuli. 715
Qui excommunicentur. 715
Quid sit clausura. 715
In capite agitur de clausura papali, et de monialibus solemnibus votis obstrictis. 716
Qui sint violantes clausuram. 719
An excommunicatione ligentur Reges et Reginae, et pueri septennio minores. 718
Quid sit clausuram violare. 723
Quae requirantur ut licentia ingrediendi in monasteria monialium sit valida. 724
Quibus in casibus aperiri possit clausura. 726
Decretum Congregationis EE. et RR. super ingressu Confessariorum in Monasteria. 730
Quaenam observanda ab Episcopo in visitatione Monasterii Monialium. 733
Ad quem pertineat concedere facultatem ingrediendi in clausu-

ram monialium Regularibus subiectarum. 736
An requiratur licentia scripta. 738
Quid sit *introducere*. 740
Quid sit *admittere*. 742
An moniales admittentes infra clausuram pueros septennio minores excommunicationem incurrant. 745
An si admittant mentecaptos. 747
Causae quibus moniales egredi possint. 747
Sanctimonialis scandalosa. 753
Cui competat concedere monialibus facultatem egrediendi e monasterio in casibus permissis. 759

APPENDIX XXI.

De excommunicatione lata contra violatores clausurae religiosorum.

Mulierum societas vitanda. 761
Varii in re canones. 762
Quid sit duplex Monasterium. 762
Constitutio S. Pii V. 765
Dubia. 766
Constitutio S. Pii V *Decet R. Pontificem*. 767
Constitutio Gregorii XIII *Ubi gratiae*. 768
Decretum S. Congregationis EE. et RR. 768
Constitutio *Regularis Disciplinae* a Benedicto XIV lata. 769
Constitutionis huius substantia. 773
Quaenam loca sub clausura concludantur. 774
Comprehenduntur sub capite Religiosi votorum solemnium tantummodo. 778
Quaenam mulieres interdicantur clausurae virorum regularium ingressu. 787
Qui sint admittentes, et tres quaestiones. 790
Privilegium concessum Religiosis Congregationis Montis Virginis non est abrogatum. 799
Quid de clausura post praesentem suppressionem. 802
An Superiores Regulares legem hanc transgredientes incurrant etiam alias poenas. 802

APPENDIX XXII.

De excommunicatione lata contra reos Simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

Varii canones contra Simoniam. 805
Decretum Tridentinum. 807
Extrav. *Cum detestabile*. 808
Const. *Cum primum* S. Pii V. 809
Textus Piani Capitis. 810
Quaestiones. 811
Quid sit *Simonia*, et quae consideranda. 811
Quotuplex Simonia. 813
Quotuplex munus. 814
Quaenam requirantur ad hanc excommunicat. incurrendam. 815
An ad Simoniam realem requiratur rei traditio ex utraque parte. 816
Quae importet *munus a manu*. 818
Quae *munus a lingua*. 819
Quae *munus ab obsequio*. 820
An Canonici assumentes Coadiutores sint simoniaci. 821

An maiores praelati, et S. R. E. Cardinales sub excommunicatione concludantur. 822
Quid veniat nomine *beneficii*, et quomodo in eo Simonia committatur. 830
In quibus beneficiis non committatur Simonia. 832
Utrum beneficiis accensendae sint Regularium praelaturae. 838
Utrum *culmina dignitatum*. 841
Quibus modis in beneficiorum assecutione Simonia committatur. 842
Quaestiones variae. 844
Qui sint complices. 860
Quas alias poenas rei Simoniae realis in beneficiis incurrant. 861
De absolutione ab eiusmodi poenis. 865
De abrogatione censurarum ob Simoniam commissam circa res sacras, ordines etc. 867

APPENDIX XXIII.

De excommunicatione lata in reos Simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cuiuscumque sint dignitatis.

In quo consistat Simonia confidentialis. 870
Decretum Tridentinum. 870
Const. *Rom. Pontificem* Pii IV. 871
Const. *Intollerabilis* S. Pii V. 873
Eius declaratio circa Cardinales. 878
Decretum Concilii Rhemensis. 879
Decretum Concilii Mediolanen. 879
Quotupliciter committitur Simonia confidentialis. 880
Quid requiratur ad incurrendas poenas Simoniae confidentialis. 882
Textus Piani Capitis. 885
Quinam hanc excommunicationem incurrant. 886
Quaestio aliqua. 887
Rei simoniae confidentialis quas alias poenas incurrant. 889

APPENDIX XXIV.

De excommunicatione lata in reos Simoniae realis ob ingressum in religionem.

Quid sit status religiosus. 890
Mos accipiendi pecuniam ob ingressum in religionem, et varii canones. 891
Urbani IV, alias V. Const. in re. 893
Decretum Tridentinum. 894
Corollaria ex disputatis. 895
An haec Simonia complectatur etiam munus a lingua et ab obsequio. 895
Quid *ingressus* nomine veniat. 896
Lex non complectitur ingressum iam in alio Ordine professi. 898
Neque ingressum in Religionem votorum simplicium. 899
Quando licitum quando illicitum sit aliquid pro ingressu in Religionem accipere. 900
Monasterium egestate laborans potest aliquid exigere *titulo substentationis*. 904
Conditiones requisitae ad exigendum aliquid titulo substentationis. 913
Casus in Germania frequens. 913
Sanctimoniales licite possunt dotem exigere. 915

Non tamen alia *propinarum titulo.* 919
An aliquid possint exigere Monasteria virorum quae bonis abundant. 921
An exactiones eiusmodi inducant Simoniam iuris divini. 923

APPENDIX XXV.

De excommunicatione lata in quaestum facientes ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus.

Quando indulgentiae inductae. 925
Varia decreta contra eiusmodi. 926
Decretum Tridentinum. 929
Const. *Etsi Dominici* S. Pii V. 929
Constitutio *Quam plenum.* 931
Textus Piani Capitis. 933
Differentiae cum antiquo iure. 934
Quotuplex indulgentia. 935
Quid sint gratiae spirituales, et quae. 935
Quae necessaria ad hanc excommunicationem incurrendam. 937
Corollaria. 938

APPENDIX XXVI.

De excommunicatione lata contra captantes lucrum ex eleemosynis Missarum.

Textus Capitis. 940
Decretum S. C. Concilii. 940
Dubium propositum. 940
Constitutio *Quanta cura* Benedicti XIV. 941
Quaestiones. 944
In quo Pianum Caput ab antiquo iure differat. 944
Quaestio circa locum. 944
Sub nomine *colligentes* qui veniant. 950
An ad incurrendam excommunicationem, missae a pluribus accipi debeant. 950
An excommunicationem incurrat qui retineat excessum unius vel alterius eleemosynae. 952
De quibus Missis in Capite agatur. 954
Exceptiones. 961
Expenduntur variae Auctorum sententiae. 967
Consideranda a lectoribus. 983
Varia decreta. 984

APPENDIX XXVI. (bis)

De excommunicatione lata in tractantes, suadentes, aut alias verba facientes de alienatione et infeudatione locorum ad Romanam Sedem pertinentium.

Allocutio Pii Papae IX. 993
Textus Capitis. 994
Constitutio *Admonet* S. Pii V. 994
Observationes in dictam Constitutionem. 998
Qui excommunicentur. 1000
Quaestio aliqua. 1001
Quid sit *insinuare* et *suadere.* 1002
Exceptio Bonacinae. 1002
Aliae poenae. 1003
Constitutio Innocentii IX. 1004
Clemens VIII in irritum mittit quae Gregorius XIV statuerat circa feuda nondum devoluta. 1006

Constitutio *Inter ceteras* Alexandri VII. 1009
Quos Pius IX excommunicavit. 1011
S. Pius V non excommunicavit qui petebantur in duces, vicarios, etc. 1011
Quid de iis qui hodie suadent Papae conciliationem cum Italico Gubernio. 1012

APPENDIX XXVII.

De excommunicatione lata contra Religiosos praesumentes sine Parochi licentia Sacramentum Extremae Unctionis, aut Viaticum infirmis ministrare.

Textus Capitis. 1014
Clementis V decretum. 1014
In quo Pianum Caput differat ab antiquis Canonibus. 1015
Quinam hanc excommunicationem incurrant. 1016
Professi votorum simplicium in religionibus approbatis excludendi sunt, exceptis Societatis Iesu alumnis. 1019
Non tamen Parochi regulares. 1021
Quaenam conditiones requirantur ad incurrendam hanc excommunicationem. 1021
An alumni Collegiorum a Regularibus directorum eximantur iurisdictione Parochi. 1024

APPENDIX XXVIII.

De excommunicatione in eos lata, qui absque legitima venia extrahunt reliquias e sacris Coemeteriis, sive Catacumbis Urbis Romae.

Edictum Cardinalis Millini. 1031
Constitutio Clementis X. 1033
Decretum Congregationis Sacrorum Rituum circa signa veri martyrii. 1034
Textus Piani Capitis. 1036
Poenae in antiquo iure latae. 1036
Conditiones necessariae. 1037
Corporum in catacumbis degentium triplex classis. 1038
Incurrunt excommunicationem extrahentes reliquias praeseferentes certa martyrii signa, non dubia. 1039

APPENDIX XXIX.

De excommunicatione lata in communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso.

Textus Capitis. 1041
Disciplina recepta ante Concilium Constantiense. 1041
Decretalis Bonifacii VIII. 1042
Moderatio inducta a Martino V. 1043
Responsum Innocentii III. 1043
Differentiae inter novum et ius vetus. 1044
Consiliarii excommunicati non sunt. 1045
Abrogata excommunicatio minor. 1046
Non sublata prohibitio communicandi cum vitandis. 1047
Quid sit communicare in *crimine criminoso.* 1049

Conditiones ad incurrendam excommunicationem. 1049
Auxilium et favor in crimine criminoso. 1050
Communicans cum haeretico nominatim excommunicato non incurrit duplicem excommunicat. 1051

APPENDIX XXX.

De excommunicatione lata in clericos communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis.

Textus Capitis. 1052
Caput *Significavit*. 1052
Clerici tantum hanc excommunicationem incurrunt. 1052
Nomine clericorum non veniunt Episcopi. 1053
Neque veniunt religiosi. 1054
Quaenam actiones excommunicationi subiiciantur. 1057
An qui recitat privatim officium divinum cum nominatim excommunicato a Papa peccet mortaliter. 1058
Conditiones requisitae ad incurrendam hanc excommunicat. 1059

FINIS TOMI PRIMI

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus Bausa O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesg.

ADDITIONES AD APPENDICES

MONITUM AD LECTORES

Ideo has additiones conficimus, ut in eis corrigamus et addamus quae corrigenda et addenda esse nobis videbuntur. Diversam autem numerationem apponimus quia ad calcem voluminis erunt reiiciendae.

ADDITIO

Ad appendicem XVII, in qua de excommunicatione ob Clerici percussionem agitur; et prorsus de facultatibus quas Regulares habent ab eiusmodi excommunicatione absolvendi post Bullam Benedicti XIII Pretiosus *ad annum 1869, quo lata fuit Piana Constitutio. In Commentario demenda sunt quae habentur pag. 534. Col. 2 a verbis:* Patet igitur *usque ad finem Capitis, atque haec alia subroganda.*

Verum quae pius hic Pontifex in regulares privilegia contulit tum in Constitutione *Pretiosus,* tum in aliis quas praetermisimus, iterum abrogasse novimus Clementem XII, in Const. *Romanus Pontifex,* quam dedit die 29 Martii 1732, quod non leves querelae, illorum privilegiorum causa, fuerint Episcopos inter atque Regulares exortae.

« Felicis recordationis, inquit » Clemens, praedecessor noster Be- » nedictus Papa XIII strennas or- » dinum Regularium et Mendican- » tium cohortes hanc Domini vi- » neam atque agrum Ecclesiae in- » desinenter colere conspicatus, ac » paterno erga eos animo affectus, » quo etiam nos ipsi utique affici- » mur, plura eis privilegia conces- » sit, ratus ea pari voluntate uni- » versim excipienda; quod tamen » secus evenisse nos ad supremi » sacerdotii apicem, disponente Do- » mino, evecti, aegre intelleximus; » inde nimirum praeter omnem » expectationem nostram variis li- » tibus et controversiis exortis, ac » nisi opportune occurratur, for- » tasse imposterum exorituris. Qua- » re, nonnullis ex huiusmodi literis » et constitutionibus Apostolicis ma- » ture perpensis, ad sedandos ru- » mores propterea excitatos, mu- » tuamque et vere christianam inter » Episcopos et regulares familias, ac » etiam saeculares ordines et soda- » litates, publicasque universitates, » benevolentiam et pacem in Eccle- » sia servandam, de consilio non-

» nullorum ex venerabilibus fratri-
» bus nostris S. R. E. Cardinalibus,
» in hanc sententiam devenimus,
» ut subsequentibus litteris et con-
» stitutionibus Apostolicis, eodem
» Pontifice Benedicto sedente vul-
» gatis, moderationem aliquam, au-
» ctoritate nostra, adhibendam es-
» se decerneremus. Litterae vero
» ipsae et Constitutiones Ordinibus
» Regularibus pridem concessae,
» hae sunt.

» Editae quarto Idus Decem-
» bris anno Domini 1725 quae in-
» cipiunt *Paterna*.

» Aliae XIX Kalend. Iunias an-
» no 1726 quae incipiunt: *Ratio*
» *Apostolici Ministerii*.

» Aliae III Nonas Iulias eiusdem
» anni, quae incipiunt *Singularis*
» *devotio*.

» Aliae VIII Augusti eiusdem
» anni, quae incipiunt: *Exponi*
» *nobis nuper fecerunt*.

» Aliae Kalendis Septembris
» eiusdem anni, quae incipiunt:
» *Vitae et morum integritas*.

» Aliae Kalendis Ianuarii an-
» ni 1727, quae incipiunt: *Libenter*.

» Aliae V Nonas Martias eius-
» dem anni, quae incipiunt *Loca*
» *Sancta*.

» Aliae Kalendis Aprilis eius-
» dem anni, quae incipiunt: *Ex*
» *quo Sedes*.

» Aliae V nonas Aprilis eius-
» dem anni, quae incipiunt: *Sum-*
» *me decet*.

» Aliae VII Kalendas Iunias eius-
» dem anni, quae incipiunt *Pre-*
» *tiosum*, una cum declarationibus
» sub die 28 Septembris 1728 ab
» eodem Pontifice factis super qui-
» busdam dubiis circa intelligen-
» tiam rerum in ipsa constitutione
» contentarum exortis.

» Aliae XXI Martii anni 1729
» quae incipiunt: *Exponi nobis*
» *fecit*.

» Aliae demum VII Kalendis
» Aprilis eiusdem anni 1729, quae
» incipiunt *In sede*. »

Antequam ea transcribamus quae de hisce Constitutionibus Clem. XII statuit, necessarium ducimus privilegia referre quae in illis Benedictus XIII Regularibus contulerat.

Itaque in Const. *Paterna* Universo Tertiariorum Ordini S. Francisci privilegia omnia alias concessa iterum concedit. §. 3. « Quas-
» cumque litteras et gratias tam spi-
» rituales quam temporales, conces-
» siones, indulgentias, exemptiones,
» indulta, privilegia, communica-
» tiones, exemptiones, libertates,
» praerogativas, favores, peccatorum
» remissiones et similia, tam in ge-
» nere, quam in specie, fratribus
» et sororibus praedictis de poeni-
» tentia, eorumque monasteriis, do-
» mibus, conservatoriis, aut aliis
» quovis nomine nuncupatis habi-
» tationibus, ecclesiis, etiam orato-
» riis et Capellis, vel immediate et
» directe, aut etiam per communi-
» cationem cum aliis Ordinibus, et
» praesertim Fratrum Minorum, a
» Romanis Pontificibus antecessori-
» bus nostris quomodolibet con-

» cessa (quorum tenorem, ac si de » verbo ad verbum his nostris litteris insereretur, haberi volumus » pro expresso), harum serie approbamus et confirmamus, ac, pro » potiori cautela, Apostolica auctoritate singula de novo concedimus et largimur. »

Hoc autem Motu proprio hos Religiosos iterum iurisdictioni ministri generalis totius Ordinis Minorum Benedictus subiecit.

Verum haec privilegia unis Tertiariis Ordinis Minorum concessa etiam alii Tertiarii Ordinis S. Francisci, praesertim Cappucinorum sibi vindicabant: atque inde querelae exortae; qua de causa ad eas e medio tollendas praefatus Pontifex in Const. *Ratio Apostolici ministerii* etiam Tertiariis degentibus sub Ministro generali ordinis Cappuccinorum eadem privilegia concessit: « Volumus et declaramus, praedi» ctos Tertiarios, seu Tertii Ordi» nis B. Francisci Professores, sub » ministro generali ordinis Fratrum » Minorum Capuccinorum, eiusque » secundariis Superioribus, omnino » gaudere atque uti posse et debe» re omnibus et singulis privile» giis, indulgentiis, gratiis, favori» bus et praerogativis per hanc San» ctam Apostolicam Sedem Ordini » Tertiariorum a quocumque Mi» nistro generali dependentium sub » suo capite, qui unus est Beatus » Franciscus, alias consessis » (1).

Haec autem privilegiorum ad Cappuccinos extensio seges quodammodo discordiarum et querelarum fuit: nam minister generalis ordinis Minorum Conventualium S. Francisci et ipse eadem privilegia sibi competere arbitratus et Tertiariis suis, ob communicationem privilegiorum, attamen contra expressum latarum Constitutionum tenorem, ea sibi usurpabat. Ne autem iniuria illa sibi in posterum vindicarent Sanctissimus Pontifex ut pleno iure haberent, liberalissime concessit.

§. 6. « Volumus etiam, decerni» mus, atque statuimus ut Tertiarii » directioni Ministri generalis Fra» rum Minorum Conventualium sub-

(1) Ut valorem communicationis privilegiorum Lectores aliquo pacto intelligant, haec ex cit. Constitutione adnotabimus, scilicet mentem Benedicti XIII non fuisse ut in collato privilegio ceteri communicarent: « Non sine admiratione, atque animi nostri molestia, inde » (ex Const. *Superna*) ortas altercationes audivimus, easdemque nostras literas, quae unos » Tertiarios Fratribus minoribus a Regulari observantia nuncupatis subiectos respiciunt, » *contra mentem nostram* ad alios Tertiarios, sub regula quidem B. Francisci Deo famu» lantes, sed speciali nota dignos, *inque iisdem literis nostris minime nominatos aut* » *comprehensos*, perperam detortas fuisse intelleximus.

Haec autem SS. Pontifex repetit etiam in Constit. *Singularis devotio.*

Ex hoc lectores intelligunt, communicationem privilegiorum inter varias religiosas familias non esse simplicem et absolutam, sed pendere, ut par est, ex intentione et voluntate Romani Pontificis huic vel illi Instituto religioso privilegia concedentis. Quare argumentum illud quod ad tuenda Regularium privilegia plerumque, ne dicam semper, affertur: *Privilegia a Pontifice N. concessa fuere Ordini N.; ergo et aliis Ordinibus qui cum ipso communicant:* exceptioni subiacet.

» iecti omnino gaudeant et fruantur » omnibus exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis et favoribus » spiritualibus et temporalibus, quas » antecessores Nostri Romani Pontifices iisdem largiti fuerunt. Quapropter has iterum approbamus, » confirmamus atque concedimus, » easdemque etiam omnes et singulas, quas pridem concessimus in » eadem Constitutione nostra, quae » incipit *Paterna Sedis Apostolicae* » *providentia.* »

Attamen sibi providendum esse in omnibus Superiores Ordinum Regularium desiderabant; atque nedum viros tertiarios, sed et mulieres Tertiarias e iurisdictione Ordinariorum subripere volentes, Benedicto XIII Superiores Ordinis Servorum B. M. Virginis exposuere, has « nonnullas molestias vexatio» nesque tolerare ab illis locorum » Ordinariis, qui eiusmodi tertiarias » ad eorum dependentiam seu su» perioritatem adigere volebant; » idque eisdem tertiariis *animi* » *perturbationem et spiritus disper*» *sionem,* atque praedicti ordinis » superioribus non modicam in» quietudinem parere. »

Id autem Benedictus benigne concessit in Const. *Exponi nobis nuper fecerunt* §. 2. « Nos huiusmodi » supplicationibus inclinati, litteras » nostras praedictas, per quas Ter» tiariae secundo-dicti ordinis omni» modae iurisdictioni et regimini » earum ministri generalis subii» ciuntur, ad Tertiarias primo-di» cti Ordinis, auctoritate Apostolica, » tenore praesentium, perpetuo ex» tendimus et ampliamus; ita ut » illae Prioris generalis pro tem» pore existentis huius ordinis cu» raeetsuperioritati subiectae omni» no sint. (1) Non obstantibus prae» missis, ac constitutionibus et or» dinationibus Apostolicis etc. »

Pontificis benignitatem Clerici Regulares Theatini cum animadvertissent, et ipsi privilegiorum suorum concessionem confirmari a Benedicto XIII desiderarunt; atque desideria eorum plene Pontifex complevit. Cum autem innumera iam obtinuissent privilegia a Clemente Papa VII, quae recensuit in Constitutione *Exponi nobis nuper fecistis* data die 24 Iunii 1524; et in alia *Dudum pro parte vestra* diei 7 Martii 1533, quarum Constitutionum causa Theatini iam fruerentur « §. 5. » omnibus et singulis privilegiis, » exemptionibus, immunitatibus, » indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis » spiritualibus, quibus potiebantur

(1) Emus Card. Bizzarri S. Congr. EE. et RR. Praefectus mihi die quadam dixit, Monasteria Sanctimonialium minus regulariter incedentia illa prorsus esse, quae Regularibus subdebantur. Sed quidquid Eminentissimus dixerit, et alii fortasse dicant, constat, observantiae mitioris causa, eas neque animi perturbationem, neque spiritus dispersionem pati. Obedientia Ordinariis debita has animi molestias tantummodo generat!

» et gaudebant, aut in futurum po-
» tirentur et gauderent Canonici Re-
» gulares Lateranensis Congregatio-
» nis, personaeque ac loca eo-
» rum etc. » Ac insuper ratione Constitutionis *Iamdudum* praeter facultatem Superioribus illius Congregationis factam etiam divinum officium vel commutandi, vel breviandi, praeveniendi, postponendi, dividendi, uniendi etc. ieiunia insuper regularia, de praecepto, et etiam quadragesimalia moderandi et etiam dispensandi, in Sacramentali absolutione impertienda particulari formula utendi, penitus liberos et exemptos ab Episcoporum potestate manendi, etc. etc. etc. voluit Clemens ut fruerentur etiam « omnibus
» et singulis privilegiis, indulgen-
» tiis, praerogativis, exemptionibus,
» immunitatibus, gratiis et indultis
» quorumvis etiam Cisterciensibus
» et Cluniacensibus Monachis, ac
» aliorum tam mendicantium quam
» non mendicantium Ordinum Fra-
» tribus, tam in spiritualibus quam
» in temporalibus, in specie vel
» in genere, etiam communicative,
» per quoscumque Romanos Pon-
» tifices Praedecessores suos, et pro
» talibus habitos, ac Sedem prae-
» dictam quomodolibet concessis
» et imposterum concedendis, et
» quibus illi tam in vita quam in
» mortis articulo, etiam circa pec-
» catorum remissiones, et iniuncta-
» rum poenarum relaxationes, aut
» alias quomodolibet, uti, potiri et
» gaudere poterant aut possent quo-
» modolibet in futurum etc.; con-
» cesserat scilicet Clemens VII et-
» iam Theatinis *mare magnum* etc.»

Ipse deinceps Paulus IV, quod Christi fidelium largitiones in alendis Theatinis vel defecissent, vel essent imminutae (1), facultatem iis Clericis Regularibus qui degebant in monasterio Sancti Silvestri de urbe fecit bona etiam immobilia possidendi, emptionesque a Theatinis contra proprii instituti regulam praecipuam factas ratas habuit atque de apostolicae potestatis plenitudine firmavit, addita insuper omnibus et singulis eiusdem Congregationis Sacerdotibus, potestate vestes sacras, cruces, linteamina, vasa et tabernacula, pro usu tantum ecclesiarum praedictae congregationis, benedicendi et consecrandi, insuper Eucharistiam pro viatico deferendi, atque extremam unctionem ministrandi, constitutis in articulo mortis, *nulla petita licentia proprii sacerdotis curati.*

Quae omnia privilegia, et alia quae praetermisimus, deinceps a S. Pio V. Gregorio XIV. Paulo V. Gregorio XV. confirmata, Benedi-

(1) Omnes norunt quod legitur in Breviario Rom. die 7 Augusti, scilicet « Collapsam » ecclesiasticorum disciplinam ad formam Apostolicae vitae instaurare desiderans, Ordinem » Clericorum Regularium instituit, qui, abdicata rerum omnium terrenarum sollicitudine, » nec reditus possiderent, nec vitae subsidia a fidelibus peterent, sed solis eleemosynis » sponte oblatis viverent. » .

ctus XIII omnia et singula in eisdem contenta auctoritate Apostolica confirmavit, approbavit, et innovavit in Const. *Vitae et morum integritas* diei 1 Septembris 1726: insuper praedictae Congregationis praeposito generali concessit, ut ipse pro arbitrio suo religiosorum numerum in singulis Regularibus domibus praedictae Congregationis praefigere posset, iuxta eleemosynarum pro tempore sponte oblatarum quantitatem.

Constitutio *Libenter* respicit Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui cum antiquiores in Ecclesia essent atque innumera propemodum privilegia a summis Pontificibus obtinuissent, maluerunt omnes illas Constitutiones a Benedicto XIII confirmari, et nedum illas sed etiam decreta quaedam a Sacra Congregatione EE. et RR. pro ipsis edita: Quod Benedictus benigne praestitit: §. 2. « Omnes et » singulas omnium et singulorum » praedecessorum praedictorum respective litteras memoratas, » omniaque et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates et cuiusvis » generis indulgentias, declarationes, aliaque respective in eis sub » quacumque verborum expressione contenta et respective per » eas dicto Ordini, illiusque Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis. . . » nec non illius (Ordinis) Fratribus, » Prioribus, superioribus, ministris, » monialibus, confraternitatibus, » pinzoacariis. . . dummodo Concilii Tridentini decretis aliisque » Constitutionibus Apostolicis subsequenter editis non adversentur, » nec non omnia et singula earumdem S. R. E. Cardinalium Congregationum respective decreta. . . . Apostolica auctoritate perpetuae et inviolabilis apostolicae » firmitatis robur adiicimus. »

Verum cum in hisce Eremitico S. Augustini Ordini concessis privilegiis salvam esse voluerit Concilii Tridentini et aliarum Apostolicarum Constitutionum auctoritatem, eodem pacto se gessisse dicimus, quo sese recensiti Pontifices gessere, qui privilegia Regularium confirmarunt dummodo non opponerentur Concilii Tridentini et Romanorum Pontificum decretis et Constitutionibus.

Nemo autem ignorat quae et quanta privilegia a Romanis Pontificibus concessa fuerint Minoribus de observantia in locis Terrae Sanctae morantibus. In Constitutione *Loca sancta*. Benedictus XIII eas omnes recenset; sunt autem sexaginta tres, easque omnes confirmat, dummodo tamen Tridentini decretis non adversentur. « Quas » omnes et quaslibet alias (Constitutiones) in eiusdem Ordinis Annalibus et monumentis laudatas, » ad eos per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet scripta, praesertim quoad indulgentias, dummodo de earumdem » existentia valide et legitime con-

» stet, inque eisdem tam enunciatis quam aliis quibusvis contenta quaecumque, etiamsi talia forent, quae specialem et specificam mentionem requirerent, ubi tamen Concilii Tridentini decretis non adversentur, cum integris suis tenoribus et datis. . . . apostolica auctoritate. . . . perpetuo approbamus et confirmamus, ac in plenam observantiam ac pristinum et validissimum suum statum restituentes et revocantes, innovamus, et quatenus opus sit, omnia et singula praedicta denuo concedimus et indulgemus. »

Per Constitutionem *Ex quo Sedes Apostolica,* erexit Archiconfraternitatem Conceptionis B. Virginis Mariae in Ecclesia de Aracoeli Conventus Minorum de observantia, eique plurimas Indulgentias largitus est atque privilegia, quae communia erant Archiconfraternitatibus SS. Rosarii, et B. Virginis de Monte Carmelo, et tribus ordinibus Sancti Francisci.

Constitutionem *Summe decet* in Bullario Taurinensi 1871, quo nos utimur, non reperivimus.

Quae vero contineat Constitutio *Pretiosus* supra diximus. In declaratione vero edita die 28 Septembris 1728, Fratres Ordinis S. Dominici nonnulla dubia proposuerant; tum I. circa omnimodam subiectionem confraternitatum in Ecclesiis ordinis erectarum superioribus eiusdem ordinis; tum II. circa omnimodam exemptionem eorumdem Fratrum a subiectione Ordinariorum et parochorum, tum III. circa eorumdem approbationem ad confessiones fidelium saecularium excipiendas, tum IV. circa munus concionandi, tum V. circa ordinariorum iurisdictionem in moniales sibi subiectas, tum VI. circa personas utriusque sexus Tertii Ordinis S. Dominici ; tum VII. circa declarationes edendas a R. Pontifice vivae vocis oraculo super Constit. *Pretiosus* habendas uti illi Constitutioni insertas.

Hisce autem huiusmodi rescriptum fuit: « Sanctitas sua benigne » declarando dubia, ut in adiunctis precibus excitata, ad I, III, » IV, VI, et VII respondit in omnibus *affirmative,* ad II vero et » ad V negative in omnibus. Per » id tamen Sanctitas sua Episcopis, » qui *privative* (idest soli), vel cumulative (id est una cum Superioribus Ordinis) licentias pro accessu vel ingressu in Monasteria » subiecta Ordini dare vel subscribere alias consueverunt, non intelligit prohibere quin possint » etiam in posterum easdem dare » vel subscribere, *cumulative,* tamen semper cum Ordinis superioribus, et non alias. Ubi autem » iidem Episcopi renuant, sufficiat » licentia sive subscriptio Ordinis » Superiorum ad utrumque effectum. »

Ita ut episcoporum oppositio nihili facienda esset.

Constitutio *Exponi nobis fecit* diei 21 Martii 1729 in Bullario cit.

desideratur: sub ea die et anno reperitur Const. *Piis orthodoxorum Principum*, qua confirmatur summarium Indulgentiarum concessarum crucibus, rosariis, numismatibus et coronis benedictis ab Abbate Monasterii Montisserati Congregationis Vallisoletanae Ordinis S. Benedicti.

Verum sub die 29 Martii 1729 adest Const. incipien. *Exponi nobis nuper fecit,* qua confirmatur decretum Capituli generalis Ordinis Praedicatorum super suppressione Congregationis Angelorum in provincia Gallo provinciae alias erectam.

Est ne haec Constitutio quae a Clemente XII in irritum deducta fuit?

Pariter in cit. Bullario deest Const. *In Sede* quae postremo loco citatur.

Iam vero de hisce omnibus Constitutionibus, quibus Regularium privilegia in pristinum restituta fuerant, et fortasse aucta, Clemens XII haec statuit decrevitque.

« Quamvis autem haec omnia » et singula ex eiusdem recolendae memoriae Benedicti pia et » laudabili erga Regularium familias voluntate profecta fuerint, » quos ipse ob eorum zelum de » salute animarum, religionis fervorem, doctrinam, et regularis disciplinae observantiam magna ac » vere paterna dilectione prosequebatur, nosque ipsi aeque prosequimur, concessa, extensa, decreta, » confirmata et declarata fuerint, nos » tamen qui post varias altercationes et difficultates de iisdem litteris et constitutionibus excitatas, » optatam sanctae Dei Ecclesiae » tranquillitatem prae oculis habemus, volentes ut universis Dominici gregis pastoribus, ac praesertim venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis in partem sollicitudinis » nostrae vocatis, *liberum iurium suorum, quae Summi Dei gloriam et animarum salutem respiciunt in illorum Dioecesibus exercitium servetur; quaeque illud quomodocumque impedire et laedere fortasse possunt, pro virili nostra penitus amovere cupientes;* quemadmodum alias Romani Pontifices » antecessores nostri saepius egerunt, nos quoque, ad praeservandum iisdem patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac quibuscumque aliis ordinibus, ac coetibus ecclesiasticis et saecularibus » suorum iurium exercitium et possessionem amovendamque quarumcumque dissensionum et litium occasionem, ex concessa » nobis divinitus Apostolicae potestatis plenitudine, eorumdem antecessorum nostrorum Pontificum » Romanorum vestigiis inhaerentes, » statuimus et decernimus, *de omnibus et singulis praedictis litteris et constitutionibus, quae ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultati-*

» *bus et declarationibus in iisdem* » *contentis, eam deinceps decisio-* » *nem ac iudicium, etiam in foro* » *conscientiae habendum, quod sive* » *ex Concilio Tridentino, sive ex* » *Decretis et Constitutionibus Apo-* » *stolicis, sive alias legitime ha-* » *bebatur, antequam eaedem li-* » *terae, et declarationes ab eo-* » *dem Benedicto concessae fuis-* » *sent, perinde scilicet ac si illae* » *non emanassent.* Ad quam dispo- » sitionem eiusque pristinum sta- » tum ac terminum, omnia supe- » rius enunciata omnino reducimus » et reducta esse volumus, ita ut » imposterum supradicti Ordines » Regulares *earumdem literarum* » *et constitutionum usu, commodo* » *et effectu penitus carere debere* » *intelligantur.* »

Itaque iuxta praesentem Clementis XII Constitutionem, omnia privilegia Regularibus a Benedicto XIII collata per enumeratas constitutiones penitus sublata fuere, atque omnia ad pristinum reducta, iuxta Concilii Tridentini decreta, RR. Pontificum Constitutiones, atque alias legitimas sanctiones; insuper ita habendas esse decrevit veluti si numquam latae fuissent; atqui ex Tridentino, ex Constitutionibus Apostolicis, aliisque Romanarum Congregationum decretis, Regulares gaudentne potestate absolvendi ab excommunicatione ob clerici percussionem? Decretum S. C. Episcoporum et Regularium an. 1601 cum adiunctis declarationibus anni 1602 abrogatum ne aliquando fuit? Nos minime arbitramur; at lectores prudens iudicium ferant.

Id ulterius demonstratur, ex quo Emus Card. Bizzarri eiusdem Congregationis Praefectus illud decretum inseruit in sua Collectanea, quam an. 1863 confecit in usum Secretariae, ut scilicet esset norma eiusdem officialibus; cum itaque in ea illud decretum retulisset, persuasum habuit, Regularibus nullas alias facultates quoad absolutionem a censuris competere, quam quae ipsis eo in decreto tribuuntur; secus decretum illud Secretariae Officialibus regulam subministrare non potuisset. Porro vir in iure peritissimus, atque tot annis ea in Congregatione versatus certe noverat, quae circa vel absolutionem excommunicationum, vel alia quaelibet inesset Regularibus facultas; cum igitur iuxta illud decretum eiusmodi negotia dirimenda esse persuasus fuerit, nullas alias facultates Regularibus attributas esse circa absolvendi privilegia edixit, quam quae in citato decreto continentur.

Attamen doctissimus Lucius Ferraris *Bibliotheca canon. V. Regularis Praelatus* affirmat, « S.Congregatio- » nem Episcoporum et Regularium » facto verbo cum Clemente VIII, » absolute decrevisse, quod omnes » Bullae et decreta derogatoria pri- » vilegiorum Regularium, quantum » ad facultatem absolvendi a casi- » bus Papae reservatis, esse intel- » ligenda in ordine ad saeculares,

» non autem in ordine ad suos sub-
» ditos regulares. »

At eiusmodi decretum authenticum ne est? A Lucio Ferraris citatur quidem, sed non affertur; et quidem ad rei probationem erat omnino afferendum. Sed de hoc capite inferius. Manifesta insuper est Clementis VIII intentio et voluntas, ne aliquis a casibus in praedicto decreto reservatis auderet absolvere, *nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo;* insuper praecipit moneri poenitentes, *absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris vel momenti;* demum, ut a se disposita firma undequaque consistant, Sanctitas Sua specialiter et expresse derogat Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis omnibus, in favorem quorumcumque ordinum, seu Institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam saecularium quam Regularium editis; nec non. . . consuetudinibus privilegiis, indultis, litteris Apostolicis, . . concessis eisdem Ordinibus, Ecclesiis, Monasteriis. . . aut personis. . . sub quibuscumque tenoribus ac formis etc. Quibus profecto intelligimus 1. voluntatem Clementis VIII firmam et absolutam fuisse ut latum decretum observaretur; 2. prohibitionem absolvendi a casibus reservatis esse generalem, nec inter saeculares aut regulares distinguere; 3. loqui de revocatione privilegiorum concessorum cuicumque Instituto, Ordini, aut personis sub quibuscumque tenoribus ac formis; 4. nullo pacto personam inter et personam distinguere, sed decreto subiicere quoslibet sacerdotes, ad audiendas confessiones approbatos, quos inter numerandi sunt omnino Praelati Regulares, qui sine debita Ordinariorum vel Apostolicae Sedis facultate aut privilegio, per se nullam habent potestatem quemlibet vel regularem subditum absolvendi a casibus Sedi Apostolicae vel Episcopis reservatis, quamvis concedi velit, posse per se, sine Ordinarii approbatione, subditorum Regularium confessiones excipere, aut Regulari subdito, non externo, committere ut Regularium suorum confessiones audiat; quod tamen nos non inquirimus. Cum enim facultates Praelatis Regularibus concessae absolvendi a casibus Romano Pontifici reservatis, concessae fuerint plerumque pro subditis Regularibus, ut ex documentis afferendis melius patebit, atque in decreto affirmentur revocata privilegia quaelibet absolvendi a reservatis in ipso casibus quae Regularibus concessa fuerint, revocata censenda sunt privilegia absolvendi etiam regulares (1).

(1) Lucius Ferraris ad verbum *absolvere*, relatis illis Decreti verbis: *Praeterea declarat... Regulares qui aliquo ex privilegiis, indultis et facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum... facultates* usu ante idem decretum receptas, et quae sub aliis revocationibus non comprehenduntur, *absolvere*; n. 46 scribere

Ex dictis itaque liquido non constare arbitramur, praelatos Regulares, ex privilegiis ab Apostolica Sede collatis, post revocationem Constitutionum a Benedicto XIII latarum, absolvere potuisse suos subditos regulares, multo minus extraneos, ab excommunicatione ob violentam in Monachum vel Clericum manuum iniectionem.

Quid autem? Si privilegiorum ratione absolvere non poterant ab eiusmodi excommunicatione, poterant ne ab ipsa suos absolvere subditos, quod ipsi habendi sint uti praelati iurisdictionem quasi episcopale exercentes, ideoque comprehendendi sub Capite *Liceat*, quo a Patribus Tridentinis fit Episcopis potestas dispensandi in censuris et irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto? etc.

Quid nobis videatur liberrime proferemus. Et 1. inficiari nolumus, in religionibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes Ordines religiosi virorum, necessarios esse praelatos proprie dictos habentes spiritualem et episcopalem iurisdictionem; quia ut ratiocinatur praestantissimus Suarez *de Religione* Tom. 4., Tract. 8., lib. 2., c. 1, n. 6, « eo ipso quod Religio a iu-
» risdictione Episcoporum eximi-
» tur, manet immediate subiecta
» solius Pontificis iurisdictioni. Non
» poterat autem convenienter gu-
» bernari immediate per solum Sum-
» mum Pontificem, aut per Com-
» missarios vel Delegatos ab ipso;

non dubitat: « Unde cum Sacra Congregatio de speciali mandato Clementis VIII in hoc » Decreto excipiat solum a facultate absolvendi casus contentos in Bulla Coenae, casus » reservatos Episcopis, et alios sex... et quoad omnes alios positive et expresse confirmet » facultatem omnimodam absolvendi, quam Regulares et alii privilegiati habebant ante De- » cretum 1601, evidentissime sequitur, posse Regulares (ex dispositione huius Decreti, quae » attente est perpendenda) absolvere ab omnibus aliis casibus Papae reservatis, quia revera » libere, et sine contradictione in usu habebant ante ipsum Decretum ex Const. Pauli III » emanata 3 Iunii 1545 incip. *Cum inter cunctas*; adeoque nullus remanet ambigendi locus » de hac Regularium facultate. »

Verum nescimus an haec serio affirmari ab aliquo possint. Imprimis haec Pauli III Constitutio anterior Concilio Tridentino est; expendenda quapropter et ad ipsius Concilii tramites et Constitutionum Pii IV; deinde privilegia a Paulo III concessa, post Concilium Tridentinum in usu non fuisse, evidentissime patet ex S. Pii V Const. in qua Praelatis Dominicanis facit potestatem absolvendi a casibus comprehensis in Cap. *Liceat*. non facturus, si privilegia a Paulo III concessa post Tridentinum fuissent in usu; tertio, Pii V concessiones regularibus factae fuere a Gregorio XIII omnimodis revocatae; quarto, Decretum praedictum nedum dicit: *usu ante dictum decretum receptas, sed etiam et quae sub aliis revocationibus non comprehendantur*. Unde autem Lucius Ferraris probare poterit, eas facultates quas Regularibus praedictum Decretum tribuit, non fuisse sub aliis revocationibus comprehensas, cum omnimode constet et a Pio IV, et a Gregorio XIII revocatas fuisse? Concessio igitur a Congregatione EE. et RR. in dicto decreto Regularibus facta, hypothetica est, non positiva et absoluta; demonstranda quapropter tum ex usu, tum ex nullis extantibus revocationibus. Id autem a Lucio factum non fuit: nescimus an factum fuerit ab aliis; nemo igitur nobis irascatur si de Lucii sententia dubitaverimus usquedum indubiis argumentis ea quae ab ipso adeo firmiter asseruntur, aliquis nobis non demonstraverit.

» quia in omni Congregatione ne-
» cessarii sunt pastores ordinarii,
» quibus eius cura ex officio in-
» cumbat; ergo si huiusmodi Pa-
» stores proximi non sunt Episco-
» pi, necessarium est ut sint prae-
» lati proprii uniuscuiusque Reli-
» gionis. »

Attamen probe advertendum est quod idem auctor loc. cit. n. 3 subdit: « Praelatus religionis ratione
» iurisdictionis ecclesiasticae, habet
» perfectam potestatem coercitivam episcopalem. Hoc constat
» etiam ex usu et ex privile-
» giis omnium Religionum exem-
» ptarum; quae enim exemptae
» non sunt, non habent revera hanc
» potestatem in seipsis; sed manet
» in Episcopis, qui illam sine du-
» bio habent in moniales sibi sub-
» iectas; et idem est de viris si
» exempti non sunt. Ergo in exem-
» ptis talis iurisdictio residet in
» propriis praelatis; non enim ex-
» tincta est, nec summo Pontifici
» reservata; nec enim expediebat,
» cum sit ordinarie et regulariter
» necessaria. Ergo translata est in
» religionem ipsam et praelatos eius,
» per summos Pontifices, non qui-
» dem iure communi, sed speciali. »

Cum itaque Praelati Regulares potestatem quam habent, non ex iure communi, sed a Romanis Pontificibus habeant, eorum potestas et iurisdictio, praesertim in foro poenitentiali, tam late patebit, quam late eam patere Romani Pontifices voluerunt; horum igitur concessionibus, privilegiis, indultisque attendendum est, ut discernamus in peculiaribus capitibus, quae praecipue de iure communi sunt, si, et quanta sit praelatorum Regularium potestas.

Ut igitur quaestioni propositae pressius insistamus. Si praelati Regulares ante Constit. *Apostolicae Sedis* facultatem habuissent, seu privilegium suos subditos ab excommunicatione absolvendi ob percussionem clerici vel utriusque sexus Monachi incursam, id vel quod comprehendendi erant sub Capite *Liceat* a Patribus Tridentinis promulgato, vel quia speciales facultates vel privilegia numquam revocata ab illa absolvendi a Romanis Pontificibus post Concilium Tridentinum obtinuerant. Atqui primum falsum omnino est: de altero lectores nostri iudicium ferant.

Non enim vi Cap. *Liceat:* probavimus enim, Praelatos Regulares sub illo capite a Patribus Tridentinis comprehensos non fuisse, idque tum vi verborum Capitis, cum in eo tantummodo Episcopi recenseatur et quidem *in Dioecesi sua;* tum ex relata Pii IV Constitutione, tum praesertim ex S. Pii V Const. *Romani Pontificis* an. 1571, in qua Praelatis Ordinis Praedicatorum eas facultates facit in fratres subditos, quas vi Capitis *Liceat* habebant Episcopi in Clericos et laicos sibi subiectos, eas certe non facturus si Praelatos Regulares sub eo Tridentino Capite comprehensos putasset.

Praeter haec autem sunt et alia documenta, ex quibus evidentissime colligimus, sub eo Capite neque illos praelatos Regulares comprehensos fuisse, neque comprehendendos, qui iurisdictione quasi Episcopali gaudent in Dioecesi designata, uti abbates Montis Cassini, S. Pauli de Urbe etc.

Cum enim a S. Congregatione Concilii quaesitum fuisset: *An facultate concessa Episcopis a decreto Concilii,* Sess. XXIV, Cap. VI, *etiam inferioribus iurisdictionem quasi episcopalem habentibus in locis suae iurisdictionis uti liceat?* Die 9 Decembris 1582 Sacra Congregatio censuit: *non licere.*

Et cum Abbas Aquisaneten. iurisdictionem quasi Episcopalem habens in subditos declarari petiisset: *An facultas tributa Episcopis a Concilio Tridentino* Cap. 6 Sess. 24 *ipsum comprehenderet?* Sacra Congregatio censuit: *non comprehendere.*

Atque, ut alia praetermittamus cum Episcopus Cadurcensis petiisset ab eadem S. Congregatione Concilii: An facultas attributa Episcopis in Cap. VI, Sess. XXIV de reform. intelligatur etiam concessa Regularibus, sive eorum Superioribus.

Die 9 Februarii 1662 responsum fuit: Congregatio *Concilii censuit non intelligi concessam.*

Ergo Praelati Regulares vi Capitis *Liceat* non possunt nec externos nec regulares suos ab excommunicatione ob percussionem Clerici absolvere; sub illo enim Capite non comprehenduntur (1).

Videamus igitur an illa fruantur facultate vi Papalium Constitutionum. Atque omnino praetermittimus ante Concilium Tridentinum latas, cum, ut parum dicamus, ob Tridentini revocationes dubiae sint auctoritatis; neque in iis immorabimur, quae post Tridentinum quidem latae sunt, attamen concessae cum clausula dummodo *Sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis, et Pontificiis Constitutionibus non adversentur;* hisce enim parum vel nihil fidere Regulares debent in suis defendendis privilegiis, ut ex dictis constat. Quare eas solum afferemus Romanorum Pontificum post Concilium Tridentinum Constitutiones, quae sine ulla Clausula latae, absolute Regularibus tribuere privilegia videntur; neque omnes, cum nec necessarium sit, nec Praelatis Regularibus facultatem omnes tribuant ab excommunicatione ob percussionem Clerici absolvendi, sed alia privilegia quae ad rem non pertinent; verum aliquas tantummodo, ex quibus certe deprehenditur, praelatis Regularibus factam post Tridentinum eiusmodi facultatem fuisse, iisque summopere miti con-

(1) Retractamus quapropter ea, quae pag. 513 scripsimus: *atque nullimode dubitandum esse putamus,* usque ad verba *competere possit.*
Tum alia: *etiamsi minime dubitemus,* usque ad verba *affirmative.*

trariam sententiam defendentes; si enim eiusmodi privilegium in illis aperte contentum concidisse demonstraverimus, demonstratum pariter erit, illud Praelatis Regularibus neque quoad suos subditos competere, nisi antea documenta authentica ad illud sibi legitime vindicandum afferant.

Iam vero, omnibus aliis omissis, tres sunt Constitutiones post Concilium Tridentinum, quibus Regulares tuto niti possent ad illud privilegium sibi vindicandum. Constitutio S. Pii V qua praelatis Ordinis Praedicatorum facultates tribuit quas concedit Tridentinum Episcopis in Capite *Liceat;* Const. *Etsi Mendicantium* lata ab eodem Pontifice die 16 Augusti 1567, qua fratribus et Monialibus quibuscumque Ordinum mendicantium, ac illorum Ecclesiis, domibus et personis confirmat, atque iterum concedit omnia et « singula privilegia, im- » munitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, favores et gratias, quae » decretis Concilii Tridentini.... » non contrariantur expresse... et- » iam vivae vocis oraculo, in genere vel in specie, tam per recolendae memoriae Eugenium IV, » Xistum IV, Leonem X, Paulum III, » ac Paulum IV, et Pium etiam IV, » quam alios quoscumque Romanos Pontifices etiam praedecessores, ac nos et Sedem eamdem » quomodolibet concessa, confirmata et innovata... Nec non privilegia, immunitates, facultates, » libertates, indulta, dispensationes, » exemptiones, favores et gratias » tam spirituales quam temporales, » modo et forma, quibus concessa » sunt, etiam per viam communi- » cationis, et extensionis, active et » passive, inter se et alios quos- » cumque ordines respective, de » novo concedimus » (1). Et de-

(1) In hac Constitutione sunt omnia gravamina et molestiae de quibus se ab Episcopis premi querebantur Franciscani. Sunt autem viginti sex. Eas omnes S. Pius V declaravit, aliasque declarationes addidit; at eum postea concessarum facultatum quodammodo poenituit, alias hinc restrinxit, alias abolevit iis de causis, quas Gregorius XIII in Const. *In tanta rerum* ita exposuit § 4: « Animadverso quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes » et lites inter praedictos locorum Ordinarios et fratrum ipsorum Ordines non sine gravi » divini cultus et animarum detrimento ac populorum scandalo excitaverant, contra ac » ipse sperabat et praeter suam expectationem, ut qui interdum conquereretur multa aliter » alioque sensu a se prolata fuisse, quam litteris expressa essent. (*Haec suspicionem ingerunt S. Pontificis concessiones corruptas quodammodo fuisse*) dum literae Apostolicae ab Officialibus vel conficerentur, vel typis mandarentur. Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia quae Regularibus aliorum Ordinum quam mendicantium communicaverat, et secundum praemissa concesserat, motu proprio restrinxerit. Deinde plenius » providere volens, prioribus literis a se, quoad ipsos Mendicantes, magna in parte moderatis, omnes et quascumque alias literas, quae de aliis Ordinibus et Congregationibus » extra Mendicantium Ordines de observantia nuncupatos emanaverant, omnino aboleverit, » causas omnes iam de his... pendentes ad se advocando, lites extinguendo... quemadmodum in aliis suis literis in registro proxime compertis, numquam tamen publicatis, melius » continetur. »

mum constitutio eiusdem *Dum ad Congregationem Cassinensem* data die 13 Iunii an. 1571, in qua Praelatis et abbatibus illius Congregationis concedit facultatem absolvendi » quoscumque existentes Monachos, conversos et oblatos, et » tam *professos quam novitios* in » ea tamen perseverantes a quibusvis criminibus, reatibus, culpis, censuris et poenis, per eos » et eorum quemlibet, tam ante, » quam post illorum in Congregationem huiusmodi ac monasteria » sub illius obedientia existentia » ingressum seu professionem regularem ibidem per eos emissam, ex quavis causa et ob quemvis excessum et delictum, publicum vel occultum, casu seu data » opera, quomodolibet ab eis et » singulis, etiamsi homicidium voluntarium seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi, pro tempore » subsecutum seu subsecuta fuerit, incursis et in futurum incurrendis, etiamsi de casibus reservatis Sedi Apostolicae, vel de » comprehensis in Bulla, quae die » coenae Domini legi consuevit, » fuerint, plenarie, toties quoties » opus fuerit, iniuncta sibi pro modo culpae poenitentie salutari quoad reatum homicidii tantum, in » foro conscientiae tantum, absolvendi et liberandi, ac in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant et fuerant, statum reintegrandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam inde quomodolibet insurgentem ab eis et eorum quolibet prorsus abolendi, secumque quod, praemissis non obstantibus, non promoti ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, atque monasteriis eiusdem Congregationis in Abbates, Priores et praelatos praefici, nec non ad quascumque alias dictae Congregationis praelaturas eligi et assumi, munusque benedictionis suscipere, et tam illi, quam qui iam ante vel post praemissa sint vel fuerint promoti, praefecti et electi, etiamsi munus benedictionis huiusmodi scienter susceperint, irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, censuris et poenis huiusmodi vel aliis quibuscumque criminibus irretiti et innodati, scienter missas et alia divina officia celebrassent, simulve seu alias munere benedictionis huiusmodi quomodolibet usi essent, in altaris ministerio ministrare et dicto munere uti, nec non omnes et quascumque praelaturas, obedientias, administrationes, et officia Ordinis et Congregationis huiusmodi retinere, recipere, gerere, et exercere libere et licite possint et valeant. »

Porro in eiusmodi privilegiis ceteri Regulares ordines affirmant sese communicare.

Atqui privilegia eiusmodi, saltem quoad excommunicationem ob percussionem Clerici, revocata cen-

senda esse per Decretum S. Congr. EE. et RR. editum de expresso Clementis VIII mandato, vix aut ne vix quidem dubitare possumus, cum in eo dicatur, neminem a casibus expressis et reservatis absolvere posse « sub praetextu privilegio-» rum, indultorum, aut facultatum » generaliter vel specifice, scripto » aut vivae vocis oraculo, vel per » communicationem a Sede Apo-» stolica, vel eius auctoritate eo-» rum Ordinibus, Congregationibus » Collegiis vel Societatibus, *aut sin-» gularibus personis, seu alias quo-» modocumque ;* » qua de causa omnibus in casu Regularium privilegiis derogat, ne quis sub praetextu privilegiorum a reservatis in decreto casibus absolvere auderet.

Eiusmodi autem decretum vim perfectae legis habere omnino certum est, tum quia de expresso Romani Pontificis mandato latum est, tum quia vim legis habere Doctores affirmant; quos inter unum S. Alphonsum citabimus, qui in Appendice II de Privilegiis Cap. V. n. 89 contra eos qui vim legis illi denegabant, scribit: « omnino tenendum » est oppositum, cum praefata de-» creta fuerint confirmata ab iis, » Pontificibus pro tota Ecclesia de » ipsorum speciali mandato et ideo » vere habent vim legis.» Si autem vim legis habet, quo pacto niti quis poterit S. Pii V. concessionibus?

Dicturus ne eris, illud loqui de Sacerdotibus, non de Praelatis? Sed imprimis nonne Praelati Regulares plerumque sunt Sacerdotes? Deinde si Praelati Regulares ab illo decreto forent excludendi, quid intererat privilegia revocare quomodocumque Regularibus concessa, illa etiam quae singularibus personis concessa fuerant?

Argumentum instaurabis, quod hoc decretum Regularibus absolutionem saecularium non regularium a reservatis casibus interdicat? Sed quae sunt Decreti verba aut sententiae quae hanc distinctionem suadeant? qua Decreti parte dicitur, eiusmodi facultatum revocationem saeculares tantummodo non regulares respicere? Ubi autem lex non distinguit, neque distinctionem quomodolibet suggerit, quo iure nos distinguere poterimus? Affirmabis, illam omnino suggeri ex Decreti verbis distinctionem, quia in eo sermo tantummodo instituitur de Sacerdotibus tam Saecularibus quam Regularibus ad confessiones audiendas probatis? quae verba intelligenda sunt de approbatis a locorum ordinariis ; Praelatos autem Regulares posse independenter ab Episcopo Sacerdotes Regulares deputare ad audiendas Regularium subditorum Confessiones? qua de causa hos sub Decreti verbis non cadere?

Sed quo loco Decretum hanc distinctionem suggerit? quo loco dicit, hos Confessarios approbatos ab Episcopo esse debere? Quin imo cum generice loquatur de Sacerdotibus omnibus ad audiendas con-

fessiones probatis, atque ne legem sancitam trasgrederentur, Regularium facultates revocet, intelligere possumus, sub lege eos etiam confessarios regulares comprehendi ad audiendas Confessiones tantummodo Regularium a suis Praelatis deputatos. Cum autem Apostolicarum litterarum pleraeque, et fortasse post Tridentinum omnes, privilegia Regularibus concedentes unos respiciant regulares, non saeculares, profecto hae fuerant omnino excipiendae, ne sexcentis dubiis et anxietatibus locus daretur. Animadvertimus insuper, in declaratione eiusdem decreti affirmari, *dubia quaedam ac difficultates circa eiusdem decreti interpretationem atque observationem emersisse,* atque ea de causa S. Congregationem illud declarare ac moderari. Atqui tamen nullum dubium aut difficultas circa decreti omnimodam et generalem observantiam apparet.

Verum haec omnia transeant. Quid ergo si probaverimus S. Congregationem Concilii decrevisse non licere Abbatibus Congregationis S. Mauri absolvere ab irregularitate illa, cuius absolvendae S. Pius V in cit. ad Praelatos Cassinenses Constit. potestatem fecerat; ideoque privilegia illa directa vel non esse comunicabilia ceteris Religiosis Praelatis, vel fuisse quomodocumque revocata?

En Decretum quod a praestantissimo Giraldi refertur in suis additionibus ad Institutiones Canonicas Remigii Mascat lib. V. Tit. XII, n. 50; et de quo ipse ait: « Lectorem remitto ad sequens Concilii responsum a me recognitum, » quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in regestis eiusdem S. Congregationis Concilii lib. Decret. 35 » pag. 145 *Dubia facultatis absolvendi et dispensandi 14 Aprilis 1685.* »

Et en supplex libellus.

« Omnibus et singulis Congr. » S. Mauri Ord. S. Benedicti personis concessum est a fel. record. » Summis Pontificibus Gregorio Papa XV, Bulla data an. 1621, et » Urbano Papa VIII an. 1628, uti, » frui, potiri et gaudere omnibus » et singulis privilegiis, gratiis et » libertatibus concessis Congreg. » Cassinensi, S. Victoris, et omnibus quibuscumque Ordinibus mendicantium et non mendicantium, » Militarium, et Hospitalarium.

» Concessa est eadem Praelatis » Cassinensibus facultas absolvendi » in utroque foro, et dispensandi » super censuris, irregularitatibus » et inhabilitatibus Monachos suos, » qui ante Religionis ingressum, » homicidiis voluntariis, aliisque » patratis facinoribus irregularitates et censuras incurrunt, ut patet ex Brevibus. . . . B. m. Pii » Papae V. Idibus Iulii 1571 datis.

» Concessa est eadem facultas » PP. Congregationis Montis Oliveti » a Pio Papa IV Bulla data an. 1560

» die 24 Maii, Pontificatus anno » primo (1).

» Sed et PP. Praedicatoribus Dominicanis Bulla Iulii Papae II data » anno 1510, Pontificatus an. VII (2).

» Nec non et PP. Societatis » Iesu Bullis Pauli Papae III an. 1549 » 15 Kalend. Novembris (3) et Gregorii Papae XIV an. 1591 datis (4).

» Cum itaque PP. Congregationis S. Mauri data fuerit facultas » ab Urbano Papa VIII, gaudendi » et fruendi omnibus privilegiis » aliis Congregationibus et Ordinibus » concessis, non solum per participationem et extensionem, sed » perinde ac si illa omnia in specie eidem Congregationi concessa fuissent (5), Procurator generalis eiusdem Congregationis humiliter instat declarari.

» 1. An Superiores dictae Congregationis licite valideque possint absolvere in utroque foro, » ac dispensare super irregularitatibus et censuris suorum Monachorum per homicidia, vel in » bello, vel in iurgiis, aliisque » motibus quasi indeliberatis, contractis?

» 2. An eos possint rehabilitare ad susceptionem ordinum, » dignitatum et prioratuum, seu » Capellaniarum regularium? »

Sacra Congregatio ad utrumque respondit: *Negative.*

Quid est hoc? Procurator Maurinus Constitutiones citat quibus

(1) Falsum exposuit Procurator Maurinus. Pius enim IV Praelatis Congregationis Montis Oliveti facultatem concesserat *absolvendi quoscumque Monachos a quacumque irregularitate, praeterquam ratione homicidii voluntarii, bigamiae, et mutilationis membrorum.* Haec insuper Constitutio dat facultatem dispensandi tantummodo ab irregularitatibus, non ab excommunicationibus proprie dictis absolvendi. Qua de causa ad nos non pertinet.

(2) Cum haec Iulii II Constitutio anterior sit Concilio Tridentino, ad tramites decretorum in eo latorum est exponenda et limitanda.

(3) De hac Pauli III Constitutione idipsum dicimus.

(4) Haec Gregorii XIV Constitutio respicit privilegia, indulgentias ac facultates omnes a Summis Pontificibus Presbyteris Societatis Iesu in Indiis Occidentalibus et Orientalibus degentibus concessas, et ad viginti annos prorogatas: quare pro re sua a Procuratore Congregationis S. Mauri non erat alleganda, cum haec privilegia ad tempus non sint ceteris Ordinibus communicabilia. Concessa insuper fuere ob specialissimas causas ceteris Ordinibus non communes.

(5) En Urbani VIII verba in Const. incipien. *In supereminenti* data die 21 Ianuarii 1628: Eidem vero « Congregationi S. Mauri, ac illius Monachis Professis, et nondum » professis, commissis, famulis, officialibus, domesticis, et aliis quibuscumque ab illa dependentibus, ac ei et illius Monasteriis inservientibus, ut non solum omnibus et singulis » tam dictae Cassinensis, seu S. Iustinae de Padua, SS. Vitoni et Hydulphi congregationum, sed etiam aliarum omnium et quarumcumque sive non Mendicantium, sive Mendicantium, et Hospitalium, ac aliorum piorum locorum, privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis, et aliis quibusvis gratiis et » praerogativis, eisdem Congregationibus et Ordinibus aut militiis per Nos et quoscumque » Romanos Pontifices praedecessores nostros concessis, seu deinceps a Sede praedicta concedendis, non solum, per participationem, communicationem seu illorum extensionem, sed » perinde ac si illa omnia in specie eidem Congregationi S. Mauri per nos concessa fuissent, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite possint et valeant perpetuo, apostolica » auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. »

suorum privilegia nitebantur, praesertim illam S. Pii V ad Cassinates, in qua facultates, de quibus in quaesitis agitur, omnino concesserat; et tamen S. Congregatio Concilii respondet *negative*. Atqui *negative* respondere non poterat nisi vel quia quaesita instructa non erant ad illarum concessionum tramites, vel quia illa privilegia ceteris ordinibus erant incommunicabilia, vel quia revocata iam fuerant. At non primum, quia Procurator Maurinus id prorsus petebat quod S. Pius V Cassinatibus concesserat, ut ex collatione petitionis cum cit. Constitutione apparet. Quod si Procurator praetermittit ipsis verbis indicare, homicidia illa commissa fuisse ante Religionis ingressum, ut diserte se S. Pius V expresserat, id apprime intelligebatur, cum loqueretur de homicidiis commissis in bello. De cetero id expresserat cum a principio locutus est de facultatibus a S. Pio V Cassinatibus datis. Non secundum quia ex testimonio Constit. Urbani VIII in nota superiori relato evidentissimum est, Maurinos Monachos communicasse in omnibus privilegiis Ordinum sive mendicantium sive non mendicantium, et expresse privilegiis Congregationis Cassinensis.

Ni igitur affirmare velimus, Sacram Congregationem Concilii iniustam, et nullius valoris dedisse declarationem, decisionem, vel responsionem, quia in casu sine ulla auctoritate abrogasset dispositionem Pontificiam, dicere omnino debemus, eam putasse, revocata quomodocumque fuisse privilegia illa a S. Pio V Cassinatibus concessa. Si autem haec ad Cassinates concessa privilegia revocata censeri debent, quo iure subsistere ea quae fuere Praelatis Ordinis Praedicatorum tributa putabimus? Iisdem enim premuntur difficultatibus.

Hisce tamen spretis, doctissimus Lucius Ferraris in sua Prompta Bibliotheca, ad verbum *Absolvere, Absolutio* postquam n. 30 affirmasset, « praelatos regulares posse absolve- » re suos subditos etiam ab omni- » bus casibus in Bulla Coenae con- » tentis, quinque solum exceptis » idque ex Constitutionibus Sixti IV incipien. *Regimini*, Iulii II *Exponi nobis fecisti*, Pauli III incipien. *Licet debitum* et S. Pii V *Dum ad Congregationem Cassinensem* (1). »

(1) Constitutionibus trium priorum Pontificum Regulares niti non possunt, cum praecedant Concilium Tridentinum, ad cujus omnino tramites illorum privilegia sunt expendenda, sicut etiam ad tramites Constitutionis Pii IV, et successorum Pontificum. Circa Pii IV expressam voluntatem, contra eos omnes qui affirmare non erubescerent, ipsum non decrevisse ut omnia Concilii Tridentini decreta sive cum clausula derogatoria, sive sine hujusmodi clausula aequaliter omnes abstringerent et ab omnibus observari deberent iterum adnotamus, Benedictum XIV in suis Institutionibus, Inst. 60 haec scripsisse: « Quamvis post decre- » tum, quo Professio fidei praecipitur aliud decretum non sequatur abrogans quaecumque » in contrarium proferri possint; tamen id cautum satis fuit per Pium IV Pontificem in ea » Constitutione, quae incipit *Benedictus Deus* (quaeque, nostro iudicio, circa omnimodam

» Quae S. Pii V Constitutio pro Cassinensibus, cum quibus communicant ceteri alii regulares, amplissimam facultatem concedit Praelatis Regularibus in suos subditos, cum ut eam legenti patet, complectatur etiam casus publicos pro utroque foro, et nullum alium casum excipiat nisi homicidium voluntarium commissum et mutilationem commissam post ingressum in religionem; adeoque maiorem et ampliorem facultatem absolvendi et dispensandi habent Praelati regulares in suos subditos, quam praelati saeculares in suos Dioecesanos etc.»

Postea tamen n. 33 subdit: « Nec » potest dici, quod ista tam ampla privilegia praelatorum regularium sint revocata, quia sunt solum revocata quoad facultatem absolvendi saeculares, non autem quoad suos subditos, ut patebit percurrenti exacte omnes Bullas derogativas privilegiorum Regularium, quarum nulla revocat supradictam facultatem eis concessam pro absolutione et dispensatione suorum subditorum; motivum enim quo summi Pontifices concesserunt Regularibus hanc amplissimam facultatem, fuit, ut patet ex suis praecisis verbis: *ut dicti ordinis Professoribus omnis vagandi tollatur occasio, et ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas* (1). Quod motivum semper subsistit, et a Summis Pontificibus semper intenditur etc. »

Ut hisce respondeamus. Praeter ea quae in nota superiori scripsimus; praestantissimus Canonista dum ad defendenda Regularium privilegia citat Const. *Regimini universalis Ecclesiae* Sixti IV, quae constituebat *mare magnum* Regularium et const. *Licet debitum* Pauli III, qua fit S. Ignatio et Praepositis generalibus societatis Iesu potestas absolvendi « omnes et singulos eiusdem Societatis socios et personas sub eorum obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes ab omnibus et singulis eorum peccatis, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque. . . . ecclesiasticis censuris » iis exceptis quae in Bulla, quam *Mare magnum vocant*, reservantur; dum, inquam, eiusmodi citat Constitutiones, omnino significat, se in ea sententia versari, etiam post Concilii Tridentini Decreta et posteriorum Pontificum Constitutiones, immota stare *Maris magni* privilegia, saltem circa facultates absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reser-

» cuiuscumque Conc. Tridentini Capitis observantiam, non ita clara et decretoria est sicut » alia incipiens *In Principis Apostolorum Sede*) et quae in fine Concilii solet excudi. » *Illa quidem abrogat omnia, quae Tridentinae Synodo contraria esse videantur; ideoque singula eiusdem Concilii capita simul amplectitur, et nullius efficit momenti consuetudines quae leges aliquas in iisdem capitibus praescriptas violent.* Acquiescere autem magni Benedicti XIV auctoritati debemus.

(1) Ex §. 14. Const. Regimini universalis Ecclesiae a Sixto IV latae.

vatis: quod *Iudaeus credat Apella* (1).

Illa enim privilegia, ceteris argumentis praetermissis, omnino revocata probantur ex Const. S. Pii V *Romani Pontificis,* qua Praelatis Ordinis Praedicatorum facultatibus opportunis post Concilium Tridentinum et Pii IV Constitutionem destitutos se fatentibus absolvendi suos Religiosos a casibus Sedi Apostolicae reservatis, eas facultates concedit quae a Patribus Tridentinis conceduntur Episcopis in Capite *Liceat,* quae facultates sunt multo inferiores Xisti IV et Pauli III concessionibus.

Quid autem demum affirmat doctissimus Canonista? Illa scilicet tam ampla privilegia Regularium dici non posse revocata, quia sunt solum revocata quoad facultatem absolvendi saeculares, non autem quoad suos subditos.

Verum inter cetera non advertit vir praestantissimus, Xistum IV, Paulum III, et S. Pium V illas facultates concessisse Praelatis Regularibus pro suis subditis regularibus tantummodo, non pro saecularibus: *Generalibus et provincialibus ministris et eorum vicariis ac custodibus.... absolvendi fratres eiusdem Ordinis,* inquit Xistus IV in cit. Constitutione § 5. *Absolvendi omnes et singulos eiusdem societatis socios;* inquit Paulus III. *Absolvendi quoscumque existentes Monachos, conversos, comissos et oblatos* etc. inquit S. Pius V. Ergo si, ipso Lucio Ferraris fatente, illa quae in citatis ab ipso Constitutionibus continentur, privilegia revocata sunt, revocata dici debent quantum ad subditos regulares, non saeculares, erga quos citati Pontifices nullam potestatem praelatis regularibus fecerant. Cum enim privilegium aliquod revocatur, iuxta tenorem eius eiusque extentionem revocatur, ni aliud a revocante innuatur.

Quid ad haec respondebunt? Unum profecto: citatas tum ante tum post Concilium Tridentinum Constitutiones nullimode neque a Tridentinis Patribus, neque a Romanis Pontificibus revocatas esse: atqui 1° hoc falsum omnino esse, solidis argumentis demonstravimus, 2° vero, si citatae Constitutiones numquam revocatae sunt, quo pacto Lucius Ferraris concedere potuit, privilegia in eis contenta revocata esse quantum ad saeculares absolvendi potestatem, non regulares? Ergo quomodolibet illas revocatas fatetur. Fateatur ergo oportet esse in integrum revocatas, cum loquantur tantummodo de potestate praelatorum regularium absolvendi suos subditos regulares.

Atque hinc etiam lectores intel-

(1) Mittimus Iulii II Constitutionem, quae ad rem non facit, cum in ea agatur tantummodo de prohibitione aedificandi monasteria vel domos, quae ab aliis non distent tercentis cannis, et minime de casus reservatos absolvendi potestate Regularibus concessa. Qua de causa ex quatuor citatis Constitutionibus, uni tantummodo a S. Pio V latae pro Cassinensibus Praelatis niti possent Regulares.

ligant quanta cautela sit admittendum, quod loc. cit. n. 37 refert cl. Ferraris; scilicet « Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, facto verbo cum Sanctissimo Clemente VIII absolute decrevit, quod omnes Bullae et decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos regulares ».

Cum enim praefata privilegia haberentur in Constitutionibus ab ipso Ferraris citatis, ut alias eiusdem tenoris omittamus, si illis derogatum est, derogatum est ipsis Constitutionibus; atqui constitutiones illae praelatis Regularibus absolvendi suos tantummodo subditos regulares dabant facultatem; ergo quomodo Clemens VIII affirmare poterat, illas privilegiorum derogationes saeculares respicere non regulares? Affirmare potius debuisset, Constitutiones illas numquam neque a Concilio Tridentino, neque a Romanis Pontificibus, neque alio aliquo decreto fuisse revocatas; quod non affirmavit; et falsum affirmasset. Advertant tamen lectores nostri nos ita ratiocinari relate tantummodo ad privilegium absolvendi Regulares ab excommunicatione ob percussionem Clerici; de aliis facultatibus non loquimur.

Attamen in hisce affirmandis non sibi constat praestantissimus Canonista; cum enim cit. n. 37 illam Congregationis Episcoporum et Regularium declarationem in testimonio supra relato probasset, ipsius illico oblitus paullo post n. 41 asserit « Confessarii regulares possunt » in Foro conscientiae absolvere » saeculares ad omnibus casibus et » censuris reservatis Papae ex Const. » Pauli III incip. *Cum inter cunctas* (1) de anno 1545, 3 Iunii, » exceptis tamen contentis in Bulla » coenae, et sex illis reservatis in » Decreto 1602 ».

Atqui si citata Congregationis EE. et RR. declaratio est authentica, falsa est haec Ferraris sententia; si vera est haec sententia, authentica esse nequit cit. declaratio; at hanc sententiam veram Lucius supponit, ergo quandonam S. EE. et RR. Congregatio declaravit, Bullas et decreta derogatoria privilegiorum Regularium essa intelligenda solum in ordine ad saeculares, non subditos regulares? Quandoquidem, nihil illa declaratione obstante, « Confessarii » Regulares, ut ipse dicit, possunt » in foro conscientiae absolvere » saeculares ab omnibus casibus et » censuris reservatis Papae ».

Nescimus autem quantopere verum sit quod postea subdit, Romanos scilicet Pontifices revocasse latas pro Regularibus facultates tantummodo quoad externos, non quoad

(1) Haec Pauli III Const. in Bullario Taurinensi 1860 quo nos utimur, omnino desideratur; sed desideratur etiam in Magno Bullario Romano an. 1744. Praecedit autem, supposita eius authenticitate, Concilii Tridentini promulgationem.

subditos regulares. Imprimis enim percurrenti exacte, ut eius verbis utamur, omnes Bullas derogativas privilegiorum regularium, patebit, nullam (saltem nos nullam legimus) distinxisse inter facultates absolvendi saeculares vel regulares, immo inveniet Romanos Pontifices simpliciter illis Constitutionibus derogasse. Exemplo sit Constitutio Pii IV. *In principis apostolorum sede*, in qua simpliciter et absolute revocat omnia et singula privilegia... facultates... indulta... dispensationes, *Confessionalia, mare magnum* in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis Concilii (Tridentini) contrariantur. (1) Exemplo etiam sint cit. Constitutiones Clementis XII. Quando autem anterior constitutio revocatur sine ulla limitatione vel exceptione, in integrum revocata intelligitur. Sed neque eo pacto revocari poterant, quo revocatas ipse praesumit; cum enim pleraeque Rom. Pontificum Constitutiones privilegia Regularibus concedentes, *ipso mare magno* non excluso, privilegia illa Regularibus praelatis concederent tantummodo pro subditis regularibus, vel privilegia in illis contenta nullo pacto revocata fuere, vel revocata fuere pro subditis regularibus; de saecularibus enim absolvendis non agunt. Demum haec sententia pugnat cum iis quae n. 41 scribit, confessarios scilicet regulares posse absolvere saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis Papae.

De qua re insuper miramur. Cum enim praelatis regularibus n. 33 tribuat facultates absolvendi a casibus papalibus subditos tantummodo regulares; n. 41 quibuscumque confessariis regularibus facultates eiusmodi concedit absolvendi etiam saeculares; plus scilicet in Lucii sententia, possent Confessarii regulares quicumque, quam ipsorum Praelati. Haec autem ut ratiociniis a Lucio nostro institutis responderemus, protulimus.

Quid autem dicturus ipse erit si nos probaverimus, Constitutiones S. Pii V, quibus non pauca privilegia Regularibus iterum concesserat, fuisse absolute a successoribus Pontificibus revocatas, atque reductas ad terminos Tridendentini Concilii? Quandoquidem cum ratione privilegiorum ab sancto

(1) Iterum adnotare liceat: *Mare magnum* expresse a Pio IV revocatur. Illud autem quamvis plurima Praelatis Regularibus privilegia circa casuum reservatorum absolutiones concederet, tamen in subditos Regulares, non saeculares. Citata autem Pii IV Constitutio est revocatoria, ut patet tum ex titulo, tum ex universo ipsius tenore; revocando igitur *mare magnum* revocavit Regularium Praelatorum privilegia absolvendi subditos Regulares a casibus S Sedi reservatis. Quomodo ergo Congregatio Episcoporum et Regularium in cit. a Lucio Ferraris n. 37 declaratione affirmare potuisset, omnes Bullas et decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, esse intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos regulares? Constitutio cit. Pii IV responderet, vel praefatam declarationem confictam omnino esse, vel sin minus, Congregationem EE. et RR. aut de aperto mendacio, aut de supina ignorantia esse redarguendam. Nos primum admittimus.

Pontifice Religiosis Ordinibus concessorum multae querelae, dissensiones et altercationes inter episcopos et regulares, non sine gravi divini cultus et animarum detrimento ac populorum scandalo ortae fuissent, Gregorius XIII in citata Const. incipien. *In tanta rerum* lata die 1 Martii 1573 Constitutiones a S. Pio V pro Regularibus latas omnimodis revocavit.

§ 6. « Praesentibus et futuris » discriminibus occurrere volentes, » inquit, de nobis attributae potestatis plenitudine, statuimus et » ordinamus, de praedictis et aliis » omnibus literis et constitutionibus » quae ab eodem Praedecessore, » eisdem de rebus, *pro quorumcumque Regularium etiam Mendicantium, Ordinibus et Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus et quibuscumque in eis contentis,* eam deinceps » dispositionem atque decisionem » pro subiecta materia futuram esse » quae sive ex iure veteri, sive ex » sacris dicti Concilii decretis, sive » alias legitime ante dictarum litterarum et constitutionum editionem erat et, *si ipsae non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem et decisionem suumque pristinum et integrum statum ac terminum illa omnia reducimus.* Quin etiam tollimus et abrogamus omnia irritantia, et alia » decreta nec non prohibitiones etc. » Decernentes illa omnia pro nullis » et infectis haberi, omnesque supradictos illarum usu, commodo » et effectu carere ».

Cum igitur Constitutiones a S. Pio V pro Regularibus latae omnino revocatae sint, qua ratione, privilegiis per eas collatis Lucius Ferraris, niti potest? Agitur autem de censurarum et casuum Apostolicae Sedi reservatorum absolutione, non de re adiaphora! Ac insuper, ut eidem rei iterum insistamus, cum S. Pius V privilegia Praelatis Regularibus in Constitutionibus ad Dominicanos et Cassinenses tantummodo pro subditis regularibus concesserit, atque Gregorius XIII illa in irritum ita reduxerit, veluti si Pianae Constitutiones latae non fuissent; quo mentis criterio, vel qua scientia Pontificii iuris S. Congregatio Episcoporum et Regularium, facto verbo cum Clemente VIII, decernere potuit, omnes Bullas et decreta derogatoria privilegiorum Regularium etc. esse intelligenda in ordine ad saeculares, non autem subditos Regulares? Nescimus profecto quomodo illius decreti authenticitati quis fidem suam accomodare possit.

Neque exposita Lucii Ferraris sententia, ratione addita confirmatur; si enim ob illam rationem, quae desumpta est ex Const. *Regimini* Xisti IV seu ex *Mare magno*, Romani Pontifices illas Regularibus concessere facultates, certe ob alias rationes revocavere; has autem maioris ponderis Pontifices revocantes putarunt. Certe ratio adducta a Clemente XII in revocandis Constitutionibus Be-

nedicti XIII, ut scilicet pax in Ecclesia servaretur, lites et dissensiones auferrentur, et universis dominici gregis pastoribus, ac praesertim Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis liberum iurium suorum, quae summi Dei gloriam et animarum salutem respiciunt, in illorum Dioecesibus exercitium servaretur, potior est quam ratio adducta pro concessione privilegiorum Praelatis Regularibus, *ne* scilicet *homines religiosi vagari cogerentur;* huic enim incommodo sexcentis modis occurri potest; paci ecclesiasticae et Episcoporum iuribus, nescimus. Spiritus Sanctus enim posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei; atque indecorum videtur ut Regularis Episcopo in facultatibus praestet, eumque quem, facultatum defectu, non potest Episcopus absolvere, possit simplex confessarius regularis. Ita ratio adducta a Pio Papa IV in revocandis Regularium privilegiis, ut Tridentini scilicet decreta ab omnibus aequaliter servarentur, potior est omnibus rationibus quae afferri possent ad regularium privilegia defendenda. Ratio enim huiusmodi refertur ad bonum universalis Ecclesiae. Demum cum de Constitutionum revocatione constat, inutile est quaerere, utrum levi vel solida ratione revocatae fuerint.

Verum non hisce tantummodo ad dubitandum inducimur de authenticitate praefatae declarationis; Clemens enim Papa XII in Const. *Romanus Pontifex... gregis Dominici* lata die 12 Februarii anni 1732 revocavit, cassavit, abrogavit indulta, facultates, gratias, quae quomodolibet a Romanis Pontificibus concessae *vivae vocis oraculo* affirmabantur tam saecularibus quam regularibus, quae inter indulta n. 2 revocavit facultatem « absolvendi » quoscumque sive saeculares sive » regulares utriusque sexus a peccatis, poenis et censuris in litteris » die coenae Domini quotannis legi » et publicari consuetis, vel alias Sedi Apostolicae locorumve Ordinariis, aut Superioribus regularibus » quoquo modo reservatis ». Et n. VII revocavit facultates concessas vivae vocis oraculo « Dispensandi cum » quibusvis personis saecularibus » pariter vel regularibus super quabet irregularitate et inhabilitate quomodocumque ex delicto » vel defectu etiam prorsus occulti proveniente, tam pro exercendis susceptis, quam pro suscipiendis quibusvis ordinibus, ac » retinendis et assequendis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis ». Praelati igitur Regulares scripta facultate, sive reali privilegio absolvendi suos saltem subditos ab excommunicatione ob percussionem clerici non fruebantur; sin minus nec necessarium erat a Pontificibus illam impetrare *vivae vocis oraculo,* cum illam per scripta privilegia haberent; itemque inutiliter prorsus Romani pontifices illam concessissent, atque etiam sine ullo effectu revocassent; quid enim huius

revocationis Clementinae Regulares interfuisset, cum revocatam facultatem ex privilegio reali haberent?

Atque animadvertant lectores, Clementem notata in sua constitutione indulta, seu facultates, quae sunt quatuordecim, revocasse, etiamsi fuissent concessae « § 1, » quibusque utriusque sexus personis saecularibus et regularibus » cuiuslibet status, gradus, conditionis, praeeminentiae ac dignitatis.... nullis prorsus exceptis. »

Quisque autem facillime intelliget, Clementem XII ideo eiusmodi facultates *vivae vocis oraculo* concessas revocasse, quia cum a casibus S. Sedi reservatis nonnulli absolverent, atque scriptis facultatibus niti non possent, affirmabant se a Romanis Pontificibus facultates eiusmodi habuisse *vivae vocis oraculo*. Ipsa igitur concessio facultatum *vivae vocis oraculo* supponit Praelatis regularibus privilegia realia defuisse pro huius absolutionis excommunicatione. Quis enim umquam, nisi mentecaptus existat, a Romano Pontifice facultatem aliquam vivae vocis oraculo concedendam petit, si eam sibi competere ex Constitutionibus Pontificiis, ex Rescriptis Congregationum a Papa probatis cognoscat?

Utique dicturi erunt ipsum Clementem § 6. dixisse: « per praesentes non intendimus revocare supradicta indulta, facultates, gratias, » quae per quasvis litteras Apostolicas, etiam in simili forma brevis » expeditas vel rescriptas a S. R. E. » praefatae Cardinalium, aut Romanae Curiae Praelatorum, aliisve » almae Urbis Congregationibus edita, et ab eisdem praedecessoribus » approbata; nec non per dictum » Officium Poenitentiariae Apostolicae quandocumque concessa fuerint, seu emanaverint, quae salva » ac firma remanere volumus ».

Verum ex huiusmodi verbis tum solum adversarii nostrum argumentum, ni tamen opinio nos fallat, soluturi erunt, cum post Concilium Tridentinum in medium protulerint, sive Pontificiam Constitutionem numquam revocatam, sive aliquod Romanarum Congregationum decretum, nedum numquam revocatum, sed etiam a Romanis Pontificibus confirmatum vel approbatum, in quibus facultas absolvendi saltem subditos Regulares ab excommunicatione ob percussionem Clerici eis non ad tempus, sed per modum privilegii realis vel saltem mixti facta fuerit. Nescimus autem utrum eiusmodi documentum proferre possint.

Interea, ut certiores de re redderemur, doctum Praelatum Regularem habentem iurisdictionem quasi Episcopalem in dioecesi designata interrogavimus.

1°. An ante Costitutionem *Apostolicae Sedis* Praelati sui Ordinis haberent facultatem absolvendi subditos externos ab excommunicatione ob violentam in clericum vel Monachum manuum iniectionem?

2°. An hanc facultatem saltem haberent quoad suos subditos regulares?

Ad utrumque respondit *negative:* subdens, in factis particularibus Praelatos sui ordinis toties quoties petiisse a S. Sede Apostolica opportunas facultates.

Porro si Praelati Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in Dioecesi designata huiusmodi facultate carebant, quomodo arbitrari possumus eam ceteros praelatos Regulares dioecesi designata destitutos habere potuisse? Ceteris enim praetermissis; si hi hanc habuissent facultatem, habuissent etiam illi, sin minus ob communicationem privilegiorum.

Demum, quamvis huic quaestioni dirimendae aliqua diligentia animum applicuerimus, et documenta quaesiverimus, invenire non potuimus scripta argumenta nunquam revocata, quibus tuto Praelatis Regularibus eiusmodi facultates inesse persuaderemur.

Ut autem disputata in compendium redigamus, Praelati regulares si ante Constitutionem *Apostolicae sedis* atque post Concilium Tridentinum potuissent, ex privilegiis realibus, suos absolvere subditos regulares ab excommunicatione ob percussionem Clerici, id potuissent vel ob Pontificias Constitutiones numquam revocatas, vel ob facultates habitas a Romanis Pontificibus *vivae vocis oraculo,* vel quod comprehendendi sint sub Capite *Liceat,* vel per Rescripta et declarationes Romanarum Congregationum a Romanis Pontificibus probatas. Atqui, ex hisce Capitibus facultatem praedictam se habere Praelati regulares, saltem ut nobis videtur, probare non possunt. Ergo usquedum non proferant documenta, de quorum authenticitate dubium non occurrat, quibus se praedictam facultatem ante Const. *Apostolicae Sedis* ex reali privilegio habuisse demonstrent, (quo in casu haec quae scripsimus, quaeque non modicum laborem nobis attulerunt, ultro libenterque et publice retractabimus) licitum nobis erit in sententia, sine alicuius iniuria, manere.

Pro munere tamen nostro praeterire neque possumus neque debemus argumenta, quibus etiamnum Regulares nituntur ut adhuc illud sibi vindicent privilegium.

Dicunt itaque 1°. Pium Papam IX in cit. Cap. II. sancivisse: *exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus vel alius absolvat.*

Porro ex eiusmodi Pianis verbis cl. De Varceno, in suo Compendio Theologiae Moralis Tom. 1. pag. 229 concludit « Tantum hoc privilegium circa casus papales tam speciali modo reservatos, quam simpliciter reservatos cum censura Pius Papa IX per suam Const. *Apostolicae Sedis moderationi* Superioribus Regularibus reliquit, iuxta verba Art. II excommu-

» nicationum simpliciter reservata-
» rum : *exceptis quoad reservationem etc.* (1). »

2°. Id autem confirmari dicunt, ex quo si eiusmodi privilegium Praelatis Regularibus denegetur, nescitur quibusnam sit tribuendum.

3°. Alii affirmant, hanc facultatem in Praelatis Regularibus esse ordinariam, utpote qui fruantur iurisdictione quasi episcopali, atque sint comprehendendi sub Cap. *Liceat* Concilii Tridentini.

4°. Idipsum demonstrari pro-pugnant etiam ex dubio S. Poenitentiariae proposito anno 1873, in quo Regulares declarari petebant: *An Praelati Regulares post Constitutionem* Apostolicae Sedis *iisdem privilegiis gaudeant quibus antea?* absolvendi scilicet a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis; quibus se omnino persuasos ostendebant, ante Pianam Constitutionem iis privilegiis praeditos fuisse (2).

5°. Demum, S. Alphonsum de Ligorio, ut ceteros praetermitta-

(1) Idem cl. auctor loc. cit. prosequitur n. 2° Superiores regulares possunt « dispensare » in omnibus irregularitatibus occultis provenientibus ex delicto, excepto homicidio volun-» tario, ut Episcopi cum Dioecesanis, ex concessione SS. Pontificum, praesertim S. Pii V » qui hanc facultatem concedit etiam pro homicidio ante ingressum in religionem patrato. » 3°. Dispensare in irregularitatibus ex defectu quoad bigamiam similitudinariam, interpre-» tativam et etiam veram. Quia Constitutio S. Pii V facta pro Cassinensibus, et per com-» municationem aliis Regularibus 15 Iulii 1571, incip. *Dum ad Congregationem Cassinen-» sem* dicit: *cum eis dispensare in omnibus irregularitatibus quomodocumque contractis...* » et excipit tantum homicidium voluntarium. Neque est revocatum hoc privilegium a Tri-» dentino, cum sit concessum post ipsum Concilium cum clausula derogatoria omnium Con-» ciliorum. Modo haec Constitutio est posterior Bulla Xisti IV incip. *Regimini*, in qua » excipiuntur homicidium, bigamia etc. Ergo quomodo S. Pius V expressit excipiendum » homicidium, ideo expressisset etiam bigamiam. Ideo dicit Gury, *possunt dispensare quoad » bigamiam etiam veram.* Tuto igitur haec sententia in praxi teneri potest. »

Verum si praestantissimus vir et alii qui cum ipso sentiunt, eademque scribunt, ipso sancto Alphonso de Ligorio, quem subsequentes plerumque excribunt, non excepto, ad propugnandas eiusmodi Praelatorum Regularium facultates aliis documentis niti non possunt, nisi S. Pii V Bullis sive ad Cassinenses, sive ad Dominicanos, sive ad ordines mendicantes, nescimus an tuto in praxi illas facultates deducere possint. Certum est enim, ut ex disputatis patet, praedictas S. Pii V pro Regularibus latas Constitutiones revocatas in integrum fuisse a Gregorio XIII in cit. Const. *In tanta rerum.* Hinc ratio adducta, quod S. Pii V Constitutiones latae sint post Concilium Tridentinum nutat omnino: non enim ad constituendum Regularium privilegium satis est ut concessum iterum, vel confirmatum sit post Synodum Tridentinam, sed necessarium est, ut numquam fuerit revocatum. Adnotamus insuper contra praestantissimum virum quoad si Superiores Regulares ex facultatibus a S. Pio V concessis ad Cassinenses dispensare possent in irregularitatibus, id nedum in occultis, sed quibuscumque, cum S. Pius V dicat: *ex quavis causa, et ob quemvis excessum et delictum, publicum vel occultum, casu seu data opera.* Possent insuper absolvere a casibus in Bulla coenae aliisque Sedi Apostolicae reservatis. Quod neque ipse auctor fortasse admittit; dum tamen admittere deberet, si in privilegiis Superiorum Regularium defendendis S. Pii V Constitutionibus nititur.

(2) Lectores nostros monendos putamus, ne auctoribus, qui praesertim ante pianam Constitutionem de privilegiis Regularium scripsere, omnimodam fidem accommodent; unus enim alium plerumque excribit, quin documenta expendat quibus nititur; nonnulla quapropter Regularibus privilegia concedunt, quae prorsus concedenda non sunt.

mus, illam Praelatis Regularibus facultatem omnino attribuere.

Videndum hinc est quid hisce difficultatibus responderi potest.

Et quoad 1. Nullimode dubitandum est, quin adiectivum *alius* sit indeterminatum, nullam scilicet personam, vel classem personarum individuam designans, ita ut possit cuicumque applicari qui ante Constitutionem Pianam privilegio fruebatur absolvendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici vel Monachi. Hinc Piana verba hisce aequipollent. *Ii omnes post Constitutionem* Apostolicae Sedis *valeant ab eiusmodi excommunicatione absolvere, qui antea facultatibus opportunis ab illa absolvendi ex privilegio fruebantur.* Propositio igitur est conditionalis sequenti propositioni aequivalens: *Si qui ab eiusmodi excommunicatione ante Pianam Const. ex privilegio absolvere poterant, etiam postea absolvant.* Ergo antequam quis post Constitutionem Pianam illam sibi facultatem adsciscat, debet omnino certus esse, se antea habuisse illam ex vero privilegio facultatem. Nemo potest quapropter simpliciter affirmare, Pium Papam IX unicam hanc facultatem Praelatis Regularibus reliquisse, nisi antea probet, hos ante praefatam Constitutionem eiusmodi facultatem habuisse; si enim id simpliciter affirmare tentaverit, illico supponet quod in quaestione versatur. Ad rei uberiorem declarationem propositionem ad Syllogismum conditionalem reducamus.

Praelati Regulares post Pianam Constitutionem legitime ab excommunicatione ob percussionem Clerici contracta absolvunt, si antea eiusmodi privilegio gaudebant. Atqui antea eiusmodi privilegio gaudebant. Ergo Praelati Regulares post Pianam Constitutionem legitime absolvunt ab excommunicatione ob percussionem Cleri contracta.

Veritas igitur conditionis, seu minor probanda est, antequam Praelatis Regularibus attribuatur veritas conditionati, quae in consequente concluditur.

Atqui ex documentis quae attulimus potest ne Praelatis Regularibus *tuto* illa facultas ante constitutionem *Apostolicae Sedis* attribui? Nos dubitamus; attamen docti iudicium ferant.

Neque altera difficultate movemur, quod si Praelatis Regularibus illud privilegium denegetur, nescitur cuinam sit tribuendum. Voluntati enim legislatoris, legisque expressis verbis standum est; qua de causa cum privilegii collatio sit conditionata, nostra unius debet interesse, ut verificetur conditionis veritas. De cetero ex quo Regularibus Praelatis illud privilegium denegetur, nullum absurdum sequitur, nullimode lex frustranea redditur, neque ullum damnum sive ipsis Regularibus, sive aliis infertur; addimus, de legislatoris voluntate constare abrogandi Regularium

privilegia, illamque conditionatam concessionem usitatam etiam fuisse superioribus Pontificibus, qui Regularium privilegia renovarunt vel confirmarunt, dummodo sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis, Constitutionibus Apostolicis etc. non adversarentur; qua de causa haec difficultas antiqua est.

Dicturi ne erunt, quod si haec de vocabulo *privilegio* affirmentur, affirmanda pariter erunt de vocabulo *iure;* scilicet Pium Papam nonum etiam Episcopis ius illud conditionate confirmasse? Esto: Sed quid inde pro Regularibus? Nihil profecto: Episcoporum enim ius liquido constat ex capite *Liceat* Concilii Tridentini, quod firmum Pius IX esse voluit etiam in sua Constitutione. At idipsum voluisse pro Praelatis Regularibus dici ne potest? Nullo pacto. Certum interea videtur, quod si Pius Papa IX illam pro Episcopis in sua Constitutione sanctionem praetermisisset, scilicet, *Firmam tamen esse volumus* etc. neque Episcopis fortasse licitum fuisset ab eiusmodi excommunicatione absolvere. Certum est autem, illam pro Regularibus omnino praetermisisse.

Ad tertiam difficultatem patet responsio ex iam disputatis. Cum enim ex declarationibus S. Congregationis Concilii sub Cap. *Liceat* nedum non comprehendantur Praelati Regulares in genere, sed neque illi Praelati Regulares qui iurisdictione quasi Episcopali in Dioecesi designata fruuntur, nescimus quo iure affirmari possit, Praelatos Regulares esse sub illo Capite comprehendendos, et nullo pacto intelligimus, quomodo eorum potestas in casu possit esse ordinaria. Inutile autem putamus in memoriam revocare, facultatem illam Praelatis Dominicanis factam a S. Pio V, fuisse revocatam a Gregorio XIII; restitutam autem a Benedicto XIII, iterum in irritum fuisse deductam a Clemente XII. Nescimus autem a quonam Pontifice post hunc fuerit iterum Regularibus concessa.

At, dato etiam, nullimode tamen concesso, quod Praelati Regulares comprehendantur sub Cap. *Liceat*, possent tantummodo dispensare ab irregularitatibus omnibus et suspensionibus provenientibus ex delicto occulto, et in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicae reservatis; non autem a casibus publicis, vel ad forum contentiosum deductis.

Quid autem de quarta difficultate? S. Poenitentiaria simpliciter et unice ad dubium respondit: *An Praelati Regulares post Constit.* Apostolicae Sedis *possint absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis?* Atque respondit *negative, salvis* etc.

Fortasse S. Poenitentiaria affirmavit, privilegium illud ante Pianam Constitutionem Praelatis Regularibus fuisse? nullo pacto; sed neque affirmare intendit; id enim Regulares ab ipsa non petebant, quod per-

suasi postulantes fortasse essent, privilegium absolvendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici et sibi competere, et intactum a Pio Papa IX fuisse relictum.

Atque hinc: Postulantes per illa verba « An praelati regulares pos- » sint nunc suos subditos absolvere » a casibus papalibus in dicta Bulla » simpliciter reservatis » vel intendebant sub illis casibus comprehendere etiam casum percussionis clerici, vel non. Si primum; iam ex ipsa responsione S. Poenitentiariae, nulla fruuntur facultate ab illa excommunicatione absolvendi post Pianam Constitutionem, si tamen antea intentionem suam manifestaverint; si casum comprehendere noluerunt, iam S. Poenitentiaria nihil respondere intendit, aut respondit, quaestio remanet in statu quo, atque futiliter contrarium sentientes responso S. Poenitentiariae innituntur. Quin imo, cum S. Poenitentiaria sciret, inter casus simpliciter reservatos, esse excommunicationem ob Clerici percussionem, privilegiumque ab illa absolvendi illis conservari qui ante Pianam Constitutionem ab illa absolvere poterant, et tamen respondisse *Negative* relate ad omnes, nullo excepto, atque unice valere decrevisse *facultates quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis,* dum quoad excommunicationem ob percussionem clerici poterat ex ipsa Constitutione Piana excipere, fortasse ex hoc suspicari possumus, S. Poenitentiariae sententiam fuisse, ut neque ab illo casu post Pianam Constitutionem Praelatis Regularibus licitum sit absolvere.

De cetero omnes norunt, praxim Congregationum Romanarum esse, dubia proposita resolvere tantummodo iuxta tenorem quaestionum, quin sese intromittant ad resolvendas quaestiones adnexas, vel subauditas. Qua de causa etiamsi in supplici libello posuerint postulantes quaestionem: an praelati regulares post Constitutionem Apostolicae Sedis iisdem privilegiis gaudeant quibus antea; S. Poenitentiaria nihil omnino ad hanc historicam quaestionem respondit, sed tantummodo, quod post Pianam Constitutionem Praelati Regulares nequeunt a casibus papalibus absolvere in illa simpliciter reservatis.

5. At videamus quae S. Ligorio responderi possunt. Profitemur autem a principio, nos non loqui de iis quae de facultate absolvendi a casibus papalibus in genere Praelatis Regularibus S. Doctor attribuit; sed loqui tantummodo intendimus de facultate absolvendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici.

Itaque in Appendice II de privilegiis Cap. V n. 97 scribit: « Pos- » sunt tertio Regulares (Praelati) » absolvere suos subditos ab excom- » municatione ob percussionem et- » iam gravem et enormem et pu- » blicam, inflictam non solum reli- » giosis eiusdem Ordinis, sed etiam » alterius, et etiam Clericis saecu-

» laribus. . . . ex privilegiis Boni-
» facii IV et Clementis VIII. . . .
» dictum est *subditos*, quia neque-
» unt absolvere saeculares, cum hic
» casus limitatus sit Regularibus
» intra Italiam et extra Romam a
» Clemente, ut mox dicetur n. 99.»

At n. 99 haec S. Episcopus affirmat. « Olim mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice, quam ab Episcopis (1). Sed deinde decreto Clementis VIII an. 1602 confirmato a Paulo V an. 1617, et Urbano VIII an. 1627 limitata fuit praedicta potestas, et statutum fuit ne Regulares existentes extra Romam et intra Italiam possent absolvere saeculares (2) nec a casibus Bullae coenae, nec ab aliis sex sequentibus, scilicet 1. *a percussione clerici*. . . , Ita neque possunt absolvere saeculares a sex casibus Clementis, etsi occulti sint. Potestas enim quam habent Regulares ex Bulla Pii V, qua possunt absolvere casus occultos, quam habent Episcopi ex Cap. *Liceat*, est solum respectu suorum Religiosorum, non autem saecularium. »

Hoc in loco quapropter duo S. Doctor defendit. 1. Decretum Clementis VIII an. 1602 intelligendum esse de saecularium non regularium absolutione. 2. Eiusmodi potestatem absolvendi subditos regulares horum Praelatos habere ex Constitutione S. Pii V ad Superiores Ordinis Praedicatorum, non ex cap. *Liceat:* idque clarius repetit lib. VII Cap. 1. *De censuris in genere*, Dub. V n. 100.

Atqui primum subiacet omnibus difficultatibus, exceptionibus et argumentis, quibus probare conati sumus, decretum illud esse universaliter intelligendum, scilicet tam pro absolutione saecularium quam regularium, quamvis ultrò concedamus exceptionem *intra Italiam et extra Romam*. Alterum autem falsum omnino est, cum recensita S. Pii V Constitutio revocata fue-

(1) Nescimus quo sensu haec vera sint. Quaecumque enim Regularium fuerint privilegia ante Concilium Tridentinum circa potestatem absolvendi a reservatis Papae, certum est, haec per Tridentinum fuisse revocata, ut patet ex iis qua scripsimus. Post Concilium Tridentinum nescimus a quonam Pontifice fuerint Regularibus illa privilegia circa saeculares restituta, quae revocata saltem non fuerint; scimus insuper post Concilium Tridentinum Regularibus Praelatis privilegia concessa fuisse quantum ad subditos Regulares tantum, non saeculares, ut patet ex Constitutionibus relatis S. Pii V, et Benedicti XIII.

(2) In decreto cit. numquam lectores nostri reperient eiusmodi limitationem Regularibus factam absolvendi saeculares, cum nullibi haec innuatur distinctio. Adeo certum videtur quod decretum illud a casuum reservatorum absolutione tum saeculares tum regulares complectatur, ut deroget *omnibus Ordinationibus et Constitutionibus Apostolicis in favorem quorumcumque Ordinum seu Institutorum Regularium* etc. latis. *Omnibus*, inquit, non illi aut isti. Porro maxima harum Constitutionum pars, ne dicamus post Concilium Tridentinum, *omnes*, respicit, ut non semel diximus, facultates Praelatorum Regularium quoad subditos regulares. Quare nemo iure subsumeret, derogatum fuisse tantum Constitutionibus apostolicis, quae referebantur ad saecularium absolutionem.

rit a Gregorio XIII. Atque etiam dato, quod illa Constitutio adhuc vigeat, cùm facultas inibi concessa Praelatis Ordinis Praedicatorum respiciat tantummodo casus occultos S. Sedi reservatos, falsa erunt quae S. Doctor superius n. 97 scripsit: « Possunt regulares absolvere suos » subditos ab excommunicatione ob » percussionem etiam gravem, et » enormem et publicam. »

Adnotamus insuper, S. Doctorem in decernendis Regularium privilegiis nutare, seque incertum ostendere. Ut rem exemplo declaremus. Libro VII, n. 100 scribit: « Quoad » facultatem, quam Praelati Regulares habent erga suos subditos, » communiter docent Doctores, posse ipsos subditos absolvere ab » omnibus Papae casibus extra Bullam coenae ». Ex privilegio autem a S. Pio V Praelatis Ordinis Praedicatorum concesso « Praelati » regulares, inquit, in suos fratres » et moniales possunt idem quod » Episcopi in suos subditos vi Tridentini in Cap. *Liceat,* quod privilegium Concina asserit confirmatum fuisse cum aliis a Benedicto XIII in Const. 79 *Pretiosus* » edita an. 1727, quam etiam refert » P. Milante. Qui insuper refert, ab » eodem Pontifice concessam fuisse » facultatem absolvendi etiam a casibus Bullae coenae, exceptis relapsu in haeresim etc. Sed post » haec scriptum inveni quod Clemens XII in Bulla *Romanus* die » 30 Maii 1742 revocavit omnes » Constitutiones et privilegia, praesertim contenta in praefata Bulla » *Pretiosus,* concessa a Benedicto » XIII, omniaque reduxit ad pristinum statum. ».

At num. 104, proposito dubio: « An Praelati Regulares possint absolvere suos subditos religiosos » a casibus reservatis in Bulla Coenae, ac etiam ab haeresi ? » Postquam varias retulerit Theologorum opiniones, affirmativam sententiam amplectitur, scribens: « Hodie quaestio finita est ; nam Benedictus XIII in Bulla *Pretiosus,* cuius verba retulimus n. 101 novissime concessit Superioribus Ordinis S. Dominici, et per communicationem aliorum ordinum, » posse absolvere suos subditos, » nempe Fratres et moniales sibi » subiectas, a quibusvis censuris, » etiam in Bulla coenae, aliquibus » tamen exceptis. »

Quae quidem contradictoria sunt; ostenduntque S. Alphonsum documenta non expendisse, quibus Regularium privilegia niterentur; saltem post Clementis XII revocationes.

Pariter n. 107 quaerit S. Doctor: « An Praelati Regulares possint absolvere suos subditos a » censura ob percussionem alterius » religiosi aut clerici saecularis? » Atque respondet « Circa saeculares » nihil Regulares possunt, cum facultas absolvendi saeculares ab » hac censura sit ipsis expresse » adempta a Clemente VIII et Pau-

» lo V extra Romam et intra Ita-
» liam ». Postea rem definivit ex Cap. *Cum illorum* de sent. excom. in 6, scribens « Affirmatur, si reli-
» giosus percusserit alium eiusdem
» ordinis, nisi excessus, ut ibi di-
» citur, extiterit difficilis et enor-
» mis, utpote si ad mutilationem
» membri, vel ad effusionem san-
» guinis est processum, aut in Epi-
» scopum vel Abbatem violenta
» manus iniecta. Si vero percus-
» serit Religiosum alterius claustri,
» dicitur ibidem, quod per Abba-
» tem proprium, et eius qui pas-
» sus est iniuriam, absolvatur. Si
» autem percusserit clericum sae-
» cularem, dicitur, nonnisi per Apo-
» stolicam Sedem absolutionis gra-
» tiam poterit promereri. »

Atqui nec in hisce sibi constare videtur.

Etenim in Appendice II de privilegiis Cap. V, n. 97 scripserat ea quae iam retulimus, scilicet: « Pos-
» sunt tertio Regulares absolvere
» suos subditos ab excommunica-
» tione ob percussionem etiam gra-
» vem et enormem et publicam,
» inflictam non solum Religiosis
» eiusdem Ordinis, sed etiam alte-
» rius, et etiam *Clericis saeculari-*
» *bus*, ex privilegiis Bonifacii VIII
» et Clementis IV » (1) qui utri-
que ante Concilium Tridentinum vi-
xere, et quorum Constitutiones in casu fuere tum a Tridentino tum a Pio IV revocatae. Qua de causa affirmandum omnino est, S. Alphonsum nullimode hanc in Praelatis regularibus facultatem probare, vel tantum ex aliorum sententia, non sua.

Hisce praesenti quaestioni finem imponere possemus ; attamen non abs re erit aliquid de facultatibus disserere , quas in casus papales Praelati Regulares habent post Constitutionem *Apostolicae Sedis*, quique in ipsa Constitutione continentur. Dicimus itaque, eos nullam habere 1. quidem quia Pius Papa IX in cit. Const. unis Episcopis firmam esse voluit absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV cap. 6 de Reform. *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.* Quo in loco nomen *Episcopi* stricte accipiendum esse demonstratur, tum quod etiam in Concilii Tridentini capite stricte accipiendum erat, tum ex iis omnibus quae superius scripsimus. 2. Quia facultates Regularium, si quas habebant a casibus quibuscumque papalibus absolvendi, absolute revocavit « De-
» cernimus, in novis quibuscum-
» que concessionibus ac privilegiis,
» quae ab Apostolica Sede conce-
» di cuivis contigerit, nullo modo ac

(1) In Editione Bassani an. 1832, qua utimur; legitur Bonifacii IV, et Clementis VIII; at typographorum errore. Bonifacius enim IV Pontificatum gessit initio Saeculi VII ; Clemens VIII autem numquam Regularibus praedictam facultatem concessit. Addimus, Bullario Romano, quo nos utimur, illam Bonifacii VIII Constitutionem abesse.

» ratione intelligi umquam debere » aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, » explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia » aut facultates sive a Praedecessoribus nostris, sive etiam a nobis, cuilibet coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, » etiam regulari cuiusvis speciei, » etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore » huc usque concessae fuerint, ea » omnia, easque omnes nostra hac » Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volomus, prout » reapse revocamus, supprimimus » et abolemus, minime refragantibus » aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis Confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam » consuetudine, aut alia quacumque » firmitate roboratis, quibuslibet » etiam formis ac tenoribus, et cum » quibusvis derogatoriis, aliisque » efficacioribus et insolitis clausulis; » quibus omnibus, quatenus opus » sit, derogare intendimus, et derogamus. »

Quae Pii Papae IX revocatio adeo clara, aperta, et universalis est, ut iure mirari quisque possit, si de revocatione privilegiorum regularium omnimoda aliquis adhuc dubitet. Attamen ab aliquo praelato Regulari dubitatum fuit; qua de causa anno 1873 Sacrae Poenitentiariae relatum dubium propositum reperimus, scilicet: *An Praelati Regulares post Constitutionem Apostolicae Sedis, iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea;* (1) *id est an possint nunc suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis.*

Sacra Poenitentiaria die 5 Decembris eiusdem anni respondit: *Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.* (2) Quae quidem locum dubiis non porrigunt.

Qua de causa qui post Constitionem *Apostolicae Sedis* defendere auderet, ut aliqui Regulares adhuc defendunt, Pium IX, revocando Regularium privilegia in eiusmodi materia, eis non intendisse subditos suos a reservatis absolvendi auferre potestatem, quia illa absolutio est de iure communi; atque ius commune Praelatorum regularium esse, ut ipsi possint in subditos Regulares quod Episcopi in Dioecesanos ex Cap. *Liceat*, hic falsam doctrinam defenderet, ut ex expositis patere arbitramur.

Multo magis, illorum improbanda

(1) Hic optimam rem peregisset, si, posthabita huiusmodi indeterminata loquendi ratione, singillatim numerasset privilegia, quibus ante Pianam Constitutionem fruebantur Praelati Regulares.

(2) Acta S. Sedis Vol. IX, pag. 314.

sententia esset, qui absolute scribere non vererentur, Praelatos Regulares, post Pianam Constitutionem *ex iure communi* posse suos subditos Regulares absolvere ab omnibus casibus publicis vel occultis Summo Pontifici *sive speciali modo*, sive *simpliciter* reservatis, ea inducti ratione, quod Regulares censentur perpetuo impediti adire Romam. Haec enim e diametro opponuntur clausulis revocatoriis in Piana Constitutione contentis, tum S. Poenitentiariae declarationi, tum illi apertissimo documento, quod ante Constitutionem Pianam, Praelatis regularibus fas non erat a casibus in Bulla coenae contentis absolvere; facultates enim eis circa eiusmodi absolutiones factae, revocatae fuerant. Porro excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatae, omnes vel fere omnes e Bulla coenae desumptae sunt. Demum qui haec defendit persuasum esse putamus, Pium Papam IX clausulas revocatorias latae a se Constitutioni nullimode pro Praelatis Regularibus apposuisse, sed pro aliis qui Regulares non erant, neque sunt, quique nescimus quibus absolvendi a reservatis Papae Privilegiis gauderent. Paucis, hunc persuasum esse putamus, etiam post Pianam Constitutionem, in vigore esse integrum *mare magnum*.

Si enim Praelati Regulares possunt adhuc absolvere subditos Regulares *ab omnibus casibus publicis vel occultis, Summo Pontifici sive speciali modo, sive simpliciter reservatis; quia haec potestas competit Praelatis Regularibus de iure communi, et Constitutio Piana nihil in ius commune immutavit;* stat prorsus *ipsum mare magnum* et quid amplius; nam Xistus IV in cit. Const. *Regimini universalis Ecclesiae* diei 31 Augusti 1474 (hanc datam notent lectores), quaeque *Mare magnum* vocatur, pro sua conscientia et criterio, §. 5. *ut dispensantium et dispensatorum* (Regularium) *pro tempore puritati conscientiae consuleret, saltem* declaraverat, *Religiosos haereticos, relapsos, schismaticos, et qui literas apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam merito destinandos.*

Qui vero supradictam sententiam defendunt, nihil omnino excipiunt. Et hoc post Constitutionem *Apostolicae Sedis*.

Risum teneatis.

ADDITIO AD APPENDICEM IX.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA ABSOLVENTES COMPLICEM IN PECCATO TURPI

RESPONSIO

Ad Rmum Canonicum N. N. Theologiae Moralis Professorem ea impugnantem quae pro cl. Patris Ballerini sententia in citata appendice edisseruimus, et alias nostras sententias.

Nemo suspicetur velle nos contra doctissimum oppositorem manus conserere. Absit. Quin immo plurimas ei gratias referre putamus, quod eximium animi sui amorem nobis ostenderit, illas in cit. caput observationes instituendo, quas ad nos sub die 4 Iulii transmisit. Norunt enim omnes, contradictione et oppositione quaestiones lucidius dirimi, verasque sententias solidius probari, atque tum praecipue, cum adversa argumenta ab iis proponuntur, qui acri praediti ingenio, s. Theologiae moralis volumina, nocturna versant manu atque diurna; quod profecto de praestantissimo adversario nostro credere oportet.

Universam eius argumentationem ad verbum, quantum nobis fas erit, in idioma latinum fideliter transferemus (italice enim ipse scripsit), ne quis suspicetur ad sensum alienum nos praeclarissimi viri verba detorsisse; singulis autem animadversionibus opportunas responsiones subiiciemus.

Scripsit igitur.

« Ea libertate, quam mihi humanitas tua ultro libenterque » concedit, liceat mihi sententiam » meam exponere circa duas opiniones, quas tu in Commentario » super Constitutionem *Apostolicae* » *Sedis* defendis.

» Et primum, multiplici de capite convenire tecum non possum in illa opinione, quam propugnas in fasciculis I et II Voluminis IX et X. (seu in Appendice Nona, pag. 316 et seqq.) circa illam personam, quae ni peccatum turpe Confessario complici confiteatur, longo temporis tractu Sacramentali absolutione carere deberet: tu affirmas, eam in tali casu valide et licite a Confessario complice absolvi posse; cuius opinionis praeco et defensor fuit cl. Pater Ballerinius.

» Equidem tanti viri auctoritatem expendere haud immoror, qui in suis Commentariis super P. Gury singulares opiniones propugnavit, de contradictione illum

» insimulans, dum ipsemet sibi » contradicit, ut auditoribus meis » demonstravi; et in suis quaestio- » nibus cum Ligorianis, nonnulla » quaedam, nec levia exaravit, sa- » tis manifesta, (haec videat ipse » cl. Ballerinius); sed potius ipsam » quaestionem aggredior. Brevitati » studebo.

» Quando agitur de lege irri- » tante, exceptio aliorum aequitati » non relinquitur, sed probanda est » aut contemplata, aut clare in ipsa » lege inclusa. Atqui lex haec est » irritans, et gravissime fulminans » *(gravissimamente fulminante)*, » exceptio autem a te admissa fun- » datur in pura quadam epicheia » et latissimo quodam sensu, quae » excluditur terminis generalibus » et gravissimis legis ipsius, utpote » quae et verbis et spiritu admit- » tit possibilis exceptionis duas tan- » tummodo causas, infamiam scili- » cet publicam complicis, atque » amissionem aeternae salutis poe- » nitentis; quae causae locum in » tua exceptione non habent; non » prima, cum tu de ea nullam » mentionem in universa tua dis- » cussione casus praesentis instituas, » quam ego iterum iterumque le- » gi. Quod si revera illa subesset » infamia, neque facile removeri » posset, etiam ego tuam opinio- » nem admitterem; sed tu neque » illam supponis, cum de ea, ut » dixi, nullam mentionem facias: » non alia causa; nam agitur de » poenitente, quae sanitate fruitur, » quae sibi divinam gratiam com- » parare potest, aut ad alia loca di- » vertendo, ut peccata sua confi- » teatur; aut actus doloris, amoris » precumque emittendo, in quan- » tum ipsi possibile est. Cui pro- » pterea, si urgeat praeceptum » paschale, et alium Confessarium » adire non possit, neque evitare » scandalum aut infamiam, nedum » permitto, sed sine ulla animi hae- » sitatione eam hortor ad sacram » Eucharistiam suscipiendam. Hic » enim casus in Concilii Triden- » tini dispositione includitur, cum » urget scilicet praeceptum Con- » fessionis, et non datur Confessa- » rii copia.

» Dignum et iustum est ut poe- » nitens sentiat admissi peccati con- » sequentias, ex quo voluntarie se » privavit facilitate et consolatione » confessionis.

» Tanta animi compassio quia » fuit principalis peccati causa non » videtur conformis neque rationi, » neque legi.

» Quid enim dicturus esses, si » causa morbi immedicabilis, aut » mortis, aut fugae Parochi alicu- » ius, nullus alius in regione illa » adesset Confessarius ad excipien- » das fidelium confessiones ap- » probatus? Dicturus ne esses, » fidelium confessiones peractas » apud simplicem sacerdotem va- » lidas esse et licitas, etiamsi ille » rerum status durare multis de- » beret annis? At manifestum est, » Confessarium complicem se ha-

» bere ad complicem suum uti simpli-
» cem sacerdotem. Ita affirmat Bene-
» dictus XIV in citata Constitutione. »

Ea animi reverentia qua ferimur erga doctissimum s. Theologiae moralis Professorem, videamus an ea quae contra cl. Ballerinii et nostram sententiam hucusque scripsit, undequaque solida sint.

Et primo. Quamvis sincere fateamur, a plurimis utriusque iuris peritis affirmari, in lege irritante nullam aliorum aequitati committi exceptionem, seu epicheiam non dari, fatemur etiam ab aliis eiusmodi sententiam respui, et quidem ni fallimur, solidiori ratione.

Negandum certe non est, virtute atque iustitia quamlibet legem ita communiri debere, ut iis carere nullomodo possit. Si igitur epicheia et virtus, et iustitia sit, non videmus quanam de causa a lege irritante sit excludenda.

Porro s. Thomas 2. 2. Q. 120 duos articulos de Epicheia seu aequitate proponit; in quorum primo probat Epicheiam esse virtutem, in altero eam esse iustitiae partem.

In primo haec scribit: « Quia
» humani actus, de quibus leges
» dantur, in singularibus contingen-
» tibus consistunt, quae infinitis
» modis variari possunt, non fuit
» possibile aliquam regulam legis
» institui, quae in nullo casu defi-
» ceret, sed legislatores attendunt
» ad id quod in pluribus accidit,
» secundum hoc legem ferentes;
» quam tamen in aliquibus casibus
» servare est contra aequalitatem
» iustitiae, et contra commune bo-
» num quod lex intendit: sicut lex
» instituit quod deposita reddantur,
» quia hoc ut in pluribus iustum
» est; contingit tamen aliquando
» esse nocivum, puta si furiosus
» deposuit gladium, et eum repo-
» scat dum est in furia; vel si ali-
» quis reposcat depositum ad pa-
» triae impugnationem. In his ergo
» et similibus casibus malum est
» sequi legem positam; bonum
» autem est, praetermissis verbis
» legis, sequi id quod poscit justi-
» tiae ratio, et communis utilitas.
» Et ad hoc ordinatur epicheia,
» quae apud nos dicitur aequitas.
» Unde patet quod epicheia est
» virtus. »

Et in articulo II inquit Angelicus: « Epicheia est pars iustitiae
» communiter dictae, tanquam ju-
» stitia quaedam existens. »

Ex quibus haec liquido deducuntur. 1°. Sanctum Thomam in citatis articulis loqui de legibus in genere, consequenter etiam de lege irritante.

2°. Eum affirmare in qualibet lege epicheiam locum habere, eo quod non sit possibile legem statuere quae in nullo casu deficiat.

3°. Legislatores attendere ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes; qua de causa eos nec omnes casus praevidere, nec sub lege comprehendere, utpote qui attendant ad id quod in pluribus accidit, non absolute in omnibus.

4°. Servare legem in aliquibus casibus esse contra aequalitatem iustitiae, et contra bonum commune.

5°. Hinc in aliquibus casibus legis dispositionem esse praetereundam, atque servandum quod poscit iustitiae ratio.

6°. Epicheiam et esse virtutem et esse iustitiam quamdam existentem.

Si autem virtus et iustitia cuiuslibet legis esse debent, nonne etiam epicheia seu aequitas? Fortasse lex irritans non versatur circa humanos actus qui in singularibus contingentibus consistunt? Immo prorsus, cum ea sit quae actus humanos nedum illicitos, sed etiam invalidos reddat. At hi actus circa quos lex irritans versatur nonne consistunt in singularibus contingentibus quae infinitis modis variari possunt? Nemo certe id inficiabitur. Quomodo igitur a legislatore omnes praevideri, et sub lege concludi potuere? Quanam hinc ratione a lege irritante excludi Epicheia poterit?

Quid enim aliud epicheia est, nisi benigna, seu aequa legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, *quamvis in verbis legis non exceptum*, sese extendere non censetur, quippe illum legislator *aut non praevidisse aut comprehendere non voluisse* prudenter creditur? Epicheiae igitur obiectum sunt illa prorsus singularia contingentia quae cum non contingant in pluribus, a legislatoribus ad id attendentibus quod in pluribus accidit, nec praevideri, nec sub lege concludi potuere.

Quin immo ex s. Thomae inconcussis principiis illud audacter affirmabimus, de cuiuslibet legis essentia etiam irritantis esse epicheiam.

Cum enim haec sit iustitia quaedam existens independenter a legibus, legi cuilibet anterior esse debet, et est. At iustitia cuilibet legi anterior et a lege plane independens, a nulla humana lege sive abrogari sive posthaberi potest, quin ipsi iustitiae quae de essentia cuiuslibet legis est, vulnus infligat.

Insuper bonum publicum numquam a lege eliminari potest, quia de essentia legis est ordinari ad bonum commune; atqui ex divo Thoma, epicheia pertinet ad bonum commune; unde ergo separari a lege poterit? Tertio in articulo II cit. scribit: *Epicheia est quasi superior regula humanorum actuum.*

Hinc cum lex actiones humanas respiciat; harum vero superior regula sit epicheia, necessario sequitur, quod sicut ab humanis actionibus numquam epicheia separari potest, quin absque superiori regula consistant, ita neque a legibus, quaecumque eae demum sint, cum leges humanas omnes actiones pariter respiciant, easque dirigant atque moderentur. Qua de causa ex principio ab Angelico doctore statuto, tum foret tantummodo possibile a legibus epicheiam excludere, cum hae vel ad actiones humanas non respicerent, vel hae sine superiori regula consistere possent, quod est impossibile.

Hinc cum lex irritans inter leges accensenda sit, cum ad actiones humanas ita referatur, ut de earum nullitate decernat, manifestum esse putamus, ei omnimodis epicheiam convenire, ni velimus dicere vel eam non niti iustitiae praeexistenti et ut ita dicamus, absolutae, vel actus humanos, ad quos ipsa respicit, destitui superiori regula.

Hinc si lex irritans inter leges accensenda est, de eius pariter essentia epicheia esse debet.

Atque ita certe visum est doctissimo Roncaglia qui *Moralis Theologia universa, Tract. III. de Legibus, Cap. III. Q. II.* proposita quaestione: An Epicheia locum habeat respectu omnium legum? indubitanter respondet: *Certum est Epikeiam locum habere respectu legum humanarum; cum etenim humanus legislator non possit omnes casus particulares praevidere, et solum respiciat quod communiter accidit, remanet locus, ut aliqui casus particulares non dicantur inclusi in ipsius mente, adeoque nec in lege* (1).

(1) Atque praetermittere non putamus ea quae circa Epikeiam tantus doctor scribit loc. cit.; etenim ad elucidandam praesentem quaestionem plurimum conferunt: « Si ratione vere probabili probetur, hunc vel illum casum non censendum esse » comprehensum a Legislatore, vel quia datur circumstantia quae non potuit ab ipso » praevideri, vel quia datur aliqua particularis ratio, quae non est communis caeteris » casibus eiusdem speciei; vel quia melius obtinetur finis intentus a Legislatore diversimode agendo, ac ille praescripserit etc. tunc potest habere locum epikeia.

» Secundo habet locum Epikeia si finis legis deficiat contrarie; quia nempe » ipsius observantia esset damnosa Communitati, vel alicui particulari, ut ex Inconsulto observat S. Thomas, 1–2, q. 96, art. 6; nam tunc iniquum esset praesumere legislatorem suam legem voluisse observari.

» Tertio locum habet Epikeia quando observatio legis redditur onerosa et » valde difficilis; nam leges... debent esse accomodatae communi hominum conditioni, adeoque non valde difficiles et onerosae. Si reddantur proinde valde difficiles et onerosae, non intelliguntur comprehensae in mente legislatoris; et ita in » similibus casibus particularibus licite contra verba legis operamur ».

Brevius Frassinetti: Epikeia habet locum quoties lex fieret aut noxia, aut nimis onerosa et difficilis. *Ha luogo ogni volta che la legge addiverrebbe o no-*

Idipsum autem fatetur La Croix *Theologia moralis, lib. 1. de Legibus* § 3. n. 831. « Epikeia, inquit, ha» bet locum in lege humana, non » tantum quando duae leges sibi » contradicunt, sed etiam in quavis » lege, per se loquendo, quia legis» lator humanus scit se non esse » omniscium, nec posse praevidere » omnia, unde patitur sic corrigi » legem suam, debuitque sic velle, » ut se accommodaret infirmitati » eorum qui erant obligandi. »

Neque S. Alphonsum praetermittimus, qui de Legibus lib. 1. Tract. II. n. 201. scribit. » Haec Epi» keia non solum locum habet in » legibus humanis (qualis est prorsus » ea Benedicti XIV in casu) sed » etiam in naturalibus, ubi actio » possit ex circumstantiis a malitia » denudari. »

Hae autem praeclarissimorum virorum rationes desumptae sunt ex Divo Thoma qui ex iuris naturae principiis argumenta sua mutuatus est.

Non nos equidem latet, quod etiam ab initio fassi sumus, alios praeclarissimos doctores contrarium scribere, scilicet epikeiam locum in lege irritante non habere; vere ut sincere loquamur, eorum rationes non admodum solidae visae nobis sunt, collatae praesertim cum cit. Aquinatis testimonio.

Ideo enim affirmant, a lege irritante epicheiam esse excludendam, *quia leges irritantes non attendunt ad casus et rationes particulares, sed praecise ad rationem communem, et pariformitatem actuum.* Conig. apud Schmalzgrueber Part. 1. Tit. II. de Interpr. Legis n. 19.

Verum, nonne quaelibet alia lex attendit ad rationem communem, et ad bonum commune? Nonne plures aliae leges, sive civiles sive canonicae, quae tamen irritantes non sunt, attendunt, et praecipiunt pariformitatem actuum? Si igitur ex quo lex irritans attendat praecise ad rationem communem et pariformitatem actuum epikeiam excluderet, eam excluderent etiam aliae leges quae ad idipsum attendunt quin tamen sint irritantes; hinc eiusmodi ratio nimis probat, proindeque nihil; pariformitas insuper actuum

civa, o molto gravosa e difficile. Compendio della Teologia morale, Delle leggi Tratt. 2, n. 42.

Atque praeclarissime etiam Auctor *Summulae Theologiae Moralis ad usum Seminarii Reatini Vol. 1, pag. 103, Not. 36.* Epikeiae est locus cum lex observari non potest 1. sine iniustitia, 2. sine incommodo gravi, 3. quando durius est eam servare.

Quid autem, liceat nobis id quaerere, quando, ni epikeia admittatur, evadit, saltem per plurimos annos, impossibilis observantia legis ecclesiasticae de praecepto annuae confessionis et communionis? Atque de cetero probabilius constat, legem in casu latam fuisse pro iis locis, in quibus adest Confessariorum copia?

optime in lege irritante servatur, etsi epicheia in ea admittatur, cum exceptio non destruat universalitatem; tertio huiusmodi assertio e diametro opponitur principiis a S. Thoma in cit. testimonio statutis; 4. illa pariformitas actuum refertur ad actiones extrinsecas, et ad forum externum, nos autem agimus de foro interno, scilicet de Sacramento Poenitentiae, in quo ad rationes et casus particulares omnino attenditur. 5. Etsi concedere velimus, legem irritantem non attendere ad casus et rationes particulares, tamen id affirmandum esset de iis casibus, de quibus possit probari quod potuerit aliter fieri, non autem necessariis, quia necessitas non habet legem; neque de ijs qui vires humanas excedunt, qualis prorsus est casus mulieris Ballerinianae, quae, cum alio confessario destituatur, gratiam divinam recuperare tantummodo posset per actum verae contritionis, cuius contritionis largitio non ab homine, sed a Deo pendet. Atque hinc nunquam supponi potest legislator voluisse epicheiam excludere etiam pro illo casu, cui remedium afferre in hominis potestate non est. Id enim summam iniustitiam redoleret. E contra epicheia non admittitur nisi in casibus, de quibus rationabiliter concludi potest, quod si legislator eos praevidisset, non comprehendisset sub lege, ideoque de casibus extremis, scilicet eiusmodi munitis circumstantiis, quae ni absolutam, necessitatem tamen inducant.

Hinc sapientissime Schmier lib. 1. Tract. 1. Cap. 1. Sect. 2. § 5. n. 214. « Casus necessitatis nullo » vinculo cohiberi, nulla lege con» tineri potest.

Atque Cap. V. Sect. IV. § III. n. 245. « Leges ecclesiasticae irri» tantes non habent vim in casu » necessitatis, quando forma per » leges praescripta observari non » potest. »

At casus qui epicheiae subiicitur, nonne necessitate semper munitur?

Hinc si a lege irritante epicheia foret excludenda, vel quia eam non patitur legis irritantis natura, vel quia de facto in lege irritante numquam epicheia seu exceptio facta fuit: Atqui primum ex dictis admitti non potest.

Si autem et alterum falsum sit, ex hoc ipso iterum falsu erit etiam primum.

Atqui res certissima est, in legibus irritantibus et epicheiam inductam, et exceptiones factas fuisse.

Nonne enim, ut aliquod proferamus exemplum, in lege canonica irritatur consecutio fructuum beneficii ab eo facta qui Horas recitare omittit? Et tamen si quis eas

sine culpa omittat, fructus facit suos.

Pariter in Cap. *Si quis suadente* absolutio Clericum vel Monachum percutientis uni Romano Pontifici reservatur; qua de causa irrita absolutio esset ab aliis collata; et tamen quot casus illo in capite non excepti, excipiuntur?

Ita ex Tridentini (1) et Ecclesiae lege irrita et nulla est eorum confessio qui Confessario non accusant omnia peccata mortalia, quorum hic et nunc conscientiam habent; at norunt omnes infirmitatem extremam, loquelae defectum et temporis, periculum vitae poenitentis, Confessarii, aut tertii, periculum famae, violationis sigilli et scandali vel lapsus ab integritate materiali Confessionis excusare.

Pariter ex Cap. *De rebus Ecclesiae non alienandis* nullus est contractus venditionis si fiat sine legitimis S. Sedis facultatibus. At Redoanus apud Schmier loc. cit. variis probat exemplis, in casu necessitatis extremae, quando periculum est in mora, res ecclesiasticas sine solemnitate eiusmodi alienari posse, quam sententiam, inquit Schmier, inclita facultas nostra (Salisburgensis) iuridica, non ita pridem, in gravi quadam controversia consulta, veriorem iudicavit.

Idem, aliud addit his verbis exemplum. « Sic matrimonium sine » Parocho contractum in locis ubi » Parochus haberi non potest, uti » in quibusdam locis, India, Hollan- » dia, Frisia, Anglia etc. valet, non » obstante decreto irritante Tri- » dentini Concilii Sess. 24. de Re- » form. matrim. cap. 1. prout Car- » dinales expresse declarasse feruntur. » (2)

Quin imo validum erit matrimonium contractum sine Parocho non obstante impedimento clandestinitatis, si adsit impotentia saltem communis in illa provincia, adeundi proprium Episcopum vel Parochum.

Atque ab afferendis aliis exemplis abstinemus, cum certe praestantissimo theologo nota sint.

Licitum hinc sit nobis argumentari: si in lege irritante epicheia excludi non debet ob eius naturam,

(1) Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, a.s.

(2) En Tridentini decretum: Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.

si de facto in ea epicheia inducta est; ergo non admodum firma praestantissimi theologi sententia videtur, dum dicit: « Quando agitur de » lege irritante, exceptio aliorum » aequitati non relinquitur etc. »

Ex hoc ergo capite contra Ballerinianam exceptionem nimis fidenter fortasse argumentatus est; contra quam argumentari debuisset principio vel axiomate undequaque certo, ne de illo argui posset, ab initio scilicet quaestionis id uti certum supposuisse quod in quaestione versatur. Ideo enim Ballerinii sententiam falsam proclamat, quia in lege irritante non datur exceptio. Id autem a praestantissimo Theologo *probandum* non *supponendum* erat. Quare de universa eius argumentatione duobus verbis nos expedire possemus, respondendo scilicet: *Negamus suppositum.*

Verum Aquinatis auctoritate et illa corruunt, quae postea cl. Professor subdit, *exceptionem,* scilicet, *probandam esse aut praevisam, aut clare in lege inclusam.* Primo enim cum exceptio aut praevisa aut clare in lege inclusa est, non est amplius exceptio proprie dicta, sed partem legis constituit, sicut partem legis constituit obligatio absolvendi complicem in periculo mortis vel infamiae, ni tamen alia obsistant. 2. Epicheia prorsus committitur aliorum aequitati, ut ex definitione patet; at exceptio clare inclusa in lege, vel a legislatore praevisa seu contemplata aliorum aequitati non committitur. 3. Eiusmodi sententia ipsi rationi repugnat, per quam epicheia est necessario admittenda; ideo enim admittitur, quia, ut scribit Angelicus « non fuit possibile aliquam » regulam legis institui quae in nullo » casu deficeret, eo quod humani » actus, de quibus leges dantur, in » singularibus contingentibus con- » sistunt, quae infinitis modis variari » possunt. » Casus ergo qui epicheiae subiicitur, est casus a lege deficiens, ideoque non contemplatus, multoque minus clare in lege inclusus.

Quisque autem animadvertit, ex disputatis et illa falsa esse quae postea subdit cl. Professor, legem scilicet Benedicti XIV duas tantummodo *possibilis exceptionis* causas admittere, infamiae et mortis periculum. Quod enim has duas exceptiones Benedictus admiserit confitemur, quod autem hae duae exceptiones excludant omnes alias possibiles exceptiones, seu epicheiam concedere non possumus; gratuitam enim assertionem cl. theologus obtrudit, legem scilicet, quae duas tantummodo exceptiones admittit, nullam aliam admittere; quod est, legem irritantem quae unam vel aliam exceptionem admittit, nullam aliam admittere posse; quod adhuc ab

ipso probandum est. Quid enim si Benedictus unum mortis periculum, infamia Confessarii omnino praetermissa, excepisset, ut id prorsus perfecerat in Const. *Sacramentum Poenitentiae?* Dicere certe debuisset, Confessario infamiam incurrendam esse, quia possibilis exceptionis unam tantummodo causam Benedictus admisit. Quid autem si praeter illas duas, possibilis exceptionis alias quatuor admisisset causas? Certe scribendum cl. Professori fuisset, possibilis exceptionis sex tantummodo causas esse admittendas, quia sex tantummodo Benedictus admisit. Et tamen haec falsa forent, quia cum humanae actiones infinitis modis variari possint, semper aliqua actio dari posset quae sub epicheia esset comprehendenda. Ne igitur severus adeo sit contra Ballerinianum casum, ut aeterno fortasse discrimini infelicissimae mulieris, de qua agimus, animam exponat.

Ne autem tempus frustra teramus; cum quaestio haec sit: *utrum lex irritans unam vel aliam tantummodo exceptionem expresse permittens, quamlibet aliam excludat;* praestantissimus oppositor affirmantem sententiam probet, et postea ad eius argumenta adhuc adducenda respondebimus.

Nescimus autem quomodo affirmare potuerit, nos in defendenda Balleriniana exceptione numquam de infamiae periculo mentionem fecisse; inquit enim: *de ea* (infamia) *nullam mentionem in universa casus tui discussione instituis.* At fortasse nimis fidenter. Quandoquidem cl. Ballerinius haec habet: « Quid » et ubi populi scandalum, et mu» lieris sequatur infamia, si palam » fiat, eam ad poenitentiae Sacra» mentum numquam per plures an» nos accedere? *Com. pag. 316.* » *col. 2.* » Nos vero scripsimus pag. 319. col. 2. « Idque non so» lum ad vitandum infamiae peri» culum, quod facillime subesset, » sed ad medendum conscientiae, » quae iam longo tempore pecca» torum pondere oneratur. » Atque pag. 333. Col. 1. « Non video quo» modo vel sacrilegia, vel infamia » tum Confessarii, tum poenitentis » possint evitari. Paucis: Pro hoc » casu militant plus minus omnes » illae rationes quae pro casu mi» litant a cl. Ballerinio supra pro» posito, atque iisdem criteriis est » resolvendus. »

De infamiae periculo igitur locuti fueramus, quod periculum in casu Balleriniano evidens quodammodo est; nemo enim suspicari quid grave non posset, dum per-

spicit mulierem antea pietati et religioni studentem, etiam Paschatis tempore, si sacerdos in mulieris pago degat, vel ea occasione qua ad pagum sacerdos sese confert, ut Sacramentis paucos illos christianos reficiat, sacramentis abstinere.

Non inficiamur tamen, nos de infamiae periculo obiter fuisse locutos, quia ea in sententia versamur, huic infelicissimae mulieri licitum esse a Confessario complice absolutionem Sacramentalem accipere, ne longo tempore Sacramentis privetur.

Equidem praeclarissimus Professor id absolute negare videtur, quia agitur de poenitente quae sanitate fruitur, quaeque sibi divinam gratiam comparare potest vel ad alia loca sese conferendo, ut peccata sua confiteatur, vel actus doloris, amoris precumque emittendo in quantum ipsi possibile est.

Verum in hisce affirmandis praestantissimus Professor statum quaestionis immutavit, proindeque verbis, non argumentis ludit. A cl. Ballerinio casus his verbis propositus fuit: « Quid enim fiat si alicubi mu» lier quae misere in eiusmodi pec» catum cum Sacerdote lapsa fue» rit, nullum alium, quocum pec» catum illud sacramentaliter con» fiteatur, Sacerdotem ibi habeat; » ea vero sint personae, loci etc. ad» iuncta, ut ad quaerendum Con» fessarium alio divertere non pos» sit, nec spes affulgeat (ut con» tingere v. gr. in locis Missionum » potest) *alium Sacerdotem umquam* » *illuc adventurum?* » Atque hoc in casu, in his rerum adiunctis tum Ballerinius tum nos affirmavimus, hanc mulierem posse a Confessario complice absolvi.

Tu vero, professor praestantissime, dicis, mulierem eiusmodi posse ad alia loca divergere ut peccata sua confiteatur. Atqui hoc in casu neque Ballerinius, neque nos umquam scripsissemus, eam a Sacerdote complice absolvi posse.

Ideo vero illa Professor noster affirmavit, quod putaverit, in locis Missionum Sacerdotes frequentiores esse; quid autem si cognovisset esse rariores? christianos vix semel in anno, saltem aliquibus in locis, missam audire? Aliquando nec in articulo mortis eos Sacerdotem habere? Unum Sacerdotem destinatum esse in aliquo territorii tractu, qui ad ducenta, tercenta et quatercenta millia passuum extenditur? Ea loca viis deficere? Aliquando bestiis ferocissimis infestari? Atque ipsos Sacerdotes aliquando, ut nos ab ipsis Missionariis audivimus, quinque, sex, et etiam septem annos, quousque scilicet alius Sacerdos non superveniat, vel per ea loca transeat, sine Sacramentali confessione praeterire? etc. etc. etc.

Hinc qui Ballerinii sententiam impugnat, et extremo rigori indulgens, et qualibet animi pietate destitutus est traducendus.

Neque nobis vir clarissimus irascatur, si et illam paritatem nega-

verimus, quam paullo post instituit, Sacerdotem simplicem inter nondum ad excipiendas confessiones adprobatum vel undequaque suspensum, qui in oppido aliquo unicus degat, et confessarium complicem, cui complicis absolutio a Benedicto quarto decimo interdicitur. Etenim simplici Sacerdoti confessiones fidelium excipere interdictum est iure communi et ordinario, et nos loquimur de casu extraordinario, qui non communiter, neque in locis ubi plures sunt Confessarii verificari potest, sed in locis Missionum, in locis ubi unicus adest confessarius, nec spes adest ut alius adveniat etc. Qua de causa comparatio institui non potest neque debet simpliciter et absolute inter legem et legem, sed inter, si ita loqui fas est, extrema legum, inter casus scilicet, de quibus quaeri potest: an si eos Legislator praevidisset, comprehendisset sub lege. At si sub eiusmodi respectu paritatem instituamus, ut profecto instituenda est, nos inferre poterimus, quod sicut simplici Sacerdoti in articulo vel periculo mortis (quod periculum ad tanta extenditur quanta novit praestantissimus professor) non est illicitum confessiones fidelium excipere, eosque a quolibet peccato et censuris absolvere, ita neque Sacerdoti complici in casu Ballerinano.

Paritas rationis igitur in adducto ratiocinio neganda est omnino. Sed si cl. Professor mavult, eam concedimus: Quid inde? Profecto nihil inferre poterit, nisi supponendo quod in quaestione versatur. Quaestio enim est: utrum pro casu a cl. Ballerinio proposito locum habeat epicheia. Negat Professor, eo quod confessarium complicem relate ad poenitentem complicem Benedictus reduxerit ad conditionem simplicis Sacerdotis. Id negare possemus, quia simplici Sacerdoti ad confessiones non adprobato, licitum non est, infamiae causa, fidelium confessiones excipere eosque absolvere, prout licitum sacerdoti complici est (1); si vero id tantisper concedamus: profecto quaerere possumus et quaerimus; ita ne illa Benedictus sancivit, ut excepto mortis et infamiae periculo, nulli alii exceptioni, nulli prorsus, ipse det locum? Alias: Lex Benedicti prout iacet epicheiae non subiacet? Alias: Casus Ballerinianus epicheiae beneficio excludendus est? Haec antea probet, non supponat, adversarius noster: et postea paritatem concedemus.

Prosequitur praestantissimus Professor: « Verum quae in eiusmodi » quaestione consideranda sunt, ea » sunt certe quae ex illa sequuntur. » Ponatur hypothesis quod in va» stissimo terrae tractu, Parochus

(1) Et aliam differentiam adnotamus: complicem scilicet posse iterum a Confessario complice audiri et absolvi, postquam complicitatis peccatum alii confessario accusaverit, absolutionemque retulerit. Confessarius complex quapropter relate ad complicem non se habet ut simplex Sacerdos; cum hic nullius confessionem excipere, nisi in articulo mortis, possit.

» tantummodo ad confessiones fide-
» lium excipiendas sit approbatus;
» hic cum legerit sententiam a te
» propugnatam, validam scilicet li-
» citamque esse absolutionem com-
» plicis, si poenitens longo tempore
» Sacramentis abstinere debeat, non
» ne ex hac ipsa impunitate ad mala
» perpetranda compelletur? Ipse se-
» curus est quod infelix poenitens
» alio divertere non poterit, ut alii
» confessario peccatum suum con-
» fiteatur, propter viarum anfractus
» et longitudinem ; et eo magis,
» quod in oppido viciniori deficit
» Parochus, cui nemo adhuc sub-
» stitutus fuit; securus ergo pariter
» est, fore ut complex ad se re-
» vertatur ne diutius Sacramentis
» Poenitentiae et Eucharistiae ca-
» reat, et quod ipse eam poterit
» licite et valide absolvere. Et quo-
» niam ei eiusmodi opinio valde
» commoda est, facile illam insi-
» nuat cum gravissimo animarum
» damno, Sacramenti profanatione
» et contemptu legis, quae quamvis
» gravissima, redditur inutilis.

» Quibus stantibus, dico et as-
» sero, quod etiamsi haec opinio
» in abstracto defendi posset, nullo
» pacto eam praedicare et propa-
» gare convenit, ob lugenda con-
» sectaria quae ex ea certo certius
» dimanare possent.

» Omnimodis standum legi est,
» qua abusus eliminentur iuxta Ec-
» clesiae spiritum, quae in hoc facto
» est inexorabilis ; compassionem
» vero animi ei tribuere convenit,
» qui poenitens culpam deflet, non
» autem illi qui ex benignitate legis
» ansam peccandi sumit. »

Expendamus haec pauca. Imprimis nescimus, quo mentis criterio ex sententia a cl. Ballerinio et a nobis propugnata deduci possit, Confessarium animum sumere ad mala perpetranda, cum videat infelicem poenitentem ad se necessario reverti debere, ut admissorum peccatorum absolutionem referat. Ex eiusmodi enim sententia per se contrarium sequitur; non intelligere enim non potest Confessarius complicem suam ad ipsum reverti, eo quod nulli alii Confessario conscientiam suam aperire potest, non reversura, si potuisset; qua de causa etiam intelligit, ex legis praescripto se nullimode infelicissimam mulierem absolvere posse, atque id tantummodo permitti ratione exceptionis iis in circumstantiis necessario admittendae, ne mulier fere perpetuo sacramentis abstineat, atque evidenti periculo se exponat sine absolutione sacramentali decedendi. At vero eiusmodi considerationes nedum per se animos ad peccandum non addunt, sed ob Confessarii oculos ponunt gravitatem scelerum, quibus se commaculavit; efficiuntque, ni omnem conscientiam abiecerit, ut modis omnibus curet suam et mulieris complicis aeternam salutem. Eiusmodi meditatio qualitercumque instituta. *Ego cum mea poenitente peccavi; ob eiusmodi gravissimum scelus me et illam in infernum con-*

ieci; mihi, nisi me sceleris sincero corde poeniteat, spes non suppetit Confessario eiusmodi peccatum confitendi, et neque illi quia Ecclesia me absolvendi complicem facultate privavit. Interea si moriamur, quid erit nobis? Attamen si complex mea ad me revertatur eam absolvere potero? Qua de causa? qua lege? Quia credo, Ecclesiam in sua materna pietate casum hunc praescripto legis excipere, et mihi facultatem illam absolvendi tribuere, ne Sacramentis longo tempore privetur; nullus enim est Sacerdos cui commissum peccatum confiteatur etc. etc. Haec ne, meditatio, frater charissime, animos ad peccatum addit, et non potius Confessario suadebit ut modis omnibus infelicissimae mulieris salutem procuret? Nobis ita videtur, et rogamus humiliter ut idipsum tibi videatur; sin minus Lectores iudicent et discernant inter causam meam atque tuam.

Sed esto: Confessarius eiusmodi pessimis stimulis angatur; quin immo, cum omnem pudorem abiecerit, tempus expectet, quo in idipsum reverti possit. Quis umquam docuit, a claris. Professore quaerimus, Confessarium eiusmodi se illi periculo exponere debere, ut mulierem infelicissimam absolvat? Quis umquam scripsit, Confessarinm qui non miseranda fragilitate semel aut iterum peccavit, sed qui eiusmodi vitio laboret, proindeque nullo Dei timore munitum, quin immo omni posthabito Omnipotentis iudicio, vel cum intentione iterum mulierem tentandi debere sui complicis confessionem audire eamque absolvere? Vel ubinam in Ballerinii lucubratione vel nostra scriptum reperitur, mulierem hanc posse Confessario illi peccata exponere, cum quo, non semel aut iterum miseranda fragilitate peccavit, sed inhoneste pluries conversata est; quemque dum hinc videt nullo Dei angi timore, nullaque sancta conversatione teneri, illinc sese sentit turpissima concupiscentia abripi? Haec neque Ballerinius, neque nos diximus, scripsimus, aut cogitavimus umquam.

Atque videat praeclarissimus Professor an de mendacio nos arguere possit. Pag. 319 Col. 2. relato cl. Gousseti monito, haec nos scripsimus: « Quod quidem monitum for» tasse ne et illum Confessarium » urgebit, qui miseranda fragilitate » semel aut iterum lapsus, poeni» tentiae lacrimis peccata sua de» tersit, atque de cetero officio suo » solerter satagere studet, idque for» sitan ipsi poenitenti complici in» notescit? »

Atque per universam paginam 320 eadem prorsus adstruximus; quae inter haec speciatim notare debuisset. « Abstinendum autem poe» nitenti suaderem ministerio Con» fessarii complicis, si ab eo sor» didiora sibi forent timenda, si eum » videat vitiis abreptum, si nullo » bono nomine potiri, si, paucis, » lupum oves diripientem atque ma» ctantem, non pastorem pro eis

» animam ponentem, seque de ce-
» tero ad vitia pronum agnoscat.

Equidem non negamus, nos affirmasse, posse poenitentem complicem etiam a tali Confessario absolutionem accipere cuius sententiae ratio est, quia eiusmodi epicheia non in Confessarii, sed in bonum poenitentis admittenda est, et quidem semper iis in circumstantiis, quibus propositum a se casum Ballerinius communivit: at perpendat quibus conditionibus illa affirmavimus.

« Non enim (pag. 320. col. 2.)
» eiusmodi poenitentem tali Confes-
» sario deterrerem, (semper in casu
» Ballerîniano) si se divina gratia
» conversum sentiens, atque ante-
» actis sordibus undequaque abhor-
» rere, paratumque se potius mori,
» quam in Deum suum iterum pec-
» care, confidat pessimi Confessarii
» suggestionibus se posse resistere,
» eique in faciem stercus praeva-
» ricationum eius proiicere; abes-
» set enim iis in circumstantiis pe-
» riculum novi lapsus, adesset autem
» ipsius Confessarii potens corre-
» ctio; non erubescere enim de sua
» iniquitate non posset, cum videret
» poenitentem quandoque compli-
» cem suum sanctiore spiritu reno-
» vatum, se vero adhuc in sordibus
» volutari. »

Huius vero sententiae rationes sequentes dedimus pag. 321. Col. 1.
« Iis enim in angustiis atque ne-
» cessitate, quibus infelix poenitens
» versatur, ius ad Sacramentum re-
» conciliationis habere diffitebitur
» nemo; Confessarium vero etsi pec-
» catis indulgeat, etiam Sacramen-
» torum administratione velle abuti
» rem dubiam esse, idque poeni-
» tenti non innotescere; (non enim
» agimus de poenitente quae solli-
» citata ad turpia fuerit in actu Sa-
» cramentalis Confessionis) hunc in-
» super aut tali Confessario, aut
» nemini toto fortasse vitae suae
» decursu posse peccata exponere
» in propatulo esse. » Non egimus ergo de Confessario qui commodam sibi sententiam nostram vjdens, vel ea ad peccandum abutitur, vel eam insinuat cum gravissimo animarum damno (1); neque egimus de poenitente quae in prava consuetudine cum Confessario versetur, et ex nostra seu Ballerini sententia animos ad peccandum sumunt; sed de Confessario et de poenitente post peccatum ad Deum plane conversis, vel de poenitente ad Deum plane conversa, quae Confessarii complicis non admodum sanctitati studentis ministerium petit, de quo tamen nescit an etiam confessione abuti velit ad peccandum.

Quare doctissimus Professor Bal-

(1) Notare debuisset Professor noster, Ballerînium et nos loqui de locis, in quibus unus tantummodo Confessarius adest, nec spes affulget ut alius superveniat, ut contingere in locis Missionum potest; quare abusus quem ipse timet locum non habet si mulier non degat in Sacerdotis pago, cum vix quotannis Sacerdotem externi videant; quod si mulier in Sacerdotis pago degat, notet Professor spatium *sex mensium*, de quo Ballerinius, et iis remotis circumstantiis, quas Ballerinius non recensuit, admisit autem Professor noster.

lerinio et nobis ea attribuit quae numquam scribere somniavimus; eumque rogamus hisce suppositionibus abstinere.

Idque eo magis quod ipse nostrae sententiae adstipulari videtur. Affirmat enim, omnem animi pietatem ei adhibendam qui admissa crimina luget, non ei qui benignitate ad peccandum abutitur. »

Ergo si Confessarius admissum peccatum poenitens defleverit, complici suo dignos pariter fructus poenitentiae agenti absolutionem impertiri poterit. Sin minus cui animi pietas tribuetur? Ergo si benignitate ad peccandum non abutatur, iis in circumstantits quibus versatur poenitens, poterit ex benigna legis interpretatione eam audire et absolvere. Quandoquidem unum excipit Professor; abusum scilicet benignitatis, seu sententiae nostrae ad peccandum. At id nos quoque excipimus.

Iis autem quae a cl. Theologo subduntur pauca sunt respondenda. Subdit autem:

« Sublata publica infamia et pe» riculo mortis aeternae, seu iuxta » verba legis, articulo mortis, nulla » dari potest exceptio, nisi solide » antea probetur eam in lege sub» intelligi, praesertim cum agatur » de re maxime lubrica, et de lege, » quae maxime confert sanctitati et » Sacramenti decori, cui quaelibet » quamvis minima relaxatio funesta » est nimis. »

Haec iam falsa demonstrata sunt, eo quod lex irritans epicheiam admittit, quamvis in ipsa lege expressis verbis exceptiones proponantur. Sententia, quae affirmat, legem irritantem nullam aliam exceptionem pati praeter eas quae a Legislatore vel suggestae vel praevisae, vel in ipsa lege inclusae sunt, est falsa, contradicit ipsius epicheiae definitioni, et opponitur citatae S. Thomae doctrinae. De cetero casus Ballerinianus in lege inclusus dici non incongrue potest, cum lex lata pro iis locis supponenda sit, in quibus adest Confessariorum copia, prout doctissimus Ballerinius notavit.

Proseguitur Theologus: « Si venia » absolvendi complicem quae com» plici conceditur, utrique esset oc» casio seductionis, quod nedum val» de probabile et facillimum est, » sed in genere dici potest certis» simum; hoc in casu diceres ne » licitam et validam Confessionem » ex parte poenitentis, et absolu» tionem ex parte Confessarii, ma» xime cum hic in tuis Ephemeri» dibus *Acta S. Sedis* legerit, eam » validam et licitam esse in casu, » quo poenitens longo tempore ab» stinere Sacramento Poenitentiae » deberet, atque hinc percipit etiam » posse se cum libuerit ad rem » turpissimam redire? Est adeo gra» vis eiusmodi consideratio, ut quam» vis Confessario subeunda esset » perpetua infamia, et poenitens » aeternae morti exponenda, si Con» fessarius videat et clare cognoscat « in se secuturam ex confessione

» poenitentis seductionem et con-
» sensum, certissime (in tutta scien-
» za) affirmo, ipsum potius pati de-
» bere infamiam et publicum scan-
» dalum, potius quam se exponere
» certissimo periculo peccati, sacri-
» legii et impietatis. »

Ad haec respondeat ipse oppositor. Eiusmodi quaestiones nec proposuimus, nec ex disputatis a doctissimo Ballerinio vel a nobis sequuntur, ut ex dictis satis patere arbitramur. Attamen unum a cl. opponente quaeremus: Quid si Confessarius videat et clare cognoscat, nihil ex iis quae Professor noster timet, secuturum, utpote qui de admisso scelere sincere doluerit et doleat? Paratus insuper sit perpetratis cum complice peccatis remedium undequaque apponere? Atque de cetero eae sint circumstantiae loci, temporis, personarum, quas Ballerinius proposuit?

Sed ex disputatis a cl. Ballerinio vel a nobis nec sequuntur quae Professor addit. « Benedictus XIV
» in libro de Sacrificio Missae di-
» scutit casum possibilem Sacerdotis
» actu ad altare celebrantis, qui
» gravi oneratus peccato, insuper
» prava animi affectione illectus,
» adeo *diaboli laqueis* perstringan-
» tur, ut neque actum contritionis
» et detestationis admissi vel com-
» mittendi peccati in se excitare va-
» leat, neque propositi in illud non
» labendi. In tali casu definit, Sa-
» cerdotem illum discedere ex alta-
» ri debere *sacrificio infecto,* quam-
» vis ex hoc sequeretur pro Sacer-
» dote publica infamia, et pro fi-
» delibus scandalum; ratio est, quia,
» ut ipse dicit, omnium horum ma-
» lorum gravius est peccatum mor-
» tale et gravissimum sacrilegium
» quod ipse committeret indigne
» consecrando, vel se et alios com-
» municando.

» Post haec quid in casu nostro
» dicendum de illo Sacerdote com-
» plice? Hic, ut iam innui, nullam
» ipse timere potest infamiam si
» audire vel absolvere complicem
» recuset; illinc maxima praesum-
» ptio contra ipsum exurgit, quod
» stante impunitate, qua in tali casu
» potest complicem suam audire et
» absolvere, se exponet horribili se-
» ductioni. Et post haec ei conce-
» dendum est ut licite complicem
» suam audiat et valide absolvat,
» ea tantum de causa ne infelix
» mulier longo tempore Poenitentiae Sacramento privetur? Quid si
» utrique certum seductionis peri-
» culum subeundum esset, cuius in
» tali casu nemo non videt sum-
» mam probabilitatem, immo mo-
» ralem certitudinem? »

Haec, inquam, ex Ballerinii casu non sequuntur. Praestantissimus adversarius quaestionem exagerat et immutat, ut ex recitatis superius testimoniis satis patere arbitramur. Quaestio non est: an Confessarius ex confessione complicis seductionem et periculum consensus timens debeat complicis confessionem excipere; multoque minus si pericu-

lum eiusmodi tum Confessario, tum poenitenti immineat. Haec neque Ballerinius neque nos docuimus, aut cogitavimus umquam.

Quod si ex iis quae nos scripsimus pag. 320 col. 2. posse scilicet infelicissimam mulierem in Ballerinianis circumstantiis constitutam et ad Deum conversam, uti ministerio Confessarii complicis, a quo etiam sordidiora posset timere, exinde non ea sequuntur quae adversarius timet. Etenim 1. non sequitur, Confessarium cum eiusmodi animi diabolica dispositione debere complicis confessionem excipere; quamvis sequatur, absolutionem, quam complici sincere poenitenti et dolenti impartitur, validam esse, quia exceptio est in favorem poenitentis. 2. nec sequitur, Confessarium etiam Poenitentiae Sacramento velle abuti ad seducendam mulierem; huic saltem rem dubiam esse, quod apertissime scripsimus. 3. multoque minus sequitur, utrique novi lapsus periculum imminere; immo contrarium, cum ex conversione poenitentis, exemplum Confessarius conversionis sumeret.

At audiamus praestantissimi theologi conclusionem.

« Ergo propositio hisce limitibus » coarctetur: excluso probabili se- » ductionis periculo, si rationabiliter » (*fondatamente*) timeatur publica » infamia et scandalum, mulier mul- » tis annis poenitentiae Sacramento » abstinere deberet, et deficientibus » aliis mediis phisice et moraliter » possibiliter propriae conscientiae » consulendi, tunc in quaestionem » vocari poterit (*si potrà discutere*) » an complex possit licite et valide » complicem absolvere. Ego autem » negativae sententiae adstipula- » rer. »

Ita ne Professor egregie? Sed quo conscientiae dictamine? Benedictus XIV apertissime sancivit, posse a Confessario complice licite et valide complicem absolvi, si secus, *posset infamia aut scandalum in Sacerdotis complicis, aut personae poenitentis praeiudicium redundare.* Comment. pag. 309. 310, idque etiamsi alius Confessarii copia daretur; et tu dicis, quod etiamsi timeatur rationabiliter (fondatamente) publica infamia aut scandalum, *poterit in quaestionem vocari* an complex possit complicem absolvere; idque in casu Balleriniano, in quo alius Confessarii copia non datur? Numquid tu maior es Patre Nostro Benedicto qui dedit nobis legem, eamque observari voluit? Etenim tu illam immutas et negas; immutas quidem, cum ad infamiam addideris *publicam*, quod adiectivum in Benedicti lege desideratur; negas autem, quia etsi tantus Pontifex Confessario complici facultates absolvendi complicem reliquerit, si huic Sacramentum Poenitentiae recusare *sine gravi* (non publica) *aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat*, tu tamen neganti sententiae adstipularis? Nonne id est extremo et iniusto rigori indulgere?

Sed perpendamus rationes, quibus ad suscribendum negativae sententiae Professor noster inducitur. « Ego tamen, iuquit, neganti sen» tentiae adstipularer. 1. quia casus » est nimis abstractus, cum mihi » valde difficile videatur, in eo non » subesse seductionis periculum, » aliudque non suppetere medium » ad divinam gratiam recuperan» dam, 2. quia ex eo mali animum » fidenter sumerent ad male agen» dum (*ad imperversare a man* » *salva*), dum quisque facile se» ipsum illudit, putans non adesse » seductionis periculum ubi revera » adest. »

Atqui praedictae rationes nutant omnino. Et praetermisso quod *animum sumere ad male agendum*, vel quaelibet inhonesta perpetranda, (id enim melius respondet *all' imperversare a man salva*) non est *sibi facile illudere non adesse periculum ubi revera adest*; qui enim aliquid periculosum agit eo quod putet in ea actione periculum non esse, animum non habet quaelibet inhonesta perpetrandi; hoc, inquam, praetermisso, prima ratio nutat, 1. quia ex quo casus sit nimis abstractus, non sequitur a Sacerdote complice dari complici absolutionem non posse. 2. quia ex casu a Ballerinio proposito per se non sequitur seductionis periculum adesse, ut iam probavimus. 3. quia reapse in expositis a Ballerinio adiunctis aliud non suppetit medium ad divinam gratiam sacramentaliter recuperandam, quia *unicus sacerdos adest, nec spes affulget ut alius superveniat*. 4. Quod si per illud aliud medium intelligat Professor posse mulierem infelicissimam divinam recuperare gratiam mediante actu sincerae contritionis (quod faxit Deus) huic difficultati primo cum Ballerinii verbis respondebimus. *At enim ubinam et quando ista culpa clavibus Ecclesiae subiicietur*? Com. pag. 317. col. 1.

Secundo vero, id est iterum supponere quod in quaestione versatur; dato enim etiam quod per actum contritionis divinam gratiam haec poenitens recuperare possit, quaestio integra manet: an exinde debeat longo temporis tractu Sacramento Poenitentiae abstinere iis in circumstantiis in quibus versatur.

Alteri argumento iam respondimus, ubi diximus, ex Ballerinii sententia Confessarios animum ad peccandum per se sumere non posse. Addimus tamen, praestantissimum theologum hoc in loco falsa suppositione ludere. Quamvis enim verum plerumque sit, in locis Missionum Sacerdotes rariores esse, tamen exinde sine Missionariorum omnium iniuria concludi non posset, (neque id adversarius noster concludit) illos haec agere quae vel Ballerinii casus supponit, vel melius adversarius timet, cum Missionarii, ut plurimum Sancto Spiritu ducantur: qua de causa, hi perversi utique esse poterunt unus vel alter, plurimi nunquam. In locis autem, in quibus

Sacerdotes frequentes sunt, Ballerinius non supposuit casum a se propositum dari, neque pro iis illam casui resolutionem dedit.

At prosequitur adversarius « Comparatio difficilis navigationis (nos scripsimus *longam*, non difficilem) vel partus a te instituta relate ad casus reservatos locum non habet in casu nostro. 1. quia facta illa vere habentur ut pericula mortis, quamvis in praesenti materia Benedictus XIV dicat articulum, non periculum; dum in nostro casu nullum adest periculum, multo minus articulus mortis. 2. Quia illis in casibus nullum supponitur seductionis periculum, dum in casu nostro, si tua admittatur opinio, maximum supponitur. »

Perpendamus haec pauca. Comparatio a nobis ideo instituta fuit, ut probaremus in legibus irritantibus casus a theologis exceptos fuisse, qui stricto verborum sensu excipiendi non erant; ab iisdemque articulum mortis, qui, stricto et naturali verborum sensu, intelligitur homo sub fine vitae constitutus, ideoque gravissima detentus infirmitate, ex qua mors secutura timeatur, de periculo quoque fuisse interpretatum, ut in aliis legibus ita et in Benedicti lege; haec Professor praestantissimus certe novit. At illud mortis periculum ad quot alia extensum fuit? Ceteris praetermissis, etiam ad eos qui se longae navigationi committunt, aut captivi sub infidelibus degunt; hi ergo etiamnum a Sacerdote complice absolvi poterunt, si alius Sacerdos, a quo absolvantur, desit. Atqui dici ne potest, eos qui nunc praesertim temporis longae navigationi se committunt, vel captivi apud infideles degunt, versari in articulo vel periculo mortis? in periculo proximo minime; secus non adeo facile longas navigationes quique susciperent, ut fieri tamen quotidie videmus; atque idipsum dicito de iis qui captivi apud infideles degunt. Ergo versantur in periculo remoto. At pericula mortis remota nonne imminent etiam mulierculae illi infelicissimae, de qua Ballerinius? Ergo paritas a nobis inducta subsistit.

Deinde quaestio non est, ut iterum id in memoriam cl. Professoris revocemus, an mulier illa absolvenda sit ob periculum mortis, vel infamiae; eiusmodi enim quaestio ab eodem Benedicto sublata fuit; sed an absolvenda sit a complice, quia secus longo tempore Sacramentis abstinere deberet; an haec circumstantia benignam exceptionem mereatur; alias: an si Benedictus eiusmodi casum praevidisset, excepturus eum fuisset. Professor fortasse negat, sed nulla ratione; at Ballerinius rationes adiunxit 1. quia Benedictus supposuerit, *quod fere contingit, ac multo magis per eam aetatem contingebat, alios non deesse sacerdotes, a quibus poenitens iuxta legem a Christo constitutam peccati sui remissionem per Confessionem et Sacramentalem absolutionem*

quaereret. 2. Quod Ecclesiae mens et praxis numquam haec extiterit ut fideles gratiam reconciliationis quaererent solum per contritionem (1), aut per indirectam criminum absolutionem. etc. Dolemus profecto, nullam ex adductis a doctissimo Ballerinio rationibus, a cl. Professore fuisse confutatam. Et tamen id ipsi agendum omnino fuisset.

An autem maximum seductionis periculum adsit in audienda complicis confessione, vel illam absolvendo, dum vel Confessarius, vel poenitens, vel uterque (quae sunt conditiones a nobis appositae) perfecte ad Deum conversi sint, iudicent lectores.

Prosequitur Theologus: « Non in» ficior, statum miserrimae mulie» ris quae multis annis carere Sa» cramentali absolutione debet, ani» mi pietatem concitare. Sed prae» terquamquod ipsamet culpabiliter » illo in statu sese coniecit, sibi im» possibilem sacramentalem Confes» sionem reddendo; praeterquam » quod illo statu se liberare valeat, » quamvis cum gravissimo incom» modo, vel ad alia loca transmi» grando, vel tempus opportunum » expectando, quod generice multis » annis retardare nequit, et interea » sibi gratiam divinam comparare » repetitis actibus contritionis et cha» ritatis, et ad Sacram Eucharistiam » accedere cum urget praeceptum, » aut circumstantia, vel cum id pos» sit sine infamia aut scandalo; af» firmo, quod Legislator universa» lis, cuius est consulere bono com» muni, non potest, nec debet at» tendere ad bonum privatum quan» do istud publico opponitur. Atqui » quod infelix mulier exponere pec» cata sua in Sacramentali iudicio » non possit est malum privatum, » cui individuum sanitate fruens » semper potest remedium appo» nere; at quod complex non possit » complicem absolvere interest Ec» clesiae universae, decoris Sacra» menti, honoris Sacerdotii, glo» riae Dei, cuius ulterior offensa le» ge adeo severa impeditur. »

Verum quid sunt haec? Numquid ex quo quis data opera peccet, indignus venia censetur, si poenitens peccata defleverit? Quid, si mulier ut plerumque evenit, eiusmodi legem ignoraverit? Atque etiamsi casus pro iis sit, qui non data opera, et veluti ex condicto peccent, sed pro iis qui miseranda fragilitate semel vel iterum in peccata eiusmodi prolapsi fuerint, numquid eiusmodi lapsus in Ballerinii circumstantiis epicheiam excludunt? Quid quod mulier nequeat ad alia loca transmigrare, nec spes affulgeat ut alius superveniat Sacerdos, ut casus propositus diserte dicit? Interea, inquit Professor, espectet tempus opportunum, quod multis annis retardare nequit. Ergo ne aliquibus annis Sa-

(1) Hic quaererem: Quid si hunc actum perfectae contritionis, quem difficilem non esse nemo negaverit, mulier in se excitare non valeat ?

cramentis abstinere haec mulier debebit, ut confessionem instituere possit, dum theologi longum tempus ad sex computant menses, dum Ecclesia praecipit ut saltem semel in anno, fideles Sacramentum Poenitentiae atque Eucharistiae suscipiant? Quid si interea moriatur, ut non semel nec raro in locis Missionum contingit, quin Sacerdos accurrere possit? Exponenda ne mulier periculo erit ut sine absolutione Sacramentali decedat? Numquam ne legit Professor noster, S. Franciscum Xaverium septem annis transegisse quin peccata sua Sacerdoti exponere in Sacramentali Confessione posset? Et infelicissimae huic mulieri septem annis expectandum erit? Fortasse minus, sed etiam fortasse plus; adeo ut horrendo discrimini committatur, ut neque in mortis articulo cum Sacramentali absolutione decedat. Et qua de causa? Quia lex interdicit Confessario complici complicem absolvere praeterquam in infamiae vel mortis periculo. Haec noveramus. Sed nullam aliam exceptionem lex Benedicti patitur? Atque si patitur, casus Ballerinianus nonne exceptionem meretur? Illud probet, hoc neget solido argumento adversarius, et dicemus *Amen*.

Interea huic mulieri impossibilis evadit legis ecclesiasticae observatio quae imponit annuam peccatorum confessionem et eucharistiae sumptionem. Si sacro chrismate delinienda esset, ut contingit aliquibus in locis, in quibus confirmationis sacramentum aetate plus minus viginti annorum recipitur, illud sine sacramentali absolutione recipere deberet, si nubere velit, matrimonium sine sacramento poenitentiae contrahendum ipsi esset, si aliquod iubilaeum, vel indulgentia plenaria lucranda, id perficere non poterit etc. Ministerio enim complicis uti non potest, atque nullum ex hac omissione intercedit scandali et infamiae periculum, ut supponere in praesentiarum volumus. Quid ergo? Dici ne potest Legislator lege sua impossibilem reddere voluisse observantiam aliarum legum praestantiorum et utiliorum? Dici ne potest legem transgredienti onus voluisse gravissimum imponere, dum reapse in latis legibus nullum quodammodo imposuit, cum peccatum complicitatis neque reservarit? Interea Ecclesiae voluntas est, ut haec mulier gratiam divinam recuperet. At quo pacto? Nullum aliud medium superest quam aut confiteri sacerdoti complici, aut a Deo gratiam contritionis expectare. Primum, ut vult theologus, mulier non potest; alterum pendet a Deo, quem nemo obligare potest ad gratiam illam contritionis largiendam. Si igitur mulieri facultatem denegabimus utendi ministerio confessarii complicis pro divina gratia recuperanda, conditionem imponimus quae eius facultates excedit. Impossibile autem est ut id Benedictus XIV sancire voluerit.

Quid insuper affirmat theologus

« legislatorem universalem, cuius est consulere bono communi, non posse neque debere attendere ad bonum privatum quando istud publico opponitur?

At dabit veniam si eum ad epicheiae definitionem remittamus. Nonne enim haec respicit semper casum particularem, ideoque bonum individuale? Nonne de cetero quaevis lex etiam naturalis epicheiam admittit? Si igitur ex quo legislator debeat bono communi consulere, sequeretur ad bonum privatum eum attendere non debere nec posse, sequeretur a lege esse epicheiam excludendam, quamvis, iuxta S. Thomam, ea sit virtus, pars iustitiae, immo iustitia quaedam existens, et quasi superior regula actuum humanorum.

Equidem adversarius dicit, non debere attendere ad bonum privatum quando istud publico opponitur.

Verum haec nescimus quodnam ei suffragium porrigant. Imprimis enim epicheia est exceptio legis; qua de causa legis dispositioni generali contradicit. 2. Potest ne affirmari, bonum privatum quod respicit epicheia, opponi bono publico quod respicit lex? Nequaquam; et quia malum, non bonum, opponitur bono, et quia epicheiae bonum ponitur, iuxta S. Thomam in iustitia quadam existente, quae pertinet semper ad bonum commune, eaque est virtus; qua de causa epicheiae bonum est generalius ipso bono quod per legem intenditur; et quia ante Benedicti XIV legem alia lex adest universalior, ut quis, scilicet, gratiam Dei consequatur mediante Sacramentali absolutione, et ne quis longo tempore Sacramento Poenitentiae abstineat; et demum, quia omnes theologi, Canonistae et iurisperiti semper epicheiam admiserunt, quin putarint eam bono communi opponi, immo putantes eam ad bonum commune pertinere.

Hinc falsa omnino est cl. adversarii minor, scilicet ad universae Ecclesiae bonum, ad Sacramenti decus, ad Sacerdotii honorem, ad Dei gloriam pertinere ne complex complicem absolvat; haec enim vera esse non possunt, quando poenitens longo tempore Sacramentis abstinere deberet, atque fortasse de aeterna salute periclitari; quando nullum timetur malum vel improbabile; quando creditur, legislator fore ut casum praescripto legis exclusisset, si eum praevidisset; haec enim omnia nulli bono opponuntur, et ad bonum commune pertinent.

De cetero, si prout iacent Theologi verba sumantur, nonne haec eadem sequerentur quando complex complicem absolvit, ne infamiae periculum incurrat? Et honor enim qui Sacerdoti per illam exceptionem servatur est bonum privatum, non publicum; neque ad Sacerdotum omnium dedecus trahi posset sine sensus communis iniuria, quo prohibemur, ex nequitia unius omnes iniquos esse argumentari.

Eiusmodi fortasse cl. theologus

praevidit; quare ut sibi consuleret, ita disputationem suam concludit.

« Quod si Legislator excepit casum mortis, aut publicae (in lege » habetur gravis) infamiae, id factum est, quia in primo casu malum remedium non haberet; atque » iustum est, ut in tali casu, ne » quis pereat, quaelibet reservatio » cesset; et dummodo in audienda » complice non adsit probabile seductionis periculum, (eiusmodi » suppositionem Benedictus praetermiserat, putans fortasse in articulo mortis proprie dicto, adesse » non posse probabile seductionis » periculum); hoc enim in casu satis » erit eam absolvere post brevem » et generalem accusationem. In altero casu propter honorem ecclesiastici coetus, qui in illo uno individuo subiret totus infamiae periculum. »

Verum si stare praemissis a cl. Professore positis vellemus, haec ex illis nullimode sequerentur. Quid enim magni erunt haec relate ad ea quae praemisit, *pertinere scilicet ad universam Ecclesiam, Sacramenti decus, honorem Sacerdotii, gloriam Dei ne complex complicem absolvat?* Cum enim haec omnia, praesertim gloria Dei, ex absolutione complicis periculum subeant, non intelligimus quid tanti demum interesse possint damnatio aeterna complicis, et Sacerdotii dedecus.

De cetero etiam moribundi salutem aeternam consequi absolute possunt per actum contritionis, amoris precumque, ut inquit Theologus, qui actus facilius excitantur fortasse in mortis articulo. Atque idipsum multo melius dicito de iis qui essent gravem infamiam subituri. In hoc autem adnotare debuisset adversarius noster, Benedictum XIV absolutionem complicis nedum permisisse quando periclitatur Sacerdotis honor, sed etiam cum periclitatur honor poenitentis. Quod si tum ille tum iste damnentur, nemo excrucietur; etenim et damnati ad Dei gloriam conferunt.

At si Ecclesia ad eliminandam Sacerdotis vel poenitentis infamiam (articulum mortis praetermittimus), Confessario complici, qualiscumque ille demum sit, permisit complicem absolvere; dicenda ne est hanc gratiam denegare velle mulieri illi infelicissimae, quae miseranda fragilitate semel aut iterum cum suo Confessario lapsa, nullum alium habet, cui peccata sua in Sacramentali iudicio accuset; cui spes non affulget ut alius superveniat; quaeque ob circumstantias loci, personarum etc. ad alia loca, alium Confessarium quaesitura, divertere non possit; quas ob causas longo tempore abstinere Sacramentis debeat, cum probabili infamiae periculo, de quo tamen nihil dicere volumus, atque timore sine Sacramentali absolutione ex hac vita migrandi? atque de cetero vel ipsa, vel Confessarius, vel uterque sincera animi conversione ad Deum redierint?

Praestantissimus Theologus eius-

modi Confessarium talem complicem absolventem damnet, absolutionem ab eo conlatam illicitam et invalidam decernat; ne autem praesumat ut idipsum nos quoque decernamus.

Post ea quae contra sententiam a cl. Ballerinio propositam et a nobis propugnatam praestantissimus Theologus disputavit, in alia nonnulla quae nos in cit. appendice edisseruimus calamum ita perstrinxit.

« Nec mihi placet opinio, quam » tu in dictis fasciculis 1 et 2 Vo» luminis X, *(Comment. pag. 325. » col. 2.)* exponis: quod scilicet in » casu mortis praeferendus sit com» plex publice suspenso et excommu» nicato; etenim dato et non concesso » quod maior sit iniquitas publice » suspensi et excommunicati, quam » complicis, (dato et non concesso, » inquam, nam profanatio mini» sterii et scandalum non semper » habet locum in publice suspenso » et excommunicato, cum suspen» sionis et excommunicationis sen» tentia possit esse iniusta; (exem» plum sit si Sacerdos suspensus » fuerit ob causam sanguinis, in qua » de cetero gravissimam provoca» tionem subierit) in illo nullum » adest seductionis periculum, in » complice esse potest. »

Ut hisce interea respondeamus; quamvis uni rationi qua Benedictus Sacramenti decori et Sanctitati consulere voluerit, innixi fuerimus, ea omnino immota staret, cum a cl. theologo nullimode refutata fuerit; ad id enim quod dicit, vel quod suspensio et excommunicatio possit esse iniusta, vel causa non satis probrosa, respondemus, citatos a theologo casus inter exceptiones esse reponendos; communiter autem suspensionem, et multo magis publicam excommunicationem ferri in Sacerdotes reos reapse gravissimorum peccatorum, quae etiam in plurimorum notitiam devenerunt; atque de cetero etiam in casibus a theologo citatis, non pertinere ad fideles decernere vel inquirere an iure vel iniuria in suspensos et excommunicatos poena illata fuerit; illosque potius factum respicere et considerare, atque ex facto, ex gravissima scilicet poena illata, Sacerdotes diiudicare. At Confessarium complicem ab uno complice reum cognosci aliquorum contra sextum peccatorum, et fortasse unius peccati; qua de causa huic potius conscientiam suam in articulo mortis constitutus erit confidentius aperiturus quam publice suspenso et excommunicato. Hisce addimus, a fidelibus Sacerdotes publice suspensos et excommunicatos horrore quodam haberi, et dedecus putare apud eos, sine extrema necessitate, etiam, immo praecipue, in articulo mortis confessionem suorum peccatorum instituere. Quam ob causam horrendo discrimini aeterna salus morientis committeretur, si complici publice suspensus et excommunicatus praeferretur.

Hisce ergo incommodis nullimode

providisse dicendus est Benedictus? Et qua de causa? Quia ne, ut inquit secundo loco theologus, in publice suspenso et excommunicato nullum, in Confessario autem complice adest seductionis periculum?

At nescimus qua de causa Benedictus XIV, in mortis articulo permiserit Confessario complici complicem absolvere; si enim eiusmodi periculum praevidisset, non permisisset, cum eo in casu certiori damnationis periculo exposuisset poenitentis animam. Ne autem dicamus impossibile esse vel incredibile, ut in mortis articulo Confessarius vel poenitens in eiusmodi facinora prolabantur, difficile admodum esse, nisi prorsus diabolica vesania abripiantur, nemo negabit, cum sexcenta tunc adsint, quibus Confessarius praesertim eo nefando scelere retrahatur, impellatur e contra ad perpetrata peccata omnimodis reparanda. Qua de causa in mortis articulo seductionis periculum vix aut ne vix quidem timendum est. Altera igitur ratio a theologo adducta nutat.

Verum non uni rationi, qua sanctitati et Sacramenti decori consultum certe Benedictus voluit nos nixi fueramus, sed aliis fortasse gravioribus a theologo praetermissis, spretu, vel oblivione nescimus.

Scripsimus enim Comment. pag. 335 et seqq. 1. Nomine Sacerdotis non adprobati ad confessiones, in communi usu loquendi illum venire, cui facultas excipiendi fidelium confessiones nondum collata fuit.

2. Hanc legem esse odiosam, ideoque stricte interpretandam.

3. Voluisse Benedictum nedum Sacramenti Sanctitati consulere, sed etiam morientis quieti et tranquillitati.

4. Verba Benedicti in Costitutione *Apostolici ministerii* indigitare potius Sacerdotem simplicem, id est nondum ad Confessiones approbatum, quam suspensum vel excommunicatum.

5. Difficulter posse evitari infamiam et scandalum si publice suspensus et excommunicatus excipiat loco complicis, qui prudenti et gravissima de causa non possit illo se officio eximere, morientis confessionem.

Quid ad haec Theologus noster respondit? Nihil. Et tamen aliquid respondendum erat. Cum autem nobis non admodum spernendae adductae rationes videantur, in sententia manebimus usque dum a cl. theologo non refutentur.

Attamen contra primum argumentum affirmat quae sequuntur

« Insuper lex est generalis et non
» restrictiva, cum in ea generic
» dicatur: *ut si alius aliquis Sa*
» *cerdos non defuerit;* et postea a
» rei incrementum(*per soggiunta ac*
» *crescitiva*) subdatur: *etiamsi fori*
» *iste alius simplex tantummod*
» *Sacerdos fuerit, sive alias ad au*
» *diendas confessiones non adprob*
» *tus;* id autem in mente Legisl
» toris summum esse videtur qu
» in eiusmodi facto contingere po

» sit. Atque vult dicere, quod si » adsit alius quicumque Sacerdos, » quamvis iste sit unus ex non ad» probatis ad excipiendas fidelium » confessiones, hic nihilo secius pos» sit absolvere; (1) atque nominat » hunc ut dicat maximum, in quo » certe includitur minus. (*E nomi» na questo per dire il più, in cui » è certamente incluso il meno.*) »

At haec facillime eliduntur. Et 1. quaestio hoc in capite in eo versatur, an ille *simplex Sacerdos, sive alias ad Confessiones non adprobatus,* de quo Benedictus XIV comprehendat etiam Sacerdotem publice suspensum et excommunicatum; quinque recensitis rationibus innixi nos id negavimus; Theologus affirmat; at quibus argumentis? Quod ne Benedictus ad rei incrementum (per soggiunta accrescitiva) subdat: *etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad audiendas confessiones non adprobatus?* Quibus verbis etiam Sacerdotem publice suspensum et excommunicatum comprehendere voluerit? *At hoc prorsus est quod in quaestione versatur.* Neque quid ei fert suppetias Benedictinae rei incrementum; nam hoc habetur etiamsi a simplicibus Sacrdotibus, sive ad audiendas confessiones non adprobatis excludantur suspensi et excommunicati, cum semper verum sit, summum in mente legislatoris videri, quod Sacerdos non adprobatus ad confessiones, seu simplex Sacerdos, excipiat potius morientis confessionem quam Confessarius complex; nonne enim hac legis dispositione summa Sacerdoti complici irrogatur ignominia et poena, summumque ei de admissi sceleris gravitate documentum porrigitur?

Sed, inquit, *lex est generalis et non restrictiva?* Verum unde id probat? Non aliunde quam ex citatis Benedicti verbis « *etiamsi forte iste alius etc.* » At primo, etiamsi ab iis verbis excludantur publice excommunicati et suspensi lex manet generalis, cum etiam hoc in casu comprehenderet omnes simplices Sacerdotes, omnesque alios quorum suspensio et excommunicatio sit occulta. 2. Si dicat, legem esse generalem, eo quod etiam publice suspensos et excommunicatos comprehendat, iterum supponet quod in quaestione versatur; de eiusmodi enim re prorsus quaeritur: an lex ita sit generalis, ut etiam publice suspensos et excommunicatos comprehendat. Id autem ex mente legislatoris non constat; quae vel ex documentis aliunde petitis, vel ex verbis legis satis apertis dignoscenda esset: Ubinam autem eiusmodi documenta habentur? Ubinam verba legis?

Ad rei claritatem advertimus, primam legis particulam *ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit,* omnino referendam esse ad Sacerdotes

(1) Nescimus cujusnam generis sit haec explicatio; textui enim Benedicti nullam infert claritatem, et declarat idem per idem.

ad confessiones adprobatos, qui loco ex. gr. Parochi complicis, cui ex officio excipere morientium confessionem pertineret, possint id muneris adimplere; hisce enim verbis omnino excludendi sunt publice suspensi et excommunicati, qui cum facultate fidelium confessiones excipiendi destituantur, inter illos essent referendi qui *alias ad audiendas confessiones non sunt approbati.* Qua de causa in eo prorsus quaestio versatur, an hos inter publice suspensi et excommunicati comprehendantur; quod quamvis theologus affirmet, nullo tamen probat argumento. Non enim argumentum alicuius ponderis illud esse potest quod postremo loco subiungit; *atque nominat hunc* (scilicet Sacerdotem ad confessiones non approbatum) *ut dicat maximum, in quo certe includitur minus.* Quid enim hisce vult affirmare? In Benedicti ne verbis *sive alias ad audiendas confessiones non approbatus,* quod est maximum, includi etiam publice suspensos et excommunicatos, quod est minus? Sed hoc est quod in quaestione versatur. Numquid ne Benedictum directe et simpliciter illam particulam de simplicibus Sacerdotibus affirmasse, inter eos vero, ratione paritatis casus, esse etiam publice suspensos et excommunicatos recensendos? Sed praeterquam quod hoc pariter in quaestione versatur; si Benedictus simpliciter et directe de simplicibus Sacerdotibus illam particulam affirmavit, quo argumento probabitur, inter eos esse adnumerandos etiam publice suspensos et excommunicatos, cum in casu de contraria legislatoris mente constaret; lex insuper sit odiosa ideoque stricte interpretanda, neque de casu in casum proinde extendenda etiam ob rationis paritatem, aliaque de cetero sint argumenta a nobis allata, quibus illa particula publice suspensi et excommunicati excludendi videantur? Fortasse nos sensum et vim argumenti assecuti non sumus; et fatemur illa praestantissimi theologi verba obscura esse; at ob adducta ab ipso argumenta sententiam revocare non possumus.

Sed audiamus quae in re subdit: « Attamen arbitror, publice excommunicato praeferendum simplicem » Sacerdotem esse; nullimode tamen » assentior ut illi complex praefe- » ratur, tum ob spiritum legis quae » vult complicem punire, novae » seductionis periculum arcere, Sa- » cramenti Sanctitati consulere, cui » magis directe opponitur complex » quam excommunicatus, quamvis » publicus. Et cum exclusio sit ge- » neralis, quis distinguere audebit? » *Ubi lex non distinguit, nec nos* » *distinguere debemus.* Neque dica- » tur, in articulo mortis non esse » seductioni locum; etenim lego, » S. Petrum de Alcantera proxime » moriturum a laico religioso con- » trectatum ei dixisse: *sine; etenim* » *nondum mortuus sum.* Unica ra- » tio, quae nos impellere posset ad » complici facultatem concedendam

» audiendi et absolvendi complicem » esset in casu infamia quam com- » plex incurreret, si publice excom- » municato, qui unicus adest, locum » cederet. Verum ut licite et va- » lide absolvat, complex omnia me- » dia opportuna adhibere debet, » quibus sine infamia subtrahere se » ab audienda complicis confessione » possit. Quod si infamiae non sit » locus, ut contingere posset si ex. » gr. solum complex et excommu- » nicatus moribundae adsint, et com- » plex rationabili aliqua de causa » posset egredi, audire et absolvere » in articulo mortis constitutam per- » tinet ad excommunicatum, cuius » suspensio est generica, dum su- » spensio complicis est specifica, » immo individualis; et quisque no- » vit, actum specificum et indivi- » dualem maiorem vim erga suum » obiectum habere quam actum ge- » nericum. Verum de hoc satis. »

At imprimis nos nescimus quanam de causa publice excommunicato simplex sit Sacerdos praeferendus, si in citata Benedicti particula utrique fit potestas complicem in casu absolvendi. Uterque enim facultate destituitur confessiones excipiendi, atque utrique in casu confertur in poenam Sacerdotis complicis; de cetero, iuxta theologum, in cit. Benedicti particula, non fit exceptio. Ergo ut simplex Sacerdos praeferatur publico excommunicato nulla alia ratio assignari potest, quam Sanctitas Sacramento debita; ratio igitur non ex lege petita, sed ex decentia. Si autem eiusmodi ratio ex lege non petitur, quomodo affirmare theologus potest, in citata Benedicti particula etiam publice excommunicatos et suspensos comprehendi?

Dicturus ne erit, utrosque quidem, simplices scilicet Sacerdotes, et publice excommunicatos in lege comprehendi; at quoniam publice excommunicati et suspensi, saltem in foro externo, ut peccatores habentur, hinc ob reverentiam Sacramento debitam, illis sunt simplices Sacerdotes praeferendi? At primum est quod in quaestione versatur; deinde theologus ipse dicit: *arbitror;* non ergo legi innititur; tertio, nullo argumento sententiam, seu melius opinionem suam communit, atque hinc inter gratuitas assertiones est reponenda.

Post haec dum ex parte concedimus, spiritum legis esse ut complex puniatur, ut novae arceatur seductionis periculum, ut Sacramenti Sanctitati consulatur, affirmamus etiam hisce omnibus consultum optime esse per simplicem Sacerdotem, quin recurramus ad publice suspensum et excommunicatum. Et quidem ex parte concedimus, cum assentiri clarissimo theologo in eo non possimus, quod scilicet etiam in mortis articulo adsit novae seductionis periculum; de illo enim, ut iam animadvertimus, Benedictum XIV valde sollicitum fuisse non reperimus, sin minus neque in mortis articulo fortasse Sacerdoti complici

complicem absolvere permisisset. At illud summopere cavet theologus exemplo S. Petri de Alcantera fretus. Verum, praeterquamquod non unus fuit Sanctissimus ille Franciscanus qui illa in mortis articulo extimuerit; (nos etiam ab alio aliquo verba illa prolata fuisse legimus) hisce ne exemplis thesis erit probanda? Si enim ex quo S. Petrus de Alcantera aliquid minus pudicum in mortis articulo timuit, dum sive charitatis, sive necessitatis alicuius causa ipsum laicus contrectare vellet, sequeretur, in mortis articulo alterutri, vel utrique complici novae subesse seductionis periculum, ex sexcentis, et centenis millibus aliis Sanctis qui in articulo mortis constituti periculum illud non timuere, solidiori fortasse ratione inferre possemus, in articulo mortis novum seductionis periculum non esse complicibus adeo formidandum. Equidem non inficiamur illud subesse posse, absolute loquendo; sed neque theologus noster inficiabitur, illud valde remotum esse, cum menti complicum in eo formidando mortis articulo alia formidabiliora fulgeant, quae nemo ignorare potest. At de periculo adeo remoto legem certe Benedictus non tulit.

Scire autem vellemus a cl. theologo quanam ratione probet, Sanctitati Sacramenti magis directe complicem, quam publice excommunicatum adversari. Nulla alia certe ratione quam quia suspensio complicis est specifica, immo individualis; quam rationem in fine loci citati allegat.

Verum ex adducta ratione non sequitur quod adversarius praetendit. Sanctitati enim Sacramenti ille directius opponitur, cuius gravioribus peccatis conscientia oneratur; unde autem ipse novit complicem gravioribus peccatis onerari quam publice suspensum et excommunicatum In foro certe externo hic infamia quadam publice notatur, ille nulla; hic nullo bono nomine, ille integro fruitur; hic ab excipienda cuiuslibet confessione publice, ille ab absolvendo tantummodo complice, nullo sciente, interdicitur. Dicturus ne erit, publice suspensum et excommunicatum potuisse poenitentiam de peccatis agere? Sed idipsum potuit complex. Quanam ergo ratione hic praeillo Sacramenti sanctitati opponitur?

Atque advertat cl. theologus, adductam a se rationem alio argumento elidi. Quamvis enim concedamus, in genere prohibitum esse complici complicem absolvere, nos tamen de casu particulari sermonem instituere; de Confessario scilicet complice, et de publice suspenso et excommunicato qui morienti adstent; atque quaerere, an hoc in casu complex possit licite et valide complicem absolvere, vel locum excommunicato cedere.

Qua de causa hoc in casu particulari non potest affirmare theologus, quin supponat quod in quaestione versatur, Confessario complici opportunas facultates deesse, conse-

quenter hunc magis directe Sacramenti opponi sanctitati; ut enim id, legitime inferat, antea probandum ipsi est, ex Benedicti lege, in casu, nullas esse Sacerdoti complici facultates complicem absolvendi. Atque si quid opinamur, id probationis genus difficile videri.

Hinc ad ea refutanda non immoramur, quae postea subdit, cum per se concidant. Unum tamen addimus; ex lege scilicet Benedicti XIV nullimode constare, Confessario complici potestatem absolvendi complicem auferri relate ad publice suspensum et excommunicatum; hinc legem in casu dubiam esse, ideoque non obligare; qua de causa Confessarius complex nedum non tenetur causas praetexere ut locum publice excommunicato cedat; sed tuto potest in relato casu complicem audire et absolvere.

Verum hisce non contentus, praestantissimus theologus etiam aliam sententiam impugnat, quam, solido saltem argumento, impugnari posse non putabamus. Cum autem argumenta quae profert unius sint naturae integram eius disputationem notulis communiemus, et si quid addendum erit, in finem coniiciemus. Scribit.

« Propero ad alium casum, quem » discutere mihi proposueram. In » fasc. 1. Vol. X, ad 2. dicendum » (Comment. pag. 322 Col. 2), dum » sermonem instituis de Confessario » qui in actu Sacramentalis confessionis complicem suam agnoscit, » ab ea autem non cognoscitur, absolutionem illicitam et invalidam » proclamas, et Confessarium absolventem excommunicatione perculsum. Hoc in loco alii videri » volumus. Supra inter rigidiores » constiti, ad quos in fine discussionis primi casus tu illa dirigis » verba: *Respondeant rigidioris sententiae patroni;* hic tu rigidiorem » sententiam defendis, ego mitiorem.

» Et primum argumentum ex legis verbis desumis, quae nonnisi » in casu extremae necessitatis absolutionem complicis permittit; » ita tu scribis. At si id verum est, » quo tua sententia corruit relate » ad infelicissimam illam mulierculam, quae longo annorum tractu » Sacramento Poenitentiae abstinere » deberet, ni peccata sua Confessario complici confiteatur? (1) » Cum mente et corpore sana sit, « potest ne dici in extrema necessitate versari, sicut ex. gr. in ea » versatur in articulo mortis constitutus? Vides, adductum a te argumentum nimis probare, et no-

(1) Sententia illa nullo pacto corruit ob allatum ex lege argumentum; mulier enim illa epicheja munitur; ideoque extra legem graditur. Neque Ballerinius aut nos umquam affirmavimus, illam in extrema eiusmodi necessitate, seu in periculo mortis versari, sed in alia necessitate, ob quam longo annorum tractu Sacramentis carere deberet, ni a Confessario complice absolutionem referat. Hinc relate ad illam mulierculam, argumentum nostrum nec nimis, nec aliquid probat, et inscite a theologo nostro in illam intorquetur.

» scis quod *qui nimis probat, nihil* » *probat.*

» Praeter extremam necessitatem » poenitentis adest infamia Confes- » sarii, quae ab incurrenda excom- » municatione excusat, atque lici- » tam validamque reddit absolutio- » nem; et hic animadverto, haec » verba non reperiri in Constitutio- » ne Benedicti XIV (*e qui noto di* » *volo, che codeste non sono parole* » *della Costituzione Benedettina.* (1)

» Tu paullo superius dicis: *Lex* » *haec est odiosa et stricte inter-* » *pretanda.* Et bene dicis. Sed quare » in primo casu eiusmodi axioma » non valet? et dum in eo locum » latissimae interpretationi porrigis » in favorem illius mulierculae, in » hoc ita illud restringis, ut illici- » tam et invalidam absolutionem, » et absolventem excommunicatum » proclames? (2)

» Secunda ratio quam adducis » in eo fundatur quod Pontifex » privat Sacerdotem complicem » omni facultate et iurisdictione » ad qualemcumque personam ab » huiusmodi culpa absolvendam; » quod correlativum *qualemcum-* » *que* tu explicas nedum de poe- » nitentis qualitate, sed etiam de » statu morali (3) aut subiectivo in » quo reperiri possit (4). Respon- » deo: supposito quod ea sint » Constitutionis Benedictinae ver- » ba (5), si illud *qualemcumque* ex- » tendendum est ad quemcumque

(1) Si Theologus noster attente Benedicti Constitutiones legisset, in Const. *Sacramentum Poenitentiae* n. 4. (Comment. pag. 306. col. 2.) haec eum scripsisse reperisset: « inter » dicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum » in ipsius mortis articulo » etc. Ista igitur verba reperiuntur in Constitutione Benedicti. Si autem scire velit Theologus, quare Benedictus in cit. Const. verba adhibuerit *extra casum extremae necessitatis*, eam legat attentius et inveniet, Benedictum in ea excepisse tantummodo mortis articulum, non autem infamiae periculum, quod primum excepit in Const. *Apostolici ministerii*. Et haec est ratio quare Benedictus in sequentibus Constitutionibus verba – *casum extremae necessitatis* – amplius non adhibuerit, quia scilicet in iis exceperat etiam infamiae periculum, Nos autem ideo verba illa in praesenti casu absolute assumpsimus, quia in eo locum non habebat infamiae periculum.

(2) In primo casu eiusmodi axioma non valet, quia non lex, ex quo axioma vim mutuatur, sed epicheia locum habet; mulier scilicet illa legi non subditur. Deinde non valet, quia inter praesentem casum, et casum Ballerinianum nulla adest paritas, ut tantisper considerantibus patet.

(3) Numquam scripsimus, correlationum *qualemcumque* indigitare *statum moralem* sed *indigitare etiam potest personam in quocumque statu subiectivo versetur*. At status moralis complectitur etiam obiectivum et extrinsecum.

(4) Eiusmodi status subiectivus mulieris, ut ex proposita quaestione patet, ad id coarctandus erat ut mulier non cognosceret Confessarium. Non nos tamen poenitet scripsisse, *in quocumque statu subiectivo versetur*, relate scilicet ad animi dolorem, aut alia ejusmodi subiectiva. Detestatio enim de peccato commisso etc. nihil confert ut complex a complice absolvatur.

(5) Non supponere, sed omnino fateri Theologus debet, ea esse Constitutionis Benedictinae verba, ut patet ex Const. *Sacramentum Poenitentiae* in qua sub n. 4. haec habentur: « Sublata propterea illi.... quacumque auctoritate et iurisdictione *ad qualemcumque personam* ab huiusmodi culpa absolvendam.

» statum subiectivum aut moralem » poenitentis complicis, qua ratione » ex eo excludenda est illa mu- » liercula, de qua in primo casu? (1) » Et tamen status moralis subiecti- » vus mulierculae illius animum » tuum tantopere ad compassionem » excitavit (2), ut ob eius statum » validam et licitam absolutionem, » et Confessarium absolventem ab » excommunicatione immunem pro- » clamaveris. Si illud *qualemcum-* » *que* sufficit ad declarandam illi- » citam et invalidam absolutionem » relate ad poenitentem quae con- » fessarium complicem non agno- » scit, et ad hunc excommunicatio- » ne perculsum declarandum si illi » absolutionem praebuerit, (3) qua- » re idipsum extendi nequibit ad » statum subiectivum moralem illius » mulierculae in primo casu? (4) » Tu vides, talem explicationem aut » nimis probare (5), aut defendi » non posse in sensu exposito con- » tra praesentem casum.

» Neque dicas, statum illius » mulieris infelicissimum prorsus » esse; etenim ego respondeo, » quod si illud *qualemcumque* ex- » tendendum reapse sit ad statum » moralem aut subiectivum perso- » nae, quaelibet exceptio excluden- » da est (6). Qua de causa aut etiam » mulierem (Ballerinianam) exclude, » aut etiam hanc alteram include.

» Dicturus ne eris, primae » mulieris statum deterioris condi- » tionis esse, quam alterius? (7) Et » ego respondeo, plus minus sub

(1) Quia status illius mulierculae non est subiectivus, cum unice pendeat ex circumstantiis extrinsecis, defectu scilicet Confessariorum, impotentia alias sese conferendi etc. Haec insuper muliercula et Confessarium agnoscit, et ab eo cognoscitur; atque ea tantummodo de causa Confessarii complicis ministerio utitur, ne longo annorum tractu Sacramentis abstinere cogatur; relate igitur ad hanc, in quo collocabimus statum subiectivum?

(2) Neque nostrum tantummodo, sed etiam cl. Ballerinii, et doctissimi alius Theologi Romani quem interrogavimus, et fortasse omnium illorum qui excessibus non delectantur.

(3) Non ex solo *qualemcumque* id probavimus, sed etiam aliis, et quidem potioribus argumentis, ad quae nihil theologus noster respondet.

(4) Quia Status Ballerinianae mulierculae vocari nequit subiectivus, ut diximus. Si igitur argumento praestantissimi Theologi insistere vellemus, respondere possemus: ideo illud *qualemcumque* ad mulierem Ballerinianam extendendum non esse, quia in ipsa non potest exprimere statum subiectivum; alias, quia status huius mulierculae non est subiectivus.

(5) Nimis reapse probaret si status moralis subiectivus in quo versatur poenitens non cognoscens Confessarium complicem confundatur cum obiectivo et extrinseco in quo versatur mulier Balleriniana, prout reapse facit Theologus. Si autem status subiectivus plane distinguatur ab obiectivo et extrinseco, ut faciendum est, tunc argumentum a nobis allatum id tantummodo quod legitimum est probabit; scilicet nil referre si poenitens non agnoscat confessarium complicem, si animi dolore angatur etc. Nos scripsimus *in quocumque statu subiectivo* versetur, *non obiectivo et extrinseco*. Neque deinceps id absolute affirmavimus, quod notare theologus debuisset, sed scripsimus *Com. pag.* 325 col. 1. *indigitare etiam potest personam in quocumque statu subiectivo versetur.*

(6) Quaelibet exceptio excludenda erit ab illis qui eiusdem extensionis putant esse statum moralem et statum subiectivum, et unum cum alio confundunt, non autem ab illis qui unicuique statui propria tribuunt. Ne theologus nobis tribuat quae nec scripsimus, nec scribere somniavimus.

(7) Nedum deterioris conditionis, sed plane diversae. Hinc adductum argumentum nullius roboris est.

» eadem specie comprehendi, ne- » que diversam constituere; atque » cuiuslibet exceptionis duas tan- » tummodo rationes in Constitu- » tione allegari (1), mortem scili- » cet aeternam poenitentis, et pu- » blicam infamiam Confessarii (2). » Quarum nullius in superiori casu » meministi. Quod si ad aequita- » tem (al buon senso) confugias, » ego dico tibi, hanc potius adhi- » bendam esse in praesenti casu, » in quo poenitens Confessarium » non cognoscit, quam in primo. Et- » enim casu quo poenitens Confes- » sarium complicem non agnoscat, » lex unum, dum in casu mulierc- » lae utrumque complicem aperte » complectitur (3); etenim qui pror- » sus ignorat lege non afficitur (4).

» Praeterea in casu quo poeni- » tens Confessarium complicem non » agnoscit, deest praesumptio ma- » lae dispositionis ex parte poeni- » tentis, et seductionis ex parte » Confessarii (5); nam cum poe- » nitens non suspicetur Confessa- » rium esse suum complicem, sup- » ponendus est velle se emendare; » et Confessarius cum persuasus sit » a poenitente non cognosci (nam » si serio de re dubitaret, et multo » magis si de re subiective persua- » sus esset, in mala fide versaretur; » qua de causa pontificiam prohi- » bitionem sperneret, statutam poe- » nam incurreret, et absolutio ex » parte eius illicita foret et inva- » lida; non tamen ex parte poeni- » tentis, qui in bona fide versatur; » quo in casu certus sum quod » Ecclesia suppleret, uti supplet in » casu quo quis confitetur Sacer- » doti ad Confessiones non adpro- » bato, cum error est publicus, et » causa colorata (6); innocens enim » prout in praesenti casu est poe- » nitens qui ob ignorantiam, in qua

(1) Eiusmodi ratiocinium superius refutatum est, cum diximus, ex quo legislator duas tantummodo exceptiones admittat, non sequi nullam aliam admitti posse.

(2) Debuisset addere *et poenitentis*; utriusque enim infamiam Benedictus cavet.

(3) Monemus theologum, in primo casu in eo quaestionem versari, an stantibus circumstantiis expositis, casus ille epicheiae det locum, seu an si legislator praevidisset, comprehendisset sub lege: qua de causa quaestio est: an eo in casu ullimode lex possideat.

(4) Etiam hoc in loco praestantissimo theologo in mentem revocamus, legem latam esse praecipue in poenam Confessarii complicis; poenitens enim a quocumque alio confessario absolvi potest, cum complicitatis peccatum reservatum non sit; cum autem Confessarius pro quo lata lex fuit, complicem agnoscit, quodnam ad valorem absolutionis argumentum poterit poenitens praestare si Confessarium complicem non agnoscat?

(5) At novit Theologus hanc bonae dispositionis praesumptionem nullimode efficere posse ut absolutio complicis sit valida; sin minus valida erit absolutio complicum, quos admissorum peccatorum sincere poenituerit; etenim et hoc in casu adest in utroque complice bonae dispositionis praesumptio. Deinde vero si eiusmodi praesumptio hoc in casu valet, qua ratione excluditur absolutionis beneficio Balleriniana mulier?

(6) Eiusmodi ratiocinium non intelligimus. Si enim, ut vult theologus, absolutio in casu valida est ex parte Confessarii, quid supplet Ecclesia? Si autem supplet Ecclesia pro bona fide, in qua versatur poenitens: ergo Confessarius complex facultate absolvendi per se caret. Iterum: Si de Confessario complice in casu idem est ferendum iudicium ac de Sacerdote ad confessiones non adprobato; cum hic per se nulla absolvendi facultate polleat; ergo neque Confessarius complex.

» degit, legem non trasgreditur, » non debet poenam causa veri » delinquentis subire); cum, in- » quam, Confessarius persuasus sit, » se a poenitente non cognosci, ne » agnoscatur omnimodis curabit, » tum ne infamiam subeat, tum ne » poenas comminatas contra absol- » ventes complicem incurrat: omnia » ei insuper media suppetunt fa- » ctum vituperandi, ad bonum poe- » nitentem hortandi, scandalum eli- » minandi, et perpetrato peccato » remedium apponendi. Haec est » praesumptio quae eruitur studio » humanae indolis in talibus casi- » bus; et ita nulla Sacramento in- » fertur iniuria (1).

» Tertia ratio, quam tu affers, » sequenti syllogismo concluditur: » Benedictus XIV declaravit, Confes- » sarium qualibet facultate carere » absolvendi poenitentem compli- » cem in peccato turpi; atqui hic » poenitens est complex in peccato » turpi; ergo absolutio talis Con- » fessarii est invalida et illicita; » praeterea excommunicationem in- » currit.

» Optime: ergo ad hominem: » Benedictus XIV declaravit, Con- » fessarium complicem carere qua- » libet facultate absolvendi compli- » cem in peccato turpi; atqui mu- » liercula illa, de qua in primo » casu, quae ni peccata Confessario » complici confiteatur, (semper ci- » tra publicam infamiam (2), de » qua ibi nulla fit mentio) diutur- » no tempore abstinere Sacramento » poenitentiae deberet, est complex » in peccato turpi; ergo illicita et » invalida est absolutio, et Con- » fessarius absolvens excommuni- » catus (3).

» Tibi haec consequentia non

(1) Verum si haec Theologo concedamus dicat, quamnam Sacramento iniuriam Mulier Balleriniana et nostra plene ad Deum conversa, et in horribili illa necessitate constituta inferat? Insuper eiusmodi media nonne suppetunt etiam Confessario complici plane ad Deum converso etiamsi a complice cognoscatur? Responsurus ne Theologus erit hoc in casu adesse posse seductionis periculum? At eiusmodi periculum nonne timendum est etiam in illo Confessario qui complicem agnoscit, quamvis non cognoscatur? Novit etiam Theologus, leges a Benedicto promulgatas esse contra Confessarios sollicitantes ad turpia, non viceversa; eo quod non mulieres, sed confessarii sollicitare supponuntur. Fatemur autem, id difficilius contingere in Confessario qui a complice non cognoscatur: sed *plus et minus*, ut Theologi argumento utamur, *continentur sub eadem specie.*

(2) Hoc in loco Theologus concedit, Ballerinianam mulierem absolvi posse a Confessario complice, si adsit infamiae periculum. Eum hinc rogo ut explicet quomodo haec cohaereant cum iis quae superius scripsit: « excluso probabili seductionis periculo, ubi rationa- » biliter, *(fondatamente)* timeatur publica infamia et scandalum etc. discuti poterit an » Confessarius complex valide et licite possit complici absolutionem impertiri. Ego autem » negativae sententiae adhaererem. »

(3) Praestantissimus Theologus uti in logica peritissimus novit, argumentum ad hominem strui cum ad nostram sentnetiam probandam assumimus principia dubia aut falsa, quae tamen ab adversario ut vera recipiuntur. Ita Tongiorgi *Institutiones Logicae n. 4. pag. 190. Edit. Rom. 1861.*

Hinc ad evertendam nostram sententiam circa mulierem Ballerinianam, et ad inferendam consequentiam nostrae contrariam, necessarium omnino est ut assumat principia quae Ballerinius et nos illa in quaestione dirimenda assumpsimus, non ea quae statuimus pro

» placet (1), cum dicas eiusmodi » casum rationabiliter lege excludi, » quamvis in eo locum non habeat » neque infamia, neque mortis ar- » ticulus (2), et quamvis poenitens » et Confessarius mutuo sese uti » complices agnoscant. Et ego re- » spondeo, quod in praesenti casu, » in quo poenitens non cognoscit » confessarium, iuxta spiritum le- » gis, cum desint secundum com- » munem existimationem pericula » quae lex vult cavere, ex parte » poenitentis indispositio, seductio » ex parte confessarii, Sacramenti » iniuria, et delinquentis audacia, » de qua disertus fit in lege sermo, » sub lege inclusi intelligi non » possunt neque talis confessarius, » neque talis poenitens, et ideo ab- » solutio valida et licita est, et » nulla incurritur excommunica- » tio (3). Et si contingat quod » poenitens post receptam absolu- » tionem Confessarium agnoscat, » non tenetur iterum peccata sua » confiteri, et novam absolutionem » ab alio Confessario quaerere. Ergo » aut valet iste syllogismus; et qua- » re excipis mulierculam, de qua » in primo casu? Ni autem pro » illa valeat, non video qua de cau- » sa adeo severe et generaliter ex- » cludendus sit etiam hic poeni- » tens, qui confessarium compli- » cem non agnoscit (4); aut hunc

praesenti quaestione ab illa plana diversa: ni haec Theologus praestet, nihil profecto contra nos hoc in loco inferet. Fortasse mirabitur? Ergo eius argumentum assumamus: Profecto ex eo nil aliud sequitur quam quod tum absolutio complicis in praesenti casu, quam in casu mulieris a Ballerinio inductae invalida est et illicita. Atqui Theologus probare ex statuto principio debebat esse validam absolutionem complicis in praesenti casu: sin minus quid contra sententiam nostram infert? Nihil omnino; immo sententiam nostram confirmat; ad eamdem enim conclusionem devenit. At quandonam doctissimus Ballerinius vel nos probavimus valorem absolutionis illius infelicissimae mulieris ex principio in praesenti quaestione assumpto? Theologo igitur id praestandum est ut argumentum ad hominem instituat ex principiis ea in quaestione assumptis, et tunc illud et consequentiam ex eo deductam reverebimur.

(1) Nemini placere potest.

(2) Locum tamen habent omnes illae circumstantiae, de quibus Ballerinius; quarum nec una adest in praesenti casu.

(3) Haec per ea eliduntur quae in superioribus notis observavimus. Unum petimus. In quo reponitur delinquentis Confessarii audacia? Nonne in eo quod sciens volensque complicem absolvit, lege posthabita, et sine ulla necessitate vel a Legislatore praescripta, vel rationabiliter inducta? At Confessarius noster in casu nonne complicem sine ulla necessitate sciens volensque absolvit? In casu itaque quaedam Confessarii audacia deprehenditur. At si adest quaedam Confessarii audacia, adest etiam quaedam Sacramenti iniuria. De periculo seductionis diximus. Unum addamus: Theologus in Confessario complice qui complicem agnoscit, ex eoquod a complice non cognoscatur nullum vel fere nullum timet seductionis periculum: in casu autem superiori, ut publice suspensum et excommunicatum Confessario complici praeponat adeo eiusmodi pericula timet, ut neque mortis articulum excludat, allegetque in exemplum verba S. Petri de Alcantara.

(4) Id est: Ille Syllogismus valet, aut non valet: Si valet, Theologi poenitens absolvendus non est: Si non valet, absolvenda est mulier Ballerieniana. Nos probavimus illum Syllogismum contra eiusmodi mulierem non valere. Probet Theologus non valere contra suum poenitentem. Id enim adhuc probare debet.

» etiam exclude, si illam (mulier-
» culam) excludis, aut utrumque
» include (1).

» Sed eia: sit sicut tu vis. Sit il-
» licita et nulla absolutio poenitentis qui Confessarium non agnoscit, et hic si absolvere audeat, excommunicationem incurrat; quaeso; quid agendum eiusmodi Confessario in tali casu erit? Consilium da. Debebit se poenitenti manifestare? Sed nemo tenetur cum propria infamia prodere seipsum (2). Debebit humanissime poenitentem suadere ut alium adeat Confessarium? Sed qua ratione negare ei absolutionem, quam summopere poenitentes exoptant? *Di che sono gelosissimi i penitenti?* (3). Insuper si haec mulier alium adeat Confessarium, hic nonne in cognitionem negotii (intrigo) deveniet? (4) Et ita Confessarius sèmetipsum proderet? (5) Debebit absolutionem dissimulare? Sèd quis ignorat propositionem in tali materia condemnatam? (6)

» Certe si confessarius adhuc mala peccandi voluntate duceretur, atque audire et absolvere eiusmodi poenitentem ei occasionem seductionis praeberet (7); in tali casu si confessarius eiusmodi lubrica occasione (*di tale incontro*)

(1) Non possumus, cum pro utroque eadem non militent.

(2) Hoc ipsum et nos dicimus.

(3) Qua ratione? Fortasse ne Confessarius, saltem eiusmodi, tenetur rationem poenitenti de negata absolutione reddere? Si autem ex quo poenitentes summopere absolvi exoptent, essent a Confessario absolvendi, nescimus cui negari posset absolutio.

(4) Ergo quilibet complex absolvendus erit, ne si ad alium Confessarium mittatur, hic in cogniti nem sceleris admissi deveniat. Insuper nonne in cognitionem negotii deveniet Sacerdos publice suspensus et excommunicatus cui iuxta Theologum, locum in articulo mortis cedere Confessarius complex debet, cum hunc ex confessione ideo se subtraxisse cognoscit, quia cum moriente peccaverat? Nonne hoc in casu Confessarius complex omnino se proderet? Hinc Theologus consequentiam inferat.

(5) Sed semetipsum proderet etiam Confessarius qui complicem suum ad alium Confessarium mitteret, ne excommunicationem incurrat. Novit Theologus sub sigillo Sacramenti Poenitentiae infamiam non incurri.

(6) Idipsum et nos dicimus: id est Confessarius non debet absolutionem dissimulare. Quid itaque agere debebit. *Humanioribus verbis poenitentem dimittere* dicendo *se illam absolvere non posse*. Exinde nihil timendum, si ut par est, alium adeat Confessarium qui nil aliud fortasse suspicaturus erit quam quod primus Confessarius sit rigidioris sententiae, quique, negatione absolutionis, mulierem deterrere a tam sacrilego scelere voluerit. Sed fac ut suspicetur. Quid inde? Et fragilitati Confessarii complicis compatietur, et ipsum laudabit quod ecclesiasticas regulas observaverit, et Sacramentali suspicione non utetur, quia uti non potest; et munere suo erga poenitentem optime fungetur. Alia mala non praevidemus.

(7) Ergo etiam in casu, quo poenitens Confessarium complicem non agnoscit, potest intercedere seductionis occasio. Ergo quae paullo supra Theologus scripserat; hoc scilicet in casu: *« cum desint secundum communem existimationem »* (ipse autem non habet hanc communem existimationem, cum fateatur, Confessarium mala voluntate duci posse etc; at cum ipse eiusmodi existimationem non habeat, quomodo eam ab aliis exigere potest?) *periculo quae lex vult carere, ex parte poenitentis indispositio, seductio ex parte Confessarii, Sacramenti iniuria* etc; haec inquam ab ipso Theologo eliduntur.

» delectetur, suaviter ipsam au-
» diat, atque alloquatur (1) et
» deinceps absolvat, credo et exi-
» stimo eum peccare cum Sacra-
» menti iniuria, et utpote audacem
» excommunicationem incurrere. At-
» tamen validam absolutionem esse
» affirmo bonae fidei causa, in qua
» versatur poenitens, prorsus ut
» Pontifex Benedictus sancivit in
» casu quo Sacerdos audeat absol-
» vere complicem in articulo mor-
» tis, studiose tamen praetermit-
» tens media opportuna adhibere,
» ut alius Sacerdos sine infamiae
» periculo atque fidelium scandalo
» advocetur (2).

» Sed si Confessarius potius non
» cognosci a poenitente complice
» cupit, ea de causa ut ipsi auxilia
» spiritualia porrigat, cum haec in
» bona fide plene versetur, validam
» et licitam absolutionem esse affir-
» mo, et consequenter Confessarium
» minime excommunicatum (3).

» Verum tu dicturus eris: Pon-
» tifex eiusmodi confessarium qua-
» libet facultate privavit absolvendi
» complicem. Qua igitur de causa
» talis poenitens lege excipiendus
» est? Et ego quaero, quare eius-
» modi lege tu mulierculam illam
» excipis, quae nisi sacramentaliter
» peccata confessario complici expo-
» nat, multis annis carere Sacra-
» mento Poenitentiae deberet? (4).

» Tu respondes: quia illa poeni-
» tens in casu quo versatur, non
» potest sub lege concludi. Et ego
» pariter respondebo, in casu prae-
» senti talem Confessarium non esse
» Confessarium, qui sub lege cadat,
» pro quo maiora argumenta mili-
» tant quam pro tua poenitente in
» primo casu (5).

» Modo sortes mutentur (*tramu-*

(1) Dum antea nullum timebat, nunc non modica nec levia Theologus pericula in casu timet.

(2) Eiusmodi paritas potest ne consistere? Unum indicabimus discrimen: Complicis in articulo mortis constitutae atque a Confessario complice absolutae nullus alius, nisi ad hoc rogatus, confessionem excipit: quare si invalidam illam absolutionem sancivisset Benedictus, periculo poenitentem exposuisset, sine absolutione, vel invalida ex hac vita migrandi. At sexcenti sunt qui poenitentis non agnoscentis Confessarium complicem possint confessionem excipere. Ex Benedicti insuper dispositione citata, haec liceat observare. Si Benedictus voluit ut neque in articulo mortis, in quo difficillimum seductionis periculum adest, Confessarius complicem audiat et absolvat, si alius etiam simplex Sacerdos, sine infamia aut scandalo possit advocari; validamque in eo casu absolutionem habuit ob rationem expositam; quomodo ratam validamque habere potuit absolutionem complicis, quae in nulla necessitate versatur, cuique alii Confessarii suppetunt?

(3) Eiusmodi tamen consequentia ex praemissis non sequitur. Nam. *Confessarius cupit non cognosci a poenitente complice, ut ei auxilia spiritualia porrigat. Ergo valida et licita est absolutio poenitentis.* In eiusmodi enthimemate, ad quod Theologi argumentum reducitur, desideratur nexus inter antecedens et consequens.

(4) Respondemus: ob illas rationes omnes quas Ballerinius adduxit, quas Theologus non refutavit, et quarum nec una poenitenti in casu favet. At deficiente rationum aequalitate, deficiat necesse est argumenti valor.

(5) Verum desiderassemus saltem unum vel aliud ex eiusmodi maioribus argumentis audire. Interea observamus, ad inducendam exclusionem duorum vel plurium ex praescripto legis, requiri easdem circumstantias eademque rationum pondera, saltem plus minus.

» *tinsi le sorti*); et sit Confessarius » qui poenitentem complicem non » agnoscat, hic autem recognoscat » Confessarium. Arbitror quod in » tali casu tu mecum affirmabis, » licitam et validam esse absolutio- » nem, nullamque a Confessario » excommunicationem incurri (1), » quia quamvis poenitens sit com- » plex *materialiter*, non est tamen » complex *formaliter*, seu relative » ad effectum legis, quae supponit » semper scientiam (to *scienter*) (2).

» Attamen contra hunc poeniten- » tem militant omnia argumenta a » te allata contra alium poenitentem » qui non recognoscit confessarium » complicem;

» Valet primum, quia non habet » locum *extrema necessitas*, in qua » tantummodo affirmas validam et » licitam esse complicis in peccato » turpi absolutionem (3).

» Atque habet pariter locum illud » axioma tuum: *Lex haec est odiosa* » *et ideo stricte interpretanda*, cum » agatur de eadem lege tam in prae- » senti, quam in superiori casu (4).

» Valet secundum argumentum » (deductum ex verbis legis) *ad* » *qualemcumque personam*, quae » verba tu explicas nedum de per- » sonae gradu aut qualitate, sed » etiam de statu morali, in quo re- » periri possit poenitens complex, » qui status in eo ponendus est ut » hic v. gr. non cognoscat confes- » sarium complicem, aut ab eo non » cognoscatur (5).

» Habet pariter locum tertium » argumentum conclusum sub tuo » illo generalissimo syllogismo, quod

Nos paritatem eiusmodi cum detegere non possimus, doctissimum Theologum deprecamur ut eiusmodi paritatem instituat, et illa maiora argumenta pro sua poenitente militantia afferat quae ipse novit, et silentio pressit, quod a nobismetipsis divinanda fortasse existimavit.

(1) Id nos iam affirmavimus et probavimus in Comment. a pag. 312. ad 316.

(2) Lex igitur supponit scientiam. Sed cuius scientiam? Certe eorum pro quibus, vel contra quos lex lata fuit. At contra quos lex a Benedicto XIV lata fuit? Indubitanter contra absolventes complices in peccato turpi. Ergo supponit scientiam Confessarii, non poenitentis. Hinc si praestantissimus Theologus per illud to *scienter* intelligat requiri scientiam tum Confessarii, tum Poenitentis, quaestio falso supposito laborare posset.

(3) Fortasse Theologus ludit. Nos eo in casu locuti sumus tantummodo de extrema necessitate, quia infamiae periculum locum non habebat. Numquam autem affirmavimus, in extrema necessitate seu in articulo mortis tantummodo valere absolutionem complicis. Centies locuti forte sumus de infamiae periculo.

(4) Fortasse ne ex quo duo casus ad legem eamdem relationem habeant, eodem pacto sub lege concluduntur? Si ita est, ad quid Theologi hunc casum sub lege comprehendi, illum non comprehendi iudicant, prout facit etiam Theologus noster, quamvis ad eamdem legem relationem habeant?

(5) Numquam scripsimus statum moralem, sed subiectivum poenitentis qui in primo casu in eo reponebatur quod ipse non agnosceret Confessarium, non autem quod a Confessario non agnosceretur; casus igitur non est reponendus in utraque circumstantia, sed una tantummodo; discrepantia inter utrumque casum est maxima. In poenitente qui a Confessario non cognoscatur, nullus quoad cognitionem admitti potest status subiectivus cum sit prorsus obiectivus, cognoscit enim Confessarium. Subiectivitas se habet ex parte Confessarii. Ne Theologus statum quaestionis immutet.

» propterea ad casum praesentem » applicari huiusmodi potest: Be- » nedictus XIV declaravit privatum » qualibet absolvendi facultate Con- » fessarium relate ad poenitentem » complicem in re turpi; atqui hic » poenitens qui a Confessario non » cognoscitur, est complex Confes- » sarii in re turpi. Ergo collata ab » eo absolutio est invalida, et ipse » contra legem reus atque excom- » municatus.

» Si huiuscemodi rationibus, et » universalibus ratiociniis progre- » diamur, nullae quantumvis ratio- » nabiles, admittendae essent exce- » ptiones, quae tamen tum a te, » tum ab aliis admissae fuere (1).»

Lectores nostri intelligunt, haec tanta fiducia a cl. Professore pro- lata esse, ut de eorum valore nul- limode dubitare videatur. Quid ergo dicturi erunt, si nos proba- verimus, nullum ex allatis a nobis argumentis pro casu quo Confessa- rius tantummodo complicem agno- scit, posse ad casum applicari quo complex a Confessario non cogno- scatur?

Atque praemisso quod theologus affirmat, a lege scilicet supponi scientiam, vel to *scienter*, ita rem nostram probamus.

Atqui non valet primum argu- mentum ab extrema necessitate de- ductum, seu ex cognitione, vel dubio an poenitens complex in arti- culo mortis, nec ne, versetur. Cum enim Confessarius complicem nulli- mode cognoscat, de complicis ne- cessitate relate ab absolutionem quid- quam non posse scire compertum est. Equidem praeter articulum mor- tis Benedictus excepit etiam infa- miae periculum quod utrique immi- nere possit. At ad decernendum an infamiae titulo Confessarius possit complicem absolvere, nedum notitia complicis requiritur, sed circumstan- tiarum in quibus versatur. Quomodo autem in harum notitiam Confessarius deveniet, ni ante omnia complicem agnoscat? Atqui tamen, ut in casu supponitur, nullimode cognoscit.

Nec valet vis axiomatis: *Lex haec est odiosa et ideo stricte interpre- tanda.* Verba enim, legis non in abstracto sed in concreto intelligi debent, L. *si in rem. ff. de rei vind.* in relatione scilicet ad sub- iectum cui lex est applicanda, vel ad factum de quo dubitatur an sub verbis legis comprehen- datur, et quomodo, et quan- tum. Atqui ad huiuscemodi appli- cationem requiritur notitia facti, vel personae, vel utriusque, et in casu praesenti requiritur cognitio personae et peccati complicitatis; atque personae praesertim, cum complicitatis peccatum reservatum non sit nisi ipsi Confessario com- plici, qui proinde ni complicem agno- scat, nullum de stricta legis inter- pretatione iudicium ferre poterit, cum omnino ignoret complicitatis peccatum sibi esse reservatum; et e contra, cum peccatum complici-

(1) Et etiam a praestantissimo Theologo.

tatis nullimode reservatum sit, poenitens, si omnia alia requisita adsint, ius habet ad absolutionem. Quo igitur pacto Confessarius complex complicem suum nullimode cognoscens huic absolutionem denegare poterit?

Atque advertant Lectores, hoc in casu, si nulla esset absolutio, culpa non in Confessarium esset refundenda, sed in ipsum Legislatorem. Quandoquidem Confessarius bona fide ageret, atque munere suo fungeretur; bona fide ageret poenitens, qui leges Ecclesiae ignorat, saltem ut plerumque contingit; in utroque igitur deest culpa. At quandonam proclamatum ab aliquo Pontifice est, poenam spiritualem sine ulla culpa incurri, excommunicationem praesertim, quae maxima poenarum est? Unde nam probari poterit, aliquem posse formaliter legem transgredi sine cognitione legis, cum scriptum sit: *non cognovi peccatum nisi per legem?* (1). Ergo si in praesenti casu valeret dispositio legis, nullam in absolvente complicem culpam invenire possemus, proindeque definire eum nullam moereri poenam; ergo si hisce non obstantibus poena incurritur, dicendus est legislator incongrua sancivisse.

Id tamen iniuste de Benedicto diceremus, cum ipse in Confessario complice, ut latas poenas incurrat, requirat et notitiam complicis et temerarium ausum. Quae ne iterum probare cogamur, theologum et lectores remittimus ad ea quae in Comment. scripsimus a pag. 312 ad 316.

Nil dicimus de ratione addita: *cum agatur de eadem lege tam in praesenti quam in superiori casu.* Nonne enim agitur de eadem lege tam in praesenti quam in casu Balleriniano, et etiam in casu quo vicissim se complices in actu Sacramentalis confessionis agnoscunt? Quam inde consequentiam erues Professor optime?... Non lex determinat casum individuum, sed casus individuus determinat legis applicationem. Atqui inter utrosque casus adest ne paritas? Hoc tu antea probato.

Interea observare non praetermittimus, nullo pacto a nobis argumentum praesens deductum ex stricta interpretatione legis, eo quod sit odiosa, allatum fuisse in quaestione de Confessario complicem agnoscente (*Comment. pag. 322. Col. 2.*); sed in alia quaestione de Confessario complicem non agnoscente (*Comment. pag. 312 et seqq.*) ut probaremus eiusmodi Confessarium sub Benedicti lege non posse comprehendi. Quomodo autem nunc theologus affirmare possit illum argumentum contra hunc ipsum Confessarium non cognoscentem complicem facere, nos non intelligimus, et ut sincere loquamur, acumen mentis ol. theologi non assequimur. Non enim scripsit, argumenta a nobis allata pro poenitente qui Confessarium quidem complicem agnoscit, ab eo tamen non cognoscitur,

(1) Rom. VII. 7.

valere contra poenitentem qui a confessario cognoscitur; sed: *attamen contra hunc poenitentem* (scilicet qui a confessario non cognoscitur, ut ex contextu patet) *militant omnia argumenta a te allata contra alium poenitentem qui confessarium suum complicem non agnoscit.* Qua de causa non intelligimus, (et theologus clarissimus benignam det ignorantiae nostrae veniam) qua logicae regula, argumentum deductum ex stricta legis interpretatione et latum pro Confessario non agnoscente poenitentem complicem ea de causa quod Benedictus locutus sit de Confessario complicem agnoscente, impelli contra hunc ipsum Confessarium possit, complicem scilicet suum non cognoscentem.

Sed neque valet secundum argumentum deductum ex verbis legis *ad qualemcumque personam*, etiam admissa nostra explicatione de statu non morali sed subiectivo poenitentis. Nam si Confessarius complicem suum non agnoscit; quomodo observare legis interdictum poterit? quomodo cognoscere, se facultate poenitentem absolvendi carere? Theologus certe novit, Benedictum XIV legem statuisse; at legis executorem ipsum Confessarium complicem reliquisse; hic igitur quomodo legis praescriptum exequi poterit, ni complicem agnoscat? nam hoc in casu, se sub legis praescripto cadere deprehendere non potest. E converso: poterit ne idipsum affirmari de confessario complicem agnoscente, quamvis ab eo non cognoscatur? Ni fallimur, neutiquam: nam hoc in casu Confessarius et legem novit, et se sub lege complicem absolvere prohibente comprehendi intelligit, et etiam hinc intelligit, se illum absolvere non posse. Exinde perpendat theologus quanta vi, iure, et paritate argumenta proponat.

Ut autem de statu poenitentis subiectivo aliquid dicamus, quaerimus a praestantissimo Professore: an Confessarius complex statum subiectivum poenitentis cognoscere, nec ne, debeat? Si cognoscere debet: ergo debet complicem agnoscere. Ni cognoscere debeat, ergo Benedictus pro inconscientibus legem tulit. Atqui tu collega noster carissime, scripsisti paullo superius « *quae* (lex) *supponit semper scientiam*, vel to *scienter*. Si igitur lex supponit semper scientiam, quo iure Confessarium, qui complicem non agnoscit, arguemus? et qua argumenti vi rationem latam contra confessarium qui complicem agnoscit, in inconscium confessarium impellemus?

Equidem tu affirmas, statum subiectivum poenitentis in eo etiam posse reponi ut vel non agnoscat Confessarium complicem (quod nos affirmavimus, dum locuti sumus loc. cit. de statu subiectivo poenitentis), vel a Confessario complice agnoscatur, quod numquam diximus.

Verum dum nos locuti sumus de statu quocumque subiectivo poenitentis, necessario loqui debuimus de eiusmodi statu relate ad cognitionem quam Confessarius complex, tum de complice, tum de applicatione legis habere debet, numquam autem absolute, in se, scilicet, et nullo habito ad supradicta respectu. Hoc tibi evidens erit si consideres, in casu quo poenitens a Confessario complice non agnoscatur, nullum eius esse posse respectum relate ad peccatum complicitatis, et ad applicationem legis, et poenitentem complicem se ad Confessarium habere uti alium poenitentem quemlibet. Quare illud *quocumque* numquam excludere potest cognitionem complicis ex parte confessarii, nisi absurda devorare velimus; scilicet, Confessario de complice et de peccato complicitatis iudicium esse proferendum, quin complicem cognoscat. Adnotavimus autem, statum poenitentis qui cognoscit Confessarium falso vocari quoad cognitionem subiectivum, cum sit prorsus obiectivus. Erras quapropter dum scribis: *qui status* (subiectivus) *in eo reponendus est ut hic non cognoscat confessarium* complicem, *aut ab eo non cognoscatur*. Hoc fortasse tibi contigit, quia vocem *subiectivum* immutaveris in *moralem*, et unum cum alio confuderis.

Sed neque valet quartum argumentum conclusum sub generalissimo illo syllogismo paullo superius relato. Etenim Benedictus declaravit privatum qualibet absolvendi facultate Confessarium complicem qui complicem agnoscit, non autem eum qui non agnoscit, ut patet ex universa nostra circa eiusmodi argumentum disceptatione; quare minor syllogismi falso supposito laborat; nam hic poenitens quamvis sit complex Confessarii in re turpi, non est tamen ille complex, quem Benedictus absolvendum cavet, sub excommunicationis, et nullitatis absolutionis poena. Dum itaque syllogismus iste in quaestione de Confessario complicem agnoscente formaliter et materialiter stat; translatus a te ad quaestionem de Confessario complicem non agnoscente peccat contra primam ex octo regulis partialibus syllogismi simplicis: *Tum re, tum sensu, triplex modo terminus esto*. Nam in maiori assumis complicem eo sensu quo assumptus est in Constitutionibus Benedicti XIV, id est *formaliter;* vel reduplicative, quatenus scilicet complex agnoscitur; in minori autem assumis eamdem vocem *materialiter*, scilicet dummodo complex sit, quamvis a Confessario non agnoscatur. Haec autem sunt omnino cavenda Professor optime.

Prosequitur: « Ne autem putes » me solum esse qui expositas sen» tentias amplector; etenim eas » duobus Sacerdotibus proposui, » quorum unus doctor tum in utro» que iure, tum in Theologia erat, » alius autem vir Regularis senex,

» et in confessionibus excipiendis » peritissimus: hi autem suffragium » pro iis opinionibus tulerunt, quas » hucusque exposui, non partium » studio abreptus, (tu enim nosti » quanta existimatione, honore, et » amore te prosequar), sed tantum- » modo veritatis amore, quae utri- » que summopere cordi est etc.

De postremis amplissimas tibi gratias referimus, ut par est. Attamen quoad priora te, vir praestantissime, monere ducimus, nos quoque haec quae quomodolibet scripsimus contulisse cum Professoribus Romanis doctrina praestantissimis, quique certe a te recensitis praecellunt. Hi autem etiam in casu Ballerinano, nobis subscripserunt. Si igitur nos tecum auctoritate praestantissimorum virorum decertare vellemus, dares manus victas. Attamen non auctoritate, sed ratione decertare volumus. Hinc ad ea quae subdis properamus.

» Modo tibi casum propono, qui » valide discussus fuit inter quatuor » Sacerdotes, quos inter eram ego » cum quodam meo discipulo.

» Complex (mulier) sistit coram » Confessario complice, et nihil » omnino dicit de peccato turpi, » in quo complices fuere. Quid » agendum Confessario est in casu » quo hic certissimus est (*posto che* » *questi sia sicurissimo*) 1. Quod » poenitens fuerit formaliter com- » plex, et ideo gravis peccati rea: » 2. quod ipsa eiusmodi peccatum » nulli alii Confessario accusare po- » tuerit. Nec supponere potest, » poenitentem de gravi peccato » conscientiam non habere, cum ipse » Confessarius probe animadverte- » rit grave scandalum, quod illa » passa fuit. Sed neque suspicari » potest se a poenitente non co- » gnosci, cum ab ea proprio nomine » NN. vocetur, atque de cetero in » proprio Confessionali confessiones » excipiat.

» Si ipse de peccato turpi seu » complicitatis eam interrogat, tum » proprium crimen manifestabit, » tum periculo seductionis se, for- » tasse exponet, si eam audiat; » quibus subsequentur absolutionis » nullitas et excommunicatio. (Si » pone a evidente pericolo la reità » e forse anche la seduzione nel- » l'ascoltarla, la invalidità dell' as- » soluzione, e la scommunica). Ni » autem interroget, timet ne illa, » humani respectus caussa, culpam » reticendo duplex sacrilegium com- » mittat, tum absolutionem scilicet, » tum Eucharistiam percipiendo. » Nisi illam absolvat, cum alii for- » tasse adsint, hi mirabuntur, cum » eam non videant ad sacram Eu- » charistiam cum aliis accedere, et » ipsamet confusionem et pudorem » patietur. Si eam absolvat, sibi » videtur tum proprium ministe- » rium prodere, tum miserae grave » damnum inferre.

» Tu casum diligenter perpende, » qui de caetero non est totaliter » abstractus; et utinam numquam » contigerit, aut fore ut contingat.

» Quae tunc inter diversa sentien-
» tes protulerim, tuo prudentiori iu-
» dicio subiiciam.

» Si Confessarius rationabiliter iu-
» dicare potest, poenitentem pec-
» catum illud silentio praeterire
» oblivionis causa, cuius indicium
» esse potest quod in ceteris accu-
» ratam peccatorum suorum con-
» fessionem instituat, atque bonam
» voluntatem ostendat, in tali casu
» Confessarium teneri non puto ad
» eam particulariter interrogandam,
» sed tantummodo generaliter: *Ha-*
» *bes ne conscientiam tranquillam?*
» *Suppetit tibi aliud quod te turbet*
» *et inquietet?* etc. etc.

» Et deinceps eam absolvat, cer-
» tus cum esse possit tum de licei-
» tate, tum de absolutionis valore,
» tum de exemptione ab excom-
» municatione, cum poenitens in
» bona fide plene versetur, neque
» locum habeant circumstantiae in
» lege contemplatae, atque absit
» quodcumque periculum seductio-
» nis et profanationis. De cetero
» meum sapientiori tuo iudicio subii-
» cio. »

Sicut praestantissimus theologus nostro valde mediocri suum iudicium subiecit, ita haec nostra ipsius prudentiae subdimus.

Dicimus itaque, eiusmodi mulierem complicem a Confessario complice non posse absolvi.

Certus enim Confessarius est: 1. eiusmodi mulierem fuisse complicem formaliter, et in gravi culpa plane consentientem. 2. Eam eiusmodi peccatum nulli alii Confessario confiteri potuisse.

Habemus igitur perfectam cognitionem, quod poenitens mulier alii Confessario complicitatis peccatum confessa non fuerit.

Ergo duplex causa assignari potest, quare illud in confessione reticeat, scilicet, vel quod eius oblita fuerit, vel quod malitiose, seu verecundiae causa silentio praetereat.

At improbabile valde est eiusmodi peccatum oblivioni dari posse, tum quia in eo patrando grave mulier scandalum passa sit, tum consequenter, quia quid insuetum admisit, atque de cetero, ut casus supponit, conscientiam habeat se graviter tunc peccasse. At peccata eiusmodi, generice loquendo, oblivioni non dantur; quin immo ea sunt, quae in conscientia excutienda primum in mentem veniant. Quin addimus, ipsius complicis praesentiam eiusmodi peccata in memoriam revocare.

Neque potest Confessarius prudenter iudicare mulierem oblivioni peccatum complicitatis amandasse, ex quo accuratam aliorum peccatorum confessionem instituat. Etenim qui peccatum malitiose vult reticere, cetera omnia accurate confitetur. Id fortasse non semel ipse theologus in confessionibus excipiendis expertus est. Accedit in huiusmodi casibus rationabilem suspicionem oriri, ideo a poenitente complicitatis peccatum reticeri, quod illud noverit a confessario plane

cognosci, de eoque velle ab ipso interrogari, tum ut proprio pudori parcat, tum ne videatur iniuriam confessario irrogare.

Sed neque ex quo bonam voluntatem mulier ostendere videatur. Unde enim confessarius eiusmodi bonam voluntatem dignoscit? Ex quo ne protestetur se amplius peccare nolle? vel occasiones fugere? etc. Sed haec poenitentes omnes protestantur, etiam illi qui peccatum aliquod malitiose in confessione reticent. Atque de cetero, nescimus quodnam criterium de bona huiusmodi mulieris voluntate efformare sibi Confessarius possit, cum certus undequaque sit eam peccatum gravissimum silentio praeterire, quod alii confiteri non potuerit, quodque difficillime oblivioni datur.

Hisce praemissis, Theologum illam quaestionem latere non arbitramur, quam moralis Theologiae Tractatores sibi proponunt; quid scilicet agendum Confessario sit, si certo cognoscat peccatum aliquod a poenitente reticeri? Praetermissa cognitione, quam Confessarius habet ex confessione alterius, quae in praesenti casu locum non habet, responsionem doctissimi Suaresii dabimus, cuius verba citantur a cl. Ballerinio *apud Gury T. III Tract. de Sacram. Poenitentiae* pag. 575. Nota *a* Edit. 1878. « Si ipse Confessor suis oculis vidit peccatum, » et probabiliter existimare possit, » poenitentem esse confessum alteri » illud peccatum, dissimulare potest » et credere, tunc negare illud, quod » non tenetur iterum illud confiteri. Si autem omnino sit evidens, » illum mentiri contra integritatem » confessionis, non tenetur ita stare » dictis poenitentis, ut non possit » uti scientia sua ad convincendum » et redarguendum ipsum poenitentem. »

At ipse Gury clarius fortasse et verius inquit *pag. et loc. cit.*. « Si » Confessarius sit omnino certus de » peccato a poenitente commisso, » quia v. gr. ipse furantem vidit, » audivit blasphemantem, vel id » novit ex certa aliorum relatione, » non potest negantem absolvere, » modo certus sit, illum sui pec» cati non oblitum fuisse, nec » ullum habere motivum illud re» ticendi; nam regula haec: *creden» dum poenitenti* etc., valet quidem in re minus certa, non au» tem in re evidenter certa. »

Ita pariter Scavinius, qui pro sua sententia citat Billuart, Concina, Layman, Lugo.

Atqui, ut supponit casus a praestantissimo theologo expositus, confessarius complex est certus tum de poenitentis gravi culpa, utpote quae fuerit ipsius complex, et est pariter certus eam alteri confessario peccatum complicitatis non accusasse: Quomodo igitur, et qua ratione eam absolvere poterit?

Neque Confessarium aliquo pacto ratio illa excusare potest, quod si eam de peccato complicitatis inter-

roget, tum proprium crimen manifestabit, tum seductionis periculo se exponet etc. Nam quoad criminis manifestationem, casus supponit poenitentem fuisse formaliter complicem, et peccati gravitatem novisse; gravitas ergo criminis cum utriquè manifesta sit, nullum periculum patietur; neque ullum aderit seductionis periculum, cum Confessarius poenitentem complicem audire non debeat, neque de consensu praestito interrogare, cum, ut casus supponit, id aliunde noverit; sed tantummodo: an peccatum illud etc. alii Confessario exposuerit; quod si poenitens negative respondeat, moneat se a peccato complicitatis eam absolvere non posse, ideoque alium adeat Confessarium.

Pariter nullum Confessario suffragium fert ratio, quod nisi complicem absolvat, alii, qui forte adfuerint, mirabuntur, quod mulierem non videant ad Sacram Eucharistiam accedere, atque hinc confusionem et pudorem illa patietur. Benedictus enim XIV audire et absolvere complicem eo in casu permisit, si, scilicet ex negatione confessionis vel absolutionis aliqua exoriatur infamia aut scandalum. At quae infamia aut scandalum timendum est in praesenti casu? Nonne frequentissime contingit, ut alicui poenitenti denegetur absolutio, ob idque hic non possit ad S. Eucharistiam accedere, et adstantes mirentur? Quid inde? Fortasse ne, ex eo quod haec contingere possint danda est indignis absolutio? De quo insuper mirabuntur adstantes?

Non certe de complicitatis peccato, quod plane nesciunt; at ni de re eiusmodi mirentur, nescimus in quo alio reponenda sit infamiae et scandali ratio.

Certe relate ad Confessarium absolutionem denegantem dicturi erunt, eum munere suo functum fuisse. Hisce addimus, eo quod mulier ad Eucharistiam non accedat, concludi non posse eam absolutionem non retulisse.

Cum itaque Confessarius ex propria scientia certus undequaque sit, mulierem graviter peccasse, illius peccati absolutionem a nullo alio confessario referre potuisse, difficillime eiusmodi peccatum posse oblivioni dari, cum ipsius confessarii praesentia illud in memoriam poenitentis revocet, patere arbitramur ei absolutionem dare non posse, nullamque esse absolutionem ex indispositione poenitentis.

Attamen, si poenitentem absolvat, incurrit ne excommunicationem in absolventes complicem latam?

Negative respondendum esse videtur. Etenim Benedictus XIV prohibet sub excommunicationis poena absolutionem complicis in peccato turpi. Eiusmodi autem mulier peccatum turpe non confitetur, de eoque neque verbum habet. Quare absolutio quam imprudentissime Confessarius impertitur, nullo pacto in peccatum complicitatis cadit.

E contra lex est odiosa et stricte interpretanda. Hinc nullam quidem absolutionem ob mulieris pravam animi dispositionem putamus; at Confessarius non videtur excommunicationem incurrisse.

Post haec nil aliud nobis superest, quam amplissimas praestantissimo theologo gratias referre, quod maxima urbanitate nobis praedicta exponere dignatus sit, et ad nostras sententias melius fortasse probandas compulerit.

Valeat autem in Domino.

COMMENTARIA

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICAE SEDIS

Tomus II.

COMMENTARIA

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICAE SEDIS

QUA

CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR

AUCTORE

IOSEPHO PENNACCHI

IN SEMINARIO ROMANO, ET IN COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE
HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORE

Tomus II.

Complectens Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis et nemini reservatas, tum Suspensiones et Interdicta latae sententiae Summo Pontifici reservata.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1906

PARS TERTIA

EXCOMMUNICATIONES *LATAE SENTENTIAE* EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

APPENDIX XXXI.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN CLERICOS IN SACRIS CONSTITUTOS, VEL REGULARES AUT MONIALES POST VOTUM SOLEMNE CASTITATIS MATRIMONIUM CONTRAHERE PRAESUMENTES.

Excommunicationi latae sententiae, prosequitur Pius Papa IX in Const. *Apostolicae Sedis moderationi*, Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus.

I.

Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

Initium daturi hoc in secundo volumine Commentationibus circa excommunicationes Episcopis sive locorum Ordinariis reservatas, gratum lectoribus nos facturos arbitramur, si ut aliis Commentatoribus mos est, differentias innuamus intercedentes inter excommunicationes Episcopis de iure communi reservatas, et eas quae de iure particulari eis reservatae sunt.

Et 1° cum manifestum sit, censuras Episcopis de iure communi reservatas, non ab ipsis, sed vel a Romano Pontifice, vel ex iure latas fuisse, eaedem sunt in qualibet Dioecesi, atque neque minui neque augeri possunt, cum ad haec Episcopi non habeant facultatem, nedum in se, sed etiam respective, eo quod in alienas Dioeceses potestatem exercere nequeant; quae autem de iure particulari eis reservatae sunt, cum ab ipsis latae fuerint, eaedem non sunt in singulis Diocesibus, vel ad summum per accidens; minui insuper, augeri, vel omnino tolli ab Episcopis possunt.

2°. Quae censurae de iure communi Episcopis reservantur, cum a Romano Pontifice in universam Ecclesiam habente potestatem la-

tae fuerint, indiscriminatim quorumvis Episcoporum subditos afficiunt, in quacumque Dioecesi consistant; in quacumque enim Dioecesi subditi Romani Pontificis manent; quae autem de iure particulari reservatae sunt Episcopis, afficiunt tantummodo subditos, subiacentque quoad non subditos illis omnibus exceptionibus, quas Canonistae recensent.

3° Demum a censuris de iure particulari reservatis, qui eam contraxit, tantummodo ab Episcopo loci absolvi potest; cum enim par in parem non habeat potestatem, non potest Episcopus alienos subditos absolvere; ab censuris autem reservatis de iure communi potest absolvere Episcopus quilibet, tum ex lege lata, tum ex quo censurae eiusmodi non afficiant potestatem iurisdictionalem seu coercitivam Episcopi, cum a Romano Pontifice latae sint, sed tantummodo potestatem eas absolvendi, quae aequalis in omnibus est, cum ea a Romano Pontifice indistincte omnibus Episcopis concessa fuerit.

Hisce praemissis Pianum Caput expendamus.

Atque 1. novum ius inter et antiquum differentias adnotabimus.

2. Conditiones perpendemus ad ejusmodi incurrendam excommunicationem necessarias.

3. Varias quaestiones, in quibus Commentatores inter se dimicant proponemus, et Deo auxiliante, absolvemus.

Quoad 1. itaque, Piani Capitis excommunicatio iam lata fuerat ab Clemente V. in Concilio Viennensi anno 1311 (1) atque refertur in *Clement. unica de consang. et affin.* « Eos, qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non religiosos et moniales ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refraenare metu poenae ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere; praecipientes Ecclesiarum Praelatis ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tandiu nuncient, seu a subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque iuribus, quae sic contrahent bus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari. »

Patres igitur Concilii Viennen-

(1) Quamvis certum sit, nonnullas Clementinas constitutiones promulgatas fuisse in Concilio Viennensi, tamen difficillimum, ne dicamus impossibile, est decernere, quaenam a Pontifice Sacro approbante Concilio latae fuerint, quaenam, vero ipsius Pontificis arbitrio commissae.

sis excommunicationi subiecerunt 1° quoslibet non verentes scienter contrahere matrimonia cum monialibus. 2° Religiosos, moniales, et Clericos in Sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes

Collata igitur eiusmodi cum Piano Capite dispositione, reperimus novum ab antiquo iure discordare 1° in eo quod Clementina sive ex verborum significatione, sive ob interpretum expositiones quoslibet Religiosos proprie dictos comprehenderet ; qua de causa vi Clementinae Iesuitae qui post duos annos probationis, ex privilegio eis concesso a Gregorio XIII in Bulla *Ascendente Domino,* diei 25 Maii 1584 veri religiosi habentur, quamvis professionem solemnem non emittant, sub lege comprehendebantur : non ita tamen post pianam Constitutionem, in qua excommunicantur tantummodo religiosi matrimonium contrahere attentantes post votum solemne castitatis. Ex quo sequitur Religiosos solemniter non professos, etiam Societatis Iesu, aut Sanctimoniales votorum simplicium matrimonium nunc contrahere attentantes, excommunicationem hanc non incurrere.

2° Clemens V. excommunicationi quidem subiecerat eos omnes qui cum monialibus matrimonia contrahere non vererentur, non autem mulieres quae Clericis in sacris Ordinibus constitutis, aut Religiosis, solemniter professis nuberent; Pius autem Papa IX excommunicationem et ad has extendit, *nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

3° Nemini Clementina excommunicatio reservata erat, cum eiusmodi sacrilega matrimonia contrahentes tamdiu excommunicati esse deberent, *donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur.* Si igitur adimplessent praescriptam conditionem a quolibet absolvi censura poterant. E contra in Piano Capite Episcopis censurae absolutio reservata est etiam postquam contrahentes eiusmodi ab invicem sese separaverunt.

4° Praetermittimus, Pium Papam IX non renovasse excommunicationem, qua cavebatur ne quis contraheret infra consaguinitatis vel affinitatis gradus in iure prohibitos, cum rem nostram non ingrediatur.

Ex dictis autem patet, antiquum ius partim restrictum, partim ampliatum fuisse: ampliatum quidem relate ad personas quae excommunicationem contrahunt, cum haec nunc extendatur etiam ad foeminas quae clericis in sacris constitutis, vel religiosis solemniter professis nubunt, rectrictum autem relate ad absolutionem quae prius quidem nemini reservata erat, nunc autem reservatur Episcopis.

II.

Triplex autem conditio ad incurrendam excommunicationem prae-

scripta reperitur; prima quidem ut matrimonium contrahentes constituti sint in sacris Ordinibus si Clerici, votum solemne castitatis emiserint, si utriusque sexus monachi. Hinc sequitur, Religiosos votorum simplicium, quamvis veri nominis sint Religiosi, ut alumni Societatis Iesu, nullam incurrere excommunicationem, si matrimonium cum saeculari foemina attentaverint; secus si cum sanctimoniali votis solemnibus obstricta; sic etiam sanctimonialis votorum simplicium nullam excommunicationem contrahet, si nubat viro saeculari vel ecclesiastico in minoribus ordinibus constituto, aut Religioso solemniter non professo, contrahet autem si illi vel sacris ordinibus, vel solemni professione sint obstricti.

Sequitur pariter, neque Clericos, neque Religiosos eiusmodi hanc incurrere excommunicationem, si vitio aliquo ordinatio in sacris, aut solemnis professio religiosa nulla sit; hi enim dici non possunt, neque sunt in sacris ordinibus constituti, aut solemniter professi.

Neque quis obiiciat, hos in communi hominum existimatione haberi tamquam in sacris constitutos, et solemniter professos; lex enim loquitur de vera et valida ordinatione et professione solemni, non autem de professione, aut ordinatione invalida, atque in poenalibus verba sunt stricto sensu accipienda.

Advertendum tamen est, quod in dubio de valore ordinationis aut professionis, incurritur excommunicatio, eo quod in dubio praesumitur factum quod de iure faciendum erat; atque non pertineat ad eiusmodi homines, qui validissimas etiam Ordinationes et professiones in irritum mitterent, de valore earum iudicium ferre, sed ad iudices ecclesiasticos, qui iuxta acta et probata sententiam ferant.

Altera conditio est, ut hi matrimonium contrahant; hinc si vel unicis sponsalibus sese ligent, vel in concubinatu vivant, excommunicatione non ligantur, cum nec sponsalia, nec concubinatus matrimonium sint, nec lex poenalis extendi possit de casu in casu ab rationis paritatem: Sequitur pariter, quod si matrimonium nullum sit ob defectum consensus, excommunicatio non incurritur, cum dici non possint matrimonium ii velle contrahere, qui consensum necessarium ad eius valorem non ponunt: hoc autem locum habet, quamvis una tantummodo pars fictum consensum praestet, cum matrimonium utriusque contrahentis consensu perficiatur.

Sedulo tamen advertatur quod cum in locis ubi Tridentinum Concilium receptum non fuit, sponsalia, quibus subsequebatur copula affectu maritali habita, in legitimum matrimonium transirent, atque ius novum nihil in re immutaverit; si qui Clerici in sacris constituti, aut Religiosi solemniter professi sponsalia contraherent, at-

que postea sponsam maritali affectu cognoscerent, hi dicendi essent ex communicationem contrahere, eo quod matrimonium per subsequentem copulam contrahere praesumpserint (1).

Hoc autem in locis tantummodo, in quibus Tridentinum receptum non fuit, valere putandum est; iis autem in locis ubi Tridentina lex viget, ad contrahendam excommunicationem unica matrimonii celebratio, quamvis invalidi, satis erit, quin copula consummetur, cum lex non consumationem, sed ipsam celebrationem matrimonii afficiat: *matrimonium contrahere praesumentes*: qua in re ius novum cum veteri plane concordat.

Ex praemissis sequitur pariter, nullam incurrere excommunicationem Clericos et Religiosos eiusmodi si matrimonium cum impubere contrahant, cum impuberes tamquam incapaces in iure habeantur ad matrimonium proprie dictum contrahendum, eorumque consensus etiam de praesenti sponsalia tantummodo constituere possint, ut patet ex Cap. *Infantes unic*| *de despensatione Impuberum* (2).

Verum hoc in loco gravissimam quaestionem Commentatores agitant

(1) Ita Bonacina *De Excommunicationibus in particulari Disp. II, Quaest. II. Punct. VIII. num. 14.* Eius autem sententia confirmatur ex Cap. *Is qui* 30 *De sponsalibus et matrimonio.* « Is qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio » contrahendo, insuper carnali copula subsecuta, etsi in facie Ecclesiae ducat aliam » et cognoscat, ad primam redire tenetur; quia licet praesumptum primum matri» monium videatur, contra praesumptionem tamen huiusmodi non est probatio ad» mittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium » quod de facto est postmodum subsecutum ». Nulla vero esset fides illa nisi carnalis copula subsequatur, ut ex textu patet.

(2) « Si infantes ad invicem vel unus maior septennio et alter minor sponsalia » contraxerint; ipsi vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, » seu alias verbo vel facto ipsorum liquide appareat eosdem in eadem voluntate » factos maiores septennio perdurare; sponsalia huiusmodi quae ab initio nulla » erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt; et ideo cum sint nulla » ratione defectus consensus publicae honestatis iustitiam non inducunt.

» Idem quoque si pubes et impubes vel duo impuberes non proximi pubertati, » et in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de praesenti; » sponsalia enim illa quae iuris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de fu» turo (licet verba consensum exprimentia de praesenti haberent, et matrimonium » contrahere intenderent contrahentes) per adventum pubertatis in matrimonium » non transeunt de praesenti: nec matrimonium (quod ut matrimonium aetate non » tenuit prohibente) per lapsum dicti temporis convalescit; nisi per carnis copulam » subsecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum eiusdem perse» verantia voluntatis ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter. Per » dictum tamen contractum, qui voluit ut potuit, non sicuti agebatur, publicae » honestatis iustitia est inducta. »

in qua dirimenda discrepantes reperiuntur.

Quaerunt enim: an excommunicatione exempti iudicandi sint Clerici in sacris Ordinibus constituti, aut Religiosi qui votum solemne castitatis emiserunt, si matrimonium contrahere praesumant, quod sit nullum ex alio capite, ex. gr. quod contrahentes consanguinei sint, vel aliquo dirimenti impedimento laborent; valeret autem matrimonium eiusmodi, si ordo sacer, vel votum solemne castitatis in alterutro contrahente validitatem eius non impediret?

Alias; necessarium ne est ad excommunicationem incurrendam ut matrimonium nullum sit tantum ratione sacri ordinis, et voti solemnis castitatis, ita ut si nullum esset ex alio aliquo impedimento dirimenti excommunicatio non incurratur?

Clarissimus Commentator Reatinus *Comment. sect. 3. pag. 89. Edit. 3.* diserte affirmat, excommunicationem non contrahi si matrimonium sit nullum ex alio capite, et non tantum ratione Ordinis vel voti castitatis: « Quocirca excom» municatio non incurritur si..... » vel demum 3. quodvis aliud ob» stiterit dirimens impedimentum: » v. gr. si contraxerint cum con» sanguinea vel affini, vel socio cri» minis vel infideli ».

Ei porro subscribunt De Varceno *Compendium Theologiae Moralis tom. 2. pag. 491. Edit. IV. 1876* (1) Ciolli *Commentario prattico delle censure* pag. 105. (2) Ballerini in notis ad *Gury tom. 2. pag. 1003 nota a.* (3). Cretoni *in adnotationibus ad Gury tom. 2. pag. 615* huic sententiae favere videtur, quamvis proprium iudicium aperte non exprimat. Comentator. Patavinus *pag. 244. n. 326.*

Hi vero sequentibus argumentis sententiam propugnant.

(1) Quamobrem non incurritur excommunicatio si matrimonium contractum fuerit cum affine vel consanguinea, vel socio criminis, .. vel cum infideli. – Item si contractum sit cum alio impedimento dirimente.

2) Ad incorrere detta censura richiedesi *primo* che codeste tali persone attentino di contrarre vero matrimonio, che fosse valido per ogni altro lato, se non fosse appunto l'impedimento dell'ordine e del voto; *secondo* che attentino ciò con piena deliberazione (sciens volens), poichè mancando l'una o l'altra di queste condizioni non si potrebbe dire d'avere attentato il matrimonio, non potendosi allora tale atto chiamare con questo nome, e quindi correrebbe l'assioma: *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum*; dovendosi interpretare strettamente la parola matrimonio. Per conseguenza richiedasi, ad incorrere la censura, che attentino quell'atto il quale abbia buona forma e sembianza di matrimonio, e che non sia invalido per altro motivo che appunto per l'Ordine Sacro o il voto solenne.

(3) Posthabenda itaque prorsus ea sunt, quibus Avanzini (n. 35 sanctionem hanc extendit ad matrimonia, quae alia ex causa irrita forent, prout et Cretoni.... ostendit.

1°. Quia canon est, non incurrere poenas comminatas illos qui actum nullum ponunt, ut ex. gr. si Sacerdos suspensus missam celebraret in vino, irregularitatem non incurreret.

2°. Ex axiomate iuris: *quod nullum est nullum parit effectum;* quod axioma desumptum est ex regula iuris 52: *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum,* scilicet, ut hanc regulam interpretatur Reiffenstuel: quidquid de iure nullum, seu invalidum est, consequenter omni caret iuris effectu, prorsus nullum causat impedimentum, seu nullatenus impedit quin alius actus valide et licite fieri queat.

3°. Quia doctores Salmanticenses Suarez et Sanchez hanc defendunt opinionem.

4°. Addit Ciolli *loc. cit.* quia in his casibus deest matrimonii figura.

5°. Clarissimus autem Commentator Patavinus eamdem opinionem triplici ratione defendit: et quod Commentatores in ejusmodi sententia defendenda communiter conveniant, et quod in dubiis minimum sit tenendum; et quod etiam antiqui iuris interpretes in exponendis verbis clementinae legis *contrahere matrimonialiter, matrimonia contrahentes* eamdem normam secuti sint (1).

Verum praeter Avanzinium, his omnibus contradicunt clarissimi scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique tom. XI. pag. 54.*, qui adductas etiam rationes refutare curant, quorum argumenta hac in quaestione referenda prius censemus, ut deinceps sententiam nostram humillime proferamus.

Ad primum et secundum argumentum respondent, regulam 52 iuris canonici in re potuisse invocari, si legislator, quo latae poenae incurrerentur, validum matrimonium exegisset. At actus, quem excommunicatione ferit, est actus per se nullus: ergo si huic actui applicaretur citata iuris regula, plana excommunicatio non incurreretur

(1) Requiritur secundo, scribit, ut revera contrahatur matrimonium. Opus est nempe ut matrimonialis contractus ita celebretur, ut si non officeret impedimentum Ordinis vel Voti, de quo sermo est in praesenti articulo, veluti validum ac ratum matrimonium in facie Ecclesiae posset haberi. Hinc deducitur, quod si praeter praefata impedimenta aliud quidpiam validae celebrationi officeret; qui contractum huiusmodi attentaret, vere ac proprie non diceretur attentare matrimonium, ac proinde huic excommunicationi non esset subiiciendus. Secundam hanc conditionem esse adiungendam omnino indicavi, tum quia in dubiis de poenarum applicatione quod *minimum est tenendum:* tum etiam quia in ea admittenda recentiores auctores quasi unanimiter concordant; tum demum quia etiam veteres theologi in interpretanda ea voce Clementinae legis: *contrahere matrimonialiter, matrimonia contrahentes,* eamdem, quam nos, normam sequuti sunt, ut videre est apud Bonacinam.

neque in ipso actu quem prohibet (1).

Relate ad auctores quos pro se adversae sententiae patroni allegant, observant, in locis ab Reatino Commentatore citatis Salmanticenses nullo pacto propositam quaestionem agitare, sed quaerere : *utrum contractus matrimonii possit a ratione sacramenti separari?* quae profecto quaestio nil commune cum praesenti habet; allegari quapropter Salmanticensium auctoritatem non ad propositum.

Suarez e contra *De Censuris disp. XI, sect. III, n. 14*, quem locum Reatinus citat, definit quaestionem, quod is qui simulat actum ponere a lege proscriptum, quemque proinde reapse non ponit, poenas illatas non incurrit ; cuius definitionis ratio est ex eo manifesta, quod actus a legislatore prohibitus non ponitur. At subsequentibus numeris Suaresius *ex professo docet*, nullo pacto necesse esse ut ad incurrendas poenas actus sit validus. Atque expresse affirmat, christianum qui matrimonium inivit cum consanguinea infideli, Clementinam excommunicationem incurrere, quamvis matrimonium illud invalidum esset ob impedimentum disparitatis cultus.

Quantum ad Sanchez attinet, hic *De matrimonio lib. VII*, (et non lib. VIII, ut Reatinus citaverat) *disp 48, n. 10* decernit nullimodis excommunicationem incurri si vitio laboret consensus, quia legislator malam contrahentium voluntatem punire intendit; talem igitur consensum requiri, ex quo validum matrimonium exurgeret, si aliquo impedimento nullum non esset. Hanc autem doctrinam nullo pacto Reatini opinioni favere.

At ulterius Sanchez lib. III, disp. II, n. 2. inquirit: Incurritur ne statuta poena si actus est invalidus? Atque respondet: « Praemittenda est haec regula ad discernendum, quando poenae actui impositae incurrantur, licet actus sit nullus. Aut enim lex considerat tantum factum et animum facientis, non autem iuris effectum; et tunc incurruntur poenae per actum invalidum, quia attentatur factum, et pravus animus adest. Aut considerat iuris effectum, et tunc non incurruntur, cum actus ille iuris effectum sortitus minime sit. »

At si eiusmodi doctrina nostrae quaestioni applicetur, certum est undequaque, Legislatorem non potuisse considerare tantummodo factum aut iuris effectum, matrimonium scilicet validum; hoc enim ob ordinis vel solemne castitatis votum semper invalidum fuisse; ergo considerare debuit, poenisque plectere factum sine iuris effectu, scilicet intentionem contrahentium. Ex quibus sequitur, Sanchez auctoritatem nihil praedictae opinioni favere.

(2) Appliquez ici la règle dont se prévaut le Commentateur de Rieti; et l'excommunication de la Constitution *Apostolicae Sedis* sera abolie par le fait même.

4°. Negant autem in hisce factis deesse *matrimonii figuram* eiusmodi exemplo. Si Presbyter, aut Religiosus professus Parocho adstarent ut matrimonium contrahant cum consanguinea aut affini, et Parochus duplex impedimentum ignorans, matrimonio illi benediceret, num ne in eiusmodi contractu *deesset matrimonii* figura?

5°. Pariter minime ratiocinia admittunt a cl. Commentatore Patavino adducta. Primum enim respuunt ex quo nullo pacto necessarium sit, ut matrimonium sit aliunde validum, cum matrimonium eiusmodi semper uti invalidum haberi debeat.

Subsidiarium autem esse principium: *in obscuris minimum est sequendum,* adhibendum scilicet casu quo aliunde de veritate satis non constat, primum enim et absolutum illud esse quod sub regula 45 proponitur: *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit;* qua de causa si vel ex circumstantiis, vel ex verbis legis, vel ex fine quem sibi Legislator proposuit sensus legis deprehendatur, relatum principium subsidiarium locum non habere certissimum est, atque nullum interpretem adhuc probasse constat adhibendum esse in re principium *in obscuris quod minimum est sequendum,* etenim sive finis a legislatore intentus, sive verba quibus lex exprimitur, sive circumstantiae legis obscuritatem in re excludunt.

Falsum denique esse sive omnes modernos Commentatores Constitutionis Pianae, sive antiquos Clementinae legis Commentatores propositae ab Reatino sententiae adhaerere: Quoad illos enim septem habentur auctores, quos inter Avanzinius noster, qui contrarium defendunt; cum enim hi affirment, excommunicationem eos Clericos in sacris constitutos, vel religiosos solemniter professos incurrere, qui contrahere matrimonium civile non verentur, multo magis hi dicendi sunt eamdem sententiam tenere, cum matrimonium ab personis huiusmodi contractum aliquo alio impedimento teneatur, quam impedimento clandestinitatis; etenim hoc in casu contractus ille evidentiorem matrimonii figuram habet; deesse hinc recentiorum Commentatorum consensum.

Sed deesse etiam consensum Commentatorum Clementinae *Eos qui* certum omnino esse. Etenim auctores hi quamvis quaestionem expresse non proponant, docent tamen expresse, incurrere excommunicationem omnes qui Clementinum Canonem violantes matrimonium contraherent cum impedimento disparitatis cultus; ergo et cum alio impedimento quolibet dirimente; atque eiusmodi sententiam tum Suaresium *Tract. de Censuris disp. 23, sect. V. n. 11.* tenere, tum Bonacinam *De Excommun. in part. quaest. II. puncto VII, n. 20.*

Rosignoli vero in *Tractatu de*

Ordinibus Ecclesiasticis, part. II, quaest. VI, art. XV, n. 4. et 5. quaestionem directe proponere atque huiusmodi dirimere.

« Quid si contraxerit matrimonium ex alio defectu substantiali » invalidum? Absolute sentiendum » est contrahere excommunicationem istam latam in dicta clementina unica *De consanguin.* et » *affin.* et in hoc consentire videtur Covarruvias *De matrimonio* » *part. II, cap. VI,* §. *3. n. 5,* » dum asserit, contrahentem matrimonium invalidum, dum est in » sacris constitutus, privari beneficiis. Rationem ex eo deduco, primo » quia ex invaliditate praecise matrimonii non demitur illa poena » excommunicationis, si quidem eo » ipso, quo quis in sacris constitutus contrahit matrimonium, hoc » ex dispositione iuris est invalidum.

» Dicere deinde, quod haec invaliditas proveniens ex Ordinibus » sacris non consideretur ad eximendum a poena, cum haec propter ipsam contrahatur, non videtur evacuare difficultatem, quandoquidem si ratio adversantium, » ob quam asserunt contrahentem » matrimonium ex alio capite invalidum non contrahere hanc excommunicationem, est, quia illud » matrimonium non est matrimonium, etiam in hoc casu matrimonium contractum per constitutum in sacris non est proprie » matrimonium.

» Quod deinde in hoc secundo » casu excommunicatio imponatur » ob illud attentatum contrahendi, » dum est impeditus voto, nil videtur officere, cum maius sit attentatum contra dispositionem iuris contrahere invalide (etiam) ex » alio capite, quam contrahere invalide ex hoc solum capite, et » mens iurium prohibentium sub » tali poena est retrahere ab eo, » quod est contra castitatem professam, et non minus est contra » hanc contrahere invalide ex hoc » quam ex alio capite.

» Secundo rationem ex eo deduco, quod gravius est delictum » contrahere matrimonium ex hoc, » et ex alio capite invalidum, quam » contrahere praecise invalide ex » hoc capite, cum vere intendat in » utroque casu matrimonium contrahere. Ergo si in hoc casu contrahitur excommunicatio, et in » illo contrahi censenda est, cum » in illo etiam habeat figuram matrimonii.

» Nec obstare potest, si dicatur iura gravius punire delictum » ipsum formale, quam conatum » ad delictum; in hac autem » hypothesi esset solum conatus ad » delictum, non ipsum delictum, » cum matrimonium esset invalidum. Non, inquam, obstare potest; quia delictum, ob quod imponitur talis poena, consistit in » eo, quod constitutus in sacris » medio matrimonii violet votum » castitatis annexum eisdem sacris

» ordinibus. Hoc autem praestat » sive per matrimonium nvalidum » ex hoc, vel alio capite, cum » semper praeferat figuram matri- » monii ».

Quibus relatis, affirmant citatae Ephemeridis Scriptores, ratiocinium Rosignoli conforme reperiri tum literali legis sensui, tum legis fini; literali quidem sensui, quia habetur conatus ad matrimonium, fini autem legis, quia legislator unum intendit, poenis scilicet plectere violationem voti castitatis.

Addunt, contrariam sententiam ad absurda conducere. Si enim duo presbyteri, vel duo religiosi professi matrimonium contrahere attentarent cum mulieribus, quarum una matrimonio copulata sit, alia lege viri soluta, sequeretur eum quidem qui cum hac contrahit excommunicationem incurrere, minime alium, quamvis castitatis votum gravius violet. Id autem absurditatem redolere.

Non inficiamur quaestionem gravissimam esse, eamque speculativis argumentis difficile resolvi; quin igitur eam resolvere nostri ingenii mediocritate praesumamus, nonnulla lectorum nostrorum iudicio consideranda proponimus, de quibus ipsi sententiam ferant.

Et 1° negari non posse videtur, Clementinam loqui de matrimonio, quod communiter verum matrimonium censebatur, quamvis per se nullum esset ob Ordinis vel voti impedimentum, scilicet de actu illo quo contrahentes generaliter vero et proprie dicto matrimonio sese obstringebant si nullum intercessiset impedimentum dirimens; hinc vocabulum matrimonium stricto sensu in Clementina esse accipiendum, et a Doctoribus fuisse acceptum, pro actu illo scilicet, quo contrahentes matrimonia contrahere solebant; aliae enim coniunctiones non matrimonium sed concubinatus, illicitae coitiones, illiciti concubitus appellari solebant et habebantur, quocumque demum modo initae fuerint.

Certum pariter est, Pium Papam IX Clementinam legem renovasse.

Atqui cum aliquod dirimens impedimentum in matrimonio aliquo intercedit, quodque in propatulo sit, nemo coniunctionem illam uti matrimonium habet; ergo de matrimoniis quibus aliquod aliud subesset impedimentum dirimens manifestum, sicut Clemens V, ita Pius IX qui eadem verba adhibuit, loqui non potuit.

Neque obstat, S. Officii Congregationem, ut inferius videbimus, die 22 Decembris 1880 decrevisse incurri hanc excommunicationem, si contrahatur matrimonium civile; extensio enim legis est; atque deinceps potius Reatini sententiae quam adversae eiusmodi decretum favet; ad unum enim civile matrimonium Pianum Caput extendit, non ad alias quamvis illegitimas et invalidas matrimoniales coniunctionesi; at si qui Clericus vel Religio-

sus coram Parocho et testibus ubi Tridentinum Caput receptum est, matrimonium contrahere praesumerent cum alio impedimento dirimente, hi dici non possunt contraxisse matrimonium civile: ad hos igitur Congregationis S. Officii decretum extendi non posset; aliae igitur maritales coniunctiones in eo statu etiam nunc manent, in quo prius erant; cum itaque matrimonii nomine antea venirent ritus, quo vir et foemina vero matrimonio sese copulare intendebant; ritus autem matrimonialis, cui obesset impedimentum dirimens numquam matrimonium vocabatur vel erat, ergo de hisce matrimoniis legislatores citati locuti fuisse vel dicendi non sunt, vel saltem merito dubitare possumus an de illis locuti fuerint.

2° Negari non potest pariter, legem hanc esse odiosam, non extendendam consequenter ultra naturalem verborum sensum: per *matrimonium* autem intelligi ritum usitatum et lege ecclesiastica vel praescriptum, vel permissum, ut matrimonia clandestina in locis ubi Tridentina lex recepta non fuit, quique ritus proinde verum matrimonium conficeret, nisi aliud obstet: at certum est matrimonium aliunde nullum, nullo iure matrimonium vocari.

3° Utique matrimonium, de quo agimus nullum est ratione ordinis aut voti; at primo Legislator hoc impedimento irretitis matrimonium attentare prohibet; nisi enim eiusmodi impedimento irretiti essent matrimonium contrahere non potuissent prohiberi; de unico ergo impedimento ordinis aut voti legislator videtur rationem habuisse.

Secundo, quaestio non in eo versatur, utrum matrimonia eiusmodi sint, nec ne valida; Legislatores enim noverant, et cuncti noverant invalida prorsus esse, sed in eo: utrum legislatores incluserint etiam cetera quaeque dirimentia impedimenta, hasque coniunctiones *matrimonii* titulo honestaverint. Id vero ab adversariis Reatinae sententiae probatum non fuit, et nescimus quomodo probari possit.

4° De Legislatoris intentione complectendi sub matrimonii nomine alias coniunctiones aliunde, nullas, non constat ex sensu verborum, ut patet; non ex circumstantiis latae legis, quas adversarii non adducunt, quaeque ex textu non deprehenduntur; non ex fine a Legislatore intento, qui cum fuerit castitatem in Clericis et monachis sartam tectamque servare, ut praefati scriptores affirmant, debuisset sub eadem excommunicatione etiam concubinatum, aliasque impudicas consuetudines comprehendere quae nullam matrimonii figuram praeseferunt.

Hinc in re non incongrue adoptari principium: *In obscuris vel dubiis, quod minimum est sequendum.* Ut enim ratiocinatur Reiffenstuel Regula XXX n. 4. « Quando » in lege, statuto, aut alia disposi- » tione sensus ita obscurus est, ut

» neque ex natura actus, neque ex » antecedente aut subsequente te- » nore verborum, neque ex con- » suetudine loci, nec ex aliis cir- » cumstantiis vera legislatoris, vel » aliter disponentis voluntas ac in- » tentio, saltem verisimiliter satis » appareat, id, quod minimum, » hoc est, quod minus obligat » vel gravat, sentire debemus. Ra- » tio est, tum quia iura proniora » sunt ad liberandum quam obligant » dum, magisque inclinant ad mi- » nuendam quam augendam obli- » gationem; tum quia sequendo mi- » nimum minus errandi periculum » est. » At in Clementina et Piana lege sensum esse obscurum, ita ut nullo modo deprehendi possit, ex hoc uno patet quod secus antiqui et novi iuris interpretes in oppositas sententias non abiissent.

5° Rationes a Rosignoli adductas peccare contra notissimum effatum; *legem* scilicet *odiosam non esse extendendam de casu in casu neque ob rationis paritatem*, ut allatum testimonium consideranti patebit.

6° Hinc corruere quae postremo loco adducunt clarissimi Scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique*, scilicet ad absurda praedictam sententiam adducere; quandoquidem in lege odiosa, nullam absurditatem inducit exclusio gravioris peccati ab latis poenis, si sub lege comprehensum ab legislatore non constet: nonne ex. gr. gravius peccat qui bestialitatem, quam qui adulterium committit? At si Pontifex excommunicatione feriisset Clericos in sacris constitutos, vel religiosos solemniter professos, qui adulterium committerent, num ne sub eadem poena comprehendi possent bestialitatem committentes? nequaquam.

7° Neque valde certum est, coniunctiones eiusmodi habere matrimonii figuram, aut ex hac necessario excommunicationem inferri. Primo enim eiusmodi argumentum in quaestionem recidit, cum quaestio sit: an omnis coniunctio quae habeat matrimonii figuram excommunicationi Pianae subiiciatur: secundo, quia incertum est: an coniunctiones maritales cum aliquo impedimento dirimente ab eo diverso quod legislator lege proclamat, habeant matrimonii figuram: usu autem communi eiusmodi coniunctiones matrimonia nulla vocantur; demum, nonne matrimonium illud, quod coram Parocho et testibus initur, at sine consensu alterutrius contrahentis, habet matrimonii figuram? Attamen scriptores citatae Ephemeridis illud contrahi sine excommunicatione fatentur. Neque subsumant, matrimonium illud nullum esse ob defectum consensus, iura vero in re aperta esse; nam etiam iura docent, impedimento dirimenti contractum matrimonium nullum esse; atque deinceps nos loquimur de matrimonii figura, quae in allegato exemplo integra habetur, non de matrimonii valore.

8° Si septem Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis* con-

trariam sententiam tuentur, plusquam septem iique validiores fortasse, Reatini sententiam propugnant. Hi autem supponendi non sunt falsa prorsus voluisse defendere et sine ratione locuti.

9° Antiquiores autem sive Clementinae legis expositores, sive alii auctores qui in re scripserunt, non omnes certe adstipulantur scriptoribus de *la Nouvelle Revue*. Id potuissent primo loco intelligere ex allegato Rosignoli testimonio, qui dicit: *Si ratio adversantium ob quam asserunt contrahentem matrimonium ex alio capite invalidum etc.*; ex quibus patet adfuisse scriptores contrarios; secundo intelligere potuissent ex Bonacina loco ab ipsis citato, in quo contrarium defendit. Quaerit enim prorsus n. 20. « Utrum contrahens cum aliquo impedimento dirimente, ultra quinque casus in hac Clementina expressos incurrat istam excommunicationem, ut si contrahat cum infideli consanguinea, cum cognata cognatione legali aut spirituali vel cum impedimento publicae honestatis, vel simili?

» Respondeo non incurrere. Ratio est quia dispositio poenalis extendenda non est ultra casus in ea expressos. Ita Caietanus *verbo excommunicatio cap. 47:* Glossa hic *verbo eos*. Navarr. et Sylvest. *loc. cit.* Tabiena, et alii apud Sanchez *loc. cit. num. 12*. Existimo tamen, contrahentem cum infideli consanguinea infra quartum gradum incidere in hanc censuram, non quatenus contrahit cum infideli, sed quatenus celebrat matrimonium in casibus in hac Clementina prohibitis. »

Non pauci igitur Scriptores antiqui affirmarunt, Clementinae excommunicationi eos non subiici qui matrimonium in re contraxissent cum alio aliquo dirimente impedimento; plures autem Commentatores idipsum de Piana Constitutione sentire. Sententia igitur a clarissimis scriptoribus *de la Nouvelle Revue* certa non est neque ob clarum iuris textum, neque ob expositorum, interpretum, et doctorum unanimem consensum, neque ob rationis praesidium.

Dicere tamen non audemus sententiam a Reatino propugnatam adeo certam esse, ut dubium quod libet excludat; eam tamen prae alia solidiorem esse, fortasse non insipienter putamus. Hinc quaestio principio reflexo non semel in nostris Commentariis allegato dirimendam esse; legem scilicet in re dubiam esse; atque Reatini commentatoris sententiam intrinsece et extrinsece probabilem esse; hinc cum in praxi certum principium sit, neminem uti excommunicatum esse habendum, si ratio vere probabilis eum excommunicatione exemptum pronuntiet, Clerici in Sacris constituti et Religiosi post votum solemne castitatis non sunt de excommunicatione damnandi si matrimonium contrahere praesumant, in quo di-

rimens impedimentum existat ab impedimento ordinis vel professae castitatis diversum; idque tenendum usque dum Supremi Ecclesiae Principes contrarium expresse non decernant.

Quaerebant insuper Commentatores, an excommunicationem hanc incurrerent Clerici in sacris constituti, vel Religiosi solemniter professi, si matrimonium clandestinum, quod vulgo *civile* dicitur contrahere praesumerent; atque dum concordes erant in illa admittenda, ubi Tridentinum Caput *Tametsi* (1) receptum non fuerat; in contrarias

(1) Porro ita Tridentinum decretum legitur Sess. XXIV Cap. 1 de Reformat. Matrimonii: « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priori uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio, vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco S. Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero et testes, qui sine Parocho vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. »

tamen sententias abibant relate ad loca, in quibus Tridentina lex in usu erat.

Porro Avanzinius, qui primus de re disseruit, ad excommunicationem inducendam in ejusmodi matrimonio civili, affirmabat et illud esse contractum, qui iuxta naturae leges, esset verum matrimonium, et consequenter habere matrimonii figuram (1). Pro Avanzinio suffragium porro ferunt cl. scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue* loc. cit. pag. 62. At Reatinus, Patavinus, aliique non ita. Atque primus inter alios ita ratiocinia ducebat. « Dices: » hoc etsi matrimonium non sit, » nihilominus matrimonii habet figuram, est enim contractus, qui » iuxta naturae leges esset verum » matrimonium. Ita porro; sed » nonne tale quoque est quod contrahitur sine Parocho et testibus? » cum socio criminis, cum infideli » coram testibus et Parocho? Mihique consentiunt, excepto Avanzinio, Commentatores Constitutionis nostrae omnes quos viderim; et amplius dubitandum non » est post declarationem S. C. Concilii 13 Martii 1979, probante » SS. D. N. Leone Papa XIII, quae » censuit, ex huiusmodi iuris civilis commento, ne publicae quidem honestatis impedimentum » oriri ». (2)

« (1 Incurrerent. Ratio est, quia omnes enunciatae personae in hanc censuram incurrunt, *quae praesumunt matrimonium contrahere*, id est praesumunt » contractum illum inire, qui matrimonii habeat figuram; numquam enim possunt » verum matrimonium contrahere. Quamvis autem matrimonium civile non sit matrimonium validum ob impedimendum dirimens. quod clandestinitatis appellamus, ex defectu formae ab Ecclesia sub poena nullitatis praescriptae, est tamen » contractus, qui iuxta naturae leges esset verum matrimonium: ideoque, licet per » accidens, ob carentiam praescriptae formae, sit nullum, in se tamen figuram » matrimonii habet, nullamque aliam habet figuram; ita ut matrimonium civile » neque vim habeat sponsalium, quia sponsalia aliam habent indolem et naturam: » ideoque personae illae quae ad verum contrahendum matrimonium iam sunt inhabiles, matrimonium civile contrahere praesumentes, contractum illum inirent, » qui habet matrimonii figuram, quod esset nullum ex duplici saltem capite. »

(2) En porro Decretum: « Postquam laici legumlatores praeter civiles ac politicos matrimonii effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari praesumpsere matrimoniale foedus quod a Deo auctore naturae, ante omnem civilis societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem Sacramenti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum. quamlibet politicam et civilem iurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii » nomen, impedimentum iustitiae publicae honestatis oriatur. Quae postulationes » cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, summus Pontifex mandavit » ut huiusmodi negotium a S. Congregatione Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ritu (fortasse rite) ac sedulo expenderetur. Sacra autem Congregatio, exquisitis virorum in theologicis ac canonici-

Verum haec quaestio dirempta fuit per decretum, seu declarationem latam a Suprema Congregatione S. Officii, quam hic referimus.

« Episcopus N. ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus exponit, quod super interpretatione *claraе* illius Constitutionis, quae incipit *Apostolicae Sedis moderationi* die 14 Octobris 1869 emanatae, in hac Dioecesi aliqua dubia oborta sint, quae apostolica solutione digna esse videntur. Primo. Ac primum quidem per praedictam Constitutionem excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declarantur *Clerici in sacris constituti, vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes.* Quam censuram aliqui extendi etiam ad eos clericos defendunt, qui civile, quod vocant, matrimonium contrahere attentant in locis, ubi Decretum *Tametsi* Concilii Tridentini Sessio XXIV Cap. I. De reformat. matr. promulgatum et in usu est. Haec vero sententia ab aliis reiicitur. »

Quaeritur ergo utri sententiae sit adhaerendum?

Feria IV, Die 22 Decembris 1880.

Emi ac Rmi Patres quoad primam partem instantiae responderunt.

Ad dubium 1.

Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post emissum solemne castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium, sic dictum civile, in locis

» disciplinis peritorum consultationibus, ac re mature discussa in generali comitio » diei 13 Martii 1879 propositae dubii formulae – *An actus, qui vulgo audit* » *matrimonium civile pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis* – » rescripsit – *Negative; et consulendum SSmo, ut id declarare ac statuere* » *dignetur.* – Quapropter SSmus D. N. Leo Papa XIII audita universa rei relatione in audientia diei 17 eiusdem mensis in voto S. C. concedens, per praesens » decretum declarat, ac statuit, praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est Decretum Concilii Tridentini » *Sess. XXIV cap. 31 de Reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes, » intendant, uti par est, (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato, vel cum » animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive » intendant sponsalia de futuro inire; sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, im» pedimentum iustitiae publicae honestatis non producere. Atque ita etc. » *Acta S. Sedis Vol. XIII, pag. 126.* Qui universam disceptationem cupiat legere, adeat eorumdem Actorum *Vol. XII, pag. 141*

At ex eiusmodi decreto apparet, matrimonium civile nedum non producere impedimentum publicae honestatis, sed a S. Congregatione Concilii nec matrimonii titulo cohonestari, vocari autem *actum civilem, meram caeremoniam civilem, actus qui vulgo audit matrimonium civile;* ita ut coram Ecclesia neque matrimonii figuram habeat.

ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam.

Ob secretum, quo Inquisitionis negotia teguntur nos quidem nescimus, quibus freta criteriis et argumentis in illam abierit sententiam praesertim post allegatum S. Congregationis Concilii Decretum; attamen ab iis qui rem nosse potuerunt didicimus, illam fuisse absolutam Pontificis voluntatem, ideoque esse legis extensionem a principe profectam, qui habita fortasse ratione tum impossibilitatis matrimonialis ritus coram Parocho et testibus habendi, tum considerata lege civili, qua matrimonia eiusmodi civilia indissolubilia decernuntur, ob effectus inde exurgentes putavit etiam ad ejusmodi puram civilem caeremoniam legem Pianam extendere, ne quis civilis gubernii licentia et turpitudine hac in re abuteretur. Hinc decreto Supremae Romanae Inquisitionis obediendum est, quin tamen illud ultra matrimonium civile extendere praesumamus. (1)

Tertia demum conditio ad incurrendam eiusmodi excommunicationem necessaria est praesumptio vetita matrimonia contrahendi, *matrimonium contrahere praesumentes.* Praesumptio autem importat plenam libertatem et perfectam scientiam actus ponendi, tum legis quae actum dirigit, atque poenarum legi adnexarum; cum enim praesumptio spretum legis et legislatoris includat, si vel carentia libertatis, vel ignorantia aliqua in actu prohibito locum habent, nec spretus, nec praesumptio supponitur, ideoque nec excommunicatio.

Si igitur, vel uterque, vel alteruter ex metu gravi matrimonium contraherent, hanc excommunicationem effugerent, cum in metu gravi desit plenum voluntarium, quod in praesumptione requiritur. Hinc Bonacina De Excommun. in particulari Punct. VII. nn. 11 et 12 scribit: « Idem dic de contrahente » cum eo, qui per metum cogitur » matrimonium celebrare; consensus enim istius non est sufficiens » ad contrahendum. 12. Limitantur » tertio, modo matrimonium non » sit celebratum per vim aut metum gravem cadentem in constantem virum. Ratio est, tum » quia Ecclesia non praesumitur » obligare cum gravi periculo, tum » quia consensus per metum extortus non est sufficiens ad con-

(1) Quaerent fortasse lectores Quamnam auctoritatem Decreta supremae Inquisitionis habent?

Resp. In se illam habent quam ceterarum Romanarum Congregationum decreta. Attamen relate ad promulgationem, sciendum est Congregationem S. Officii solitam non esse decreta a se lata promulgare, saltem ut plurimum, sed tantummodo iis qui quaesita proposuere resolutiones et responsa dirigere: Hinc cum lex fiat cum promulgatur, decreta Inquisitionis pro illis tantum valent, ad quos diriguntur; pro aliis minime, vel postquam eis constat de legitima promulgatione.

» trahendum matrimonium... Idem » valet si unus libere, et alter per » metum matrimonii contractum » ineat... altero vero consentiente ».

Nullo tamen pacto metus levis excusaret, cum hic neque minuat, neque tollat voluntarium, ideoque multo minus praesumptionem, quae cum arrogantia proterviaque animi semper coniungitur: *vani autem timoris,* inquiunt iura, reg. 184 ff. de reg iuris, *iusta excusatio non est.*

Quod de metu gravi dictum est de ignorantia dicite, etiam affectata, quae relationem habeat sive ad existentiam legis, et poenae adnexae, sive ad impedimentum ordinis, aut voti castitatis. Cum ea enim non supponitur praesumptio. Hinc Bonacina *loc. cit. n. 17.* « Addo probabiliter sustineri posse contra Sanchez... et alios, ignorantiam affectatam in praefatis casibus excusare, quia habens ignorantiam affectatam non dicitur reipsa scienter contrahere, modo tamen non adsit ingens temeritas, quae contingit, dum quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti, tunc enim reputatur sciens. » etc.

Quamvis autem alii contrariam sententiam defendant, negari non potest, nostram et in se, et ob doctorum suffragium probabilem esse, ne dicam probabiliorem; hinc eiusmodi matrimonia cum ignorantia affectata contrahentes, ab excommunicatione semper essent excusandi.

Cum autem contigere possit ut ignorantia haec in alterutro tantum contrahente reperiatur; unus tantum hoc in casu, scilicet qui scientiam habet, excommunicationem incurret. Etenim in hoc tantum reperitur praesumptio et legis trangressio a legislatore ad incurrendam excommunicationem requisita. Verba autem legis disiunctive non copulative sunt accipienda, ut patet tum per se, tum per Doctorum interpretationem.

III.

Verum etiam relate ad eiusmodi conditionem plures quaestiones exurgunt. Nonnulli enim Expositores quaerunt:

1. An necessarium sit, ad incurrendam excommunicationem ut contrahentes noverint matrimonium esse nullum, ita ut si eiusmodi nullitatem ignorent, et putent e contra matrimonium validum esse, excommunicationem effugiant?

2. Quid si bona fide matrimonium iniverint, ignorantia scilicet iuris vel facti detenti; postea autem iura noverint, spreverintque, atque in inito matrimonio perseveraverint?

3. Quid insuper si contrahentes matrimonium ineant, putantes illud omnimodis validum esse, neque illud irritandi inesse Ecclesiae potestatem?

4. An excommunicationem incurreret Parochus qui sciens volen-

que matrimoniis huiusmodi adsisteret?

Relate ad primam quaestionem, clarissimus Petrus Avanzini *Commentarii pag. 61. num. 39.* affirmat, necessariam esse scientiam de nullitate matrimonii ad excommunicationem hanc incurrendam: « Ad » incurrendam hanc censuram re» quiritur et matrimonii celebratio » et scientia de eius nullitate, ob » legem vel votum solemne casti» tatis, quae scientia cum celebra» tione coniuncta exprimitur per » verba praesumentes contrahere ».

Huic autem assentitur Ciolli (1).

Contradicit, autem alios inter, De Varceno *Theol. Moral. Tom. 2. pag. 492.* scribens: « Necesse autem non est, ut sciant id prohibitum esse sub poena nullitatis ». Quamvis ingenue fateamur, eiusmodi casum vix contingere posse; sunt enim in sacris ordinibus constituti, et religiosi votum solemne castitatis professi qui haec matrimonia contrahunt, in quibus consequenter ignorantia nullitatis vix aut ne vix quidem concipi potest; casus tamen admissa veritate, sententiam Avanzini tenendam potius esse dicimus quam contrariam; agitur enim de praesumptione, quae nedum supponit scientiam perfectam legis, sed insuper legis et legislatoris spretum; at cum ignorantia nullitatis actus ineundi non componitur scientia perfecta legis, cum ex parte saltem ignoretur eius sanctio. Hinc quoad eiusmodi nullitatem non potest dari praesumptio; sed neque spretus, quandoquidem nemo spernere potest, directe saltem et simpliciter, quod ignorat; versamur autem in lege odiosa in qua omnes conditiones veritatem sortiri debent.

Neque quis cum clarissimis scriptoribus Ephemeridum *de la Nouvelle Revue Theologique loc. cit. pag. 66. n. 30.* qui ab Avanzinio recedunt, dicat, Legislatoris finem non illum fuisse ut validati matrimonii prospiceret, cum hoc sit essentialiter nullum, consequenter nullo pacto scientiam nullitatis requiri. Etenim allata ratio nullo modo rem probare videtur, cum quaestio non circa matrimonii valorem, sed circa praesumptionem versetur, quae scientiam integrae legis importat; sanctio autem varia legis, id est poenae adnexae, constituunt legis partem; ergo cognoscantur oportet, ut trangressores veluti praesumentes in omnibus traduci possint. Nonne enim posset contingere ut nullo modo sese inducerent ad matrimonium ineundum qui sciant illud undequaque nullum esse, nullamque spem revalidationis adesse? Sed qui in eius-

(1) Commentario prattico pag. 106, Nè l'incorre chi di cotali persone, o con cotali persone, contraesse senza sapere o la qualità della persona incapace a contrarre, o l'impedimento dirimente, o la censura annessa: poichè in questi casi non si verifica *praesumentes*.

modi statu morali versari supponeretur, posset ne dici quomodolibet praesumens? Quandoquidem si sciret, legem fortasse non transgrederetur.

Recedendum hinc ab claris. Avanzinii sententia non esse videtur.

Relate ad secundam quaestionem, simpliciter manifestum est, contrahentes ob ignorantiam seu facti seu iuris nullam incurrere excommunicationem; hinc si postquam noverint legem, in concubinatu vivere pergant, nullam pariter excommunicationem eos incurrere, cum lex non peccatum, sed matrimonii attentatum puniat. Optime hinc Schmalzgueber Ius Canonic. Part. III. Tit. XIV, n. 119. « Deni- » que ut scientia impedimenti praecesserit contractum; nam si quis » ignorans et bona fide contraxit » matrimonium cum consanguinea » vel affine, etsi postea conscius » impedimenti ipsi cohabitet et » utatur coniugio, hanc excommu- » nicationem non incurret; quia in » Clementina citata non punitur » omnis incestus, vel incestuosa » cohabitatio, sed solus contractus » matrimonii, hic autem non fit » novus contractus, et per priorem » non fuit incursa excommunicatio, » excusationem praebente igno- » rantia. »

Ergo etc.

Attamen alii huiuscemodi distinguunt: si fornicarii post acceptam cognitionem nullitatis matrimonii fornicarie vivere pergant, nullam incurrunt excommunicationem, quia lex non punit concubinatum. Si autem se cognoscant *affectu maritali* subdistinguunt; vel eorum coniunctio locum habuit coram Parocho et testibus, vel non: si hoc; in locis ubi Tridentinum receptum fuit, locum non habet excommunicatio, quia nullum erit semper matrimonium sine Parocho et testibus initum; in locis vero ubi Tridentina de matrimonio lex recepta non fuit, excommunicatio locum habet; quia copula affectu maritali habita convalidat matrimonium, cum habeatur veluti novi consensus appositio. Et quamvis etiam in locis ubi Tridentinum receptum non fuit, eiusmodi Clericorum vel Religiosorum matrimonia semper sint nulla, tamen quia ibi per simplicem consensum contrahentium matrimonia perficiuntur, et copula *affectu maritali* habita consensui aequipollet, per eam attentatus matrimonii habetur, et consequenter Piani Capitis excommunicatio.

Ad 3. patens responsio est. Etenim hi essent haeretici: « Si quis » dixerit, inquiunt Tridentini Patres » *Sess. XXIV. cap. 9.* Clericos in » sacris Ordinibus constitutos, vel » regulares castitatem solemniter » professos, posse matrimonium » contrahere, contractumque vali- » dum esse, non obstante lege ec- » clesiastica vel voto; et oppositum » nihil aliud esse quam damnare » matrimonium, posseque omnes

» contrahere matrimonium, qui » non sentiunt se castitatis, etiamsi » eam voverint, habere donum: » anathema sit, cum Deus id recte » petentibus non deneget, nec pa- » tiatur nos supra id, quod possu- » mus, tentari. *(1. Cor. X. 13.* »

Cum vero Clerici et Religiosi de quibus agimus ad catholicam Ecclesiam pertineant, bona fides in eis supponi non potest, sed arrogantia et incredibilis inobedientia, ex quibus semper haeresis processit. Hinc existimatio quam habent de valore matrimonii nihili facienda est, nullo modo illos excusat, non enim confundi cum bona fide potest.

Ad 4. Cum neque complices, neque fautores in Piano Capite excommunicentur, manifestum fit, Parochum huiusmodi matrimoniis adsistentem nullam excommmunicationem incurrere, quamvis gravissime peccet. Procurator inquit Schmalzgrueber *loc. cit. num. 118.*, « per quem contrahitur tale matri- » monium, non incurrit excommu- » nicationem istam; uti nec paren- » tes qui nomine filiorum consen- » sum in matrimenium exprimunt; » imo nec Parochus matrimonio » tali assistens, et coniugium illud » ineuntes, quia in dicta Clemen- » tina soli matrimonium tale ineun- » tes excommunicantur; isti autem » non ineunt vere matrimonium, » sed solum sunt instrumentum » eorum, qui vere ineunt. Multo » minus censuram istam contra- » hunt mandantes, consulentes vel » adiuvantes ad huiusmodi matri- » monium ineundum, ob rationem » allatam. »

Neque excommunicatus haberi posset Parochus veluti qui participet *in crimine criminoso*; etenim contrahentes, ceteris praetermissis, antea non fuerant a Romano Pontifice nominatim excommunicatione perculsi, quod necessarium est ad incurrendam excommunicationem causa participationis in crimine criminoso.

APPENDIX XXXII.

De excommunicatione illata in procurantes abortum effectu sequuto.

Antiquum crimen brevi oratione Pius IX coercere conatus est, dum sancivit excommunicatione episcoscopis reservata mulctandos esse *Procurantes abortum effectu sequuto.*

Detestabile crimen gravissimis verbis poenisque coercere conatus fuerat Xistus Papa V in Constitutione *Effraenatam* latam die 29 Octobris 1588, in qua homicidii reos qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes immaniter necant proclamavit. Pulcherrima est eiusmodi constitutio, et digna quae referatur, ut etiam differentiam inter vetus et novum ius lectores agnoscant, deprehendantque quanta diligentia et rigore nefarium crimen Romani Pontifices cohibuerint.

« Effrenatam, inquit Xistus, perditissimorum hominum contra » divinae legis praeceptum de non » occidendo peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus variisque constitutionibus saepius repressam animadvertentes; » cogimur nos quoque, in supremae iustitiae throno a Domino » constituti, iustissima ratione suadente, vetera iura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam im..nitatem, pari » poena proposita, coercere, qui » immaturos foetus intra materna » viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis » enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius » est, etiam animarum certa iactura » sequitur? Quis non gravissimis » suppliciis damnet illius impietatem qui animam Dei imagine » insignitam pro qua redimenda » Christus Dominus Noster preciosum sanguinem fudit, aeternae » capacem beatitudinis, et ad consortium Angelorum destinatam, » a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium, » quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit? Qui liberos prius » vita privavit, quam illi a natura » propriam lucem accipere, aut se » materni custodia corporis ab effe rata saevitia tegere potuerint? » Quis non abhorreat libidinosam » impiorum hominum crudelitatem » vel crudelem libidinem, quae » eo usque processit ut etiam venena procuret ad conceptos » foetus intra viscera extinguendos » et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, » aut si iam vivebat, occidi ante-

» quam nasci nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet » gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac » maleficiis mulieribus sterilitatem » inducunt, aut ne concipiant nec pariant maleficis medicamentis impediunt? *Maleficos,* inquit Dominus » ad Moysen, *non patieris vivere.* Nimis enim impudenter contra Dei » voluntatem se opponunt, qui, ut » s. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, » confotum corporatum in membra » distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis creator » et animae est, impie despicit bonitatem figuli, id est, Dei, qui » hominem plasmavit, fecit ut » voluit; siquidem ut sanctus testatur Ambrosius, non mediocre » munus est Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum est foecunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes qui » generaverant, vita filii qui generati sunt, matres coniugii praemiis, terra quae ab his coleretur, mundus qui ab eisdem » cognosceretur, Ecclesia quae devotae numero plebis aucta gauderet. Unde non immerito sexta » Synodo Constantinopolitana (anno 680-681) sancitum est, ut » personae quae dant abortionem » cientia medicamenta, et quae » foetus necantia venena accipiunt, » homicidae poenis subiiciantur » sed et veteri Concilio Ilerdensi » (anno 524) cautum est, ut qui » conceptos ex adulterio foetus necare studuerint, vel in ventribus » matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea poenitentes ad » Ecclesiae mansuetudinem recurrant, omni tempore vitae suae » fletibus et humilitati insistant; si » vero clerici fuerint, officium ministrandi eis recuperare non liceat, (1) omnesque tam ecclesiasticae quam profanae leges gravibus poenis afficiunt eos qui in « utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, » sive ut conceptos foetus eiiciant, » nefarie machinantur.

« §. Nos igitur, post repressam » eorum temeritatem, qui matrimonii iura violare, et quantum » in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere praesumunt, quive » turpioribus quibusdam incestis se » inquinare non erubescunt, hoc » quoque malum, quantum viribus » nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes: omnes et quoscumque, » tam viros quam mulieres, cuiuscumque status, gradus, ordinis » ac conditionis, etiam clericos saeculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, quavis dignitate et praeeminentia ecclesiastica vel munda-

(1) Sunt verba ipsius Canonis quamvis integre non relati.

» na fulgentes, qui de cetero per se, » aut interpositas personas abortus » seu foetus immaturi, tam ani- » mati, quam etiam inanimati, for- » mati vel informis eiectionem pro » curaverint percussionibus, vene- » nis, medicamentis, potionibus, » oneribus, laboribusque mulieri » praegnanti impositis, ac aliis etiam » incognitis vel maxime exquisitis » rationibus, ita ut reipsa abortus » inde secutus fuerit, ac etiam prae- » gnantes ipsas mulieres, quae scien- » ter praemissa fecerint, poenas, » tam divino, quam humano iure, » tum per canonicas sanctiones et » apostolicas constitutiones quam » civilia iura adversus veros ho- » micidas, qui homicidium volun- » tarium actu et reipsa patraverint, » propositas et inflictas (quorum » omnium tenores his nostris lit- » teris pro expressis et ad verbum » insertis habemus) eo ipso incur- » rere, hac nostra perpetuo valitura » constitutione statuimus et ordi- » namus, ipsasque poenas, leges » et constitutiones ad casus prae- » fatos extendimus. (1).

» § 2. Eos vero qui clerici » fuerint, omni privilegio clericali, » officiis, dignitatibus et beneficiis » ecclesiasticis, quae sic vacatura » nostrae et Sedis Apostolicae dis- » positioni perpetuo reservamus, » ipso facto privamus, et in futu- » rum inhabiles ad ea suscipienda » decernimus, adeo ut illi qui hoc » delictum commiserint, non secus » atque ii qui sua voluntate homici- » dium perpetraverint, iuxta Con- » cilii Tridentini decreta (2) etiamsi » crimen id nec ordine iudicia- » rio probatum, nec alia ratione » publicum, sed occultum, fuerit, » ad sacros ordines promoveri, aut » in susceptis ordinibus ministrare » nullo modo possint, nec illis ali- » qua ecclesiastica beneficia, etiamsi » curam non habeant animarum, » conferri liceat, sed omni ordine » ac beneficio et officio perpetuo » careant.

» § 3. Nec non et illos qui cle- » rici non fuerint et talia perpe- » traverint, non solum poenas in- » currere supra narratas, sed etiam » inhabiles ad ordines et alia prae- » dicta decernimus et declaramus.

» § 4. Volentes quod hi qui foro » ecclesiastico subiecti, ut praefer- » tur, deliquisse comperti fuerint, » per iudicem ecclesiasticum de- » positi et degradati, curiae et po-

(1) In eiusmodi lege ferenda primus non fuit Xistus V. Etenim in Concilio Wormatiensi sub Hadriano II, an. 868, cap. 35 sancitum fuit: Mulieres quae ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidae procul dubio iudicandae sunt.

(2) Sess. XIV de Reform. cap. 7. « Qui sua voluntate homicidium perpetra- » verit, etiamsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri » possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant ani- » marum, conferre liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico per- » petuo careat. »

» testati saeculari tradantur, quae » de eis illud capiat supplicium, » quod contra laicos vere homici- » das per divinas leges ac civilia » iura est dispositum.

» §. 5. Praeterea eisdem poenis » teneri omnino statuimus eos qui » sterilitatis potiones ac venena » mulieribus propinaverint, et quo- » minus foetum concipiant impe- » dimentum praestiterint, ac ea » facienda et exequenda curave- » rint, sive quocumque modo in » his consuluerint, ac mulieres » ipsas quae eadem pocula sponte » ac scientes sumpserint.

» § 6. Quocirca mandamus uni- » versis et singulis iudicibus ordi- » nariis et delegatis tam ecclesia- » sticis quam saecularibus, quibus » contra criminum reos, etiam quoad » causas huiusmodi, de iure vel » ratione delicti aut personarum, » legitime competet iurisdictio, » ita tamen ut praeventioni locus » est, ut in his delictis, quae ut » plurimum in occulto perpetran- » tur, contra quoscumque, non so- » lum per accusationem et decla- » rationem, verum etiam per in- » quisitionem ac simplicem denun- » ciationem procedant, ac ad illa pro- » banda testes alias de iure inhabiles » eorumdem tamen iudicum arbi- » trio, habita ratione personarum, » causarum et qualitatum illarum » ac circumstantiarum quarumcum- » que, admittant, ac in eos qui cul- » pabiles fuerint, prout per nos san- » citum est, demum animadvertant.

» § 7. Insuper, ut immanissimi » huius delicti gravitati, non solum » temporalibus, verum etiam spi- » ritualibus poenis prospiciamus » ac provideamus, omnes et singu- » los cuiuscumque status, gradus, » Ordinis vel conditionis existentes, » tam laicos quam clericos, saecu- » lares, et cuiuscumque Ordinis » Regulares, nec non mulieres sae- » culares vel quemcumque Ordi- » nem professos, qui vel quae, vel » uti principales vel ut sociae con- » sciaeve ad tale facinus commit- » tendum opem, consilium, favo- » rem, potionem, vel alia cuius- » cumque generis medicamenta » scienter dederint, ac etiam scri- » bendo literas privatas vel apo- » chas, vel alias verbis aut signis » iuverint aut consuluerint, ultra » supradictas poenas, ipso facto ex » nunc prout ex tunc excommuni- » catos declaramus.

» § 3. Decernentes ac decla- » rantes quod per quaecumque iu- » bilaea et indulgentias per nos et » successores nostros, etiam anno » iubilaei aut alio quovis tempore, » etiam cruciatae sanctae, iubilaei » vel quovis alio titulo concessas » et concedendas, nec non per » quascumque literas apostolicas » quibusvis principibus, seu ad eo- » rum instantiam per nos et suc- » cessores nostros pariter concessas » et concedendas, ac etiam vigore » privilegiorum, Mare magnum, vel » alias quomodolibet nuncupatorum » quibusvis Congregationibus regu-

» larium aut Episcopis vigore Concilii Tridentini, vel alias per nos » et praedecessores nostros quomodocumque concessorum vel in » in futurum concedendorum, nec » personae sic, ut praefertur, » delinquentes excommunicatae, » praeterquam in mortis articulo » absolvi valeant; nec cum iis clericis, qui huiusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen » occultum fuerit, super irregularitate praemissorum occasione » contracta, nec per locorum Ordinarios nec per alios quavis » auctoritate fungentes, quam per » nos et Romanos Pontifices nostros successores, et tunc nonnisi » urgentissimis de causis dispensari » possit. Ac tam absolvendi quam » dispensandi facultatem huiusmodi » etiam quoad forum conscientiae » in casibus superius expressis, nobis et successoribus nostris dumtaxat reservamus, etc. »

Datum die 29 Octobris 1588.

Relatam Constitutionem quae Xisti V indolem ingeniumque demonstrat brevi oratione contrahentes, reperiemus.

1. Xistum Papam aborti reos uti veros homicidas judicasse, eisque applicasse poenas contra homicidas voluntarios statutas.

2. Inter foetum animatum vel inanimatum relate ad poenas incurrendas nihil distinxisse.

3. Laicos spe privasse ad clericales ordines ascensus.

4. Clericus vero tum quibuslibet beneficiis, Officiis atque privilegiis privasse; tum illos inhabiles ad illa obtinenda decrevisse, demum brachio saeculari tradidisse ut poenas contra homicidas voluntarios latas subirent.

5. Iisdem poenis teneri utriusque sexus complices quoslibet, etiam illos qui ad sterilitatem inducendam potiones et medicamenta mulieribus praebuerint, ac ipsas mulieres illa *sponte ac scienter* sumentes.

6. Omnes sive principales sive complices cuiusvis ordinis aut dignitatis excommunicatione mulctari Romano Pontifici specialiter reservata, a qua nemo absolvere proinde posset nisi in mortis articulo, non autem occasione sive Iubilaei, sive Indulgentiarum quamrumlibet concessione.

7. Ecclesiasticos autem praeter excommunicationem etiam irregularitatem incurrere, a qua unus Romanus Pontifex dispensare posset.

Eiusmodi Canonum rigore putavit Xistus V se refraenare posse immaturorum foetuum abiectiones, quae quo frequentior impudicitia est, eo frequentius contingunt. Verum eum fefellit opinio. Cum enim saeculo XVI luxuria quodammodo grassaretur, atque admodum corrupti hominum mores essent, furtivae conceptiones multiplicabantur, et cum dedecore mulieres affici nollent, quod semper abortis causam dedit, fiebat ut conceptos foetus deiicerent, poenas latas secreto adhibito se evadere posse spe-

rantes, atque de cetero in peccatis sordescebant, cum et absolutio criminis difficilior esset, atque timore ne detegerentur absolutionem neque fortasse peterent; Ecclesiastici vero qui tanto crimine sese foedaverant, ne officia et beneficia deserere cogerentur, ut alios timores praetermittamus, sacrilegia multiplicarent. Id cum ad aures Gregorii XIV perlatum fuisset, Constitutionem Xisti X temperandam esse statuit, lata lege, quae incipit *Sedes Apostolica*, sub die 31 Maii 1591. In ea porro manifeste affirmat, ex rigido remedio praedecessoris sui eam animabus utilitatem non derivasse, quae sperabatur, aucta immo crimina et perditionem « §. 2. Cum » igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi, » non eam quae sperabatur utilitatem et fructum provenisse, verum potius multis Satanae malitia ad peccandum inductis, difficiliori, ob soli Sedi Apostolicae » reservatam absolvendi facultatem, » reddito ad poenitentiam aditu, » eos a nefariis huiusmodi flagitiis » perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum, » sacrilegiorum gravissimorumque » peccatorum occasionem dedisse; » nos propterea animadvertentes, » gladium ecclesiasticae disciplinae, » praesertim quoad censuras et » poenas spirituales, ita exercendum esse ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum » hinc statuit, ut peccatum et excommunicatio de cetero non esset Romano Pontifici reservata, sed a quolibet Sacerdote seculari vel regulari ad Christifidelium confessiones audiendas adprobato, et ad casus hos specialiter absolvendos ab Episcopis deputato posset absolvi. « Constitutionem praedictam sic duximus moderandam, » ut a peccato et excommunicatione » contra personas ibi expressas lata, » tam quoad eos qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos qui » post nostram constitutionem in » eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter tam saecularis, » quam cuiusvis Ordinis regularis, » ad Christifidelium confessiones » audiendas, et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam et liberam in » foro conscientiae tantum absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus quam idem Xistus » praedecessor sibi ac suis successoribus reservavit. »

Poenas vero indictas a Xisto in procurantes abortum foetus inanimati, aut in exhibentes mulieribus, aut sumentes venena sterilitatis, reduxit Gregorius XIV ad tramites iuris communis, et Tridentini Concilii dispositionem, quin de cetero haberentur aut excommunicati, aut veri nominis homicidae. « Quo vero » ad poenas procurantium abortum » foetus inanimis (1), aut exhibentium mulieribus, vel sumentium

(1) Haec iusta sententiam scholasticorum prolata sunt; nunc non sunt attendenda

» venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium vel consilium eis dantium, in praedicta constitutione contentas, constitutionem praefatam, in ea parte ubi de his agit, ad terminos iuris communis ac sacrorum Canonum et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, tam quoad praeterita quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte numquam emanasset. »

Ne vero lata a Xisto V Constitutio dubium aliquod inferret, pronunciat, eam quidem in suo robore permanere quoad reliqua omnia, non autem quoad ea quibus per Constitutionem a se latam ipse derogaverat. « Non obstantibus eadem » praedecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia, » praeter contenta in hac nostra » Constitutione, in suo robore omnino permanere volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. »

Ex iis apparet, Gregorium XIV in plurimis Xisti sanctionem temperasse, atque praesertim in eo quod statuerit excommunicationem reservatam esse episcopis debere, cum ab iis tantummodo Confessariis absolvi posset qui *ad hos casus specialiter ab Episcopis essent deputati;* tum in eo quod excommunicationem, irregularitatem aliasque poenas a Xisto indictas in procurantes abortum foetus sive animati sive inanimis, ad foetus tantum animatos limitarit; (1) poenas demum speciales indictas a Xisto in procurantes abortum foetus inanimis ad ius commune reduxerit.

Pianum Caput cum Xisti V et Gregorii XIV Constitutionibus conferenti illico apparebit, in nonnullis cum utrisque convenire, in aliis vero discrepare.

Et 1. cum Pius Papa IX simpliciter edixerit *procurantes abortum* distinctionem eliminavit foetum animatum inter et inanime, ita ut nunc statuta poena pro abortu quolibet incurratur. Qua in re quamvis Pius IX ad Constitutionem Sixtinam accedat, non tamen ea ratione quod distinctionem inter foetum animatum et inanime admittat, sed eo quod crimen utcumque punire intendat.

2. Piana Constitutio cum Gregoriana Constitutione in eo concordat quod excommunicationem unis Episcopis reservat; in hoc autem recedit a Xisti V decreto.

3. Tum Xistus V, tum Gregorius XIV nedum procurantes abortum censura percusserant, sed complices omnes atque cooperatores. At Pius IX unos procurantes excommunicat; in quo mitiorem prae antecessoribus sese exhibuit.

4. An vero minorem sive scien-

(1) Utilius censentes, ubi nec de homicidio, nec de animato foetu agitur poenas non imponere duriores iis, quae per sacros canones et leges profanas sunt inflictae. § 2.

tiam, sive contumaciam requirat, ut putant e commentatoribus nonnulli, suo loco videbimus.

Post haec Pianum Caput expendamus. Ut autem ordine procedamus, inquiremus.

1. Quid veniat nomine abortus?

2. Quinam excommunicatione percellantur?

3. Quaenam ad excommunicationem hanc incurrendam requirantur conditiones?

4. An et quando licitum sit abortum procurare?

5. Quid tandem de difficillima illa quaestione, quae craniotomia vulgo dicitur?

Et quoad primum. Communis abortus definitio ab Theologis acceptata his verbis concludebatur: *Eiectio ex utero foetus immaturi;* vel (quod de cetero in idem recidit): *Praematura eiectio foetus ex utero matris.*

At aliis eiusmodi definitio nimis generalis visa est, quaeque complectatur etiam casus, qui inter abortus recenseri non debeant, casus scilicet, in quibus ad salvandam matris et foetus vitam necessarium sit hunc ex maternis visceribus ante tempus extrahere, in quo nullum certe deprehenditur malum, imo bonum. (1) Peccare hinc eiusmodi definitionem contra regulas ad rite definiendum aliquid constitutas, scilicet *ne definitio sit latior definito*, et ut definitio ita uni conveniat definito, ut converti possit.

Hinc aliquibus magis arridet definitio abortus, quam, alios inter, tradit Ameno *De delictis et poenis, tit. VII, §. 9, n. 1* scilicet *Dolosa operatio, per quam foetus vel mortuus, vel non vitalis ex utero abiicitur.*

Quid autem si abiiceretur foetus vivus, aut vitalis? Quid si foetus deprehendatur mortuus in utero matris? num ne eiusmodi abiectio dolosa esset?

Abortus enim non tam respicit conditiones foetus eiecti, quam modum quo eiicitur, vel saltem utrumque complectitur.

Ni fallimur, eiusmodi ab Ameno tradita definitio non uni convenit definito; ideoque ad constitutas definitionum rite agendarum regulas neque ipsa exacta videtur.

Ad conciliandas hinc discrepantias quaslibet, abortum rite definiri posse censemus. *Dolosa eiectio foetus ex utero matris.* Illud enim *dolosa* excludit quaslibet alias innocentes eiectiones, et definitionem ad unum abortum proprie dictum coarctat.

II. Excommunicantur autem *procurantes abortum.* Procurare autem est studiose et ex industria aliquid quaerere. Ad agnoscendun igitur quinam lata excommunicatione percellantur, rite determi

(1) Eiusmodi operatio proprie *eiectio* dici non posset, sed potius *extractio*: atque cum nulla in ea culpa deprehendatur, non videtur sub relata abortus definitione comprehendi.

nandum est qui *procurantium* nomine in Piano Capite veniant. Porro Commentatorum omnium concors sententia est, Pium Papam IX de iis procurantibus sermonem habuisse, quos Sixtus V §. 1 relatae constitutionis veluti homicidas damnat. « Omnes et quoscumque tam » viros quam mulieres . . . qui de » cetero per se, aut interpositas » personas abortus, seu fetus im- » maturi, tam animati quam ina- » nimati, formati vel informis eie- » ctionem procuraverint percussio- » nibus, venenis, medicamentis, » potionibus, oneribus, laboribusque » mulieri praegnanti impositis, ac » aliis etiam incognitis, vel maxi- » me exquisitis rationibus, ita ut » reipsa abortus inde secutus fuerit.

Nemo autem dubitare potest quin sub praescripto tenore verborum comprehendantur tantummodo *mandantes*, iique omnes *qui physice*, immediate, per se, suoque nomine, quocumque demum modo, procurant abortum. Hinc consulentes et faventes excludendi sunt omnino, cum ii non possint referri inter illos qui *per se, vel interpositas personas* fetus eiectionem procurent; tum qui ira et odio mulierem praegnantem ita percusserint ut haec foetum abiecerit, tum pharmacopolae qui pharmacum simpliciter parent; non enim hi immediatam ponunt actionem ad abortum procurandum, sed talem ex qua alii illum procurant. Certum est autem quod cum censura aliqua fertur in aliquos hoc vel illud facientes, si ad consulentes, adiuvantes disertis verbis non extendatur, hi sub lege comprehendi non intelliguntur, tum ob naturam legis odiosae, tum quia reapse hi non possunt dici id facientes quod lata lex sub censura prohibet. Non nos equidem latet, a plerisque etiam mandantem post Pianam Constitutionem, ab excommunicatione excludi; at profecto sine ulla, ut nobis videtur, veritatis specie. Primo enim Pius Papa IX adhibet idem verbum *procurantes* quod Xistus V in relato superius testimonio adhibuit; at inter procurantes in huius Constitutione absolute recensendos esse mandantes, omnino patet tum ex vi verborum *per se, aut interpositas personas;* tum quia Xistus alios cooperatores Constitutionis decursu diserte expressit; quod postremum Pius Papa IX praetermisit; hic ergo dicendus est instaurasse Xisti legem quoad citatam paragraphum atque verbum *procurantes* adhibuisse eo sensu et extensione qua adhibuerat Xistus. Igitur etiam sub Piana constitutione mandantes excommunicatione percelluntur, cum haec cum veteribus canonibus plene concordare reperiatur, et vitanda sit iurium pugna; insuper negari non possit mandantes inter procurantes abortum vere et proprie recenseri posse et debere, cum ipsi sint causa principalis moralis abortus ipsius, sine quibus abortus secutus non fuisset; nemo demum

umquam affirmaverit, verbum *procurare* innuere actionem physicam tantum; etenim qui per alium facit per seipsum facere videtur, ut alia in re praetermittamus.

De cetero quamvis aliquis e Commentatoribus (1) mandantem excommunicatione eximat, ceteri autem et praestantissimi illum submittunt (2). Consensus autem doctorum, cum praesertim rationibus etiam intrinsecis fulcitur, certitudinem moralem inducit.

Si autem mandantes excommunicationi subduntur, num ne ea eximi poterunt mandati executores?

Clarissimus Commentator Reatinus hos eximere videtur, dum scribit num. 153. « Non item qui » illum (abortum) consulit, vel pro» curanti opem praestat, ut ecce qui » pharmacum parat; imo nec qui » iussu aut mandato alterius facit, » ut mulier abigat: nam procuran» tes accipere hoc loco debemus, » ut in veteri iure, non eos qui » pro alio, sed eos qui per se, » sive per alium curant, faciunt, » ut mulier abigat. »

Huic vero sententiae obstant cum Commentator Patavinus, tum clarissimi scriptores de la Nouvelle Revue; ille quidem scribens n. 350. « Reatinus unus arbitratur subia» cere censurae non eos qui *pro* » *alio*, seu alieno nomine agunt, » sed solum eos qui nomine pro» prio abortum procurant. Haec » mihi opinio non placet. Manda» tarius siquidem dum iussa aliena » exequi ac complere parat, nonne » directe et de industria quaerit, » ut foetus extinguatur, atque eii» ciatur? Nonne in talem finem » apta adhibet media? Ergo vere » et proprie ipse procurat abor» tum. Illud unicum discrimen in» terest, quod iubens abortum pro» curat per alium, et mandatarius » procurat per se, quamvis non

(1) Ex. gr. Daris *Tractus de Censuris n. 241.* quaerit: Quid autem de eis dicendum qui mandaverunt ,..... abortum, sed nullam actionem adhibuerunt, nullum medium subministraverunt? Et respondet: Non videntur numerari inter procurantes abortum, quamvis isti graviter peccent.

(2 Praecipuos nominabimus. Avanzini qui verbo *procurantes* eam concedit extensionem quam habet in Constitutione Xisti V. dicens « Quinam autem sub » nomine *procurantes* abortum veniant, colligi potest ex Constitutione Xisti V. » D'Annibali « Excommunicationem incurrunt, ut antea, et qui iubet et qui manda abortum fieri » Scriptores Ephemeridis *La nouvelle Revue Théologique* Tom. XI pag. 324, § 22. « Ce point nous paraît nors de contestation » Commentator Patavinus in hunc locum: « Veri nominis procurator est tum qui agit per se, tum » qui aliorum ministerio utitur; quamobrem qui iubet vel imperat abortum » nullo titulo excusandus est e censura contrahenda. « De Varceno Theolog moral. Tom. 2. pag. 494. « Coercetur sub hac excommunicatione..... siv » operetur per se sive per alium, v. gr. iubendo vel mandando abortum fieri, qui » cum verbum procurantes a Constitutione nostra sit relatum ut est in Constit » Xisti V debet hic intelligi sicut in illa. »

» pro se. Hoc tamen minime im-
» pedit, quominus qui in nomine
» alieno agit, inter procurantes
» vere ac proprie sit recensen-
» dus. »

Alii vero *Tom. XI. pag. 325 n. XXV.* ita contra Reatini Commentatoris sententiam ratiocinantur: « Hi, mandatarii, realiter procu-
» rant abortum; ponunt enim actum
» abortum producentem. Verba Con-
» stitutionis Xisti V simpliciter exi-
» gunt ut causetur abortus: *foetus*
» *eiectionem procuraverint.* At hi
» qui matri potionem porrigunt
» quae foetum interficit, medici
» qui eum in utero matris conci-
» dunt, ut extrahant, nonne sunt
» abortus auctores, nonne illum
» procurant stricto sensu, quamvis
» de alterius agant mandato? Nulla
» igitur adest ratio eos ab excom-
» municatione eximendi. »

Rationes igitur, quibus Reatini sententia excluditur ad has reducuntur. 1. quia in veteri iure excommunicatione percellebantur omnes qui essent abortus causa, seu abortum inducerent; 2. quia mandatarii ponunt actionem directam abortus, suntque eius causa.

Expendamus eiusmodi rationes. Et 1. negandum non est, Xistum V eos primum excommunicasse, *qui de cetero per se* aut *interpositas personas abortus, seu foetus immaturi . . . eiectionem procuraverint.* Haec autem verba referenda omnino esse ad immediate agentes, et mandantes negari non potest. Cum autem lex poenalis extendi non possit ad alios casus et personas non expressas, non licet ad mandatarios Xisti verba applicare. 2. Tum Commentator Patavinus num. 338, tum scriptores de la Nouvelle Revue *Tom. XI. pag. 315. n. 10.* affirmant, in Piana Constitutione verba *procurantes abortum* eam extensionem habere, quam habent in §. 1. Xistinae Constitutionis, cuius verba recitant; at eo in loco per *abortum* procurantes indigitari *immediate agentes nomine proprio, vel mandantes*, sensus grammaticalis *evidentissime suadet;* nescimus enim an alias personas possint demonstrare verba *qui per se aut per interpositas personas . . . abortus eiectionem procuraverint.* Hinc sequitur quod cum personae interpositae in §. cit. poenis subactae non fuerint, neque per Pianam constitutionem poenis subigendae erunt. Dicturi ne fortasse erunt, Pianam legem generice loqui, et neminem excipere, consequenter *verba procurantes abortum* ad quaslibet personas extendi debere, quae procurent abortum? At si hoc dicant, falsum erit, citata verba tantos in Piana Constitutione complecti quantos in Xistina, atque in Piana latiorem significationem habere; quod tamen citati scriptores negant. Certum est autem ex grammaticali sensu verba citata ideo generalia esse, et complecti personas quaslibet quia neminem ex iis excipiunt *qui per se*

vel per interpositas personas foetus eiectionem procuraverint.

3. Xisti V verba *foetus eiectionem procuraverint*, non sunt absolute consideranda, sed relative ad antecedentia, scilicet ad eos, ad quos illa Xistus V applicat: at manifestum est illa applicare, et dicere de illis *qui per se aut per interpositas personas . . . abortus eiectionem procuraverint.* Hi autem non sunt mandatarii.

4. Textu allegato Xistus V praeter eos qui per se aut per interpositas personas abortum procurant, homicidii veri damnat mulieres praegnantes, *ac etiam praegnantes ipsas mulieres quae scienter praemissa fuerint,* aliosque omnes praetermittit: cum igitur legislator personarum classem poenis subiiciendam recensuerit, non licet eius verba ad alios extendere, quae sub recensitis classibus non comprehenduntur.

5. Neque quis dicat, postea Xistum V omnes recensere qui quomodocumque ad abortum procurandum concurrerint. Id enim verum esse dicimus, at nullimode Reatini sententiam inde impugnari posse. Etenim §. 5. Xistus veris homicidis accenset etiam eos *qui sterilitatis potiones ac venena mulieribus propinaverint, et quominus foetum concipiant, impedimentum praestiterint.* At hi neque numerari possunt inter procurantes abortum, cum e contra sterilitatem procurent, neque illos inter qui §. 1. recensentur. Qua de causa Pius Papa IX de his loqui non potuit. At §. 7 Xistus excommunicatione *ferit omnes et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes . . . qui vel quae,* vel uti *principales, vel uti sociae consciaeve ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam* etc. Quo loco nedum principales agentes, sed etiam complices et fautores quoslibet Xistus V excommunicationi subdit.

Quid ergo dicemus? Hos ne quoque Pius Papa IX comprehendit verbis *procurantes abortum?* Ergo falsum est quod affirmant contrariae sententiae patroni, fautores scilicet, consulentes etc. excludi ab Piana excommunicatione; sub ea enim nedum complices sed etiam criminis conscii comprehenderentur. Si autem Pius Papa IX hos omnes quos recenset in cit. loc. Xistus, inter procurantes non comprehendit, edicant adversarii Reatinae sententiae quosnam comprehenderit, quosnam excluserit. At ipsi affirmant, Pium IX comprehendisse eos tantum quos Xistus recenset §. 1; illi autem sunt qui per se, sive per interpositas personas abortum procurant, atque ipsae mulieres praegnantes; quo igitur ratiocinio Reatini sententiam evertere possunt? quo iure falsam proclamant? Potius eam illam confirmant.

6. Manifestum est autem ex Con

stitutione Gregorii XIV nihil contra Reatini sententiam extundi posse, cum poenas tantummodo limitet, nihil autem novi de personis poenis subigendis decernat.

At secundo loco, affirmant adversarii, mandatarios esse procu*rantibus abortum* accensendos, ideoque excommunicatos et in Pii IX constitutione habendos, quia ponunt actionem directam abortus, suntque eius causa. Optime. Sed eiusmodi difficultas extra quaestionem vagatur, neque ab adversariis afferri potest aut debet. Quaestio enim in eo versatur; quinam scilicet sint, quos inter procurantes abortum Pius Papa IX concludit. Cum autem ipsi affirment illos esse quos Xistus recenset §. 1 suae constitutionis, ii autem evidentissime sint principales agentes et mandantes, hoc ipso affirment necesse est, vel ad illos tantum Piana verba esse applicanda, consequenter mandatarios excludendos; aut si negaverint, retractent alia oportet quae scripserunt ut complices quosdam abortus ab excommunicatione excludant, extendant scilicet etiam ad hos Pianae Constitutionis verba. Paucis: vel *Procurantes abortum*, de quibus Pius IX, sunt ii tantum, quos Xistus V recenset §. 1. suae Constitutionis, quod de cetero Reatinae sententiae adversarii concedunt; et ad alios Piana verba extendenda non sunt: vel sunt etiam alii; et hoc in casu 1. Pianum Caput relationem non habet ad §. 1 Constitutionis Xistinae tantum. 2. Adversarii retractare ea debent quae de eiusmodi relatione concesserunt. 3. Edicere et evidenti argumento probare quaenam personae sub nomine *procurantes abortum* in Piano Capite comprehendentur. Nisi haec antea perficiant, stabit Reatini Commentatoris sententia.

7. Tandem ex iis quae exposuimus negari non posse arbitramur, Reatini sententiam gravibus niti argumentis, quae veram et proprie dictam probabilitatem constituant, eiusmodi insuper esse naturae ut dubium de legis existentia in re inducant, non esse hinc de excommunicatione damnandos mandatarios saltem usque dum per authenticam declarationem contrarium non constet.

Non minoribus autem difficultatibus implicata illa quaestio reperitur, qua doctores quaerunt: utrum inter procurantes abortum mulier praegnans sit recensenda, ideoque excommunicationi Pianae subiicienda. Atque tum in veteri tum in novo iure Doctores discordias agunt.

In veteri quidem iure Bonacina *De excomm. in part. Quaest. II. Punct. IX n. 13.*, cui et alii subscripserant, affirmabat mulieres praegnantes quae abortum procurassent excommunicationi subiectas fuisse, quia textus loquitur non solum de cooperantibus, verum etiam, de iis quae vel ut principales, vel ut sociae, consciaeve ad tale cri-

men committendum opem, consilium, favorem etc. contulerint; legem autem manifestam esse: *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint.* Non esse autem excipiendum quod in hac §. 1 Xistus abortum procurantibus poenas tantum homicidii imponat, non autem excommunicationem; hanc enim imponit §. 7 qua omnes complectitur *qui vel quae, vel uti principales, vel uti sociae,* abortum procurent.

Addendum, mulieres praegnantes plerumque abortus causam principalem esse, cum si ipsae nollent, ille procurari nullo modo posset, nisi ignorantia supposita. Quo ergo iure ab Xisti excommunicatione eximentur, cum ipse censura principales plectat?

At alii, quos inter Cardinalis de Lugo et S. Alphonsus de Ligorio, allatas rationes posthabentes, praegnantes mulieres ab excommunicatione eximebant; primo quidem quia Xistus V dum §. 1, et 5 de muliere praegnante loquitur, non excommunicationi, sed poenis tantummodo temporalibus eam submittit; dum vero §. 7 procurantes abortum excommunicationi subdit, ita loquitur ut praegnantes mulieres comprehendi non videantur; excommunicat enim omnes, *qui vel quae uti principales vel ut sociae consciaevae ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint.*

Excommunicantur igitur qui abortui committendo vel ut principales, vel ut cooperatores *dant opem;* atqui hos inter mulier praegnans reponi non potest, cum non sit ipsa quae dat sibi opem, consilium, medicamenta etc. Sed neque inter illas, cum ut ex textu patet. Xistus de tertiis personis loquatur qui in abortus crimine committendo principalem dent operam. §. igitur 7 Xistinae Constitutionis mulieres praegnantes comprehendi sub excommunicatione non videntur. Qua insuper de causa dum §. 1 et 5 Xistus mulieres praegnantes recenset, §. 7, qua eas omnino recensere debuisset, ut certe excommunicatae haberi possent, praetermittit, dum complices caeteros diserte exprimit?

Utique dicturi erunt, Xistum ea in paragrapho vel omnes comprehendisse, quos superius recensuerat, vel matrem inter principales annumerare voluisse: verum praeterquam quod in lege odiosa versemur, in qua solemne est effatum dum de poenis imponendis agitur: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est;* quod primo loco affirmant adversarii probatione indiget; nos e contra non intelligimus qua de causa Xistus superioribus paragraphis mulieres praegnantes expresserit, paragrapho autem 7, nedum eas non expresserit, sed talibus sit usus verbis, quibus illae excludantur; etenim inter cooperantes num-

quam numerari poterunt, cum de his prorsus dicat Legislator *qui vel quae opem, consilium, favorem* etc. scienter dederint; at mulieres praegnantes in casu *opem acciperent, non darent,* medicamenta *sumerent,* non *porrigerent.* Sed neque inter principales, cum hi sint personae a praegnantibus mulieribus diversae ut ex textu patere paulo superius animadvertimus. Caeteris demum praetermissis, non negabunt adversarii dubiam admodum rem esse, an Xistus inter principales mulieres praegnantes recensere voluerit, atque recensuerit; at ex lege dubia neque obligationem oriri neque poenam incurri ipsi optime noverunt.

Exinde vero ruit et alterum argumentum, quo statuebatur mulieres praegnantes uti causas principales abortus esse habendas, ideoque et in veteri iure excommunicationi subigendas; primum enim lex poenalis non potest extendi de casu in casum neque ob identitatem rationis; deinde, non principales quilibet, sed illi prorsus qui uti principales in lege recensentur sunt poenis obnoxii; at potest ne dici Xistus inter principales abortus auctores mulieres praegnantes annumerasse? nisi grammaticalem verborum sensum pervertere velimus, id affirmari non potest. Ergo quamvis mater, seu mulier praegnans, sit causa principalis abortus, cum inter principales, de quibus Xistus loquitur, comprehendi non possit, numquam excommunicationi erit subiicienda.

Dubium est iuridice an comprehendatur? *Lex dubia non obligat:* dubium est de facto? *In dubio favendum est reo.* In antiquo igitur iure mulier praegnans abortum utcumque procurans non poterat excommunicationi subiici, eoquod, ut parum dicamus, opinio graviter probabilis ab excommunicatione eam eximebat.

Quid autem in novo iure? quid post Pianam Constitutionem? Commentatores non pauci, quos inter noster Avanzini, excommunicationi mulierem praegnantem submittunt, si abortum procuret. Hisce sed vero nituntur argumentis:

1. Quia lex generalis est, et cum non distinguat, nec nos distinguere debemus.

2. Quia aperta legislatoris voluntas est, abortum impedire; quo igitur pacto supponi potest voluisse matres ab excommunicatione eximere, quae plerumque aut sunt, aut certe esse possunt abortus causae principales?

3. Quia cum in Piano capite non comprehendantur faventes, consulentes, si ipsae mulieres praegnantes excludantur, lex impune violari poterit. Possent enim principales suadere mulieri ut specialibus mediis abortum procuret, atque ita omnes excommunicationem effugerent, et legem inutilem redderent.

4. Praetermittimus argumentum

quod desumunt ex veteri iure, in quo certum esse propugnant mulieres praegnantes fuisse excommunicationi obnoxias. Ex iis enim quae superius disseruimus cognoscitur quanti valeat.

Verum eiusmodi argumenta alios Commentatores non commovere, et contrariam sententiam, qua statuitur, mulierem praegnantem sub Piana excommunicatione non comprehendi propugnarunt: Hi vero sunt Cretoni adnotat. ad *Gury Tom. II. pag. 618*, Ballerini ad Gury *Tom. II. pag. 1004*, Vecchiotti *Institutiones Canonicae Tom. II, pag. 363*, Del Vecchio *in Theol. Mor., Scavini Tom. I. pag. 719*, scriptores Ephemeridum vulgo *Nouvelle Revue Theologique Tom. XI, pag. 320*, Ninzatti *Theologia moralis Tom. I. n. 401*, aliique. Horum autem sententiam veriorem esse censemus, et in praxi omnino tenendam, saltem usque dum aliqua authentica declaratio non prodierit. Et primo; adversae sententiae patroni propugnant, verba *procurantes abortum*, quae habentur in Piano Capite, eamdem significationem habere ac verba *qui foetus eiectionem . . procuraverint Xistinae* Constitutionis §. 1. Atqui certum est in verbis Xistinae Constitutionis non comprehendi mulieres praegnantes, tum ob sensum grammaticalem, tum quia has inferius diserte Xistus recenset verbis « *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint.* » Ergo adversarii vel negent oportet quod concedunt, vel sin minus evidens est, mulieres praegnantes inter procurantes abortum non comprehendi, consequenter neque post Pianam Constitutionem censura feriri.

2. Ex iis quae superius disputavimus, dubium erat, ut modestiores simus, tum ob rationes intrinsecas, tum ob Doctorum auctoritatem, an in veteri iure mulieres praegnantes excommunicatione plecterentur. At certum undequaque est, Pium Papam IX Constitutione sua censuras limitasse; non possumus hinc, praevio et expresso eiusmodi Pontificis fine, mulieres praegnantes excommunicatas habere.

3. Eo vel magis quod ob naturam legis poenalis odia sint restringenda.

4. Quamvis autem nonnulli Commentatores matres excommunicationi submittant, alii autem neque pauci, neque inferioris auctoritatis eas subducunt. Habemus hinc probabilitatem extrinsecam ob Doctorum pluralitatem, habemus illinc probabilitatem intrinsecam ob allatas rationes, habemus demum certitudinem ob ea quae adversarii concedunt; ergo non videmus quanam de causa mulieres praegnantes Piani capitis debeant excommunicationi submitti (1).

(1) Clarissimus atque doctissimus Commentator Reatinus in edit. anni 1873, n. 19 scripserat: Procurantem accipimus, excepta matre (quam adhuc excusari

Neque adversariorum argumenta tanti valent quanti primo intuitu videntur. Primum enim, quod lex generalis sit et nihil distinguat, non debent adversarii proferre, qui verbum *procurantes* Piani Capitis coarctant ad sensum verbi *procúraverint* Xistinae constitutionis; cum autem in hoc mulieres praegnantes non comprehendantur; ergo neque in illo: distinctionem igitur ipsi adversarii admittunt et propugnant. De cetero utique cum lex non distinguit, distinguendum non est; at distingui debet si lex ipsa distinctionem innuat, suadeatque.

» Solida hinc nullo modo videtur ratiocinatio Commentatoris Patavini qui ad inducendam in praegnantem mulierem excommunicationem analysim instituit in verbum *procurare*, atque scribit: « Potest aliquis abor» tum procurare *in se et in alio;* » nempe mater ipsa foetum ex sese » ante tempus abigere potest; alii » vero efficere possunt, ut mater » conceptum foetum eiiciat. Utraque » ratio criminis perpetrandi vere » ac proprie procurationem abor» tus importat; utraque proinde sta» tuta excommunicatione plectenda » est; nemini enim fas est distin» guere, ubi lex non distinguit » neque distinctioni ullum locum » relinquit. » Solida, inquam eiusmodi ratiocinatio non videtur, et insuper difformis a principiis ab cl. auctore positis reperitur. Etenim cum ipse statuerit procurantes in Piano Capite eosdem esse ac illos, de quibus Xistus V loquitur §. 1. suae Constitutionis, ad eundem sensum debuerat coarctare pianum verbum; porro, ut diximus, in verbo *procuraverint* Xistinae Constitutionis, non includuntur mulieres praegnantes; non poterat igitur Patavinus Commentator verbum *procurantes* Piani Capitis distinguere et applicare etiam ad illas. Eiusmodi insuper distinctio indoli legis odiosae adversatur quae stricto sensu est interpretanda; eo vel magis et quod in antiquo iure disceptaretur, an mulieres praegnantes inter procurantes abortum essent annumerandae, et negantium opinio esset probabilior, et Pius Papa IX cum quaestionem nosset, ne verbum quidem addidit, ut etiam praegnantes mulieres sub lata a se lege comprehendi intelligerentur.

Secundum argumentum petitum ab manifesta Legislatoris voluntate impediendi abortum adversarii praetermittere pariter deberent. Si enim

,uto ob metum infamiae, vel alterius gravis mali). At in *edit. an. 1880.* « Quae» stio elegans est, scribit, at mater huic excommunicationi eximatur ut antea. » Multi affirmant; alii negant, quia lex non distinguit, et recte: nempe excepta » gravioris timoris causa. » Cum tantus vir n. 153 scripserit *procurantes vero heic accipere convenit prout illic, id est §. 1 Xistinae constitutionis,* non intelligimus qua ratione ductus a prima sententia recesserit; praesertim quod affirmet in veteri iure matrem huic excommunicationi exemptam fuisse.

haec Legislatoris voluntas fuit, 1. quomodo affirmare possunt verbum procurantes in Piano Capite eumdem sensum habere ac in §. 1 Xistinae Constitutionis? quandoquidem in hac innuit tantum principales agentes et mandantes; *qui per se aut interpositas personas . . . . foetus eiectionem procuraverint.* At hoc supposito, voluntas absoluta Legislatoris impediendi abortum, ad hos tantum restringi debet. 2. Et quidem iure meritoque; cum enim de voluntate Legislatoris complectendi etiam mulieres praegnantes sub relatis verbis aperte non constet, si etiam ad has illa extendamus, peccamus in iuridica effata: *odia sunt restringenda: in poenalibus quod minimum sequendum: in poenalibus benignior fit interpretatio.* 3. Si eiusmodi voluntatem Legislatoris absolute, et sine ulla limitatione admittamus, nonne nimis probaret? comprehendisse scilicet sub lege quoslibet, qui quomodolibet, favorem, consilium, opem praestando, ad abortum conferrent. Aliquando enim plus mali infert pessimus consiliarius, quam alius quilibet. Unde vero, supposita eiusmodi absoluta et illimitata legislatoris voluntate abortus impediendi, dignoscunt adversarii hos sub Piano Capite non comprehendi? Quandoquidem etiam ipsi consilio, favore, et certe ope abortum procurant. Utique dicturi erunt, a legislatore intellectos inter *procurantes* illos tantummodo fuisse qui curam et operam dant sive per se, sive per alium ut abortus fiat. Ergo non ex voluntate legislatoris, sed ex sensu verborum, quibus concepta lex est, quaestio est dirimenda; ergo cum sub verbo *Procurantes* Piani Capitis mulieres praegnantes comprehendi non possint, eo quod eamdem extensionem habeat ac verbum *procuraverint* Xistinae Constitutionis, ut adversarii ultro concedunt, in quo mulieres praegnantes nullo modo comprehenduntur; ex ipsa adversariorum concessione inferimus, mulieres praegnantes non esse sub Piano Capite comprehendendas, quamvis legislatoris voluntas fuerit abortus impedire.

Neque rationes desunt, quare legislator potuerit et fortasse debuerit eas excommunicatione eximere. Mulieres enim numquam abortum procurant nisi timoris alicuius gravis causa; at timor gravis ab excommunicatione excusat: quoad has igitur Legislator inutilem excommunicationem tulisset. Legislatores autem non supponuntur inutilia decreta sancire et promulgare.

Tertia ratio solidior non appareret, cum innitatur maiori latae legis extensioni, seu comprehensioni illorum qui poenis affici deberent. In primis debent in poenalibus illi tantummodo comprehendi qui sub verbis latae legis comprehendi intelliguntur; neque ex quo minor sit legis in dato casu extensio, potest quis illam ad alios extendere. Etenim legis poenalis finis non

absolute spectandus est, sed relative ad verba quibus lex exprimitur; sin minus leges poenales essent, contra notissima iuris effata, extendendae de casu in casum ob rationis similitudinem, vel paritatem. Deinde, quamvis latis poenis in casu excludantur tum matres, tum mandatarii, tum complices secundarii, non sequitur legem inutilem evauere: Etenim mandantes et principales agentes semper comprehenderentur. Utique hi possent suadere mulieri ut pharmaca sumat, vel ut alia media opportuna adhibeat ad foetum abigendum: verum quid inde? Et prudens ille est qui modum novit transgrediendae legis, quin eius poenas incurrat; et lex semper aliquo pacto servatur, cum transgressores illam aperte transgredi timeant; in casu ex. gr. neque mandent abortum, neque illum directe procurent; quod facturi fuissent, si lata lege deterriti non fuissent. Hinc etiam melius abortivorum saluti consultum reperimus, etenim cum matres ita oblivisci non possint infantem suum, ut non misereantur filio uteri sui, eorum salutem vel temporalem, si possibile est, sine proprio dedecore vel saltem spiritualem curabunt. Homines e contra tanta misericordia non ducuntur. Inutilis ulterius lex non redderetur relate ad omnes alios quos certe afficeret. Nostris enim temporibus, medicorum et obstetricum praesertim opera abortus procurantur; qui cum directe agant et liberrime, lata excommunicatione certe afficiuntur, sicut et omnes alii qui eadem in iisdem conditionibus perficerent. Lex hinc inutilis non redditur, quamvis matres excommunicatione excludantur. Demum, quod iam adnotavimus, non licet poenalem legem extendere, quod hic casus vel ille sub ea non comprehendatur.

Exinde iure inferre censemus, non posse mulierem praegnantem excommunicationi subiici, nisi saltem declaratio aliqua legislatoris accedat. Rationes enim quae eam excommunicatione eximunt validissimae sunt, quaeque contrariorum argumenta, saltem ut nobis videtur, elidunt.

III. Expendamus post haec conditiones necessarias ad eiusmodi excommunicationem incurrendam.

Atque unica quidem est, scilicet ut abortus reapse secutus fuerit: *effectu sequuto*. Qua de causa excommunicatione damnandus non est qui quamvis medicamenta, potiones, aliaque efficacissima remedia ad abortum inducendum adhibuerit, tamen abortus secutus non est; deest enim conditio a legislatore posita ad incurrendam excommunicationem.

Quoniam autem abortus procedere debet ex causis, quae positae sunt ad illum inducendum; procurare enim, ut diximus, est aliquid ex industria quaerere aut velle; sequitur hinc, quod si abortus ex aliis causis sequatur, excommu-

nicatio non incurratur, cum non sit secutus ex procuratione adhibita ad illum inducendum; ex. gr. si mulier post accepta et adhibita remedia, quae abortum certe productura fuissent, proruat, vel morbo aliquo afficiatur etc., ex quo abortus sequatur.

Id autem tenendum est etiam in dubio an abortus ex adhibitis remediis sequutus fuerit, tum quia Ecclesia non intendit infligere excommunicationem pro casibus dubiis; tum quia in dubio favendum est reo, tum quia in dubio gravis ratio adest ad eximendum reum ab excommunicatione. Haec est de cetero Commentatorum omnium sententia. Hinc si qui abortum sive per se, sive per interpositas personas procuraverit, et certus morali certitudine non est, illum ex praestitis remediis vel causis derivasse, non est de excommunicatione damnandus.

Sequitur pariter ex quo procurare sit aliquid ex industria quaerere et velle, abortum debere esse directe voluntarium, et immediatum voluntatis obiectum, quem scilicet quis intendat in se, quamvis ex causis positis non illico et immediate sequi praevideatur, sed post aliquem temporis tractum. Si quis, ex. gr. mulieri praegnanti quotidie non ita gravia onera imponat, ut abortum illico producant, attamen certo productura sint post mensem. Hic enim vere, proprie, et directe aliquid ex industria vult et quaerit. Non incurritur consequenter excommunicatio si abortus sit tantum voluntarius in causa, quia volutarium in causa in se non intenditur, sed id in se intenditur ex quo effectus sequitur; ex. gr. qui vinum bibit, ex quo ebrietatem sequuturam praevidet, primo et directe non ebrietatem, sed vinum vult: qua de causa qui vellet abortum in causa, ipsum abortum ex industria neque quaereret, neque vellet; excommunicationi hinc non esset subiiciendus ille qui ex ira et odio mulierem praegnantem graviter percutit, ex qua percussione abortus sequatur.

Etiam hoc in capite Commentatores concordes reperiuntur.

Nemo vero aliquid ex industria quaerere aut velle potest sine cognitione, nemo excommunicationem incurrere cum ignorantia legis quae abortum sub excommunicationis poena prohibet. Censura enim quaelibet sine contumacia non incurritur, sed contumacia sine excommunicationis cognitione neque concipitur, *non enim contemnit qui ignorat.* Hinc Procurantes abortum ad incurrendam eiusmodi excommunicationem debent necessario scire, abortus procurationem prohibitam esse sub excommunicationis poena. Si igitur nesciant, excommunicationem non incurrunt.

De Varceno atque Commentator Patavinus affirmare videntur, in antiquo iure mulctatos censura fuisse eos qui scienter procurassent

abortum: « Quamvis summus Ponti» fex, inquit ille, *Theol. mor. Tom.2,* » *p. 495* in hoc articulo non expres» serit verbum *scienter*, nihilomi» nus cum per hanc Constitutionem » limitaverit censuras quoad nume» rum et earum extensionem ; ra» tionabiliter putamus voluisse, ut » verbum procurantes deberet in» telligi *scienter*, sicut in dicta Xi» sti V Constitutione.

Alius vero *pag. 250, n. 337:* « Cum Xistus V, tum Gregorius » censuram adixerant in eos, qui » *scienter* procurabant abortum. » Ergo ad contrahendum nunc cen» suram satis erit contumacia minor, » nec ita facile in ignorantia aut » metu, titulus qui ab ea incur» renda excuset, reperiri posthac » poterit. »

Ni fallimur eiusmodi sententia admittenda non est. Xistus V enim adverbium *scienter* in §. 1. non de procurantibus dixit sed de mulieribus praegnantibus: *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint;* de procurantibus vero simpliciter edixerat: *omnes et quoscumque, qui per se aut interpositas personas abortus... ejectionem procuraverint;* nec ulla grammaticalis sensus ratio exigit, ut adverbium *scienter* ad procurantes referatur; imo ratio intercedit, quare ad unas praegnantes mulieres sit limitandum; his enim possunt venena, pharmaca, potiones porrigi alio quam abortus praetextu; quo in casu nullam omnino possunt excommunicationem incurrere: procurantibus vero, cum ex industria et voluntate faciant, absoluta malitia tribuenda est, hinc nullo modo eis ignorantia tribui potest; atque insipientissime Xistus eis applicasset adverbium *scienter.*

Neque difficultatem facessit parapraphus septima, in qua Xistus excommunicatione ferit *omnes et singulos . . . qui vel quae, vel uti principales, vel ut sociae consciaeve ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem* etc. scienter *dederint.* Etenim adverbium *scienter* numquam ad principales referendum est, sed ad alios complices, qui ad facinus committendum dant opem, consilium etc. quae de principalibus agentibus dici nequeunt. Complices vero, cum procurantes non sint, prout hoc verbum a Xisto sumitur in §. 1, excommunicatione sunt eximendi, et eximuntur, saltem nonnulli, ab illis ipsis, quorum sententiam respuimus; quin imo omnes prorsus eximuntur, cum in Piana Constitutione verbum *procurantes* sumant eo sensu quo in citata prima Constitutionis Xistinae paragrapho. De cetero haec est etiam cl. P. Ballerini sententia, qui in notis ad *Theol. Mor. P. Gury Tom. 2. p. 1003 nota 6* scribit: «Et cum in eadem Constitutione (§. 7.) ab hisce ceu principalibus distinguantur ii, *qui ad tale facinus committendum* opem... *scienter dederint;* palam esse debet hosce postremos censu procurantium non

contineri. » Scientia igitur aequaliter exigitur tum in mulieribus praegnantibus tum in procurantibus abortum, cum in his semper supponenda sit, in illis hypothetice. Ex dictis autem manifestum est, Pium Papa IX eodem sensu verbum *procurantes* adhibuisse ac Xistum in sua Constitutione. Ergo tum Pius, tum Xistus aequalem scientiam in procurantibus requirunt. Procurare autem est aliquid ex industria quaerere et velle, quod scientiam importat; ergo quamvis uterque legislator, quantum ad procurantes attinet adverbium *scienter* praetermiserint, hoc subintelligendum necessario est, cum in verbo *procurare* necessario includatur.

Exinde sequitur, ignorantiam quamlibet excludi, cum nulla cuiusvis nominis, cum procurantibus conciliari possit, atque subsistere: *procurare* enim *et ignorare* implicat contradictionem.

Addimus, utrumque auctorem falsum ratiocinium consuere. De Varceno enim pronuntiat: *Diximus 4° ut abortus fuerit procuratus cum cognitione huiusmodi excommunicationis*, « quia ab hac » censura excusat ignorantia etiam » crassa et supina, non tantum » iuris, id est ignorantia latae censurae, sed etiam facti, scilicet » effectus qui potest sequi a propinatione medicinae. Nam quamvis in hoc articulo summus Pontifex non expresserit etc. »

Profecto adducta scientiae ratio nihil evincit. Supremi enim Pontifices in suis legibus non scientiam excommunicationis exegerunt, sed scientiam abortus; ad hunc enim refertur adverbium *scienter;* praesertim quod de mulieribus praegnantibus dictum est, quibus falso praetextu possunt potiones, medicinae, aliaque praeberi ad abortum inducendum; atque de complicibus, qui pariter alio nomine possunt in complices advocari. Scientiam autem excommunicationis ineptissime exegissent, cum haec per se supponatur; adducta igitur a cl. De Varceno ratio extra argumentum vagatur et nihil prorsus evincit.

Idipsum vero dicatur de consequente illato ab cl. Commentatore Patavino in testimonio superius adducto, cum ab scientia abortus ad scientiam excommunicationis concludat.

Quid ergo dicendum? Profecto quod si procurantes, quacumque ignorantia detenti, excommunicationem ignorent, eam non incurrunt.

Idem de timore gravi dicite, qui mulieri incutiatur foetus abigendi causa. « Gravis metus, inquit S. Alphonsus *Theol. mor. lib. VII. n. 46.* excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias iure divino sit prohibita; et ideo, qui ob gravem metum pataret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed

» non incurreret censuram; quia » non peccaret contra ius Ecclesiae, » contra cuius potestatem specialis » iniusta contumacia ad censuram » requiritur. » Scilicet omnimodis voluntaria, quaeque delictum sub censura vetitum ad finem usque prosequatur; contumacia enim debet esse completa.

Ex quo quis inferat, non esse de excommunicatione damnandum eum, qui postquam ad abigendum foetum mulieri praegnanti sive pharmaca porrexerit, sive alia media adhibuerit, antequam mulier foetum abigat, facti poeniteat, modisque omnibus quaerat abortum impedire. Contumax enim dici non potest, consequenter neque excommunicationem incurrisse. Utique hanc sententiam non omnes admittunt; attamen eius probabilitas neganda non est, tum ob vim intrinsecam, tum quia ipse S. Alphonsus probabilem illam esse non negat, ea prorsus ratione « quia dum postea » evenit laesio (sive effectus a prin» cipio intentus) ille non est con» tumax; unde non debet incurrere » censuram quae est poena medi» cinalis ad impedienda peccata. » *Theol. mor. VII. n. 40.* Per veram autem probabilitatem excommunicationem excludi in dubium revocari non debet.

Et haec quidem circa excommunicationem dicta sint: Circa vero irregularitatem aliasque poenas a Xisto V in procurantes abortum illatas, observandum est, a Pio Papa IX nullo pacto abrogatas fuisse ideoque adhuc vigere dicendae sunt, cum in Constitutione *Apostolicae Sedis* censurae quidem limitatae fuerint, non autem poenae, nullitates actorum, privationes, inhabilitates, ut iam in Commentario nostro observavimus, omnesque observarunt Commentatores.

Attamen relate ad irregularitatem illustres scriptores Ephemeridis *de la Nouvelle Revue théologique Tom. XI, pag. 311* tria affirmant: 1. ab Gregorio XIV irregularitatis poenam limitatam fuisse ad solum abortum foetus animati; his autem assentitur etiam cl. Commentator Patavinus (1); 2. ad illatas poenas decernendas attendendam esse antiquam legislationem circa foetus animationem; qua de causa contra cl. Ballerini tenent sententiam propugnatam a R. P. Konings qui ita loquitur: « Hinc irregularitas non » incurritur nisi post octogesimum » a conceptione diem abortus pro» curatus fuerit; nam in praxi sua » poenali Ecclesia, quousque con» trarium non constat, censenda » est sequi opinionem, iuxta quam » mares quadragesimo, foeminae » octogesimo a conceptione die ani» mantur; et in casu semper du» bius est foetus sexus. » Concludunt hinc, non esse a prolata sententia recedendum nisi cum Ec-

(1) Gregorius XIV . . . in sua Const. *Sedes Apostolica* poenam irregularitatis . . . ad eos tantum limitavit, qui procurant abortum foetus animati.

clesia antiqua iura lata lege in re immutaverit. 3. Poenis in veteri iure inflictis teneri etiam abortus complices, excepta excommunicatione.

Atqui primum falsum esse ex eo probamus quod Gregorius XIV unam tantum excommunicationem reservatam Pontifici iuxta Xisti Constitutionem tam pro abortu foetus animati quam inanimati, Episcopis reservarit pro foetus animati abortu; de irregularitate autem nihil omnino dixerit « Nos . . . utilius censen» tes, ubi nec de homicidio, nec » de animato foetu agitur, poenas » non imponere duriores iis, quae » per sacros Canones et leges pro» phanas sunt inflictae . . . Con» stitutionem praedictam sic duxi» mus moderandam, *ut a peccato* » *et excommunicatione* contra per» sonas ibi expressas lata etc. » Auctores ergo citati, quod Gregorius de una excommunicatione decreverat ad irregularitatem extenderunt.

Eam autem non fuisse Gregorii mentem ex eo quoque evidentissime colligere poterant, quod ipse poenas illatas a Xisto V in procurantes abortum foetus inanimis reduxerit *ad terminos iuris communis, ad Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini dispositionem.* Atqui Concilium Tridentinum *Sess. XIV, Cap. VII de Reform.* pro homicidis voluntariis prorsus irregularitatis poenam statuerat « nullo tempore « ad sacros ordines promoveri possit » sed omni ordine, ac beneficio, » et officio ecclesiastico perpetuo » careat: » idque etiamsi homicidium fuerit occultum. Si igitur Gregorius XIV irregularitatem servavit a Tridentino statutam contra homicidas voluntarios pro abortu foetus inanimati, quomodo arbitrari possumus irregularitatem limitasse pro abortu foetus animati; hanc scilicet reservasse Episcoporum auctoritati? Irregularitas enim a Tridentino inducta in cit. cap. nullo modo est Episcopis reservata, sed Romano Pontifici. Quantum igitur ad irregularitatem attinet, Gregorius XIV nihil de Xisti constitutione immutasse reperitur; atque etiam post Pianam Constitutionem in eodem statu manet ac in veteri iure manebat tam pro abortu foetus animati quam inanimati. Ideo vero Xisti Constitutionem Gregorius temperavit, quia illa in reos abortus etiam inanimis praeter perpetuam inhabilitatem, ad Concilii Tridentini formam, statuerat etiam poenas in iure statutas contra veros homicidas.

Exinde vero patet etiam responsio ad secundam quaestionem. Cum enim Gregorius XIV nihil immutaverit in re de Xisti Constitutione, nihil pariter Pius Papa IX, sequitur evidentissime irregularitatem nunc incurrere quoslibet procurantes cuiusvis foetus abortum, neque ullo modo esse distinctionem attendendam inter foetus animatos et inanimes. Atque idipsum dicit

de tertia quaestione. Complices enim abortus foetus inanimis a Gregorio XIV subiiciebantur iisdem poenis ac procurantes, dum Xistus V et in hos statuerat poenas illatas contra veri nominis homicidas. At certum est ex dictis, Gregorium XIV contra procurantes abortum foetus inanimis statuisse irregularitatis poenas; ergo et complices eamdem poenam incurrunt.

Haec vero ut ex latis iuribus argumenta desumamus. De cetero nullo modo nobis spernenda videtur ratio a cl. Ballerini adducta, imo talis nobis apparet, ut rationi allatae a R. P. Konings praeferenda sit; primo quidem quia cum Pius Papa IX nullo modo dixtinserit inter abortum foetus animati et inanimis, hoc ipso videtur dixtinctionem scholasticorum posthabuisse; secundo quia certum est scholasticorum sententiam de foetus animatione falsam omnino esse; quae autem falsa sunt non indigent declaratione principis ut falsa habeantur, sed per se corruere, una cum iuribus, doctorumque opinionibus et sententiis quibus innitebantur.

IV. Post haec videamus an et quando licitum sit abortum procurare.

Et 1. illicitum esse abortum procurare ne puella aut infamiae aut occisionis periculum subeat certum est ex propositione 34 damnata ab Innocentio XI. *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Admissa enim huiusmodi sententia, abortibus quibuscumque latissima aperiretur via, cum nulla sit mulier quae ex illicita conceptione infamiam saltem non referat; puellae vero praeter infamiam manifestam, parentum gravissimam iram timere non debeant. Furtivis enim conceptionibus mulieres illae dant operam quae bonum nomen servare desiderant; ceterae, quibus nullum nomen, res publica sunt, quibus consequenter de illicitarum coitionum effectibus nulla cura, atque conceptos foetus ad expositorum domos mittunt.

Ex clarissimo autem Antonio Ballerinio ea fidenter desumemus, quae de abortus liceitate, variarum circumstantiarum habita ratione, disputabimus.

Porro *Theol. Mor. Tom. 1. pag. 384. Edit. 1878* ita loquitur.

1. Ubi certa sit mors alterius, aut matris scilicet, aut prolis, certa autem alterius vita, et quaestio sit de morte dumtaxat temporali, quia v. gr. baptismus proli nondum natae potuit conferri (1), non tene-

(1) Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scindantur, ut aqua ope siphunculi iniecta foetum immediate tangere certo possit, atque adeo cum iuxta ea, quae S. Alphonsus (*lib. VI. n. 107.*) post Benedictum XIV disserit, de validitate Baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus: proinde fere cessant difficultates et quaestiones

tur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet (1).

Sed hic casus perrarus omnino est; quandoquidem (ut dicit S. Alphonsus, *lib. 3. n. 394*) *moraliter impossibile est, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre, proles supervivat. Idque mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului.*

Et hoc quidem valet, etiamsi agatur de caesarea operatione; quae praeterea cum peritissimos requirat medicos, et matrem robustam, raro id locum habet, praesertim cum hoc remedium requiri tunc soleat, quando incassum alia remedia adhibita sunt, atque adeo quando et mater et proles e longa lucta prostratas habent vires.

II. Imo s. Alphonsus *(lib. 6. n. 106)* prae oculis habens illud s. Thomae *(3. q. 68, art. 11, ad 3)*: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona; et ideo homo non debet occidere matrem ut baptizet puerum;* concludit, matrem, quando mortis periculum sit *proximum aut probabile,* non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur, nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere.

III. Si mater morbo correpta, gravi mortis periculo laboret, nisi foetus partum accelerando expellatur; probabilis autem spes sit, ope medicinae effici posse, ut foetus vivus in lucem prodeat, atque adeo sin minus temporalem, saltem aeternam vitam adepturus sit; tum eiusmodi expulsio non modo licita videtur, sed praecepta. Ratio quia matris periculum ac mors nihil prodesset vitae temporali prolis, et insuper in gravissimum salutis aeternae discrimen ipsam prolem coniiceret.

Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur. Nam primo quidem ex praedictis cum Lugo non tenetur mater cum tanto discrimine vitam prolis ulterius conservare. Deinde vero *in eo casu,* ut inquit S. Alphonsus *(lib. 6. n. 106. in fine) negligi potest parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur.*

IV. Quando, aegrotante matre, periculum abortus aeque instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat, eo quod vis ipsa morbi (ut subinde contingit) abortum infert, licet medicinam sumi: neque enim pro-

a veteribus Doctoribus motae circa pericula quae mater subire teneatur, ut aeternae saluti prolis prospiciatur.

(1 Haec autem ex iis confirmantur quae disserit Cordinalis de Lugo *De iustitia et iure Disp. 10. n. 133.* « Mater non tenetur cum tanto vitae suae pe » riculo et detrimento procurare et conservare foetum: sicut nec natum iam filium » tenetur cum vitae discrimine alere et retinere, neque etiam ad eum lactandun » conservare lac in uberibus, quando ad propriam vitam tuendam necessarium e « esset ubere arefacere. »

desset proli abstinentia a remediis, atque adeo mater vitae suae consulit sine maiori prolis detrimento. Atqui si absque maiori prolis detrimento mater potest vitae suae consulere, non solum licite potest, sed propter obligationem, quam quisque habet vitam suam conservandi per ordinaria remedia, medicinis uti prorsus debet.

V. Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, simul vero periculum instet, ne si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur; contra vero probabilis spes affulgeat, quod accelerato per medicinas partu, proles in lucem viva proditura sit, et sic aeternae eiusdem saluti prospici possit; incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae, atque adeo accelerare partum liceret. Quod quidem dicendum est valere, etiamsi morbus nullum vitae matris periculum inferat, sed solum de meliori bono prolis agatur.

VI. Quando habita ratione status tum physici tum moralis matris (quae scilicet non ita incisionem exhorreat, ut proli vel solus hic horror graviter nocere queat), et simul spectatis tum statu prolis, tum medici peritia, prudenter existimari queat, per caesaream operationem in grave periculum matrem inductum non iri, prolis vero consuli posse non modo temporali, sed etiam aeternae vitae, dicendum est teneri matrem ad incisionem patiendam, licet saluti aeternae prolis prospici aliter posset. Requiritur tamen ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam secus pro incerta spe vitae temporalis filii (aeterna enim curari aliter potest, ut diximus) non tenetur mater probabile periculum vitae suae subire.

Hisce vero criteriis a clarissimo P. Ballerini traditis resolvi posse putamus quaestiones frequentiores quae circa abortus contingere solent. (1)

APPENDIX XXXIII.

De Excommunicatione in eos lata, qui scienter utuntur literis apostolicis falsis, et ea in re crimini cooperantur.

Quaenam literae apostolicae falsae dicantur, quaenam immutatio in eas falsitatem inducat, quibus modis falsari possint, quaeque poenae pro inducta falsitate incurrantur, explicatum dissertumque lectores nostri reperient in Appendice VIII. (2) in qua commentatio-

(1) Ea quae circa craniotomiam promiseramus, habent lectores nostri separato opuscolo, quod iam edidimus, disserta.

(2) Pennacchi - Commentaria in Const *Apostolicae Sedis* Tom. I. p. 221. seqq.

tiones instituimus in Caput XI Sect. 1. *Omnes falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis* etc., ita ut hic praetermittamus omnia de quibus in cit. Appendice edisseruimus.

Porro crimen utendi falsis literis apostolicis tam est antiquum quam crimen eas falsandi; ideo enim falsantur, ut falsarii iis uti in proprium commodum possint.

Innocentius III. Pontifex Maximus in re duo decreta promulgaverat, quibus eiusmodi fraudem compesceret. Primum ita legitur:

« Adiicientes statuimus ut gene» ralem excommunicationis senten» tiam promulgetis, quam per sin» gulas parochias faciatis frequen» tius innovari, et si quis falsas li» teras se habere cognoscit, intra » viginti dies literas illas aut de» struat aut resignet, si poenam » excommunicationis voluerit eva» dere: quam (nisi forsan in mortis » articulo) sine speciali mandato » nostro, a quoquam nolumus re» laxari; nec etiam (si praesumpta » fuerit contra hoc) absolutio quic» quam habeat firmitatis. Cap. *Du» ra, 4. De crimine falsi.* »

Aliud vero decretum ita se habet:

« Ad falsariorum confundendam » malitiam. De communi fratrum » nostrorum consilio duximus sta» tuendum ut qui literis nostris uti » voluerint, eas primo diligenter » examinent, quoniam si falsis li» teris se usos dixerint ignoranter, » eorum sera poenitentia evitare » nequibit poenas inferius annota» tas. Nos enim omnes falsarios li» terarum nostrarum qui per se vel » alios vitium falsitatis exercent, » cum fautoribus et defensoribus » suis anathematis vinculo decerni» mus innotatos, statuentes ut cle» rici qui falsarii fuerint deprehensi, » omnibus officiis et beneficiis ec» clesiasticis perpetuo sint privati, » ita quod qui per se falsitatis vi» tium exercuerint, postquam per » ecclesiasticum iudicem fuerint » degradati, saeculari potestati tra» dantur, secundum constitutiones » legitimas puniendi, per quam et » laici qui fuerint de falsitate con» victi, legitime puniantur. Qui » vero sub nomine nostro literis » falsis utuntur, si clerici fuerint, » officiis et beneficiis ecclesiasticis » spolientur; si laici tamdiu ma» neant excommunicationi subiecti » donec satisfaciant competenter, » ita tamen ut in istis et in illis » malitia gravius quam negligentia » puniatur, quod et de iis qui fal» sas literas impetrant, statuimus » observandum. Caput *Ad falsario» rum 7, ibidem.* »

Pius Papa IX breviori ratione sed non minus solemni, excommunicatione Episcopis reservata damnatos proclamavit: *litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes.*

Tria vero hoc in capite expendendo consideranda sunt, 1. differentia antiquum inter et ius no-

vum, 2. criminis natura, 3. personae quae in novo iure excommunicationem incurrunt.

Atque quoad 1 manifestum est, literas apostolicas falsas retinentes, neque illas infra dies viginti resignantes, nulla excommunicatione teneri, cum Pius Papa IX excommunicationem hanc in sua Constitutione non renovaverit. Utrum vero adhuc vigeat prohibitio illas retinendi, perspectum non esse putamus, cum ob contrariam consuetudinem, vel ob retentionis inutilitatem, et innocentiam, lex Innocentiana in desuetudinem abire potuerit. Difficillimum enim nostro tempore est, ne impossibile dicamus, falsas apostolicas literas obtrudere, vel iis impune et efficienter uti, cum ad fraudem detegendam innumera praesto sint media. Si qui vero literas apostolicas falsas retinerent, non ut iis utantur, sed ut documentum quodcumque sive antiquioris, sive recentioris, sed perspectae fraudis, num ne esset inquietandus? Profecto in privatorum hominum, vel publicis Archiviis non una reperitur falsa litera apostolica, quin tamen possessores ad illas tradendas cogendi dicantur. Verum haec parvi sunt momonti, ita ut in iis tempus insumere non debeamus.

Alia differentia est, quod in veteri iure clerici qui falsis apostolicis literis usi fuissent, nulla excommunicatione tenebantur, sed privandi erant officiis et beneficiis ecclesiasticis; laici vero excommunicatione nemini reservata plectebantur; at per Pianam Constitutionem tum Clerici tum laici una excommunicatione Episcopis reservata, ob eiusmodi crimen, tenentur.

Attamen Commentator Patavinus affirmare videtur, etiam nunc vigere privationem officiorum et beneficiorum pro clericis. « Pro clericis, inquit, minime cessasse arbitramur, vi saltem novae Constitutionis, privationem officiorum et beneficiorum, quia huiusmodi poena non praesefert naturam censurae proprie dictae ». *Comment. pag. 253.* (1)

Verum haec sententia admittenda non videtur. Praetermisso enim quod ei contradicant validissimi Doctores D'Annibali, De Vargeno, aliique, dum ceteri nihil in re pronuntiant, rationes manifestae allatae sententiae veritatem impugnant. Primo enim in poena irroganda Legislator non distinguit, sed uni eidemque poenae tum clericos

(1) Commentatori Patavino assentire videtur Ciolli dum in suo *Commentario pratico* pag. III. scribit: 2. Prima era stabilito che se chi commetteva tal delitto fosse chierico, *officii et beneficii suspensione damnetur;* perciò se queste parole debbono intendersi di vera sospensione, questa adesso per gli ecclesiastici è cessata; se poi debbono intendersi di semplice privazione o penalità, tuttora sussiste non ostante che siano colpiti dalla scomunica, secondo il detto di sopra.

tum laicos submittit; 2. numquam est supponendus Legislator duplicem poenam legis transgressori irrogare nisi de re certo constet; odia enim sunt restringenda; et in poenalibus quod minimum est sequendum. 3. Idque multo magis cum mitiorem poenam, qualis est suspensio ab officiis et beneficiis, legislator in graviorem, qualis profecto excommunicatio est, commutarit. Optime hinc et vere cl. Commentator Reatinus scribit *Comment. pag. 19. n. 23. Edit. 3.* « Nihilo- » minus quia a iure alienum est *ob* » *idem crimen pluribus legibus* » *reum fieri*, his quoque abroga- » tum fuisse tenendum est quoad » ea crimina, in quae Constitutio » nostra censuris latae sententiae » *nunc primum* animadvertit, quam- » vis levius. Atque Petrus Avanzini » principium statuit, quo quaestio » dirimitur. De aliis poenis, inquit, » dubitari potest an permaneant, » quum per gravissimam excom- » municationis poenam videatur sa- » tis consultum fini qui intenditur, » ideoque ceterae poenae videntur » hac nova dispositione indirecte » cessare. »

Hinc poenae, nullitates actorum etc. etiam in Piana Constitutione vigere dicendae sunt, cum vel excommunicatio iis substituta non inveniatur, vel utramque poenam innovatam perspiciamus; secus minime.

Haec autem vera esse dicimus etiam in sententia Ciolli. Etenim si in antiquo iure suspensio illa ab officio et beneficio censura erat, iam cum non fuerit per Pianam Constitutionem innovata, cessavit; si autem poena fuit, cessasse dicenda est quod ei subrogata fuerit gravior poena; atque in poenalibus mitiorem sententiam sequi tenemur.

Alia differentia inter vetus novumque ius in hoc reponenda est, quod in veteri iure poenis illi tantum tenebantur, qui literis falsis usi fuissent: *Qui vero sub nomine nostro literis falsis utuntur:* in Piana autem Constitutione etiam cooperantes poenae subiiciantur: *vel crimini ea in re cooperantes.*

Demum Innocentii III excommunicatio nemini reservata erat; e contra Pianam excommunicationem Episcopis reservatam scimus.

II. De criminis huius natura pauca dicenda occurrunt, cum res perspicua sit, atque de ea disseruerimus in cit. Appendice VIII, quam Lectores legant. Manifestum est hoc in Capite literas apostolicas falsas esse illas, quae ementito nomine Romanis Pontificibus tribuuntur, literas scilicet apostolicas suppositiias; quod evidentissime patet ex verbis Innocentii III: *qui vero sub nomine nostro literis falsis utuntur.* Hinc quamvis in cit. Appendice VIII propugnaverimus, fabricantes literas Apostolicas illius Capitis excommunicationem non incurrere, eo quod falsantium seu falsificatorum nomine fabricantes non veniant, tamen tenendum est

literas ab eis fabricatas sub praesenti Capite comprehendi. Caput enim hoc omnes literas comprehendit, quae falsae vere et proprie dici possunt; has autem esse praecipue literas suppositítias nemo negaverit, cum in casu nostro ad decipiendum condantur et supponantur.

At non immerito lectores quaerent: an sub falsarum literarum nomine veniant literae apostolicae, in quibus falsitas inducta est per mutilationem, interpolationem, sententiarumque corruptionem; hae enim non tam falsae quam falsificatae dici possent; neque nomine Romani Pontificis suppositae, cum reapse a Romanis Pontificibus profectae sint, atque promulgatae; consequenter cum de lege odiosa et stricto sensu interpretanda agatur, literae falsificatae non videntur sub nomine falsarum literarum comprehendi.

Verum contrariam sententiam omnino tenendam esse dicimus. Literae enim apostolicae, in quibus falsitas substantialis admissa est, falsae sunt in se, cum sensus immutati non prodierint a Romano Pontifice; falsitas autem inducta inficit universam epistolam, ob eamque totaliter ab Romano Pontifice repudiatur: quod quidem communiter contingit; auctores enim affirmant, epistolas non esse suas tam si corruptae sint, quam si suppositae. Recte hinc Bonacina *Tractatus de Censuris omnibus in particulari* Disp. 1, quaest. 7. « Falsa redditur Scriptura quoties aliquid additur vel minuitur quod antea positum, vel concessum non erat. »

Quod de utero etiam ex definitione falsi patet: *Falsum enim est quod animo corrumpendae veritatis in alterius fraudem dolo malo fit.* At ad hoc non est necessarium ut integra epistola corrumpatur, sed satis esset si una sententia corrumperetur. Hoc enim in casu epistola illa contineret falsum; consequenter et falsa esset. Illud enim documentum iure dicitur falsum quod falsa continet. Demum in Cap. IX sect. 1. Pianae Constitutionis falsarii dicuntur tum qui corrumpunt et adulterant epistolas Apostolicas, tum qui eas confingunt et publicant, tum qui falso signant supplicationes; ita ut falsitas tria haec complectatur.

Ceterae autem exceptiones, quas in cit. Appendice recensuimus, et hic locum habent. Eas autem sub unico criterio concludimus. Sicut literae Apostolicae falsificatae censeri non debent, nisi in eis sensus aliquis substantialis immutatus fuerit, ita dicendi non sunt literis Apostolicis falsis uti illi qui talibus literis utuntur, in quibus nulla substantialis depravatio reperiatur. Id vero etiam ex fine utentium patet; quandoquidem qui falsis documentis utuntur, ad aliquid certe consequendum; at nullimode illud sine substantiali falsitate consequi possent. In iis ergo neque malitia

supponenda esset; quod in talibus literis scienter utentibus cogitandum non est.

Addimus demum, quod cum falsitas substantialis etiam per unius voculae immutationem, imo virgularum et punctorum contingere possit, dicendi sunt literis Apostolicis falsis illi uti, qui talibus utuntur, consequenter praesentem excommunicationem incurrere.

III. Duplicis autem classis sunt personae, quae Piani Capitis excommunicationem incurrunt: 1. Utentes; ii scilicet qui falsas epistolas veluti authenticas, ad finem sibi praestitutum consequendum, adhibent; non quidem bona fide, sed *scienter*, cognoscentes scilicet earum vel suppositionem, vel depravationem. Hinc qui falsis literis apostolicis ignorantia qualibet detenti uterentur, excommunicationem effugerent. Etenim dum a Legislatore requiritur scientia, ut alias probavimus, ignorantia quaelibet, etiam affectata, excluditur. 2. Cooperantes, seu illi qui scienter auxilio sunt utentibus dum falsis apostolicis literis utuntur. Ex. gr. Si postquam Cliens ad litem superandam falsam Procuratori literam apostolicam exhibuerit, hic in defensione scripta eam scienter alleget, coram iudice deferat, eiusque sinceritatem, authentiam et probandi vim asserat. Verum circa cooperatorum actionem quaerunt Commentatores: an incurratur excommunicatio ob unam cooperationem phisicam, vel etiam ob cooperationem moralem, ex. gr. consilium.

Et quidem Commentator Patavinus *pag. 253. n. 340.* affirmat ob utramque actionem excommunicationem incurri. « Cooperantium porro nomine ii veniunt qui *operam suam praestent* alicui ut falsis utatur literis. Et quum qui praebet consilium vel favorem, et a fortiori qui iubet sive mandat, revera *operam praestent*, revera *cooperentur*, equidem opinor, voluisse Legislatorem per eam dicendi formam *vel crimine ea in re cooperantes* poenam extendere ad omnes, qui morali vel physica cooperatione sese criminis participes constituunt. »

Verum huic sententiae plurimi e Commentatoribus contradicunt, affirmantque huic excommunicationi unam physicam cooperationem, non moralem, subiectam esse. Nec immerito; etenim 1. Legislator disertis verbis excommunicatione plectit crimini *ea in re* cooperantes; porro verba *ea in re* indigitant usum falsarum literarum apostolicarum; ergo cooperans debet adiuvare utentem *in usu;* ad id porro requiritur actio physica.

2. Qui dant consilium, vel qui iubent, in usu non cooperantur, sed aliis committunt vel suadent ut falsis apostolicis literis utantur; iussio igitur vel consilium actionem praecedunt. Cum autem usus sit actualis, etiam cooperatio crimini ea in re est actualis; non potest ergo esse consilium vel ius-

sio, quia sunt actiones quae iam praecesserunt.

Optime hinc Commentator Reatinus *Comment.* pag. 91. in textu et Nota 3. Et cooperantes qui utenti operam praestant. Patet ex iis verbis *ea in re.* Porro cooperari est alteri opem praestare; qui igitur nullam opem utenti adhibuit, sed tantum consilium dedit, vel hortatus est ad utendum, excommunicationem non contrahit.

3. Quando agitur de poenis incurrendis lex stricto sensu est interpretanda, nec comprehendendae sub ea sunt actiones, de quibus certo non constat an comprehendantur. Porro incertum est an moralis cooperatio sub lata lege comprehendatur.

4. Quod patet etiam ex plurimis Commentatoribus qui eiusmodi moralem cooperationem excommunicatione eximunt. Hi porro sunt praeter Reatinum, Ballerini, De Varceno, Ciolli, Ninzatti, Del Vecchio in Theologia Scavini, Konings, et tacite cl. Scriptores de la Nouvelle Revue Theologique, *Tom. XI, pag. 378,* et Formisano.

Verum si cooperatio moralis excommunicatione eximenda est, relate ad actionem physicam, veram non esse putamus sententiam cl. De Varceno qui arbitratur, tum utentes tum cooperantes excommunicationem non incurrere nisi effectu secuto. Verum, inquit, non contrahitur haec excommunicatio nisi postquam effectus sit consequutus. *Theol. Mor. pag. 496.* Eiusdem porro sententiae est Cl. Vecchiotti *Inst. Canon. Tom. II. pag. 363, Edit. 1876. Utentes,* inquit, *dicuntur qui falsas literas exhibent effectumque consequuntur.*

At vera sententia videtur, qua affirmatur, necessariam non esse effectus consequutionem ad hanc excommunicationem incurrendam; quam de cetero tuentur Commentatores non pauci nec infimae notae. Revera tunc illata poena certo contrahitur, cum iuxta latae legis obvium sensum crimen admissum et completum censetur. At perspicuum est, utentes usos esse scienter falsis literis Apostolicis, atque alios crimini ea in re cooperatos esse. Crimen ergo a Legislatore prohibitum admissum complete est. Ergo delinquentes poenam incurrisse dicendi sunt.

Neque aliter dici potest. Quandoquidem usus falsarum literarum Apostolicarum in se non includit, neque dicit consecutionem effectus intenti, sed usum ad eum finem consequendum. Revera si procurator aliquis ad litem superandam falsas literas apostolicas coram Iudice allegaret, nonne usus esset falsis literis apostolicis? Et si Iudex fraudem animadverteret, illasque repudiaret, num exinde sequeretur Procuratorem usum non fuisse falsis literis apostolicis? Quin imo contrarium sequeretur, non potuisset enim Iudex illas epistolas repudiare, nisi procurator iis usus fuisset.

De cetero hac in re non ab

utente pendet ne ipse consequatur effectum intentum, sed ab alio; ergo effectus intenti consecutio plane discernitur ab usu falsarum literarum.

Optime hinc expositam sententiam repudiant Commentatores. Reatinus *loc. cit.* scribit: *Utentes vero, qui exhibent, ut effectum habere possint.* Huic porro assentitur P. Ballerini in notis ad Theolog. Moral. P. Gury. Dumas Compendium Theologiae Moralis P. Gury *Tom. 1. n. 1019*: Actio, quae hac censura damnatur est usus talium literarum, sive utens finem intentum obtineat, sive non obtineat.

Ciolli: *Commentario prattico delle Censure,* pag. 110. Qui utitur hisce falsis epistolis, scilicet eas exhibet aut praesentat ut habeant effectum in ipsis falso expressum (1).

Hisce vero assentiri videntur etiam cl. Scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique Tom. XI. pag. 379.* Qua de causa etiam ob doctorum pluralitatem sententia haec solidior evadit; ita ut in praxi sit omnino sequenda.

Demum manifestum esse putamus, quod qui Apostolicas literas falsaret primum, deinde iis uteretur, duplicem excommunicationem incurreret, quia duplex crimen admitteret speciali lege prohibitum; atque hinc absolvendus esset excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata in Cap. IX. Sect. 1, et praesenti excommunicatione Episcopis reservata.

(1) Chi fa uso di tali lettere Apostoliche false, cioè che le esibisce o presenta perchè abbiano l'effetto in esse falsamente dichiarato.

COMMENTARII

PARS QUARTA

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATIS.

APPENDIX XXXIV.

De excommunicatione lata in mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, nominatim excommunicatos vel interdictos.

Nemo putet, inter excommunicationes latae sententiae sive Pontifici Romano, sive Episcopis reservatas, et nemini reservatas, quantum ad essentiam attinet intimamque naturam, aliquam differentiam intercedere; etenim et earum eadem definitio est, et eosdem pariunt effectus, omnibusque per eas *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Differentia se unice habet quantum ad absolutionem; cum excommunicationes reservatae vel a Legislatore tantum, vel ab iis, quibus a Legislatore facultas facta est, absolvi possint; non reservatae vero a quolibet Sacerdote ad excipiendas fidelium confessiones legitime per Episcopum approbato, et deputato. Se habent, scilicet, eiusmodi excommunicationes ad instar peccatorum non reservatorum, quae a quolibet Confessario absolvi possunt.

Porro qui in Piana Constitutione omnium primi excommunicationi nemini reservatae subduntur, sunt qui mandant vel cogunt tradi sepulturae Ecclesiasticae haereticos notorios, et nominatim excommunicatos, vel interdictos. Ita enim Pius Papa IX praecipit.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturæ haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos.*

Et quidem merito. Christiani enim defuncti templum extiterant Spiritus Sancti, atque per baptismum et Christum induerant, et consepulti cum Christo fuerant; quin imo ipsius Christi veri Dei domus extiterant,

cum per Sacrosanctum Eucharistiae mysterium ipsi concorporei facti fuerant, et veluti consortes divinae naturae; decedentes autem et migrantes de hoc saeculo, si vel innocentes, vel poenitentia expiati ad supernam patriam evolarunt, facti sunt consortes sanctorum et angelorum, Deumque facie ad faciem vident in sempiternum beati, atque futuram corporum resurrectionem expectant, ut ipsorum corpora una cum animabus quibuscum coniuncta fuerant, Deoque debitum honorem et famulatum praestiterant, aeterna fruantur beatitudine.

Exinde factum certe est, ut Christianorum cadavera, qui in Ecclesiae communione defuncti fuere, veluti res sacras Ecclesia considerarit, numquamque, dum facultas ei fuit et potestas, permiserit ut ea cum Ethnicorum, cum haereticorum, impiorumque corporibus eodem in loco sepelirentur; quin imo et locum separatum, et ab Episcopis benedictum consecratumque, christianorum cadaveribus sepeliendis destinarit, permiseritque insuper ut et in Ecclesiarum vestibulis, et prope Ecclesias, et infra ipsa templa, (1) et prope martyrum

(1) Ex Lucio Ferraris *Biblioth. Canonica. V. Sepultura, Edit. Paris.* 1858 haec apposite excribimus. « Concilium Nannetense (incerti anni, sed fortasse saeculo nono celebratum) cap. VI ita edicit: *Prohibendum etiam, secundum maiorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in portico, aut exedra Ecclesiae* (alius textus *extra Ecclesiam*). *Infra Ecclesiam vero, aut prope altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi.* Tria igitur, inquit Baluzius *ad Reginon. lib. I. cap. 125*, ubi allatus Nannetensis Canon redditur, extra Ecclesiam loca erant, in quibus sepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus, et exedra. Honorificentior autem sepulturae locus per illas tempestates erat in atrio, ante portam Ecclesiae, id est, in nobilissima atrii parte. Adnotat enim Gretserus in libro secundo *de funere christiano, cap. 8.* Constantinum Magnum sepeliri voluisse in vestibulo Ecclesiae Constantinopolitanae, eodemque loco deinceps sepultos esse plurimos Imperatores ac Pontifices. De Ottone secundo Imperatore testatur Leo Marsicanus in libro secundo Chronici Casinensis c. 9. eum sepultum esse in atrio Ecclesiae B. Petri Apostoli. Et lib. IV. cap. 8 agens de Elgaita Roberti Ducis uxore, ait, eam in Ecclesiae Paradiso ante Basilicam Petri Apostoli tumulari voluisse. Sic antiquitus sepulchra Comitum Tolosanorum erant in atrio Ecclesiae S. Saturnini, prope portam, ubi hactenus videntur, donec Urbani II. auctoritate coemeterium eorum constitutum est in atrio Basilicae deauratae. Sic etiam vestibulum Ecclesiae Tutelensis erat olim locus destinatus sepeliendis Vice comitum Turennensium corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in Ecclesiam illam merita ac beneficia, eorumque sepulchra etiam nunc manent post tot saecula. Alicubi tamen porticus erat honorificentissimus sepulturae locus. Legimus enim apud Bedam in *lib. II. Hist. Eccl. Angl. c. 3.* Augustinum et caetero Cantuarienses Archiepiscopos in porticu Cantuariensis Ecclesiae sepultos fuisse, donec necessarium fuit eos sepeliri intra Ecclesiam, quia porticus illa plures capere non poterat. Praeter atrium il-

corpora conderentur. (1) Ibi enim expectant futuram resurrectionem.

Crimen hinc putavit semper Ecclesia iis in locis, in quibus fidelium corpora iacent, illorum inferre exuvias, qui vel sine poeni-

» lud, quod erat ante principalem portam Ecclesiae, in quo viri principes sepe-
» liebantur; aliud atrium erat, in quc sepeliebantur omnis conditionis homines.
» Erat autem atrium illud proprie coemeterium. »

(1) « Ambrosius, inquit Dungalus Diaconus *contra Claudium Taurinen.*, suum
» fratrem Satyrum quem nimium dilexerat, inxta sanctum Martyrem Victorem se-
» pelivit, cuius epitaphium hoc ditatur tetrastico. »

Urbanio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad laevam detulit Ambrosius.
Haec meriti merces, ut Sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans alluat exuvias.

« Sanctus vero Maximus *in Nat. SS. Mart. Taurin. Ideo* inquit, *hoc a*
» *maioribus provisum est ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut*
» *dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat; dum illos Christus illu-*
» *minat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus*
» *quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis attamen socii*
» *sanctitatis:* ait enim Dominus Petro: *Tu es Petrus* etc. *Si ergo Apostolo et*
» *Martyri Petro inferni porta non praevalet, quisquis sociatur Martyri,*
» *Tartaro non tenetur; martyres enim inferni porta non possidet.*

» Disputat egregie de eodem more D. Augustinus hac occasione. Cum quaedam
» Flora religiosissima foemina *materno et pio affectu optaret* ut Cynegii filii
» sui corpus in beati Felicis Nolani Confessoris Basilica tumularetur, S. Paulinus
» Nolanus Episcopus consulit per literas Augustinum: *utrum prosit alicui post*
» *mortem, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur?*
» Et adiunxit, *videri sibi non esse inanes motus animarum religiosarum*
» *fidelium pro suis ista curantium.* S. Augustinus in hunc modum respondit.
» Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus,
» bonae affectionis humanae est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla reli
» gio est ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, atten-
» ditur. Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos
» animus appareat, non video quae sint adiumenta mortuorum, nisi ad hoc,
» ut dum recolunt, ubi sunt posita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem sanctis
» illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adiuvandos, orando commen-
» dent. » Et quibusdam interiectis. « Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit
» charissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri
» animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus: Qui cum defunctis
» a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis qui cum in
» corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. » Addit vero
capite sequenti, illud ipsum matris desiderium, ex fide profectum, supplicationem
quamdam fuisse filio profuturam. « Cum ergo, inquit, fidelis mater fidelis defuncti
» corpus desideravit in Basilicam Martyris poni, si quidem credidit, eius animam
» meritis martyris adiuvari, hoc quod ita credidit, supplicatio quaedam fuit, et
» haec profuit, si quid profuit. »

tentia „ vel sine ecclesiastica communione, vel gravi speciali crimine detenti supremum diem obierant.

Et antiquioribus Canonibus praetermissis, Alexander IV. *Cap. 2 de Haereticis tit. 6.* haec constituerat: « Quicumque haereticos, credentes, receptatores, defensores » vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere » sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiae se noverint subiacere. Nec absolutionis beneficium » mereantur nisi propriis manibus » publice extumulent et proiiciant » eiusmodi corpora damnatorum; » et locus ille perpetuo careat sepultura. »

Clemens vero V in Concilio Viennensi, prout legitur *in Clement. Cap. 1. de Sepulturis* haec alia decreverat: « Eos, qui propriae » temeritatis audacia defunctorum » corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiae in coemeteriis » interdicti tempore in casibus non » concessis a iure, vel excommunicatos publice aut nominatim » interdictos vel usurarios manifestos scienter sepelire praesumant, » decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subiacere, a » qua nullatenus absolvantur, nisi » prius ad arbitrium dioecesani » Episcopi eis, quibus per praemissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa praemissa » exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacumque forma » verborum concesso, aliqualiter » suffragante. »

Usquedum loca sacra, et coemeteria sepeliendis fidelium exuviis destinata sub potestate ecclesiastica manserunt, vere dici poterant corpora fidelium in pace sepulta fuisse, cum omnino caveretur ne quisquam in peccato publice defunctus in illis sepeliretur; at vix coeperunt homines suave Ecclesiae iugum excutere, et codicem nedum fidei religionisque, sed et suorum iurium sibi condere, susdeque omnia verterunt, atque etiam in publicis coemeteriis defunctorum pacem et quietem exturbare coeperunt, illic improborum quorumlibet cadavera deferendo.

Laudatam D. Augustini sententiam explanat et ampliat S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus (qui claruit anno 680) his verbis: « Plerique fidelium cum fidei » praecedentis affectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias martyrum praecipiunt tumulari; non puto infructuosum esse, quod creditur, aut inane, quod » fideliter de divino auxilio speratur, tantum si non sint in huiusmodi, qui in Ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpae (hoc est lethales culpae in vita non expiatae per poenitentiam) quae eos non sinant, etiam oblatis Deo sacrificiis, adiuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua quisquis ille impletus pro defuncto suo in locis martyrum tumulato deprecatus (ut » Augustinus) quanto magis illa fides spei suae fructum consequetur, quae in vivente adhuc remediabilem sui cadaveris providet locum? »

Attamen cum privata auctoritate id fieri non possit, pene innocentes ii sunt existimandi qui vel propter officium, vel mercede conducti extremum illud munus defunctis quibuslibet deferunt; atque exinde factum est, ut Pius Papa IX antiquorum canonum rigorem et extensionem paululum temperaverit tum relate ad cadavera quae sepeliuntur, quorumque sepultura excommunicationem inducebat, tum relate ad personas cadavera illa sepulturae mandantes.

Ex primo enim capite post Pianam constitutionem censura non contrahitur ob sepulta corpora haereticorum quorumcumque, vel eis credentium, receptatorum, defensorum, fautorum, vel eorum qui usuras manifeste exercent; sed unice ob sepulturam illorum qui *sunt haeretici notorii, aut nominatim excommunicati, vel nominatim interdicti*. Ex alio vero capite non amplius ii qui sepeliunt, sed mandantes aut cogentes tantum nunc excommunicatione percelluntur.

Mandantes autem hoc in loco ii tantum sunt intelligendi qui habent imperium, quique de vi publica disponere possunt, ut Praefecti, Syndici, Praetores etc, non autem privatae personae, quae praepotenter sepulturam talium praecipiant; cum enim sepultura, vel sepulturae exclusio ius publicum constituat, quod nonnisi ab habente potestatem vel sperni vel custodiri potest, in iis qui auctoritate carent mandatum in casu neque concipitur.

Quod etiam manifestum fit ex eo quod mandatum, et multo magis coactio, supponit et indicat oppositionem ex parte illius qui habet custodiam sepulchri, coemeterii, vel Ecclesiae; hic autem cum ius suum exerceat, nonnisi ab habente potestatem posset eo exturbari, cum sin minus custos vim publicam in auxilium advocare posset, et illatam vim iuridice repellere.

Distinctione hinc opus est ut ea intelligantur quae in hunc locum profert cl. De Varceno. «Sub» iiciuntur, scilicet, huic excommu» nicationi tantum qui mandant vel » cogunt tradi Ecclesiasticae Sepul» turae, id est tam laici, quam Cleri» ci, tam viri quam foeminae iuben» tes haereticos etc. tumulare; quia » textus generaliter loquitur: *Compendium Theologiae moralis Tom. 2. pag. 499, n. 4.* Si enim eos omnes inter mandantes recenseat qui potestate destituuntur, repudianda sententia videtur. Neque quidquam difficultatis infert quod lex generaliter loquatur, etenim et generalis erit etiamsi de omnibus mandantibus potestatem habentibus in ea sermo habeatur, fuerint hi Clerici vel laici, viri vel foeminae; Lex, inquam, generalis erit non absolute, sed respective, quatenus complectatur in universum classem illam personarum, quae potestatem

habent; cuius rei non unum exemplum in Piana adest Constitutione.

Utique cl. De Varceno afferre posset casum viri alicuius potentis, qui servis suis mandaret sepelire secreto in ecclesiastica sepultura hominis interdicti cadaver; quo in casu haberemus mandatum hominis potestatem iuridicam non habentis. Attamen hic casus non esset identicus cum Piana proscriptione, qua prohibetur publica interdicti cadaveris in loco ecclesiastico tumulatio; occulta autem et praesertim clancularia neque scandalum inducit, neque loci sacri interdictum, neque illum ecclesiasticae potestatis contemptum, qui lege coerceri vult. Ex S. Alphonso *Theol. Mor. Lib. VI. n. 364.* Deinde ex lege percipimus, mandatum eiusmodi ab eo ferri debere qui potest publicam sacri loci violationem inferre cum lex de communi et publica sepultura loquatur; verba autem legis ad eum sensum coarctanda sunt qui ex contextu deprehenditur; non enim in abstracto, sed in concreto verba legis accipiuntur; hinc cum eiusmodi mandatum in casu potentis viri, de quo supra, concipi non possit, in re afferri non debet. Demum, potius coactio, quam mandatum, eiusmodi praeceptio vocari posset.

De cetero hac in re Commentatorum nonnulli nihil decernunt, alii sententiam nostram confirmant. Patavinus *n. 354:* Mandant, inquit, ii qui auctoritate qua pollent adhibita, iubent aliquem sepeliri in loco sacro. Auctores *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. XI, Num. IV.* Mandantium nomine intelliguntur, qui auctoritate qua pollent, interdictorum sepulturam in loco sancto praecipiunt. (1) Idipsum vero sentiunt del Vecchio in notis ad Theolog. Mor. Scavini *Tom. 1. pag. 720, num. 907.* Ninzatti *Theologia Moralis Tom. 2, pag. 377. n. 1749.*

Cogentes autem ii sunt dicendi qui alios physice vel moraliter impellunt ad sepelienda in loco ecclesiastico illorum cadavera qui sepultura interdicuntur. Hi porro possunt esse tum praefecti, tum homines potestate destituti. Illi quidem physice et moraliter; hi physice tantum, et quandoque etiam moraliter, si tanta in regione potestate fruantur, tantumque timorem ingerant, ut eis stet pro ratione voluntas, et ii qui impedire vellent, cedere aut vi, aut gravis damni metu, compellantur. *Cogere*, inquit Bonacina, *idem est ac per vim et metum gravem* iniuste inducere. *De excomm. in part. extra Bullam Coenae Q. II. punct. II. n. II. Col. II, pag. 156. Edit. Lugd. 1646.*

Mandantes autem et cogentes tantum nunc excommunicationi multantur, non autem qui interdi

(1) Sous la dénomination de mandantes sont compris ceux qui, en vertu de l'autorité dont ils sont revêtu, ordonnent d'enterrer quelqu'un dans le lieu saint

ctorum cadavera ad sepulturam comitantur, non qui foveam excavant, non qui sepeliunt. Etenim quamvis hi nisi gravis mali timore excusantur, graviter peccent excommunicationem tamen non contrahunt, cum sub mandantium et cogentium nomine non comprehendantur.

Attamen quis potestatem habens mandare posset ut alicuius notorii haeretici aut nominatim excommunicati et interdicti cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur; mandatarii autem ab sepulturae custodibus repulsi, mandatum exequi non potuerint, praefectus hinc custodes vi cogat, et interdictum cadaver sepulturae committitur. Num ne duplicem excommunicationem incurrit?

Non putamus. Textus enim legis exigit ut ad excommunicationem incurrendam interdicti hominis cadaver sepulturae ecclesiasticae demandetur. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae.* Porro mandatum executioni commissum non fuit, ob illud ergo mandans excommunicationem non incurrit: illam igitur contraxit ut cogens. Deinde quamvis et mandatum et coactio simul praecesserint, cum terminus actionum, ob quas excommunicatio contrahitur, unus sit, ecclesiastica scilicet sepultura; una tantum excommunicatio incurritur. Ad duplicem excommunicationem hinc incurrendam necessarium esset ut primum ratione mandati interdictum cadaver sepulturae ecclesiasticae demandatum fuisset; atque cum illud deinde a custodibus extumulatum fuerit, qui mandavit coactione utatur, et iterum in ecclesiastico sepulchro cadaver illud recondatur, hoc enim in casu duplicis actionis duplex terminus habetur, bina scilicet tumulatio; ideoque duplex excommunicatio.

II. Mandantes et cogentes, ut diximus, ob ecclesiasticam interdictorum cadaverum sepulturam excommunicationem incurrunt.

Porro sepultura tripliciter in iure accipitur. 1. pro iure sepeliendi mortuorum cadavera. 2. pro ipso loco in quo cadavera sepeliuntur. 3 Pro actu, ritu seu officio liturgico quod in humandis seu sepeliendis cadaveribus adhibetur. Cum Piani Capitis textus loquatur de sepultura ecclesiastica, cui interdictorum quorumdam cadavera mandato aut vi traduntur, manifestum est, in eo sermonem haberi de sepultura secundo modo accepta; hinc diremptam esse quaestionem, illam, quae in veteri iure a Canonistis agitabatur; an etiam pro officio liturgico interdicto cadaveri persoluto excommunicatio incurreretur; cum enim Pii Papae IX lex poenalis sit, in qua verba stricto sunt sensu accipienda, non licet nomen sepulturae ad alia extendere, ad quae significanda in veteri iure assumebatur.

Addimus et in iure veteri opinionem probabiliorem vel aeque

probabilem illam fuisse, quae ad unum locum, quando agebatur de excommunicatione incurrenda, sepulturae nomen coarctabat; cum autem Pianae legis finis sit censuras limitare, praesumendus non est legislator hoc in capite illas voluisse multiplicare et extendere.

Ut aliquid de re dicamus; S. Antoninus Summa Theologica *part. III, tit. 24, cap.* 5 affirmabat, excommunicationem incurri tum ab sepulturam proprie dictam, tum ob officium liturgicum: « Vult dicere » litera ista, quod talium cadavera » non debent in coemeterio ecclesiastico tumulari, nec alibi ad modum christianorum. »

Eamdem sententiam propugnabat P. Angelus de Clavasio; *Summa Angelica, V. Excommunicatio, VII, cas. 28, n. 1.* Interroganti enim. *Quid est tradere ecclesiasticae sepulturae?* ita respondet: « Est » talium (interdictorum) cadavera » in coemeterio tumulare, vel etiam alibi ad modum christianorum cum psalmis et orationibus » ad sepulturam deducere. »

Schmalzgrueber. *Ius Eccl. Universum Part. III. Tit. XXVIII, n.* 55 eidem sententiae adhaeret: « Requiritur, inquit, ut in loco sacro » sepeliverint. Hinc excommunicationem non incurrunt, qui » eiusmodi corpora sepeliunt in loco » profano; quod probabilius verum est, etiamsi locus ille sit » vicinus, vel contiguus Ecclesiae, » aut coemeterio... Excipitur nisi » ad eiusmodi locum efferatur cum » pompa funebri et caeremoniis » ecclesiasticis; cum enim pompa » funebris ordinetur ad sepulturam » ecclesiasticam, dum hac privantur » excommunicati, etiam illa privati » censentur. »

Alterius *Disputationes de censuris ecclesiasticis lib. 1 disp. XIV. cap. 2. tom. 1. pag. 156.* ad eiusmodi sententiam propugnandam rationem affert ignominiae et dedecoris, quo Ecclesia vult ex. gr. haereticum afficere, eum liturgico officio privando: « Accedit, scribit, » quod haec prohibitio ecclesiasticae sepulturae imposita est in » ignominiam et dedecus haeretici; » at non minori honore afficiuntur » defuncti, si adhibitis sacris caeremoniis et solemnitatibus, christianorum more ad sepulturam » deferantur, quam si in Ecclesia » tumulentur. Igitur existimandum » est Ecclesiam aequali poena illud, » sicut hoc, interdicere voluisse in » signum perpetuae damnationis. »

Attamen sententia communior et verior etiam in antiquo iure erat ob solam ecclesiasticam sepulturam stricto sensu acceptam excommunicationem contrahi; quae sententia argumento praesertim innitebatur desumpto ex verbis legis, quae sepulturae nomine locum indigitant, non preces, non liturgiam. Pro omnibus audiamus Passerini, qui *Commentaria in libros sexti Decretalium lib. V de haereticis, cap. II, n. 4.* ita perbelle scribit. « Hic

» sumitur sepultura in hac tertia » acceptione, ut significat locum » deputatum ad fidelium sepultu- » ram, quem locum carere perpe- » tua sepultura vult Pontifex, si in » eo sit sepultus haereticus, et ideo » in textu nomine loci intelligitur » coemeterium... Et ideo hanc ex- » communicationem incurrit qui- » dem qui in loco sacro sepelit » haereticum, etiamsi sine psalmis » et orationibus id faciat; quia lo- » cus sacer est, qui primo et prin- » cipaliter interdicitur haereticis, » et quem principaliter importat » ecclesiastica sepultura. Ritus enim » psalmorum et orationum perti- » net ad modum sepeliendi, sed » sepultura ecclesiastica importat » ecclesiasticum sepulchrum, quod » est locus ab Ecclesia deputatus » ad sepeliendum, sive sit coeme- » terium, sive Ecclesia, quae mo- » do est locus etiam ad sepulturam » fidelium deputatus, et sive coe- » meterium sit prope Ecclesiam, » sive procul. »

Eiusmodi sententiae fuit etiam Bonacina, ut Suarez, Del Bene, aliosque praetermittamus, qui *de Excomm. in part. extr. Bullam Coenae.* Disp. II, Quaest. II, Punct. 30, n. 3 scribit: « Dico, nomine *sepul-* » *turae Ecclesiasticae* intelligi se- » pulturam in loco sacro, in quo » reliqui fideles sepeliri solent. Ex » quo sequitur, non esse vetitum » sepelire in loco profano. Addo, » eum qui in loco profano aliquem » ex praefatis sepelit, non affici ex- » communicatione huius capitis, e- » tiamsi forte inter sepeliendum ali- » quas orationes recitet, vel adhibeat » alias solemnitates et caeremonias » ecclesiasticas; haec enim non dici- » tur ecclesiastica sepultura. »

Neque adductae ab adversae sententiae patronis rationes aliquid probant; quod enim affirmat Schmalzgrueber, pompam funebrem ordinari ad sepulturam ecclesiasticam, ideoque interdictos censendos esse etiam illa privatos, utique demonstrat huiusmodi hominum exuvias non esse cum liturgico officio ad sepulturam deferendas, et illud persolvere etiam esse ab Ecclesia prohibitum, at nullo modo probat liturgicum officium persolventes hanc excommunicationem incurrere; aut sin minus non videmus quomodo duplex excommunicatio evitari posset, una quidem pro persoluta ecclesiastica liturgia, si etiam pro hac excommunicatio incurritur, alia pro exhibita sepultura ecclesiastica, pro qua certe incurrunt transgressores excommunicationem; utraque enim actio distincta est. Neque quis subsumat, officium funebre in casu, et sepulturam veluti unam actionem spectandam esse; primo enim hoc falsum est ex suppositione; incurritur enim in proposito casu excommunicatio unius persolutae ecclesiasticae liturgiae causa quominus cadaver sepeliatur in loco profano; actio igitur haec completa in genere suo putanda est. Deinde si ut una actio spectanda est, qua de causa pro

una eius parte excommunicatio contrahi potest? Excommunicatio enim exigit actionem completam.

Nutat pariter alia ab Alterio adducta ratio inde petita, quod honor interdicto cadaveri redderetur, dum Ecclesia in haereticorum dedecus et ignominiam eis officia persolvenda interdixerit. Quod quidem verum est; attamen quaestio non est, an Ecclesia iusta funebria haereticis persolvi interdixerit, de hoc enim non quaerimus; sed an illa sub excommunicatione prohibuerit; hoc enim probandum erat ab Alterio, et probatum nullo modo fuit; cum autem lex loquatur de sepultura, sepulturae nomine locus proprie intelligatur quo cadavera reconduntur, lex autem odiosa sit et stricto sensu interpretanda, ex quo sub excommunicatione haereticos in loco sacro sepelire interdictum fuerit, non sequitur interdictum etiam sub excommunicatione fuisse eis funebria utcumque persolvere; hoc enim in casu lex extenderetur. Concedimus utique, denegando haereticorum cadaveribus sacram liturgiam eis Ecclesiam voluisse ignominiam et dedecus inferre; at primum haec est ratio legis; ratio autem legis non est lex; deinde est una e rationibus legis; praecipua enim, ni fallimur, est ne locus sacer poiluatur, et ut fideles sacro horrore percellantur dum cadaveribus eorum qui extra Ecclesiasticam communionem decedunt, quaelibet sacra caeremonia negatur; hae autem rationes optime consistunt cum unica privatione sepulturae ecclesiasticae. Sed in utroque casu sit rationis paritas. Nonne canon est, non esse licitum legem odiosam de casu in casum extendere neque ab rationis paritatem? « Ratio » legis, inquit Schmalzgrueber *Ius* » *Can. Univ. lib. 1. Tit. II, n. 48.* » non est lex. Ergo etiamsi in alio » casu eadem militaret ratio, adhuc » non sequeretur esse de illo le- » gem; quia optime potest legisla- » tor de uno disponere, et non de » alio, vel quia non vult, vel quia » non expedit omnia simul prohi- » bere ».

De cetero et in veteri iure adeo aperta lex erat quod sepulturae nomen de loco intelligendum esset, ut non intelligamus quomodo ad alia extendi potuerit. Alexander IV enim dixerat: *quicumque haereticos... praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae:* beneficium absolutionis praesumentes impetrare non posse praescribit, nisi *propriis manibus publice extumulent* et *proiiciant eiusmodi corpora damnatorum;* insuper *locus ille perpétuo careat sepultura;* haec quomodo ad funebres caeremonias applicari possint prorsus non videmus.

Clementis V verba non minus clara sunt: *Eos,* inquit... *qui... in caemeteriis... excommunicatos... scienter sepelire praesumant.* Atque de precibus, de sacra liturgia, aliisque funereis honoribus ne verbum quidem facit. De unica igitur

sepultura proprie dicta et in veteri iure sermo erat; consequenter etiam in novo iure lex de eadem sepultura proprie dicta est intelligenda

Porro Sepultura pro loco accepta definitur: *Locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur.*

Ex praemissa vero definitione illico exurgit quaestio; an benedictio Episcopi necessario requiratur ut sepultura veluti ecclesiastica haberi possit, et lata excommunicatio incurratur, vel ad hanc incurrendam satis sit ut interdictorum cadavera sepeliantur in loco quo fideles sepeliri solent, quamvis ab Episcopo non fuerit benedictus?

Antequam respondeamus, proposita quaestio ab nonnullis aliis quaestionibus, claritatis causa, est secernenda.

Et 1 si sepultura intus in Ecclesia vel Paroeciali vel alia sit, nullum dubium esse potest, quin inibi sepeliri nullo pacto possint interdictorum cadavera, fuerit, nec ne, sepultura benedicta; constituit enim in casu partem Ecclesiae, quae necessario benedicenda saltem est antequam in ea divina celebrentur mysteria; Accedit quod cum in Ecclesia missae celebrentur, quamvis sepultura benedicta non sit, per Missarum celebrationem in Ecclesia sacra efficitur « Nisi missae in caemeterio celebrarentur, inquit Baruffaldi *Comment. ad Rit. Rom. Tit. 34. n. 153.* quia in hoc casu, quamvis coemeterium benedictum non sit, attamen pro loco sacro habetur, quia ex Missarum celebratione sacer efficitur, ac religiosus; adeo ut nefas sit, quod in eo corpus excommunicati sepeliatur. »

2. Si ad sepelienda cadavera fidelium destinatum sit coemeterium, atque in eo pars aliqua existat non benedicta, utpote destinata ad eos sepeliendos, quos sepultura ecclesiastica privat Ecclesia, si cadaver interdictum in ea parte sepeliatur, nec locus sacer polluitur, nec ullum peccatum committitur, nec excommunicatio ulla incurritur, quia nulla lex ecclesiastica violatur.

3. Ut Coemeterium veluti locus sacer spectari possit debet ad hoc ab Episcopo destinari; nulla enim benedictionis vel sanctitatis nota inesse loco potest, qui ab eo qui nullam habet benedicendi vel consecrandi potestatem ad aliquid destinatus sit « Prima conditio, inquit Passerini *De hominum statibus et Officiis Tom. II, quaest. 187, art. 4, n. 55.*, scilicet deputatio, est omnino necessaria, nec ex eo locus erit sacer, quod ibidem fidelium cadavera sint sepulta, si ad id ab Episcopo locus non est deputatus. »

Schmalzgrueber *Ius Can. Univ. lib. 3. tit. XXVIII, n. 1.* « Ut locus aliquis ob sepulturam corporis humani ibidem factam, iure et privilegiis loci sacri ac re-

» ligiosi gaudeat, non sufficit quod » privata, sed requiritur ut publi- » ca Episcopi auctoritate ad fide- » lium sepulturam sit deputatus. »

Thesaurus *De poenis ecclesiasticis, V. Sepulchri violatio, cap. 1.* « Hodie de iure canonico locus non » efficitur sacer, nisi auctoritate E- » piscopi fuerit deputatus ad se- » pulturam fidelium. Unde cum a- » lias non sit locus sacer, est adhuc » in commercio hominum et potest » vendi... Si autem fuerit locus » auctoritate Episcopi deputatus, » tunc est locus sacer, et non est » in commercio hominum, neque » acquiri, neque possideri ab aliquo » laico potest. »

Ex quibus, ut alios auctores praetermittamus, demonstratum apparet, ad habendum coemeterium uti sacrum, necessariam omnino esse Episcopi sive Ordinarii destinationem. Qua de causa si locus ad sepelienda fidelium cadavera ab potestate civili deputatus sit, nullaque fuerit benedictione munitus, locus ille nullo iure uti sepultura ecclesiastica spectari posset.

An autem sola destinatio Episcopi satis sit ad constituendam ecclesiasticam sepulturam numeris omnibus absolutam, et consequenter ad hanc excommunicationem incurrendam, vel requiratur necessario etiam benedictio, inferius expendemus.

Interea illud affirmamus, in loco non sacro interdictum esse fidelium cadavera sepelire. « Nemo » Christianus, inquit Rituale Roma- » num, *De exequiis tit. 31.* in com- » munione fidelium defunctus extra » Ecclesiam, aut coemeterium rite » benedictum sepeliri debet. Sed si » necessitas cogat, ex aliquo even- » tu, aliquando ad tempus aliter fie- » ri, curetur, ut quatenus fieri pot- » erit, corpus in locum sacrum » quamprimum transferatur; et in- » terim semper Crux capiti illius » apponi debet ad significandum » illum in Christo quievisse. »

Attamen si in eodem coemeterio omnes indiscriminatim sepeliantur, et foveae quo fidelium cadavera reconduntur toties quoties benedicantur, nulla legi ecclesiasticae fit iniuria, neque ulla incurritur excommunicatio, quantumvis excommunicati et haeretici illi sint qui in eo sepeliuntur; hinc enim locus generaliter non est designatus ab Episcopo, sed tantum particulariter; illinc cum interdictorum foveae vel loca non benedicantur; in loco non sacro neque ab Ecclesiastica auctoritate destinato, sepeliri censendi sunt.

Contingere tamen casus potest quod in eadem fovea benedicta haereticus notorius sepeliatur; idque mandantes aut cogentes sciant; num ne exinde excommunicationem incurrunt?

Negative respondendum esse censemus. Duplicis enim generis benedictiones distinguuntur. Aliae dicuntur *consecrativae* aut *constitutivae* quae Episcopis reservatae sunt,

quasque simplices Presbyteri impertiri non possunt, nisi de Episcopi auctoritate; aliae vero *invocativae*, quas Sacerdotes quilibet impertiri possunt: primae quemdam sacrum characterem obiecto tribuunt, illudque inter res sacras collocant; non ita vero benedictiones *invocativae*, quibus protectionem divinam aut specialem aliquem divinum favorem in obiectum, quo fideles uti volunt, Sacerdotes adprecantur, ut eo sine ullo animae vel corporis periculo utantur; ita sunt ex. gr. benedictiones coronarum, candelarum etc.

Porro Coemeterii benedictio Episcopis reservatur, (1) eaque peragi ab simplici Presbytero potest de mandato tantum Episcopi; qua de causa benedictio eiusmodi est consecrativa, et locum sacrum efficit; e contra fovearum benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest, sine ullo Episcopi mandato; hinc *invocativa* censetur et est; (2) quod etiam patet ex diversitate precum quae in eiusmodi benedictionibus adhibentur, seu ipsarum benedictionum differentia. (3) Cum itaque, ut propositam quaestionem absolvamus, fovearum benedictio *consecrativa* non sit, neque locum sacrum efficiat, per iniectionem in ea interdicti cadaveris, non polluitur, neque hinc ulla excommunicatio incurritur.

Verum in coemeterio quolibet etiam non benedicto ab Episcopo catholicarum familiarum monumenta et sepulchra existunt, in quibus illius familiae defuncti reconduntur: quid ergo si in illis aliquis sive domesticus, sive haereticus extraneus sepeliretur?

Ex dictis profecto responsio patet: Si enim sepulchrum illud ab Episcopo benedictionem accepit, cum sacrum evaserit, excommunicatio ab illis incurritur, qui in eo haeretici vel interdicti cuiusvis cadaver reconduntur; si vero a simplici Sacerdote benedictum fuerit, cum

(1) Porro quod Coemeteria ab Episcopo benedictionem reciperent, habemus ex saeculo VI testimonium apud S. Gregorium Thuronensem Episcopum, *De Gloria Confessorum Cap. 106* qui cum rogasset Abbatissam Monasterii Pictaviensis ut terrae committeret Radegundam Reginam, illa respondit: *Quid* faciemus, si Episcopus urbis non advenerit? Quia locus ille, in quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus? Tunc cives et reliqui viri honorati, qui ad exequias beatae reginae convenerant imperant parvitati meae, dicentes: Praesume de charitate fratris tui, et benedic altare illud. Confidimus enim de eius benevolentia, quod molestum non ferat si feceris, sed magis gratiam referat. Praesume, precamur, ut caro sancta sepulturae reddatur. Et sic ab illis iniunctus, altare in cellula ipsa sacravi. *Migne Patrol. Lat. Tom. 71. col. 906.* Ex hoc porro testimonio intelligimus, coemeteria et sacrari debuisse, et in eis altare fuisse, quo pro defunctis sacrum litaretur.

(2) Cf. Suarez *De religione Tract. III. lib. IV. cap. XIV. n. 1.* Quarti *Tractatus de Sacris benedictionibus, nn. 3, 4.* aliosque.

3) Cf. eruditissimas Ephemerides Gallicas *Nouvelle Revue Théologique Tom. XI. pag. 388, et alibi.*

res sacra non evaserit, excommunicatio non incurritur.

Hisce autem praemissis ad propositam quaestionem enucleandam accedimus.

In diversas porro partes tum antiqui tum recentiores abeunt. Antiquos inter Suarez, Bonacina, aliique quos recensebimus, contendebant, unicam Episcopi destinationem satis fuisse ad habendum caemeterium uti sacrum, consequenter si qui in loco ab Episcopo destinato sepeliissent interdictas alicuius exuvias, rebantur ab eis excommunicationem fuisse incursam: « Ex qua (Glossa), inquit Suarez De *Censuris Disp. XII, Sect. IV,* » *n. 6.* ulterius colligi potest, locum deputatum auctoritate Episcopi, vel ut in eo divina officia » peragantur, vel ad hoc tantum » ut in eo sepeliantur corpora fidelium, etiamsi alia benedictione consecratus non sit, censeri » sacrum quoad praesentem effectum, ut in eo non possit excommunicatus sepeliri... Quia iura absolute prohibent excommunicato ecclesiasticam sepulturam. » Non est autem de ratione ecclesticae sepulturae, ut locus, in quo » fit, speciali benedictione sit consecratus, sed sufficit, ut Ecclesiae, seu pastorum eius auctoritate ad illud munus destinatus » sit.

» Unde ulterius existimo idem » fore dicendum, si recepta consuetudine locus aliquis ad hoc » munus sepeliendi fideles destinatus sit, etiamsi de speciali Episcopi auctoritate, seu approbatione non constat: tum quia consuetudo vim habet legis; tum etiam quia ibi intervenit saltem » tacita approbatio Praelatorum Ecclesiae; tum denique quia ipso » usu talis functionis, quae merito » sacra habetur, et propter reliquias » fidelium quae ibi repositae sunt, » et propter funerale officium quod » ibi perficitur, locus ille aliquo » modo sacratur. »

Ita ut pro praestantissimo Suaresio, ideo locus destinatus, quamvis non benedictus, ab Episcopo sacer censeri debet et est, quia locus ille existimandus est sepultura ecclesiastica, ad cuius essentiam specialis benedictio non requitur.

Quin imo, iuxta praestantissimum auctorem, si locus ille neque ab Episcopo destinatus fuerit, sed ob consuetudinem receptam in eo fidelium cadavera speliantur, sepultura ecclesiastica censendus est, tum quia consuetudo vim habet legis, tum quia intervenit tacita pastorum consensio, tum quia sacra liturgia quae in sepeliendis cadaveribus peragitur, locum sacrum efficere censenda est.

Eamdem autem sententiam sequitur Bonacina *De Censuris aliisque poenis ecclesiasticis disp. II, quaest, II, punct. III,* § *3. n. 3.* « Quid intelligatur per sepulturam » ecclesiasticam? Respondeo intel- » ligi sepulturam in loco sacro, id

» est in Ecclesia, vel coemeterio, » vel in alio quocumque loco ad » sepulturam, vel alia divina offi- » cia peragenda destinato auctorita- » te Episcopi, vel ex consuetu- » dine. »

Quin imo Alterius *De Censuris Tom. II, Disp. VI. Cap. 1. Col. 2. pag. 400* scribit: « Ad constituen- » dam ecclesiasticam sepulturam, » non est necesse, ut locus sepul- » turae speciali benedictione sit » consecratus, sed sufficit ut Epi- » scopi auctoritate ad hoc munus » sepulturae sit destinatus. Imo » idem dicendum videtur, si locus » aliquis ex consuetudine longi » temporis communiter receptus » sit pro sepeliendis fidelibus; » quamvis de expressa Episcopi » auctoritate seu approbatione non » constet, quia consuetudo vim » habet legis, et in hoc casu in- » tervenit quoque tacita Episco- » pi approbatio, et tandem pro- » pter cadavera fidelium quae ibi » recondita sunt, et celebrationem » officii divini quae ibi perficitur, » talis locus aliquo modo sacer vo- » cari potest. »

Verum alii insignes Sacrorum Canonum Tractatores ad hoc ut coemeterium sacrum haberi debeat, consequenterque uti ecclesiastica sepultura, benedictionem Episcopi omnino requirunt.

Sepultura, inquit Ferraris *in hanc Vocem n. 2* est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur: benedictio igitur ingreditur definitionem sepulturae Ecclesiasticae.

Sepultura, inquit Reiffenstuel, qui identicam definitionem tradit *Ius Can. lib. III tit. 28, n. 2.*, dicitur locus benedictus, quia quamvis olim ipsa corporis humatione, seu per ipsum corpus humatum seu sepultum locus redderetur religiosus et benedictus... hodie tamen specialiter auctoritate Episcopi benedici debet, ad hoc, ut dici possit sepultura, uti habet Glossa communiter recepta in *Can. In ecclesiastico 14. cau. 13, q. 2. V Si terram, arg. cap. 4 de Religios. Dom.*

Baruffaldi *Comment. in Rituale Rom. Tit. XXIV n. 153* « Coe- » meterium debere esse locum sa- » crum, non ab officio suo ita fa- » ctum, sed a benedictione rite et » recte illi data; nisi missae in coe- » meterio celebrarentur, quia in hoc » casu, quamvis coemeterium be- » nedictum non sit, attamen pro » loco sacro habetur, quia ex Mis- » sarum celebratione sacer efficitur » ac religiosus, adeo ut nefas sit » quod in eo corpus excommuni- » cati sepeliatur. »

Tanta vero necessitatis Baruffaldus benedictionem sepulturae asserit, ut affirmet eam benedicendam esse etiamsi in Ecclesia iam benedicta construatur. « Quamvis Ec- » clesia in qua aedificatum sit sepul- » chrum, benedicta iam fuerit, vel » consecrata, nihilominus ratione

» novae materiae adhibitae in aedi-
» ficatione sepulchri, hoc benedici
» debet, quia locus mutat materiam
» et usum. » *Tit. 36, n. 168.* His vero accedunt alii neque pauci, neque infimae notae auctores.

Ut vero inter antiquos, ita contigit inter Commentatores Pianae Constitutionis, quorum alii affirmant necessariam esse sepulturae ecclesiasticae benedictionem ad hoc ut excommunicatio incurratur, alii vero contendunt satis ad eam incurrendam esse, si locus sepulturae destinatus ab Episcopo fuerit.

Hanc sententiam defendunt cl. Commentator Reatinus *Comment. in hunc. loc.* Nota 3. « Locum au-
» tem sacrum heic accipere debe-
» mus, huic rei, vel divinis officiis
» obeundis, seu benedictione seu
» destinatione Episcopi, seu etiam
» tantum usu et consuetudine ad-
» dictum, ut caemeteria, claustra
» etc. »

Tum Commentator Patavinus *in hunc loc. n. 354. pag. 260.* Sacer locus, quod ad praesentem quaestionem spectat, est quilibet locus deputatus Episcopi auctoritate ad fidelium cadavera sepelienda, licet nondum consecratus aut benedictus fuerit... item quilibet locus, in quo ex communi usu et consuetudine fidelium corpora sepeliri consueverint, etiamsi.... de speciali Episcopi auctoritate seu approbatione non constet, quia... ibi intervenit saltem tacita approbatio Praelatorum Ecclesiae.

Tum Gabriel de Varceno *Theol. Mor. Tom. 2. pag. 498;* qui prorsus eadem ex Suarezio scribit.

At sunt qui et primam sententiam tuentur, atque de necessitate sepulturae Ecclesiasticae benedictionem Episcopalem exigunt: Sepultura ecclesiastica, inquit Ninzatti *Theol. mor. Tom. II. n. 1713 pag. 356,* est ea quae fit in loco sacro, seu ad tumulationem fidelium benedicto.

G. Conrado Pontificii Collegii Urbani Rector eamdem sententiam tradiderat *Memoriale de censuris pag. 91* scribens « Ex verbo *tradi* colligitur inferre tantummodo loco benedicto sufficere ad censuram » (1).

Hos vero praecesserant tum Formisano, tum Ciolli, tum praesertim praestantissimi scriptores *de la Nouvelle Revue Theologique* qui T. X. pag. 390 diserte propugnant necessitatem episcopalis benedictionis ad

(1) Formisano Episcopus Nolanus in suo « Commentario sulla Costituzione *Apostolicae Sedis* » *pag. 92.* « Per Sepoltura poi ecclesiastica, inquit, s' intende il luogo, comunque esso chiamasi destinato all' interro dei fedeli cattolici mediante la benedizione del Vescovo. »

Ciolli autem in suo *Commentario prattico delle Censure pag. 112.* « Si dice sepolcro ecclesiastico, in quanto che detto luogo è benedetto con rito ecclesiastico, e per autorita della Chiesa al preciso fine di seppellirvi i cadaveri dei fedeli cattolici. »

hoc ut sepultura uti ecclesiastica habeatur, et incurratur excommunicatio (1).

Cum itaque tum antiqui tum recentiores doctores in sententia discrepent quid dicendum in casu?

Ad quaestionem hanc iuridice decernendam impares nos fere sentimus. Qua de causa practico iudicio eam definire satagimus.

Ex dictis patet, tum antiquos tum recentiores Doctores incertos esse in definiendo an benedictio Episcopalis necessaria sit ad hoc ut aliqua sepultura dici et haberi possit ecclesiastica et sacra. Inter antiquos P. F. Passerini *Tractatus legalis et moralis de pollutione Ecclesiarum disp. II. n. 3. c. 46* diserte affirmat, se nescire an sepeliens excommunicatum in caemeterio nondum benedicto incurrat excommunicationem: « Si ibi » (in coemeterio nondum benedicto) » tunc sepeliatur excommunicatus, » male fit, sed an sepeliens sit » excommunicatus non est mihi certum: » Attamen certum est, ante nostra tempora coemeteria ad sepelendos fideles ab Episcopis destinata fuisse, aut non sine eius consensu; certum pariter est, canones antiquos requisivisse benedictionem Episcopi, ita ut eiusmodi benedictio ingrediatur definitionem sepulturae ecclesiaticae; Rituale Romanum autem omnino benedictionem exigere, ut patet ex testimonio superius recitato. Certum demum est, iis in locis in quibus ecclesiastica potestas adhuc in usu est, coemeteria ab Episcopis benedici. E contra in poenalibus stricto sensu lex est accipienda; et in dubiis quod minimum est, sequendum. Cum itaque discordantia Doctorum legis sensum incertum reddat, nos non audemus uti excomunicatos proclamare mandantes aut cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos et interdictos, quam constat ab Episcopo benedictam non fuisse.

Idque eo magis quod Pius Papa IX disertis verbis loquatur de sepulturis ecclesiasticis; consequenter locutus censendus est de sepulturis illis quae iuxta ritus ab Ecclesia catholica receptos constituuntur; at certum est, sepulturam ecclesiasticam non tantum per deputationem aut destinationem Episcopi, sed, et quidem praecipue, per benedictionem eius constitui, nullamque in locis catholicis novam sepulturam sine benedictione relinqui; ergo de sepultura ecclesiastica numeris omni-

(1) Ni l'autorité de Suarez et de ses partisans, ni leurs arguments n'ont obtenu l'unanimité des suffrages. A la verité l'ancienne coutume d'enterrer dans un même endroit fait presumer l'approbation episcopale et la bénédiction de lieu. Mais la présumption cède à la vérité; et s'il conste que le cimétère n'a jamais benit, on peut, en se basant sur la doctrine des auteurs qui regardent la benediction comme essentiel pour donner le character de lieu saint, nier qu'on encourre l'excommunication en y faisant enterrer un hérétique ou un excommunié nommément.

bus absoluta locutus Pius Papa IX censendus est.

Non inficiamur equidem Suaresii rationes non parum ponderis habere; at neque inficiamur, eas omnium doctorum assensum non extorsisse; in praxi incredibile fere esse ut locus ad sepulturam fidelium destinatus quidem fuerit, sed non benedictus ab Episcopo, vel a Sacerdote de eius facultate; qui enim Episcopum consulunt ut destinet sepulturam, vel locum designatum approbet, multo magis solliciti sunt ut illam benedicat; sunt enim catholici, quibus horror est in loco non benedicto sepeliri; addimus, quod si aliquando constaret, sepulturam illam benedictam non esse, illico benediceretur, et benedicenda foret; ita ut ex hoc ipso etiam appareat benedictionis necessitas ad hoc ut sepultura veluti sacra habeatur. Demum, sit probabilis sententia Suaresii; negare nemo poterit probabilem etiam esse sententiam contrariam: vera autem probabilitas ab excommunicatione eximit.

Neque quis ea urgeat quae superius exposuimus, necessariam scilicet esse Episcopi destinationem, ad hoc ut sepultura aliqua uti ecclesiastica haberi possit. Etenim non inficiamur, illam esse unam ex necessariis conditionibus, at non solam; alia enim conditio necessario est benedictio; imo haec multo magis; quandoquidem per Episcopi benedictionem vere et proprie locus aliquis sacer efficitur, non per unicam destinationem; hinc sepulturae vel coemeteria ab Episcopo antea destinata postea benedicuntur; dum e contra coemeteria benedicta ab Episcopo, quamvis antea non destinata, sacra efficiuntur; ex quo sequitur in benedictione includi etiam destinationem, non e contra. Sepultura hinc ecclesiastica numeris omnibus absoluta ea est quae ab Episcopo destinata, et benedicta fuit, non quae destinata tantum fuit; si enim per unicam destinationem sacra efficeretur, benedictio praetermitti posset. At huic praetermissioni contradicunt Canones, et Ritualis Romani praescripta, quae exigunt sepulturae benedictionem, et ut benedicatur si detegatur, eam non fuisse benedictam. Hinc canonicae leges numeris omnibus absolutam eam sepulturam non habent, quae benedicta non fuit. At ad incurrendam excommunicationem requiritur ut quis legem violet in universa sua extensione; mandantes autem et cogentes in casu non violarent legem in universa sua extensione, cum sepultura ab Episcopo benedicta non fuerit, qua benedictione principaliter sacra efficitur; non videmus hinc quomodo de excommunicatione damnari possent. Neque quis subsumat, Ecclesiam prohibere haereticos notorios ecclesiastica sepultura; hanc autem talem esse, etsi benedicta non fuerit, sed tantum ab Episcopo destinata; respondemus enim, exploratum non esse an id verum sit; cer-

tum autem esse e contra Ecclesiam semper praecepisse benedictionem sepulturae, atque prohibuisse quominus fidelium cadavera in loco non benedicto sepelirentur; probabilius hinc videtur, per sepulturam ecclesiasticam Ecclesiam intellexisse locum ab Episcopo benedictum.

Idem vero dicendum non esset si interdictum cadaver sepeliri mandaretur in loco seu coemeterio iam quacumque da causa polluto. Pollutio enim non adimit benedictionem aut consecrationem, sed tantummodo sacrum locum maculat: atque hinc videmus Ecclesias pollutas reconciliari quidem, sed iterum non consecrari. « Cum pollu» tio, inquit Baruffaldi *Comment.* » *ad Rit. Rom. Tit. 73, n. 12* » Ecclesiam non destruat, sed tan» tum quodammodo maculet tam » consecrationem quam benedictio» nem loci sacri, ideo institutum » est, ut non de novo consecretur, » seu de novo benedicatur, sed ut » statuto ritu et precibus reconci» lietur Ecclesia. Reconciliare enim » importat in gratiam restituere et » in concordiam reducere, quae » gratia et concordia non demor» tuae, aut destructae erant, sed » mortificatae et deturpatae; unde » fit quod media reconciliatione, » gratia et concordia reviviscant at» que restituantur. »

Eiusmodi vero sententia certa undequaque est penes Doctores. (1) Ex quo sequitur, coemeterium aut ecclesiasticam sepulturam, etiam post pollutionem nec nomen, nec essentiam suam amittere, ideoque etiam post pollutionem manere et esse ecclesiasticam sepulturam. At inferre in ecclesiasticam sepulturam notorii haeretici corpus interdictum est: ergo mandantes seu cogentes tradi notorium haereticum ecclesiasticae sepulturae iam pollutae excommunicationem piani capitis non effugerent.

Perpendendum post haec, quinam illi sint qui sacra seu ecclesiastica sepultura interdicuntur.

(1) Schmalzgrueber, ut unum vel alium citemus, *Tom. III. Part. V. tit. 40. n. 63* scribit: « Videtur pollutio in Ecclesiam nequaquam cadere, cum res sancta » sit, quae a profanis et turpibus coinquinari non potest. Sed hoc intelligendum » est, non quod huiusmodi actibus sanctitatem suam amittat Ecclesia, sancta enim » esse perseverat, etiam postquam polluta fuit, sed quia morali hominum aestimatione indecens reputatur, ut hostia immaculata et divinum officium offeratur » in loco scleribus contaminato, antequam aliqua eius loci purgatio fiat. Igitur » pollui in genere tunc Ecclesia dicitur, quando manente integra illius forma, et » consecratione si eam habuit, in ea accidit aliquid, quod a loci sanctitate maxime » est alienum, et in fidelium animis horrorem generat, ut in illius detestationem » divina celebrari in tali Ecclesia sacri canones prohibuerint, donec sacris ritibus » reconciliata fuerit. Ex quo sequitur praecipuum pollutionis effectum esse quod » in Ecclesia polluta, donec reconcilietur, non possint celebrari divina. Qui tamen » contrarium ageret, temerarie quidem ageret, et mortaliter peccaret, nullam tamen irregularitatem vel censuram incurreret. »

Et primo prohibentur haeretici notorii, qui scilicet qua tales cognoscuntur ab maiori hominum parte qui eumdem locum incolunt. Antiquo iure quaestio erat an ut haeretici privari ecclesiastica sepultura possent denunciati esse deberent, vel satis esset ut notorii et publici essent, quamvis super eorum haeresi nulla praecesserit ecclesiastica sententia. Qui sententiam iudicialem exigebant innitebantur relato Capiti *Quicunque* quo statuitur, proiicienda esse eiusmodi corpora damnatorum de ecclesiastica sepultura si ibi recondita fuissent: « Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent eiusmodi corpora damnatorum ». Porro argumentabatur Suarez *De Censuris disp. XII, sect. IV. 13* » per ultimum verbum (damnato- » rum) videtur hoc limitandum ad » eos qui per publicam sententiam » de haeresi damnati sunt; nam » solum illi in rigore videntur dici » damnati. Et quando in illo textu » illa limitatio non esset adhibita, » ex vi Extravagantis *ad evitanda*, » nunc esset adiicienda. »

Attamen alii innixi Constitutioni *Inter cunctas* latae a Martino V sub die 22 Februarii anni 1418, satis esse dicebant, ad privandum haereticum ecclesiastica sepultura, si publicus et manifestus esset, quamvis uti talis ab Ecclesiae iudice non declaratus: §. 8. « Et si tales haeretici publici ac manifesti, licet » nondum per Ecclesiam declarati, » in hoc tam gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant, aut recipiantur pro eisdem. »

At certum omnino est, hos haereticos de quibus Martinus V loquitur tales cognosci non per sententiam aliquam iudicis, sed per facti evidentiam; etenim §. 7 Decreverat: « Iurisdictionem temporalem » exercentes moneatis, ... ut de » regnis, provinciis etc. omnes et » singulos haereticos huiusmodi sè- » cundum tenorem Lateranensis » Concilii, quod incipit *sicut ait*, » ad instar etiam irretitorum cri- » mine usurarum, quos publice vel » manifeste per *facti evidentiam* » *cognoverint esse tales* . . . . expel- » lant. »

Unicam ergo facti evidentiam sicut in usurariis requirebat Martinus V ut quis haereticus haberi posset: unam scilicet notorietatem facti exigebat, quo ob haeresim privari deberet ecclesiastica sepultura.

Hoc autem adeo certum est ut in cit. §. 8 loquens de haeredibus qui defuncti haeretici bona consecuturi essent haereditario iure, decernit eis non esse concedenda, nisi prius sententia proferatur circa defuncti haeresim « Bona tamen » ipsorum a tempore commissi cri- » minis, secundum canonicas san- » ctiones, confiscata, non occupen- » tur per illos ad quos alias per- » tinerent, donec per huiusmodi iu- » dices ecclesiasticos super hac po- » testatem habentes sententia decla-

» ratoria super ipso haeresis crimine » fuerit promulgata. »

Nulla igitur sententia declaratoria super haeresis crimine praecesserat, alioquin proferenda postea non erat, ut bona haereditaria haeredibus negarentur.

Huic autem nostr ratiocinio suffragium fert declaratio Supremae Inquisitionis lata sub die 6 Novembris 1641, quam ita legimus apud Albitium *De inconstantia in fide Cap. XVIII, n. 28.* « In generali » Congregatione S. Officii et coram » Eminentissimis... mature discusso » articulo et dubio sepulturae da- » tae cadaveri sororis uxoris Ducis » Neoburgici, haereticae Calvinisti- » cae, in Ecclesia catholicorum ci- » vitatis Dusseldorpii, nec non con- » sideratis literis Nuncii Apostolici » Coloniae degentis, Eminentissi- » mi.... auditis votis, decreverunt.»

1°. Haereticos notorios, quamvis non denuntiatos nominatim Excommunicatos, non posse sepeliri in Ecclesia catholica.

2°. Sepelientes incurreree xcommunicationem·

3°. Locum, in quo sepulturae traditum fuit dictum cadaver esse pollutum, non vero Ecclesiam.

4°. Curandam omnino extumulationem dicti cadaveris, saltem secrete, si non publice uti decet.

5°. Significandum Duci et PP. NN. ut consulant eorum conscientiae. Insuper dictos NN. monendos ut in futurum caveant ab huiusmodi consultationibus scandalosis.

6°. Tenorem horum decretorum mittendum Nuncio Apostolico Coloniae residenti, qui pro sua prudentia curet illorum executionem.

Quod Decretum SS. Dominus noster Urbanus Papa VIII approbavit, et exequi mandavit.

Atqui ex hisce intelligimus, ad notorietatem haeresis non requiri iudicis sententiam, sed unam plurimorum scientiam seu cognitionem, notoriumque idem esse ac publicum et manifestum; sicut igitur factum aliquod sine ulla iudicis sententia potest esse publicum et manifestum, ita et crimen haeresis.

At certum est, Pium Papam IX in Capite nostro de haereticis notoriis locutum esse; nulla ergo ratio exigit ut sententia declaratoria iudicis praecedere debeat ad excludendum talem haereticum ecclesiastica sepultura.

Id vero et ex consequentibus evidentissime patere arbitramur. Etenim dum de interdictis et excommunicatis loquitur, exigit ut sint nominatim vel excommunicati vel interdicti; exigit scilicet sententiam vel decretum habentis potestatem ecclesiasticam; at de haereticis non ita; satis habuit ut essent notorii haeretici.

Quiquid igitur de antiquo iure fuerit, post Pianam Constitutionem, ut aliquis sit notorius haereticns non requiritur sententia declaratoria iudicis, sed satis est ut haeresis ex evidenti facto constet, et quod in

haeresi quisquam pertinaciter supremum diem obierit.

Hinc sequitur, haereticos occultos, illos scilicet qui paucis tantummodo personis noti sint, et multo magis dubios, de quorum nempe manifesta haeresi non constat, non posse sepultura ecclesiastica privari; etenim notorii non sunt.

Attamen hac in re cl. Gabriel de Varceno *Theol. Mor. Tom. 2. pag. 498. n. 3.* affirmat, haereticos qui ad aliquam sectam non pertineant, nisi antea sint denuntiati, non posse ecclesiastica sepultura privari. « Haeretici qui non pertinent ad aliquam sectam, nisi sint denuntiati, non comprehenduntur sub hoc articulo ».

Verum eiusmodi sententia solida ratione destitui videtur. Haereticus profecto formalis, de quo hoc in capite sermo est, homo baptizatus dicitur qui voluntarie aliquem errorem contra fidem pertinaciter profitetur. At ad id peragendum necessarium nullo pacto est ad aliquam sectam pertinere vel nomen dare. Num necessarium est Socinianum sese declarare, aut sacramentarium ad negandam Christi vel divinitatem, vel praesentiam realem in Eucharistia? Et ad quam sectam pertinerent illi qui ex. gr. negaturi essent Immaculatam Conceptionem B. Mariae Virginis? Cum igitur haereticus sit ille qui negat aliquem fidei articulum, si sit notorius, privandus est ecclesiastica sepultura. Quanam enim de causa privandus non esset? Num ne quia non pertinet ad aliquam sectam? At negatio fidei, non communio cum aliqua secta, primum et per se inducit haeresim. An quia ut haereticus dignosci non posset, nisi ad aliquam sectam pertineat? At hoc est falsum, quia sin minus quis proferre posset perniciosissimas haereses millies ab Ecclesia proscriptas, et tamen haberi non posset ut haereticus.

Addimus plures esse qui quoslibet profitentur contra fidem errores, quin alicui particulari sectae sint addicti. Quid ergo si notorii sint? Profecto privandi sunt ecclesiastica sepultura; sin minus haeretici notorii et manifesti contra legem ecclesiastica sepultura donarentur.

Demum, notorietas alia est iuris, alia facti; prima oritur vel ex confessione rei in iudicio, vel ex sententia iudicis saltem declaratoria: alia ex publica fama, qua factum non solum sit publicum, sed etiam ita evidens maiori parti ut de eo nullo pacto dubitari possit. Habemus igitur notorietatem, quae non exigit sententiam declaratoriam iudicis, quaque crimen aliquod notorium constituitur; cum itaque Pius Papa IX statuerit, haereticum notorium sepultura ecclesiastica privandum esse, hoc ipso patere arbitramur, de qualibet notorietate locutum esse, si enim in re locutus fuisset de una notorietate iuris, exclusisset notorietatem facti. At, contrarium potius ex ipso hoc ca-

pite constat, ut iam innuimus; etenim ad excludendos excommunicatos et interdictos ecclesiastica sepultura requirit notorietatem iuris: *nominatim* inquit *excommunicatos et interdictos;* ergo ad excludendos haereticos unam satis putavit notorietatem facti.

Ergo si aliquis ad nullam sectam pertinens haeresim proferat quae ita divulgata sit, ut sit evidens, ille notorius haereticus habendus est, privandus consequenter ecclesiastica sepultura; cum in eo verba legis stricto sensu adimpleantur.

De coetero haec est communior Commentatorum sententia. Clar. Commentator Reatinus postquam *n. 30 Edit. 3.* scripserit: « Haeresis est *error voluntarius christiani* » *contra aliquam veritatem fidei* » *catholicae.* Ut igitur christianus » haereticus dici possit, necesse est » ut erret, ut in fide erret, ut erret sciens volens. Et n. 31: necesse est praeterea ut haeresim » suam prodat exterius, atque eam » prodat actu manifesto, humano, » et malo. » Ad quae perficienda profecto non requiritur ut quis ad aliquam sectam haereticam pertineat: postquam, inquam haec scripserit, in casu nostro *n. 159* subdit: « At vero etsi peccent qui » dant indignis sepulturam, excommunicationem tamen non incurrunt, nisi agatur *de haereticis* » notoriis. »

Commentatori Reatino assentitur Patavinus, qui *n. 354* scribit: Haereticus notorius est, quem publice constat esse haereticum, etsi non vitandus.

Demum, ut alios non paucos praetermittamus, praeclarissimi scriptores Ephemeridum *La nouvelle Révue Théologique. Tom 11. pag. 393* scribunt: « Sententiam a De Varceno propugnatam prorsus non » intelligimus. Est ne necessarium » alicui sectae nomen dare, ad propugnandam aut publice profitendam unam aut plures haereses? » Nequaquam. Etenim si, quin alicuius sectae me profitear addictum, in lucem edam libellos, aut » libros, contra immaculatam Deiparae Conceptionem, aut Romani » Pontificis infallibilitatem, aut contra originale peccatum, nonne » ego notorie ut haereticus agnoscerer? Id evidens est. »

Neque quis obiiciat, aliquem iuridice non declaratum haereticum, uti talem evidenter haberi non posse; etenim eiusmodi difficultas et iuri et facto contradicit; iuri quidem in quo admittitur notorietas facti; facto, quia haeresis crimen ut aliud quodcumque agnosci potest per externam haeresum prolationem, multo magis scriptionem; ut etiam cognosci potest pertinacia defuncti in haeresi, quam numquam retractavit; hac autem in re non de internis sed de externis iudicium pronuntiatur.

Etiam apostatas sub eiusmod prohibitione comprehendi non unius

Commentatoris sententia est. Avanzinius noster id diserte tradit Comment. *pag. 68 Edit. 3.* « Agitur » de sepeliendis haereticis notoriis » (idem repete de Apostatis noto» riis a christiana fide, qui eodem » censu habentur). »

Idipsum vero tradunt illustres scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique Tom. XI. pag. 393-4* ea ducti ratione quod si excommunicatio incurritur ob sepulturam haeretici notorii qui unum neget fidei articulum, multo magis incurretur pro sepultura apostatae qui omnia dogmata fidei negat. Apostasia insuper maiorem deformitatem haeresi defert; incongruum autem esset affirmare incurri poenam pro minori, non autem pro atrociori peccato.

Praedictis subscribit cl. Piato Ordinis mm. Cappuccinorum *Commentarius in Constitut. Apostolicae Sedis pag. 242* innixus rationi quod *apostasia non sit peccatum specie distinctum ab haeresi.*

Eiusmodi tamen sententia non levibus subiacet difficultatibus. Iis autem praemittimus, quod Apostasia a fide est totalis discessio a fide christiana; eaque qua de causa tunc admittitur cum quis non partialiter susceptam christianam religionem deserit, sed totaliter; idque vel deficiendo ad aliam religionem ex. gr. Paganam, Iudaicam, Mahumetanam; vel nullam aliam profitendo, ut faciunt qui vulgo *liberi pensatori* vocantur; ii enim credunt vel non credunt iuxta mentis conceptus, et prout sibi libuerit, neque aliqua fidei regula ducuntur.

Minus proprie autem Apostatae et illi dicuntur qui a catholica religione ad aliquam heterodoxam sectam transeunt, ex gr. Protestantismum; hi tamen melius haeretici appellantur. Differentia hinc inter apostatam proprie dictum et haereticum haec est, ut ille omnes, hic aliquos fidei articulos repudiet; hic nomine tenus christianus maneat, ille nullo pacto cum ipsam christianae religionis essentiam et nomen abiiciat.

Pariter differentia patet inter Apostatas proprie dictos qui ad aliam religionem nomine et essentia diversam transeunt, et Apostatas proprie dictos qui abiecta christiana religione nullam aliam profitentur. In illis enim quamvis Apostasia perfecta sit quantum ad essentiam et nomen christianum attinet, perfecta tamen non est quantum ad veritates aliquas quae utrique religioni sunt *materialiter* communes. Ita qui ab Religione christiana ad paganam deflecteret, admittat oportet animarum immortalitatem, poenas et praemia in altera vita, quas veritates et Pagani admittebant; ei vero qui ad religionem Iudaicam deflecteret admittenda esset tum inspiratio sacrorum librorum, tum Supremi numinis existentia, tum aliae veritates in libris sacris veteris testamenti contentae; atque ita dicendum est de

alia fere quacumque religione alicuius nominis.

E contra ii qui abiecta christiana religione nullam aliam profiteantur ut *liberi cogitatores, et athei, et increduli,* absolute et in gradu summo Apostatae sunt, cum nedum nullam religionem profiteantur diversi nominis, sed nullam veritatem admittant ordinis supernaturalis, vel quae ad ordinem supernaturalem relationem habeat; religio autem sine relatione ad ordinem supernaturalem neque concipitur.

Demum qui abiecta christiana religione Paganam, Iudaicam, Mahumetanam profitentur, Pagani, Iudaei, Mahumetani constituuntur et sunt, cum de essentia christiani nominis nonnisi characterem retineant quem in baptismate receperant, quemque delerent si deleri posset; qui vero nullam aliam profiteantur in absoluta incredulitate constituuntur, et nescimus quo nomine vocari possint, cum humanae menti repugnet nihil credere; hinc hos *monstra* potius quam homines appellabimus.

Hisce praemissis: si mandantes vel cogentes notorium Apostatam ecclesiasticae sepulturae demandari excommunicationem incurrerent, ideo incurrerent quia Apostatae proprie dicti sub haereticorum nomine veniunt. Atqui hoc est falsum. 1. Ex nomine; distinguuntur enim Apostatae ab haereticis. 2. Ex professione; Apostatae enim christiani non sunt nisi ob characterem baptismatis quem spernunt; haeretici autem christiani sunt et ratione baptismatis, et plurimorum dogmatum confessione. 3. In iure antiquo, et in ipso Rituali Romano Apostatae ab haereticis secernuntur; interdicitur enim sepultura ecclesiastica Paganis... Haereticis... Apostatis a christiana fide. 4. In ipsa Piana Constitutione Legislator cum Apostatas comprehendi sub lege voluit, eos disertis verbis nominavit, ut patet ex Capitibus primo et secundo excommunicationum primae classis: *Omnes a christiana fide Apostatas, et omnes ac singulos haereticos. Legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem Apostatarum et haereticorum* etc. At in praesenti Capite legislator unos notorios haereticos nominavit. 5. Agitur de lege poenali, in qua verba strictò sunt sensu interpretanda; cum autem in lege apostatae iidem non sint ac haeretici, sensu enim et legislatoris verbo distinguuntur, non possunt neque debent uno nomine confundi. 6. Neque allatae rationes solidae admodum videntur. Quod enim affirmat cl. Avanzinius, Apostatas notorios eodem censu haberi ac haereticos notorios non satis accuratum esse patet et ex quo legislator eos distinguat, et expresse nominet cum eis poenam irrogat; et ex quo diversa ratione nomina constant, cum Apostata universam christianam religionem abiiciat, non ita haereticus; et ex quo Apostata ab chri-

stiana religione ad aliam transeat, vel nullam profiteatur; haereticus autem nedum est ille qui in Religione catholica baptizatus aliquod dogma negat, sed qui in secta heterodoxa nascitur; vocabula itaque non convertuntur, cum non omnis haereticus sit Apostata.

Ad rationem adductam a clarissimis scriptoribus *de la Nouvelle Revue Théologique* respondemus, legem poenalem non posse extendi de casu in casum neque ob paritatem rationis, in eaque sanctum esse effatum: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est.* Neque huius rei exempla in constitutione *Apostolicae Sedis* desunt. Ita Cap. VII excommunicationum primae classis percelluntur excommunicatione edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae; at si Rex parlamenta vel magistratus cogeret ad eiusmodi decreta edenda maiori peccato detineretur; attamen excommunicatus haberi non posset quia non est ipse qui edit: sicut nec consiliarii, aut faventes quomodolibet, et ob eamdem rationem, et quia in lege non exprimuntur.

Pariter Cap. IX quo excommunicantur falsarii litterarum Apostolicarum mandantes falsificationem excommunicatione eximuntur, quia ipsi nec falsantes, nec publicantes sunt; attamen num minori peccato illos irretiri dicemus?

Atque idipsum dicito de mandantibus aut consulentibus percussionem Clerici, immo occisionem, violationem clausurae monialium etc.

Et in hoc ipso Capite associantes, sepelientes etc., etiam voluntarii nonne eiusdem criminis rei constituuntur? Attamen excommunicati non sunt, quia Legislator eos praeteriit

Demum negare nemo poterit, ob sepulturam pagani, et Iudaei mandantes vel cogentes excommunicationem non incurrere, eo quod hi nec haeretici nec Apostatae sint; at cum quis omnimodis christianam religionem deserit et ethnicismum aut Iudaismum profiteatur, vel nihil omnino, quid aliud efficitur nisi paganus, Iudaeus, vel quid peius? Ergo sicut pro paganorum sepultura non incurritur excommunicatio, neque pro Apostatarum proprie dictorum.

Ex quibus exemplis patere putamus desumi non posse argumentum incurrendae excommunicationis ex quo quis graviori peccato detineatur.

At ob easdem rationes corruit ratio a clarissimo Piato adducta; in allegatis enim exemplis in mandantibus et consiliariis habetur peccatum eiusdem speciei, attamen excommunicationem non incurrunt; quia lex illos non exprimit; qua igitur de causa incurritur excommunicatio ob sepulturam Apostatarum, quos Legislator pariter praeteriit? Neque desumi posse argumentum arbitramur ex quo in iure in apostatas eaedem poenae statuan-

tur ac contra haereticos, ut patet ex Cap. *Contra Christianos 13 de haereticis in 6°*. « Contra christia- » nos, qui ad ritum transierint » vel redierint Iudaeorum etc., » erit tanquam contra haereticos, » si fuerint de hoc confessi, aut » per christianos, seu iudaeos con- » victi, et sicut contra fautores, » receptatores et defensores hae- » reticorum, sic contra fautores, » receptatores et defensores talium » est procedendum. »

Nam ideo in citato Capite Apostatae eosdem poenas incurrunt ac haeretici, quia a Legislatore apertis verbis exprimuntur, non ea de causa quod Apostasia sit peccatum eiusdem speciei ac haeresis. At in Piano Capite non exprimuntur.

Neque quis dicat, Ecclesiam in Apostatis voluisse punire Apostasiam a fide: utique, respondemus, et ideo privandi sunt sepultura ecclesiastica sicut pagani quilibet; at quaestio nostra est: an ob ipsorum sepulturam mandantes et cogentes excommunicationem incurrant; quod ob rationes expositas affirmare non audemus. Nostram tamen sententiam prudentiorum iudicio submittimus.

Potior tamen ratio pro schismaticis militat; etenim haereticorum nomine schismatici non veniunt; dum enim illi vel fidem catholicam abiecerunt, vel ea carent, schismatici universam fidem retinent, et una inobedientia rei constituuntur; schisma enim est illicita divisio, per inobedientiam ab unitate Ecclesiae facta; ita ut peccatum schismatis tunc committatur cum quis se segregat ab unitate Ecclesiae, prout ea est corpus mysticum ex fidelibus diversorum statuum tamquam membris inter se, et cum uno capite Christo, eiusque in terris Vicario connexis compositum; hinc dum haeresis opponitur fidei, schisma opponitur charitati; sunt ergo peccata diversae speciei; unum igitur non est aliud, et potest sine alio consistere; cum itaque lex loquatur de notoriis haereticis, non potest ea ad notorios schismaticos extendi. Attamen si cum schismate coniuncta sit alicuius dogmatis negatio, seu haeresis, nullum dubium esse potest quin mandantes horum corpora tradi ecclesiasticae sepulturae excommunicatione huiusmodi percellantur, dummodo sint notorii.

Nominatim excommunicati sunt illi, qui, prout diximus in Superiori volumine *pag. 1049* proprio nomine designati sunt, vel talibus adiunctis ut cum alia persona confundi nequeant. Sequitur hinc, quod mandantes sepulturam eorum qui ob aliquod factum excommunicationem incurrerunt, et in excommunicatione decesserunt nullam incurrant excommunicationem, nisi antea incursae excommunicationis declaratio nominalis praecesserit.

Nominatim interdicti sunt illi vel quorum nomina expressa sunt in interdicti sententia; ex. gr. *la-*

tae interdicti sententiae subiacent N. N. et N. N. vel eorum officia, munia, dignitates quae interdictis tantum personis conveniunt designantur. Ex. gr. si Pontifex interdicto supponeret aliquam Dioecesim, nominatim interdicti censendi essent Episcopus, Vicarius generalis, Capituli Prior, atque Seminarii Rector, si hos per officia quae exercent, nominaret; ea enim illis tantum et non aliis competunt.

Quid vero si interdicto supponatur corpus aliquod morale, seu hominum societas, aut urbs aliqua num ne nominatim interdicti habendi essent singuli eam componentes, aut inhabitantes?

Salebrosa quaestio, in qua definienda doctores discrepant.

Bonacina *De Censuris aliisque poenis ecclesiasticis Disp. V, punct. V. n. 20* affirmat societatis, vel illius coetus interdicti singulos uti nominatim interdictos esse habendos: « Ratio est, inquit, tum quia » singuli sufficienter censentur denuntiati per nomen communitatis, quae nihil aliud est, quam » singuli homines; tum quia fere » impossibile est, interdicendo communitatem nominare singulos; tum » quia in interdicto locali generali » non est necessaria expressa et particularis denuntiatio singularum » Ecclesiarum, sed sufficit nomen » collective, quo totus locus comprehendatur, ut si dicatur: singulae » ecclesiae maneant interdictae. Ergo neque in interdicto personali. »

Verum eiusmodi sententia in re nostra reiicienda videtur.

Et 1. praemisso, quod interdictum sit *Censura ecclesiastica, qua homo arcetur a participatione quorumdam sacramentorum, ab omnibus officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura;* novit certe Legislator triplex esse interdictum; *locale* quod directe fertur in locum, quatenus in eo prohibentur celebrationes missarum, divinorum officiorum etc.; *personale* quod immediate et directe fertur in personam, per quod videlicet persona arcetur a participatione quorumdam sacramentorum, divinorum officiorum, sepulturae ecclesiasticae in quocumque loco; huiusmodi enim interdictum quocumque personam sequitur: *mixtum* denique, quo simul locus et personae talis loci interdicuntur.

Cum itaque Legislator de personis locutus sit, de interdicto personali sermonem habuit. Hoc igitur interdictum vel supponendum est latum, ex mente legislatoris in personas singulares, vel in communitatem; atqui non in communitatem; etenim addit personas sepultura ecclesiastica prohibendas esse debere *nominatim* interdictas; quo adverbio ipsum personale interdictum, quod ferri etiam potest in communitatem, aliumque coetum quemlibet, coarctare ad individuas personas videtur.

2. In alicuius legis interpretatione recedendum non est naturali

verborum sensu; et legis poenalis verba sunt stricto sensu interpretanda; nemo autem in dubium revocabit, personas *nominatim* excommunicatas vel interdictas illas esse, quarum nomina, vel adiuncta ita designantur, ut cum nullis aliis confundi possint. (1) At personae generatim interdictae, ex loco quidem vel societate ad quam pertinent interdictae dignoscuntur, non autem ex nomine, vel notis individuantibus; ergo interdicto personali generali convenire non potest adverbium illud *nominatim*.

3. Rationes a Bonacina in testimonio superius allegato ita solidae non videntur, quae consensum extorquere valeant. In eo enim quod affirmat, singulos sufficienter censeri denuntiatos per nomen communitatis contradicit verbo legis *nominatim*, quo indigitatur personas interdicto subiectas ex ipso nomine dignosci debere; at nominatim non convertitur cum *sufficienter;* quod adeo certum est, ut si Pontifex ex. gr. interdicto supponeret universos Romanos, aut Parisienses, aut Viennenses, possent ne hi uti *nominatim* interdicto supposiii traduci, eo quod dum se aut Romanos, aut Viennenses, aut Parisienses esse affirmarent dignoscerentur interdicto suppositi?

4. Quid; quod hac in hypothesi aliquando contingeret ut nec sufficienter interdicto suppositos sese demonstrarent? Quid enim si qui Parisiis, Romae, Viennae nati sunt, cum interdicto urbium illarum incolae suppositi sunt, extra patriam morabantur, nullamque causam interdicto dedissent? Profecto nullo modo essent interdicti; attamen essent Parisienses, Viennenses, Romani; nec itaque sufficienter exprimerentur, et nullo modo nominatim. Utique deinceps singulis hominibus efformatur communitas; at nomen communitatis non est nomen singulorum: interdictis hinc nominatim communitate, coetu, corpore aliquo morali, non sequitur esse nominatim interdictos singulos individuos, quamvis sequatur esse interdictos. Quod quidem melius manifestum redditur ex sequenti exemplo. Si Romanus Pontifex interdicto subiecisset duces et exercitum qui anno 1870 urbem invaserunt, num ex hoc censeri debuissent singuli milites *nominatim* interdicti? Pariter si interdicto subiiceret catholicos omnes qui sectae masonicae nomen dederunt,

(1) S. Alphonsus *lib. VII,* n. 136 explicitus in re est; loquens enim de excommunicato vitando iuxta decretum *ad evitanda,* quod inferius referemus, scribit: « ut aliquis excommunicatus sit vitandus... requiritur ut sit nominatim excommunicatus, expresso nomine per verba, aut signa indubitata, v. gr. *excommunico praetorem Salmantinum,* et ita ut non possit cum alio Praetore aequivocari... Ex quo infertur, quod non tenemur vitare haereticos, etiamsi notorium sit hos esse a iure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati et denunciati. ».

censendi ne essent nominatim interdicti, cum nec ipse Pontifex eos noverit qui sectis masonicis nomen dederunt? Hinc et alia ratio nutat inde petita, quod fere impossibile esset interdicendo communitatem, nominare singulos; haec enim ratio ad casum nostrum applicari neque potest, neque debet, cum textus loquatur de persona nominatim interdicta, non de interdicta nominatim communitate; qua de causa impossibilitas inducta locum non habet: quin imo ratio illa supponit quod in quaestione versatur; quaestio enim est: an nominatim interdicta communitate, singuli eam componentes nominatim interdicti censendi sint; sed si singuli nominatim interdicti censendi sunt eo quod fere impossibile est ut nominatim indicentur, idem est ac dicere: interdicta nominatim communitate, singuli nominatim interdicti censendi sunt; probaretur scilicet idem per idem. Quin imo si aliquid ratio adducta valeret, nobis potius quam Bonacinae faveret. Etenim ideo interdicta nominatim communitate aliqua, censendi non sunt singuli eam componentes nominatim interdicti, quia fere impossibile est ut nominentur; cum ergo lex loquatur de personis *nominatim* interdictis, hoc ipso applicari non debet ad communitatem, quae persona non est, sed componitur personis.

Eodem porro vitio tertia ratio laborat. Etenim quaestio non est: an lato interdicto generali locali, omnes Ecclesiae censeantur interdictae; sed: an si Pontifex legem ferat qua decernat nullam Ecclesiam esse habendam interdicto supposita nisi *nominatim* exprimatur, censendae sint singulae Ecclesiae loci *nominatim* interdictae in interdicto generali locali? Porro, ut quisque videt, sententia affirmans aliquid contra legis sensum manifestum statueret. Addimus, in re nostra quaestionem non esse de interdicto generali, sed de particulari, immo individuo; at in interdicto particulari locali, nominatim exprimitur Ecclesia, vel locus interdicto suppositus. Relate igitur ad rem nostram in citato Bonacinae argumento deest paritas.

Quod quidem apprime perspexit Alterius *De Censuris Ecclesiasticis Tom. II, Disp. IV, Cap. V. pag. 410.* « Respondeo non esse » parem rationem de interdicto ge- » nerali locali, et de interdicto per- » sonali; nam interdictum locale » dicitur generale propter amplitu- » dinem loci tantum in ordine ad » alium locum, qui arctiori ambitu » concludatur, neque plures par- » tes complectatur, tamen revera » fertur circa rem certam determi- » natam suis finibus et particula- » rem, quae solum continet par- » ticularia loci tamquam partes inte- » grantes totum locum interdictum, » qui locus generalis non est ali- » quod totum collectivum, sed sin- «gulare determinatum constans ex

» multis partibus, sicut aliae res » corporales. At vero interdictum » generale populi, quamvis in or- » dine ad communitatem sit deter- » minatum, non vero respectu sin- » gularium personarum, quia illud » totum est collectivum tantum, et « ideo valde confusum, et tanquam » quid generale respectu singula- » rium. »

Exinde factum videmus ut auctores praestantissimi contrariam sententiam defendant. Suarez *De Censuris disp. 35, sect. 3,* n. 5 scribit: « Proprie et in rigore, non potest » dici persona quae sepelitur no- » minatim interdicta, propterea » quod populus eius sit nominatim » interdictus. »

S. Alphonsus *Theol. Mor. lib. VII, n. 134,3°:* loquens de excommunicatione scribit: « Licet dica- » tur: *excommunicamus Petrum,* » *v. g. incendiarium, et eius com-* » *plices,* solus Petrus vitandus est, » non vero alii, etsi sint notorii; » quia sententia quoad illos est tan- » tum generalis, et non specialis » contra certam personam. » At eadem ratio militare pro interdicto debet, atque militat. Atque ne nimii simus, Alterius loc. cit. ita perbelle rem nostram dirimit: « Si » autem loquamur de interdicto per- » sonali generali est maior difficul- » tas: an privet personam sic in- » terdictam ecclesiastica sepultura. » Aliqui sentiunt pro parte affirma- » tiva, et conantur affirmare ex. » Cap. *Si sententia de Sent. ex-* » *communicationis lib. 6.* (1) Ubi » propter interdictum generale po- » puli prohibentur singuli audire » divina, et recipere Sacramenta. » Verum hic textus posset retor- » queri in contrariam partem; si » enim propter interdictum gene- » rale personale prohibentur sin- » guli audire alicubi divina et re- » cipere Sacramenta, et nihil di- » citur de tertio effectu, id est de » ecclesiastica sepultura, signum » igitur probabile est interdictum » generale non parere hunc effe- » ctum quoad eas personas quae » culpabiles non fuerunt. Unde » Glossa *in cit. Clem. vers. 1. no-* » *minatim de sepult.* infert ex illo » textu, ubi excommunicantur se- » pelientes interdictos nominatim, » posse sepeliri in loco sacro in- » terdictos non nominatim, si ipse

(1) En Caput: « Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur » (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam e converso. Unde » uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina. Ceterum cum propter » delictum domini, vel rectoris est civitas interdicta, si vel eiusdem (qui culpa- » biles non existunt, dummodo et ipsi propter dominum vel rectorem puniendum » in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licite interesse divinis. Cum » vero alicuius terrae populus interdicto nodatur, singulares ex eo personae quas » interdictas esse constat ne sententia effectu careat, cum divinorum auditio, et » sacramentorum perceptio populo ut universis non debent alicubi (casibus expres- » sis a iure dumtaxat exceptis) audire divina, vel ecclesiastica recipere sacramenta. »

» locus interdictus non sit. Et idem » confirmari potest ex Cap. *Ut privilegia de privilegiis,* et ex aliis » iuribus, quae citantur a dicta » Glossa in quibus apparet privari » ecclesiastica sepultura nominatim » interdictos, simulque poenam ex» communicationis infligi tantum » adversus sepelientes publice ex» communicatos, aut sic interdictos, » id est nominatim.

» Sed contra obiiciet quis: ex » Cap. *Episcoporum de privileg.* » *lib. 6,* non denegatur ecclesia» stica sepultura interdictis nomi» natim, sed simpliciter interdi» ctis, sic enim habetur: *aut ex» communicatos publice, vel inter» dictos ad divina officia, seu ec» clesiastica Sacramenta, vel eccle» siasticam sepulturam admittant;* » ergo interdictum personale etiam » generale privat ecclesiastica se» pultura.

» Respondendum est, in dicto » Cap. per interdictos intelligi illos » qui sunt interdicti specialiter, » tum quia debet explicari ex aliis » iuribus antiquioribus, in quibus » quoad hunc effectum privationis » ecclesiasticae sepulturae aequ'pa» rantur publice excommunicati » cum interdictis nominatim, tum » etiam quoniam si simpliciter men» tio fiat de interdictis, intelligun» tur illi qui specialiter sunt inter» dicti. Sed omnis difficultas tolli» tur ex iure novo *Extravag. ad* » *Evitanda*, ubi non prohibetur » communicatio cum innodatis cen» sura aliqua, nisi nominatim sint » declarati tales. »

Porro eiusmodi Alterii ratio postrema nos ad illud observandum impellit, quod Pius Papa IX per Constit. *Apostolicae Sedis* censuras limitavit; si ergo ét in iure antiquo probabilior sententia erat privandos esse ecclesiastica sepultura illos tantum qui essent *nominatim interdicti,* quo iure post pianam Constitutionem ad nominatim non interdictos extendemus?

Atque probe notandum est, nostro aevo difficillimum esse, ne, ob temporum circumstantias, fere impossibile dicamus, ut interdicta localia, vel personalia generalia renoventur; optime autem renovari posse interdictum personale individuum; nulla consequenter ratio ex mente legislatoris apparet, qua ad alios quam ad interdictos nominatim legem Pii IX applicare debeamus.

Demum ex dictis patet, ut modestissimi simus, ob rationes intrinsecas, et Doctorum auctoritatem, de legislatoris mente non satis constare, legem ideoque dubiam esse, atque sententiam nostram vel aeque probabilem vel probabiliorem esse; in hisce vero excommunicatio non incurritur.

Hinc si contingat ut interdictus quilibet, at non nominatim, sit ecclesiasticae sepulturae tradendus, neque mandantes neque cogentes hanc excommunicationem incurrere sunt dicendi.

Duo autem manifesta in re esse putamus 1° ut quis nominatim interdictus censeatur, requiri sententiam declaratoriam iudicis; idque tum ob Extravagant. *ad evitanda* in Concilio Constantiensi (1414) lata, et a Martino V confirmata, ex qua nemo tenetur aliquem censura innodatum vitare, *nisi censura vel sententia eiusmodi fuerit a iudice publicata, vel denunciata specialiter et expresse;* (1) tum reipsa; nemo enim nominatim interdictus censeri potest nisi ab habente potestatem interdicendi taliter fuerit denuntiatus; tum ob Doctorum et plurimorum Commentatorum sententiam.

Satis sit in re unum S. Alphonsum audire qui quaestionem hanc praeclare dirimit lib. VII. n. 137. « Requiritur 2°, ut reus publice excommunicatus publice etiam denuntietur. Circa quod non sufficit, si denunciatio fiat coram litigantibus, sed debet fieri in loco publico (prout in Ecclesia, tempore missae vel Concionis) et in charta affigi in loco publico, vel alibi iuxta usum regionis. Et in dubio, an quis excommunicatus sit sufficienter denuntiatus, non tenemur eum vitare... nisi adesset periculum scandali. Sufficit tamen, ut teneamur vitare, si constet nobis esse illum denunciatum per famam publicam, vel per testimonium etiam unius personae gravis auctoritatis. Notandum secundo, quod excommunicatus a iure (nisi crimen sit notorium) debet prius a suo proprio superiore citari, ut se defendat. Et deinde debet publice ut excommunicatus denunciari seu declarari. Sufficit tamen ut excommunicatus a iure tantum denuncietur tanquam talis, ut iam sit vitandus. Non vero sufficit si reus sententia declaretur tantum quod commiserit crimen, cui adnexa est excommunicatio. Ratio quia in Decreto Concilii Constantiensis et in Extrav. Martini V dictum est, neminem esse vitandum *nisi censura vel sententia eiusmodi fuerit a Iudice publicata, vel denunciata specialiter et expresse.* Ex quibus verbis Gibali-

(1) His porro verbis lex fertur: « Ad evitanda scandala indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscumque divinis, vel extra, praetextu cuiuscumque sententiae, aut censurae a iure, vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura eiusmodi fuerit contra personam, vel Collegium etc. vel locum certum, aut incertum a iudice publicata et denunciata specialiter vel expresse. Salvo si quum pro sacrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, et interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo revelare, nec eis quomodolibet suffragari. »

» nus cum Sanchez addit nec suf-
» ficere, si declaretur reus incur-
» risse omnes censuras crimini ad-
» nexas, nisi in specie denuntietur
» excommunicatus. » At eadem valere de nominatim interdicto nemo ambigere debet.

Aliud pariter certum illud est, quod ut quis uti nominatim interdictus privatus censendus sit ecclesiastica sepultura, nullo pacto a Romano Pontifice interdictus esse debet, sed satis est ut uti talis ab loci Ordinario fuerit proclamatus. Lex enim unice requirit ut privandus ecclesiastica sepultura sit nominatim interdictus; neque exigit ut interdicto a Romano Pontifice sit supponendus.

Postremo loco inquirendum nobis est, quaenam requiratur scientia in mandantibus vel cogentibus ad incurrendam praesentem excommunicationem. Et quidem dubitandi rationem inducunt tum Capita *Quicumque*, et *Eos qui* ab initio citata, tum Commentatorum discrepantia. In allegatis enim Capitibus nedum scientia, sed etiam praesumptio requiritur: *scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae: excommunicatos publice.... scienter sepelire praesumunt.* E contra in Const. *Apostolicae* excommunicantur simpliciter *mandantes, seu cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios* etc.; quin de scientia aut de praesumptione sermo habeatur.

Exinde lites inter Commentatores. De Varceno *Theologia Mor. Tom. II, pag. 497,* affirmat etiam post Pianam Constitutionem scientiam et praesumptionem requiri: « In hoc articulo damnatur sub » poena excommunicationis actio, » qua quis scienter ac temere man- » dat, vel cogit ut detur sepultura » ecclesiastica haereticis etc. Dixi- » mus *scienter ac temere,* quia man- » datum, seu coactio (mandantes » seu cogentes) supponit reluctа- » tionem habentis ius vel custodiam » sepulturae ecclesiasticae; ac proin- » de per se indicat in mandante » plenam cognitionem huiusmodi » poenae, ac simul praesumptionem » contra faciendi. Quare ab hac cen- » sura excusat ignorantia crassa et » supina, imo et affectata. »

At cl. De Varceno contradicunt eruditissimi scriptores Ephemeridis *Nouvelle Revue Théologique Tom XI, pag. 397,* quo loco affirmant, nihil esse in Piana lege quod eiusmodi interpretationi faveat; etenim cum Pontifex scientiam et praesumptionem veluti conditionem excommunicationis seu poenae alicuius requisivit, eas disertis verbis expressit; qua de causa cum in praesenti capite neque scientiam, neque praesumptionem exposcat, concludendum est eas non requiri.

De Varceno insuper non sibi constare; dum enim *Tom. cit. pag. 516,* explanare satagit Tridentinam excommunicationem latam in *Cogentes, praeterquam in casibus in iure expressis, mulierem ad ingrediendum monasterium, vel*

impedientes; pag. 517 n. 6°, excommunicationi supponit *cogentes etiamsi laborent ignorantia crassa, supina vel affectata;* quo igitur argumento in cogentes hosce, dum de sepultura haereticorum etc. agitur, excommunicationem infert eo tantum in casu quo scienter haereticum notorium sepeliri mandent vel cogant? Si enim in cap. *de cogentibus moniales aut impedientibus* etc., excommunicatio incurritur etiam cum ignorantia *crassa, supina, et affectata,* etiam in capite *de sepultura* etc., eodem pacto excommunicatio incurri dicenda est.

Concludunt hinc, sola ignorantia non inculpabili excusari in casu mandantes et cogentes; eo vel magis quod nullum noverint auctorem qui opinioni a De Varceno propugnatae faveat.

Quid ergo dicendum?

Ad eiusmodi quaestionem dirimendam nonnulla praenotemus oportet.

Et 1° Certum est, hoc in capite unice excommunicari mandantes et cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios etc. Ergo si notorius haereticus, vel nominatim excommunicatus aut interdictus demandetur sepulturae ecclesiasticae sine mandato vel coactione aliqua, nulla excommunicatio incurritur. Casus esset si defuncti haeretici cadaver ad sepulturam ecclesiasticam deferatur *unica associatione*, ut vocant, *civili,* sine ulla Parochi, vel auctoritatis ecclesiasticae monitione aut interdicto de eo non sepeliendo in loco sacro. Hoc enim in casu neque mandans neque cogens habetur, et cum cadaver deferentes, associantes, sepelientes nullam incurrant excommunicationem, nemo profecto illam incurrit. Hos autem casus nostro tempore saepissime contingere videmus.

Ex hoc autem sequitur quod quamvis partem sumentes in interdicti cadaveris sepultura legem et adnexam poenam noverint, nullam incurrere excommunicationem dicendi sunt, quia poena non in quoslibet, sed unice in mandantes et cogentes lata est: ergo si desit mandatum vel coactio, excommunicatio locum non habet.

2° At mandatum et multo magis coactio reluctantiam supponit ex parte auctoritatis ecclesiasticae, seu Parochi; saltem huius protestationem. Etenim cum cadavera ad locum sacrum deferri possunt, Parochus eorum associationem suscipit, eaque munia explet quae pro exequiis in Rituali Romano praescribuntur; cum autem ad locum sacrum deferri non possuut, Parochus omnia negat quae corporibus defunctorum impendi solent. Quod si ad locum sacrum vel deferri possint, et Parochus non vocetur; vel quamvis deferri non possint, Parochus neque moneat, neque obsistat, superior recurrit casus de nemine mandante, aut cogente, et nulla habet locum excommunicatio.

Addimus, mandántes hoc in loco intelligendos illos esse qui habent auctoritatem, ut superius probavimus, cogentium nomine quoslibet qui vim inferunt qua oppositorum superent resistentiam vel repugnantiam; at nisi adsit oppositio, auctoritatem habentes in re sese non immiscent, neque cogentes vim aliquam inferunt. Necessario igitur in eiusmodi interdictorum cadaverum sepultura supponenda est sive monitio, sive protestatio, sive oppositio auctoritatis ecclesiasticae. Atqui certum undequaque est, Ecclesia praefatas monitiones, et protestationes emittere, atque oppositionem agere ex causa canonica, allegando scilicet legem et poenas adnexas in contrafacientes; idque tum ut iuridice se agere probent et ad superiorum legum praescriptam, in quibus dispensare non possunt, tum ne in iudicium a laicis iudicibus rapiantur, tum praecipue ut moneant mandantes, cogentes, et alios quoslibet quod rem agant contra praescriptum Ecclesiae, et poenas consequenter incurrant indictas.

3° Nullo igitur pacto mandantes et cogentes supponendi sunt legem ignorare; sed eo in statu reperiri, quo legem nedum perfecte agnoscunt, scd etiam perfecte contemnunt.

Quamvis igitur Pius Papa IX adverbium *scienter* aut verbum *praesumpserint* in cit. capite praetermiserit, eiusmodi vocabula supponenda necessario sunt, cum in facto ipso necessario includantur.

Ratio hinc in praesenti Capite clarissimo De Varceno favet.

Ex iis vero sequitur, quod si quacumque ignorantia etiam affectata mandantes vel cogentes detineantur, excommunicationem non incurrunt; et dari posse eiusmodi casum impossibile fere putamus.

Postremo loco observare debemus, quod quamvis mandantes et cogentes excommunicationem incurrant ob sepulturam vel notorii haeretici, vel nominatim excommunicati aut interdicti exinde nemo putet, quoslibet alios iure prohibitos posse sepulturae post Pianam constitutionem mandari; etenim qui lege lata quominus sepelirentur in loco sacro antea prohibebantur, et nunc prohibentur; excommunicatio autem non incurritur nisi ob illorum sepulturam qui in Piano Capite recensentur.

Ceteros autem quorum corpora in loco sacro sepeliri interdicuntur, quique si vi aut mandato sepeliantur, nulla incurritur excommunicatio. ex Rituali Romano *Tit. de Exequiis* ita describimus.

« Negatur ecclesiastica sepultura » paganis, iudaeis et omnibus infidelibus; haereticis et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide; » schismaticis, et publicis excommunicatis maiori excommunicatione; interdictis nominatim, et » iis qui sunt in loco interdicto, » eo durante.

» Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, non » tamen si ex insania id accidat, » nisi ante mortem dederint signa » poenitentiae (1).

» Morientibus in duello, etiamsi » ante obitum dederint poenitentiae signa.

» Manifestis et publicis peccatoribus qui sine poenitentia perierunt.

» Iis de quibus publice constat, » quod semel in anno non susceperint sacramenta Confessionis et » Communionis in Pascha, et absque » ullo signo contritionis obierunt.

» Infantibus mortuis absque baptismo.

» Ubi vero in praedictis casibus » dubium occurrerit, ordinarius » consulatur ».

Hisce omnibus igitur neganda est ecclesiastica sepultura; at si ex sepulturae negatione scandala immineant, absque peccato eam Parochi permittent; ita enim Suprema Inquisitio de re interrogata respondit die 13 Iulii 1609. «Sepulturam haereticorum tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest.» Apud Giraldi *Expositio Iuris Pontificii, Part. 1. Sect. 809.*

APPENDIX XXXV.

De Excommunicatione lata in laedentes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii.

In qualibet hominum societate rite constituta inquisitionem esse debere nemo negaverit; sontes enim plectere nedum societas debet, sed et praecavere ne malum agant; at sontes in qualibet societate et nascuntur et existunt; in qualibet ergo societate ii esse debent qui

(1) Porro si quis reperiatur laqueo, veneno interemptus, tenendum est ab alio necatum fuisse. Et si constet, necem sibi intulisse, tenendum est, non fuisse suae mentis, si tristitiae sese dederat, vel mane confessus fuerat. « Ita d'Annibali ex probatis auctoribus *Comment. pag. 93, nota 12 Edit. 3ª* ».

Praestat insuper afferre responsionem quam Sancti Officii Congregatio dedit die 16 Maii 1866 ad sequens dubium: « Utrum liceat ecclesiasticam sepulturam » dare suicidis, aut solemnes exequias cum missa pro iisdem celebrare?

R. « Quod moneantur Parochi et missionarii ut in singulis casibus quibus » praesens dubium refertur, recurrant quoad fieri potest ad Ordinarium. Quod regula est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante » mortem dederint signa poenitentiae. Quod praeterea quando certo constat vel » de iracundia, vel de desperatione negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari » debent pompae et solemnitates exsequiarum. Quando autem certo constet de » insania, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exsequiarum. Quando » tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut » per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum ».

in sontes noxiosque homines inquirant; at id multo magis in christiana et catholica; cum enim catholicae societatis principibus quae ad fidem animarumque salutem spectant commiserit Deus, cavere omnino debent ne vel fidei depositum, vel morum doctrina depravetur; iis enim corruptis impossibile est aeternam consequi salutem, cum sine fide impossibile sit placere Deo. Sub eiusmodi generali denominatione Inquisitores nullo tempore in Ecclesia defuerunt; iique erant et sunt Episcopi quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.

Episcoporum tamen inquisitionem gravem non habuerunt homines maleferiati, sed Inquisitionis Institutum, quod labente saeculo XII constabiliri in Ecclesia coepit gravissimum tulere atque sunt detestati, Lutherani praesertim, et in genere Protestantes, postea vero Encyclopedistae, deistae; et increduli omnes, atque nunc cuiusvis nominis homines qui liberales vocantur, quasi Inquisitionis supremae finis non fuerit catholicae fidei conservatio, haeresumque exstirpatio, vel quasi si quid ab Inquisitoribus particularibus, a ministris quibuslibet, aliisque S. Tribunalis officialibus vel executoribus excessus commissi sunt, in ipsum Inquisitionis Institutum refundi debeant. Si enim haec dicamus, firma ne quaelibet etiam sanctissima Institutio consistet, cum impossibile fere sit abusus non committi, ubi homines negotia gerunt tractantque?

Iam vero qui primus Inquisitionem instituit, fuit Lucius Romanus Pontifex, qui anno 1184 in coetu Veronae habito nedum Episcopis, sed etiam Friderico I Romanorum Imperatore aliisque saecularibus principibus approbantibus, sequentia decrevit:

« Ad haec de episcopali consilio » et suggestione culminis imperialis, » et principum eius, adiecimus ut » quilibet Archiepiscopus, vel Epi- » scopus, per se, vel archidiaconum » suum, aut per alias honestas ido- » neasque personas, bis vel semel » in anno, parochiam in qua fama » fuerit haereticos habitare, circum- » eat; et ibi tres vel plures boni » testimonii viros, vel etiam, si ex- » pedire videbitur, totam viciniam » iurare compellat, quod si quis » ibidem haereticos sciverit, vel » aliquos occulta conventicula ce- » lebrantes, seu a communi conver- » satione fidelium vita et moribus » dissidentes, eos Episcopo vel Ar- » chidiacono studeat indicare. Epi- » scopus autem, seu Archidiaconus » ad praesentiam suam convocet » accusatos: qui nisi se ad eorum » arbitrium iuxta patriae consue- » tudinem ab obiecto reatu pur- » gaverint, vel si post purgationem » exhibitam in pristinam fuerint » relapsi perfidiam, episcoporum » iudicio puniantur. Si qui vero ex » eis iurationem superstitione da- » mnabili respuentes iurare forte » noluerint, ex hoc ipso haere- » tici iudicentur, et poenis quae

» praenominatae sunt percellan-
» tur (1). ».

Quas vero poenas haereticis infligendas Lucius III Episcoporum arbitrio dimiserat, in Concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrato, Can. III Innocentius III determinavit; ita ut « damnati haeretici » saecularibus potestatibus praesen-
» tibus, aut eorum Ballivis (2) relin-
» quantur animadversione debita pu-
» niendi; Clericis prius a suis or-
» dinibus degradatis; ita quod bona
» huiusmodi damnatorum si laici
» fuerint, confiscentur; si vero Cle-
» rici applicentur Ecclesiis, a quibus
» stipendia perceperunt ». Postea vero iisdem verbis ea repetit quae Lucius III statuerat, atque in Episcopum negligentem poenas decernit, scilicet « ut ab Episcopali of-
» ficio deponatur, et in locum
» ipsius alius substituatur idoneus,
» qui velit et possit haereticam
» confundere pravitatem ».

Hucusque tamen inquisitionis officium Episcopis commissum fuerat. At anno 1227 Gregorius Papa IX officium inquirendi in haereticos commendavit Conrado Marpurgensi, et Ioanni Salernitano ordinis Praedicatorum, ut in Tom. I. Annalium huius ordinis asseritur et probatur. Episcopis tamen inquirendi facultas adempta non fuit. Etenim in synodo Tolosana anni 1229 statutum fuit, ut Episcopi in singulis Parochiis sacerdotem unum constituerent, et duos vel tres boni testimonii laicos, qui in haereticos diligenter inquirerent, repertosque una cum eorum receptatoribus et fautoribus Episcopo et locorum dominis denuntiarent. Anno 1233 Gregorius IX officium supremae Inquisitionis in Gallia meridionali Fratribus Praedicatoribus demandavit cum opportunis facultatibus reos iudicandi et poenitentes absolvendi, quibus leges praescriptae fuerunt ut officio commisso rite fungerentur.

Atque saeculo XIII Inquisitio suprema instituta fuit in Gallia in Italia, in Hispania, et in Germania; Saeculo XIV in Polonia; XV in Anglia, quamvis ubique non perduraverit, neque unis Fratribus Praedicatoribus commissa fuerit.

Congregatio tamen S. Officii anno 1542 a Paulo Papa III instituta fuit. Ea constabat sex Cardinalibus, quibus generalium Inquisitorum munus detulit, ad eosque graviores causas deferri praecepit. Eis praeest Summus Pontifex, subiacentque spectatae doctrinae et integritatis consultores plurimi, ut omnia ad tramitem iustitiae et veritatis decernantur.

Haec breviter relate ad Inquisitionis historiam adnotavimus. Ex iis vero quilibet facillime deprehendet, Inquisitores in homines haereticos et pessimos rem agere debuisse; nil mirum hinc si dicteria, con-

(1) Apud Migne Patrol. Lat. Tom. 201. col. 1299.

(2) Ballivi dicti sunt, quibus iustitiae in provinciis et maioribus civitatibus administrandae cura a principe demandata erat.

vicia, calumniae, odia, in Inquisitionem coniecta fuerint, atque etiam nunc coniiciantur, persecutiones insuper illatae, quas S. Pius V lamentatur in Constitutione mox alleganda. Nos equidem non dicimus, nullum umquam in puniendis vel exquirendis haereticis ab Inquisitoribus, officialibus et ministris excessum vel abusum commissum fuisse; homines enim fuere et sunt; sed ex abusibus et excessibus quibusdam bona fide, ut est credendum, commissis, ad Institutionis ipsius pravitatem nemo iure concludet.

Hisce praemissis; ut de antiquo iure quoad rem nostram aliquid dicamus, Iulius III Romanus Pontifex anno 1551, quinto decimo Kalendas Martii edita Constitutione *Licet a diversis* (1) nedum de praedeces-

(1) « Licet a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam » per speciales Constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit rite et salubriter » sancitum atque decretum ut saeculi potestates et domini temporales, ac pro» vinciarum, civitatum, terrarum et locorum quorumcumque rectores quibus» cumque dignitatibus, vel officiis aut nominibus censeantur, dioecesanis episco» pis et inquisitoribus haereticae pravitatis in ipso inquisitionis negotio fa» veant et assistant; nemoque ex praedictis potestatibus, dominis et rectoribus, » eorumque officialibus de crimine haeresis, cum mere sit ecclesiasticum, . . quo » modo cognoscat vel iudicet, neque dioecesano vel inquisitori ipsius inquisitionis » negotio incumbenti se opponere, aut ipsum aliquatenus impedire, vel impedien» tibus auxilium aut favorem scienter dare audeat, perpetuae damnationis sen» tentia in eos, qui contra praedicta fecerint promulgata, quam si per annum » animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut haeretici condemnentur; usque adeo » tamen in omnibus fere, non solum Italiae, verum etiam aliis provinciis, civita» tibus, terris et locis, complurium laicorum, ut accepimus, gloriae processit » ambitio vel sacrorum canonum inscitia, vel ecclesiasticae disciplinae contemptus, » ut in animarum suarum perniciem atque interitum, dioecesanos episcopos et in» quisitores a Sede Apostolica institutos, inquisitionis officium exercentes, alii sub » iustitiae praetextu, ne ulli scilicet fiat iniuria, impedire, alii vero sub pietatis » colore, ut sontes scilicet severius puniantur, se ipsis dioecesanis Episcopis et » inquisitoribus adiungere, et una cum eis de ipso haeresis crimine cognoscere, » processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

§ 1. Cui sane morbo iam nimis late progredienti solitam ac salutarem Ecclesiae medicinam, pro nostra pastorali sollicitudine, afferre cupientes, saeculi » potestates, dominos temporales ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum » rectores supradictos, nec non quascumque alias saeculares personas tam privatas » quam publico quovis munere fungentes requirimus et monemus, ac eis Iesu Chri » sti Redemptoris nostri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) no» mine praecipimus ne dioecesanos Episcopos et Inquisitores ipsos in suo inquisi » tionis negotio ullo modo impediant, seu perturbent, neque se in haeresis crimine » cognoscendo vel iudicando, quovis etiam assistentiae et favoris colore, causa ve » occasione (nisi quatenus ab ipsis dioecesanis Episcopis aut inquisitoribus spon » tanea et libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes » provisiones et leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris ca

sorum decretis in re latis locutus est, sed et questus quod laici praetenderent de ipso haeresis crimine una cum Inquisitoribus iudicare, vel ut gravius in sontes animadverterent, vel ut prohiberent quominus alicui inferretur iniuria; atque eiusmodi praetextibus Inquisitores in inquisitionis negotio perturbarent. In hos itaque excommunicatione maiori animadvertit Pontifex, atque acta iudicalia ab eis confecta nulla esse declaravit.

Verum quin perturbationes conquiescerent atque in inquisitores molestiae, illae potius excreverunt; insuper ex praetextibus in apertas violentias prosiluere Inquisitionis adversarii.

Ad compescendam hinc hominum pravitatem S. Pius V, qui antea Inquisitoris munia gesserat, die 1 Aprilis anni 1569 constitutionem gravissimam edidit incipien. *Si de protegendis*, qua libertati et incolumitati inquisitorum omnino consultum voluit, poenas in illo quodocumque offendentes, statuens. Et en Constitutio, ex qua Pianum Caput desumptum est.

« Si de protegendis coeteris » omnibus Ecclesiae ministris, quos » in fidem et clientelam nostram a » Domino recepimus, cura nobis » quotidiana insidet, quanto maiore » studio eam nos sollicitudinem ca- » pessere necesse est, ut qui in » sacro inquisitionis haereticae pra- » vitatis officio versantur, sub tu- » tela inviolatae auctoritatis huius » Sedis periculorum omnium exper- » tes, quaeque munera ad exalta- » tionem fidei catholicae exequan- » tur.

§. 1. Cum itaque eius generis » impiorum vis quotidie magis inva- » lescat, qui omnibus malis artibus » praedictum officium subvertere

» nonibus obsistentes, et ecclesiasticam iurisdictionem impedientes sine mora abro- » gent et deleant, prout etiam nos omnes eas invalidas fuisse et esse decernimus » et declaramus, ac ex nunc pro abrogatis et deletis haberi volumus ac mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in praedi- » ctis consilium, auxilium aut favorem dederint, noverint se, non solum per sa- » cras dictorum praedecessorum nostrorum constitutiones, verum etiam per hanc » nostram sanctionem sive sententiam et declarationem perpetuo duraturam... com- » munione fidelium et omnium ecclesiasticorum sacramentorum receptione privatos, » ac maledictionis ac execrationis aeternae vinculo ligatos, anathematisque et » maioris excommunicationis mucrone percussos, ita ut nemo umquam in praemis- » sis delinquens, nisi a nobis et successoribus nostris canonice intrantibus, etiam » praetextu quarumcumque facultatum, concessionum et gratiarum, etiam confes- » sionalium nuncupatarum, etiam a nobis et a dicta sede hactenus emanatarum, » vel in posterum emanandarum, specificam et expressam ac alias quam per verba » generalia de praesentibus nostris litteris mentionem non facientium, praeter- » quam in mortis discrimine, absolvi possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos dioecesanos Episcopos et inquisitores su- » biacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut » iudicare permiserint. »

» ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eo iam nos detrusit necessitas, ut nefariam et scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

§. 2. Hac igitur generali constitutione, de fratrum nostrorum consilio, sancimus ut quicumque, sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive dominus, comes, marchio, dux vel potiore titulo illustris, quemvis ex inquisitoribus, advocatis, procuratoribus, notariis aliisque ministris praedicti officii vel episcoporum id munus in sua dioecesi aut provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem aut testem in causa fidei quomodocumque productum vel evocatum occiderit, verberaverit, deiecerit, seu perterrefecerit.

§. 3. Quive ecclesias, aedes aliasve res sive publicas sive privatas, officii aut ministrorum expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit; aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, registra, protocolla, exempla, scripturas aliave instrumenta sive publica sive privata, ubicumque posita combusserit, diripuerit seu interverterit; seu ex incendio aut direptione, etiam inermis, sive capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causa fuerit, sive res aut personas servari defendive prohibuerit.

§. 4. Quive carcerem aut aliam custodiam, seu publicam seu privatam effregerit, vinctum extraxerit seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri; qui coetum concursumve fecerit, sive, ut aliquid praedictorum fieret, homines accommodaverit, sive alias auxilium, consilium aut favorem in quolibet praedictorum scienter praestiterit, licet nemo occisus, verberatus, nemo extractus, emissus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum direptumve, nullum denique damnum reipsa sit secutum; nihilominus is sit anathemate praesentis canonis auctoritate ligatus; idem quoque, laesae maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali et perpetuo eo ipso privatus, saecularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas poenas exigat quae damnatis primo capite dictae legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, uti etiam est de damnatis haereticis per sanctiones canonicas constitutum; eius filii paterna infamia subiecti, omnis et cuiuscumque haereditatis, successionis, donationis, et legati sive propinquorum sive extraneorum omnino sint expertes, eisdem praeterea numquam portae pateant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere vel praetendere possit, qui tantum nefas in contemptum et odium huius officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de praedictis eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis et presbyteris saecularibus et quorumvis ordinum etiam exemptorum, regularibus, et quacumque, etiam episcopali et maiori, dignitate praeditis, ac etiam privilegio quomodocumque suffultis decernimus exequendum: ita ut ipsi beneficiis et officiis omnibus ecclesiasticis praesentium auctoritate privati, per iudicem ecclesiasticum haereticorum more, degradentur; demum potestati saeculari traditi poenis praedictis, laicorum instar subiiciantur.

§. 6. Pontificum tamen causis nobis et successoribus nostris reservatis, ut, re quaesita et nobis renunciata, contra eos ad depositionem et alias poenas praedictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere aut alias intercedere tentaverit, in easdem illas poenas quae in haereticorum fautores a sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse.

§. 8. Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius vel affinis, sive religionis studio sive poenitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur. »

Discrepantias antiquum ius inter et novum ex Capite Piano dignoscimus quod referimus: « *Laedentes aut perterrefacientes inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusque Sacri Tribunalis Scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.*

Et 1. Ex Pio V. ad incurrendam latam excommunicationem testis produci vel evocari debebat in *causa fidei*; ergo si quis offendisset testem non productum aut evocatum in *causa fidei*, sed ob aliud crimen quod fidem non attingeret, occisores vel percussores latam excommunicationem non incurrebant. At Pius Papa IX eiusmodi restrictionem abstulit, cum de testibus quibuslibet simpliciter loquatur, non adiecta fidei causa; atque hinc quantum ad testes attinet, Pii V Constitutionem ampliavit. Diximus quantum ad testes attinet, verba enim S. Pii V §. 2 *in causa fidei quomodocumque productum vel evocatum* ad unos testes nobis referenda esse videntur, cum plerumque accusatores et certe denunciatores sponte compareant.

2. S. Pius V et in laedentes *accusatores* excommunicationem maiorem intulit: hos autem Pius Papa IX praetermisit; cum autem accusato-

tores a denunciatoribus distinguantur, si qui nunc illos offendant, excommunicati non probantur.

3. Pariter sub antiquo iure, excommunicabantur qui inquisitores, aliosve omnes quos S. Pius V exprimit §. 2. *deiecissent;* cum autem deiicere idem non sit ac *laedere* vel *perterrefacere;* si qui nunc loco inquisitores aliosve ministros deiicerent, excommunicati dicendi non essent, cum eiusmodi verbum Pius Papa IX praetermiserit.

4. S. Pius V excommunicatione et eos feriit qui Episcopos Inquisitionis munus in sua Dioecesi exercentes occidissent, verberassent, deiecissent, perterrefecissent; at in sua Constitutione Pius IX de Episcopis huiusmodi ne verbum protulit; vi igitur praesentis capitis non sunt excommunicati qui nunc eos vel laederent, vel perterrefacerent.

5. Sicut nec excommunicati habendi sunt illi qui post Pianam Constitutionem Ecclesias, et aedes, resque publicas aut privatas S. Officii aut ministrorum expugnant, invadunt, incendunt, expilant; aut illi qui carceres, aut alias custodias seu publicas seu privatas effringunt, et ibi detentos extrahunt, aut prohibent quominus delinquentes capiantur, captosque liberant; etenim nec de his personis aut casibus Pius Papa IX in citato Capite verbum profert.

6. Relate ad complices secundarios, seu cooperatores observandum est quod hi antiquo iure maiorem excommunicationem incurrebant, etiam non secuto effectu: *Licet nemo occisus, verberatus* etc. *nullum denique damnum reipsa sit secutum; nihilominus is sit anathemate praesentis canonis auctoritate ligatus.* At per Constitutionem Apostolicae sedis ut complices secundarii incurrant excommunicationem, effectus a principalibus executioni demandatus esse debet, cum verba laedentes, perterrefacientes, diripientes, comburentes facta indicent, quae nisi completa fuerint veritatem non sortiuntur; nemo enim est diripiens, comburens, laedens nisi reapse laeserit, combusserit, diripuerit.

Verum circa *laedentes* qui primo loco excommunicantur, quibusque intelliguntur qui alicui personae damnum inferunt illico quaeritur: an laesio eiusmodi ad personam tantum referatur, an etiam ad eorum bona. Et quidem si ad sensum ab nonnullis auctoribus verbo *laedere* irrogatum attendamus, utrumque significare deprehendimus, damnum scilicet in res et personam. Laedi, scribit Vicat *Diction. iuris,* dicuntur personae quibus damnum infertur. *Laesio,* subdit Pereyra *Elucidarium S. Theologiae n. 1887* sumitur pro damno et iniuria.

Atque hisce insistentes nos ipsi *Comment. Vol. 1. pag. 291.* dum Commentationem institueremus in Cap. VIII excommunicationum primae classis, utrumque sensum verbo

laedere applicuimus (1). Attamen quidquid sit de sensu ab doctoribus prolato verbo applicato, contendimus in praesenti capite laesionem ad unam personam referri, non ad eius bona.

Et 1. eodem certe sensu Pius Papa IX eiusmodi verbum sumpsit ac S. Pius V. in citata Constitutione; atqui certum undequaque est, hunc verbo laedentes unam personalem offensam applicuisse. Etenim § 2, cuius dispositionem renovat Pius IX, de unis laesionibus personalibus loquitur et de unis personis, ut legenti patet; § 3. de laesionibus in res et bona; cum ergo in loco ex quo verbum Pius IX desumpsit, *laedere* unum sensum habeat, ei non debemus duplicem applicare,

2. Pius Papa IX verbo *laedentes* tria complexus est, quae S. Pius V diversis vocibus complexus fuerat, scilicet *occiderit, verberaverit, deiecerit;* at haec indicant offensionem et damnum in personas illatum, non in res aut bona; ergo et verbum laedentes a Pio Papa IX adhibitum idem significare debet.

3. Cum verbo *laedere* additur *persona* semper innuit personalem offensam, atque cum de bonorum laesione ageretur, haec antiqui exprimere soliti erant; ut plurimis possemus exemplis demonstrare, quae lectores nostri videant apud Forcellini, Facciolati, aliosque: certum est autem utrumque sensum Iurisconsultos applicare verbo *laedere* quando absolute sumitur, sine ullo scilicet addito quod nec ad personas nec ad res respectum habeat; quinimo Brissonium adesse, qui *Voc. Iur. V. Laedi* unam laesionem corporalem stricto sensu significare affirmat. Atqui certum est S. Pium V, et Pium IX verbo *laedentes* addidisse personas, scilicet inquisitores, testes, ministros; ergo nulla ratio est, neque etymologica, qua ad personarum bona sensum pertrahere debeamus.

4. In lege poenali praesertim verba sunt obvio, naturali, et stricto sensu accipienda; cum ergo *laedere aliquem* significet per se personam aliquam offendere, non possumus ad laesorum bona sensum extendere. In poenalibus enim quod minimum est sequendum.

5. De cetero non paucorum Commentatorum haec sententia est. « Laedere, scribit Commentator Pa» tavinus *n. 356* est aliquam e » personis in articulo numeratis » interficere, mutilare, verberare, » vel quamcumque aliam laesionis » corporalis speciem iisdem irro» gare, prout per partes describe» bat Bulla S. Pii V. »

Laedere, scribit Commentator » Reatinus *n. 71.* stricta significa-

(1) « Laedi autem dicuntur personae quibus damnum infertur. Quoniam vero » damnum sive personae alicui inferri potest, sive eius bonis, hinc excommunicantur utriusque generis damna inferentes. » Nunc re melius considerata, et in eo » capite ad unas personales laesiones verbum *laedentes* restringimus.

» tione accipiendum est; stricta au-
» tem significatione laedi corpus di-
» citur. »

Idipsum vero tenent Conrado *Memoriale de Censuris pag. 92*, Ciolli *Commentario Prattico n. 140.* et alii.

Secundo loco excommunicantur *perterrefacientes*, illi scilicet qui gravem timorem incutiunt Inquisitoribus, denuntiantibus, testibus. Hic autem timor talis esse debet ut ad reatum mortalis culpae assurgat, sine qua excommunicatio non incurritur.

Timor levis itaque non infert excommunicationem illum inferenti, atque illum in huiusmodi casibus dari posse neque putamus, cum ad incutiendum Inquisitoribus terrorem maxima requiratur vis; qua de causa nobis non displicet Carenae sententia, qui *De Officio Sanctissimae Inquisitionis part. II. tit. XIII, n. 66* affirmat, verbum *perterrefacere* illis tantum applicari posse qui terrorem non verbis sed factis ingerunt. Reapse si Sancti Pii V Constitutionem consideremus, ea quae ibi prohibentur, talia sunt quae facta requirant, atque violentiam. Id vero et ab ipso verbo *perterrefacere* patefit, quod nedum timorem gravem indicat, sed terrorem, ideoque plus quam timorem gravem; at terror utique per facta incutitur, per verba difficillime, aut tantum per verba principis vel habentis auctoritatem qui prolatas comminationes illico potest ad effectum deducere.

Prohibentur autem laedi et perterrefieri Inquisitores, denuntiantes, testes, aliique ministri S. Officii.

Porro *Inquisitores* sunt quibus commissum est inquirere in haereticos, repertos ad tribunal advocare, carceribus mancipare, actaque processualia conficere atque ad Supremos Inquisitores transmittere.

Denuntiantes sunt qui haereticum, aut crimen ad Inquisitores deferunt. *Testes* qui vocantur ad testimonium ferendum circa crimen denuntiatum. *Ministri* sunt qui deputati sunt pro servitio S. Officii, ut Notarii, Advocati, Consultores, executores etc. Qui igitur hos vel laedunt, vel tantum perterrefaciunt excommunicationem Piani Capitis nemini reservatam incurrunt.

Et quidem quicumque ii sint, et cuiuscumque dignitatis; si supremi Principes, et S. R. E. Cardinales excipiantur, quia, ut non semel observavamus, hi sub latae sententiae censuris non comprehenduntur, nisi disertis verbis exprimantur.

At praeter laedentes et perterrefacientes, excommunicantur S. Officii Scripturas *diripientes*, aut *comburentes.*

Porro diripiunt non qui clam auferunt, sed qui vi Scripturas auferunt; qua de causa si qui clam ex S. Tribunali S. Officii suffuraretur Scripturas, hanc excommunicationem non incurreret, cum non diriperet. Et multo minus incurre-

ret qui suffuratas aut direptas Scripturas emeret, acciperet, absconderet; horum enim nemo diripuit.

Comburunt autem qui S. Officii Scripturas incendio destruunt. Hi autem tum ipsi diripientes esse possunt, tum alii qui ab diripientibus eas acceperunt; etenim et hi reapse S. Officii Scripturas comburunt, imo ipsi tantum, cum alii diripuerint. Actiones enim a legislatore proscriptae sunt distinctae; atque excommunicatio incurritur tum ob solam direptionem, tum ob solam combustionem. Attamen tum diripientes, tum comburentes ad excommunicationem incurrendam scire debent Scripturas illas ad S. Officium pertinere, ut patet.

Quid ergo? Num ne qui primum diripuit, postea S. Officii Scripturas combussit duplicem incurrit excommunicationem?

Et ne quidem dubitandum videtur, cum actio utraque sit distincta, atque pro utraque excommunicatio illata.

Attamen quantum ad Scripturarum S. Officii vim essentiam, et extensionem attinet, Commentatores in diversas sententias abeunt. Et quidem quantum ad essentiam attinet, quaeritur: an Scripturarum nomine etiam libri typis impressi veniant, vel sint intelligenda manuscripta tantum, seu protocolla vel acta processualia, aliaeve chartae? Quantum vero ad extensionem, quaerunt Commentatores: an ad incurrendam excommunicationem necessarium sit plures Scripturas diripere aut comburere, vel unius tantum scripturae direptio aut combustio excommunicationem inducat?

Relate ad primum caput, clar. Piato *Commentarius in Constit. Apostolicae Sedis, pag. 244* scribit: « Per Scripturas intelliguntur » libri, literae, auctoritates, exem» plaria, regestra, protocolla exem» pla, Scripturae, aliave instrumen» ta sive publica, sive privata ubi» cumque posita. » Idipsum vero putat de Varceno *Compendium Theologiae Moralis, Tom. II. pag. 500 n. 2.* atque innititur S. Pii V. Constitutioni, in qua § 3. primo loco *libri* Supremae Inquisitionis recensentur, deinde *litterae, auctoritates, exemplaria, aliaeve Scripturae.* Ita ut pro praestantissimis scriptoribus ideo in Piano Capite Scripturarum nomine etiam *libri* veniunt, eo quod Pius Papa IX nomine scripturarum omnia illa complexus sit quae S. Pius V in cit. §. 3 expressit.

Prolatam sententiam veram esse dicimus, tum quia Scripturarum nomine etiam libri veniunt; tum quia certum videtur Pium Papam IX per *Scripturas* exprimere voluisse quae *in cit.* § 3 Pius V expresserat; tum quia Scripturae saltem plurimae quae ab Inquisitoribus peraguntur typis amandantur, ut Cardinalibus, Consultoribus, aliisque ministris S. Officii perpendendae distribuantur; tum quia si per Scripturas Manuscripta tantum intelli-

gerentur, non satis consultum Archiviorum Inquisitionis securitati fuisset, cum per direptionem Scripturarum typis impressarum omnia cognoscerentur quae altissimo silentio tegi debent; tum quia in pluribus casibus Scripturae typis impressae nil aliud sunt quam denunciationes, depositiones testium, ipsaque acta iudicialia quae antea calamo excipi debuerunt, ut postea imprimerentur; sunt itaque una eademque res; scilicet ipsae Scripturae.

Attamen si quis diriperet libros nullo modo ad acta S. Officii pertinentes, neque de negotiis pertractantes quae in Tribunali aguntur, non putaremus per eiusmodi direptionem aut combustionem excommunicationem incurri, cum libri praedicti proprie non sint *Scripturae eiusdem Sacri Tribunalis;* atque in singulis tribunalibus vel Congregationibus Ecclesiasticis parva quaedam bibliotheca plerumque habeatur in usum officialium, Ministrorum, eorumque qui ecclesiasticas disciplinas practice ediscunt. Legislatores insuper ideo eiusmodi excommunicationem intulerunt, ut consulerent nedum S. Tribunalis securitati, sed famae eorum qui delati fuerunt, incolumitati denuntiantium et testium, atque praesertim negotiorum magnitudini. Direptio autem librorum in usum Segretariae vel Congregationis eiusmodi fini nullum detrimentum inferret.

Relate ad secundam quaestionem, cl. Commentator Reatinus arbitratur non incurrere excommunicationem qui *unam vel alteram Scripturam aufert vi* n. 161.

De Varceno loc.cit. distinguit: « Si » nempe illa Scriptura integram denuntiationem, vel integram causam, » vel eius notabilem partem continet pertinentem ad S. Officium » contra ipsum diripientem aut » alium, contrahit hanc excommunicationem, quia verificatur quod » sit patratum ad impediendam » sententiam huius tribunalis. Si » vero Scriptura non sit tanti momenti, haud contrahit hanc excommunicationem; habetur enim » ut parvitas materiae. »

E contra Ciolli *Commentario pratico delle censure n. 149.* putat, excommunicationem contrahi quamvis una tantum Scriptura diripiatur, aut comburatur: (1) Quae sententia facile ad sententiam a De Varceno propugnatam reducitur, dummodo rite intelligatur. Antequam sententiam nostram exponamus, praemittimus.

1. Verum non esse quod scribit de Varceno, contrahi scilicet hanc excommunicationem a diripientibus integram denunciationem, vel integram causam, vel eius notabilem partem etc. quia verificatur quod sit patratum (crimen) ad impediendam

(1) L' incorre.... chi rapisce o brucia anche una sola Scrittura delle suddette.

sententiam huius tribunalis. Etenim necessarium non est, neque aut ex Pii V Constitutione, aut Pii IX capite ullo modo apparet, direptionem fieri debere ad impediendam sententiam; sed unum tantum necessarium esse ad incurrendam excommunicationem, ut quis scilicet diripiat aut comburat Scripturas S. Tribunalis, quaecumque eae demum sint, necessariae nec ne ad proferendam sententiam, antiquae vel recentiores; sin minus posset quis diripere et comburere fere universum Archivium Inquisitionis Romanae, et nullam excommunicationem incurrere, quia, si recentiores causae aut acta excipiantur, cetera protocolla et Scripturae continent causas iam definitas, quaeque pertinent ad personas iam defunctas, quarumque vix aut ne vix quidem extat memoria.

2. Hoc in capite per verba *Sacri tribunalis* intelligendum esse locum quo Scripturae custodiuntur, non personae ad S. Officium utcumque pertinentes quae Scripturas deferant; non enim proprie diripiuntur aut praedantur personae, sed loca quaelibet ut agri, castra, civitates, domus; de coetero Pius IX Pii V sanctionem renovavit, qui diserte de locis in quibus S. Officii custodiuntur Scripturae locutus est: dixit enim. « Quive... Scriptu- » ras, aliave instrumenta sive pu- » blica, sive privata ubicumque po- » sita combusserit, diripuerit etc. » Ulterius Legislator, loquitur de Inquisitoribus in quocumque regno vel provincia constitutis, quique habent Officium, tribunal, ministros etc. Neque Inquisitores secum deferunt, nisi circumstantia vel necessitas cogat, scripturas, sed eas in loco quem inhabitant conficiunt, vel ad eum illico deferunt ac deponunt, si alibi acta quaelibet confecerint.

Demum Legislator iuxta communem agendi rationem, et constitutionem Supremae Inquisitionis locutus supponendus est; consuetudo autem est, ut denuntiantes, testes etc. ad locum quem Inquisitores inhabitant pergant, nisi quid obstet, ibique peragant quae pera gere autumaverint.

3. Direptio, de qua Pius IX loquitur eadem est ac ea de qua loquitur S. Pius V. Hic vero tumultuariam quandam agendi rationem, quantum ad direptionem attinet, innuit, ut ex universo Constitutionis contextu patet, ita ut significet irruptionem privatorum, vel populi sponte insurgentium, vel de mandato principum saecularium contra Inquisitores, horumque domus invadentium, et Scripturas diripientium S. Tribunalis.

4. Demum Pius Papa IX inquit: *Scripturas S. Tribunalis.* Tribunal autem locus est in quo, ab Inquisitoribus sententiae pronunciantur; at certum est in eodem loco Scripturas plerumque custodiri quamvis et in alio loco custodiri possint, Nullo pacto igitur dubitandum est

quin Pii IX textus intelligendus sit de loco, quo Scripturae conservantur.

Porro in Archivio Inquisitorum plurimae sunt Scripturae, plurima plerumque protocolla, atque iudiciales sententiae; cum ergo de direptione agatur, quae a privata persona et sola confici non potest, sed a populo vel sponte tumultuante vel ad tumultum excitato a nefariis hominibus, vel de mandato aut consensu principis in Inquisitorum et Inquisitionis odium, direptio unius Scripturae vel non concipitur, vel tum tantum cum supponuntur Inquisitores tumultum direptionemque praevidisse, atque Scripturas asportasse vel abscondisse, casuque factum ut aliqua remaneret quam diripuerunt, quod accidens esset; ea vero quae casualiter contingunt Legislatores sub lege comprehendere non intelligunt.

Ex his vero patere arbitramur, quod cum direptio seu praedatio in loca fiat ubi Scripturae S. Tribunalis conservantur, idque in odium Inquisitionis, unius Scripturae direptio vix aut ne vix quidem concipitur.

Quod 4. etiam ex textu legis patet; non enim Pius Papa IX dixit: *eiusque Sacri tribunalis Scripturam aliquam diripientes aut comburentes*, sed *Scripturas*, quo innuit Scripturas esse plures debere. Utique dicturus aliquis erit, Pium IX speciem Scripturarum designare voluisse, non numerum, ideoque etiam Scripturam unam diripientes legem transgredi, et excommunicationem incurrere. Attamen cum Legislator numerum pluralem adhibuerit, quomodo probatur eum sicuti speciem, ita et unam Scripturam designare voluisse, cum praesertim de praedatione agatur, qua omnia susdeque vertuntur, atque de caetero optime legislator potuisset singulari numero crimen designare, inquiendo ex. gr. *vel aliquam Scripturam, vel aliquid de Scripturis eiusdem S. Tribunalis diripientes?*

5. Atque agitur de lege poenali in qua verba sunt stricto sensu accipienda, neque de casu in casum extendi potest ob paritatem rationis; at si vox *Scripturas* ad unam tantum scripturam extenderetur, lex etiam extenderetur contra naturam legis odiosae.

6. Quidquid demum sit; ad incurrendam excommunicationem requiritur culpa undequaque certa, et ad tramites latae prohibitionis. At certum non est, neque ex contextu, neque ex verbis legis, neque ex mente legislatoris, unius Scripturae direptionem satis esse ad excommunicationem hanc inducendam, non possumus ergo unius Scripturae ad Sacrum Tribunal Inquisitionis pertinentis direptorem excommunicatum proclamare, quia de lege in casu certe non constat.

Putamus ergo veram esse sententiam a cl. d'Annibali propugna-

tam, ob unius scilicet vel alterius Scripturae direptionem excommunicationem non incurri.

Certum est autem excommunicationem incurri, quamvis Scripturae non diripiantur in Palatio S. Officii, sed in quocumque loco eae conserventur; lex enim non locum, sed Scripturarum speciem determinat.

Quid vero si quis Scripturas S. Officii non comburat, sed alias quomodocumque destruat?

Et quidem Ciolli *Commentario Prattico delle Censure n. 149.* 2. affirmat, hanc excommunicationem etiam ab iis incurri qui S. Officii Scripturas non comburunt, sed aliis quibuscumque modis destruunt, quia ubi eadem ratio ibi eadem dispositio legis (1).

Haec autem sententia non ita certa videtur ut primo apparere posset intuitu; etenim Legislator duas explicite actiones excommunicatione mulctavit, *direptionem* et *combustionem.* Lex autem poenalis stricto omnino sensu accipienda est, neque ob similitudinem rationis extendi potest de casu in casum, praesertim cum actio adeo determinata est, ut cum nulla alia confundi possit, prout combustio confundi non potest cum alia actione quacumque adhibita ad destruendas S. Officii Scripturas, ex. gr. dilaceratione, proiectione in flumine, in mari, in alio quocumque loco.

Quod vero in lege odiosa seu poenali eadem ratio satis non sit ad incurrendam excommunicationem ex ipso Ciolli probamus, qui *loc. cit. n. 149* affirmat, hac excommunicatione illos non percelli qui Scripturas S. Tribunalis clam furantur (2). Attamen in furto eadem ratio esse posset, et eadem incommoda evenirent, vel evenire possent quae in direptione. Qua ergo de causa ad eiusmodi furtum excommunicatio non extenditur? Id autem nefas esset etiam ea ratione, quod quamvis S. Pius V excommunicatione eos quoque perculerit qui Scripturas S. Officii *intervertissent,* fraude scilicet et abstutia abripuissent, vel in direptione et incendio causa fuerint scripturas S. Officii capiendi, comburendi, supprimendi, Pius IX tamen unos diripientes excommunicatione feriit.

Quantum vero ad comburentes attinet, hos unos et Pius V, et Pius VI excommunicatione perculere; nulla igitur ratio est quare ad alios qui comburentes non sunt excommunicatio extendatur.

Hoc insuper in loco observare debemus, non satis accurata ea esse quae eruditissimi Scriptores *de la*

(1) L'incorre chi le distrugge anche in altro modo che non sia col bruciarle, perchè *ubi eadem* etc.

(2) Non incorre la censura chi ruba di nascosto, o sottrae con astuzia dette Scritture, perchè questo non è rapirle, cioè torle per forza.

Nouvelle Revue Theologique Tom. 11, pag. 483. n. 16: proferunt, scilicet: «Auctores constitutioni S. Pii V » insistentes innuunt, actiones hoc » in Capite excommunicatione per- » culsas fieri debere ad finem im- » pediendi quominus causa ad S. Of- » ficium deferatur, aut Tribunal sen- » tentiam proferat, aut in odium » membrorum S. Officii qua ta- » lium. » (1)

Qua in re si de personis agitur res est manifesta, cum uterque Pius de Inquisitoribus reduplicative loquantur. Qua de causa qui laederent, aut perterrefacerent Inquisitores aut Ministros Inquisitionis vel odii personalis causa, vel ratione aut suppositione iniuriae acceptae, vel alio quocumque motivo, quod ad Inquisitionem non referatur, praesentis Capitis excommunicationem effugient.

At non ita dicendum est quantum ad Scripturas attinet. Nullimode enim necessarium est ut Scripturae diripiantur aut comburantur, vel ad impediendam introductionem causae apud tribunal Inquisitionis, vel prolationem sententiae, vel in odium membrorum S. Officii; sed satis est ut Scripturae S. Officii diripiantur et comburantur. Sin minus qui nunc diriperent et comburerent Archiviorum Inquisitorialium Scripturas, quas centum ab hinc annis confectae sunt, et in quibus nulla comburentium aut diripientium quaestio intercedit, excommunicationem non incurrerent.

Quod esset omnino falsum, cum hi reapse diriperent et comburerent eiusdem S. Tribunalis Scripturas, omnimodis scilicet legem transgrederentur. Qua de causa verba praeclarissimorum Scriptorum de unis personis intelligenda sunt.

Relate ad cooperatores secundarios excommunicantur *praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes;* quae quid sint non semel in primo Commentarii volumine explicuimus. Illud tamen semper lectores advertant, cooperatores intuitu principalium agentium, seu actionis principalis excommunicari; qua de causa si actio principalis posita non fuit, vel complices in illam non influxerint, ut si, ex. gr. etiam sine ipsorum con-

(1) Les auteurs font remarquer, en s'appuyant sur la Bulle de S. Pie V. que les actions frappées d'anathème dans ce paragraphe, doivent être faites dans le but d'empêcher que la cause ne soit déférée au saint office, ou que ce tribunal ne rende sa sentence, ou en haine des membres du Saint Office, comme tels.

Porro pro eiusmodi sententia citant etiam De Varceno. At hic loquitur tantum de personis: Scribit enim loc. cit. 499. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores etc. Intellige modo sit iniuria gravis facta in persona.... Intellige quoque impediendi causa, quominus ad Sacrum Tribunal causas deferant, vel ad impediendam sententiam, vel in contemptum et odium ipsius S. Tribunalis, quia si ad alium finem vel alia de causa hoc agunt, vel nisi eos cognoscant ut tales... non incurrent censuram huius articuli. »

silio et favore actio principalis suscepta et ad finem perducta fuisset, vel principales agentes ad eam peragendam dato consilio et favore praestito moti non fuerunt, complices secundarii excommunicationem numquam incurrunt.

Post haec unum expendendum superest. S. Pius V in cit. Constitutione loquens de complicibus, scientiam requisivit: *sive alias auxilium, consilium, aut favorem in quolibet praedictorum scienter praestiterit.*

E contra Pius Papa IX in allegato capite adverbium *scienter* praetermisit. Hinc Commentatores discrepant. Et quidem De Varceno in complicibus etiam post Constit. *Apostolicae* ad incurrendam excommunicationem scientiam requirit *loc. cit. pag. 500* scribens: « Subiiciuntur huic excommunica» tioni.... 4. Auxilium, consilium, » vel favorem publice vel occulte » in quolibet praedictorum *scienter* » praestantes. » E contra Godchalk, quem sequuntur cl. Scriptores *de la Nouvelle Revue theologique Tom. XI, pag. 482* scientiam repudiat, ea prorsus de causa quod Pius Papa IX eiusmodi conditionem praetermiserit. Quid ergo?

Ex discussione capite praecedenti peracta patere arbitramur, adverbium *scienter,* seu scientiae conditionem quamvis praetermissam subintelligendam semper esse, cum actio excommunicatione perculsa illam necessario expostulat; si vero illam necessario non expostulat standum esse verbis legis, et non esse requirendam. Porro in casu nostro scientia non est necessario coniuncta cum complicum actione, ut necessario coniunctam probavimus cum mandantibus et cogentibus sepelire notorios haereticos etc. hinc in praesenti capite non punitur scientia et praesumptio, sed unicum factum cooperationis ad actiones principales. Ignorantia igitur culpabilis non excusat complices, sed tantum ignorantia invincibilis circa factum, ius, et poenam.

APPENDIX XXXVI.

De Excommunicatione lata contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosae.*

Bona ecclesiastica sunt quae pertinent ad Ecclesias, beneficia, monasteria, hospitalia, eremitoria, capellas, dummodo hae auctoritate Episcopi sint fundatae. Horum dominium est penes ecclesias vel loca pia ad quae pertinent; administratio penes eos, quibus a communitate sive libere commissa est, sive ut collato officio adnexa, ut ex. gr. sunt Syndici, Rectores, procuratores etc.; tutela et cura penes Episcopos residet.

Quoniam vero bona Ecclesiae in

sustentationem ministrorum, cultus divini conservationem decoremque, atque pauperum subsidium distribuenda sunt, hinc ab ipso fere Ecclesiae exordio interdictum fuit ne venderentur.

Praestat hac in re canones Apostolicos recitare 37 et 41, ut lectores cognoscant, quid de Ecclesiae bonis primaevo tempore statutum fuerit.

« 37. Omnium rerum ecclesiasti» carum curam Episcopus gerito, » et eas dispensato, quasi inspe» ctante Deo. Non licitum autem » ei esto quidpiam ex iis sibi tan» quam proprium assumere, aut co» gnatis suis elargiri quae Deo de» dicata sunt. Quod si pauperes illi » sint, ut pauperibus subministrato ; » non tamen horum praetextu res » Ecclesiae venundato.

» 41. Praecipimus, ut Episcopus » res Ecclesiae in potestate habeat. » Nam si pretiosae hominum ani» mae fidei eius committendae sunt, » multo utique magis oportuerit et » de pecuniis mandatum dare, ut » illius arbitratu dispensentur, ne» que non cum timore Dei sum» maque sollicitudine per Presby» teros ac Diaconos erogentur in « pauperes. Percipiat autem et ipse » (si modo indiget) quantum ad » necessarios suos et hospitio ex» ceptorum fratrum usus opus ha» bet, ne quo modo ipse posteriore » loco habeatur quam ceteri. Or» dinavit enim lex Dei ut qui al» tari inserviunt, de altari nutrian» tur; quando nec milites umquam » suis annonis hostibus arma in» ferant. »

Verum tractu temporis ii qui rerum ecclesiasticarum potestatem habebant, sive nimia erga pauperes charitate ducti, sive parentum amore, sive liberalitate, sive aliis de causis, ecclesiae bona distrahebant; ex quo fiebat ut pauperes inopia tabescerent, aliaque derivarent incommoda.

Hinc Concilium Chartaginense IV anno 398 celebratum, Can. 32 statuit: « Irrita erit donatio Epi» scoporum, vel venditio, vel com» mutatio rei ecclesiasticae absque » conniventia et subscriptione cle» ricorum. » At quoniam difficillimum fortasse Episcopis quibusdam non erat Clericorum consensum extorquere, atque in detrimentum Ecclesiarum et pauperum bona distrahebantur, Patres Concilii Agathensis an. 506 Canonem VII tulerunt, quo et res minoris pretii distrahere prohibebant, et si necessitas venditionem exigeret, assensus vicinorum Episcoporum esset requirendus: « Casellas vero » vel mancipiola Ecclesiae Episcopi, » sicut prisca Canonum praecipit » auctoritas, vel vasa ministerii » quasi commendata, fideli propo» sito integro Ecclesiae iure pos» sideant; id est, ut neque ven» dere, neque per quoscumque » contractus res, unde pauperes vi» vunt, alienare praesumant. Quod » si necessitas certa compulerit, u

» pro Ecclesia aut necessitate, aut » utilitate, vel in usufructu, vel in » directa venditione aliquid distra- » hatur, apud duos vel tres com- » provinciales vel vicinos Episco- » pos, causa qua necesse sit vendi, » primitus comprobetur; et habita » discussione sacerdotali, eorum » subscriptione, quae facta fuerit, » venditio roboretur. Aliter facta » venditio vel transactio non va- » lebit. »

Verum et eiusmodi disciplina varias subiit mutationes quas persequi non licet, cum ad unius demum Constitutionis normam tum in antiquo tum in novo iure alienatio bonorum Ecclesiae redacta fuerit.

Constitutio autem haec a Paulo II lata fuit die 1 Martii 1467, quaeque incipit *Ambitiosae*. Ea porro triplici parte constat, praefatione, prohibitione, et sanctione poenali. In praefatione profitetur Pontifex, se velle occurrere abusibus quibus bona ecclesiastica subiiciebantur. In prohibitione statuit, ne eadem bona distraherentur, transferrentur, hypothecae subiicerentur, locarentur ultra triennium, concederentur in feudum vel emphyteusim, praeterquam in casibus ab iure permissis, ac de rebus ac bonis ab antiquo in emphytheusim concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis quae servando servari non possunt. In sanctione poenali decrevit 1. ut nulla sit alienatio contra latam constitutionem facta, et bona distracta ad Ecclesiam, aut ad locum pium revertantur; 2. ut tam alienans quam recipiens sententiam excommunicationis incurrant; 3. ut alienans si episcopali aut abatiali dignitate praefulgeat sit ingressu Ecclesiae penitus interdictus; si inferioris dignitatis ab beneficiis quae possidet, vel ipsorum administratione remotus censeatur et sit.

« Ambitiosae, inquit Paulus II, » cupiditati, illorum praecipue qui » divinis et humanis affectatis, da- » mnatione postposita, immobilia » et pretiosa mobilia Deo dicata, » ex quibus Ecclesiae, Monasteria » et pia loca reguntur illustran- » turque, et eorum ministri sibi » alimoniam vendicant, profanis » usibus applicare, aut cum maximo » illorum ac divini cultus detrimen- » to exquisitis mediis usurpare prae- » sumunt, occurrere cupientes.

« §. 1. Omnium rerum ac bono- » rum ecclesiasticorum alienatio- » nem, omneque pactum per quod » ipsorum dominium, concessionem » hypothecam, locationem et con- » ductionem, ultra triennium, nec » non infeudationem vel contractum » emphyteuticum, praeterquam in » casibus a iure permissis, ac de » rebus et bonis in emphytheusim » ab antiquo concedi solitis, et tunc » cum Ecclesiarum evidenti utili- » tate, ac de fructibus et bonis » quae servando servari non pos- » sunt, pro instantis temporis exi- » gentia, hac perpetuo valitura Con- » stitutione fieri prohibemus.

» §. 2. Praedecessorum nostro-
» rum constitutionibus, prohibitio-
» nibus et decretis aliis super hoc
» editis, quae tenore praesentium
» innovamus, in suo nihilominus
» robore permansuris.

» §. 3. Si quis, contra huius no-
» strae prohibitionis seriem, de bo-
» nis et rebus eisdem quicquam
» alienare praesumpserit, alienatio,
» hypotheca, concessio, locatio, con-
» ductio, et infeudatio huiusmodi
» nullius omnino sit roboris vel
» momenti, et tam qui alienat,
» quam is qui alienatas res et bona
» praedicta receperit, sententiam
» excommunicationis incurrat; alie-
» nanti vero bona Ecclesiarum, mo-
» nasteriorum locorumque piorum
» quorumlibet, inconsulto Romano
» Pontifice, aut contra praesentis
» constitutionis tenorem, si ponti-
» ficali vel abbatiali praefulgeat di-
» gnitate, ingressus Ecclesiae sit
» penitus interdictus, et si per sex
» menses immediate sequentes, sub
» interdicto huiusmodi, animo, quod
» absit, perseveraverit iudurato,
» lapsis mensibus eisdem, a regi-
» mine et administratione suae Ec-
» clesiae vel monasterii cui prae-
» sidet, in spiritualibus et tempo-
» ralibus sit eo ipso suspensus;
» inferiores vero praelati, commen-
» datarii et alii Ecclesiarum Recto-
» res, beneficiati, vel administra-
» tionem quomodolibet obtinentes,
» prioratibus, praeposituris, prae-
» positatibus, dignitatibus, perso-
» natibus, administrationibus, offi-
» ciis, canonicatibus, prachendis
» aliisque ecclesiasticis, cum cura
» et sine, saecularibus et regula-
» ribus, beneficiis, quorum res et
» bona alienarunt dumtaxat, ipso
» facto privati existant; illaque abs-
» que declaratione aliqua vacare
» censeantur, possintque per loco-
» rum ordinarios vel alios, ad quos
» eorum collatio pertinet, personis
» idoneis (illis exceptis quae pro-
» pterea privatae fuerunt) libere
» de iure conferri, nisi alias di-
» spositioni Apostolicae Sedis sint
» specialiter aut generaliter reser-
» vata; et nihilominus alienatae res
» et bona huiusmodi ad Ecclesias,
» Monasteria, et loca pia, ad quae
» ante alienationem huiusmodi per-
» tinebant, libere revertantur. »

Porro haec est illa Constitutio quam Pius Papa IX in Const. *Apostolicae* renovavit; caput vero ita legimus; *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico, ad formam Extravagantis Ambitiosae.* De rebus Eccclesiae non alienandis.

Cum Pius Papa IX lato iuri omnino insistat, nulla differentia, quantum ad substantiam alienationis et receptionis attinet, vetus ius inter et novum reperitur.

Hinc expendemus 1. quaenam actiones huic excommunicationi subiiciantur. 2. quaenam personae. 3. quaenam ad incurrendam excommunicationem conditiones requirantur.

Primum tamen monere lectores

debemus, Constitutionem *Ambitiosae* non fuisse receptam, ni iuridice, certe de facto, neque in Gallia, neque in Belgio, neque iu Germania, eique per contrariam consuetudinem fuisse derogatum. Hoc alios inter diserte asserunt Rebuffus *Compendium alienationis rerum eccles.* Reiffenstuel *Ius Canon. univ. lib. III. Tit. XIII,* Schmalzgrueber *Ius eccl. univ. lib. III,* Van. Espen. *Ius Eccles. univ. Part. II, Sect. IV, Tit. V,* cap. IV. De facto dicimus, et non iuridice. Etenim Romanae Congregationes de re interrogatae non semel responderunt esse Constitutionem *Ambitiosae* observandam. Reapse mense Novembris an. 1655 Episcopo Mediolanensi S. Concilii Congregatio respondit: « Amplitudini tuae » demandandum, prout praecise » his demandatur, ut pro tua pie» tate et erga Sedem Apostolicam » reverentia, ac pro salute anima» rum, et validitate alienationum, » locationum, aliarumve concessio» num, id sedulo in futurum exe» quatur et exequi omnino curet, » et in praeteritis consulatur pro» priae conscientiae » (1).

Quod ipsum respondit die 14 Martii 1682. Anno vero 1635 die 12 Novembris eamdem Congregationem respondisse refert cl. Vecchiotti *Inst. Can. lib. III,* §. *44, Vol. II, pag. 89.* « S. Congregatio censuit » bona Ecclesiarum et piorum lo» corum non posse alienari, nec » concedi sola auctoritate Archie» piscopi, sed omnino requiri be» neplacitum Apostolicum ad prae» scriptum Constitutionis Paulinae, » non obstante praetenso allegato » non usu, seu consuetudine. »

In libro autem Decretorum, 18, *pag. 335* haec alia haberi « non » usum dictae consuetudinis alle» gabilem non esse, et absque Be» neplacito alienationes fieri non » licere. » *Ibid.*

Attamen cum eiusmodi decreta posthaberentur, et contraria consuetudo praevaluisset, Commentatores quaerunt: an etiam post Pii IX Constitutionem consuetudo illa attendenda sit, ita ut et nunc illis in locis in quibus Const. *Ambitiosae* vel non recepta, vel per contrariam consuetudinem abrogata fuit, bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico vendi possint.

Et quidem Gabriel de Varceno affirmativam sententiam defendit scribens *Compend. Theol. Mor.* tom. II, pag. *504.*

« Haec Extravagans *Ambitiosae* » in multis locis non est usu re» cepta, saltem in toto rigore, ac » praesertim quoad poenas et lo» cationem ultra triennium... Qua» re fieri potest ut sit recepta quoad » obligationem non vero quoad poe» nas; quoad nullitatem alienatio» nis factae sine solemnitate, non » vero quoad privationem beneficii

(1) Pallottini. *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Congr. Conc. Trid.* V. Alienatio.

» et censuram; adeoque attendenda » est locorum consuetudo, illique » standum est. »

Verum quidquid de antiquo iure censendum sit, certum esse putamus, post Constitutionem *Apostolicae Sedis* nullam valere consuetudinem aut exceptionem contra Constitutionem *Ambitiosae*.

Revera 1. Pius Papa IX Constitutionem omnino generalem promulgavit quoslibet in quibuscumque locis degentes obstringentem; at in ea edixit excommunicatione plecti alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico ad formam extravagantis *Ambitiosae*. Ergo uni textui institit, atque latae legi, nil de cetero curans. Si enim consuetudines contrarias admisisset, iam falsum esset et latam a se constitutionem universalem esse, et caput nostrum intelligendum esse ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, cum in Belgio, Gallia, Germania, aliisque locis recepta non fuerit, ideoque pro illis locis lex a se lata non esset intelligenda ad formam praedictae Extravagantis.

2. Ex allegatis decretis patet, Romanas Congregationes consuetudines illas semper improbasse, nullasque habuisse factas alienationes. Supponendus igitur non est legislator consueto iuri derogasse, et de derogatione non monuisse subditos.

3. Idque eo magis tenendum est, quia in nostra Constitutione cum exceptiones permisit, diserte expresserit; ut tit. 1, cap. VII, quo excommunicavit Cogentes.... iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas *praeter canonicas dispositiones:* tit. II, cap. II violentas manus etc., quo dixit: *exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus vel alius absolvat;* tit. IV, concl., qua excommunicat omnes quos Tridentinum excommunicavit: attamen *excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV* etc. Qua igitur de causa hoc in Capite exceptionem non innuit?

4. Cum in praesenti Constitutione alia iura allegavit, illis omnino institit, atque Commentatores omnes piaculum putant ab illis recedere. Exempla sunt *tit. II, art. I, VI, XI, XIII, tit. IV, art. IV.* At in interpretatione eadem regula tenenda est.

5. In relatione Pianae Constitutionis ad ius antiquum nulla datur ab ea recedendi ratio, cum in prologo declaraverit legislator « eas- » dem (censuras) non modo ex ve- » terum canonum auctoritate, qua- » tenus cum hac nostra Constitu- » tione conveniunt, verum ex hac » ipsa Constitutione nostra, non se- » cus ac si primum editae ab ea » fuerint, vim suam prorsus acci- » pere debere. »

Cum igitur Pius Papa IX prohibuerit alienationem et receptionem bonorum ecclesiasticorum absque

beneplacito apostolico ad formam extravagantis *Ambitiosae*, hoc ipso in irritum misisse dicendus est quaslibet contrarias consuetudines, ne secus constitutio a se lata ab illa esset Extravaganti difformis.

6. Idque eo magis quod disertis verbis abrogaverit quaslibet contrarias consuetudines quae Constitutioni a se latae adversarentur: « Irritum atque inane esse ac fore » quidquid super his a quoquam, » quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut » consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter » contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali » et individua mentione dignis, nec » non consuetudinibus quibusvis, » etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. » Abrogasse igitur dicendus est Pius IX consuetudines contrarias Extravaganti *Ambitiosae*, ut Caput a se latum esset illi conforme.

7. Congregationi S. Officii ab quodam Episcopo sequens dubium propositum fuit: III. Tandem excommunicationi subiacere declarantur « alienantes et accipere praesumentes bona ecclesiastica absque » beneplacito apostolico ad formam » Extravagantis *Ambitiosae* de reb. » Eccl. non alienandis. Ex infaustis vero casibus, quibus ab initio huius saeculi bona ecclesiastica affligebantur, aliasque ob » causas subortae sunt, vel praetenduntur consuetudines sacro iuri contrariae, quae nonnumquam » privilegiis sat vetustis firmari videntur. Circa haec sequentia dubia proferre liceat. »

1. An ipsa lex Beneplaciti Apostolici per Constitutionem saepe memoratam, licet haec ad limitandas latae sententiae censuras potissimum spectarit, quasi de novo promulgata est, ita ut sua vi generaliter omnes liget, atque etiam ligaret, si Constitutio illa *Ambitiosae*, quam caeteroquin ratam firmamque declarat, vel alia similis non praecessisset? Et si affirmative.

2. An vi clausulae derogatoriae in fine novae Constitutionis appositae, revocata censeri debeant privilegia antiqua, ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi scilicet absque beneplacito Apostolico etc?

3. An derogatio haec extendi etiam debeat ad consuetudines particulares legi de beneplacito Apostolico latae contrarias quamvis immemorabiles?

Porro S. Congregatio S. S. Inquisitionis, Feria IV, die 22 Decembris 1880 ad proposita dubia respondit.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Quatenus privilegia de quibus agitur generalia sint, affirmative; quatenus sint specialia et personalia negative.

Ad 3. Affirmative.

At consuetudines inductae contra Extravagantem *Ambitiosae* erant generales. Ergo etiam iuxta allatam Supremae Inquisitionis declarationem per Constitutionem *Apostolicae Sedis* abrogatae censendae sunt.

Post haec inutile arbitramur commentatorum sententias referre; quamvis enim pauci contrariam sententiam proposuerint, alii nostram ex animo defendunt. Nonnullas citabimus.

Commentator Patavinus p. 428; « Novae Constitutionis articulus, in» quit, hanc ipsam excommunica» tionem renovat et confirmat; adeo » ut nihil omnino sit antiquae cen» surae addendum aut demendum. » Modo enim alienantes et reci» pientes bona ecclesiastica excom» municatione plectuntur ad for» mam, hoc est, secundum teno» rem Extravagantis *Ambitiosae*, » sicuti expresse enunciat Articulus, » quem modo explicamus. »

Commentator Reatinus *n. 164, Edit. 3.* « Admonendi sumus, Ex» trav. *Ambitiosae* pluribus in locis » nullatenus receptam fuisse, in » aliis ex parte tantum; ubi autem » recepta fuit, non semper ex regu» lis iuris, nec *eamdem* ubique, sed » varias pro locis interpretationis » recepit. At hodie post Constit. *A*» *postolicae Sedis* ubique locorum » quoad alienationem et excommu» nicationem servanda est. Quoad » interpretationem regulariter non » sunt mutandae quae communiter » receptae fuerunt. » Et recte.

Demum scriptores de la Nouvelle Revue Theologique *Tom. XI, p. 488.* « Eiusmodi sententia conformior no» bis Pianae Constitutioni videtur. » Quamvis legitima consuetudo alias » Constitutioni *Ambitiosae* deroga» verit, hanc Pii IX Constitutio in » pristinum reducit. »

Sententia nostra igitur tum intrinseca tum extrinseca auctoritate praestat.

Post haec quae proposuimus Capita perpendamus. Et 1. quaenam actiones huic excommunicationi subiiciantur.

Duae porro sunt: *alienatio* bonorum ecclesiasticorum, eorumque *praesumptuosa acquisitio seu receptio.* Attamen inficias iret ille qui alienationis nomine illos tantum actus intelligeret quibus dominium ab Ecclesia ad alios vere et proprie transfertur, quomodo contingit in venditione et emptione; eiusmodi enim alienatio omnes actus illos comprehendit qui in Extravaganti *Ambitiosae* recensentur. Cum enim Pius Papa IX alienationem bonorum ecclesiasticorum ad formam illius Extravagantis prohibuerit, nullum esse dubium poterit quod omnes actiones prohibuerit quae sub alienationis nomine in ea recensentur.

Neque difficultatem ingerit, quod de unis alienationibus Pius PP. IX locutus sit. Etenim et de his locutus est ad formam Extr. *Ambitiosae;* et haec titulum in antiquo iure praeferebat *de rebus Ecclesiae non alienandis,* quem etiam Pius IX

recensuit. Ergo et Pontifex Pius IX verbo *alienare* eumdem sensum tribuit. At manifestum est in Extravaganti *Ambitiosae* verbum alienare non solum comprendisse alienationes proprie dictas, et omnia pacta per quae bonorum ecclesiasticorum dominium transfertur, sed etiam concessiones ex. gr. ad meliorandum fundum cum pacto de solvenda parte aliqua, tertia, quarta, quinta etc. Loco pio; hypothecas speciales quibus bona aliis obligantur, aliisque iura in illa conferuntur; locationes et conductiones ultra triennium; infeudationes, quae tamen utpote antiquatae nec sunt a nobis nominandae; demum contractus emphyteuticos, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus in emphyteusim dari solitis.

Observamus tamen ex decretis Congregationis Episcoporum et Regularium, sine beneplacito Apostolico neque hos contractus emphyteuticos renovari posse (1).

Haec igitur omnia etiam per Pianam Constitutionem prohibentur.

Hoc tamen in loco discrepant inter se Doctores dum inquirunt: an alienatio bonorum Ecclesiasticorum facta in favorem alius Eccle-

(1) Praestat tamen nonnulla referre quae a cit. S. C. decreto fuere circa concessiones emphyteuticas, quaeque excribimus ex Collectanea Emi Bizzarri in usum Secretariae S. Congreg. EE. RR. *pag.* 267. Ianuen. et Parmen. super Contractibus Alienationis. Lettera della S. Congregazione dei Vescovi sopra le Concessioni enfiteutiche all'Arcivescovo di Genova li 12 Febraro 1597.

Se gli ordina far dichiarazione per decreto particolare nel prossimo Sinodo, ed inculcare in visita, che a nessuno di qualsivoglia stato, o condizione sia lecito locare, investire, o in qualsivoglia altro modo concedere ad altri beni devoluti alle Chiese, se ben soliti concedersi per il passato, se non con le debite formalità, o con quell'aumento e vantaggio d'affitto, canone, e livello maggiore che sia possibile, avuto riguardo allo stato presente, ed a quello che per l'addietro se ne sia cavato, come vuole la ragione: sotto pena della nullità dei contratti; ed altre imposte dai Sacri Canoni e Costituzioni Pontificie, contro quelli che distraono beni di Chiese, o che li acquistino senza le debite solennità. Anzi che potendosi senza far molto strepito, si deve procurare di ricuperare i beni già fatti migliori e devoluti alla chiesa, e poi concessi per l'istesso prezzo di prima, perchè queste convenzioni secondo la Nota sono nulle.

Habetur insuper in Collectanea sequens decretum Congregationis Concilii super bonis Ecclesiarum ad livellum concedendis in Parmen. 7 Octobris 1602.

1. Bona ecclesiastica, quae excedunt valorem annui redditus quinquaginta ducatorum, non possunt dividi, ad hoc ne diminuatur valor et reducantur infra quadraginta ducatos, (Ducatus constat 85 solidis) ut res fiat alienabilis.

2. Non possunt bona ecclesiastica huiusmodi alienari, ipsis Rectoribus Ecclesiarum, nec eorum consanguineis, et affinibus usque ad quemcumque gradum.

3. Sicut non possunt alienari Parochorum et Rectorum domus, ita prohibetur etiam, ne alienentur praedia vicina et contigua ipsis Ecclesiis.

4. Placet etiam, ut reddatur prohibitio locationis omnium locorum piorum ultra triennium anticipata solutione.

siae vel loci pii sub excommunicatione comprehendatur.

Et quidem in re non conveniunt neque antiqui neque recentiores.

Qui porro negativam sententiam amplectebantur rationi innitebantur, quod mens Pauli II in cit. Extrav. *Ambitiosae* fuit impedire quominus bona Ecclesiastica ab Ecclesia ad laicas manus transirent, atque ita ab fine praestituto deciderent; id autem locum non habere in casu nostro, cum bona remaneant Ecclesiae, et in eumdem finem applicentur (1).

Haec autem sententia recentiorum Commentatorum suffragio non destituitur. De Varceno loc. cit. *pag. 502* contendit in eiusmodi alienationibus inter Ecclesias et Ecclesias vel loca pia excommunicationem non incurri ob defectum praesumptionis quam legislator requisivit, cum inter antiquos non pauci et gravis essent auctoritatis Doctores qui sententiam hanc tuerentur; porro praesumptio in eo non supponitur qui actionem ponit cuius liceitas auctoritate gravi munitur (2).

Accedunt alii Commentatores.

(1) Pro eiusmodi sententia etiam Schmalzgrueber citatur ab cl. Scriptoribus *de la Nouvelle Revue Tom. XI, pag. 490, nota 2.* At ni fallimur immerito. Ita enim cit. Auctor scribit *Ius eccles. univ. lib. III tit. XIII, nn. 22, 23.* Quaer. 7: an nomine alienationis hic prohibitae comprehendatur translatio bonorum, vel redditnum unius Ecclesiae particularis ad aliam Ecclesiam.

Resp. P. Engl. *hic n. 16* putat de puncto iuris, et extra Italiam (ubi praxis Curiae Romanae non ita attenditur, nisi et hic consuetudine aliud receptum sit) non improbabilem esse sententiam negativam, hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis vel necessitatis subsit, superioris licentia non requiratur, eoquod finis prohibitionis de non alienandis rebus ecclesiae sit bonum Ecclesiae universalis, non vero Ecclesiarum particularium.

Sed dicendum, etiam in tali translatione, ut licita et valida illa sit, opus esse ut solemnitates iuris in ea interveniant. Sumitur ex *Can. Eccles. 43 Caus. 16 q. 1. etc.* Ratio est quia eiusmodi translatio est verae alienationis species, quae si fiat sine solemnitatibus a iure praescriptis, est interdicta praelatis Ecclesiae.

Potest tamen translatio talis ab Episcopo, vel alio simili praelato, qui iurisdictionem quasi episcopalem habeat, fieri tribus his concurrentibus 1. ut fiat ex iusta causa, qualis est indulgentia alterius Ecclesiae; nam Ecclesiae particulares tanquam membra unius corporis, scilicet, Ecclesiae universalis, subvenire sibi invicem debent. 2. ut prius Rectori et Ministris, item fabricae Ecclesiae, de cuius bonis translatio facienda est, ex eiusdem redditibus provideatur quod necessarium ipsis est; non enim debet discooperiri unum altare, ut cooperiatur alterum. 3. ut interveniat consensus Capituli ..... imo et patroni, si Ecclesia sit patronata.

(2) An contrahat hanc censuram qui sine iuris solemnitatibus, praesertim sine beneplacito Sedis Apostolicae ab una Ecclesia alienat bona, et transfert ad aliam Ecclesiam?

R. Sententia negativa videtur tenenda. Ratio est quia licet illa alienatio sit invalida si fuerit facta absque iusta causa, vel ad poenam rescindi possit si ex

Reatinus *n. 168 edit. 3* verius putat eiusmodi inter Ecclesias distractiones non pertinere ad illas alienationes, quae in Extrav. *Ambitiosae* excommunicatione coercentur (1). Atque idipsum arbitratur claris. Ballerini in notis ad Theol. Moral. P. Gury *pag. 1006, edit. 1878,* ea ductus ratione quod in alienationibus quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam non satis convenit, utrum opus sit beneplacito Apostolico (2).

Attamen alii contrariam sententiam defendunt hisce fulti argumentis. 1. quia lex generalis est, atque prohibet et in irritum mittit alienationem quamlibet sine beneplacito Apostolico peractam; neque dixtinguit inter alienationes quae in favorem laicorum aut privatarum personarum et illas quae fiunt in favorem Ecclesiae aut alius loci pii; ubi vero lex non dixtinguit nec nos dixtinguere debemus. Nedum vero nullus textus legis affertur, quo dixtinctionem admittere cogamur, sed sunt qui eodem iure decernunt alienationes privatis factas personis ac locis piis. Innocentius IV, ut exemplum afferamus, in irritum mittit permutationem inter duas Ecclesias peractam, quia initam sine solemnitatibus per sacros canones praescriptas: « Quia » etiam tractatus solemnis et dili» gens, qui in talibus concessioni» bus perpetuis, et alienationibus » rerum ecclesiasticarum exigitur, » non fuit habitus in eadem: or» dinationem et concessionem ipsam » ... de fratrum nostrorum consilio » decernimus non valere. » Ergo alienationes quaelibet, etiam inter loca pia, eidem iuri subiiciuntur.

2. Quia dum Legislator determinatas solemnitates pro alienatione bonorum ecclesiasticorum praescripsit, impedire voluit quominus Ecclesiae et bonis expoliarentur, et privarentur redditibus necessariis ministrorum sustentationi et divini cultus conservationi. Atqui eiusmodi incommodum contingit sive bona alicuius Ecclesiae in favorem laicorum, sive aliorum locorum piorum alienentur. Finis ergo a legislatore sibi praestitutus etiam in his alienationibus corruit.

Sed 3. adsunt interpretationes authenticae. S. Congregatio Concilii de re interrogata die 24 Ianuarii anni 1632 (3) sententiam eius-

justa causa, non est tamen plectenda hac censura, cum non sit facta ex aliqua temeritate; casus enim est omnino dubius, quia ex utraque parte adsunt auctores magni momenti.

(1) Ad eas distractiones verius non pertinet (alienatio haec) quae fiunt inter ipsas Ecclesias et loca pia.

(2) Ceterum cum excommunicatio non contrahatur nisi alienatio fiat sine beneplacito Sedis Apostolicae; proinde cum alienationibus, quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam, non satis conveniat, utrum opus sit huiusmodi beneplacito, non constat, in his excommunicationi locum esse.

(3) A Ferraris V. *Alienatio*, eiusmodi decretum citat. sub anno 1732.

modi pronunciavit: « Sacra Con» gregatio Concilii, dubio propo» sito mature discusso, censuit per» mutationem inter duas Ecclesias » absque solemnitatibus factam, ef» fectuatam minime sustineri, et » rectores ipsarum Ecclesiarum in» cidisse in poenas Cap. X, ses» sion. XXII *de Reformatione*, et » Extravagantis *Ambitiosae*. » At si id de permutationibus praescriptum fuit, pro quibus canones extabant qui eas permittere videbantur (1) multo magis de alienationibus proprie dictis iuste decretum intelligitur.

Accedit quod cum ad S. Congregationem Concilii delata fuisset quaedam permutatio inter Monasteria eiusdem Ordinis conciliata, et utrique Monasterio utilis, et dubium propositum fuisset: « An alienatio» nes de quibus in praenarrato » decreto (2) agitur, quatenus in-

(1) Cap. *Non licet*. 1, *De rebus Ecclesiae alienandis vel non*. « Non licet » Episcopo vel Abbati terram unius Ecclesiae vertere ad aliam, quamvis ambae » in eius sint potestate: tamen si commutare voluerit terras eorum, cum consensu » ambarum partium faciat. » Et Cap. *Ad quaestiones*. 6, de *rerum permutatione*: « *Respondemus* quod cum de dictis parroccialibus Ecclesiis per se queat » commutatio celebrari, et in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, » si altera ratione possessionum alteri praeponderet, pecuniam posse refundi de ipsa» rum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certae pe» cuniae quantitate poterit contractus permutationis iniri, sic tamen quod illi con» tractus nequaquam sibi invicem misceantur.

(2) Ne lectores lateat decretum pro Regularibus latum a S. Congreg. Concilii die 7 Septembris 1624 illud ex Lucio Ferraris loc. lic. n. 30 excribimus: « Sacra » Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, rerum experimento » edocta quantum religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium et prae» tiosorum mobilium detractionibus quas crebro faciunt regulares apostolicis pri» vilegiis innixi, ac proinde operae pretium putans illorum facultatem aliqua ra» tione compescere, speciali sanctissimi Domini nostri iussu generalibus et provin» cialibus capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, generalibus, et quibuscumque » aliis Superioribus regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Insti» tuti, intra fines Europae existentibus, omnium rerum et bonorum immobilium, » ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipsorum do» minium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem et » conductionem ultra triennium, cessionem in phendum vel emphyteusim, praeter» quam in casibus a iure permissis fieri perpetuo prohibet atque interdicit absque » illius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis et gratis concedenda, » sub poena privationis omnium officiorum quae tunc obtinebunt, vocisque activae » et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso » facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali et Protectori » illam moderandi ac relaxandi facultate, poenis nihilominus Apostolicarum Con» stitutionum, et praesertim felic. record. Pauli II, quae incipit *Ambitiosae*, in » suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes » conductiones et concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem facien

» ter Monasteria eiusdem Ordinis, » et quidem cum utriusque contrahentis Monasterii utilitate fiant, » ita prohibitae atque interdictae » censeantur, ut absque S. Congregationis Concilii licentia perfici » non possint?

» S. Congregatio respondit: *ita* » *esse prohibitas.* Et die 3 Martii » eiusdem anni, facta relatione » Sanctissimo, Sanctitas Sua Con» gregationis sententiam probavit.» Apud Ferraris v. *Alienatio n. 32.*

Et ne in re nimii simus, ex variis decretis quae ab Lucio Ferraris in loc. cit. afferuntur, et ab Card. Petra ad Const. V. Pauli II seu *Ambitiosae* omnino patere arbitramur, Romanas Congregationes in quibuslibet alienationibus, etiam inter ecclesias, requisivisse beneplacitum Apostolicum sub poenis in cit. Const. statutis; cum vero Romanae Congregationes iuris Pontificii sint legitimae interpretes, non videmus quo argumento defendi possit, alienationes bonorum Ecclesiasticorum in favorem alterius Ecclesiae factas praesenti excommunicatione eximi.

Non negamus equidem in Extravagantis *Ambitiosae* prologo affirmari alienationes eiusmodi prohiberi ne bona ecclesiastica in profanos usus applicentur, ideoque de alienationibus agi videtur in laicorum favorem peragendis; attamen cum pluries Romanae Congregationes, vidente et probante Romano Pontifice, decreverint comminatas poenas extendi debere etiam in alienationes factas inter loca pia, arbitrari debemus Principem et ad has legem extendisse, et omnino voluisse ut pro quibuslibet alienationibus beneplacitum Apostolicum referatur.

Id vero probabili admodum de causa: ne finis scilicet singulis Ecclesiis praestitutus, seu divini cultus conservatio, et sustentatio ministrorum labefactaretur, ut supra observavimus. Quin et illud addimus, quod quamvis occasione alienationum in favorem laicorum

» das, Sanctitatis suae auctoritate, ipso iure nullas, atque irritas decrevit, non » obstantibus etc. Datum Romae die 7 Sept. 1624. »

Attamen cum Regulares aliis modis latum decretum eluderent, S. Congregatio die 21 Martii 1625, sequenti decreto quamlibet compescuit violationem: « Cum » post editum decretum de rebus regularium non alienandis compertum sit, regu» lares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum mo» nasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo » accipere cum solutione lucri cessantis et damni emergentis; eumque ex huius» modi contractu eludatur mens S. Congregationis, cui in primis in votis fuit con» sulere religionum indemnitati quae ex impositione censuum huiusmodi plurimum » laeduntur, S. D. N. approbante, dictavit et declaravit huiusmodi contractum » esse contra mentem decreti ut supra editi; ideoque non licere regularibus pecu» nias, ut proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti poenas ipso facto » incidere Datum etc. »

Constitutio *Ambitiosae* lata fuerit, tamen deinceps quaslibet alienationes Pontifex prohibuerit, ut singularum Ecclesiarum bono et indemnitati consuleret; alienationes enim quas §. 1. prohibet nedum cum laicis sed etiam cum aliis locis piis sanciebantur.

Quibus etiam difficultati satisfactum censemus, quae afferri posset, declarationes scilicet Congregationum Romanarum non esse admittendas nisi sint legi latae conformes: Etenim difformes probari non possunt ea de causa quia §. 1. Extrav. *Ambitiosae* Paulus II generice prorsus loquitur de quibuslibet alienantibus et recipientibus; atque etiam dato et non concesso quod difformes sint, supponenda est voluntas principis legem latam ad alienationes etiam inter Ecclesias extendentis, cum sin minus non perciperetur quomodo, Romanis Pontificibus probantibus, pluries Romanae Congregationes id declarare potuerint.

Neque negamus antiquos inter aliquos fuisse qui contrariam sententiam tenerent; attamen certum est extitisse multo plures qui nostram defenderent; horum autem sententiae suffragium ferre Romanarum Congregationum decreta explicita et peremptoria, utpote quae communita Romanorum Pontificum auctoritate fuerint, immo Innocentii IV decretum quod supra retulimus.

Sed neque adeo certum videtur in eiusmodi alienationibus praesumptionem deesse. Quomodo enim praesumptio in eo deesse poterit qui posthabitis Romanarum Congregationum decretis, quibus diserte asseritur comminatio poenarum in Extravaganti *Ambitiosae* comminatarum, eiusmodi alienationes agit? Nonne enim hic sciens volensque ecclesiastica decreta aspernatur? Quanti vero putanda est nonnullorum privatorum doctorum sententia contra sententiam apertam Romanarum Congregationum quae destinatae sunt ad interpretandum ius Pontificium; quaeque non semel aut bis, sed pluries eamdem sententiam in re protulerunt? (1).

Quod vero nonnulli Constitutionis *Apostolicae Sedis* Commentatores sententiam illam propugnaverint causa esse non potest ut illis omnino adhaereamus; adsunt enim rationes demonstrativae quibus ab ea recedere compellimur.

Relate ad pecuniae alienationem quamvis cl. Commentator Reatinus eam excommunicatione eximat, quia *eius usus in abusu, seu*

(1) Cf. Pallottini, *Decreta authentica S. C. Concilii*, § III, n. 72, 73, 80 et 81; 94 et 95, 279-295: 331-333: 542-544. Insuper Thesaurus resolutionum S. C. Concilii Tom. 75, pag. 30, et tom. 86, pag. 275 quibus in locis plurimae declarationes afferuntur, in quibus S. Congregatio Concilii asserit in eiusmodi alienationibus incurri poenas in Extrav. *Ambitiosae* comminatas.

in absumtione, est; alii tamen verius dixtinguunt inter pecunias quae ex bonis Ecclesiae, vel eleemosynis percipiuntur, atque illas quae vel Ecclesiae donantur eo pacto ut per eas stabilia quaedam comparentur, vel habentur ex fundo aliquo Ecclesiae devendito; primi enim generis pecuniae distractione nulla certe excommunicatio incurritur, cum ad ea bona pertineat quae *servando servari non possunt;* pecuniae enim quae vel mutuo non dantur, vel negotio non exponuntur nullum fructum producunt; at negotiatio clericis est prohibita. Alius at generis pecuniae distractio excommunicatione non eximetur, repraesentat enim fundum in cuius acquisitionem impendi debet; ideoque servari potest et debet atque destinatione necessaria frugifera est. Idipsum vero dicendum de pecunia ex venditione fundi ecclesiastici percepta. Numquam enim S. Sedes alienationem fundi Ecclesiastici permittit nisi expressa conditione ut pecunia alias et utiliter investiatur. Cum insuper sine facultatibus Apostolicis fundus alienari non potuerit, si pecunia percepta ex S. Sedis consensu alter impendatur, ex. gr. ad solvendum aes alienum, hoc ipso quaelibet excommunicatio et poena excluditur (1).

Haec de cetero Doctorum sententia est, quorum ne ingentem citemus numerum, utimur tantum auctoritate praestantissimorum Schmalzgrueber et Reiffenstuel. Primus itaque *Ius Eccl. univ. lib. III. Titul. XIII, n. 51.* scribit. « Di» stinguendum est inter pecunias, » quae ex fructibus venditis, loca-

(1) Nonnulli Doctores, ut Mayr, Angelus Clavassio, Barbosa. De Angelis *Praelectiones iuris Canonici* lib. III, tit. XIII, 1. Affirmant excommunicationem huius Capitis etiam contrahi ob distractionem ingentis pecuniae in thesauro Ecclesiae reconditae atque ad urgentes necessitates repellendas destinatae: Mayr *Trismegistus iuris Pontificii lib. III, tit. XIII,* n. 31 ita ratiocinia ducit: « Limi» tatio est quando pecuniae alienantur in magna quantitate; sic enim merito ha» bentur pro mobilibus pretiosis et cessat ratio, ob quam diximus eas sine solemni» tatibus posse alienari, nempe quod spectant ad quotidianum usum, et servando » servari non possint; cum potius tum censeantur esse in thesauro, et a diligen» tioribus Patribus familias ad futuras necessitates, vel ad conservandum seu » augendum Ecclesiae patrimonium soleant asservari. »

At huic sententiae alii doctores contradicunt, alios inter Passerini. *De hominum statibus ac officiis quaest 185. art. VII, n. 442,* et Schmier *Iurisprudentia Canonico-civilis lib. III, Tract. 1, part. II, Cap. IV, n. 41;* nec immerito, ut nobis videtur; non constat enim an Paulus II sub nomine mobilium pretiosorum eiusmodi pecuniam comprehenderit; nec necessaria ad divini cultus conservationem, et ministrorum sustentationem demonstratur, quem finem Paulus II in interdicendis alienationibus bonorum ecclesiasticorum sibi praestituerat: pecuniam vero illam conservare vel expendere ad Ecclesiarum administratores vel Rectores pertinet, seu illos qui domini censentur vel sunt. Hos igitur alienantes de excommunicatione damnare non audemus.

» tionum mercedibus, aliisque red-
» ditibus percipiuntur; et inter eas
» quae donatae, a testatore relictae,
» aut ex venditione rei immobilis,
» vel mobilis pretiosae redactae in
» eum finem sunt, ut alia res im-
» mobilis, vel mobilis pretiosa com-
» paretur; nam primo casu libere
» et absque solemnitate expendi
» possunt, quod probat ratio allata
» in contrarium; in secundo, ut
» expendi in alium finem possint,
» canonica solemnitate est opus;
» quia ratione destinationis cense-
» tur inter immobilia, aut mobilia
» pretiosa, quae eidem subrogari
» debent. » Atque pro sua sen-
tentia citat decem saltem doctores.

Reiffenstuel vero *Ius Can. Univ. lib. III. tit. XIII* n. 15; « Pecu-
» niam, inquit, etiam regulariter
» potest Praelatus sine solemnitate
» expendere, quia est res mobilis,
» atqua reposita in cista nullum
» fructum affert... Dummodo hinc
» excipiatur casus, quo certa sum-
» ma pecuniae specialiter deputata
» est ad emenda bona immobilia,
» vel Ecclesiam aedificandam, aut
» pro gravissimis futuris necessita-
» tibus reservata. » Pecunia hinc huiusmodi tantum in usum ad quem destinata fuit sine beneplacito Apostolico potest expendi, alias minime.

Verum Commentatores hoc in loco etiam inquirunt: an incurratur excommunicatio ob alienationem bonorum ecclesiasticorum, quae nullum detrimentum Ecclesiae intulit, quaeque peracta fuit necessitatis, utilitatis, vel pietatis causa.

Discrepant autem in sententia. Clarissimi Commentatores Reatinus, Ballerini, et De Varceno negative rem definiunt eo quod alienatio eiusmodi valet in foro conscientiae, quamvis per sententiam iudicis possit penitus rescindi: Eis tamen contradicunt scriptores de *la Nouvelle Revue Theologique* qui affirmant, sententiam illam opponi tum legi, tum spiritui legis, tum Romanarum Congregationum decretis.

Et 1. verbis legis. Etenim Paulus II excommunicatione eos omnes percellit qui alienaverint vel receperint bona ecclesiastica *inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis Constitutionis tenorem.* Ad incurrendam igitur excommunicationem unum necessarium est, alienare scilicet bona Ecclesiastica sine Romanae Sedis beneplacito; in tenore autem latae Constitutionis nullo modo deprehenditur, Rom. Pontificem excepisse alienationes factas causa necessitatis, utilitatis aut pietatis. Sed neque id in Piano capite deprehenditur, quo pariter excommunicantur alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica *absque beneplacito Apostolico,* nulla facta exceptione, aut distinctione.

Sed 2. motivo latae legis opponitur. Ideo enim Romani Pontifices nullas alienationes sine S. Sedis consensu factas declararunt, quia sibi reservarunt facultatem expen-

dendi motiva et causas alienationum perficiendarum; viderant enim quod saepe variarum causarum intuitu et praetextu bona ecclesiastica alienabantur cum maximo sacri cultus et ministrorum detrimento. Sed eiusmodi motivum alienationes quaslibet comprehendit, cum indicet examen antecedens causarum alienationis.

Inane vero esse quod proferunt contrariae sententiae patroni, lege scilicet fraudes praecaveri, quae in casu nostro locum non habent, cum Ecclesia alienationis causa nullum reapse detrimentum patiatur; hoc enim etiam dato et concesso, lex vim suam servat. Ut enim ratiocinatur S. Alphonsus *Theol. mor. lib. 1. n. 100,* « in his et similibus casibus distinguenda est praesumptio iuris, qua lex quaerit avertere pericula, quae facile evenire solent, et tunc lex locum habet etiam in casibus qui fraude carent, a praesumptione facti, quod si deest, lex merito cessat. »

3. Quid! quod plurima sint Romanarum Congregationum decreta, quae hanc sententiam perbelle confirmant?

Apud Trombetta *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos, cap. V, n. 2,* habetur Epistola S. Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 26 Ianuarii 1764, qua Episcopo Ferrariensi committit examinare an contractus initus ab Abbate Sabatini utilis esset Ecclesiae, simulque hunc monere ut absolutionem a censuris referat, et dispensationem ab irregularitate. Atqui id actum fuit antequam dignosceretur an initus contractus esset, nec ne, perniciosus Ecclesiae; et absolute indicitur Abbati ut absolutionem petat ab censuris incursis; ergo contractus utilitas eum excommunicatione non eximebat. Sin minus Episcopo committendum erat ut absolutionem a censuris Abbati suggereret, quoties comperiisset contractum perniciosum Ecclesiae fuisse.

Pariter die 11 Ianuarii an. 1692 eadem Congregatio idem decretum tulit, quod ita legimus: « Sacra » Congregatio etc., referente Eminentissimo Carafa, censuit ab Archiepiscopo S. Severinae absolvendum esse P. D. Matthaeum a censuris, remissis caeteris poenis; et quatenus compererit, contractus fuisse et esse utiles Ecclesiae, illos confirmandos esse; sin minus revocandos. »

Ergo Congregationis illius Patres putarunt, P. Matthaeum censuris perculsum fuisse, quamvis contractus iniisset utiles Ecclesiae.

Neque diversa sensit S. Congregatio Concilii. Et ne plura congeramus; huius saeculi initio Capellanus quidam ut servaret beneficii sui reliquias, cum haeredibus fundatoris transactionem inierat Ecclesiae, Episcopi iudicio, valde utilem; attamen tum Capellanus, tum haeredes praetermiserant invocare beneplacitum Apostolicum. Hinc de re

certiores facti ad Sanctam Sedem sese converterunt, atque causa proposita coram Patribus S. Congregationis die 24 Novembris 1821 sequentia dubia discussa et resoluta fuerunt :

1um. An sit locus sanationi transactionis et concessioni Beneplaciti Apostolici in casu?

2um. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu?

R. Ad 1^m^ affirmative in omnibus, et Eminentissimus Episcopus curet ut a Clara Camona consignentur tot bona stabilia vel census, quot aequent summas ab eadem Clara debitas, nec non curet inscriptionem bonorum in publicis tabulis nomine Capellaniae.

Ad 2^m^ affirmative, imposita aliqua salutari poenitentia (1).

At ex primo quaesito patet, a S. Congregatione Concilii initam transactionem sanatam fuisse, non aliam indictam; eam ergo utilem, secundum Episcopi iudicium, recognoverat; attamen in secundo quaesito affirmant Patres censuras incursas fuisse; ergo censurae incursae fuerunt etiam ob contractum utilem Ecclesiae; demum patet, contractum illum quamvis Ecclesiae utilem, fuisse nullum ob defectum beneplaciti apostolici; ex quo intelligimus non utilitatis ratione validos reddi eiusmodi contractus, sed unico beneplacito Apostolico.

Quod de cetero disertissime asseritur ab cit. Congregationis Patribus dum die 21 Aprilis 1792 affirmarunt, ad sese pertinere veritatem inquirere utilitatis aut necessitatis quarum causa contractus ineundus sit: « An et quomodo sit locus venditioni domorum haereditatis Comitissae Ferretti in casu?

R. Negative, nisi in casu evidentis utilitatis et necessitatis verificandae coram Sacra Congregatione » (2).

3. Plurimorum vero Doctorum iudicio eiusmodi sententia confirmatur. Doctores enim manifeste docent, tunc tantum excommunicatione in huiusmodi contractibus quemquam eximi, cum et iusta intercedit causa, et Beneplacitum Apostolicum intervenit; qua in re ne nimii simus praeclarissimum Vecchiotti citabimus qui *Institutiones Canonicae Vol. II*, §. *44* ita communem sententiam declarat: « Praeter causam et solemnitates iam » expositas, adhuc etiam ex celebri » Constitutione Pauli II in Extra» vaganti *Ambitiosae, De rebus ec*» *clesiasticis non alienandis*, an» no 1468, et ex Decreto Urba» ni VIII 7 Septembris 1624, in » quavis alienatione rerum ad Ec» clesias, vel loca pia *stricte talia*,

(1) Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii Tom. 81, pag. 9. 279, et 315.

(2) Cf. praeclarissimas Ephemerides Nouvelle Revue Théologique Tom. XI, pag. 502, nota 1. quo plurima in re citantur S. Congregationis Concilii decreta.

» seu *religiosa*, non vero *mere laicalia* pertinentium, requiritur » consensus sedis Apostolicae, seu » Beneplacitum Apostolicum, sine » quo alienatio tum illicita est, » tum etiam invalida, et contrahentes gravissimas poenas subeunt in citata *Apostolicae Sedis* » Constitutione inflictas.» Atqui ante cl. Vecchiotti hanc eandem sententiam tradiderant Giraldi *Expositio iuris Pontificii, sect. 444, pag. 286;* Mayr *Trismegistus iuris pontificii lib. 3, tit. 13, n. 102.* Matteucci *Officialis Curiae ecclesiasticae cap. 45, numm. 4, 5,* Leurenius *Forum Ecclesiasticum, lib. 3, quaest. 196,* Maschat *Institutiones Iuris Canonici lib. 3, tit. 13, n. 25.* Del Bene *De immunitate et iurisdictione ecclesiastica Cap. XVII, dub. 21, Sect. II, n. 1.* Bonacina *Tractatus de alienatione bonorum ecclesiasticorum, punct. IV, n. 14.*, Card. Petra Const. V, Pauli II, *Sect. IV, n. 37,* Bordoni. *Variae resolutiones regulares, part. 1, resol. XXVII, n. 33,* et alii. At sententia quae tantorum Doctorum auctoritate communitur potest ne in dubium revocari?

Difficile autem non est allatas ab adversariis rationes refutare. Quod enim affirmant, ideo in eiusmodi alienationibus peractis pietatis, necessitatis, aut utilitatis causa excommunicationem non incurri, quia valent in foro conscientiae, et id dicunt quod rem non tangit, et in dubium merito revocari potest. Non enim Romani Pontifices eiusmodi contractus aut nullos aut validos declarare voluerunt, sed ideo sine Beneplacito Apostolico perficiendos non esse praeceperunt, quia ipsi iudicare volebant et volunt de causarum allegatarum veritate; atque exinde factum est, ut ex allegatis superius decretis patet, quod contractus etiam Ecclesiae utiles nullos, ideoque sanandos decreverint. Valor ergo vel nullitas contractus non est ratio inductae vel inducendae excommunicationis, et ejusmodi ratio nullo pacto contrariae sententiae fert suppetias, quin imo illam subvertit, ut patet; agitur enim de excommunicatione, quae iuxta allegata decreta incurritur, quamvis contractus initus sit utilis et consequenter, iuxta citatos scriptores, validus in foro conscientiae.

Attamen hoc etiam merito in dubium revocatur. 1. Quia quamvis nonnulli sint, iique magni nominis doctores qui illam defendant sententiam, ut ex. gr. Schmalzgrueber *Ius. Eccl. univ. lib. 3, P. 1, Tit. 13, n. 132, 33, 34* et Reiffenstuel *Ius Can. univ. lib. III Decret. Tit. XIII, n. 53,* atque alii; plurimi tamen, neque inferioris actoritatis, ut Suarez, Sanchez, Schmier, Cardinalis de Luca, et Cardinalis Petra. S. Alphonsus *Theolog. mor. lib. V n. 187 nota V;* atque inter recentissimos *De Angelis Praelectiones iuris canonici lib. III, tit. XIII,* 5° ut alios plurimos praetermittamus, contrariam defendunt,

eiusmodi scilicet alienationes neque in foro conscientiae valere.

2. Lex Pauli II iusta censeri debet, et est; at nemo negaverit, legem iustam in foro interno obligare quando Legislator non monet, eam in foro externo tantummodo vim habere. At Paulus II eiusmodi monitionem omnimodis praetermittit.

3. Paulus II in cit. Extravaganti de eiusmodi contractibus absolute pronuntiat: *Nullius omnino sint roboris vel momenti.* Atqui si in foro conscientiae valerent, alicuius essent et roboris et momenti.

4. Paulus II antecessorum sanctiones in re confirmat. At Gregorius X. Cap. *Hoc consultissimo, 2, De rebus ecclesiae non alienandis in 6.* decreverat: « Contractus » autem omnes, etiam iuramenti, » poenae, vel alterius cuiuslibet » firmitatis adiectione vallatos, » quos de talibus alienationibus si- » ne huiusmodi licentia et consen- » su (Sanctae Sedis) contigerit ce- » lebrari, et quicquid ex eis secu- » tum fuerit, decernimus adeo vi- » ribus omnino carere, ut nec ius » aliquod tribuant, nec praescri- » bendi etiam causam parent. »

At si alienationes huiusmodi in foro conscientiae valerent, ius aliquod profecto tribuerent. Etenim bona alienata retineri ab emptore possent donec alienationis nullitas declarata fuerit.

4. Pontificius consensus, seu *Beneplacitum Apostolicum* non exigitur in casu tamquam quid accidentale vel extrinsecum, sed tanquam causa efficiens contractus, cum Dominus et administrator principalis bonorum ecclesiasticorum sit, pro sua in universam Ecclesiam iurisdictione, Romanus Pontifex, atque neque in foro externo neque in interno foro validus contractus detur, nisi in alienatione rei accedat domini consensus. At in casu Romani Pontificis consensus non accedit, quin imo eius voluntas seponitur; deest ergo in alienationibus huiusmodi domini voluntas; nullimode ergo eiusmodi alienationes validae esse possunt.

Neque quis nobis obiiciat, dominium bonorum ecclesiasticorum esse penes ecclesias vel loca pia ad quae pertinent; respondemus enim, dominium eiusmodi subordinatum esse Supremi Pastoris auctoritati, ideoque non esse absolutum dominium, iisque conditionibus praeditum quibus dominium proprie dictum praeditum est, et esse debet.(1)

Hinc Cardinalis Petra *ad Const. Apost. Tom. 1 pag. 88, n. 64:* « Dictum beneplacitum est requi- » situm pro forma essentiali; ac » propter supremum dominium, » seu dispositionem universalem, » optimo iure potuit Papa illud sibi » reservare; cum Episcopi huius- » modi administrationem habeant

(1) Cf. praeclarissimas Ephemerides vulgo *Nouvelle Revue Théologique Tom. XI, pag. 598 seqq.*

» in suis Ecclesiis per iurisdictio-
» nem eis concessam per Summum
» Pontificem, et ab eo dependen-
» tem. »

At eiusmodi alienatio valida sit in foro conscientiae, eo quod, ut inquit Schmalzgrueber *loc. cit. tit. XIII, n. 133*, est valida iure naturali, cum habeat omnia substantialia, quae de hoc iure requiruntur ad valorem, videlicet mutuum consensum contrahentium, et iustam alienandi causam; quid inde? Profecto pro eo foro inducta est excommunicatio pro quo inducta fuit nullitas alienationis ob defectum beneplaciti apostolici; atqui haec inducta fuit in foro externo, ut contendunt adversarii; ergo quamvis in foro interno valeret contractus, in foro tamen externo excommunicatio incurritur ob praetermissas solemnitates. Valor hinc alienationis in foro conscientiae non eximit alienantes excommunicatione illata.

Attamen cum in qualibet lege epicheia admittenda sit, si talis casus contingat, qui ob temporis angustias, recursum ad S. Sedem impediat; ut si unus e contrahentibus sit morti proximus, atque de cetero necessarius sit contractus ad quaestiones vitandas, ad bonum Ecclesiae procurandum etc. putaremus, contractum eiusmodi perfici sine excommunicatione posse cum supponendus non sit R. Pontifex in casu beneplacitum apostolicum denegare, quod de cetero ea de causa non petitur, quia ob ingruentes circumstantias peti non potest. Non una hinc pietatis aut utilitatis causa ab excommunicatione excusaret in casu, sed necessitas cum pietate et utilitate coniuncta.

Quid vero dicendum si qui contractum ineant sub clausula de beneplacito Apostolico obtinendo? Et quidem Bonacina *Tractatus de alienatione bonorum ecclesiasticorum punct. IV, n.* 5. absolute affirmat, tum culpam committi tum poenam incurri. « Rogabis, scribit, utrum a-
» lienantes ante consensum superio-
» ris dicendo, *salvo superioris as-*
» *sensu*, excusentur a culpa et poena?
» Respondeo negative: tum quia
» protestatio est contraria facto;
» tum quia assensus superioris de-
» bet praecedere contractum; nam
» quando aliquid pertinet ad for-

(1) Bonacina sibi etiam difficultatem proponit et solvit: « Obiicies: factum
» tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum est, saltem pro tem-
» pore habili.... Ergo contractus alienationis bonorum Ecclesiae factus sub hac
» forma, *salvo Summi Pontificis assensu*, videtur validus, quia refertur ad tem-
» pus habile, in quo fuerit obtentus Summi Pontificis assensus.

» Respondeo factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum
» esse nisi irritetur; in hoc autem casu alienatio facta ante consensum Summi
» Pontificis requiritur tanquam forma ad validam alienationem; secus dicendum
» est de tractatu alienationis faciendae si Papa consenserit; hic enim non est
» alienatio. »

» mam actus debet ipsum actum » praecedere iuxta communiorem » sententiam » etc. (1)

At alii distinguunt; et excommunicationi alienantem subiiciunt si conditio apposita fuerit *resolutiva;* quippe res illico transit in acquirentem; eximunt si fuerit *suspensiva*; etenim quamdiu conditio in pendenti est, dominium a venditore non discedit; at quod in dominio venditoris est, illius est, nec alienatum dici potest. Quam sententiam et Reatinus Commentator *pag. 100 not. 51* et Gabriel De Varceno *Theol. mor. Tom. II pag. 502 503*, atque Ballerini defendunt.

Alii demum contendunt, etiam sub conditione suspensiva alienantes excommunicationem incurrere aliasque poenas a Paulo II comminatas si executioni contractum demandaverint. Hanc vero sententiam, defendit Pignatelli *Consult. Canon. Tom. VI Consult. 95, n. 29,* quo loco scribit: « Id tamen intelligendum est, dummodo non sequatur absoluta traditio, neque in » contractu adsit clausula *Constituti.* Siquidem haec clausula absque » etiam traditione habet vim transferendi possessionem... Hoc enim » pacto contractus haberet executionem absque beneplacito apostolico, et observatio illius esset » elusoria. »

Eiusdem autem sententiae est Monacelli *Formularium legale practicum part. II, tit. XIV, form. IV, n. 2* (1), ut alios praetermittamus. Advertimus insuper, Romanas Congregationes hoc in sensu non semel sententiam tulisse, de qua re luculentissimum exemplum habemus apud Trombetta *Praxeos etc. cap. V n. 2,* quo adducit sequentem Sacrae Congregationis Concilii Epistolam anni 1795: « Admoneat dominatio vestra reos, ut » conscientiae suae provideant quoad contractus nullitatem, non obstante asserta beneplaciti apostolici reservatione, quae a poenis » in Extravagante *Ambitiosae* statutis non eximit, quando ante » impetratum beneplacitum executioni mandatus est contractus ».

Ut igitur postremae duae sententiae inter se concilientur; nulla profecto excommunicatio incurritur in casu, si et contractus initus fuit sub reservatione beneplaciti apostolici et per traditionem executioni demandatus non fuit; si vero executioni demandatus fuit, excommunicatio incurritur, eo quod apposita conditio illusoria videtur, cum reapse alienatio perfecta deprehendatur.

(1) « Beneplacitum potest praecedere et etiam subsequi contractum alienationis, dummodo non tradatur possessio. Si enim ante impetratum beneplacitum » traderetur emptori possessio, alienans poenas Paulinae Constitutionis non evaderet, etiamsi possessio esset data cum clausula reservationis beneplaciti, seu » cum conditione *salvo beneplacito apostolico, nec alias aliter, nec alio modo* » nisi forte bona fides, aut ignorantia probabilis illum excusaret etc. »

Neque quis obiiciat, etiam post rei traditionem contractum nullum esse, cum Apostolica sanctione sit interdictus, ideoque rei dominium penes dominum remanere; etenim Paulus II, et antea Gregorius X, eiusmodi contractus nullos futuros decrevit, attamen contrahentes excommunicationem incurrere edixit.

Praeter haec contingere etiam potest, ut bonorum ecclesiasticorum domini, curatores vel administratores, non quidem bona ecclesiastica distrahant, repudient sed vero aut donationem, aut legatum pium quod Ecclesiae vel monasterio devoti quilibet assignent. Num ne hi inter illos alienantes bona Ecclesiae sunt recensendi, qui a Paulo II excommunicatione mulctantur?

Porro ab initio declarandum esse ducimus quaestionis statum: Etenim vel agitur de simplici repudio donationis vel legati, quod scilicet nondum acceptatum fuit ab Ecclesiae procuratore, aut ab eo ad quem acceptatio competit, vel de donatione et legato quod iam acceptatum fuit.

Si primum, Doctores antiquos inter Schmalzgrueber *Ius Eccl. pars. I Tit. XIII, n. 15,* negative rem definit 1. quidem quia talis repudiatio haereditatis, vel legati non est proprie alienatio rei Ecclesiae, sed potius non acquisitio. 2. Ex *lege quod autem* 6. etc. ubi repudiatio haereditatis, vel legati non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. 3. Ex leg. *Alienationis 28 princ. ff. de V. S.* ubi Paulus Iurisconsultus *qui occasione,* inquit, *acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui haereditatem omittit, aut actionem intra certum tempus datam non amplectitur.* 4. Quia praelato permissa et valida esse censetur quaecumque dispositio circa res Ecclesiae vel Monasterii sibi commissi, quae iure prohibita aut irrita non reperitur; atqui haereditatis, vel legati repudiationem ipsi interdictam, vel saltem irritam esse non est iure expressum; ergo permissa, aut saltem valida, et a poenis quae in male alienantes latae sunt, immunis erit. 5. Quia actus et dispositiones quaecumque in dubio validae censeri debent, ideoque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas; at propositae renuntiationis valor et nullitas maxime dubia sunt; ergo pro valida haberi debet. Atque *n. 18* argumenta contraria praeclare diluit. (1)

Pro eiusmodi vero sententia cl. Canonista citat sexdecim auctores

(1) Neque obstant, inquit, argumenta contraria. Ad 1. aliud est nocere, aliud non prodesse, non acceptando haereditatem vel legatum. Praelatus non nocet positive, sed tantum non prodest. Igitur valide saltem illi renuntiat. Ad 2. dum dicitur prohibitam esse alienationem etiam improprie dictam, intelligendum est de alienatione iuris iam quaesiti, et quando agitur de Ecclesia depauperanda; secus si agatur de mera non acquisitione, et illa non locupletanda. Ad 3. licet praelatus

praestantissimos, quos inter Reiffenstuel, qui *lib. III Decr. Tit. X. De his quae fiunt a Praelatis n. 38 et seq.* strenue illam propugnat, aliosque citat Doctores.

His autem addimus; ex extravaganti *Ambitiosae* satis manifeste apparere, Paulum II loqui de bonis ab Ecclesiis possessis, de iis scilicet, in quibus habet ius in re, non vero ius ad rem; loquitur enim de iis bonis immobilibus et pretiosis mobilibus Deo dicatis, ex quibus Ecclesiae, monasteria, et pia loca reguntur, illustrantur, et eorum ministri sibi alimoniam vindicant. At haec utique vera sunt et dici stricto sensu possunt de bonis, in quae Ecclesia habet ius in re, non vero de iis in quae habet ius ad rem, cui propterea competit actio non in rem ipsam, sed in personam impedientem acquisitionem rei. Ex eiusmodi enim bonis Ecclesia actu nihil percipit, aut percipere potest.

Hinc ipse praestantissimus Schmalzgrueber *loc. cit. n. 17* illa excipit Ecclesiarum iura in bona Ecclesiastica quae sunt in re. « Quod » solum intelligi debeat de repu» diatione simplici, non autem de » cessione aut permutatione in fa» vorem et commodum alterius; » ratio est, quia per talem cessio» nem, hoc ipso haereditas prius » deberet censeri adita, vel lega» tum agnitum, et sic censeretur » alienatio rei iam acquisitae. »

Idipsum vero censet cl. Ferraris qui verbo *Alienatio n. 5* scribit. « Sic etiam nomine immobi» lium veniunt iura et actiones ad » immobilia; colligitur ex cap. 2 » de rebus Ecclesiae non alienan» dis in 6 ubi iura et actiones ad » immobilia aequiparantur immo» bilibus: *Bona immobilia aut iura* » *Ecclesiarum*, et Leg. *qui actio*» *nem ff.* de regulis iuris: *qui actio*» *nem habet ad rem recuperandam,* » *ipsam rem habere videtur.* » Eiusmodi autem actio seu ius est in re; ius enim ad rem dat actionem in personam non in rem, ut diximus.

Non nos equidem latet clar. Vecchiotti *Inst. Canon. Tom. II, pag. 91* contrariam sententiam propugnare; scilicet praelatum non posse repudiare haereditatem, legatum, donationem Ecclesiae factam quamvis non acceptatam; verum rationes ab eo allatas, ni opinio nos fallit, cl. Reiffenstuel *loc. cit.* ad trutinam revocarat, easque non admodum solidas esse apparere.

Quidquid autem sit de iuris quaestione; in facto hoc esse certum scimus; neminem scilicet uti excommunicatum habendum esse, quem ratio vere probabilis excom-

ita repudiando haereditatem, aut legatum Ecclesiae delatum, si sine causa iusta id fiat, agat contra ius Ecclesiae, et ideo peccet, non tamen patrimonium eius diminuit, in qua diminutione consistit alienatio.

municatione eximit. At sententiam quam propugnamus, Praelatum ob simplex repudium haereditatis, donationis, legati excommunicationem Extravagantis *Ambitiosae* probabile esse non incurrere, tum intrinsecae rationes, tum praestantissimorum Doctorum sententiae suadent; ergo usquedum aliqua authentica declaratio ab apostolica sede non prodierit, praelati, administratores vel rectores eiusmodi ob simplex repudium donationis etc. de excommunicatione damnari posse non videntur.

Ex iis vero quae disputavimus manifesto patere arbitramur, eas tantum alienationes in Piano Capite prohiberi quae ad formam Extrav. *Ambitiosae* vel dominium in alios transferebant, vel tempus praetergrediebantur a Paulo II statutum, ex. gr. in locationibus ad triennium. Alii contractus quapropter in quibus haec duo veritatem non sortiuntur, adhuc fieri ab Ecclesiasticis administratoribus possunt.

Hinc possunt adhuc pecuniam mutuam accipere, vel dare, vendere suorum beneficiorum reditus et proventus, vel ad vitam vel ad longum tempus, recepta per unam vel plures pensiones mercede, quod quamvis prohibitum noverimus in Const. *Universalis Ecclesiae,* Benedicti XIV, non offendit tamen contra Pauli II extravagantem et Pii IX legem.

Equidem De Varceno, *Theolog. Mor. Tom. 2, pag. 501, n. 2* affirmare videtur, Beneficii possessorem excommunicationem incurrere, si vendat beneficii redditus per plures mercedes brevi temporis spatio solvendas. Scribit enim « non » incurritur excommunicatio si be- » neficiatus vendiderit redditus sui » beneficii pro mercede, vel pen- » sione annua ultra triennium: in- » tellige modo non recipiatur mer- » ces seu pensio per unicam vel » plures solutiones simul, vel brevi » temporis spatio faciendas, quia » tunc incurreret censuram. Reve- » ra non se obligaret solum perso- » naliter, sed transferret ius in rem » ipsam, seu reditum, cum ven- » deret quod forsan per mortem » cessaret esse suum, et consequen- » ter pertineret ad suum successo- » rem. Ita ex Benedicto XIV *Const.* » *Universalis Ecclesiae* §. 2. »

Verum eiusmodi sententia ultra qua par est nobis rigida videtur.

Imprimis Benedictus XIV in cit. Const. prohibet quominus fructus vendantur ad mortem usque beneficiarii, non ultra.

2. Ad Beneficiarii mortem cessat omnis ratio fructus percipiendi, et emptor si male solvit, tenetur iterum novello Beneficii possessori vel Ecclesiae solvere pro rata pensionem. Hinc Ecclesia nihil amittit, et emptori fructuum competit actio contra defuncti beneficiarii haeredes si existant; sin minus solutae pensioni veledicat oportet.

3. Benedictus XIV quamvis in eiusmodi clericos statuerit excom-

municationem aliasque poenas statutas contra alienantes bona Ecclesiae, tamen nullo pacto constat Pium Papam IX eiusmodi poenam renovasse.

4. Renovavit tamen poenas illatas in Constit. *Ambitiosae:* atqui in hac constitutione prohibetur alienatio et locatio bonorum ecclesiasticorum ultra triennium; non venditio reddituum beneficii, qui absolute pertinent ad ipsum Beneficiarium, dum bonorum stabilium vel mobilium administrator est. Quod ex ipsa Benedicti XIV Constitutione eruitur, qui eiusmodi venditionem reddituum prohibet, non quod iniusta sit vel habenda uti venditio bonorum ecclesiasticorum, sed propter incommoda et inhonesta quae inde sequebantur. In supposita nota legant lectores nostri tanti Pontificis sanctionem et mentem (1).

5. Cum beneficiarius noverit

(1) 29 Augusti 1741: « §. 1. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos » Ecclesiasticis beneficiis cum onere vel sine onere residentiae provisos, turpibus ut » plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem beneficiorum redditus, quos donec » viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, » seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem beneficiorum, quos alteri quoad vixe- » rint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam et quantitatem, quam ipsi, ha- » bita ratione eorum aetatis et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter » consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigi filii » familias, de quo in Evangelio scriptum est: *cum substantiam suam a patre* » *recepisset, totam statim consumpsisse vivendo luxuriose, et deinde, facta* » *fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium;* pia » Ecclesiae subsidia et ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates im- » probo eiusmodi contractu profundant, multa hinc et gravia mala, ut experientia » ipsa comperimus est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus ecclesiastico » ordini inuritur, et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, » ecclesiasticas pecunias, quae sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium » Christi in praves usus insumi, vel improvisa profusione dissipari, quae ab ec- » clesiasticis, tamquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum et ecclesia- » rum restaurationem impendi deberent. Praeterea saepe huiusmodi Clerici ad » summam rediguntur egestatem, et ut se sustentare possint, vel indecore, non » sine infamia clericalis gradus mendicant, vel indignis quaestibus et negotiis » operam praebent. Ecclesiam autem et ecclesiasticas res quodammodo aversantur » quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quae nullius culpa, sed solum vitio » et flagitiis suis amiserunt; ideo ecclesiastica munera vel numquam, vel negli- » genter obeunt, divinam psalmodiam, si ad eam in publicis ecclesiis ratione suo- » rum beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, ec- » clesiasticos coetus non frequentant, animarum salutem non curant, divina fasti- » diunt, mundana sectantur.

§. 2. « Volentes igitur hanc improbam consuetudinem et non ferendam pravi- » tatem qua non mediocriter clericalis ordinis fama minuitur et honor conculcatur, » Ecclesiae autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, et sacrae aedes » necessariis reparationibus et ornamentis fraudantur, penitus abolere.... omnibus » Clericis quacumque dignitate, praeeminentia, honore et privilegio insignitis in-

post mortem nullum beneficii reditum sibi competere, non potest ultra mortem pensionem pacisci; atque emptor libere solvit quod conventum pactumque est, habita ratione aetatis et valetudinis beneficiati. Hinc beneficiarius nullum transfert ius in rem ipsam, nec transferre potest cum discrimini sese tum ipse tum emptor committant, ad eorum instar qui vitalitium concinnant.

Cum itaque in praesenti casu nulla habetur bonorum ecclesiasticorum venditio, vel locatio, nulla excommunicatio incurritur.

Non incurritur pariter eiusmodi excommunicatio si alienatio sine beneplacito Apostolico inita executioni demandata non fuerit, quia esset criminis attentatio, dum poena illata fuit in crimen perfectum, ut ex lege patet.

Neque incurritur ob alienationem bonorum, in quorum titulum Clericus ordinatus est, eo quod non sint bona Deo dicata, consequenter non ecclesiastica.

Similiter evadunt excommunicationem qui infra tempus statutum alienant venditori bona, quae venderint cum pacto ea redimendi; et ii qui iuris necessitate alienant; ex. gr. bona relicta monasteriis, quae illa possidere nequeunt. Non putamus tamen evadere excommunicationem illos administratores qui sine beneplacito apostolico alienant bona illa, quae a patronis sub hac conditione relicta sunt Ecclesiis, ut ea alienari possint, quod sentire videtur cum aliis Scavini. Etenim haec bona vix ab Ecclesia acceptata et possessa, evadunt bona ecclesiastica, omnibus hinc legibus subiecta, quibus bona Ecclesiae subiiciuntur; nec patroni facultate pollent dispensandi in legibus Pontificiis; nec acceptantes sese eximendi lege lata, aut ei derogandi.

Circa locationes quatruplex casus dari potest, et datur fortasse, nec infrequens; et quod scilicet consuetudo sit in aliquo regno vel provincia ut bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico ad longius tempus, ex. gr. ad decennium locarentur et locentur etiam post Constitutionem *Apostolicae Sedis;* et quod locationes fiant vel ad duo, tria, quatuor triennia, vel ad triennium tantum cum promissione tamen de

» terdicimus et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, praetextu et » colore, vendere ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus et proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel » plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per eiusdem temporis, vel vitae spatium consequi potuissent: sub poena excommunicationis et » nullitatis actus, seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque poenis » inflictis, praescriptis et statutis contra alienantes bona Ecclesiae, quas rursus » hic contra eosdem clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus et volumus. »

renovanda locatione postquam prius triennium absolutum fuerit, vel ad plurima triennia cum pacto, quo locatori facultas fit a contractu recedendi finito quolibet triennio. Quid?

Relate ad primam quaestionem, Concilii Tridentini Patres *Sess. XXV. Cap. XI. de Reform.* locationes ad longius tempus factas quam Extrav. *Ambitiosae* pateretur, quaeque factae fuerant in damnum Ecclesiae et contra canonicas sanctiones per se non irritavit, sed Synodo provinciali vel hominibus ab ea deputatis irritandas dimisit. « Locationes.... » quas a triginta annis citra ad lon» gum tempus, seu, ut in nonnul» lis partibus, ad viginti novem, » seu bis viginti novem annos vo» cant factas, Synodus provincialis, » vel deputandi ab ea in damnum » Ecclesiae et contra canonicas san» ctiones contractas fuisse iudica» verint. »

Ex quo loco intelligimus, locationes quae infra annos viginti novem continerentur, nec a Patribus Tridentinis irritatas fuisse, nec a Synodo provinciali aut ab ea deputatis irritari potuisse; quin immo intelligimus, locationes etiam quae excederent annos viginti novem approbatas fuisse, dummodo contractae in damnum Ecclesiae et contra canonicas sanctiones non reperirentur.

Ergo vi dispositionis Tridentinae locationes ex. gr. ad decennium poterant conservari, saltem illae tacite intactae relictae sunt, quamvis dispositioni Extravagantis *Ambitiosae* sese opponerent. Ex hoc autem speciales consuetudines inductae fuerunt in aliquibus Dioecesibus quae sive tacito consensu, sive tolerantia principum ecclesiasticorum permissae sunt.

Attamen Pius Papa IX in Capite quod exponimus locationes ad tramitem Extravagantis *Ambitiosae* reduxit, atque nos supra probavimus, legem ita generalem esse atque circumscriptam ut exceptiones non admittat. Consuetudines ergo locandi ad sexennium, ad decennium etc. post Constitutionem *Apostolicae* nec tolerandae, nec permittendae videntur.

Equidem quis argumentabitur, Pianam Legem generalem esse, per legem generalem autem non abrogari speciales consuetudines; quod quidem verum esse dicimus quando de legislatoris contraria intentione non constat; at in casu constare de contraria Pii IX voluntate ex eo inferimus et quod legem restituit, qua eiusmodi locationes interdicuntur, et quod nihil excepit, cum constet alias excepisse quando aliquam contrariam consuetudinem permittere voluit.

Addimus; quod si eiusmodi consuetudines Pius IX non abrogavit, per restitutionem Extravagantis *Ambitiosae* in re nihil obtinuit; etenim consuetudines speciales toleravit; at in ceteris omnibus observabatur Paulina lex, scilicet ubi hae consuetudines non vigebant, erat in usu lex

Paulina; dicendus est ergo Pius Papa IX omnia ad illius Extravagantis tramites reducere voluisse, ut aliquid consequeretur.

Quantum ad alteram quaestionem attinet, manifestum esse putamus, duo, tria, quatuor triennia aequipollere sex, novem, duodecim annis: ideoque legem transgredi, et excommunicationem incurrere eos qui eiusmodi locationes ineunt:

At non idipsum de tertia quaestione dicendum est; promissio enim locationis ad aliud triennium non est locatio; atque obligat promittentem, non rem promissam; si tamen promittentem obligat, cum nemo ligetur promissione, cuius observatio non est in promittentis facultate. Hinc cum in re desit locatio, seu factum lege interdictum, excommunicatio nulla incurritur.

Quae conclusio etiam pro quarta quaestione valet: cum enim locator facultatem sibi reservavit a locatione discedendi singulis triennii, hoc ipso apparet non obligasse rem locatam ultra triennium.

II. Expendamus hinc alteram huius Capitis partem, qua quaerendum est, quaenam sint personae quae eiusmodi excommunicatione percelluntur. Sunt porro *alienantes et recipere praesumentes:* illi quorum nomine et mandato bona ecclesiastica alienantur; hi qui dicta bona emunt vel ultra tempus legitimum conducunt.

Relate ad alienantes; penes antiquos Sacrorum Canonum tractatores quaestio erat: an Episcopi et Abbates excommunicationem Paulinam incurrerent, dum nullimode dubitabatur quin illam incurrerent ceteri sive laici sive clerici inferioris ordinis et dignitatis, si saltem bonorum Ecclesiae administratores essent. Cum enim Paulus II. dixerit: « Alienanti vero bona ecclesiastica etc. contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali seu Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus » putarunt, Episcopos et Abbates alienantes una hac poena teneri, coeteros vero alienantes excommunicationi subiici.

Quin imo Bonacina, qui et alios plurimos Doctores citat, existimavit unos bonorum Ecclesiae administratores hac poena teneri, alios minime (1).

(1) *De alienatione bonorum Eccl. Punct. V. n. 1.* « Omnes et singuli ecclesiastici tam saeculares, quam regulares, qui bona ecclesiastica male alienare praesumunt excommunicationem incurrunt, modo non sint Episcopi vel abbates; isti enim interdicto ab ingressu Ecclesiae, aut etiam suspensione puniuntur. Haec propositio patet ex verbis extravagantis, ibi. *si quis contra huius nostrae prohibitionis seriem* etc. Eadem excommunicatio extenditur ad recipientem; nam in textu dicitur, tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Limitanda tamen et restringenda est haec propositio. » modo qui aliquid alienat, destruit, vel demolitur, administrationem habeat; nam in Extravaganti *Ambitiosae* sermo est de praelatis, be-

At alii diversa sentiebant; arbitrabantur scilicet, omnes indiscriminatim alienantes excommunicatione Paulina percelli; Episcopos autem et Abbates etiam interdicto ab Ecclesiae ingressu fuisse multatos; sicut et inferioris ordinis clericos beneficiorum privatione, administratione etc; hos scilicet duplici poena irretiri fatebantur. Hanc sententiam cum aliis Canonistis propugnat Thesauro, qui *De poenis ecclesiasticis p. 78. Edit. 1831.* scribit: « Primo enim incurrunt excommu» nicationem, quae procedere vide» tur etiam contra Episcopos et Ab» bates... et confirmatur, quia se» cundùm veriorem sententiam, haec » excommunicatio est generalis quo» ad personas, ut omnes comprehen» dat, sive sint laici... sive Epi» scopi, seu Abbates.... etenim » poenae additae ibidem non re» stringunt primam poenam, sed » aggravant contra ecclesiasticos, ut » patet ex textu, si attente legatur. »

Cum itaque Pius Papa IX excommunicarit alienantes bona Ecclesiae ad formam extravagantis *Ambitiosae,* si in ea excommunicatione, iuxta primam sententiam, nec Episcopi nec Abbates tenebantur, nec in piano Capite tenebuntur. Consequens hinc esset, post Pianam Constitutionem hos neque interdicto neque suspensione ligari, si Ecclesiae bona quomodocumque distrahant; non quidem interdicto cum a Pio Papa IX renovatum non fuerit, non suspensione quia haec consequebatur interdictum, et inflicta fuerit non alienationis causa, sed contumaciae (1).

Quid ergo dicendum? Practico profecto iudicio quaestionem eiusmodi dirimendam esse dicimus.

1. Certum est, Pium Papam IX excommunicasse alienantes et recipere praesumentes bona Ecclesiae ad formam Extravagantis *Ambitiosae:* voluit ergo ut ad tramites praedictae dispositionis poenae incurrerentur.

At 2. certum pariter est, plurimos et summi nominis Doctores putasse, Episcopos et Abbates alienantes bona Ecclesiae Paulina excommunicatione non teneri, sed tantum interdicto, et suspensione si per sex menses in interdicto perseverassent contumaces. Atqui doctorum plurimorum atque praestantissimorum iudicium sententiam aliquam probabilem constituit; nemo

neficiariis et aliis administrationem habentibus.... Propterea religiosus subditus, aut alius quicumque, qui nullo iure administrationem habeat, arbores incidit, domos demolitur, aut aliquid Ecclesiae destruit, vel in alios distrahit et alienat, aut fundos immutat, non ligatur, ista excommunicatione, seu poenis Extravagantis.

(1) Probanda hinc non sunt quae scribit cl. De Varceno *Theol. Moral. Tom. 2. pag. 503:* Diximus *modo non sint Episcopi vel Abbates:* hi enim incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, et si per sex menses in interdicto permanserint, suspensi remanent a regimine et administratione Ecclesiae vel Monasterii cui praesident.

autem de excommunicatione damnari oportet, si ratio vere probabilis eum excommunicatione eximat; ergo post Pianam Constitutionem non sunt Episcopi et Abbates alienantes bona ecclesiastica de excommunicatione damnandi, atque nulla poena tenentur si illa utcumque distrahant.

De cetero non desunt Commentatores qui huic faveant sententiae. Reatinus *pag. 99. Edit. 3,* scribit: « Excommunicationem autem incur» runt alienantes et recipientes. A» lienantes, excepto Episcopo, Rec» toribus Ecclesiarum et beneficiatis; » recipientes omnes prorsus. »

De Varceno loc. cit. pag. 503. « Per alienantes intelliguntur etc., » modo non sint Episcopi vel Ab» bates, ut patet ex ipsis verbis Ex» travagantis. »

Idipsum scribit P. Ballerini in notis ad Gury *pag. 1006. Edit. 1878 Romae.* « Haec sanctio non » comprehendit . . . neque omnes » alienantes, sed solum quibus ad» ministratio concredita est, quin et » ex his excipiendi sunt Episcopi » et Abbates, qui non excommuni» cationis, sed interdicti ab ingressu » Ecclesiae poena plectuntur. » Ut alios praetermittamus.

Ex praemissis animadvertunt Lectores unos administratores ab nonnullis subiici excommunicationi illatae in Extrav. *Ambitiosae;* exinde cl. Commentator Patavinus infert, eos qui administratores non sunt, atque bona ecclesiastica alienant, excommunicationem incurrere indictam in occupantes vel invadentes, aut in proprios usus bona ipsa convertentes. (1)

At eiusmodi sententia admittenda non videtur. Alienantes enim qui administratores non sunt vel incurrerent excommunicationem speciali modo reservatam et indictam Cap. XI. 1 Clas. in usurpantes bona, iura, reditus ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes; vel excommunicationem latam a Concilio Tridentino *Sess. XXII. de Reform. Cap. XI.* (2)

(1) Comment. *n. 429:* Theologi ex ipso Extravagantis contextu aliam etiam limitationem colligebant, ac fere communiter tradebant, alienantes non subiacere excommunicationi huic, nisi eorumdem bonorum habeant legitimam administrationem.... Verum si non habentes administrationem ab hac contrahenda censura immunes iudicantur, graviori poenae obnoxii esse possunt, veluti *invadentes* et occupantes, vel in proprios usus convertentes bona vel iura Ecclesiae.

(2) Scilicet: Si quem laicorum vel Clericorum quacumque dignitate etiam regali aut imperiali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut cuiusvis Ecclesiae vel loci pii iurisdictiones, bona, census, iura, fructus, et quascumque obventiones vel emolumenta quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, vi vel timore incusso, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in suos usus convertere, illosque usurpare praesumpserit,..... anathemate tamdiu subiaceat, quamdiu ea quae occupaverit.... restituent etc.

Atqui neutrum. Etenim in utroque loco sermo est de occupatione quae vel auctoritate, vel violentia peragitur; ut relate ad Tridentinum patet inter alia ex verbis *vi vel timore incusso,* relate ad Pianum Caput ex verbis *usurpantes*, *sequestrantes* quae pariter violentiam important et auctoritatem, ut nos etiam probavimus Commentarii nostri *Vol. 1. pag. 364.*

Observandum demum est, in antiquo iure excommunicationi subactos fuisse a Paulo II. Const. *Cum in omnibus* etiam Delegatos Apostolicos vel Commissarios, qui sine legitima causa in eiusmodi alienationem assensum praestabant; eosque etiam qui fraude, dolo, precibus importunis etc. illam procurabant. (1)

At Romanus Pontifex Pius IX cum eiusmodi excommunicationem in Constitutione *Apostolicae* non renovarit, hi illata censura eximuntur.

Sicut eximuntur mandantes, consulentes, et fautores quilibet quos pariter praetermisit.

Et haec quidem quoad alienantes. Quoad vero recipientes bona ecclesiastica, nulla datur exceptio, etenim indiscriminatim in cit. Extravaganti dicitur: *quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Atque dum infra alienantibus, si Episcopi vel abbates fuerint, interdictum comminatur et infert, recipientibus nil aliud; hi ergo, quicumque fuerint, unam sententiam excommunicationis incurrunt.

III. Superest ut expendamus tertiam Capitis partem, qua disserendum est de conditionibus necessariis ad hanc incurrendam excommunicationem.

Triplicem porro conditionem ex lege statuimus. 1. ut alienatio et receptio sit de bonis immobilibus aut pretiosis mobilibus Deo dicatis. 2. ut contractus sit perfectus. 3. ut adsit praesumptio in recipientibus.

Et relate ad primum. E recentioribus commentatoribus nonnulli affirmant, bona immobilia stricto prorsus sensu esse accipienda, ita

(1) §. 2: « Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiae suae prodigus, in gravamen aut detrimentum Ecclesiae, per gratiam aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat; Episcopus vero aut Superior ab executione officii per annum se noverit suspensum, ad extimationem detrimenti Ecclesiae illati nihilominus condemnandus, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo nonnisi per summum Pontificem poterit liberari.

§. 3. « Is vero qui dolo vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, a qua nonnisi per Romanum Pontificem possit absolvi, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de praemissis constiterit, condemnandus. »

ut excludenda sint tum quae immobilia censentur destinatione patris familias, ex. gr. granaria in terris defossa, tum quae ex lege, uti *usus-fructus, actiones reales*, etc. tum ea quae solo tenentur, ut arbores etsi grandiores, et fodinae. (1)

Alii vero Commentatores latiori sensu bona immobilia accipiunt, et ut arbitramur rectius.

Etenim 1. eiusmodi lex favorabilis Ecclesiae est; nulla igitur necessitas eam stricto accipiendi sensu. 2. Pius Papa IX bona immobilia ad sensum Extravagantis Ambitiosae expressit. Ergo perpendendum est, an haec bona in Paulina lege stricto sensu vel latiori acciperentur. Atqui nil magis exploratum, quam latiori sensu ab Doctoribus accepta fuisse, et quidem non proprio iudicio ductis, sed legibus extantibus. At si leges sint quae nonnulla bona inter immobilia reponant, supponere non possumus, Paulum II ea excludere voluisse, subditis non monitis; sed neque Pium Papam IX qui Paulinam legem restituit, nulla facta exceptione. Comprehendenda sunt igitur sub Piana lege ea omnia bona, quae inter immobilia sub Paulina Extravaganti comprehendebantur. (2)

Atqui comprehendebantur nedum immobilia proprie dicta, sed etiam iura et actiones ad immobilia, servitutes insuper praediorum, iura piscandi, venandi et huiusmodi, ut *L. ult.* §. *fin. Cap. De praescriptionibus long. temp. Eadem observando, et si res non soli sint, sed incorporales, quae in iure consistunt; veluti ususfructus, et ceterae servitutes.* Et concordat Clement. 1. h. t. illis verbis: *Iura, redditus, aut possessiones eiusdem Monasterii.* Siquidem haec omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum suum. His adde census, seu annuos redditus, uti

(1) Ita clar. Comment. Reatinus *pag. 96. Comment. Edit. 3*; qui insuper in nota 12 subdit: « Sane si immobilia non accipimus stricta significatione, his ar » bores et fructus quoque pendentes accenseri oportebit. » Verum non intelligimus quomodo haec cohaereant cum iis quae vir doctissimus scripsit *in Summa Theologiae Moralis, part. 3, pag. 73, n. 78, Edit. II, 1883*, scilicet: « at vero im » mobilia praetiosa, ex iure novo, sine beneplacito Sedis Apostolicae alienari pro » hibentur. Bonorum autem et alienationis vocabula, *hoc iure*, latius accepta sunt. » Etenim bona (immobilia) accipere debemus et ea quae fundo tenentur, ceu fodi » nae, et arbores frugiferae, vel praedio necessariae, iura realia, uti census, re » ditus ex versuris publicis (debito pubblico), et pecuniam praediis vel mobilibus » praetiosis acquirendis destinatam ab iis qui eam contulerint, donaverint, reli » querint. » Et quidem verius ut nobis videtur.

(2) Non negamus, ab Reiffenstuel *lib. 3 Decret. Tit. XIII*, §. *1, n. 7 seqq.* affirmari quod iura et actiones habendae non sint neque immobilia, neque mobilia, sed constituant tertiam quamdam speciem; tamen iura et actiones reales reponit inter immobilia: « nihilo minus in proposito nomine immobilium etiam compre » henduntur iura et actiones ad immobilia.

habetur in Clement. Exivi. *Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a iure.* Ita Reiffenstuel *loc. cit. nn. 9, 10, 11.*

Nomine immobilium veniunt omnia quae loco moveri non possunt, ut praedia, domus, agri et similia. Et quantum ad praesens veniunt etiam nomine immobilium servitutes praediorum, ut iura piscandi, venandi et similia. Sic etiam veniunt nomine immobilium census et annui redditus... iura et actiones ad immobilia... Sic tandem venit certa summa pecuniae specialiter deputata ad emptionem immobilium, censuum, vel mobilium pretiosorum, vel ad aedificandam Ecclesiam, aut pro gravissimis Ecclesiae necessitatibus, maxime si cum Superioris et Clericorum consensu ad id fuerit retenta. Ita Ferraris V. *Alienatio, Art. 1, N. 3, 4, 5, 6.*

Atque ita alii non pauci qui etiam a relatis Canonistis citantur.

Attamen fatemur ingenue, alios esse, qui eiusmodi iura, actiones, census etc. inter immobilia bona non referant, sed inter mobilia praetiosa, quos inter Schmalzgrueber *Ius Eccl. Tit. XIII De rebus Eccl. non alienand. §. II, n. 27, 28 et seqq.* Pro re nostra tamen in idem recidit, cum excommunicatio incurratur pro alienatione tam immobilium, quam mobilium pretiosorum.

Quae vero sint mobilia praetiosa ex iisdem auctoribus desumimus.

Itaque nomine mobilium pretiosorum, quae alienari non possunt, veniunt quae sunt de thesauro Ecclesiae, vel quae propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt Ecclesiae specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum. (1)

Item nomine mobilium veniunt illa mobilia, ex quorum fructibus

(1) Hoc in loco Ferraris addit *loc. cit. n. 8.* Sic etiam nomine mobilium pretiosorum veniunt insignes reliquiae sanctorum, maxime si in Ecclesiae muro sint clausae, vel ibi perpetuae sepulturae traditae, quia etsi pretio non aequentur, sunt tamen super omne pretium.

Idipsum docet Schmalzgrueber *loc. cit. n. 5.* Reliquiae Sanctorum insignes, quales sunt caput, brachium, manus, pes alicuius sancti, et multo magis totum eiusdem corpus; nam cum, Chrisostomo teste, *hom. de Laud. S. Pauli*, auro, argento, gemmisque et omni thesauro pretiosiores sint, alienari libere non permittuntur, ut patet ex stylo et praxi Curiae Romanae etc. Idipsum vero docet Reiffenstuel *loc. cit. n. 13.*

E Commentatoribus Const. *Apostolicae Sedis* hanc sententiam tuentur tum scriptores de *la Nouvelle Revue Théologique Tom. XI, pag. 514*, tum *Commentator Patavinus pag. 272, n. 372*, atque alius aliquis. Verum eiusmodi sententiam apodiptica ratione excludit Com. Reatinus scribens *pag. 96.* Eoque minus (veniunt sub nomine mobilium pretiosorum) reliquiae pretiosae, ceu visum nonnullis; quod alienum est et a mente Pauli II, et a proprietate verborum; nemo

annui redditus solent percipi ab Ecclesia, seu monasterio, ut grex ovium, armentum bovum, praesepium equorum; non autem eorum fructus, cum licitum sit vendere et alienare arietes, equos, vitulos, haedos etc. Item veniunt arbores frugiferae, seu praedio necessariae, ut illis sublatis praedium reddatur graviter deterius.

Haec vero quae ex cl. Ferraris exscripsimus communia sunt ceteris Canonistis, (1) ita ut de sententiae veritate dubitare non possimus.

Duo tamen ad rei claritatem veritatemque sunt advertenda: 1. et quod eiusmodi bona immobilia et pretiosa mobilia postquam Deo dicata sunt, et prorsus in Ecclesiae proprietatem devenere, talia sunt ex natura sua; qua de causa quamvis potestas civilis eiusmodi qualitatem in bonis ecclesiasticis minime rocognosceret, exinde non liceret Administratoribus illa alienare sine Beneplacito *Sedis Apostolicae,* dummodo ob angustiam temporis ad id non compellantur; cum sin minus bona amitterent; hoc enim in casu concurrit necessitas una cum pietate et utilitate coniuncta.

2. Quod haec bona mobilia vel immobilia alicuius pretii esse dolent; si enim minoris aestimentur, utique sine beneplacito Apostolico alienari possunt. Id vero patet tum ex iure, tum ex Romanarum Congregationum decretis; ex iure quidem, quia Caput *Terrulas* per Extravagantem *Ambitiosae* abrogatum non fuit; illo at in capite sancitum est: « Terrulas, aut vineolas exiguas, » et Ecclesiae minus utiles, aut » longe positas et parvas, Episco» pus sine consilio fratrum, si nè» cessitas fuerit, distrahendi ha» beat potestatem. » *Can. 53, Caus. 12, quaest. 2.* Id vero confirmatum fuisse decretis Romanarum Congregationum ex responsione S. C. Concilii patet, quam refert Fagnanus in *Cap. Nulli N. 25* scilicet: « An » stante Decreto Concilii (Triden» tini) Cap. 11 Sess. 25, et Extra» vagantis quae incipit *Ambitiosae* » *De rebus Ecclesiae non alienan*» *dis* auctoritatem suam in aliena» tionibus rerum ecclesiarum ad » praescriptum Cap. *Terrulas* Caus. » 12, 2, 2. Episcopus interponere » valeat? S. Congregatio censuit, » ex Concilio Tridentino non fuisse » derogatum facultati concessae Epi» scopis per Cap. Terrulas, caus. 12 » q. 2. »

Verum ex iuribus constitutis non adeo facile est definire, ad quam summam valor iste rerum

enim eas in patrimonio nostro esse dixerit. Quibus nos addimus, a Curia Romana optimo iure insignium reliquiarum venditionem prohibitam esse; at Curia Romana reposuit ne aliquando decreto aliquo, reliquias insignes inter bona mobilia, quae si alienentur excommunicatio incurritur? Id nos quaerimus.

(1) Cf. Schmalzgrueber et Reiffenstuel in locis cit.

minorum assurgere debeat. Varia nos hinc decreta et Doctorum sententias referemus, ut deinceps quid in facto tenendum sit deprehendamus. Ab initio S. Congregatio Concilii censuit valorem eiusmodi ex iure communi petendum esse, ut patet ex sequenti responsione quam Episcopo Messanensi porrexit. Exposuerat Episcopus: « Cum » in civitate et Dioecesi Messanen- » si essent nonnulla pia legata par- » vi redditus, veluti arbor olivae, » aut domus quae ruinam minaba- » tur, et fere diruta, aut terrulae, » vel vineolae, quarum fere nulli » erant fructus, petiit Archiepi- » scopus sibi facultatem fieri hu- » iusmodi legata alienandi, et in » evidentem Ecclesiae utilitatem » convertendi, nec non declarari » ad quam usque quantitatem li- » ceat Episcopo alienare.

» Die 14 Decembris 1613 S. » Congregatio Concilii censuit, Cap. » *Terrulas 12 quaest. 2* non fuis- » se sublatum per Extravagantem » Pauli II, quae incipit Ambitio- » sae. Ceterum ad quam usque quan- » titatem liceat Episcopo alienare » petendum esse ex iure commu- » ni. » Apud Fagnanum *loc. cit.* (1)

Attamen, inquirentibus Episcopis, S. Congregatio Concilii coepit summam decernere, quae excedi non posset. Ita anno 1665 Dioecesis Melphitanae consuetudinem prohibuit, qua alienabantur bona quae non excedebant centum centusses (ducati) id est libellas 415; ita Card. Petra eiusmodi decretum refert *ad Const. V Pauli II, sect. II n. 65.* « Ex relatione hodierni status eius » ecclesiae nuper exhibita ex par- » te D. Archiepiscopi Amalphitani » per Procuratorem sacra limina » visitantis: 1. Ex antiqua consue- » tudine licebat Archiepiscopis prae- » decessoribus rerum Ecclesiarum » alienationem concedere, quae » pretio centum ducatorum regni » aestimabantur, iuxta Canonem » *Terrulas;* et praedecessor meus, » clero populoque refragante, in » sua Synodo cum statuisset quae » quadraginta (lib. 170) iudicaren- » tur. Nunc pluries eisdem flagi- » tantibus in Synodo, quae quo- » tannis celebratur, praedictam con- » suetudinem observari: an sit in- » dulgendum, considerata incola- » rum paupertate, cuius gratia sae- » pe saepius emptores non inve- » niuntur ob expensas in Curia fa- » ciendas. »

Quaeritur: an praenarrata consuetudo sit toleranda?

Sacra Congregatio censuit: ad primum non esse tolerandam.

Ex quo decreto intelligimus a

(1) Hinc etiam Reiffenstuel *loc. cit. n. 38* iudicis arbitrio quantitatem summae dimittit. « Quaenam autem dicatur res exigui valoris, cum id iure definitum » non sit, est relinquendum iudicis arbitrio, qui consideratis Ecclesiae alienantis » facultatibus, valore rei alienandae, et loci consuetudine, aestimabit et iudicabit, » an huiusmodi res sit modica nec ne. »

S. Congregatione Concilii improbatam fuisse alienationem bonorum ecclesiasticorum, quae attingerent summam francorum 425.

At non multo post eadem S. Congregatio Concilii, quod anno 1611 iam perfecerat S. Congregatio Episcoporum et Regularium, summam determinavit quam excedere non possent bona sine Apostolico beneplacito alienanda, quae summa assurgit ad vigintiquinque scutata aurea de Camera, scilicet ad libellas 225. Id novimus ex decreto praedictae Congregationis edito die 1 Maii 1840, quod ita legimus apud Trombetta *loc. cit., cap. V. n. 9.*

« Quum Episcopus Terracinen» sis exponeret, se in aliis Dioe» cesibus vidisse summam, quae » ordinariam Episcoporum facultа» tem ipsis vi Canonis *Terrulas* » competentem non excedat, usque » ad quinquaginta, imo et ad se» xaginta scutata assurgere ; ac » proinde declarationem posceret, » an revera hucusque sese exten» dere possit; et in casu contrario, » cuiusdam contractus sanationem » postularet; Sacra Congregatio E» piscoporum et Regularium re» spondit : Servanda esse Decreta » S. Congregationis Episcoporum » et Regularium diei 22 Martii » 1611, et S. Congr. Concilii in » Baren. 12 Aprilis 1698, nempe: » non posse Episcopum concedere » facultatem ultra vigintiquinque » scutata aurea de Camera, ac pro» pterea S. Congregatio facultates » concedit Episcopo Oratori sanan» di ac revalidandi contractus, quos » ultra enunciatam summam iuxta » preces permiserit. »

Hisce tamen nihil obstantibus, inter declarationes et resolutiones quae sequuntur *Caput XI Sess. XXV de Reform.* Concilii Tridentini, *Edit. Neap. 1859* reperimus sequens S. Congregationis Concilii Decretum.

« In Forosempronien̄si Ecclesia » invaluit consuetudo, qua Episco» pi decessores veniam tribuere » consueverunt alienandi bona ec» clesiastica, Romanorum scutato» rum quinquaginta aestimationem » non excedentia. Modernus Epi» scopus verens, ne huiusmodi con» suetudo canonibus atque Aposto» licis constitutionibus adversare» tur, priusquam eam divellere, » aut confirmare aggrederetur, Se» dis Apostolicae sensum exquiren» dum deliberavit. Quamobrem in » status suae Ecclesiae relatione » postulavit, num memorata con» suetudo sive centenaria, sive qua» dragenaria sit probanda? S. Con» gregatio respondit *affirmative.* » *Forosempron. 21 Iulii 1827.* »

Atqui ex relatis decretis intelligimus.

1. Romanas Congregationes improbasse alienationem bonorum quae attingerent summam francorum 425.

2. Eas determinasse eiusmodi summam ad francos 225.

3. Attamen tolerasse consuetudinem, qua distrahebantur bona ecclesiastica valoris scutatorum quinquaginta, quae formant summam francorum 268,75.

Quid ergo dicendum? Profecto quod in hac postrema summa scutatorum quinquaginta figendum est pretium bonorum ecclesiasticorum, quae sine beneplacito apostolico vendi possunt.

Non nos equidem latet, cl. Lucidi *De Visitatione SS. Liminum Tom. II, pag. 504 n. 276* affirmare, indubitatum esse standum nunc esse consuetudini cuiusvis Dioecesis legitimae praescriptae, quod deducit ex causa Forosemproniensi superius allegata: « Verumtamen » certa atque indubitata hodie regula est, ut consuetudini cuiusque Dioecesis legitime praescriptae standum sit. Id enim deducitur ex Declaratione S. Congregationis Concilii editae in causa Forosempronien. 21 Iulii 1827, » in qua relatis doctorum utrimque decertantium opinionibus, » reque formiter discussa, quaerebatur, an probanda esset Dioecesis Forosemproniensis consuetudo legitime inolita, ut episcopi veniam darent pro alienandis Ecclesiae bonis summam scutatorum 50 non excedentibus. » Itaque propositum est dubium: » An probanda sit consuetudo centenaria, aut quadragenaria in casu? » Emi Patres rescripserunt *Affirmative.* »

Verum, si quid opinamur, consequentia deducta a cl. Lucidi magis patet quam praemissae. Etenim 1. ex quo Eminentissimi Patres probaverint in casu consuetudinem Ecclesiae Forosemproniensis, quae non excedebat scutata quinquaginta, non sequitur eos probasse alias Ecclesiarum consuetudines quae hanc summam excederent; consequentia deducenda erat, quod cum decreta Romanarum Congregationum sint (nisi aliud obstet) norma universalis, non sint reprobandae consuetudines aliarum Ecclesiarum quae pariter non excedant summam scutatorum quinquaginta.

2. Illam autem non fuisse mentem s. Congregationis Concilii evidentissime patet ex Decreto supra relato s. Congregationis Episcoporum et Regularium anni 1840, quo sancivit, non esse sine beneplacito Apostolico alienanda bona, quae excedunt valorem scutatorum viginti quinque aureorum de Camera, ideoque contractus initos hanc summam excedentes esse sanandos ac revalidandos.

3. Neque quis obiiciat, quod cum Decretum s. Congregationis EE. et RR. posterius sit illo Ecclesiae Forosemproniensis, sequeretur alienari non posse neque bona quae aequent valorem scutatorum quinquaginta, quae summa excedit viginti quinque scutata aurea de camera francis 43.75. Etenim excessus est minimus; atque de minimis non curat praetor; quin et illud

addimus, noluisse Romanas Congregationes ratione tenuis illius excessus in irritum deducere consuetudinem legitime praescriptam.

Exinde vere nemo concludat, licitum esse Episcopis sine Beneplacito Apostolico alicuius fundi grandioris partem, quae non excedat pretium scutorum quinquaginta, vendere; etenim et in Capite *Terrulas* sermo est de bonis immobilibus integris, *terrulis, vineolis,* etc. et in eo cavetur ne distrahantur agri grandiores quamvis longe positi; et secus eluderetur omnimodis lex ecclesiastica, cum Administrator bonorum ecclesiasticorum fundum etiam maximae extensionis per partes non excedentes summam praedictam vendere posset; atque demum affirmat Monacelli *Formularium Legale practicum part. II, tit. XIV. form. V,* id fuisse a Romanis Congregationibus prohibitum. (1)

Altera conditio est ut contractus sit perfectus; lex enim Pauli II proscribit alienationes bonorum ecclesiasticorum, *omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur;* ad incurrendam igitur praesentem excommunicationem requiritur translatio rei venditae in acquirentem.

At exinde non levis quaestio. Atque manifestum est, in Romano iure sancitum fuisse ut venditio traditione rei perficeretur: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* L. Traditionibus, 20 C. de pactis. Exquo Sacrorum Canonum Tractatores praestantissimi, uti Schmalzgrueber *Tom. 3 Tit. XIII, n. 167,* Reiffenstuel *Tit. XIII De rebus Eccl. non alien. n. 66,* aliique concludunt, excommunicationem in re non incurri nisi bonorum ecclesiasticorum traditio subsecuta fuerit. (1) Quam eamdem sententiam tenent Constitutionis *Apostolicae* Commentatores, Reatinus ex. gr. qui scribit *n. 168:* Incurritur autem (excommunicatio) cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque, Patavinus *n. 371,* Piato Commentarius in Const. *Apostolicae pag. 248.* Scriptores *de la Nouvelle Revue théologique Tom. XI pag. 619,* aliique.

Scimus tamen, nostro aevo, in pluribus Europae regnis leges vi-

(1) En eius testimonium: « Advertendum tamen est, quod bona ecclesiastica » sive res mobilis pretiosa, quae excedunt notabiliter hunc valorem, non possunt » dividi in plura corpora, ad hoc ut minuatur valor, et reducantur ad aestimatio- » nem praedictam ad hunc effectum, ut res fiat auctoritate Episcopi alienabilis; » prout, Papa approbante, declaravit Congregatio deputata super moderatione Brevis » Gregorii XIII circa bona Ecclesiarum Dioecesis Parmen. ad livellum concessa » 7 Octobris 1602 in responsione ad primum dubium; qui enim hoc faceret, dice- » retur facere in fraudem legis, et absque solemnitate alienare, et positus in mala » fide, et emptor qui hoc sciret, rem suam non faceret, et si esset frugifera fru- » ctus retinere non posset. »

gere, quibus statuitur solo partium consensu alienationem perfici et rerum dominium transferri; (1) in aliis vero romanum ius vigere ita ut sine rei traditione perfecta non censeatur alienatio. Quid ergo? requiritur ne rei alienatae traditio ad incurrendam excommunicationem etiam iis in regnis ubi alienatio solo consensu perficitur?

R. Extravaganti *ambitiosae* prohibetur rerum ecclesiasticarum alienatio et omne pactum per quod dominium transfertur.

Ubi autem lex viget quod venditio solo consensu partium perficiatur, negandum non esset dominium transferri; ergo iis in locis excommunicatio incurritur per solum contractum, quamvis rei traditio secuta non fuerit; nihil enim deest ad perfectionem contractus. Nullimode autem constat, Ecclesiam respuere leges iustas regnorum, cum ex iis nullum subit detrimentum, neque ecclesiasticis legibus opponuntur; quin imo iustis regnorum legibus vix aut ne vix quidem Ecclesia contraire potest, dum praesertim forus ecclesiasticus ei non permittitur; quomodo enim contractus iuxta vigentes leges initos rescindere posset? Iis in locis autem, in quibus sine traditione rei alienatio perfecta non est, ad incurrendam excommunicationem requiritur rei traditio, sine hac enim contractus non est perfectus. Hinc Confessarii inquirant regnorum codices et leges, et de excommunicatione vel de exemptione ab ea in casu pronuntient.

III. Tertia conditio ad incurrendam excommunicationem est ut in alienatione bonorum ecclesiasticorum interveniat praesumptio.

Verum et circa hanc postremam conditionem eruditi discrepant. Et ad rei declarationem praemittendum est, quod Paulus II in cit. extrav. *Ambitiosae* praesumptionem requisiverit tum in recipientibus tum in alienantibus: *Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quicquam alienare praesumpserit*. Pius Papa IX in nostro Capite praesumptionem ad unos recipientes coarctavit. Hinc commentatores, Patavinus qui primus omnium fortasse eiusmodi differentiam animadvertit, Ciolli *Commentario prattico pag. 117*, Reatinus *pag. 99 edit. 3*. Grandclaude *Constitu-*

(1) Revera Codex Gallicus et Belgicus habet sub n. 1583 sequentem articulum: La vente est perfaite entre les parties, et la proprieté est acquise de droit à l'acheteur à l'egard du vendeur, dès qu'on est convenu de la chose et du prix, quoique la chose n'ait pas encore été livrée, ni le prix payé. Articulus 1448 Codicis civilis italici: La vendita è perfetta fra le parti, e la proprietà si acquista di diritto dal compratore riguardo al venditore, dal momento che si è convenuto sulla cosa o sul prezzo, quantunque non sia seguita ancora la tradizione della cosa, nè sia pagato il prezzo. E contra in Hollandia viget in casu ius romanum, ita ut sine rei traditione perfecta alienatio non censeatur.

tio etc. *commentariis illustrata pag. 63, 64* aliique affirmant, ab alienantibus excommunicationem non incurri, si praesumptio in eis desit.

Hi sed vero eiusmodi argumentis innituntur 1. quia Pius Papa IX vocem praesumentes unis recipientibus affixit: *et recipere praesumentes.* Hinc supponendus est legi Paulinae modum in re apponere voluisse. 2. Cum ignorantia in alienantibus concipi vix aut ne vix possit, inutiliter praesumptio in eis requisita fuisset.

At alii Commentatores hisce non moventur, et praesumptionem exigunt nedum in recipientibus, sed etiam in bona ecclesiastica alienantibus, ea ducti ratione, quod Pius Papa IX excommunicationem hac in re inducat ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, in hac autem praesumptionem et in alienantibus exigi.

Argumenta autem ab adversae sententiae patronis allata solida non esse affirmant; primum enim per hoc prorsus eliditur quod Pius IX nihil de Extravaganti *Ambitiosae* immutaverit relate ad *alienantes*. Alterum vero quod plurimi esse possint rerum ecclesiasticarum administratores, qui legem in re promulgatam ignorent; satis de cetero esse, ut etiam parvus Administratorum numerus legem supponatur ignorare ad hoc ut Ecclesia intactam relinquat et conservet antiquam iuris dispositionem.

Quae ergo sententia tenenda?

Profecto prima quae praesumptionem in unis recipientibus exigit nobis omnino certa et tenenda videtur.

Et 1. Argumentum a patronis secundae sententiae allatum, quo adstruitur, Pium Papam IX circa alienantes nihil de antiqua legislatione immutasse, tuto negari potest, utpote gratis assertum; nulla enim ratio in argumenti probationem adducitur.

2. At falsum insuper deprehenditur:

Constat enim Pium IX ab recipientibus tantum exegisse conditionem praesumptionis; neque ratio ulla sensus grammaticalis ad alienantes praesumptionem refert quandoquidem non dicit: *alienare et recipere praesumentes, sed alienantes, et recipere praesumentes,* ita ut ad recipientes tantummodo praesumptio referatur, sin minus constructio latina esset: *praesumentes alienantes.* Porro in interpretatione primo attendere debemus ad sensum grammaticalem atque ad grammaticalem syntaxim. At nulla syntaxis grammaticalis inveniri potest si ad *alienantes* vocem *praesumentes* referamus; nulla ergo ratio est secundae sententiae.

3. Sed liberaliores simus; atque supponamus dubium esse sensum, ita ut aliquo pacto etiam ad alienantes praesumptio referri possit; quod tamen prudens quisquam numquam erit concessurus; profecto neque hoc in casu de excommunica-

tione damnandi essent illi qui sine praesumptione bona alienarent ecclesiastica; etenim *in dubio quod minimum est sequendum;* ideoque ad unos recipientes sanctio esset limitanda.

Argumenta autem allata a primae sententiae defensoribus firma omnino consistunt, neque eliduntur ab adversariis. Firmum enim est primum argumentum, quia exploratum est in Pii IX capite praesumptionem ad unos recipientes coarctari; unde simpliciter falsum est, nihil de Extravaganti *Ambitiosae* immutasse.

Stat insuper secundum argumentum, quia communiter administratores ecclesiastici sciunt, bona Ecclesiae sine Apostolico beneplacito alienari non posse, atque si faciant excommunicationem incurrere: qua de causa in illis ignorantia vix, aut ne vix quidem concipi potest.

Equidem adversarii affirmant, plurimos esse administratores bonorum ecclesiasticorum qui et legem et adnexam poenam ignorant. (1) Verum haec nugando dici possunt, vere et serio non possunt. In Administratores enim bonorum ecclesiae non eliguntur bardi et simplices quilibet, sed qui prudenti arbitrio et intellectu exornantur; deinde iis qui sint obtusi ingenii praesunt Episcopi, praesunt superiores religiosi, sine quibus alienatio fieri non potest. Qua de causa ab alienantibus, ut plurimum, ignorantia excludenda est, et unis recipientibus tribuenda; qui reapse cum leges canonicas scire non teneantur, cum insuper supponere non debeant viros ecclesiae contra legem agere in alienandis Ecclesiasticis bonis, bona fide emere possent, quae scienter emere nec possent, nec deberent.

Hinc si hi cum debita scientia legis et poenae adnexae, atque sine beneplacito Apostolico bona emant ecclesiastica, excommunicationem incurrunt; eam tamen non incurrunt si emant etiam cum ignorantia affectata, quia praesumptio excludit quamlibet ignorantiam, ut non semel in nostris Commentariis probavimus.

(1) Que d'administrateurs des biens d'Églises, ou de lieux pieux ignorent la prohibition de l'Eglise sur ce point, et les peines dont elle frappe les prevaricateurs! *Revue Théologique Tom. XI, pag. 531.*

APPENDIX XXXVII.

De excommunicatione lata in negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare Confessarios vel Sacerdotes a quibus ad turpia sollicitati fuere.

Appendice IX hujus nostri Commentarii *Tom. 1 pag. 305* egimus de confessariis complicem absolventibus in peccato turpi, et casus proposuimus sub lege comprehendendi vel ea excludendi. In praesenti appendice non ita; sed nobis disserendum est de iis qui culpabiliter omittunt denunciare Confessarios a quibus ad turpia sollicitati fuere. Relatio tamen aliqua intercedit; etenim illi Confessarii sunt denunciandi qui poenitentes suos ad turpia provocant iis actibus et modis seu casibus qui in Gregorii XV, et Benedicti XIV Constitutionibus enumerantur. Porro lex Pii Papae IX ita in Constitutione, quam exponimus, legitur :

« IV. Negligentes sive culpabi» liter omittentes denuntiare infra » mensem Confessarios, sive Sacer» dotes a quibus sollicitati fuerint » ad turpia in quibuslibet casibus » expressis a Praedecessoribus no» stris Gregorio XV Const. *Universi* » (20 Aug. 1622), (1) et a Benedi» cto XIV Const. *Sacramentum Poe» nitentiae* (1. Jun. 1741). »

Pontifex ergo Pius IX nullos alios casus addit, nullasque novas circumstantias, sed casus instaurat a Gregorio XV, et a Benedicto XIV recensitos. Allegandae igitur, et expendendae sunt citatorum Pontificum Constitutiones. Porro Gregorius XV in cit. Const. *Universi* hanc quoad utramque sanctionis partem decernit.

« § 4. Praeterea, ne in futurum » de poena his delinquentibus im» ponenda, et de modo contra eos» dem procedendi aliquo modo du» bitari possit, statuimus, decerni» mus et declaramus, quod omnes » et singuli sacerdotes, tam saecu» lares quam quorumvis etiam quo» modolibet exemptorum ac Sedi » Apostolicae immediate subiecto» rum Ordinum, institutorum, so» cietatum et congregationum re» gulares, cujuscumque dignitatis » et praeeminentiae, aut quovis pri» vilegio muniti existant, *qui per» sonas, quaecumque illae sint, ad » inhonesta, sive inter se, sive cum » aliis quomodolibet perpetranda, in » actu Sacramentalis Confessionis, » sive antea vel post immediate, seu » occasione vel praetextu confessio» nis hujusmodi etiam ipsa confes» sione non sequuta, sive extra oc» casionem confessionis in confessio» nario, aut in loco quocumque ubi*

(1) Haec constitutio in Bullario Rom. Edit. Taurinen. data dicitur die trigesima, non vigesima, Augusti 1622.

» *confessiones sacramentales audiun-*
» *tur seu ad confessionem audiendam*
» *electo, simulantes ibidem confessio-*
» *nes audire, sollicitare vel provocare*
» *tentaverint, aut cum eis illicitos*
» *et inhonestos sermones sive tracta-*
» *tus habuerint*, in officio Sanctae
» Inquisitionis severissime, ut infra,
» puniantur. Et praeterea omnes
» haereticae pravitatis inquisitores,
» et locorum Ordinarios omnium
» regnorum, provinciarum, civi-
» tatum, dominiorum et locorum
» universi orbis christiani, in suis
» quemque Dioecesibus et territo-
» riis per has nostras literas, etiam
» privative quoad omnes alios, spe-
» cialiter ac perpetuo judices dele-
» gamus, ut super his contra prae-
» dictos, simul vel separatim, in
» omnibus prout in causis fidei (ju-
» xta Sacrorum Canonum formam,
» nec non officii Inquisitionis hu-
» jusmodi constitutiones, privile-
» gia, consuetudines et decreta) di-
» ligenter inquirant et procedant;
» et quos in aliquo ex hujusmodi
» nefariis excessibus culpabiles re-
» pererint, in eos, pro criminum
» qualitate et circumstantiis, su-
» spensionis ab executione ordinis,
» privationis beneficiorum, dignita-
» tum et officiorum quorumcumque,
» ac perpetuae inhabilitatis ad illa,
» nec non vocis activae et passivae,
» si regulares fuerint, exilii, damna-
» tionis ad triremes et carceres e-
» tiam in perpetuum, absque ulla
» spe gratiae, poenas decernant, eos
» quoque, si pro delicti enormitate
» graviores poenas meruerint, de-
» bita praecedente degradatione, cu-
» riae saeculari puniendos tradant.

» § 5. Dantes etiam facultatem
» venerabilibus nostris S. R. E. Car-
» dinalibus generalibus inquisitori-
» bus (ne delictum tam enorme, et
» Ecclesiae Dei tam perniciosum,
» remaneat, ob probationum defe-
» ctum, impunitum, cum difficilis
» sit probationis), testibus etiam
» singularibus concurrentibus, prae-
» sumptionibus, indiciis, et aliis
» adminiculis, delictum probatum
» esse arbitrio suo iudicandi, et cu-
» riae saeculari, ut praefertur, re-
» um tradendum esse pronunciandi.

» § 7. Mandantes omnibus con-
» fessariis, ut suos poenitentes, quos
» noverint fuisse ab aliis, ut su-
» pra, sollicitatos, moneant de ob-
» bligatione denunciandi sollicitan-
» tes, seu, ut praefertur, Inquisito-
» ribus, seu locorum Ordinariis prae-
» dictis : quod si hoc officium prae-
» termiserint, vel poenitentes do-
» cuerint non teneri ad denuncian-
» dum confessarios sollicitantes seu
» tractantes, ut supra, iidem loco-
» rum Ordinarii et inquisitores illos
» pro modo culpae punire non ne-
» gligant. »

Tria ergo praestitit Gregorius XV, et culpas determinavit quae contra sextum Decalogi praeceptum, non alia, in Sacramenti Poenitentiae administratione, non aliis, committi possunt, et poenas gravissimas in delinquentes huiusmodi statuit; et onus imposuit Confessariis obligan

di fideles sollicitatos ad denunciandum sive Inquisitoribus, sive Ordinariis locorum Confessarios sollicitantes.

Benedictus XIV in Constitutione *Sacramentum Poenitentiae*, quam in recitato Capite Pius IX allegat, confirmatis prius Praedecessorum decretis, latisque poenis, perspiciens diabolica astutia Confessarios nonnullos fortasse elusisse sanctionem Gregorii XV, casus sollicitationis melius determinavit, et auxit, ut prorsus a tanto sacramento arceret quidquid aliquo modo illud in animarum perniciem convertere poterat.

Hic statuit § 1. « Committimus » et mandamus omnibus haereticae » pravitatis Inquisitoribus et loco- » rum Ordinariis omnium regnorum » etc. ut diligenter, omnique humano respectu postposito inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes tam saeculares quam regulares..... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, *vel in actu Sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tenuerint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint* (1). »

(1) In Commentario nostro *Vol. 1. pag. 345* sententiam defendimus, turpiloquium in Sacramentali confessione comprehendi sub Benedictina Constitutione. Haec sententia non omnibus arridet. Clar. Commentator Reatinus *pag. 50, n. 80 Commentarii Edit. 3.* scribit: « Ad hanc excommunicationem incurrendam necesse » est absolvere complicem in peccato turpi. Peccatum turpe heic est: *admissum impudicitiae scelus* (Bened. XIV. De Synodo VII. 14. 4.) An igitur et turpia » colloquia? Sententia communior affirmat, quia lex non distinguit; minus communis negat, quia versamur in odiosis: ego hanc sequor, quia complex, nisi in facto aliquo, nemo intelligitur, dicitur; et quia *lubricum linguae facile ad poenam trahendum non est.* (L. 7. Ad L. Iul. Maiest.) » Petrus Gury *Theol. Mor. Tom. II, n. 585* sententiam non pronuntiat, sed quaestioni. *Quid veniat nomine peccati turpis?* Respondet: Venit omne peccatum grave contra sextum Decalogi praeceptum, etiamsi non sit copula consumatum; imo licet sit solum tactus turpis. Quidam etiam addunt colloquium inhonestum, sed alii contradicunt; et haec sententia, inquit Amort, *De poenit. Dist. 10.* est conformior verbis Benedicti XIV *De Syn. Lib. VII, cap. 14. n. 4.* ubi hoc crimen describit.

Quidquid tamen sit de auctorum discrepantia, a sententia quam in cit. loco propugnavimus, recedendum non esse ducimus, cum contraria quolibet fundamento destituta nobis videatur. Revera 1. peccatum vel factum apertis verbis sub lege inclusum, legis praescripto et poena adnexa eximi non debet. At turpiloquium tum a Gregorio XV, tum a Benedicto XIV sub lege fuisse comprehensum, ille tantum dubitare poterit, qui non intelligat sensum verborum. Primus enim affir-

« § 2. Meminerint praeterea o-
» mnes et singuli Sacerdotes ad con-
» fessiones audiendas constituti, te-
» neri se, ac obligari, suos poeni-
» tentes, quos noverint fuisse ab
» aliis, ut supra sollicitatos, sedulo

mat, gravissime in officio S. Inquisitionis puniendos et consequenter denunciandos Confessarios illos, qui *cum eis* (poenitentibus) *illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.* Alius vero : *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.* At, quaerimus, quid sunt illiciti hi, et inhonesti sermones nisi turpiloquium ? Qua materia constat turpe eloquium nisi illicitis et inhonestis sermonibus? Quomodo ergo eloquia turpia lata lege possunt excludi? Atque advertendum est, citatos Pontifices, praesertim Benedictum XIV, antecedenter quamlibet sollicitationem sub lege conclusisse factam *verbis, signis, nutibus* etc. Ergo *illiciti et inhonesti sermones*, de quibus postremo loquitur, non pertinent ad sollicitationem proprie dictam seu provocationem ad inhonesta, sin minus admisisset inutilem repetitionem, cum illiciti et inhonesti sermones comprehenderentur sub sollicitatione facta *verbis*. Ergo ne hoc dicamus, illicitos et inhonestos sermones prorsus sub turpiloquio comprehendere voluisse Benedictus XIV dicendus est. 2. Praetermissis ceteris argumentis quae *loc. cit.* nos attulimus, inania prorsus esse dicimus quae primo loco adversarii statuunt ex sententia Benedicti XIV in Synodo; tantum enim abest ut ex illius verbis *admissum impudicitiae scelus* turpiloquium excludatur, ut potius includendum absolute esse ex contextu comperiamus. Et ad rei veritatem en integrum testimonium. » IV. Quamquam autem haec Sanctissimi Praesulis (S. Caroli Borromaei) » statuta, etiam generatim, uti sonant, sunt summopere commendanda, et quili- » bet antistitum sancte queat eorumdem vestigiis insistere : negari tamen haud » potest, maiorem quamdam et graviorem inhonestatem in eo adesse, ut Sacerdos » illius personae confessionem excipiat, cum qua *impudicitiae scelus admisit;* ac » proinde statim ac nos ad Petri cathedram evecti, totius Dominici gregis curam » suscepimus universali lege ediximus, ne ullus Confessarius *extra casum extre- » mae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc » quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessio- » nem Sacramentalem personae complicis* in peccato turpi atque inhonesto con- » tra sextum Decalogi praeceptum commisso *excipere audeat, sublata propterea » illi, ipso iure, quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque per- » sonam ab eiusmodi culpa absolvendam,* ut legi potest in nostris Apostolicis » literis, datis Kalendis Iunii 1741.... Ut porro conscientiarum tranquillitati con- » suleremus, aliis similibus litteris datis die 8 Februarii 1745.... declaravimus, » ad rem de qua agimus perinde esse, nullum adesse Sacerdotem, praeter illum, » cum quo poenitens *inhoneste peccavit*, aut eum tantum adesse, quem idem poe- » nitens constitutus in mortis articulo eligere nequit sine periculo se ipsum in- » famandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo in eo rerum statu, » non prohiberi, diximus, Sacerdotem suae impudicitiae complicem absolvere ».

Profecto *a*) hoc in testimonio Benedictus XIV auctoritatem urget Constitutionis *Sacramentum poenitentiae* a se latae, in qua disertissime expressit varia peccata, seu varios modos peccandi contra Sextum Decalogi praeceptum qui committi poterant in administrando Sacramento Poenitentiae. Ergo illud *admissum impudicitiae scelus* referri necessario debet, atque sub se concludere omnes illos varios peccandi modos, quos in cit. Const. Benedictus XIV recensuit et expressit

» monere, iuxta occurrentium casu- » ve locorum Ordinariis praedictis,
» um circumstantias, de obligatio- » personam quaesollicitationem com
» ne denunciandi Inquisitoribus, si- » miserit, etiamsi Sacerdos sit, qui

atqui intor illos sunt *illiciti et inhonesti sermones contra Sextum Decalogi praeceptum:* ergo etiam hi sub *admisso impudicitiae scelere* camprehenduntur. *b*) Quaerimus ab adversariis: quare inhonesti sermones comprehendi non debeant sub verbis *admisso impudicitiae scelere?* profecto quia *impudicitiae scelus* quid gravius significare videtur quam turpiloquium: esto; sed non negabunt significare etiam quid gravius quam aliquo signo, et nutu poenitentem ad inhonesta provocare; ergo ab impudicitiae scelere etiam provocatio facta nutu et signo est excludenda. *c*) Cl. Reatinus commentator affirmat, complicem non intelligi, nec dici, nisi *in facto aliquo.* Sed quale est istud factum? Duplex profecto factum contingere in re potest: vel mulierem verbis, nutibus, signis etc. ad peccandum provocare, quamvis ipsa assensum non praestet, vel reapse, assensu praestito, cum ipsa peccare; sed hoc alterum non attenditur, cum Confessarius ab sollicitatione non excusetur si mulier assensum denegaverit; ergo factum comprehensum sub *impudicitiae scelere* est factum verbis, signis, nutibus, tactibus, scriptura aut tunc, aut postea legenda admissum, ergo sub *impudicitiae scelere* comprehenduntur etiam facta verbis admissa; sed turpiloquium nonne est factum verbis admissum? *d*) Quare allegata facta, quamvis verbis, signis, nutibus manifestata sub *impudicitiae scelere* comprehenduntur? Profecto quia Benedictus XIV illa expressit; at pariter expressit *illicitos et inhonestos sermones.* Ergo et hi comprehendendi sunt. *e*) Ulterius nemo negaverit, illud *admissum impudicitiae scelus* tantum significare, et tantum complecti, quantum significant et complectuntur verba postea ab eo prolata: *in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum.* Dicant ergo adversarii, et probent, turpiloquium non esse peccatum turpe et inhonestum contra sextum decalogi praeceptum, et victas dabimus manus. *f*) Quod si ipsi vi vocabuli *impudicitiae* pressius insistere velint, videant, ne ex Constitutione Benedicti XIV omnia excludant, eamque ad nihilum reducant. Etenim impudicus est ille, iuxta vim graeci nominis, qui *pudicitiam suam prostratam habet, et propria qui alienam libidinem excipit.* (Facciolati. Calepinus septem linguarum.) Quin imo denotat specialiter amorem impudicum erga sexum masculinum, sicut libido erga sexum femineum; impudici hinc infames habiti sunt. *Domit. Ulpian. lib.* 1. § 6 *de postul. Si igitur impudicitiae scelus* stricto accipiamus sensu, multas corruant oportet quae Benedictus XIV statuit, atque praesertim dispositio illa S. Officii, de qua inferius, qua Confessarius sub lege comprehenditur, quamvis sollicitatus fuerit. Equidem dicturi erunt, impudicum et illum dici *qui castus non est;* at illi qui in Sacramento Poenitentiae turpiter loquuntur casti ne dicendi sunt? Igitur Benedictus XIV impudicitiae vocabulum simpliciter adhibuit, ad exprimendum scilicet quodlibet peccatum externum contra sextum Decalogi praeceptum; nervose vero sese expressit in tanti sceleris detestationem. *g*) Quid demum si Congregatio S. Officii in latis a se decretis diserte affirmaverit, denunciandos eos omnes esse qui in Sacramento Poenitentiae illicitos et inhonestos sermones habeant? at id profecto praestitit in edicto lato die 10 Martii 1677 quod paullo post referemus. *h*) Exinde vero patet responsio etiam ad aliam rationem a doctissimo d'Annibali adductam, complicem scilicet non intelligi nec dici nisi in facto aliquo; etenim turpiloquium est factum; atque deinde cum actio aliqua mala, quaecumque

» iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne poenitentibus quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant. »

In citatis Constitutionibus, ut lectores nostri adverterunt, poenitentes sollicitati tantum urgendi erant ad denunciandos confessarios sollicitantes, alii minime. Attamen Supremi Inquisitores Romani die 10 Martii 1677 Edictum tulerant, quo omnes indiscriminatim adigebant sub poena excommunicationis latae sententiae, aliisque poenis in Decretis Romanorum Pontificum contentis ad denunciandos eos qui contra Decreta et Constitutiones Apostolicas abusi sint vel abutantur Sacramento Poenitentiae ut poenitentes ad turpia sollicitent, et cum ipsis ineant sermones inhonestos neque convenientes ad finem, cuius causa Sacramentum poenitentiae institutum fuit. (1)

Dignum quidem inquisitione es-

illa sit, lege et poena lata interdicitur, optime complex vocatur ille qui actionis illius complex est. *h*) Ad postremum argumentum quod *lubricum linguae facile ad poenam trahendum non est*, respondemus, 1°. hanc legem in re locum non habere cum agat de maiestatis crimine, de iis scilicet qui contra principem loquuntur 2°. citata verba referri ad eos qui inadvertenter aliquid contra principem loquuntur. Et in rei veritatem en testimonium. *L. 7 §. 3 ad Leg. Iuliam maiestatis.* « Hoc » tamen crimen non in occasione ob principalis Maiestatis venerationem habendum » est, sed in veritate. Nam et personam spectandam esse an potuerit facere, et an » ante quid fecerit, et an cogitaverit, et an sanae mentis fuerit : *nam lubricum* » *linguae ad poenam facile trahendum non est:* quamquam enim temerarii digni » poena sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod » vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est. »

Ex quibus postremis intelligimus, lubricum linguae puniri debere si sub lege a, e te comprehendatur, neque malitia actus minuatur ob mentis vel advertentiae defectum; quod in casu nostro veritatem non sortitur : turpiloquium enim in Sacramento poenitentiae est peccatum horrendum voluntarie, imo ausu temerario commissum, ideoque non est quid lubricum, et veluti inadvertenter admissum, sed quid prorsus volitum, et convertens Sacramentum poenitentiae a Christo in remissionem peccatorum institutum, in animarum perniciem, et aeternam damnationem.

(1) Comandiamo in virtù di santa obbedienza e sotto pena di scommunica di lata sentenza..... a tutti o ciascuna persona di qualunque stato etc., che fra il termine di un mese.... debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio,

set, an eiusmodi Decretum latum quidem post Constitutionem Gregorii XV, sed ante Constitutionem Benedicti XIV, in qua unis poenitentibus sollicitatis, prorsus ut primus decreverat, onus denunciandi confessarios sollicitantes imponit, Christi fideles non sollicitatos obbligaret; sed frustra inquireremus, cum Pius IX disertis verbis unos poenitentes sollicitatos ad denunciandum Confessarios sollicitantes nunc cogat sub excommunicationis nemini reservatae poena; quae quidem prima differentia est vetus ius inter et novum. Altera est quod in veteri iure lata excommunicatio reservata, ante denunciationem, erat vel summo Pontifici, vel Supremae Inquisitioni; postquam autem denunciatio facta fuisset, a quolibet Confessario absolvi poterat; at post Pianam Constitutionem, tum antea tum post denunciationem nemini reservatur. Quid ergo? Num ne nunc temporis obligatio denunciandi confessarios sollicitantes unos poenitentes sollicitatos obstringit? Et quidem sub poena excommunicationis vere; ceteri vero omnes qui crimen utcumque, sed certa cognitione sciunt, sub gravi denunciare, quamvis sine ulla excommunicatione, tenentur. Sunt enim de haeresi suspecti, ideoque sub gravi denunciandi. (1) Urget de cetero praeceptum Supremae Inquisitionis latum anno 1867, quo n. 3. praescribitur. « Huius- » modi denunciationes a nemine abs- » que culpa lethali omitti possunt. » Qua de re poenitentes debent ad- » moneri, neque ab iis admonen- » dis instruendisque eorum bona » fides excusat. » Hisce vero praemissis inquiremus:

1. Quinam denunciare Confessarios sollicitantes teneantur?

2. In quibus casibus?

3. Quomodo denunciatio facienda?

Et quantum ad primum attinet, omnes prorsus poenitentes sollicitati, cuiusvis sexus vel aetatis, dummodo doli sint capaces, Confessarium sollicitantem sub excommunicationis poena denunciare tenentur. Lex enim in casu apertissima est, neminem excludens, neminem excipiens: *Negligentes, sive culpabiliter omittentes denunciare.*

ovvero agli Ordinarii tutti e ciascuno di quelli, dei quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia..... Che contro i Decreti, e Costituzioni apostoliche, abbino abusato, o abusino il Sagramento della penitenza, servendosi della Confessione e Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito. Apud Felix Potestà, *Examen Confessariorum Tom. II, Pars 2. Cap. 1. n. 226. pag. 348. Edit. 1745.*

(1) Ille quoque graviter peccat, nec levem contrahit malae credentiae suspicionem, qui in Sacramento Confessionis vel ad venerem, vel ad quaeque flagitia, seu peccata provocat confitentem; et propterea iure etiam optimo iudicio Inquisitorum subiectus est. Verba sunt Peniae in Commentariis ad Directorium Eymerici, *part. 2 Comment. 81 ad quaest. 56.* Et ita etiam alii.

At ut eiusmodi incurratur excommunicatio, denunciationis omissio, ex lege lata, culpabilis esse debet; hinc si absque culpa omittatur, nulla excommunicatio incurritur. Culpa vero deesse potest vel ratione ignorantiae, vel gravissimae alicuius circumstantiae, qua poenitens praecepta denunciatione absterreatur.

Ex capite ignorantiae ille lata poena eximendus est qui vel legem, vel adnexam poenam, vel tempus ad denunciationem faciendam praescriptum ignorat. Excommunicatio enim sine contumacia non incurritur; at siquid ex tribus conditionibus recensitis poenitentem sollicitatum lateat, contumax dici nequit, cum contemptus sive legis, sive legislatoris in eo supponi, perfecte saltem, non possit.

Ex Capite vero circumstantiarum excommunicationi subiiciendum non esse illum putamus, qui illius adimplendae causa, vel grave aliquod malum rationabiliter timet, vel grave incommodum subire debeat. Lex enim ecclesiastica cum gravi non obligat incommodo.

Equidem eiusmodi sententiam Bonacina respuere videtur, dum *in Tractatu de onere et obligatione denunciandi Part. III, n. 11* scribit (1) privatarum personarum incommodis praevalere incommoda quae sequuntur ex abusu Sacramenti. Attamen rationes ab eo adductae tales non sunt quae a communiori sententia nos recedere compellant. Imprimis non agitur de facto intrinseco ex. gr. de mutuo turpiloquio, quod etiam eliminare posset non denunciando suam adhaesionem, sed de extrinseco et ab Sacramento Poenitentiae independente, quod difficulter ab denuntiante eliminari possit: hinc secundo, nihil est quod periculum illud raro contingat, agitur enim de periculo quod reapse evenire queat; tertio si Bonacina vixisset post Benedictum XIV, ab hoc sancitum vidisset, posse Sacerdotem sollicitantem

(1) « Non esse valde onerosum poenitenti denunciare confessarium cum quo » peccavit, cum possit illius sollicitationem et provocationem ad actus illicitos » manifestare, non explicata sua cooperatione et consensu. Respondeo secundo, » praecepta etiam humana aliquando obligare cum gravi incommodo, dum ita po- » stulat bonum communitatis, vel religionis, seu dum legislator intentionem ha- » buit obligandi etiam cum gravi incommodo; bonum autem religionis et Sacra- » menti praeponderat incommodo poenitentis, et legislator etiam in hoc eventu » intentionem habuit obligandi, ut colligitur ex illis verbis Gregorii XV, *aut cum* » *iis illicitos et inhonestos sermones habuerint.* Contrarium sentire videtur » Rodericus de Chuna quaest. 19, ubi fuse probat, metum mortis, aut honoris » amittendi seu infamiae incurrendae excusare a denunciatione, quia praecepta » humana non obligant cum gravi incommodo; sed contraria sententia, saltem » regulariter loquendo, sustinenda est, tum quia fere numquam huiusmodi pericu- » lum imminet; tum quia incommoda quae sequuntur ex abusu Sacramenti poeni- » tentiae in hac materia, praevalent incommodis privatarum personarum. »

complicem absolvere ob periculum infamiae quod immineret; quarto non constat hinc, legislatorem intentionem habuisse obligandi etiam cum gravi incommodo; neque apud Gregorium XV, neque apud Benedictum XIV ulla sententia habetur, qua edicatur poenitentem ad denunciationem obstringi etiam cum gravi incommodo; quin imo recentiori aevo decreta habentur quibus ob eiusmodi poenitens sollicitatus excusatur; etenim in Instructione S. Officii an. 1867 n. 5 praecipitur. « Poenitentes admoniti » et omnino renuentes nequeunt » absolvi; qui vero ob iustam cau» sam denuntiationem differre de» bent, eamque quo citius poterunt » faciendam spondent, serioque pro» mittunt, possunt tunc absolvi; » quinto, quamvis vero bonum Sacramenti praeponderet bono particularis personae, haec tamen ratio in re locum non habet; etenim non agitur de bono Sacramenti, sed de denunciatione facienda, quae extrinseca prorsus Sacramento est; sexto, neque aliquis ex praetermissa vel dilata denunciatione abusus Sacramenti sèqui videtur nisi ex suppositione, quod scilicet Confessarius sollicitans pergat et alios, vel eandem personam sollicitare; id autem supponitur, dum e contra periculum gravis damni ex denunciatione reapse imminet. Et ut sententiam ad casum particularem applicemus. Titius Sacerdos in confessione Sacramentali Caiam ad turpia provocavit; universa autem Caiae familia Titio famulatur, eiusque sustentatur bonis; si Caia Titium denuntiet, hic illico intelligit ex quo fonte denunciatio processerit, et domo famulatuque poterit Caiae familiam cum gravi certo damno dimittere. Id autem ipse Bonacina admittit, qui *loc. cit. Punct.* 1. § 3. n. 2. scribit: « Non est obligatio denun» ciandi quando ex denunciatione » magnum imminet periculum et » detrimentum denuntianti. Quam» obrem si ego privatim novi aliquod » delictum quod etiam delinquens » novit a me sciri, ita ut possit » colligere, denunciationem a me » factam fuisse, et non ab alio, non » teneor denunciare, quoties ex de» nunciatione periculum mihi im» pendet in vita, vel in bonis etc., » nam edictum cum sit benigne » explicandum, non obligat cum » tanto incommodo, modo crimen » non vergat in detrimentum et » damnum publicum; bonum enim » commune praeferendum est pri» vato. » Quod certe in casu nostro non contingit. Equidem Bonacina, alios casus inter, excipit denunciationem Confessarii sollicitantis, at non perspicimus quo iure.

Haec demum est communis Doctorum sententia; satis sit excribere quae profert Roncaglia *Universa Moralis Theologia Tract. XIX De Confessario sollicitante Cap. II p. 116* qui iis etiam respondere videtur quae *loc. cit.* Bonacina inducit: « Si » vere et rationabiliter ex denun-

» ciatione grave timeatur damnum » in vita, fama, et rebus tempora- » libus, excusari posset poenitens a » denunciando. Ratio est quia datur » ius naturale ad haec damna prae- » cavenda, contra quod ius non » praevalet ius positivum Ecclesiae, » quae ulterius non solet obligare » cum gravi incommodo ad suarum » legum observantiam. Accedit, le- » ges imponentes denunciationem » de sua natura non obligare cum » gravi incommodo quia non ha- » bent illud de sua natura adnexum; » uti se habent ex. gr. praecepta » facta militi de non relinquenda » statione, vel Parocho de assistendo » infirmis peste laborantibus. Quan- » do autem lex de sua natura non » exposcit cum gravi incommodo » adimpleri, cessat obligare, si istud » grave incommodum superveniat, » ut constat de lege imponente ie- » iunium, auditionem sacri etc. »

Optime tamen animadvertit cum Salmanticensibus, etiam cum gravi damno adimplendam esse denunciationem, si hac omissa, oriatur despectus Sacramenti et animarum pernicies; quod eveniret, si Confessarius frequenter ad sollicitandum Sacramento abuteretur, hoc enim in casu adesset damnum publicum, quod damno privato praevalet.

Huic nostrae sententiae robur addunt declarationes S. Officii. Etenim die 22 Ianuarii 1727 Congregatio S. Officii respondens dubiis propositis a P. Carolo Iosepho Spediae Praefecto missionum in America, decrevit, mulieres sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si Ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant » apud *Antoine, Tract. De Poenit. pag. 140, Edit. 1793.*

Recentiorum denique Commentatorum sententia haec est: Reatinus *pag. 104, Edit. 3.* « Cessat obliga- » tio denunciandi si fieri nequeat » absque incommodo admodum gra- » vi. » Del Vecchio *Theol. mor. Tom. I, pag. 725, n. 910.* « Ut » autem culpabilis ista omissio cen- » sura puniatur..... requiritur ut » denuntiatio fieri possit absque in- » commodo admodum grave; quod » si adest, potest absolvi poenitens, » modo paratus sit denuntiare im- » pedimento cessante. » Demum, ut ceteros praetermittamus, De Varceno *Theol. mor. Tom. 2, pag. 505.* « Excusatur vero si denunciationem » commode facere nequeat. »

Ni tamen poenitentem ignorantia, aut grave damnum vel incommodum excusent, denunciationem facere infra mensem debet. Mensis autem computandus est ab notitia habita faciendae denuntiationis; hinc si poenitens post viginti annos in notitiam devenerit eiusmodi obligationis, mensis pro eo post annos viginti decurrit. Attamen ad incurrendam latam excommunicationem necessario scire debet sibi ad denunciationem faciendam mensem esse praefinitum; si enim putet sibi

liberum esse quandocumque denunciare Confessarium sollicitantem, excommunicationem neque post mensem incurrit, cum desit contumacia; si vero existimet sibi onus incumbere illico denuntiandi, excommunicationem post mensem incurrit, non antea, quia lex spatium mensis sollicitato poenitenti ad denuntiandum concedit; neque ad dispositiones eius internas, scilicet ad eius ignorantiam aut malitiam infra eiusmodi tempus aliquo pacto respexit.

Ut autem poenitenti denunciandi onus incumbat, certus hic esse omnino debet de vera et reali sollicitatione, ita ut de ea dubitare nullimode possit. Si enim dubitat, ad denunciandum non tenetur. Dubium vero cadere potest vel circa personam sollicitantis, ita ut poenitens confessarii sollicitantis nec nomen, nec personam cognoscat; vel circa ipsum factum sollicitationis, dubitet scilicet an verba aut signa a Confessario prolata et exhibita ad turpia provocationem importent. In primo casu poenitens ad denunciationem tenetur; constat enim de sollicitatione, et inquisitores vel Episcopus ex hausta notitia loci, temporis sedis confessionis etc. facillime devenire poterint in cognitionem Confessarii sollicitantis; (1) ex pontificiis Constitutionibus autem nullo modo deprehenditur necessarium esse Confessarii sollicitantis nomen cognoscere ut poenitens ad denunciationem teneatur, sed absolute peractae sollicitationis causa denunciatio praecipitur. Quod etiam necessarium est; quandoquidem externi qui non semel ad Ecclesias et Sanctuaria celebria pergunt confessionem instituturi apud quemlibet Confessarium quem reperiant, quemque fortasse numquam viderunt, et de quo numquam audierunt, si sollicitarentur ad denunciationem non tenerentur; atque idipsum dicito de Confessariis ipsis, qui aliquando in magno populi concursu ad alia oppida advocantur, quique a confluentibus devotionis causa nullo pacto cognoscuntur; ii scilicet sine ullo denunciationis periculo possent ad turpia sollicitare: et ita lex ecclesiastica inutilis in plurimis casibus redderetur; quod a mente Legumlatorum alienum certe fuit et est.

Si autem dubium versatur circa verba, aut signa a Confessario prolata, an illa scilicet sollicitationem ad turpia importent, denunciatio peragenda non est; legislatores enim loquuntur de facto certo, quod sollicitationem ad turpia importet: *ad inhonesta et turpia sol-*

(1) Adnotare tamen non praetermittimus ea, quae in re loquitur S. Alphonsus *lib. VI, n. 702.* « Hoc tamen censeo dicendum solo casu, quo facile iudices per » suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitantis: quia alias Sacerdos » ille cum possit esse innocens remaneret aliquo modo diffamatus; et in dubio il- » laesa debet servari fama proximi, qui eam possidet. »

licitare vel provocare... tentaverint; dum autem de substantia actus dubitatur, factum certum esse nequit; ergo neque poenae subiiciendum, neque denunciationi; (1) accedit quod hallucinationibus et falsis denunciationibus per eiusmodi sententiam lata aperiretur via, ut non semel contigit cum maximo Sacerdotum dedecore, atque animi angore.

At si de sollicitatione constiterit, poenitens ad denunciationem tenetur, nisi gravi incommodo vel infamiae contrahendae periculo excusetur, ut supra innuimus. Hinc poenitentes sollicitati tenentur ad confessarios sollicitantes denunciandos, quamvis

a) Ipsos noverint ad sanctiorem vitam conversos; Pontifices enim nedum intendunt delinquentis Confessarii emendationem, sed delicti punitionem ad scandalum reparandum damnumque resarciendum; quae Ecclesiae mens ex eo percipitur quod denunciationem praecipiat nulla praemissa monitione. De cetero Suprema Inquisitio, ut refert Giraldi *Expositio iuris Pontificii pag. 641. n. VI* decrevit, *mulierem sollicitatam teneri ad denunciationem, etiamsi sciret, sollicitantem sponte comparuisse.* At nullum evidentius conversionis signum illo dari potest, quo sponte Confessarius peccatum suum coram legitimis superioribus defert.

b) Vel multum temporis a peracta sollicitatione effluxerit; quod et in Constitutione *Sacramentum poenitentiae* definitum fuit per illa verba: *etiamsi longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit,* et in Decreto supremae Inquisitionis diei 11 Maii 1707, (2) quo declaratum fuit, *puellam sollicitatam in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis tenere denuntiare Confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit.* Quod tempus etiam infra plurimos annos concludi posset.

c) Et etiamsi poenitens sollicitationi consenserit, et cum confessario peccaverit: neque enim inde vel culpa sollicitantis excusatur, vel minor Sacramento irrogatur iniuria, vel ex lege casus eiusmodi excipitur; immo includitur, cum Benedictus XIV in cit. Const. *Sacramentum poenitentiae* caverit: *etiam-*

(1) Perbelle S. Alphonsus *loc. cit.* « Si vero persona Confessarii sit certa, et » dubitatur, an eius factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc cum communiori et veriori sententia dicendum, non esse obligationem denunciandi. Ratio, » tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt, et in verbis ambiguis be» nignior interpretatio facienda est; tum quia in dubio nemo est privandus fama » quam possidet: tum quia Bulla praecipiunt denunciari sollicitantes; sed nequit » dici sollicitans, de quo dubitatur an vere sollicitaverit; nam crimen dubium » non est crimen. »

(2) Apud Giraldi *Expos. iuris Pontif. pag. 641, n. VIII.*

si sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit. Attamen S. Congregatio S. Officii die 23 Iulii 1624, *ut refert Giraldi loc. cit. pag. 641*, declaravit: *mulierem, quae sollicitanti Sacerdoti consenserit, non teneri in denunciatione consensum a se praestitum manifestare; teneri tamen denunciare, etiamsi ipsa prius sollicitaverit, et ad consensum traxerit Confessarium.*

Et in decreto edito die 27 Septembris 1724 statutum fuit: *Si mulier consentit Confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare; nec potest super hoc ab Episcopo interrogari.* S. Alphons. *lib. VI. n. 700.*

Quare Suprema Inquisitio in Instructione, quam dedit anno 1756 quamvis decernat ad denuntiandum teneri etiam mulierem quae consensum praestitit, addit tamen, eam non teneri ad consensum suum manifestandum, neque de hoc interrogandam esse ab Ordinario, seu Inquisitore: itemque Confessarium sollicitantem, si contra ipsum procedatur, non esse interrogandum de poenitentis consensu, et si forte id dicat, non esse scribendum, neque in acta referendum. (1)

d) Neque poenitens a denunciatione dispensatur si ipsa primum Confessarium sollicitaverit, et hic sollicitationi consenserit. Etenim in Decreto S. Officii diei 11 Februarii 1661. secundo loco quaeritur: « An » confessarius consentiens sollici- » tationi, sed statim desistens de » illa turpi materia loqui, differen- » do illius complementum ad aliud » tempus, et non praebendo abso- » lutionem poenitenti, incidat in » poenas contentas in Bulla Gre- » gorii et sit denunciandus?

Cui dubio responsum fuit: *Censuerunt incidere, et Confessarium esse denunciandum, rejecta opinione contraria quam non esse probabilem censuerunt. Apud Giraldi loc. cit. pag. 632.*

Idipsum porro eruitur evidentissime ex quaestione IX eiusdem decreti: « An Confessarius sollicitatus, si metu inductus, sollicitanti consentiat, sit denunciandus?

Responsum enim fuit: *Censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

(1) Apud Giraldi *Expos. iuris Pont. Part. I, Lib. V, Cap. XV p. 642.* «Questi » miei Signori Eminentissimi.... hanno risoluto, che qualsivoglia penitente è tenuto » a denunziare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo ed atto » della confessione, ancorchè egli abbia consentito, e non è tenuto a propalare il » proprio consenso, nè sopra ciò s' interroghi dal Vescovo, o dall' Inquisitore, o dai » loro Vicarii, avanti i quali deporrà, nemmeno il Confessore denunziato, proce- » dendosi poi contro di lui nei costituti, che se gli faranno, s' interroghi sopra » detto consenso, ed in caso che egli volesse dirlo da se, non si scriva il suo detto, » come cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante al S. Officio della Su- » prema Inquisizione. »

Quod ipsum dicendum est si sollicitatio mutua fuerit, ex articulo VIII eiusdem decreti: « An » quando Confessarius et poenitens » ad invicem se sollicitant, confes» sarius sit denunciandus?» *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

e) Neque a denunciatione dispensatur poenitens, si Confessarius excusari posse videatur propter parvitatem materiae: etenim in cit. decreto sub *n. 3:* ad quaestionem: An Confessarius, sollicitando propter parvitatem materiae sit denunciandus: Responderuut Eminentissimi Patres: *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non dari censuerunt, esse denunciandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

f) Neque a denunciationis onere dispensatur, si poenitens apud Confessarium sollicitantem confessionem instituat, hic autem a denunciatione dispenset; propositio enim haec damnata fuit ab Alexandro VII die 24 Septembris 1665. *Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.* Patet vero, eiusmodi absolutionem nullam esse. (1)

E contra exquisita attentione utendum est, antequam onus denunciationis poenitentibus imponatur, in inquirendo an de sollicitatione Confessarius ille sit culpandus qui mulierem de pulchritudine laudavit. In eiusmodi enim quamvis pravus animus intercedere possit, tamen ea non porrigunt certa de sollicitatione indicia. Hinc in cit. S. Officii decreto, ad Q. XII « An Confessarius, si laudet poe» nitentem ex pulchritudine et ve» nustate dicatur illam sollicitare, » et ideo sit denunciandus? »

Responsum fuit: *Censuerunt, si laus illa sit seria, et nihil pravae intentionis redoleat, negativam esse probabilem; si vero secus, non esse probabilem.*

Et quidem recte; si enim sine ulla prorsus rationabili causa (2), sed leviter, subridendo, insuper

(1) Cf. Commentarium nostrum Vol. 1. pag.

(2) Ex. gr. Si confessarius ad inculcandam maiorem cuidam puellae modestiam, diceret praeter alia: *Ne ad fenestram nimis accedas, ne in via oculos huc et illuc conicias, posses enim homines ad malum provocare, eo quod es pulchra:* vel puellae non castae diceret: *Huiusmodi peccatis abstineas; etenim in te dedecus maximum conicere possunt, si detegantur, ut facile deteguntur: E contra etiam facile si caste vixeris invenem vel virum invenire poteris, cui nubas, eo quod pulchra es puella;* vel mulierem conjugatam, quae societates plerumque frequentet, iis absterreat, etiam ea de causa, quod cum pulchra sit posset homines ad seductionem impellere; vel alia huiusmodi et in eiusmodi casibus, Confessarium non esse arguendum putamus. Attamen et illud rectius et prudentius esse arbitramur, ut Confessarius semper commendationibus abstineat.

non castis oculis aspiciendo, confessarius laudet mulieris pulchritudinem, praesertim si ex confessione habita, non admodum casta deprehendatur, nescimus quomodo poenitens ab eo denuntiando dispensari possit. Attamen maxima prudentia et circumspectione hac in re Confessario utendum est, et denunciationis onus non imponendum, nisi *moraliter* certus sit, quod ob circumstantias adnexas, eiusmodi commendationes sollicitationi ac provocationi ad turpia aequipolleant.

Eiusmodi prudentia et circumspectio multo magis adhibenda est in casu, quo Confessarius, sine ulla pulchritudinis commendatione, vel alicuius verbi prolatione, quod saltem ambiguum sit, mulieri poenitenti porrigit donum aliquod non mediocris, et etiam magni valoris. Donum enim per se indifferens est et aliquando etiam ad bonum finem porrigi potest, quamvis etiam ad malum. Attamen de pravitate intentionis constare debet per aliquem actum externum, qui non sit indifferens: lex enim contra sollicitantes inducta exigit sollicitationem ad turpia; de hac ergo constare debet, ut denunciatio imponatur; cum vero donum per se non dicat sollicitationem, haec ex eo tantum arguenda non est, sed ex adiunctis quae donum comitantur, quae si porrigant moralem certitudinem quod donum datum sit ad sollicitandam mulierem ad turpia, denunciatio est imponenda; alias numquam, sed observanda S. Alphonsi sententia, qui lib. VI, n. 703 scribit prudentissime et vere: « Ceterum quando verba vel facta » sunt ambigua, Confessarius non » est denunciandus, nisi de eius pravo affectu moralis habeatur certitudo. » Eiusmodi prudentia de cetero commendatur etiam in allegata Instructione S. Officii, in qua n. XVI quaeritur: « An sit denunciandus Confessarius, qui audiens confessionem, dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse? » Atque responsum fuit: *Idem censuerunt quoad duodecimum;* quod scilicet vertebatur circa pulchritudinis commendationem.

Pariter non est denunciatio imponenda mulieribus coniugatis aut puellis, quae longo itinere impediuntur, vel aliis gravibus circumstantiis quominus denunciationem peragant: Id constat ex Decreto S. Officii, quod refert Giraldi *loc. cit. pag. 640. 641.* « Qui in partibus schismaticorum, haereticorum, et Mahumetanorum degunt, » licet subiecti sint Constitutionibus contra sollicitantes, tamen » in iis locorum circumstantiis, in » quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres » sine periculo et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile poenam declinare posse » credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismaticos, vel ad laicos judices infideles, ex decreto

» S. Congregationis S. Officii die » 21 Februarii 1630, attentis su» pradictis causis, absolvendi sunt » et liberandi ab hujusmodi onere » denunciandi: moneri tamen de» bent, ut *cessantibus supranarra» tis periculis et impedimentis, te» neantur denunciare.* »

Neque imponenda denunciatio est, si poenitens postulans a Confessario ut crastina die suam audiat confessionem, illam sollicitat; id enim in cit. decreto S. Officii ita definitum fuit sub. n. IV: « An » Confessarius qui foeminae in con» fessionario dicenti, se velle in » crastinum confiteri, illam sollici» tat et confessionem dissuadet, » sit denunciandus? R. *Si sollici» tatio fiat extra locum confessio» nis, et absque praetextu confes» sionis, censuerunt negativam opi» nionem esse probabilem, secus in » confessionario, seu in loco confes» sionis.* »

Id autem intelligendum est dummodo non adsit simulatio confessionis, ut infra patebit.

Similiter denunciandus non est Confessarius qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando confessionem: ita enim in cit. decreto declaratum fuit: *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Abstinendum pariter est ab imponenda denunciatione poenitenti, quae a personis fide non dignis audivit, Confessarium reum esse sollicitationis. Etenim in cit. Instr. sub n. XIV quaesitum fuit: « An » quis teneantur denunciare con» fessarium sollicitantem, si hoc » audivit non solum a fide dignis » sed a levibus personis? Et re» sponsum fuit: *Censuerunt opinio» nem negativam non carere pro» babilitate.* »

Neque denunciandus est interpres qui mulierem confessionem instituentem sollicitet; etenim Eminentissimi Patres in cit. Instr. n. VI *censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

Sed neque mandans Confessario ut in confessione sollicitet; etenim mandans neque sub lege includitur, neque officium confessarii agit, et potius Confessarius mandatum executioni committens est denunciandus. Id insuper declaratum etiam fuit in cit. Instructione sub. n. VII: « An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus? » *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

At lectores plerique quaerere possent: Denunciandusne est Confessarius, qui in sacramentali confessione mulierem conquerentem de tepido sui viri amore, docet actus turpes cum eodem viro exercendos?

Et quidem Cardinalis Cozza *Dubia selecta de Confessario sollicitante* nn. 183, et 187, ad quaestionem affirmative respondit: « Ra» tio est, inquit, quia dum docet

» turpes et inhonestos actus quam-
» vis cum proprio exercendos viro
» negari minime potest, quin ha-
» beat illicitos et inhonestos tra-
» ctatus cum ipsa in Sacramentali
» confessione: ergo praefatus Con-
» fessarius subiicitur judicio Inqui-
» sitorum, quemadmodum omnes
» subiiciuntur confessarii, qui cum
» poenitentibus habent in sacra-
» mentali confessione sermones et
» tractatus inhonestos, ad praescri-
» ptum Apostolicarum Constitutio-
» num, et praecipue Gregorii XV.
» Confirmatur etiam haec nostra
» opinio ex decreto Alexandri VII
» dato sub die 6 Septembris 1663,
» quo decrevit puniendum poena
» carceris per quinquennium, at-
» que inhabilitandum in perpetu-
» um ad audiendas sacramentales
» confessiones, nec non et ad con-
» cionandi munus, quemdam con-
» fessarium, qui in Sacramentali
» confessione docuerat mulieres
» modum se habendi cum suis ma-
» ritis in coniugali copula, consi-
» stentem in turpissimis et inho-
» nestissimis actibus. Ex quo con-
» stat praxim supremi Tribunalis
» esse, ut hujusmodi confessarii
» talia edocentes puniantur in S.
» Officio. »

Atque etiam alii casum ita resolvunt, quamvis eum proponant gravioribus vel levioribus circumstantiis munitum.

Ut in re sententiam nostram exponamus; distinguendum esse ducimus inter Confessarium, qui simpliciter doceat mulierem conquerentem de tepido sui viri amore, ad illum ad copulam conjugalem excitandum, et confessarium illum qui sine ullo mulierum questu, sed qualibet arrepta circumstantia, vel etiam interrogationibus adhibitis, ut possit in hujusmodi sese ingerere, eas turpissimos actus docet, modosque varios alliciendi maritos ad copulam, quos plerumque uxores non ignorant, et quia non ignorant, neque quaerunt.

In primo casu enim, quamvis de imprudentia sit confessarius arguendus, dummodo bona fide non excusetur, non est tamen de sollicitatione, vel de illicitis et inhonestis sermonibus, seu tractatibus temerario ausu habitis accusandus. Etenim 1. lex eliminare intendit periculum peccati Confessarium inter et poenitentem; 2. actus, quos suggerit in proposito casu Confessarius uxorem inter et maritum, vel liciti sunt, vel esse possunt; excludimus qua de causa ex casu proposito actus qui etiam inter conjugatos illiciti sunt; 3. Actus illos Confessarius recta intentione vel suggerit, vel suggerere potest, ad excitandum scilicet virum ad prosequendam uxorem ferventiori amore, ex quo bona certe, non mala nascuntur; constat enim ex tepido virorum erga uxores amore multas suspiciones, dissensiones, et mala oriri, non exclusa reciproca infidelitate. 4. Consequenter in ejusmodi re Confessarius argui non potest,

saltem certe, de mala sua intentione, veluti illa dicat et suggerat ad alliciendam mulierem ad sui amorem. 5. Neque mulier scandalum sumit; cum enim ipsa de tepido viri sui amore questa fuerit, non potest mirari si Confessarius circa actus maritales aliquid dicat, ad eum finem ut ipsa ad sui ferventiorem amorem maritum excitet. Ergo hoc in casu non constat de turpibus et inhonestis sermonibus, multo minus tractatibus, neque constat de mala intentione confessarii neque de scandalo poenitentis, ita ut non verificetur in se id quo gravissime queruntur Pontifices dum poenis adeo severis pericula animarum ab Sacramento Poenitentiae quaerunt arcere. Qua ergo de causa eiusmodi Confessarius esset denunciandus? 6. Neque contra urgenda est dispositio Alexandri VII relata in testimonio Cardinalis Cozza; agitur enim ibi de Confessario qui in Sacramentali confessione docuerat *mulieres modum se habendi cum suis maritis in conjugali copula consistentem in turpissimis et inhonestissimis actibus;* quae toto coelo distant a proposito casu de Confessario edocente mulierem conquerentem de tepido sui viri amore. Confessarius enim, de quo Eminentissimus Cozza, debacchari videbatur in huiusmodi turpissimis sermonibus, et quidem sine causa, et qualibet arrepta, nisi apte quaesita, circumstantia. Quique consequenter et turpia sua desideria prodebat animumque libidine aestuantem, et scandalum irrogabat. Optime qua de causa eum Alexander VII gravissimis poenis affecit.

Diversus pariter est casus a cl. De Varceno propositus *Theol. mor. Tom. II, pag. 204. 205.* Quaerit enim: « Confessarius in confessione » mulierem, quae de tepido viri » amore querebatur, docuit artifi- » cia pluresque modos inhonestos » allectivos, et remedia quaedam » applicanda vasi pariter ad alli- » ciendum maritum; an sit reus » sollicitationis et denunciandus?

R. Affirmative, quia docuit meretricia cum alio perpetranda, vel turpia cum seipsa exercenda. Ita Felix Potestas.

Quamvis et nos eadem sentiamus, non tamen propter eamdem rationem: etenim meretricia non sunt, saltem proprio sensu, ea quae fiunt ab uxoribus ad alliciendum proprium maritum, sed alios viros; neque confessarius reus est sollicitationis proprie dictae, sed turpium sermonum; constat tamen hunc turpissima docuisse, noxia, nullo modo necessaria, quaeque peccatum constituebant; hinc denunciandus; at casus hic, ut patet, in immensum distat a primo proposito casu.

Concludendum ergo esse putamus, dubium saltem esse, an primus confessarius habuerit cum muliere querente de tepido viri sui amore *illicitos et inhonestos sermones,* sensu ab legislatoribus intento; in dubio autem quod mini-

mum tenendum esse; ideoque Confessarium illum non esse denunciandum.

Post haec eas omnes actiones expendamus oportet, quae certe sub latis legibus comprehenduntur.

Et prima est ut quis Confessarius, quo nomine etiam Sacerdos intelligitur, qui quamvis facultate opportuna careat, confessiones tamen audit (1), ad turpia et inhonesta poenitentem provocet in *actu Sacramentalis confessionis*, eo scilicet temporis spatio quo sacramentalis confessio peragitur; id autem intelligendum est nedum de aperta, explicita et perfecta provocatione, sed etiam inchoata; etenim et in hac verificatur quod Confessarius in actu Sacramentalis Confessionis poenitentem ad turpia provocarit. Hinc si Confessionis decursu Confessarius poenitenti dicat: expecta me hodie domi: vel interroget ubi habitet, et domum eius postea adeat atque cum poenitente contra sextum peccet, denunciandus est; pariter est denunciandus si poenitenti chartam vel epistolam tradat postea domi legendam, in qua ad turpia sollicitet. Hoc postremum in cit. Declaratione S. Officii diei 11 Februarii 1661 declaratum fuit, in qua n. 1. quaeritur. « An » sit denunciandus Confessarius qui » dat poenitenti chartam in con» fessione, postea domi legendam, » in qua ad venerem sollicitabat? » Cui quaesito responsum fuit: *Qualificatores censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem*; contraria insuper opinio damnata fuit ab Alexandro VII die 24 Septembris 1665 his verbis: *Confessarius qui in Sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non denunciandus.* Atque demum id apertis verbis continetur in Const. *Sacramentum poenitentiae* a Benedicto XIV lata, qua reos sollicitationis, et denunciandos Confessarios illos decernit, qui in Sacramentali confessione provocant poenitentem ad turpia *per scripturam, aut tunc, aut post legendam.*

Atqui sollicitatio huiusmodi est, ut ita dicamus, in Sacramento Poenitentiae initialis eo sensu, ut in eo per traditam epistolam postea legendam provocatio ad turpia initium habuerit, quamvis vere et proprie nil turpe, et neque inhonestus sermo poenitentem inter et Confessarium intercesserit. Attamen eiusmodi Confessarius denunciandus indicitur. Id ergo etiam superius expositam sententiam de inchoata

(1) Id intelligimus nedum ex cit. Constitutionibus Gregorii XV, et Benedicti XIV, in quibus sermo est de Sacerdotibus, sed explicite ex Instruct. saepe cit. S. Officii, in qua n. V., quaeritur: An Sacerdos carens iurisdictione, si sollicitet in Confessione poenitentem, sit denunciandus? R. *Censuerunt esse denunciandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

in actu Sacramentalis Confessionis sollicitatione veram esse demonstrat; sin minus neque qui chartam postea legendam poenitenti tradit de sollicitatione esset incusandus.

Verum nedum in actu, sed etiam *ante vel immediate post confessionem* quis reus sollicitationis esse potest. Hoc in loco S. Alphonsus *lib. VI. n. 677* legit *immediate ante* vel *immediate post,* dum certum est tam a Gregorio XV, quam a Benedicto XIV adverbium *immediate* unice post confessionem adiectum fuisse: *sive antea vel post immediate* primus sancit: *vel ante, vel immediate post confessionem* alius scribit. Exinde sequitur, nullo modo necessarium esse ut sollicitatio immediate praecedat confessionem, ita ut nulla alia actio, vel factum, vel dictum intermedia intercesserint, sed satis est ut quomodolibet sollicitatio praecedat confessionem, quamvis sollicitationem inter et confessionem quid medium intercedat. Hinc reus sollicitationis ex capite *ante confessionem* ille confessarius erit, qui genuflexam mulierem ad Confessionarium confitendi causa, antequam de more recitet *confiteor,* vel actum contritionis, eam sollicitat; quamvis, antequam eius confessionem audiat, intermisceat alios sermones indifferentes, et nullo pacto inhonestos. At si praepositioni *ante* praeponatur adverbium immediate, hic Sacerdos ex capite *ante confessionem*, denunciandus non esset, cum vere et proprie mulierem *immediate ante confessionem* non sollicitarit; et multo magis id dicendum esset, si Confessarius post peractam sollicitationem, mulierem in Confessionario deserat alicuius brevis negotii gerendi causa, ex. gr. ut salutet Episcopum venientem, vel ante Confessionarium amicum aliquid, nec brevissimo temporis spatio, sibi dicentem audiat. Id vero nullo pacto defendi posse putamus, cum ex verbis legis hic confessarius vere et proprie poenitentem ante confessionem sollicitaret, quamvis non *immediate ante:* at adverbium *immediate* ante confessionem deest in lege; nullo ergo pacto illud intrudere vel debemus, vel possumus.

Fatemur, nos prorsus non intelligere, neque causam detegere, quare nedum S. Alphonsus de Ligorio loc. cit. aliique ex antiquis; sed praeclarissimi Commentatores Const. *Sedis Apostolicae* Reatinus, Patavinus, De Varceno, Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique *Tom. XII. pag. 29.* particulae *ante confessionem* praeponant adverbium *immediate.* Putamus autem id factum fuisse, quia adverbium *immediate* positum in Bulla Gregorii XV postremo loco (*sive antea vel post immediate*) referant ad utrumque. At praeterquamquod id evidens non sit, cum referri possit tantum ad praepositionem *post,* in Bulla Benedicti XIV quaelibet tollitur ambiguitas, cum scripserit *vel ante, vel immediate post confessionem,*

ita ut adverbium *immediate* referendum necessario sit tantum ad particulam *post confessionem*. Quidquid ergo sit de Gregorii XV Bulla supponere debemus illius mentem Benedictum XIV in re explicasse; consequenter ex hoc capite denunciandum esse confessarium illum, qui mulierem ad Confessionarium genuflexam, et petentem confiteri illico sollicitat, antequam vero eius confessionem audiat, quid medium intercesserit, ut supra innuimus; etenim verum est, a Confessario mulierem sollicitatam ante confessionem fuisse, quamvis non *immediate*, quae conditio in re a Legislatore non exigitur. Minus hinc veram sententiam illlorum Commentatorum nobis videri, qui scribunt, tum contingere ut Confessarius dicatur sollicitasse mulierem ante Confessionem, si inter sollicitationem et confessionem nullum intervallum intercedat, ut prorsus scribunt ii quos supra citavimus.

At prorsus ita est relate ad sollicitationem quae subsequatur confessionem.

Cum enim Benedictus XIV dicat: *vel immediate post confessionem*, inter confessionis terminum et sollicitationem nullum esse medium vel intervallum debet, cum sin minus immediate post confessionem sollicitatio non haberetur.

Quamvis autem nonnulli sint qui adverbium *immediate* moraliter sumendum esse affirment, tamen communior sententia est *physice* esse sumendum: et quidem verius, ex ipsa vocabuli etymologia, et usu recepto, ut patet; a sensu recepto autem sine necessitate non est recedendum; at nulla in re apparet necessitas sumendi moraliter adverbium immediate.

Exinde si absolutionem vel confessionem inter et sollicitationem aliqua diversa actio intercedat, et peragatur sive a Confessario, sive a poenitente, denunciandus confessarius non esset tanquam immediate post confessionem poenitentem sollicitaverit. Attamen si vix peracta confessione initium sollicitationis Confessarius ponat: dixerit ex. gr. poenitenti: *expecta me tantisper*, aut: *Abi in Sacristiam et tibi porrigam testimonium confessionis peractae*, vel: *dabo rosarium, imaginem* etc., et postea pergat et sollicitet, quamvis alias actiones peregerit et aliquod temporis intervallum intercesserit, hoc in casu dicendus esset sollicitasse *immediate post confessionem*, cum reapse sollicitationis initium sit prorsus immediatum.

Equidem non ignoramus ea quae scribit Giraldi, *loc. cit. pag. 637*, ex praxi scilicet Tribunalis Universalis Inquisitionis non intelligi *immediate post* confessarium sollicitasse, si post integrum transactum diem tractatus, aut actus inhonestos habuerit cum poenitente; verum non putamus, haec iis quae scripsimus contradicere, quia praxis est, non doctrina; in praxi au-

tem posse tribunal quodcumque remissius vel severius agere inspectis praesertim circumstantiis: atque, de cetero quod dies subsequens haberi nequeat ut *immediate post confessionem*, non infert id quod est, sed id quod non est. Demum, cum in odiosis versemur, nos adhaeremus stricto verborum sensui; praxis autem illa haberi non potest uti legis declaratio, saltem authentica, quae necessaria est ad regulam in re constituendam; quod demum patet ex communiori doctorum sententia, qui quamvis praedictae praxis cognitionem habeant, tamen affirmant per *immediate* post id intelligi, quod confessionem inter et sollicitationem nulla alia actio intercedat.

Sed Confessarius est etiam denunciandus si poenitentem sollicitarit *occasione aut praetextu confessionis*. Dicitur porro quis sollicitasse *occasione confessionis*, cum vel poenitens Confessarium rogat, vel Confessarius poenitentem inducit ad confessionem veram; *praetextu* si ad confessionem fictam.

Iuxta Giraldi occasione confessionis tribus modis Confessarius sollicitare posse videtur. Primo, dum ex expressa, aut tacita confessionis petitione sollicitandi motivum sumit... Secundo ex confessione ipsa, hoc est, dum intelligendo quae cum aliis agit, vel facere optavit, aut ad venerem proclivitatem occasionem nanciscitur, vel verbis vel signis ad inhonesta provocandi. Tertio demum, cum notitia utitur, quam ex confessione habuit, ad incitandum et facilius movendum ad assensum.

Hinc ex particula *occasione confessionis*, inquit S. Alphonsus *loc. cit. n. 678*, denunciandus est confessarius, qui rogatus ad confessionem divertit, et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa; item confessarius, qui cognita in confessione mulieris fragilitate, domum eius adit et sollicitat, quia cum sollicitatio impulsum habeat a Confessione, satis verificatur, quod occasione confessionis fiat sollicitatio. Hoc tamen in loco apprime consideranda sunt quae scribit Giraldi *loc. cit. pag. 637*. « Sed ut poenitens hanc ob » causam denunciare teneatur, habeat necesse est certa indicia, » quibus prudenter iudicare possit, ex huiusmodi scientia sollicitandi motivum accepisse; nam » si indicia huiusmodi desint, praesumi potest aliis ex causis motum fuisse ad sollicitandum. Suppetunt vero poenitenti huiusmodi indicia, si confessarius brevi » post confessionem tempore poenitentem sollicitet, veluti personam quae facile acquiescere soleat, vel natura ad huiusmodi » actus propensa sit, et si aut generalibus verbis, aut nutibus in » sollicitando utitur, quibus indicare videatur, se scire, vel quid » cum aliis egerit, vel quam alias » ad haec propensa fuerit, aut quidpiam iis simile, quod ex confessione noverit. »

Non item Confessarius qui rogatus a foemina ut cras suam confessionem excipiat, eam sollicitat; etenim in cit. S. Officii Instructione 1661 n. 4. proposito dubio: An confessarius, qui foeminae in confessionario dicenti se velle in crastionum confiteri, illam sollicitat, et confessionem dissuadet, sit denunciandus? Responsum fuit: « Si sollicitatio fiat extra locum » confessionis, et absque praetextu » confessionis, censuerunt negati- » vam opinionem esse probabilem; » secus in confessionario, seu in » loco confessionis. »

Praetextu autem confessionis denunciandus est Confessarius qui ex pravo fine ficte invitat mulierem ad confessionem et deinde sollicitat. *Ib. n. 679.* Varios casus lectores nostri penes theologos videant et perpendant. Nos unum addimus, ex verbis latae in re legis apparere, praetextum confessionis poni a Confessario debere; quare si non hic, sed poenitens confessionem praetexuit, ut ex. gr. si se infirmam mulier simulet, et confessionis praetextu Confessarium advocet; vel si praetextum Confessarius quidem ponat, non tamen ut decipiat poenitentem, sed alios, ex. gr. si Religiosus praetextu confessionis audiendae licentiam a Superiore obtineat adeundae domus se simulantis infirmam; vel tum confessarius tum poenitens confessionem praetexant, ut adstantes removeant, non esset confessarius iste denunciandus praetextu confessionis, cum illius praetextus non adsit in primo casu ex parte confessarii; in aliis duobus autem nullus sit praetextus confessionis, prout in lege edicitur. Ita etiam S. Alphonsus, et alios inter Commentator Reatinus.

Attamen in primo proposito casu adversarium habemus cl. P. Ballerini, qui in notis ad Theologiam moralem P. Gury *Tom. II. pag.345, Nota* (b) *in fine,* haec scribit: « Addit S. Alphonsus (lib. VI, n. 679) » multo minus sibi denuntiandum » videri confessarium *si mulier,* » *nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocet* » *et sollicitet, quamvis deinde rem* » *habeant; quia ex Bulla tunc confessarius denuntiari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis: at in hoc casu non confessarius sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat.* Verum et ista resolutio nimis difficilis videtur. Quamvis enim Confessarius denuntiandus non sit, quod praetextu confessionis a se excogitato ipse utatur ad irretiendum poenitentem, tamen dum credit, se ad audiendam confessionem accedere, praetextu confessionis abutitur ad consentiendum provocationi, atque adeo ad inhonestum tractatum, idque praestat simulando confessionem. Nonne enim hic habemus *inhonestum tractatum cum simulatione confessionis in loco ad confessionem electo,* licet *ex-*

» *tra occasionem confessionis*, prouti » in Apostolicis constitutionibus le- » gitur? »

Eiusdem porro sententiae sunt clarissimi Scriptores Ephemeridis vulgo *La Nouvelle Revue Théologique, Tom. XII, pag. 35 n. 38.* « Sententia opposita, scribunt, ge- » neraliter praevalet, et ut nobis » videtur, rationabiliter, quia ve- » rissime in casu dici potest, quod » Confessarius *habuit inhonesta cum* » *muliere praetextu confessionis.*

» Dum S. Alphonsus contrariam » sententiam defendit sibimetipsi » constitit, et principio propugnato, » quod Confessarius debet esse solli- » citationis auctor; hoc autem prin- » cipium repudiatum fuit a suprema » universali Inquisitione. Nullo pacto » necessarium est ut sollicitatio ab » confessario originem habeat, nec » ut confessionis praetextus ab ipso » inducatur, nihil est in Pontificiis » Bullis quod hoc exigat. » (1)

Ne nobis tanti viri irascantur si S. Alphonsi sententiae adhaeren- dum esse putemus; si autem in er- rorem prolabimur, benignam dent veniam.

Et ut exordiamur ab iis quae postremo proferunt cl. Scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique,* nihil esse scilicet in Pontificiis consti- tutionibus quod exigat ut confessio- nis praetextus ab Confessario induca- tur, audacter affirmamus, in pontifi- ciis constitutionibus praetextum e- iusmodi prorsus a Confessario repeti.

Profecto legenti Bullas tum Gre- gorii XV, tum Benedicti XIV evi- dentissime apparebit, eas latas esse absolute et directe contra confes- sarios sollicitantas ad turpia; ne scilicet Sacramentum, quod in sa- lutem et curationem animarum a Deo... institutum est, execrabili sce- lestorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem at- que interitum vertatur. Bulla *Sa- cramentum Poenitentiae. Exordium.*

De constitutione autem Grego- rii XV affirmat: « Sapienter (ab eo) » provisum fuit contra quoscumque » Sacerdotes audiendis confessioni- » bus deputatos, ad turpia et in- » honesta sollicitantes. » *Ibid.* § 1.

Atque paullo post: « Nos ita- » que mature perpendentes quanti » momenti sit... et intersit ne ali- » qui Sacerdotes Poenitentiae Sa- » cramento nefarie abutentes poe- » nitentibus pro curatione vulnus, » pro pane lapidem, pro pisce ser- » pentem, pro medicina venenum » porrigant. » *Ibid.*

(1) Le sentiment opposé est généralement adopté, et avec raison, nous sem- ble-t-il; parce qu'on peut dire en toute vérité que le confesseur *habuit inhonesta cum muliere praetextu confessionis.*

En soutenant l'opinion opposée, S. Alphonse était conséquent avec le principe qu'il avait posé antérieurement, que le confesseur doit être l'auteur de la sollici- tation: principe qui fut rejeté par la S. Congregation de l'Inquisition. Il n'est nullement nécessaire que la sollicitation émane du confesseur, ni que le prétexte de la confession soit produit par lui; rien dans les Bulles Pontificales ne l'exige.

Hinc omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus, et locorum Ordinariis omnium regnorum committit, ut diligenter inquirant contra *omnes et singulos Sacerdotes tam Saeculares, quam regulares....* qui aliquem poenitentem « vel in actu » Sacramentalis confessionis, vel » ante vel immediate post etc. ad » inhonesta et turpia sollicitare ten» taverint. »

Ex quibus evidentissime appareret, ut alia praetermittamus argumenta, in Bulla Benedicti XIV, et idipsum dicatur de Constitutione Gregorii XV, actiones omnes, quibus sollicitatio peragitur, unice, ab Sacerdotibus repeti, non a poenitentibus; consequenter evidentissimum esse confessionis praetextum a confessario, non a poenitente poni debere; quod de cetero constat pariter evidentissime ex ipsa particula Constitutionis, in qua varii sollicitationis modi describuntur, et prohibentur severissime. Unicum caput in quo initium peccati a poenitente quoque repeti potest, et cui Confessarius assensum praestet, est postremum, scilicet: *aut cum eis* (poenitentibus) *illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint;* in quo tamen confessarius ipse in crimen vocatur.

Quod vero de praetextu diximus, de sollicitatione pariter dicendum est, quae a Confessario, iuxta strictum verborum sensum, quibus lex constat, originem habere debet; etenim, inter alia, constitutiones latae fuere contra *Confessarios qui poenitentes ad turpia sollicitant;* neque in re eiusmodi S. Alphonsus hallucinationem vel errorem passus est.

Quid ergo? Num ne exinde probare intendimus S. Alphonsi sententiam, qui affirmat, non esse denunciandos Confessarios non sollicitantes, sed sollicitationem passos? Nequaquam; etenim Supremae Inquisitionis decreta novimus sancti Doctoris Sententiam repudiantis: dicimus tamen improbabilem S. Alphonsi sententiam evasisse, non vi latarum Constitutionum Gregorii XV et Benedicti XIV, se vi Decretorum Supremae Inquisitionis, quae latas leges merito extendere potuit etiam ad Confessarios sollicitationem passos; etenim et hi iniuriam maximam Sacramento irrogant, quaeque decreta S. Alphonsum latuere.

Quidquid tamen de eiusmodi quaestione sit, dicimus, circa praetextum confessionis in re non eodem modo procedendum esse ac circa sollicitationem. Etenim lex est odiosa, et lex eiusmodi non est extendenda de casu in casum neque ob paritatem rationis; cum autem pro sollicitatione originem habente ab poenitente existat vel lex pontificia, vel Decretum S. Officii, haec lex non debet neque potest extendi ad praetextum confessionis qui a poenitente non a confessario ponatur; etenim in casu lex pontificia evidens est dum praetextum confessionis a confessario repetit, non

a poenitente; neque ullum adest Supremae Inquisitionis decretum (saltem nos nullum novimus) praecipiens denunciandum esse confessarium etiam quando praetextus confessionis a poenitente ponitur; quo ergo iure obligatio eiusmodi poenitenti imponetur?

Hinc argumentum paritatis inter denunciationem Confessarii qui sollicitatus a poenitente consentiat, et Confessarium qui vocatus a poenitente praetextu confessionis et ab ea sollicitatus, sollicitationi consentit, stare non videtur ob allatas rationes, naturam scilicet legis odiosae, quae non est extendenda de casu in casum, et defectum legis vel decreti alicuius sancientis denunciandum esse confessarium qui sollicitatus a muliere praetextu confessionis cum ea peccat. At obligatio quaelibet ex lege vel decreto aliquo imponenda est.

Diverso defectu autem nobis laborare videtur ratiocinatio cl. P. Ballerini; dum enim scribit *loc. cit.: Confessarius dum credit, se ad audiendam confessionem accedere, praetextu confessionis abutitur ad consentiendum provocationi*, affirmat quod in quaestione versatur; quaestio enim prorsus est ista: an confessarius eiusmodi sit denunciandus: dum vero subdit: *idque praestat simulando confessionem*, statum quaestionis immutat: non enim quaeritur: an sit denunciandus confessarius qui in loco ad confessionem electo, simulando confessionem, poenitentem vel sollicitat, vel sollicitationi assentitur; hoc enim ex lege constat; sed quaeritur: an denunciandus sit confessarius qui vocatus praetextu confessionis, sollicitationi animum accommodat. Quae duo sunt omnino diversa.

Affirmat insuper doctissimus Pater, confessarium eiusmodi denunciandum in casu esse, quia confessionem simulat. *Nonne hic habemus* inquit, *inhonestum tractatum cum simulatione confessionis in loco ad confessionem electo?* At quomodo demonstrat in casu intercedere simulationem confessionis? Profecto nullo argumento, vel ex suppositione tantum quod adstantes domi fortasse putant Confessarium audire mulieris confessionem. Atqui hoc non sufficit ad statuendam simulationem confessionis. « Simulatio, » scribit Roncaglia *Moralis Theologia, Tract. XIX, quaest. VIII, Cap. 1. Quaer. 8,* intervenit » quando ita externe se gerit confessarius ut adstantes putent hic » et nunc audire confessionem; ut » si ita simularet se applicatum, » sicut facere solet, quando audit » confessionem, seu extenderet manum erga poenitentem, quasi vellet absolvere. »

Felix Potestas autem *Examen confessariorum Tom. II, Part. III, n. 542* clarius rem explicat: « Simulatio confessionis, inquit, tunc » habetur quando tam Confessarius » quam mulier ex condicto, sine » intentione confessionis, eam fin-

» gunt signis externis sufficientibus, » ut adstantes intelligant, ibi hic » et nunc confessionem audiri. Un- » de simulare confessionem est sol- » licitationem intentam confessione » ficta velare. »

« N. 343: Signa externa simula- » tionis ex parte confessarii sunt » sedere in loco convenienti, bene- » dicere mulierem, manum ante » faciem tenere, ut in auscultando » confessiones fieri solet, et demum » manum supra caput eius exten- » dere, fingendo illam absolvere. » Ex parte autem mulieris signa » sunt genuflexio, signum crucis, » percussio pectoris, manuum con- » iunctio, collocutio humilis cum » confessario, quae exterius appa- » ret, accusatio peccatorum. »

Atque ita etiam alii. Et quidem rationabiliter: nulla enim confessionis simulatio supponi potest, nisi adstantium respectu qui sine huiusmodi simulatione, optime intelligerent de qua re agatur; atque hinc in loco ad confessiones destinato et electo graviora et luculentiora simulationis signa exiguntur, quam in Confessionali, cum hoc per se ad confessiones excipiendas tantum destinatum sit; loca vero destinata aut electa etiam ad alia quae nullo modo ad confessionem aut ad negotia religiosa referuntur.

Atqui in casu a S. Alphonso proposito quomodo simulatio confessionis habetur? cum enim mulier in cubiculum confessarium advocaverit confessionis praetextu, hunc non certe ad confessionem invitat sed ad peccandum; cum autem supponatur Confessarius sollicitationi cedere, nulla est, vel esse potest simulatio confessionis; non enim haec necessaria supponitur ad peccandum, quando libere peccari potest, et nemo videt; hoc insuper in casu neque supponitur. E contra adstantes nihil omnino vident, nihil audiunt, nihil intelligunt; ergo neque relate ad adstantes simulatio confessionis habetur in casu. Neque subsumendum est, in casu adstantes putare al Confessario mulieris confessionem audiri. Etenim ex dictis hoc non sufficit ad simulationem confessionis in loco destinato aut electo, sed omnino requiruntur externa signa, quibus adstantes confessionem coniiciant: sin minus si dum in loco confessionis destinato aut electo degat confessarius, et mulier aliqua ingrediatur atque cum confessario peccet, nullo intercedente vel praetextu, vel occasione, vel simulatione confessionis, eo quod qui extra locum degunt putent, a Confessario audiri confessionem mulieris, denunciandus esset; quod nemo dixerit. Ex iis autem patere arbitramur adhaerendum esse S. Alphonsi sententiae.

At ulterius Confessarius denunciandus est, si etiam *extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia*

sollicitare vel provocare... tentaverint.

Porro Confessionale proprie est locus, quo Christifidelium confessiones excipiuntur, atque confectum ligno est, habens vel ad unum vel ad utrumque latus, iuxta variam structuram, laminam ferream cum parvis foraminibus, et in Ecclesia collocatur.

Verum ea loca in quibus excipi solent Confessiones monialium, vel mulierum degentium in locis, vulgo *Conservatorii, Ritiri,* pro veris Confessionalibus sunt habenda etiam quoad mulieres extraneas (1).

(1) Id constat ex declaratione S. Congregationis S. Inquisitionis lata die 26 Novembris 1874 ad instantiam Reverendissimi Formisano Nolae in Campania Episcopi. Hic sequentia dubia proposuerat: « I. An loca, in quibus excipi solent confessiones monialium, habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, » vel ut vera confessionalia. II. An idem dicendum sit de locis constructis ad » formam eorum, in quibus excipi solent confessiones monialium claustralium, in » quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis quae vulgo dicuntur » *Conservatorii, Ritiri etc.* III. Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, » utrum talia censenda sint solum quoad moniales, et alias degentes in praedictis » locis, vel etiam quoad alias mulieres extraneas? »

Eminentissimi Patres respondendum censuerunt: *ad tria dubia prout proponuntur: Affirmative.* Acta S. Sedis Tom. IX, pag. 530.

Adm. Rndus Archipresb. Petrus Rota in suo commendando volumine *Enchiridion Confessarii et Judicis Ecclesiastici. Augustae Taurinorum 1884* etiam ex relato supremae Inquisitionis decreto probare satagit, nullam dari distinctionem inter Confessionalia et loca ad audiendas confessiones destinata. « Ex his, ni » fallor, scribit, patet luce meridiana clarius, S. U. Inquisitionem ipsam » hoc responso docere discrimen nullum esse inter *confessionalia et loca destinata* ad confessiones. » At venia clar. viri, eiusmodi identitas ex cit. declaratione nobis nullo modo apparet: Etenim cum Supremi Inquisitores ad dubia proposita responderunt *affirmative*, unum affirmarunt et declararunt, scilicet loca, in quibus excipi solent confessiones monialium, non esse habenda ut loca destinata ad audiendas confessiones, sed ut vera confessionalia.

Cum autem de aliis locis nihil declaraverint quomodo dici possunt supremi Inquisitores declarasse loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia? Ad inferendum id quod auctor infert, necessarium fuisset ut dubium universaliter propositum fuisset: ex gr. *an loca ad audiendas confessiones destinata eadem censenda sint ac confessionalia?* Ad quod dubium si supremi Inquisitores respondissent *affirmative*, staret profecto illatio ab Archipresbytero Rota inducta. At cum dubium propositum tantum fuerit circa loca destinata ad audiendas confessiones in Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri,* dum supremi Inquisitores responderunt *affirmative*, de iis tantum declarationem ferre intenderunt, non de aliis; quod de cetero patet evidentissime ex ipsius responsionis verbis: *Ad tria dubia prout proponuntur*; ergo non aliter, nec de aliis. Revera si ex responsione ad tria proposita dubia inferamus, Inquisitores supremos declarasse omnia loca ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia, nonne consequentia magis pateret quam praemissae; cum in hisce agatur de locis desti

Locus destinatus ad confessiones audiendas est alius quicumque a confessionali distinctus, ubi confessiones audiuntur ; ex. gr. cellulae prope sacristiam, vel sacristia ipsa.

Demum locus electus est qui

natis ad confessiones audiendas in Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri* ; consequentia vero ad omnia prorsus loca destinata extendatur ?

At praeter loca destinata in praedictis locis esse etiam alia, ipsemet affirmat auctor *loc. cit. pag. 177. Col. 1.* ubi. « Sed inter loca ista, inquit, le» gitime destinata veniunt etiam *subsellia, vel loca, vel cellulae, non ad* » *praedictam formam extructae, sed diversimode, pro diversis circumstantiis,* » *dummodo ibi ex ordinaria consuetudine, et servatis servandis, confessiones* » *audiantur, prout in Sacristia, in domibus religiosis.* » Concedit igitu non in unis Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri* adesse loca ad confessiones audiendas destinata, sed etiam aliis in locis ; at circa ista neque quaesitum neque responsum fuit ; ergo ad haec loca non est extendenda supremae Inquisitionis responsio. Ergo falsum est, ex Inquisitionis supremae citata responsione probari, omnia loca destinata ad confessiones audiendas esse confessionalia, nullumque dari discrimen. Quod etiam patet ex facto, cum in plurimis locis destinatis confessionalia desint.

Non negamus equidem, ad rem suam probandam, cit. auctorem uti tum auctoritatis, tum rationis argumento. Et quoad auctoritatem, aliis praetermissis, quos consulere non vacat, innititur Rmo d'Annibali, qui tum in *Summula, part. III, pag. 179. Nota 1. Edit. 2. 1882*, tum in *Commentario pag. 103, Nota 14* scribit identice: « *Loca destinata* dicuntur cellulae illae in Ecclesiis extructae, » ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi huius rei causa posita sunt : *electa* ea » in quibus quis in praesens, pro re nata confessionem excipit, sive domi, sive in » agro, sive in via. Quibus autem opus sit ut in his locis confessio simulari vi» deatur, in facto non in iure consistit. *At ea loca in quibus excipi solent con*» *fessiones monialium, vel mulierum degentium in locis, vulgo* Conservatorii, » Ritiri, *pro veris Confessionalibus sunt habenda etiam quoad mulieres extra*» *neas.* » (S. U. 9. 25 Nov. 1874).

In quae clarissimi auctoris sententia haec ipse scribit. « Duo tantum locorum » genera Clausula haec VII complectitur, nempe loca *destinata* et loca *electa;* » etenim confessionalia inter loca destinata recensentur, prout recte docet egregius » d'Annibale ». *Loc. cit. pag. 177, Col. 1.*

Verum nos non intelligimus quo sensu haec ab Archipr. Rota dicantur ; si enim affirmet, clarissimum d'Annibale non distinguere in allegato testimonio loca destinata a Confessionalibus, non videmus quomodo haec probare possit ; etenim Rmus D'Annibale S. Officii nunc Assessor evidentissime loca destinata a Confessionalibus distingnit, ut ex allata definitione *locorum destinatorum* patet; quae aliter definiuntur etiam ab ipso Rota. D'Annibale insuper postquam generice designaverit loca ad audiendas confessiones destinata, unice excipit loca in quibus audiri solent confessiones Monialium, vel mulierum degentium in locis vulgo *Conservatorii, Ritiri*, quae ex cit. S. Officii declaratione pro veris confessionalibus habenda esse decernit. Si vero affirmare intendat ab doctissimo D'Annibale habita fuisse loca destinata ad audiendas confessiones Monialium pro veris confessionalibus, prout suprema Inquisitio decrevit, hoc verum esse dicimus, sed exinde nihil,

arbitrio Confessarii, vel urgente necessitate eligitur ad confessionem audiendam, et potest esse domus, Ecclesia, ager, via, aut alius quicumque.

Ob variam citatorum verborum

nisi prius cl. Rota probet, unica loca destinata ad audiendas confessiones illa esse in quibus excipiuntur confessiones Sanctimonialium; si enim alia sint, ut certe sunt, iam ex eo quod suprema Inquisitio decreverit, loca destinata ad audiendas Sanctimonialium confessiones esse habenda ut vera confessionalia, nullo pacto sequitur habenda esse uti vera confessionalia reliqua omnia loca destinata in quibus Sanctimonialium confessiones non excipiuntur: quandoquidem de unis loc is destinati ad excipiendas Sanctimonialium confessiones locuta suprema Inquisitio est.

At perpendamus aliquam rationem ab R. Archipresbytero adductam *loc. cit. pag. 177. n. 294.* « Quod autem Confessionalia, scribit, non distinguantur a locis » *destinatis* ad confessiones constat ex ipsa rei essentia. Nam si essentia proprie » est id, quod significatur per definitionem... quae est definitio confessionalis pro» prie sumpti? Si quid video, haec est: *Confessionale est locus ad confessiones* » *destinatus*. Dicitur autem destinatus cumulative, tum ob formam quam prae» fert, tum ob habitualem usum ibidem excipiendi confessiones ».

Si igitur confessionale *est locus ad confessiones destinatus*, quoniam definitio converti cum definito debet, et uni et soli convenire definito, vera erit sequens propositio: *Locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus est confessionale.*

Sed hoc in casu quo abit definitio confessionalis ab ipso cl. auctore tradita *loc. cit. pag. 177. n. 193:* « *Confessionale* est velut iudicis in foro Sacramentali » cathedra, et est cellula lignea iuxta cuiusque Dioecesis Synodales praescriptiones » extructa, et ordinario, saltem pro mulieribus, habens laminam ferream ex utraque » parte ipsius cum foraminibus parvis, quaequ in Ecclesia collocatur? » Etenim cum eiusmodi definitione locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus converti non potest. Definitio igitur allata ab R. Archipresbytero insufficiens est, cum in ea desit forma extrinseca confessionalis, quod ita nominatur nedum quia in eo confessiones excipiuntur, sed etiam quia talem habet structuram. Revera si quempiam quis interroget ut dicat quid sint cellulae illae ligneae in Ecclesia positae etc? Respondebit profecto: sunt confessionalia: sed si eumdem quis interroget: quid sint subsellia in sacristia cum imagine crucifixi, vel cellulae prope Ecclesiam etc.? non respondebit profecto esse confessionalia, sed vel loca ad agendam praeparationem pro missa, vel aliquid aliud, quamvis et illud affirmare possit, iis in locis etiam confessiones audiri. Differentia igitur inter Confessionale, et locum destinatum ad audiendas confessiones haec est, quod confessionale et propria forma constat, et in Ecclesiis collocatur, et unice ad confessiones audiendas destinatur; loca autem destinata propria forma nec constant, nec unice ad confessiones audiendas destinantur, nec in Ecclesiis existunt.

Definitio ergo tradita cum manca sit, et tantum ex fine concinnata qui extensive, non est identicus cum fine Confessionali praestituto, cum in hoc confessiones tantum audiantur, non item in aliis, non potest inducere probabile argumentum ad demonstrandum unam eamdemque rem esse Confessionale et loca ad audiendas confessiones destinata. Ab expendendis argumentis, quae deducit ex tradito supremae Inquisitionis decreto supersedemus, cum nobis (hoc autem dicimus cum

.nterpretationem gravissima hoc in loco exurgit quaestio, in quam pro nostra mediocritate inquirere debemus.

S. Alphonsus *lib. VI, n. 680* affirmat verba *cum simulatione audiendi ibidem confessionem non referri* ad confessionale, sed ad alium locum ad audiendas confessiones destinatum aut electum; consequenter in locis destinatis et electis ad audiendas confessiones utique re-

summo erga cl. auctorem respectu atque animi extimatione) nec vera, nec solida videantur.

Neque felicior nobis videtur, in dissolvenda gravissima illa difficultate (quam nos potiori iure solidissimum argumentum vocamus), quam sibi his verbis proponit. « Sed fortasse respondebis: cur ergo in Bulla post particulam *in Confessionali* additur illa, *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato*? Etenim si confessionale et locus destinatus idem sonant, redditur otiosa haec secunda particula. »

Quam difficultatem ita solvit: « Respondeo, minime reddi otiosam particulam illam, quia maioris declarationis, et omnis tollendae dubitationis gratia adiecta fuit... In casu nostro confessionale est velut *genus*, et *loca destinata* sicut et *loca electa* ad confessiones, (nam et ista, dum ibi fit confessio, sunt vera confessionalia), sunt quasi species eiusdem, idcirco particula, quae speciem exprimit, et in genere continetur, recte addita fuit; poterat enim quis, si Legislator ipse non explicasset sensum vocis *confessionale* indicare, quod in poenalibus non veniant loca destinata vel electa sub voce illa. »

Attamen hac in responsione Rñdus auctor id respondet quod prorsus in quaestione versatur; quaestio enim est; an legislator per *loca destinata* intellexerit quid a confessionalibus diversum, vel unum idemque; ipse autem respondet, a Legislatore per particulam sive *in alio loco ad audiendas confessiones destinato* explicatum fuisse sensum vocis *Confessionalis*. Sed hoc est quod probari oportebat. Difficillime autem, nostro iudicio probatur, inter alia, ob verba in *alio loco*; si enim alius locus, ergo non confessionale; si enim confessionale in alio loco positum, iam erat confessionale et non alius locus; quandoquidem hoc in casu dictio pontificia sequenti acquipolleret: *in confessionali, sive in confessionali posito in alio loco et destinato ad audiendas confessiones*, quae futilis repetitio foret, et suspicionem ingereret adesse confessionalia ad audiendas confessiones non destinata. Nescimus autem an quemquam lateat, confessionalia loca esse ad confessiones excipiendas destinata, ita ut Legislator compulsus fuerit illorum significationem explicare.

Equidem Rñdus auctor respondere posset: sed si ita est, quare loca destinata ad excipiendas confessiones in Monasteriis, *Conservatorii*, *Ritiri* a suprema Inquisitione uti vera confessionalia declarata sunt? Ad quod respondebimus, quia loca illa unice ad excipiendas Sanctimonialium confessiones destinata sunt de superiorum sententia, neque enim vel in Ecclesia, vel alibi Sanctimonialium et virginum aut mulierum degentium in Conservatoriis etc. confessiones excipiuntur, et quia habent formam verorum et proprie dictorum confessio alium cum habeant *laminam ferream cum parvis foraminibus*, ideoque ex institutione, forma et usu optime suprema Inquisitio declarare potuit, ea vere esse confessionalia. Id autem tantum de locis praedictis declaravit, non de aliis, quae non pauca certe sunt.

quiri simulationem confessionis, non autem in confessionali, in quo satis est ut sollicitatio utcumque fiat, quo denunciationis onus poenitenti imponatur. « Dicimus, quod si Confessarius sollicitat in aliis duobus » locis ut supra in Bulla descriptis, requiritur simulatio confessionis ad eum denunciandum; » non vero si sollicitat in Confessionario. Et hoc probatur ex Decreto Pauli V, ubi sic dictum » fuit: *Die 10 Iulii 1614. In generali Congregatione S. Rom. et univ. Inquisitionis coram SS. Paulo Papa V. facta relatione quod multi confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit, ut contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio.* »

« Cum igitur nulla ibi mentio » fiat de simulatione confessionis, » ad denunciandum Confessarium » sufficit, quod ipse in Confessio- » nali de rebus turpibus tractet, » quin simulet confessionem au- » dire. »

Atque pro sua sententia S. Doctor non paucos, eosque graves auctores citat.

Hisce a S. Alphonso adductis argumentis citatae sententiae defensores addunt apud Giraldi *loc. cit. pag. 637, 638* ex lege tum Gregorii XV. tum Benedicti XIV satis apparere eiusmodi distinctionem, cum distinguant per particulas *aut* et *sive* sollicitationem factam in confessionali ab illa quae facta sit in loco ad confessiones audiendas destinato aut electo; cum vero membra orationis distincta sunt, clausula finalis ad postrema membra referenda est; consequenter simulatio confessionis unice ad locum destinatum aut electum applicanda est, non ad confessionale.

Manifestum insuper est, in Confessionali per se iniuriam Sacramento poenitentiae irrogari, cum ad administrandum sacramentum poenitentiae proprie deputatum sit; ideoque non esse necessarium ut in eo simuletur confessio: sed satis esse ut utcumque sollicitatio committatur: sed in locis destinatis aut electis eiusmodi iniuria per se non habetur, cum ea etiam ad alia negotia deputata sunt; consequens hinc erat ut a legislatoribus simulatio confessionis necessario indiceretur, ut patesceret injuria quae uni Sacramento Poenitentiae irrogatur.

Hisce tamen posthabitis alii sunt doctores qui contrarium sentiunt, scilicet particulam *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* referri etiam ad confessionale, ideoque Confessarium de sollicitatione non esse accusandum nisi in confessionali simuletur confessio. Porro inter antiquos eiusmodi sententiam defendunt Cardinalis Cozza, Salmanticenses, Pignatelli, Roncaglia, Giraldi, aliique: inter Pianae Constitutionis Commentatores, Patavinus

Reatinus, Ballerini, De Varceno, et alii.

Horum autem sententiam amplectendam esse dicimus tum propter intrinsecas rationes, tum propter concordiam quam servat cum a Suprema Inquisitione latis in re decretis, tum quod contrariae sententiae argumenta solida non videantur.

Et quoad 1. Regula iuris est quod clausula posita in fine referenda sit ad omnia praecedentia, nisi aliqua vel evidens vel saltem probabilis ratio contrarium suadeat. At manifestum est, in citatis locis extractis ex Constitutionibus Gregorii XV et Benedicti XIV. clausulam *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* positam esse in fine orationis; referenda ergo est ad omnia antecedentia, scilicet ad confessionale et ad locum destinatum vel electum ad confessiones audiendas. Neque ulla solida ratio apparet, quare ad una loca destinata vel electa, excluso Confessionali, referenda sit; etenim disiunctiva *sive* innuit tantummodo locum a confessionali diversum, non modum diversum quo sollicitatio peragenda sit, ut denunciari queat; atque de cetero in ipso Confessionali optime, imo potiori apparentia, simulari confessio possit; qua ergo ratione a confessionali simulatio confessionis exclusa a legislatore dicenda est? Profecto relata Pontificum sententia huic alii aequivalet: *Et etiam illi Sacerdotes qui extra occasionem confessionis aliquem sollicitare ad inhonesta et turpia tentaverint vel in confessionali, vel in alio loco* etc. *cum simulatione audiendi ibidem confessionem*: in quo nulla esse potest dubitatio quin clausula *cum simulatione* etc. ad utrumque membrum referatur. Hunc autem esse verum sensum etiam ex eo patet quod Romani Pontifices in cit. loco sermonem non habeant neque de occasione, neque de praetextu confessionis, de quibus supra egerant: peccatum vero huiusmodi puniri ob relationem ad Sacramentum poenitentiae: At si ab Confessionali dematur etiam simulatio confessionis, peccatum istud horrendum nullam habet ad Sacramentum poenitentiae relationem, ideoque puniretur peccatum ultra legem, mentem et finem quem legislatores sibi praestituerant; quod non est admittendum.

Verum dubia sit eiusmodi expositio: quid inde? nonne in casu lex esset dubia, quae consequenter non obligat? Dicemus, dubium esse practicum? At in dubio practico *quod minimum est tenendum.* Cum vero minimum sit, denunciandos esse confessarios extra confessionem in confessionali simulantes confessionem, hanc sententiam amplecti deberemus, non aliam quae gravior est.

De cetero haec etiam fuit mens magni Benedicti XIV, prout refert Giraldi loc. cit. pag. 638. « Item

» constanter aiebat (Benedictus XIV) » etiam clausulam illam Bullae Gregorianae: *sive extra occasionem confessionis in confessionario*, » esse intelligendum copulative, ac » connexive ad eam: *simulantes ibidem confessiones audire*, ut » pro certo testificari adhuc possunt plures, qui eo tempore Examinatoris munere fungebantur Bononiae. »

Id vero conforme magis, imo absolute, reperimus cum decretis latis a S. Congregatione S. Officii. In citata Instructione enim anni 1661 quaestioni XV: « An sit denunciandus Confessarius qui sedens in Confessionario sollicitat » mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando confessionem? Eminentissimi Patres responderunt: *Consuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.* »

Ergo ut eiusmodi confessarius denunciandus sit requiritur simulatio confessionis. Sin minus, cum in re lex Gregorii XV sit identica cum Benedicti XIV lege, Suprema Inquisitio contradixisset evidenti legislatoris dispositioni: quod non est admittendum.

Eiusmodi vero responsioni ad quaestionem XV non contradicit neque responsio ad quaestionem IV, neque Pauli V decretum quod ex S. Alphonso supra attulimus. Etenim ex quaestione IV non excluditur, sed aperte includitur simulatio confessionis: En quaestio: An » Confessarius qui foeminae in confessionario dicenti, se velle in » crastinum confiteri, illam sollicitat » et confessionem dissuadet, sit denunciandus?» R. *Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus in Confessionario, seu in loco confessionis.* Unde vero probatur hoc in loco, a Confessario mulierem audiri et sollicitari ante confessionarium et non ad latera, seu in loco Confessionalis quo confessiones mulierum excipiuntur? Etenim absolute dicitur, *foeminae in confessionario dicenti:* porro haec locutio potius indigitat locum confessionarii quo confessiones excipiuntur, quam aliam eiusdem partem; sicuti locutiones hae: *accessit, stetit ad confessionarium,* etc. indigitant locum et modum consuetum quo mulierum confessiones audiuntur. De cetero haec etiam sententia est cl. Giraldi qui in loc. cit. *pag. 638* scribit: « correspondet » (quaestio) enim interrogationi » de sollicitatione foeminae in » confessionario pariter existentis, » seu confessionem simulantis, ut » clare patet ex illis verbis: *qui » foeminae in confessionario dicenti » se velle in crastinum confiteri, » illam sollicitat.* Cui propterea » correspondens responsio fuit, quod » si sollicitatio talis foeminae fiat, » ea adhuc existente in confessionario, seu in loco confessionis, » tunc confessarius est denuncian-

» dus... Si vero fiat, extante extra » locum confessionarii et absque » praetextu confessionis, tunc in- » quit suprema, opinio negativa » est probabilis, prout postea ad » XV respondit negativam opinio- » nem esse probabilem, etiamsi » confessarius sedeat in confessio- » nario dummodo non simuletur » confessio. »

Demum regula iustae interpretationis est, auctoris eiusdem testimonia concilianda esse si conciliari possint, nec enim supponendi sunt auctores sibi in eadem pagina contradicere; quod multo magis de decretis Romanarum Congregationum dicendum est, quae tanta diligentia antea expenduntur: Atqui hoc in decreto ratio conciliationis evidentissima est si in quaestione quarta dicamus, Supremam Inquisitionem locutam esse de muliere in confessionario ea dicente ad locum solitum ideoque cum simulatione confessionis, quam simulationem si excludamus, turpissima intercederet contradictio inter quartam et XV quaestionem, scilicet in eadem pagina; quod nemo admiserit.

Eadem sed vero ratione conciliatur Decretum Pauli V; etenim in illo excluditur quidem occasio confessionis, non autem simulatio; quae imo supponitur, cum dicantur multi confessarii *tractare cum mulieribus in Confessionali... de rebus inhonestis:* porro hi confessarii non adeo stupidi supponendi sunt ut de rebus inhonestis ante confessionale tractare cum mulieribus velint, quo ex modo loquendi, aspectu, oculis etc. ab adstantibus detegantur. Cum insuper et hoc in loco consuetus loquendi modus servetur, intelligere debemus, Confessarios inhonestos illos sermones habuisse ad laminam Confessionalis, ideoque in illis turpissimis factis intercessisse simulationem confessionis.

Quae sententia etiam fuit Benedicti XIV, prout scribit Giraldi *loc. cit. pag. 638* his verbis: « Be- » nedictus XIV quando adhuc erat » tantum Cardinalis, ac Bononiae » Archiepiscopus, etiam Decretum » editum sub Paulo V, procedere » dicebat in casu, quo simuletur » confessio. Ideo enim prodiit, quia » relatum fuerat *quod multi con-* » *fessarii tractant de rebus inho-* » *nestis cum mulieribus in confes-* » *sionali extra occasionem confes-* » *sionis:* ubi Ly *tractant cum mu-* » *lieribus in confessionali,* satis de- » signat coexistentiam mulierum in » tali loco. Et de facto tale decre- » tum excludit quidem occasionem » sed non simulationem confes- » sionis. » Ex his vero satis patere arbitramur illorum sententiam qui dicunt, etiam in confessionali intercedere debere simulationem confessionis magis esse conformem latis a Suprema Inquisitione decretis, ideoque prae alia tenendam.

Sed 3. contrariae sententiae argumenta solida non videntur.

Primum ita dissolvit cl. Giraldi *loc. cit. pag. 638 Col. 2:* Ad se-

cundum quod attinet dico, quod sicut particula *aut* disiungit ac distinguit a casu antecedenti *Ly in loco quocumque etc.*, ita subsequens particula *seu* pariter distinguit casum loci electi ad ibi confessionem audiendam a praecedenti casu loci cuiusque ad confessiones audiendas deputati; ac proinde si Ly *simulantes* ex quo sit terminus restrictivus, afficit solum casum proximum, hinc fit quod afficere non debeat *Ly aut in loco quocumque* etc., sed Ly *seu* ad *confessionem electo;* alius enim est locus quicumque ad confessiones audiendas deputatus, et alius locus electus ad confessionem vel confessiones audiendas. Atqui non obstante dicti termini restrictivitate, Ly *simulantes* per adversarios extenditur etiam ad Ly *aut in alio quocumque loco;* ergo non afficit solum casum proximum, et sic, cum hactenus nulla adducta sit ratio, quae revera probet, ipsum non posse extendi ad Ly *extra occasionem confessionis in confessionario,* huiusmodi exstensionem permittant eamdem admittentibus cum adducto fundamento solide probabili, vallato ea quoque communi regula legali: *clausulae ultimo loco positae ad omnia antecedentia connexa referuntur.*

Nutat pariter altera ratio ex eo deducta quod in confessionali per se iniuria irrogetur Sacramento poenitentiae cum ad hoc administrandum deputatum sit. Etenim cum in Confessionali non simulatur confessio, nulla irrogatur iniuria Sacramento, cum nullo pacto de Sacramento agatur; atque de cetero Pontificiae constitutiones expresse loquuntur de iniuria quae fit per sollicitationem Sacramento poenitentiae quocumque in loco administretur; atque exinde gravissimis, imo iisdem poenis puniere confessarios sollicitantes quocumque in loco sollicitant, sive in confessionali, sive in loco destinato aut electo. Demum quando confessarii in loco destinato aut electo sedent, locus iste confessionali aequiparatur; eadem ergo iniuria illo actu irrogatur Sacramento poenitentiae. Nemo enim ambigit quod quando iis in locis sedeat confessarius, et genuflexus stat poenitens, administretur Sacramentum poenitentiae. Sicut nemo putat administrari Sacramentum poenitentiae in confessionali quando nulla adest simulatio confessionis, etiam ea de causa quia Confessionale unice ad administrandum eiusmodi Sacramentum deputatum est praescripta forma et ritu.

Nemo tamen arbitretur, ad simulandam confessionem requiri simulandi intentionem, ita ut non habeatur simulatio si desit simulandi animus; etenim simulatio eiusmodi consistit in facto, ita ut sine ulla vel attentione vel simulandi animo habeatur simulatio dum requisita externa de more ponuntur, eo vel magis quod simulatio relative ad adstantes potius requiratur, quam ad Confessarium vel poeni-

tentem; illi vero confessionem arguunt ex facto et non ex intentione; atque de cetero Confessarii singuli se simulasse confessionem negare possent, affirmando se nullam habuisse simulandi intentionem, quo lex in irritum ab improbis sacerdotibus mitteretur. Recte hinc et vere scribit Passerini *Commentaria in lib. VI Decretalium, lib. V. De haereticis Cap. XVIII, n. 95.* « Bene tamen advertendum quod » ad hoc non requiritur animus » simulandi sed sufficit simulatio » ex parte facti; quia scilicet lo» quutio ipsa poenitentis cum con» fessario in facto est apparens, et » ideo simulata confessio. »

Ad denunciandum sed vero confessarios satis est ut hi in Confessionali, vel in locis destinatis, aut electis ad turpia provocent sive *verbis,* quibus vera et propria dicta sollicitatio, seu ad turpia provocatio perficitur, *sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam;* quae plana sunt; *aut cum eis poenitentibus illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.*

Haec vero superius pag. 157 in nota exposuimus. Attamen hoc in loco animadvertendum esse putamus, inhonestos sermones atque tractatus tum solum denunciandos esse cum fiunt *ausu temerario.* Hic autem tum habetur cum Confessarius sciens legem et poenam adnexam utramque contemnit; hinc postulat volontarium perfectum atque directum. Confessarius igitur tunc dicendus est *ausu temerario* habere cum poenitentibus illicitos et inhonestos sermones sive tractatus, cum nulla intercedente causa et probabili ratione, libidinis vel pravae delectationis causa, eiusmodi inducit sermones sive tractatus, directe scilicet et prorsus voluntarie; idque quamvis noverit legem prohibentem et adnexas poenas. Si enim indirecte, vel per accidens, vel casu, vel ad alium finem quam turpis delectationis causa hosce sermones habeat, denunciandus non videtur cum desit *ausus temerarius.*

Hoc in casu tamen non inficiamur difficillimum esse percipere quando sermones inhonesti habiti a sacerdote fuerint ausu temerario, ideoque numquam satis commendanda in casu est prudentia Confessarii ad quem haec peccata deferuntur, antequam onus denunciationis poenitenti imponat. Omnino enim certus esse debet, sermones eiusmodi ausu temerario habitos fuisse; poenitentem igitur interroget an de aliquo peccato turpi sese accusaverit; quae si neget quaerat, an saltem de tentationibus carnalibus; quod si pariter neget, interroget qua occasione inhonesti sermones initium habuerint, atque si perspiciat illos a Confessario positos fuisse nulla de causa, et turpes prorsus fuisse, malum et directum Confessarii turpem animum arguat, et denuncia-

tionis onus imponat; si autem poenitens vel alterutrum, vel utrumque affirmet, sedulo exquirat interrogationes a Confessario factas, an, nec ne, necessariae fuerint, vel saltem conducentes ad ulteriorem peccati notitiam, eius circumstantias detegendas etc.; insuper an de admissis peccatis contra sextum illam corripuerit, et ad tentationes superandas opportuna praebuerit monita; si enim affirmet, deesse videtur turpis animus, ideoque voluntarium directum et ausus temerarius; si autem neget, iterum arguat turpem Confessarii animum et voluntarium directum, cum ad eum pertineat peccata redarguere, ab iis poenitentes retrahere, et opportuna remedia contra tentationes suggerere; quod cum praetermiserit supponendus est inhonestos sermones ausu temerario habuisse.

Dicturi tamen erunt plerique lectores: nonne ausus temerarius importat in Confessario etiam scientiam legis et poenae adnexae, et utriusque contemptum? At quomodo a poenitente sciri poterit haec in Confessario fuisse?

Respondemus, in Confessario opportunam scientiam supponendam esse; quilibet enim ad aliquod officium electus, sui officii scientiam callere debet. Factum itaque spectandum est, et ex facto ausus temerarius est arguendus. Ni haec dicamus, Confessarii ex titulo hoc numquam essent denunciandi, cum de ipsorum tum legis tum poenae cognitione, tum utriusque contemptu, paucis de ipsorum ausu temerario numquam constare posset; vel tunc tantum cum ipsi ad tribunal poenitentiae accedunt; at onus denunciandi non confessariis sollicitantibus (1) sed poenitentibus sollicitatis impositum est.

Omnes igitur confessarii qui turpissimis recensitis actibus sese relate ad Sacramentum Poenitentiae commaculaverint, denunciandi sunt. Neque poenitentes possunt absolvi nisi prius denunciaverint; id enim in cit. Benedicti XIV. Constitutione *Sacramentum* solertissime cautum est: « Ca» veant insuper diligenter confes» sarii, ne poenitentibus, quos no» verint iam ab aliis sollicitatos, » sacramentalem absolutionem im» pertiant, nisi prius denuncia» tionem praedictam ad effectum » perducentes delinquentes indica» verint competenti iudici. » Excipiendum tamen semper dicimus et grave incommodum, et gravis damni periculum; quae ex superius disputatis constant.

III. Circa modum denunciationis faciendae contenti erimus exscribere et referre Instructionem, quam Suprema Universalis Inquisitio tulit die 20 Febr. 1867. Ea porro ita se habet:

(1) Decretum fuisse a supremis Inquisitoribus sub die 17 Novembris 1624 Confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandum seipsos, refert Carboneanus *De poenitentia pag. 139.* Edit. 1793.

S. R. ET U. INQUISITIONIS INSTRUCTIO AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS CIRCA OBSERVANTIAM CONSTITUTIONIS S. M. BENEDICTI XIV, QUAE INCIPIT: *SACRAMENTUM POENITENTIAE.*

Quae supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV, in Constitutione die 1 Iunii 1741 edita, cuius initium est *Sacramentum Poenitentiae,* confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. Imprimis quemadmodum iam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV, Constitutione quae sub die 30 Augusti anno 1622 data incipit: *Universi,* omnes locorum ordinarii aeque ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Ibidem omnes Sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi quamprimum poterunt Inquisitoribus aut locorum ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad Sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter Sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat. (1) Et apostolicae Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV Constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se occasio dedit, ad hanc usque diem confirmatum est.

Et re quidem vera Vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An Constitutio Benedicti XIV ad-*

(1) Constit. eiusdem S. P. Benedicti XIV *Apostolici muneris* die 8 Februarii 1745.

versus sollicitantes obliget etiam Missionarios Franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina? 2. *An eadem Constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* Iussu Pii VI anno 1775 opportuna Instructione responsum fuit: Ad 1. *Affirmative.* Ad 2 *Negative.* Et proxime SSmus D. N. Pius IX, decreto huius Supremae Inquisitionis sub Feria IV, die 27 Iunii anno 1866 edixit: *in facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos* habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae.* (1)

Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis, absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elangueat. At Emi PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eamdem Constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos, tum in denunciationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse

(1) Hisce addimus hoc aliud decretum. Quaesitum fuerat a Suprema Romana Inquisitione:

An in Missione nostra Batava tanquam sufficienter promulgatae, adeoque vim obligationis habere censendae sunt: 1°. Constitutio *Sacramentum Poenitentiae*, quam Benedictus XIV. 1 Iunii 1741 ad Ecclesiam universam extendit, qua nulla decernitur absolutio data a confessario complice in peccato externo contra castitatem, et insuper ipse confessarius complicem absolvere ausus maioris excommunicationis poenam ipso facto incurrit?

2°. Bulla Gregorii XV *Universi Dominici* anni 1622, et supradicta Benedicti XIV confirmata, qua praescribitur ut Confessarii sollicitantes ad peccata contra castitatem in confessione, vel huius occasione, Ordinariis denuntientur?

Feria IV, die 25 Aprilis 1838.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae Supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus in tota Republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposita dicta Instantia, iidem Emi et Rmi Domini dixerunt.

Affirmative ad utrumque, nempe commemoratas Constitutiones Apostolicas vigere ad utrumque.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XVI in solita audientia R. P. Commissario Generali S. Officii impertita, praefatam Eminentissimorum resolutionem approbavit.

Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inquisit. Notarius.

abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites Sacrorum Canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem Instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione, vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti.

3. Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri.

5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo, eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris. Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus, praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint et convenientissimum foret si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis.

7. Denunciationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarium, vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per Supremam

Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde sē gerat iuxta Instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui Confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat; in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est Confessarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium, vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli tom. 1. Consultat. 104, Carena, Albitius etc. (1).

8. Non infrequenter occurrit casus, ut Confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu Notarii. Huic Instructioni folium adiicitur circa modum, quo hisce in casibus confici denunciatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum aut vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro Missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii 1627 declaratum fuit: *Mulieres*, videlicet, *sollicitatas non teneri ad denunciationem si Ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant* (2).

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur

(1) Prolixitas instructionis quae habetur apud Pignatelli loc. cit. non sinit ut eam hic inseramus: attamen haec in ea praescribuntur.

1°. Mulier sollicitata si scribere novit, epistolam dirigat ad Episcopum, in qua exponat se habere quid ad S. Officium referat, ideoque ad talem locum mittat Sacerdotem gravem et probatum ad excipiendam suam denunciationem; epistolam vero subscribat, eamque per suum Confessarium ad Episcopum transmittat.

2°. Si scribere nesciat, Confessario mandet ut haec eadem verbo tenus Episcopo exponat.

3°. Episcopus sub maximo secreto et accitis duobus Ecclesiasticis prudentibus epistolam vel relationem verbalem excipit, et Confessario committit ut ad indicatum locum pergat, et iuxta formulam praescriptam denunciationem excipiat; quam susceptam ad Episcopum defert.

(2) Giraldi, *Expositio iuris Pontificii Part. I, Appendix pag. 641 Edit Rom. 1769* huic decreto assignat annum 1727.

personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt et primo per *generalia*, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint, vel audierint.

10. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen, ut plurimum, secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis Summorum Pontificum Constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.

11. Ea est huius Supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denunciatione procedi solet. Ad formale examen vocantur Parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoque modo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium, vel ab ipsa

Sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus proferet; et pro modo culpae, atque omnibus attentis circumstantiis, caeteras quoque poenas reo irroget, quae in supradictis Pontificiis Constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione; et hac quoque poena in ipsa sententia mulcetur (1). Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV, die 3 Augusti an. 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione, et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit; ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur.

13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant; nec coeteris poenis antea dictis, accedentibus licet postea denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt, et ii pariter, quos veritatem non integram, sed diminutam, in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione Apostolica, vel ex iure Episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet, illud est, ut eaedem causae, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes Curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has petractandas vel patroni ad defendendas causas assumentur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est, Cap. *Statuta*, fin. de haeret. in 6., et in Clementina *Multorum* § *Porro*, de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto, de secreto servando, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint Sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute, sancteque teneantur, nullum invi-

(1) An *mulctetur*? sed editiones habent *mulcetur*.

diae infamiaeque, vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI, in *Instructione,* de qua antea dictum est, anno 1775 ad Vicarium Apostolicum Cocincinae data ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii Apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse comunem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse ubivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc Supremam Congregationem, quae peculiares Instructiones singulis casibus accommodatas ut saepe fit, tradet ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam Pontificiam Constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romae die 20 Februarii an. 1867.

MODUS

QUO RECIPI DEBENT DENUNCIATIONES IN RE AD SOLLICITATIONEM SPECTANTE AB HIS, QUI AD DENUNCIATIONEM ALIQUAM ABSQUE INTERVENTU NOTARII RECIPIENDAM DELEGANTUR.

Die *Mensis* *Anni*

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in (*notabit locum, ubi reperitur ad actum recipiendum*) ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (*exprimet quo die ipsi scriptae fuerint literae*) praesenti positioni alligandis, NN. (*scribet nomen, cognomen, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denunciantis; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur*), cui delato iu-

ramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis (*quae manu tangere faciet*) exposuit prout infra videlicet:

Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu Notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Rmo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem Sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret, aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excriptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requiret.

Interrogata: An sciat, vel dici audierit dictum N.N. (*nominando personam*) Confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

Respondit: (*Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae*).

Interrogata: De fama praedicti Confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios? et quatenus etc.

Respondit: (*Responsionem excribet*).

Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc. et quatenus etc.

Respondit: Recte (*si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasse se dicet*). *Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:*

Interrogata: Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Respondit: (*Notabit responsionem*).

Actus claudatur hac ratione.

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (*vel* dimissa) fuit iuratus (*vel* iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum: (*super Evangelium iterum iurabit*) et in confirmationem praemissorum se subscripsit, (*et si scribere nesciat*) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis.

(*Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget*).

Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N.N. ab Illmo, et Rmo Antistite N.N. ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum Instructione et literis acceptis, nihil omnino apud se retinendo (1).

Ex his vero Confessarii opportunas et certissimas normas deprehendant, quibus denunciationes pro variis casibus et circumstantis instruant.

At Superiores qui in denunciatum Confessarium animadvertere debent, accepta denunciatione, iuxta citatam S. Officii instructionem, sedulo diligenterque inquirant: an persona denuncians sit *fide digna*, et *boni nominis*, scilicet an a se omnem delicti praesumptionem excludat, et an ad denunciandum mota fuerit inimicitia vel aliqua alia humana passione, ut invidia, zelotypia, aut levitate. In his vero non uni Parochorum generali testimonio standum est, sed relationibus personarum fide dignarum quae denunciantem intus et in cute noverint; Parochi enim bonum testimonium personis omnibus dimittere solent, de quibus nihil audiverunt.

Oportet insuper ex cit. Instructione ut Superior diligentissime inquirat circa qualitates denunciati, qui si in materia luxuriae sit integrae famae, reus non est adeo facile supponendus.

Hinc prae oculis sequentia habeant criteria. 1° Si mulier non sit integrae famae, et e contra Confessarius bono potiatur nomine, fama huius praevalere debet, et non est contra ipsum procedendum. Id decrevit Rota Romana apud Ferraris *V. Accusatus n. 9.* Bona fama accusati non solum facit praesumptionem innocentiae, sed abstergit praesumptionem contra ipsum. Tum docet Pignatelli Consult. Novis. Cons. 201. n. 55. « Si mulieres denun» tiantes patiantur exceptiones ho» nestatis, vel inimicitiae, sive ipsa» rum respectu, sive earum coniun» ctorum, et Confessarius *non sit* » *malae famae in materia venerea*, » S. Officium non solet procedere.»

2° Si tum mulier denuncians, tum Confessarius sint famae integrae, praevalere debet fama Confessarii. Id docent nedum Diana *Tom. V, Tract. IX, Resol. 65, n. 1.*, sed etiam Pignatelli *Consult. noviss. 117 n. 62*, quorum primus inquit. « Dum sola » est denunciatio mulieris sollicita» tae ad turpia, quae sit bonae fa» mae, Domini Inquisitores verbo » tenus se informent de qualitati» bus Confessarii, si alias inquisitus » *sit de similibus;* nam *in pari* » *qualitate praevalet confessarius;* » et ita servatur in praxi. » Alius vero: *Stante pari qualitate prae-*

(1) Acta S. Sedis Tom. III, pag. 499.

valet Confessarius foeminae poenitenti.

3° Quoniam in cit. Instr. § 11, dicitur. « Ut plurimum nonnisi a tertia denunciatione procedi solet » Superior ecclesiasticus legem observet, et ne praeceps sit in iudiciis huiusmodi instruendis.

4° Pariter in allegata Instructione § 14 absolute praecipitur ut eiusmodi causae *secretissime peragantur;* ideoque cunctis iuramentum imponitur de secreto servando, idque nedum quia de fidei causa agitur, sed etiam ad removendum quodvis *invidiae infamiaeque* periculum. Ex hoc igitur sequi videtur quod si in inquisitionibus instituendis Confessario infamia exoriri possit, aut scandalum fidelibus, ad ulteriora non sit procedendum. De infamiae causa patet ex ipsa instructione, atque ex ea evidentissima ratione, quod cum crimen sit occultissimum, reus habet ius ad propriam famam. Atque hinc gravissime peccarent Episcopi vel Inquisitores illi qui Confessarium denunciatum publice ad sese vocarent, multo magis per publicos apparitores, hi enim huiuscemodi agendo famam proximi gravissime laedarent.

Nullimode pariter dubitandum est quin sint acta processualia praetermittenda si secretum servari cum non possit, scandalum fideles exinde sumerent. S. Thomas *2. 2. quaest. 44, art. 7, Resp. ad 1.* « Poenae » infliguntur, inquit, ut medicinae » quaedam ad cohibenda peccata, » et ideo in tantum habent ratio- » nem iustitiae, in quantum per eas » peccata cohibentur. Si autem per » inflictionem poenarum manife- » stum fit plura et maiora peccata » sequi, tunc poenarum inflictio non » continebitur sub iustitia. » At in casu plura et gravissima peccata sequerentur sive ex parte denunciati qui in rabiem actus ob deperditam famam, si praesertim divitiis et potentia praestet, posset atrocia committere, Episcopis vel Inquisitoribus iniuriam irrogare, eosque odio vatiniano prosequi; tum ex parte fidelium quorum plerique, praesertim hisce temporibus, undique divulgarent facinus in Sacramento Poenitentiae admissum, alii de ipso Sacramento poenitentiae suspicionem sumerent, alii turpia quaeque proferrent, alii Sacerdotes irriderent, et eis aperto ore detraherent; alii demum ab Sacramento poenitentiae sese retraherent; ita ut ob unum peccatum occultissimum alia sexcenta committerentur. Hinc in eiusmodi casu medicina in infligenda poena nedum deficeret, sed in venenum exitiale converteretur: inflictio poenae quapropter non contineretur sub iustitia; consequenter aliis remediis, scilicet secretis monitionibus, comminationibus, etc. essent cum denunciato Confessario agendum, non iudicialiter (1).

(1) Qui plura desiderat adeat Petrum Rota, *Enchiridion Confessarii et Iudicis Ecclesiastici Pars Secunda, Sect. 2.*, ubi plura.

ADDITIONES.

Nondum typis amandata fuerut integra in eiusmodi Caput nostra expositio, cum ab admodum Rev. Domino et Archipresbytero Petro Rota literas humanissimas accepimus, quibus ad ea respondere conatur quae nos contra ipsum in superiori nota pag. 182 scripseramus; atque animi nostri sinceritatem sollicitat ad addendas sub fine huius Capitis transmissas ad nos observationes et argumenta. (1) *Quod libenter exequimur.*

Ita igitur scribit, atque ratiocinia contra nos ducit.

Et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus. Cic. 2. Tusc. C. 2.

In egregio Commentar. In *Const. Apost. Sed.* (Tom. 2. Append. 37. pag. 182. Col. 1), Reverendissimus Vir et Clariss. Professor, qui illud conscribit, refutavit sententiam, quam *Rota* in suo libro nuper edito, *Enchiridion Confessarii et Iudicis Eccl.* (Part. 1.Sect. V. Cap. 16. N. 293) tenuit; nempe *Confessionalia inter loca destinata* ad confessiones recenseri, et ad hoc praestandum refellit, 1. eius interpretationem declarationis S. Cong. S. U. Inquis. 25 Nov. 1874; 2. adductas auctoritates; 3. rationem intrinsecam; 4. demum eius solutionem difficultatis oppositae.

Ad haec singula praefatus *Rota* respondet prout sequitur:

I. Quoad interpretationem declarationis Supremae Inquisit. Tria dubia tribunali Supremae fuerunt proposita; unum tantum nunc perpendimus, quod nostra refert, nempe *primum.* Hoc dubio quaesitum fuit: An loca, in quibus excipi solent confessiones Monialium, habenda sint ut *loca destinata* ad audiendas confessiones, vel ut vera *confessionalia?* Et responsum fuit: *Affirmative, prout proponitur.* Sole meridiano patet quod agitur in hoc dubio de locis, in quibus audiuntur

(1) In veritatis argumentum en pars eius epistolae: « Mi son fatto a rileggere » senza passione la sua Nota, e il Capo del mio libro, che in quella è combattuto » e per risultato di questa attenta e spassionata lettura ebbi lo scritto, che oggi » le mando insieme a questa mia; e spero, che per lo stesso amore della scienza » e della verità vorrà accoglierlo volentieri, e come ne prego vivamente la sua » gentilezza, facendo anche appello alla sua lealtà, vorrà in nota alla continua- » zione dell'Appendice, che sta publicando e che tratta di tali materie, prossima- » mente publicarlo. E aggiungo preghiera che voglia publicarlo nella sua integrità, » e senza intercalarlo con osservazioni, restandole poi pienissima libertà di ag- » giungere in seguito quante osservazioni crederà. »

Lallio presso Bergamo 14 Marzo 1885.

Sac. PIETRO ROTA *Arcipret.*

confessiones Monialium; hoc nemo inficiatus est; sed etiam evidentissime patet, quod de ipsis locis *duo* quaeruntur, idest an ipsa loca sint habenda ut loca destinata ad confessiones, aut contra an ipsa loca sint habenda ut vera *confessionalia*. Duo haec, quae hic quaeruntur, iuxta quod docet etiam Reverendissimus Professor, non identica sunt sed diversa; ergo diversa exigunt responsa, quia *idem simul inesse et non inesse eidem nequit*. Compertum est solere S. R. Congregationes ad quaesita huiusmodi, quae duas partes diversas habent, hac uti responsionis formula: *negative quoad I. partem, affirmative quoad II.*, vel e converso. Sed in nostro casu S. Cong. S. U. Inquis. ad haec duo diversa respondit simpliciter: *affirmative;* quid ergo affirmat? primum, vel secundum de duobus? Si dicis quod primum affirmat, ego dicam quod alterum, et viceversa, quia in suo responso minime distinguit. Dicendum ergo, quod neutrum, vel utrumque simul affirmet? Absit, hoc enim esset absurdum et ridiculum, et S. Cong. U. S. Inquis. nec umquam dedit, nec prorsus dabit umquam tale responsum. Sed cur, ut repetam, ad quaesitum quod utique duplex et diversum requirebat responsum, simpliciter respondit: *affirmative:* Quomodo diluitur difficultas haec? Nullo alio modo mihi visum est et adhuc videtur (ni mente prorsus laboro), nisi supponendo mentem esse Supremae Cong. quod illud, de quo agitur in prima dubii parte identicum sit cum illo, de quo agitur in secunda parte, scilicet *loca destinata* esse *confessionalia*, et e converso; tunc utraque dubii pars eodem redit et in utramque refunditur, et tunc utraque unicum et simplex responsum exigit, prout reapse datum est.

Ad tale suppositum mihi videntur praebere probabile fundamentum haec tria: 1. Particula « *prout proponitur* » quam Suprema adiecit; puto hanc particulam verborum sensum naturalem et communem significationem respicere, non alia loca, atque ideo adiecta mihi videtur, ut motivum simplicis affirmationis ad duo diversa quaesita innuatur et percipiatur; 2. auctoritates tam extrinsecae, quam intrinsecae, quas postea retuli et nunc inferius referam; 3. necessitas vitandi absurdi, nam *ab absurdo vitando valet argumentum*, (Barbosa, Locor. Commun. 2.), et verba interpretanda, ut evitetur omne absurdum, adeo ut ob hoc vitandum etiam improprietas verborum admittatur (Barbosa. Axiom. iur. 2.). De hac difficultate et eiusdem solutione Reverendissimus Prof. ne verbum quidem facit, sed solum immoratur in demonstrando quod Supremi Inquisitores de locis tantum, in quibus Monialium confessiones excipiuntur, declarationem ferre intenderunt, non de aliis. Sed frustra hoc; nam hoc ultro citroque

concedimus, nec in quaestionem umquam adduximus.

II. Quoad adductas auctoritates. Asserit Reverendissimus Prof. me immerito adduxisse testimonium Clariss. et Doctiss. Theologi et Episcopi *D'Annibale* (Summula, Part. 2. N. 255, Nota 14. Editio I.). Per transennam adverto me *Summulam Editionis* I. tantum prae oculis habuisse, et eam tantum citasse. Haec autem non solum in dicta Editione I. sed *etiam in II.* non habet omnia, quae Reverendissimus Prof. transcribit, verum tantummodo sequentia: « *Loca destinata* dicuntur » Cellulae illae in Ecclesiis extru» ctae, ubi subsellia cum imagi» nibus Crucifixi huius rei causa » posita sunt: *electa* ea, in quibus » quis in praesens pro re nata con» fessionem excipit, sive domi, » sive in agro, sive in via. Quibus » autem opus sit, ut his in locis » confessio simulari videatur, in » facto, non in iure consistit ». Item eiusdem Clariss. Viri Commentarium (In Constit. *Apost. Sed.* N. 135. Nota 14), *tam in I. quam in II. Editione* habet praedicta identica verba et nihil amplius; fortasse citatio Declarationis Supr. Inquis. 25 Nov. 1874, quam addit Reverendissimus Prof., in III. Editione eiusd. Commentarii adiecta fuit. – Sed quaerit Reverendissimus Prof. cur et quo sensu ego innixus testimonio egregii *D'Annibale* docere possim duo tantum locorum genera confessionis adesse, nempe loca *destinata* et loca *electa*? Et respondeo, quia Clariss. Vir *D'Annibale* duo tantum ipsemet genera locorum numerat; nam in prima citati testimonii parte definit generice loca ordinaria confessionis, et hoc praestat verbis, quae etiam *Confessionalia* complectuntur ac definiunt. Et equidem *Cellulae* (diminutivum a *Cella*, quae idem fere est ac *cubiculum*, et hoc longe est a simplici scabello confessarii et poenitentis cum imagine Crucifixi et Tabella Reservatorum, ut solent esse alia loca confessionis) *extructae in Ecclesiis* (est *Confessionale, quod in Ecclesia collocatur*, ut ipse Reverendissimus Prof. testatur, pag. 182. *Col.* 2. *in princip.*), *ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi*, haec omnia *confessionale* constituunt, crate forata excepta, quae non pro omnibus confessionalibus requiritur, sed pro confessionalibus mulierum tantum. Etiam Giraldi (Expos. Iur. Pontif. pag. 630. *Col. I. in princip.*) docet: « si in » huiusmodi cellulis confessionale, » ut supra dictum est, constructum » adsit, *quod formam* habeat tri» bunalis ordinarii sacramentalis » iudicii, tunc ad locum prioris » generis (nempe *veri confessio*» *nalis*) pertinebit », etiam si sit in primo claustro Monasterii, vel in Sacristia. In secunda vero parte laudatus *D'Annibale* loca *electa* definit, et cum de *confessionalibus* in specie nullum addat verbum, argumentari sinit debere illa inter loca

destinata recenseri, quippe qui ita haec definit, ut eorum definitio et illis conveniat. Clarius porro egregius *D'Annibale* paullo post (Summula, in *pag. sequenti, 180 in fin.*) hanc meam confirmat sententiam duo solummodo locorum genera recolendo, ubi viceversa in sententia contraria tria genera recensere debebat. Nam ibidem explanans Clausulam *simulationis confessionis* haec habet: « Denique *simulatione* con» fessionis reus sollicitationis intel» ligitur, si dum ambo fingunt con» fessionem agere, turpia miscent, » et si id agant in loco, vel solum » destinato, aut electo ad audiendas » confessiones. » Et hic nullam facit mentionem de confessionali, quae quidem erat facienda, nam simulatio confessionis non inducit in poenas, nisi fiat *in confessionali,* aut in alio loco confessionis iuxta textum Bullae.

Huic porro testimonio adde et illud *Gury* (Comp. Theol. Mor. cum Adnotation. P. Ballerini, *Editio V. pag. 545).* qui haec habet: » Sol» licitantes..... simulatione con» fessionis immediate ante, vel » post confessionem, aut in loco, » ubi confessiones audiuntur, seu » ad confessionem electo, Superio» ribus Ecclesiasticis denuntiandi » sunt. » Nota quod et Gury *de confessionale* tacet, et ideo dicendum est, quod illud recenseri intendat inter loca, *ubi confessiones audiuntur* quae sunt loca *destinata.*

Sed quod specialiter nunc subdo attentioni Reverendissimi Professoris est testimonium sequens Commentarii Patavini (In Const. *Apost. Sed.* N. 385 ad V. pag. 283): « Loca *deputata, ut facile liquet,* » sunt *Confessionalia in Ecclesiis* » *collocata;* item cellae prope Ec» clesiam extructae, ubi sedes pa» ratae pro confessariis, sacrae ima» gines pendentes, etc. Loca vero » *electa* possunt esse quaecumque, » in quibus, ut ait Reatinus, quis » in praesens pro re nata confes» sionem excipit. » Facile quisque comperiet ipsissima haec me tradere.

Praesto sunt et alii complures Auctores, quos citare possem, quique cum exprimant quidem *confessionale,* sed de locis *destinatis* non addant verbum, post *confessionale* exprimentes tantum loca *electa,* ad argumentandum inducunt, quod idem retinent *confessionale* ac loca *destinata.* Exempli gratia, Clariss. Praelatus *Sarra* (Memoriale Theol. Moral. De Virt. Theolog. De sollicitat. pag. 125. Editio II.) habet: « Dicitur *praetextu* confessionis, » quando simulat confessionem sa» cramentalem et sollicitat in *Con» fessionario,* aut in loco quo» cumque ad audiendas confessio» nes *electo.* » Et *Salmanticenses* (Tract. 21. De praecept. Decal. § V, N. 57.) sic docent: « Dicendum est » prohiberi his verbis sollicitare » ad turpia in *Confessionario,* aut » in loco quocumque ad confes» sionem *electo.* »

Cur isti auctores silentio praetereunt loca *destinata*?.....

III. Quoad rationem, seu auctoritatem intrinsecam. Quoad hoc paucis me expediam, nam sufficiet in lucem ponere argumentationem Reverendissimi Professoris carere fundamento et (absque tamen eius culpa) vitiosam esse. Cum enim ego, ut ipsemet refert Confessionalis tradidissem definitionem his verbis: « *confessionale est locus ad* » *confessiones destinatus: dicitur* » *autem destinatus cumulative tum* » *ob formam, quam praefert, tum* » *ob habitualem usum ibidem excipiendi confessiones* » hanc definitionem subiicit conditioni, quam Logica statuit ad dignoscendum, an legitima dici possit, et ideo eam convertit, et ait: « *si igitur* » *confessionale est locus ad confessiones destinatus, quoniam definitio converti cum definito debet* » *et uni et soli convenire definito,* » *vera erit sequens propositio: locus* » *quilibet ad confessiones audiendas* » *destinatus est confessionale.* » Sed venia Reverendissimi Professoris haec conversio definitionis vitiosa est; nam partem tantum definitionis complectitur, et partem praetermittit. Definitio mea habet quidem verba: *confessionale est locus ad confessiones destinatus,* at non haec tantum habet, sed etiam haec alia: *destinatus cumulative, tum ob formam tum ob habitualem usum ibidem confessiones excipiendi.*

Converte ergo totam definitionem, et vera, verissima erit sequens propositio: *locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus, destinatus tum ob formam, quam praefert, tum ob habitualem usum confessiones ibidem excipiendi est confessionale.*

Talis equidem propositio habetur, si tota mea definitio, uti iacet, convertitur, et tunc profecto Reverendissimus Professor non amplius quaeret quo abit definitio alia (seu melius *descriptio*) confessionalis a me tradita praecedenter (pag. 177. N. 293), etenim cum hac postrema propositione, ex conversione definitionis confecta, adamussim convenit.

Abstineo porro ab expendendis iis, quae postea ex conversione diminutae et dimidiatae definitionis Reverendissimus Professor deducit et argumentat, nam illa corruunt, fundamento avulso.

IV. Quoad solutionem difficultatis oppositae. Demum sibi videri praedicat Reverendissimus Professor me infeliciorem esse in solvenda difficultate, quam ipsemet mihi his verbis proposui et solvi: « Sed » fortasse respondebis; cur ergo » in Bulla post particulam *in Confessionali* additur illa, *sive in* » *alio loco ad audiendas confes-* » *siones destinato?* Etenim, si *con-* » *fessionale* et locus *destinatus* » idem sonant, redditur otiosa haec » secunda particula, et hoc directe » opponitur Regulae Iuris: *verba* » *intelligenda sunt cum effectu, ita*

» *ut aliquid operentur, et non* » *sint superflua.* Respondeo minime » reddi otiosam particulam illam, » quia maioris declarationis et » omnis tollendae dubitationis gra- » tia adiecta fuit. Censetur aliquid » operari verbum legis, quando » etiam solius maioris declarationis, » cautelae, et omnis dubitationis » tollendae, vel efficacioris volun- » tatis demonstrandae gratia po- » nuntur. etc. (Reinffestuell, lib. V. » Decret. tit. 40. N. 2). »

Ait Reverendissimus Professor me respondere quod in quaestione est: « quaestio enim est, inquit, » an legislator per loca *destinata* » intellexerit quid a confessiona- » libus diversum, vel unum idem- » que; ipse autem respondet, a le- » gislatore per particulam *sive alio* » *in loco ad audiendas confessiones* » *destinato* explicatum fuisse sen- » sum vocis *Confessionalis.* » Quaestio nostra specialis hic et nunc est, an superflua dicenda sit et reddatur otiosa in mea hypothesi particula illa addita, et *respondeo,* ut formatis verbis legitur ibi, *minime reddi otiosam particulam illam, quia maioris declarationis et omnis tollendae dubitationis gratia adiecta fuit:* hoc sensu accipit explicationem aliquam et vox *Confessionalis.* Quomodo ergo illud respondeo, quod in quaestione est? Si respondissem particulam illam adiectam fuisse in Bulla ad declarandum *confessionalia* recenseri debere inter loca *destinata*, tunc quidem incidissem in *petitionem principii,* et id ipsum, quod in quaestionem venit, tamquam certum obiecissem, sed aliud, ut patet, ego respondi. Legislator per verbum *Confessionalia* satis indicaverat se intelligere omnia loca illa, ubi audiuntur confessiones, sed cum, nullo prorsus excepto, omnia illa comprehendere vellet, et fortasse contingi posset, confessionalia iuxta quasdam minores et breviores formas confecta alicubi et aliquando sub voce *Confessionalis* communiter sumpti non intelligi, adiecit particulam *et in alio loco destinata, vel electa ad confessionem,* non quidem principaliter, ut velut triplex Confessionalium locorum genus induceret, sed ut maiori evidentia declararet et explicaret mentem suam esse omnem sive stabilem, ut ita loquar, sive contingentem locum confessionis, omnes prorsus comprehendendi. Esto quod ego dicam legislatorem intellexisse *confessionalia* et loca *destinata* ad confessiones non quid diversum, sed unum idemque sonare. Quid inde? Asserui ne ipsum otiose addidisse verba illa *loca destinata?* (En quaestio de qua agitur nunc). « Tole- » rantur etiam verba idem sonantia, » ait Roncalia (De Legit. tract. 3. » cap. 2. quest. III. resp. III. in » fin.), ad maiorem energiam, qua » veluti magis comprehendatur » mens legislatoris. Ita in Bullis » Pontificiis simul ponuntur ista » verba *uti, frui, potiri,* quae

» ferme idem significant. Item in » eodem contextu loquuntur Bullae » de consentientibus et permittentibus, cum sufficere videretur » consentientes expressisse, nam » qui consentit, a fortiori permittit. » Si autem nunc repetes iuxta sententiam meam evadere illam particulam nihil aliud, quam otiosam et inutilem repetitionem, lege etiam *Barbosam* (Axiom. Iur. usufreq. Axiom. 216. N. 6.), qui haec tradit: « Frequenter in legibus et in statutis semel disposi» tum etiam per verba inculcata, » idem importantia, disponitur, et » plus non operantur, nisi maiorem » declarationem et saepe aliquid » bis ponitur ad evitandam mali» tiosam et sophisticam interpre» tationem, et sic ad maiorem ex» pressionem. »

Antequam porro finem faciam, duo advertenda puto. 1. Quidquid sit de nomine, rem et substantiam cum Reverendissimo Professore ego admitto; nam nec *confessionalia*, nec loca *destinata* ego excludo, sed dico illa inter ista recenseri, vel viceversa, et in specie omnia quae singula locorum confessionis genera respiciunt, maxime respectu consequentiarum iuris, suis locis in meo libro fideliter trado. 2. Quaestio et lis non facile dirimitur, quia ipsa a definitione *Confessionalis* et locorum *destinatorum* pendet, et ea, saltem adaequata et legitima, deficit. Compertum est duplex adesse genus definitionis; alia nempe accuratior, quae rei naturam explicat per ipsius principia constitutiva, idest per genus, et differentiam; alia minus accurata, quae vocatur magis *descriptio*, et plurimas rei proprietates congerit. Haec praecipue adhibetur in casu nostro, et in specie quoad *Confessionale;* ideoque *confessionali* non recte definito, deficit definitio etiam locorum *destinatorum*, cum haec sint *alia quaecumque loca a confessionali distincta, ubi confessiones audiuntur*, prout ea definit etiam Reverendissimus Professor, *l. c. pag. 183. Col. I. in principio.* En quomodo Rituale Rom. (De Sacram. Poenit.) confessionale definit: *Sedes patenti et apto loco Ecclesiae posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem instructa.* Sed si *sedes*, sufficit ergo *subsellium*, et non requiritur *cellula;* requiritur e contra *crates perforata* indistincte quoad viros et mulieres, sed haec quoad viros non obtinet; non requiritur Crucifixi imago, at illam complures Theologi in definitione Confessionalis exigunt; demum requiritur quod apto loco et patenti in Ecclesia collocetur; sed de loco *apto et patenti* Theologi mentionem non faciunt; quod porro solummodo confessionalia *in Ecclesia* locentur, Theologi non conveniunt, etenim inter alios cit. *Giraldi* (Expos. Iur. Pont. pag. 639. Col. I. in principio) docet, quod si in cellula constructum adsit, quod formam habeat tribunalis ordinarii Sacramentalis

iudicii, tunc pertinebit ad vera confessionalia, etsi in Sacristia sito. *Acta S. Ecclesiae Mediol.*, a S. Carolo conscripta, in primis definiunt confessionale his verbis: *opus ligneum ad poenitentium confessiones audiendas recte decenterque accommodatum* (Actor. Part. IV. Inst. Fabr. Eccl. lib. 1. Cap. 23.), postea ipsum describunt – *Dictionaria* illud definiunt: *locus in quo sacerdotes fidelium confessiones audiunt.* – *Enciclopedia Ecclesiastica*, Venetiis edita ab anno 1854 ad 1864, (Verb. *Confessionale*) illud definit: *quidam locus destinatus in Ecclesia, ubi audiatur confessio fidelium, cum crate pro mulieribus.* – *S. Carolus Borromaeus* (Synod. Dioec. XI. Actor. Part. 2.) praecipit, ut in singulis plebibus *confessionalia* aliquot, quae *gestatoria* nuncupat, in unaque Ecclesia Parochiali parentur; haec autem describuntur a *Baruffaldo* (Ad Rit. Rom. tit. 18, N. 18), ubi ait: « per sacerdotes in vasto spatio » distributos portari *cratem manualem et scamnum plicabile*, » quo huc et illuc se transferunt » ad audiendas utriusque sexus » fidelium confessiones sacramentales. » Crates manualis et scamnum plicabile ergo sufficiunt ad constituendum, quod *confessionale* ab illis dicitur, esto tantum portatile. – Leges Synodales fere ubique prorsus exigunt pro confessionalibus ostium cum sera et clavi, imaginem Crucifixi, tabellam Casuum Reservatorum, ostiolum ante cratem, etc. Haec omnia sunt ne hodie inter principia Confessionalis, vel e contra in definitione eiusdem sunt praetermittenda?

Sed nunc satis de his, et doctiores iudicium et sententiam ferant.

Et haec quidem cl. auctor contra nos exposuit: nostrum autem est ad ea respondere. Attamen praemittimus, nos aegro prorsus animo eiusmodi quaestionem pertractare, quia minoris momenti est, eamque praeteriissemus omnino nisi admodum Reverendus Rota, tanti eam existimasset ut etiam ad animi nostri sinceritatem appellarit quo suas contra nos animadversiones publici iuris faceremus, atque nonnulla nobis attribuisset quae iure tribuenda non erant. Breves tamen, quantum licuerit, erimus, et a lectoribus nostris veniam petimus, si in inutili fere quaestione eos detinebimus.

Praemittimus tamen positive nos controversiam non agere, sed polemice: si enim demonstraverimus, adductas contra nos a cl. adversario observationes non subsistere, hoc ipso stare ipse concessurus erit quae in nota cit. edisseruimus.

Post haec: nobis primo loco iracitur quod S. Officii declarationem diei 25 Novembris 1874 non recte exposuerimus. In ea expendenda duo nos affirmavimus: 1°. Supremos Inquisitores declarasse, loca destinata ad excipiendas confessiones monialium, aliarumque puellarum vel mu-

fierum degentium vulgo *nei Ritiri, Conservatorii* etc. habenda esse ut *vera confessionalia*. 2°. Responsionem Supremae Inquisitionis ad hoc tantum referri, scilicet *ea loca habenda esse ut vera confessionalia*. Ex quibus intulimus, quod declaratio S. Officii non esset extendenda ad alia loca ad confessiones audiendas destinata, quae neque in Monasteriis, neque in aliis locis, seu *Ritiri, Conservatorii* etc. existunt, sed alibi.

At si stent praemissae, illatio profecto stabit; reapse ex hoc quod Supremi Inquisitores declaraverint loca praedicta esse vera confessionalia, non sequitur loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia; ut id evidenter adversarius noster percipiat, ad enthimema ratiocinium reducamus: *Supremi Inquisitores Romani declaravere, loca destinata ad excipiendas confessiones monialium, et puellarum aliarumque mulierum degentium in locis vulgo Conservatorii, Ritiri* etc. *habenda esse ut vera confessionalia*. Ergo *Supremi Inquisitores declaravere loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia*. Consequens magis patet quam antecedens contra secundam regulam: *Quantum praemissae referat conclusio tantum*. Hinc probanda non est conclusio quam adversarius infert his verbis: « Ex his, ni fallor, patet luce meridiana clarius, S. U. Inquisitionem ipsam docere discrimen nullum esse inter *Confessionalia* et *loca destinata* ad confessiones ».

Consequens enim ex cit. declaratione inferendum hoc est: Luce meridiana clarius constat, Supremam Inquisitionem docere nullum adesse discrimen inter *confessionalia*, et *loca destinata* ad audiendas confessiones sanctimonialium, puellarum aliarumque mulierum degentium in Monasteriis, aliisque locis, vulgo *conservatorii, ritiri* etc.

Cum vero cl. adversarius non neget citatum decretum hoc sensu latum fuisse, (1) ipsemet concedit, saltem ab eo concedendum est, de ceteris locis ad confessiones audiendas destinatis, quaeque ad sanctimoniales, puellasque praedictas non pertinent, ne verbum quidem Supremos Inquisitores fecisse, ideoque ex citato decreto nullo pacto probari, loca omnia ad confessiones audiendas ubilibet destinata vera esse confessionalia.

Neque solidiora sunt quae subdit cl. Rota. Quamvis enim concederemus, *duo* in cit. quaesito petita fuisse: an silicet loca in quibus excipiuntur Sanctimonialium etc. confessiones habenda sint ut *loca destinata*, vel ut *vera confessionalia;* cum Supremi Inquisitores responderint, habenda esse ut *vera confessionalia:* ad haec tantummodo coarctanda est responsio; ita ut

(1) Etenim in animadversionibus propositis scribit: *hoc ultro citroque concedimus, nec umquam in quaestionem adduximus*, pag. 204-5.

dubitare non possimus quin Inquisitores declaraverint, loca de quibus quaesitum est, non esse habenda *ut loca destinata*. Sed ex hoc ipso nonne sequitur discrimen *loca destinata* inter et *vera confessionalia*?

Etenim si loca de quibus quaesitum est, non *ut loca destinata* habenda esse decreverunt, vel non haec tantum, sed ut *vera confessionalia*, hoc ipso admisisse dicendi sunt inter loca praedicta discrimen ita ut confundenda non sint velut *unum idemque*.

Id de cetero ipsemet Rota concedit dum in cit. Vol. *pag. 178* scribit: « et ex hoc necessario » consequitur, quod si loca, ubi » excipi solent confessiones moniа- » lium, dicas esse *vera confessio-* » *nalia*, eo ipso affirmas non *esse* » *loca destinata* et e converso. » Hinc non intelligimus de qua re disputationem instituat.

Attamen, ut rei suae consulat, affirmat, ab Suprema Inquisitione duo quaesita fuisse, eaque diversa, scilicet an loca in quibus excipiuntur sanctimonialium etc. confessiones habenda sint ut *loca destinata*, vel ut *vera confessionalia;* duobus vero diversis diversam responsionem deberi. Attamen vir clarissimus hac in re veritatem assecutus non videtur: non enim *duo* a Suprema Inquisitione quaesita sunt, sed alterutrum ex his duobus; scilicet an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda sint vel *ut loca destinata*, vel ut *vera confessionalia;* ergo *unum* quaesitum est, non *duo;* scilicet, *alterutrum*, non *utrumque*. Non enim Episcopus Formisano, vel alius quilibet dubitare potuit, an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda essent ut *loca destinata*, sed an habenda essent ut *vera confessionalia*, et hoc postremum Episcopus dirimendum proposuit Supremae et universali Romanae Inquisitioni. Id constat 1° ex adducta superius ratione, quod scilicet nemo dubitare poterat an loca recensita habenda essent uti loca ad excipiendas confessiones destinata; de hoc igitur quaerendum non erat.

2° Ex tenore quaestionum propositarum: etenim in prima quaeritur: an loca etc. habenda essent ut loca destinata, *vel ut vera confessionalia;* cuius quaestionis sensus est: an essent habenda ut loca destinata tantum, vel ut vera confessionalia, ideoque dubium cadit super postremum quod Rmus Episcopus vel nesciebat, vel de eo dubitabat.

Hoc autem melius patet ex dubio secundo: *An idem dicendum sit de locis constructis* etc., scilicet an et haec habenda sint ut vera confessionalia; sin minus ad quid illud *idem*?

Evidentissime vero id eruitur ex tertio dubio: *quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales* etc.

Dum igitur Supremi Inquisito-

res respondent: *Ad tria dubia, prout proponuntur, affirmative:* unum illudque explicitum dixerunt; scilicet loca illa de quibus in tribus propositis dubiis quaesitum est, esse habenda *uti vera confessionalia,* nedum relate ad sanctimoniales, sed etiam relate ad mulieres degentes in locis vulgo conservatorii, Ritiri etc. et etiam relate ad mulieres extraneas. Ergo per illud *affirmative* Supremi Inquisitores declararunt, loca de quibus quaesitum est non esse habenda ut loca destinata, sed *ut vera confessionalia.*

Unum ergo responderunt, eo quod unum quaesitum clarissime fuerat; neque dubium aliquod esse potest quin responsio Supremae referenda sit unice ad loca praedicta quatenus habenda sint ut *vera confessionalia.*

Hinc frustra quaerit cl. Adversarius: *quid ergo affirmat,* Suprema Inquisitio, *primum vel secundum de duobus?* Etenim absolute affirmat secundum, eo quod secundum quaesitum fuerat, consequenter non duplex sed unicum proposita dubia responsum exigebant; non formulam: *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;* sed formulam *affirmative,* cum clarum et apertum esset unum illud quod quaerebatur.

Quod ut melius declaretur; fingamus tantisper Supremos Inquisitores ad tria proposita dubia respondisse: *negative.* Quid negassent? Profecto non quod loca in quibus excipiuntur Sanctimonialium etc. confessiones sint loca destinata ad confessiones audiendas, sed quod sint vera confessionalia; ergo si responderunt *affirmative,* hoc postremum affirmarunt.

Reliqua quae in re disputat cl. adversarius praetermittimus, cum primum non intelligamus; alterum inferius expendemus; tertium non habeat locum, cum in responsione suprema Inquisitio nullum vitare debuerit absurdum: sed unice respondere ad proposita dubia quae in unum confluunt, an scilicet loca de quibus quaesitum est, habenda essent ut vera confessionalia.

Observare tamen non praetermittimus abs re prorsus esse exemplum quod adversarius in suo volumine *pag. 178* ad rem declarandam adducit his verbis: « Simplex » responsio affirmativa Supremae » evaderet fere ridicula et absur» da, velut si oves albas Titiri, et » nigras Moelibei tibi ostendens te » interrogem: Cuium pecus? *Titiri* » *an Moelibei?* Et tu respondeas » mihi: *affirmative.* Quid tunc di» cendum de tuo responso? »

Profecto dicendum esset eiusmodi responsum ineptissimum et ridiculum esse. At etiam dicendum est, nullam adesse paritatem inter quaesitum propositum circa oves Titiri etc. et responsionem adiectam, atque inter dubia Supremae Inquisitioni dirimenda exhibita et additum responsum. Etenim cum interrogatus nesciat cuius sit pecus

Titiri an *Moelibaei*, respondere non potest *affirmative*, sed *nesci*. At Suprema Inquisitio non ita interrogabatur: *Loca in quibus excipiuntur confessiones monialium* etc. *sunt loca destinata vel vera confessionalia?* Sed insuper *et quatenus sunt vera confessionalia* etc. ita ut omnino appareret, quaeri ab Rmo Formisano: an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium sint vera confessionalia. Atque hinc optime Supremi Inquisitores respondere potuerunt, ut reapse responderunt: *affirmative.* Citatum quapropter exemplum incongrue prorsus allegatur; quid enim si ita proponeretur, ut proponendum erat: *Cuium pecus? Titiri an Moelibei? et quatenus Moelibei, an etiam ex. gr. canes sunt eius?* Ad quae si interrogatus respondisset *affirmative* dubitari ne posset pecus esse Moelibei?

Paritas insuper et ex alio capite nutat: Etenim in allegato exemplo oves albae sunt Titiri, nigrae sunt Moelibei, ideoque duo sunt subiecta inter se omnino diversa, quae post convenientem scientiam duo omnino diversa exigunt responsa; at in dubiis Supremae Inquisitioni propositis unum est subiectum, scilicet loca in quibus excipiuntur confessiones monialium, de eoque unum explicite quaeritur: *an sint vera confessionalia;* quae igitur paritas cum allegato exemplo?

Post haec obiter animadvertere putamus, cl. adversarium non debuisse responsionem Supremae Inquisitionis ex primo tantum dubio dimetiri, sed ex tribus; non enim respondit: ad primum dubium *affirmative;* sed *ad tria dubia, prout proponuntur, affirmative.* Demonstret autem, ex tribus propositis dubiis non percipi evidentissime, quaesitum fuisse: an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda sint ut vera confessionalia; et Supremae Inquisitionis responsum veluti oraculum Delphicum simul traducemus.

Queritur secundo loco cl. Adversarius, a nobis redargutum fuisse quod pro sua adstruenda sententia immerito attulerit auctoritatem cl. D'Annibale, cuius, relate ad Commentarium, reapse usi sumus tertia Editione, in qua refert S. Officii decretum; relate vero ad Summulam usi sumus Editione II. an. 1882; diximus autem Rmum Assessorem tria loca diserte admittere, scilicet *Confessionalia, loca destinata, et loca electa.* Ne nimii simus, haec ex Commentario eius excribimus: « Verum ut videatur simulare confessionem necesse est, » ut specie tenus, qua alii deci» pian ur, confessio agi videatur. » Proinde necesse est ut stet (in» telligat cl. Rota) vel in Confes» sionario, vel in loco destinato, » aut electo ad audiendas confes» siones; utque nedum in hoc, et » in isto, quod nemo dubitat, sed » et in illo fingat se confessionem » audire. » *pag. 202–3.*

Rmus igitur D'Annibale duo ne vel tria loca enumerat?

In Summula vero Part. III, *pag. 180-81*, utique duo enumerat loca, sed Confessionali evidentissime subintellecto; scribit enim: « Deni- » que simulatione confessionis reus » sollicitationis intelligitur si dum » ambo fingunt confessionem agere » turpia miscent, etsi id agant in » loco vel solum destinato aut ele- » cto ad audiendas confessiones. » Quare in loco vel *solum destinato aut electo* nisi quia nulla in re est quaestio de confessionali, in quo satis est ut poenitens sistat genuflexus in loco consueto, quo simulatio confessionis intelligatur?

Id vero melius intelligitur ex subiecta nota 17. « Quibus autem » opus sit, ut his in locis confes- » sio simulari videatur, in facto » non in iure consistit: » quae utique dici possunt de locis destinatis aut electis, non vero de Confessionali. Incassum igitur cl. adversarius relato testimonio innititur.

Clarissimo D'Annibale addemus clar. Aemilium Berardi qui in docto volumine *Praxis Confessariorum*, quod post scriptam hanc Appendicem novimus, *pag. 478 n. 558* diserte tria loca recenset, scribens: *casus esset, si Sacerdote stante in Confessionali, vel in loco destinato sive electo*, et ne putet adversarius noster, clar. auctorem confudisse Confessionalia cum locis destinatis, audiat quae scribit paullo post *n. 559. Sed haec sententia ni fallor, stare nequit. Tunc enim ad quid Pontifex tria illa loca designasset?* Igitur iuxta Aemilium Berardi Benedictus XIV non duo loca sed tria designavit; verba ergo *sive in loco ad confessiones audiendas destinato* nostro Berardi non sunt declaratio vocis Confessionalis, sed designatio alius loci a confessionali distincti et ad confessiones audiendas destinati.

Idipsum vero patet ex testimonio cl. Giraldi ab adversario cit. in animadvers. pag. 205; in eo enim verum Confessionale vocatur tribunal ordinarium sacramentalis iudicii, quo praesente in locis destinatis, haec cessant.

Roncaglia autem Theol. mor. *Tom. II, pag. 115, Q. VIII.* « Quando oriatur obligatio denunciandi propter ea verba Constitutionis Gregorii XV. *Extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessionem audire?*

R. Praedicta verba tria loca, in quibus audiri possunt confessiones, designant. Primus est ordinarium Confessionale. Secundus, alter quicumque locus, ubi audiuntur confessiones; et ita se habent quaedam cellulae etc. Tertius est locus quicumque extra praedicta ad audiendas confessiones a Confessario electus. » Nulla autem substantialis differentia est inter textum Gregorii XV, et textum Benedicti XIV.

Quid ergo de variis illis auctoribus dicendum quos citat praestantissimus adversarius qui loca destinata et loca electa designant? Respondemus, eos quidem sub locis destinatis etiam confessionalia comprehendisse, quia etiam confessionalia, et quidem principaliter, sunt loca destinata ad confessiones audiendas; ex hoc autem non sequitur, inter utrumque locum non dari distinctionem et discrimen, et nomine locorum destinatorum Benedictum XIV explicare voluisse Confessionarii destinationem et usum, et non loca diversa designare.

III. Sed tertio loco adversarius noster nos, quamvis humanissime, redarguit quod vitiose subiecerimus conditioni logicae definitionem quam ipse de confessionali tradit, quasi nos eam partialiter retulerimus, et non totaliter; quod crimen longe certe fuit a nobis; retulimus enim integram definitionem confessionalis quam ipse tradit charactere italico, vulgo *corsivo;* quae vero subdebat: *dicitur autem destinatus cumulative tum ob formam quam praefert* etc. non est definitio, sed declaratio definitionis; hanc igitur convertere non debuimus, et optimo iure nos adversarius redarguisset, si convertissemus, cum declaratio non sit definitio. Et cavissemus etiam adiectam declarationem convertere prout adversarius ipse convertit ne imbecilliores videremur. Etenim eiusmodi ab adversario nostro suggesta conversio: *locus qui libet ad confessiones audiendas destinatus, destinatus tum ob formam quam praefert, tum ob habitualem usum confessiones ibidem excipiendi est confessionale;* nonne falsa est? Etenim ex ea sequeretur, esse locum ad audiendas confessiones destinatum seu confessionale illud in quo habitualiter excipiuntur confessiones: ergo si confessionale aliquod in ecclesia sit in quo usus habitualis non intercederet excipiendi ibidem confessiones, non esset confessionale. Insuper quae est eiusmodi dictio: *Locus destinatus ob habitualem usum excipiendi ibidem confessiones?* Aliis praetermissis, in confessionali proprie dicto usus sequitur destinationem et non facit; et tale est, quamvis nulla confessio ibi exciperetur. Quid insuper repetitum illud adiectivum *destinatus?* Et voluisset cl. adversarius ut nos eiusmodi conversionem instituissemus? Ipse iudicet.

Ergo eiusmodi declarationis pars non pertinet ad confessionale proprie dictum: cum autem ad hoc non pertineat, pertineat autem ad loca destinata; ergo ipse adversarius discrimen evidentissimum ponit inter loca destinata et confessionalia proprie nominis.

IV. Postremo loco cl. Rota dolet quod nos iniuria scripserimus, eum, dum respondit ad difficultatem quam sibi proposuerat ex verbis Benedicti XIV, et explicavit verba *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato,* respondisse

quod in quaestione versatur, *pag. 207 IV.*

Sed ut lectores cognoscant quanta veritate id scripserimus, satis est ut legant notam nostram *pag. 183* atque eam conferant cum iis quae scribit Adversarius in suo libro *pag. 179.* Cum enim ipse ibi evidenter affirmaverit, Benedictum XIV explicasse sensum vocis *Confessionale,* hoc ipso affirmavit, iuxta Benedictum XIV *Confessionale et loca destinata* unum idemque esse sicut unum idemque sunt definitio et definitum.

Sed difficultas ab cl. Rota proposita erat: Cur ergo in B IIa post particulam *in Confessionale* additur illa: *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato? Etenim* etc. Ad quae cum respondeat quae fideliter ex ipso retulimus, atque ipse concedit, hoc ipso respondit quod in quaestione erat.

At in animadversionibus *pag. 208* haec subdit: « Quomodo illud re» spondeo quod in quaestione est? » Si respondissem, particulam il» lam adiectam fuisse in Bulla ad » declarandum confessionalia recen» seri debere inter loca *destinata,* » tunc quidem incidissem in *peti*» *tionem principii,* et id ipsum, » quod in quaestionem venit, tam» quam certum obiecissem, sed » aliud, ut patet, ego respondi. »

Attamen prorsus illud respondit, scilicet, particulam illam adiectam fuisse in Bulla ad declarandum *confessionalia* recenseri debere inter loca *destinata.* Affirmavit enim in *libro et loc. cit.* Benedictum XIV explicasse per verba *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato* sensum vocis *confessionale;* sed explicatio et res explicata unum idemque sunt; ergo hoc ipso quod cl. adversarius hoc affirmat, affirmat in lege Benedicti XIV *confessionalia* recenseri debere *inter loca destinata;* haec autem erat quaestio et difficultas ab eo proposita, et dissolvenda. In animadversionibus vero *pag. 208* nonne idipsum confirmat? cum enim iterum affirmet *particulam illam,* sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, *minime reddi otiosam, quia maioris declarationis et omnis tollendae dubitationis gratia adiecta fuit;* praemiserit autem: *Quaestio nostra specialis hic et nunc est: an superflua dicenda sit, et reddatur otiosa in mea hypothesi particula illa addita,* cum, inquam, haec iterum affirmet, affirmat evidentissime particulam *sive in alio loco* etc. esse declarationem et explicationem vocis confessionalis, ideoque in lege Benedicti XIV non tria loca designari, sed duo; quia definitio et definitum, explicatio et res explicata sunt unum et idem; haec autem erat quaestio.

Cl. Rota ex vera definitione Confessionalis exprimere conatur mentem et locutionem Benedicti XIV. Cum enim Confessionalis sit locus ad confessiones audiendas destinatus, inde arguit loca ad confessiones audiendas destinata esse unum

idemque cum Confessionalibus. At Benedictus XIV per verba sive *in alio loco ad confessiones audiendas destinato* aperte indicare videtur locum alium, qui Confessionale proprie dictum non est; quod patet et ex adhibita antea voce *Confessionali;* et ex adhibito postea vocabulo *electo.*

Haec autem sunt, de quibus claris. Adversarius contra nos doluit; an iure Lectores iudicent.

Post haec afferre liceat discrimina nonnulla quae inter locum destinatum et Confessionale proprie dictum intercedere videntur.

Et 1. Nemo negare poterit, confessionalia proprie dicta esse loca destinata ad confessiones audiendas simpliciter et absolute, et per excellentiam, si ita loqui fas est; at alia loca nec simpliciter, nec absolute ad confessiones audiendas destinata sunt, cum ad alias etiam actiones peragendas adhibeantur. Eiusmodi autem differentia aliquod etiam discrimen constituit.

2. Usus Confessionalium proprie dictorum, si illa sanctimonialium etc. excipiantur, universalior est quam usus locorum destinatorum. In illis enim excipiuntur confessiones quorumlibet, virorum et mulierum; in istis autem confessiones tantum virorum, et alicuius mulieris surdae, quod est per accidens.

3. Confessionale primo intuitu dignoscitur, ad quid inserviat, non item locus destinatus.

4. Dum agitur de simulatione confessionis satis est ut quis sistat ad locum consuetum Confessionalis proprie dicti, ut illa intelligatur intercessisse. Sed in loco destinato requiruntur luculentiora indicia. Quare hoc, si inter utrumque locum nullum adesset discrimen?

5. Ipse praestantissimus Rota affirmat, Confessionale esse veluti genus, et loca destinata, sicut et loca electa esse veluti species eiusdem: sed inter genus et speciem dari discrimen logicum ipse non inficiabitur; et patet ex generis et speciei definitione.

6. In Enchiridion *pag. 179* adversarius noster scribit: *poterat enim quis, si legislator non explicasset sensum vocis Confessionale, iudicare, quod in poenalibus non veniant loca destinata vel electa.* At praeterquam quod ibi Benedictus XIV locum a Confessionali diversum indicat, dato etiam quod adversarius affirmat; tale discrimen intercedere admittit inter confessionale et locum destinatum, ut hic comprehendi sub lege poenali non intelligeretur nisi de eo expressa mentio fieret; sed si nullum discrimen aderat quomodo quis hoc putare potuisset?

7. Confessionale proprie dictum forma praescripta confectum et in Ecclesia collocatum, illico confessionale est, quamvis ibi confessiones non excipiuntur; at loca destinata ad confessiones audiendas talia non habentur, nisi ibi, ut scribit etiam ipsemet Rota, Enchiri-

dion pag. 177 col. 1, *ex ordinaria consuetudine, et servatis servandis confessiones audiantur.* Ex quo sequitur 1° quod Confessionale proprie dictum tale est ex sola destinatione; locus destinatus non item, sed requiritur consuetudo ordinaria excipiendi ibidem confessiones; sequitur 2° quod in locis destinatis si confessiones audiri praetermittantur, cessant esse confessionalia, et ad summum evadunt, vel evadere possunt loca electa; vera autem confessionalia talia sunt semper, excipiantur in eis vel non excipiantur confessiones. Sed valde discrepat id quod tale per se et semper est ab eo quod tale nec per se, nec est semper.

8. Destinatio Confessionalium proprie dictorum fit auctoritate Superioris ecclesiastici; qui et formam praescribit, et collocationem in loco apto, qui plerumque est Ecclesia; loca autem destinata ad confessiones audiendas plerumque talia evadunt ex electione confessariorum, vel ex necessitate, vel aliis circumstantiis; ita ut initio nec destinata censeantur, sed electa.

9. Demum si in loco destinato Confessionale collocetur, cessat locus destinatus, ut patet ex iis etiam quae scribit Giraldi, cuius verba adversarius adducit; at si loca destinata ita vera essent confessionalia, ut nullum intercederet discrimen, id contingere non posset, cum aequales semper et ubicumque praerogativas suas servent.

Datur ergo discrimen inter loca destinata et confessionalia proprie dicta quale intercedit, si ita loqui licet, inter Reges et Ministros, inter fontes et rivulos.

Exinde vero non negamus, loca destinata et loca electa in actu Sacramentalis Confessionis censenda esse vera confessionalia, quandoquidem Sacramentum poenitentiae quod in illis administratur sua iura servat veluti administraretur in Confessionali proprie dicto; at simpliciter, et absolute, remota scilicet actuali confessione, loca destinata, sicut et electa numquam vera confessionalia dici possunt.

Haec autem lectorum nostrorum iudicio humiliter submittimus. Eis autem commendamus lectionem, cit. operis *Enchiridion Confessarii et iudicis Ecclesiastici* ab cl. Archipresbytero Rota editi, quod plurima sapientia et eruditione praestat.

COMMENTARII

PARS QUINTA

APPENDIX XXXVIII.

De excommunicationibus Tridentinis a Rom. Pontifice Pio IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* renovatis et confirmatis.

Post recensionem excommunicationum, quas Romanus Pontifex in saepe citata Constitutione inseruit, de iis nobis agendum est, quae cum a Concilio Tridentino latae fuerint, eas Pius Papa IX renovavit, confirmavitque. Ita enim sancit.

« Praeter hos hactenus recensitos, » eos quoque quos sacrosanctum » Concilium Tridentinum, sive re- » servata summo Pontifici aut Or- » dinariis absolutione, sive absque » ulla reservat one excommunica- » vit, Nos pariter ita excommuni- » catos esse declaramus; excepta » anathematis poena in Decreto » sess. IV. *De editione et usu sa- » crorum librorum* constituta, cui » illos tantum subiacere volumus, » qui libros de rebus sacris tra- » ctantes sine Ordinarii approba- » tione imprimunt, aut imprimi » faciunt. »

Antequam huiusmodi censuras in Tridentino Concilio latas allegemus et exponamus, animadvertendum ducimus praeter censuras in negantes definitum aliquod fidei dogma, de quibus non quaerimus, cum concludantur omnes in primum articulum excommunicationum speciatim reservatarum, *omnes a christiana fide apostatas... et omnes ac singulos haereticos etc.*, duplicis generis censuras a Tridentinis Patribus latas fuisse; alias primum et directe, quae scilicet ante illud Concilium non vigebant; alias secundario et indirecte, quae nimirum non a Patribus Tridentinis primum latae sunt, sed cum iam latae in antiquis canonibus reperirentur, eas renovarunt et confirmarunt.

Hae porro censurae indirecte latae, ut notat cl. Petrus Avanzini *Commentarii pag. XLIX*, illae sunt quae indicuntur sive per generalia verba, ut ex. gr. in *Sess. 21, c. 1. de Reform.* in qua legitur: *et qui secus fecerint... poenas a iure in-*

flictas ipso facto incurrant; et in Capite sequenti: *antiquorum canonum poenas super his innovando*: et ita passim; sive per speciales allegationes, ut ex. gr. in Sess. XIV, cap. 6 *de Reform.* in qua legitur: *Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam, quae incipit* Quoniam, *innovando et ampliando.* In hac autem Constitutione *Quoniam* inter ceteras poenas recensetur etiam quaedam suspensio ipso facto incurrenda. Item *in Sess. 24, cap. 3 de Reform.* legitur: *Aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit* Exigit *mulctetur.* In hac autem Constitutione *Exigit,* si quis mulctam non solverit, vel suspensus, vel Ecclesiae ingressu interdictus pronuntiatur.

Quaerimus ergo: an cum Pius Papa IX in sua Constitutione affirmat, se uti excommunicatos habere illos omnes, quos Tridentini Patres excommunicarunt, intelligendus sit loqui de omnibus excommunicationibus quae sive primario et directe, sive secundario reperiuntur latae in eo Concilio, vel tantum de excommunicationibus directis, et quae primum latae sunt a Tridentinis Patribus?

Et quidem, contra cl. Daris qui contrarium in genere opinatur, et clarissimos Dumas, Cretoni, Conrado, qui existimant, censuras speciali mentione a Tridentinis Patribus innovatas adhuc subsistere (1) nostri Avanzini, quem fere universi Commentatores sequuntur, sententiam tenendam esse dicimus, qui affirmat atque demonstrat, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* nullo pacto renovatas fuisse censuras, quas Tridentini Patres indirecte tulerunt. Et allata ab Avanzinio argumenta nobis apodiptica videntur.

Primam enim rationem petit ex Constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur; quod legitur in eiusdem Constitutionis initio « Nos » eiusdem incommodis occurrere » volentes, plenam earumdem re- » censionem fieri Nobisque proponi » iussimus ut diligenti adhibita con- » sideratione, statueremus, quas- » nam ex illis servare ac retinere » oporteret, quas vero moderari, » aut abrogare congrueret. Ea igitur » recensione peracta... decernimus, » ut ex quibuscumque censuris... » nonnisi illae, quas in hac ipsa » Constitutione inserimus, eoque » modo quo inserimus, robur ex- » inde habeant. »

Atqui nec certus esset censurarum numerus, nec recensita ab Pio IX incommoda satis eliminata censenda essent, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Tridentino renovata. Iterum enim essent requirendae poenae in antiquo iure, et antiquis canonibus inflictae, et in multa incertitudine versari relate ad nu-

(1) Apud Piat. *Commentarius in Const. Apostolicae Sedis pag. 220.*

merum, valorem, extensionem etc., ex quo pariter sequeretur, Pianam Constitutionem non esse exinde normam censurarum cognoscendarum.

Quod spectat ad censuras renovatas per Constitutiones speciales notandum est, admodum paucas esse Constitutiones veteres a Tridentino sic renovatas, quae censuras ipso facto incurrendas contineant, eaeque si unam vel alteram Constitutionem excipias, ita sunt innovatae, ut satis significaretur a Concilio censuras in illis contentas non fuisse innovatas.

Reperimus sane Tridentinos Patres septem et viginti Constitutiones innovasse: inter has, illae quae censuras ipso facto incurrendas continent, sunt Constitutio Sixti IV de Immaculata Deiparae Conceptione, quae Constitutio incipit *Grave nimis*, quaeque legitur in Extrav. comm. *lib. III. De Reliquiis et venerat. Sanct.* c. 2, a Concilio Tridentino expresse innovata in Sess. 5 de peccato originali §. 5. Per eam Constitutionem infligebatur excommunicatio ipso facto incurrenda, et Romano Pontifici reservata, illis omnibus qui catholicae doctrinae de Immaculata Conceptione contradicturi fuissent, sicut et illis, qui eam ut dogma iam definitum essent tradituri. Cum haec Constitutio cessaverit per solemnem definitionem latam die 8 Decembris an. 1854, cessarunt pariter poenae adnexae. Pius Papa IX de Tridentina sanctione Constitutionem illam confirmante loqui nec potuit nec debuit.

Altera Constitutio quae censuras continet commemoratur a Tridentino Concilio in Sess. XIV, can. 8. de Poenit. quam ita legimus. « Si » quis dixerit confessionem omnium » peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri » omnes et singulos utriusque sexus » Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem » semel in anno, et ob id suadendum est Christi fidelibus, ut » non confiteantur tempore Quadragesimae: anathema sit. »

Atqui eiusmodi excommunicatio fertur in peccantes contra fidem atque Ecclesiae doctrinam; ideoque ad disciplinam non pertinet. Quomodo ergo per citationem Lateranensis Constitutionis dici possunt Tridentini Patres renovasse specialiter poenas ea in Constitutione indictas, cum in hac nulla feratur excommunicatio, sed tantum interdictum ab ingressu Ecclesiae et quidem ferendae sententiae? Et ad rei veritatem probandam en Lateranensis Constitutio: « Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad » annos discretionis pervenerit, » omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in » anno proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat » pro viribus adimplere, suscipiens » reverenter ad minus in Pascha » Eucharistiae Sacramentum nisi » forte de consilio proprii Sacer-

» dotis ob aliquam rationabilem » causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; » alioquin et vivens ab ingressu » Ecclesiae arceatur, et moriens » christiana careat sepultura. »

Quaerimus ergo: circa hunc canonem quamnam poenam in cit. loco Concilium Tridentinum renovavit? Non certe excommunicationem, de qua ne verbum quidem in Constitutione Lateranensi, non interdictum ab ingressu Ecclesiae, de quo nulla mentio in Canone Tridentino. Si ergo post Constitutionem *Apostolicae Sedis* supponendae sunt vigere poenae Constitutionum antiquarum quas Tridentini Patres citavere specialiter, nesciremus omnino hac in Lateranensi Constitutione quaenam poenae vigeant, contra manifestam Pii IX intentionem, qui per Constitutionem suam censuras ad certum numerum reducere voluit.

Tertia Constitutio quae a Tridentino innovata continere videtur censuras, est illa quam tulit Clemens V in Concilio Viennensi, quae incipit *Quoniam;* eaque plures poenas continet contra Clericos vestibus clericalibus ordini congruentibus non incedentes, quam innovavit Tridentinum *Sess. 14. c. 6. de Reform.* his verbis: « Si semel cor- » repti denuo in hoc deliquerint, » etiam per privationem officiorum » et beneficiorum huiusmodi coer- » ceri possint et debeant, Consti- » tutionem Clementis V in Con- » cilio Viennensi editam, quae in- » cipit *Quoniam*, innovando et » ampliando. » Atqui 1. Tridentinum eam Constitutionem renovavit ampliando: quod secumfert, ut poenae, quas Tridentinum inferendas edixit, praevaleant poenis Constitutionis. 2. Haec suspensio est ferendae sententiae, dum Pius IX Constitutionem edidit pro censuris latae sententiae, ut in prologo inquit: *ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt.* 3. In Constitutione Clementis V agitur de suspensione a fructibus tantum beneficiorum et intra determinatum tempus, quae suspensio cum consistat in privatione fructuum nec censura appellari meretur. Quaenam igitur poena viget post Constitutionem *Apostolicae Sedis?* Profecto non Viennensis quia censura non est; et dato quod sit censura non vigebit nec Tridentina nec Viennensis, cum utraque suspensio sit ferendae sententiae. Egisset ergo Pius IX contra suam propriam Constitutionem, si intellexisset confirmare censuras, quas Tridentinum renovare visum est per allegationes speciales.

Quarta Constitutio a Tridentino renovata quae censuras continet est illa, quam Tridentinum *Sess. 24, Cap. III de Reform.* agens de victualibus, quae ratione visitationis sunt Episcopis ministranda, his verbis inno-

vavit. « Quod si quispiam, quod » absit, aliquid amplius in supra- » dictis omnibus casibus accipere » praesumpserit, is praeter dupli » restitutionem intra mensem fa- » ciendam, aliis etiam poenis iuxta » Constitutionem Concilii generalis » Lugdunensis, quae incipit *Exigit*, » nec non et aliis poenis in Synodo » provinciali arbitrio Synodi absque » ulla spe veniae mulctetur. » Porro in Constit. *Exigit* quae legitur Cap. 2, *De censibus in 6, quaedam mulctae infliguntur: alioquin,* (id est nisi solvantur infra mensem) *ex tunc Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ingressum sibi Ecclesiae sentiant interdictum; inferiores vero ab officio et beneficio rorerint se suspensos quoadusque se duplo etc.* Atqui tum in Concilii Lugdunensis Capite, tum in Capite Concilii Tridentini agitur de mulcta pecuniaria, cuius negationem praestituto tempore sequitur interdictum; nullo ergo pacto ratione censurarum a Tridentinis Patribus Lugdunensis Constitutio renovata est. Sed esto; renovata censeatur ratione interdicti et suspensionis; cum hae poenae Tridentini dispositione sint ferendae sententiae; per Constitutionem *Apostolicae Sedis* renovatae dici non possunt; consequenter falsum omnino est Pium Papam IX *loc. cit.* in vigorem conservasse censuras antiquarum Constitutionum quae specialiter a Tridentinis Patribus allegatae fuerunt.

Alia denique generalis ratio, prosequitur Avanzini, habetur, quae ostendit, in Constitutione *Apostolicae Sedis* non comprehendi censuras a Tridentino indirecte inflictas. Id scilicet ostendit ratio loquendi eiusdem Constitutionis. Nam ea loquendi ratio est in usu Romanae Curiae, ut quando agitur sive de poenis, sive de Constitutionibus, quas Tridentinum innovavit, dici non soleat poena a Concilio inflicta, vel Constitutio Tridentina, sed poena inflicta in Constitutione N. (adiecto scilicet Constitutionis nomine), vel Constitutio N., et saepius negliguntur quoque verba *a Tridentino innovata.* Quum itaque haec sit consueta loquendi ratio, agaturque de Constitutione facta ad coercendum censurarum numerum, si in ea non reperiantur verba: *censurae a Tridentino innovatae,* hae exclusae sunt censendae.

Porro in Constitutione *Apostolicae Sedis* haec verba non habentur; immo habetur quaedam verborum conceptio quae ex sese eas excludere videtur; dicit enim Pius IX esse uti excommunicatos habendos illos, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum excommunicavit; illos ergo quos directe excommunicavit; etenim alios, quos indirecte, non excommunicavit Concilium Tridentinum, sed vel Pontifices vel Concilia quae illos primum excommunicarunt, quorum sanctiones ratas Concilii Tridentini Patres habuerunt, confirmaruntque. Cum autem in lege odiosa versemur, ea stricto est

sensu interpretanda, neque ullo pacto extendenda ad alios casus sanctionesque, quarum nedum ulla suppetit ratio vigorem demonstrandi, sed rationes suppetunt eas excludendi, cum Pii IX intentio in ferenda Constitutione *Apostolicae Sedis* fuerit censuras limitare. Si igitur evidentissime non constet, eum aliquam censuram antiquiorem sub lata a se lege comprehendere voluisse, ea comprehendenda non est.

Hisce praemissis ad censuras a Tridentinis Patribus directe latas et a Pio Papa IX confirmatas exponendas accedimus.

CAPUT I.

De Excommunicatione lata in eos qui sine Ordinarii facultate imprimunt aut imprimi faciunt libros de rebus sacris tractanctes.

Porro prima est quae habetur in Decreto *Sess. IV de Editione et usu sacrorum librorum,* cui illos tantum subiacere volumus, inquit Pius Papa IX, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Circa eiusmodi caput duo quaeremus. 1. Quinam libri nomine sacrorum librorum veniant. 2. quaenam differentiae in re existant Concilium Tridentinum inter et Pianam Constitutionem; seu quinam antiquitus hanc incurrebant excommunicationem, quinam nunc incurrant.

Et quoad 1.^m Nonnullorum Commentatorum Pianae Constitutionis sententia fuit, nomine librorum sacrorum libros quoslibet a Patribus Tridentinis indigitari, quorum argumentum ad Religionem utcumque pertineat: ita ut *libri tractantes* de religione, et libri tractantes de rebus sacris iidem ferme sint; ideoque sub citatis verbis comprehendi libros omnes qui tractant de S. Scriptura, vel de Theologia scholastica, dogmatica aut morali, de mysteriis fidei, de cultu Dei aut sanctorum, de Ecclesiae ritibus, de sacris Canonibus, de rebus spiritualibus etc. Ita, alios inter, Commentator Patavinus *pag. 294. n. 402.*

Verum eiusmodi sententia quae defendi poterat ante decretum Supremae Inquisitionis latum die 22 Decembris 1880, de quo infra; derelinquenda absolute est post citatum decretum, et absolute tenenda sententia ab cl. Avanzini, D'Annibale, aliisque propugnata, qua libri de rebus sacris tractantes restringuntur ad Sacrarum Scripturarum libros, et eorumdem librorum adnotationes et expositiones:

Patrum Tridentinorum decretum *loco citato* ita legimus « Sed et im» pressoribus modum in hac parte, » ut par est, imponere volens (Sancta » Synodus), qui iam sine modo, hoc » est, putantes sibi licere quidquid » libet, sine licentia superiorum

» Ecclesiasticorum, ipsos Sacrae » Scripturae libros, et super illis » adnotationes et expositiones quo- » rumlibet indifferenter, saepe ta- » cito, saepe etiam mentito praelo, » et quod gravius est, sine nomine » auctoris imprimunt, alibi etiam » impressos libros huiusmodi te- » mere venales habent, decernit et » statuit, ut posthac Sacra Scri- » ptura, potissimum vero haec ipsa » vetus vulgata editio quam emen- » datissime imprimatur, nullique » liceat imprimere vel imprimi fa- » cere quosvis libros de rebus sa- » cris sine nomine auctoris, neque » illos in futurum vendere aut » etiam apud se retinere, nisi » primum examinati probatique » fuerint ab Ordinario sub poena » anathematis et pecuniae in canone » Concilii novissimi Lateranensis » apposita. (1) Et si Regulares fue- » rint, ultra examinationem et pro- » bationem, huiusmodi licentiam » quoque a suis superioribus im- » petrare teneantur, recognitis per » eos libris iuxta formam suarum » ordinationum. Qui autem scripto » eos communicant et evulgant, » nisi antea examinati probatique » fuerint, eisdem poenis subiaceant, » quibus impressores. Et qui eos » habuerint vel legerint, nisi pro-

(1) En Canon Concilii Lateranensis V. anno 1512 inchoati. (Leo X). « Nos ne id quod ad Dei gloriam et fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorm impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinae coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante Concilio, ut negotium impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps indago sollertior diligentius et cautius adhibeatur; statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, tam in Urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe per Vicarium nostrum et Sacri Palatii magistrum, in aliis vero civitatibus et Dioecesibus per Episcopum vel alium habentem peritiam scientiae libri seu scripturae huiusmodi imprimendae ab eodem Episcopo, ad id deputandum, ac Inquisitorum haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinetur, et per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus praesumpserint, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae principis Apostolorum de urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem excommunicationis sententia innodatus existat, ac demum ingravescente contumacia taliter per Episcopum suum vel vicarium nostrum respective per omnia iuris remedia castigetur, quod alii eius exemplo similia minime attentare praesumant. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae in publica Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae 1515, 4 maii, Pontificatus nostri anno tertio.

» diderint auctores, pro auctoribus » habeantur. Ipsa vero huiusmodi » librorum probatio in scriptis de- » tur, atque ideo in fronte libri » vel scripti vel impressi authen- » tice appareat, idque totum, hoc » est, et probatio et examen gratis » fiat, ut probanda probentur, et » reprobentur improbanda. »

Atqui (ita argumenta instruunt qui Avanzini sententiam defendunt) 1. eiusmodi dispositio a Tridentina Synodo lata est post editum dogmaticum decretum de canonicis scripturis, quo determinavit canonem librorum sacrorum, et constituit ex omnibus latinis editionibus vulgatam editionem authenticam habendam esse; nullos sed vero alios libros nominavit nisi Sacrae Scripturae libros; nulla igitur ratio est qua compellamur ad extendendos libros de rebus sacris tractantes ad alios libros qui non sint libri sacrarum Scripturarum, vel super illis adnotationis et expositionis.

2. Ideo Tridentini Patres eiusmodi tulere decretum ut cohiberent illorum audaciam, qui sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos sacrae Scripturae libros et super illis adnotationes et expositiones quorumlibet imprimebant; qua de causa praecipiunt, et ut vulgata editio in posterum quam emendatissime imprimatur, et ne alicui liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; sed hi erant illi qui sibi putantes licere quidquid libet, ipsos sacrae Scripturae libros, et super illis adnotationes et expositiones... sine nomine auctoris imprimebant etc.; ergo cum prohibent quominus sine nomine auctoris imprimantur libri de rebus sacris tractantes, hi alii non erunt quam sacrarum Scripturarum libri et super illis adnotationes et expositiones; etenim prohibitio est correlativa ad superiorem abusum (1).

Quidquid tamen sit de quaestio-

(1) De vi allatorum argumentorum, nihil dicimus. Nos ea in sententia versamur quod in cit. Tridentini Capite a principio quidem usque ad verba *quam emendatissime imprimatur* sermo sit de Sacris Scripturae libris, et super eis adnotationibus et expositionibus; deinceps vero ad finem capitis de libris tractantibus de rebus sacris quibuscumque seu ad religionem pertinentibus; Ad hanc sententiam amplectendam movemur 1. quia post cit. verba generice prorsus loquuntur Patres Tridentini, *quosvis libros de rebus sacris* quin necessarius nexus percipiatur inter Sacrae Scripturae libros et libros de rebus sacris quibuslibet. 2. Quia Patres Tridentini in prima parte capitis determinaverant quinam essent libri ad Sacras Scripturas pertinentes; dixerant enim: *ipsos Sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones:* dum igitur postea prohibuerunt quominus imprimerentur sine debita facultate libri quilibet *de rebus sacris,* hi certe non erant primi: etenim *sacrae scripturae libri et super eis annotationes et expositiones* non sunt *quivis libri de rebus sacris,* sed pars aliqua. 3. Praetermissis aliis argumentis quae afferuntur ab cl. Commentatore Patavino, quae pariter neque improbamus neque probamus, excepto argumento deducto ex auctoritate Doctorum, a quibus ex-

ne eiusmodi, certum est post Constitutionem *Apostolicae Sedis* libros de rebus sacris tractantes esse solum intelligendos S. Scripturae libros, et in hos adnotationes et commentarios. Id enim constat ex de-

cipiendus est Bordoni, Pius Papa IX in Apostolicis literis ad *omnes Archiepiscopos et Episcopos et dilectos filios qui librorum edendorum canonicae censurae in temporalis Sanctae Sedis ditione praepositi sunt*, latis die 2 Iunii 1848 verba allegata Concilii Tridentini ad quoslibet libros de rebus Sacris tractantes extendere videtur. Inquit enim: « In Sess. X Concilii Lateranensis V, » atque iterum in postrema Regularum Indicis, quae a Patribus conscriptae per » Tridentinam Synodum deputatis, et a Pio IV gl. mem. Decessore nostro approbatae fuerunt (*In Const. Dominici gregis 24 Martii 1564*), nec non in aliis » aliorum Romanorum Pontificum sanctionibus interdictum habetur, ut nulli omnino » libri aut scripta evulgentur, nisi antea ecclesiastica auctoritate examinati probatique sint. Iamvero scribendi legendique aviditas, et librorum, maxime autem » ephemeridum numerus nostra hac aetate ita in dies augetur, ut iam ecclesiasticis censoribus perdifficile evaserit ipsos omnes ea, qua par est, maturitate expendere, et latior etiam patuerit via illorum fraudibus, qui doctrinas perversas, » et sacrae publicaeque rei noxias disseminare connituntur pagellis, et parvis » praesertim libris clandestine editis, quorum porro improbitas eo maiorem induc cit fidelium offensionem et scandalum, quod ad vigentium Canonum tramites » perpensi reputantur riteque probati. Haec nos serio considerantes, et nonnullis » VV. FF. Nostris S. E. R. Cardinalibus in consilium adhibitis, habentesque ob » oculos Decretum Sessionis IV Concilii Tridentini, ubi peculiares sanctiones leguntur circa editionem et evulgationem Librorum de rebus sacris, deliberavimus mitigare aliqua ex parte supra memoratas regulas, ut ita Ecclesiastici Censores diligentius satisfacere valeant officio suo arctioribus limitibus definito, » nec facile deinceps contingat ut ipsorum iudicio probata omnino videantur quae » ex parte saltem eorum censurae fraudulenter subtracta sunt, vel ab eisdem non » satis diligenter examinari potuerant. Itaque motu proprio, et Apostolica nostra » auctoritate Decretum Concilii Lateranensis, et caeteras supradictas sanctiones » moderando et declarando decernimus, atque permittimus, ut posthac, et donec » aliter ab hac Apostolica Sede statuatur, Censores ecclesiastici in locis temporali nostrae ditioni subditis de iis tantum solliciti sint quae divinas scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam » moralem, Ethicen, huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac » generatim de omnibus, in quibus Religionis vel morum honestatis speciatim interest. Iuxta haec igitur statuimus atque permittimus ut omni Ephemeridum et » Librorum genere illi dumtaxat sine praevia ecclesiastica censura edi nequeant » qui moralis aut religiosi, uti diximus, argumenti sint; in caeteris vero ii tantum articuli, qui simile argumentum habeant, vel causam ipsam Religionis aut » morum honestatis proxime attingant ».

Ideo igitur Pius Papa IX mitigare aliqua ex parte satagit Lateranensem sanctionem, et regulam X Indicis in quibus libri cuiuslibet argumenti ecclesiasticae censurae submittebantur, quia prae oculis habebat Decretum Sessionis IV Concilii Tridentini, in quo peculiares sanctiones habentur circa editionem et evulgationem librorum de rebus sacris, quia scilicet in Tridentino decreto censurae ecclesiasticae

creto, seu responsione S. Officii data ad quemdam Episcopum, qui a Suprema Inquisitione inter alia quaesiverat:

« N°. 2°. Excommunicationi » nemini reservatae subiacent ex » Constitutione, de qua quaeritur, » ii *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt*. Sed quum idem Avanzinius restringendam illam esse adstruit ad libros sacrarum scripturarum, nec non eorumdem adnotationes vel commentarios, alterius commentarii auctor supra » laudati libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est, ad » religionem pertinentibus, tractantes ea censura comprehendi affirmat. Quaeritur ergo iterum: » utrius sententiae sit adhaerendum? »

S. Congregatio Feria IV die 22 Decembris 1880 respondit:

« Ad 2^m^. Censuram nemini reservatam inflictam iis, qui libros » de rebus sacris tractantes sine » Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, nec non ad » eorumdum adnotationes et commentarios, minime vero exten-

submittendi indicuntur tantum libri de rebus sacris, non alii qui res non sacras continent. Cum igitur postea ecclesiasticae censurae submittendos praecipiat libros tantum qui respiciunt nedum divinas scripturas, sed etiam Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam etc. manifestum est, putasse Pium IX libros de rebus sacris, de quibus Sess. IV Concilii Tridentini et ad hos libros extendi.

Equidem dicturi erunt lectores nostri fortasse, a Pio IX censurae ecclesiasticae subiectas fuisse etiam Theologiam naturalem, Ethicen, aliasque huiusmodi disciplinas; has autem nemo sacras dixerit. Qua de causa comprehendisse videretur sub libris de rebus sacris etiam disciplinas quae sacrae, saltem proprie non sunt.

Verum eiusmodi difficultas evanescit, si consideremus, a Pio Papa IX modum et limitationem impositam fuisse tum Lateranensi Decreto, tum Regulae X Indicis, in quibus libri cuiuslibet argumenti ecclesiasticae censurae submittebantur potuit ergo philosophicas disciplinas quae proxime Deum et morum honestatem respiciunt, ecclesiasticae censurae reservare, quin ex hoc sequatur, eos sub libris de rebus sacris, prout in Tridentino sumuntur, voluisse comprehendere.

At si diceremus, a Pio Papa IX putatum fuisse, libros de Sacra Theologia, Iure Canonico, Historia Ecclesiastica etc. non fuisse sub Tridentino decreto comprehensos, non intelligeremus quomodo prae oculis illud habere potuisset, dum e contra illud prae oculis habendo limitat extensionem Lateranensis sanctionis et regulae X Indicis. Ergo libros de rebus sacris ideo censurae ecclesiasticae reservat quia eos comprehendi arbitratur sub Tridentina dispositione; alios non reservat quia sub ea comprehendi non putat. Addimus, quod si recensitos libros non putasset comprehendi sub Tridentino Capite, inutiliter de hoc locutus fuisset, cum limitationem apponendo Lateranensi sanctioni et Regulae X quae universales sunt, finem suum optime fuisset assequutus, et apertissime mentem suam manifestasset.

» dendam ad libros quoscumque de » rebus sacris in genere, id est ad » religionem pertinentibus tractan- » tes. » (1)

II. Post haec perpendamus alterum quaestionis Caput, quo inquirendas nobis proposuimus differentias inter Concilii Tridentini Caput et Constitutionem *Apostolicae Sedis* circa illos qui praesentem excommunicationem incurrunt.

Ex Capite Tridentino igitur excommunicationem incurrebant *impressores*, quo nomine nedum typographos intelligimus, sed etiam illos qui cum eiusmodi artem non exerceant, typos tamen componere et imprimere, quamvis delectationis causa, noverunt; etenim et hi vere et proprie libros de rebus sacris tractantes sine superiorum facultate in casu imprimerent.

Equidem novimus, auctores esse atque Commentatores Pianae Constitutionis, quos citat atque sequitur cl. F. Piato *in suo Comment. in Const. Apostolicae Sedis pag. 31 Edit. 1881*, qui ad alios etiam nomen illud extendunt: Scribit enim: « Hoc nomine (imprimentes) ve- » niunt omnes qui proxime ad li- » bri impressionem concurrunt, » quales sunt: auctor libri, si eius » cura liber editur; libri editor; » typographus, seu typographicae » officinae dominus; qui typos or- » dinat et componit; qui eos atra- » mento tingit; qui chartam made- » facit, seu praeparat; qui eam » torculari supponit; qui torcular » premit. » Affirmat scilicet, hoc in Capite vocabulo *impressoribus* eundem inesse sensum ac inest voci *imprimentes* in Cap. II excommunicationum primae classis *(eosdemque libros imprimentes)* (2). Ni tamen nos fallit opinio, in Sess. IV Concilii Tridentini *impressorum* vocabulum ad unos typographicae officinae dominos, non ad alios extendendum est.

Reapse Patres Tridentini de illis impressoribus loquuntur qui *putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi venales habent.* At haec agere tantum typographiarum domini poterunt; nullus enim sive ex ministris, sive ex typographiae operariis libros sine delectu imprimere potest, sed illos tantum qui eis ab domino typogra-

(1) Acta S. Sedis Tom. XV pag. 536.

(2) Scribit enim *Comment. pag. 265:* Quinam dicantur *imprimere supra* dictum est *pag. 31. n. 13.* Et hanc eamdem sententiam retinent Commentator Patavinus *pag. 293. et pag. 47.* Ciolli *Com. pag. 28. 123.* La Nouvelle Revue Theologique *Tom. XII, pag. 299 et Tom. II. pag. 631, n. 34.* Del Vecchio *Theol. mor. Tom. I, pag. 726, n. 591.* Cretoni etc.

phiae imprimendi conceduntur; accedit quod impressores hi lucrum tantummodo quaerentes, libros imprimebant *saepe tacito, saepe ementito praelo*, quod, non accedente typographiae domini consensu et mandato, ab inferioribus ministris fieri non potest; cum typographiae domini sibi honori attribuant in libris impressis typographiam indicare.

Quid; quod impressores hi illi erant qui *etiam alibi impressos libros huiusmodi venales habebant?* Qui autem hoc agere poterant nisi typographiae domini? Quandoquicem in casu requiritur dominium in re, quod certe non habent officinae operarii.

Sed insuper in huiusmodi impressores Tridentini Patres innovant poenas in Concilio Lateranensi statutas; illae autem gravissimae erant; etenim *qui secus praesumpserit*, ita patres Lateranenses, *ultra librorum impressorum amissionem, et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae principis Apostolorum de urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat.* Atqui eiusmodi poenae cumulative inferuntur, ita ut in omnes et singulos latae sint, qui latum decretum transgredi praesumpserint; at si vocabulum *impressores* non ad typographiae dominos tantum contrahamus, sed ad omnes alios extendamus, de quibus clar. Piato in testimonio superius allegato, percipient profecto lectores, multa occurrere quae defendi nullo pacto possunt. Poena ex. gr. amissionis librorum vel eorum combustionis nullo pacto afficere poterat eos qui domini librorum impressorum non essent; hi igitur hanc poenam non incurrebant; poenam pecuniariam insuper centum ducatorum quomodo potuissent solvere operarii qui quotidiano labore victum quotidianum sibi comparabant? atque advertatur, initio saeculi XVI, quo concilium Lateranense V celebratum fuit, ingentem summam illam fuisse. Quid igitur impossibile Lateranenses patres operariis imposuissent, quod neque cogitandum est. Deinde quae in facto operariorum culpa, illorum praesertim qui typos atramento tingunt, chartam madefaciunt, torcular supponunt, torcular premunt, cum etiam illiterati esse potuerint et possint; nesciant proinde quae sit libri materia? At sine culpa nulla contrahitur poena. Superest ergo ut dicamus unos typographiae dominos lateranensi sanctione affectos fuisse, cum poenae illatae ipsos prorsus afficiant, non ceteros.

Addimus in Instructione *pro iis libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi, Clementis VIII auctoritate regulis Indicis adiecta*, Cap. de Impressione librorum. § 6 sequentia praescribi: « Typographi

» et Bibliopolae coram Episcopo, aut » Inquisitore, et Romae coram magi- » stro sacri Palatii, iureiurando spon- » deant, se munus suum catholice, » sincere, ac fideliter executuros, » huiusque Indicis decretis ac re- » gulis, Episcoporumque et Inqui- » sitorum edictis, quatenus eorum » artes attingunt, obtemperaturos, » neque ad suae artis ministerium » quemquam scienter admissuros, » qui haeretica labe sit inquinatus.» At eiusmodi et perficiunt, et perficere possunt vel tantum typographiae domini, vel eorum principales administri, qui omnigenis facultatibus a dominis donati fuere, non alii operarii. Ergo, etiam ad Clementis VIII mentem, typographi, id est impressores, sunt tantum typographiae domini, vel ii ministri principales qui domini typographicam artem fortasse vel nescientis vel non exercentis personam, et officium gerunt; ut ex. gr. contingit Romae in Typographia S. Congregationis de Propaganda Fide, in qua Director omnia peragit, et ipse est qui iuramentum praestat de officio catholice et fideliter exequendo, non alii.

Ex iis vero patere arbitramur, in cit. Concilii Tridentini Capite ad unos typographiae dominos vocabulum *impressores* coarctandum esse; vel ad summum ad eorum principales administros qui omnia ad nutum gerant disponantque relate ad typographiam de dominorum mandato; consequenter eos tantum ex Concilii Tridentini decreto, excommunicationem incurrere, non alios qui in typographia operam praestant.

Verum nedum impressores, sed etiam ii qui libros de rebus Sacris imprimi faciunt in cit. Tridentini Capite excommunicationi subduntur.

Qua in re cl. Piato *Comment. pag. 265* scribit: « Imprimi facit » qui curat per seipsum, ut liber » typis mandetur, v. g. editor; vel » auctor, si eius cura liber editur, » alias censuram non incurrit. » E contra cl. D'Annibale *Comment. pag. 105. n. 175* absolute pronuntiat: « Ait Tridentinum: *imprimere* » *vel imprimi facere:* ergo huc non » pertinent auctores librorum. » Quaenam igitur sententia tenenda?

Profecto si doctissimus D'Annibale auctores excommunicatione exemit cum directam partem non habent in impressione librorum de rebus sacris, eius sententia vera est, atque cum sententia aliorum Commentatorum confunditur: si vero auctores lata censura subtrahat etiam cum ipsi committunt et efficiunt ut liber de rebus Sacris imprimatur, sententia eius falsa deprehenditur, et consequenter derelinquenda.

Revera 1° iuxta Concilii Tridentini verba, quae ex Canone Lateranensi desumpta sunt, illi excommunicationi subduntur, qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinarii licentia imprimi faciunt; ergo quicumque talem ponat actionem, ex qua dici possit, per eum effectum fuisse ut liber imprimeretur,

excommunicatione lata eximi non poterit: at auctores esse qui nedum talem actionem ponere possunt, sed plerumque ponunt, quis umquam negaverit?

Neque quis subsumat, ex Tridentino Capite apparere, agi in eo de libris sacrae Scripturae, et super eos annotationibus et expositionibus iam impressis, qui sine delectu ab typographis iterum imprimuntur, consequenter hac in re auctores locum non habere, cum ad aeternam vitam transmigrasse potuerint. Imprimis enim Tridentini Patres generice prosus loquuntur: *et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter:* ergo etiam auctorum viventium, qui sua auctoritate et mandato plerumque libros imprimi curant: deinde quamvis ex verbis citatis auctores excludere vellemus, quomodo excludi possent ex verbis sequentibus *nullique liceat imprimere,* qui sunt typographi, *vel imprimi facere,* qui possunt esse et plerumque sunt auctores?

2°. Concilii Tridentini Patres etiam futuris temporibus reprobato abusui consultum voluere; At si exclusissent anctores: hi cum latis poenis exempti forent, et Sacrae Scripturae libros, et quaslibet super eis annotationes et expositiones imprimi facere potuissent; consequenter latum decretum inutile reddere.

3°. Praecipiunt insuper ne libri aliqui imprimantur, nisi prius examinati probatique ab Ordinario fuerint. At exinde praxis renovata ut libri sive defunctorum sive auctorum viventium ab ecclesiasticis censoribus examinentur. Praxis autem legem evidenter explicat.

5°. Canon Tridentinus relate ad libros de rebus Sacris idem est ac Canon Lateranensis; sed in hoc agitur de libris quibuslibet ab auctoribus etiam viventibus concinnatis.

6°. Regularibus, nedum Ordinariorum, sed et Superiorum ordinis approbatio imponitur antequam librum aliquem imprimi faciant. At hos esse etiam auctores viventes nedum ex contextu capitis Tridentini apparet, sed evidentissime ex cit. Instructione Clementis VIII *De impressione librorum* §. 2. « Regula» res, praeter Episcopi, et Inqui» sitoris licentiam, de qua regula X » dictum est, meminerint teneri se, » Sacri Concilii Tridentini decreto, » operis in lucem edendi facultа» tem a praelato, cui subiacent, » obtinere. » Cum autem Clemens VIII id praecipiat ad praescriptum Tridentini Decreti Sess. IV, manifestum est in eo etiam de auctoribus viventibus agi. Si igitur sint auctores qui libros de rebus sacris imprimi faciant, excommunicationem incurrant necesse est, si autem in impressione nullam partem habeant, insontes sunt iudicandi.

Quid ergo, si dum alius quilibet auctoris cuiusdam librum de rebus sacris typis amandari curet, auctor impressionem agnoscat, nec impediat?

Putamus, auctorem nullam excommunicationem incurrere; lex enim exigit actionem directam: *imprimi faciunt;* in casu autem auctor nihil omnino efficit ut liber suus imprimatur, cum neque mandatum, neque facultatem, neque consensum illum imprimendi concesserit. Quin immo auctorem ab excommunicatione eximendum dicimus, quamvis nudum consensum ad libri impressionem praestiterit, cum neque hoc in casu habeatur actio directa, neque sit auctor qui librum imprimi facit, sed ille qui auctoris consensum requisivit ad illum imprimendum. Profecto verba *imprimi faciunt* exigunt mandatum, et commissionem; nudus autem consensus neutrum importat.

Ita neque excommunicatum auctorem libri proclamabimus si manuscriptum simpliciter vendat, nulla adiecta de eo imprimendo conditione; emptor autem illud typis amandet; etenim et in hoc casu actio directa deficit; cum non sit auctor qui librum imprimi facit, sed emptor, qui consequenter excommunicationem incurrit. At si auctor typographo committat ut librum imprimat gratis, vel pretio accepto, aut accipiendo, hoc in casu excommunicatione percellitur, cum ipse sit qui librum de rebus sacris imprimi facit, typographus autem illam ut impressor contrahit.

Hae duae personarum classes etiam in Piana Constitutione excommunicatione mulctantur; immo hae solae: *Cui* (excommunicationi) *illos tantum subiacere volumus,* inquit Pius IX, *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Ex Concilio Tridentino tamen ad incurrendam excommunicationem tres conditiones requirebantur; et ut libri de rebus sacris tractarent, et ut sine facultate legitima imprimerentur, et demum sine nomine auctoris; haec enim postrema conditio explicita est, cum in decreto dicatur: *sine nomine auctoris.* Ex quo sequebatur, quod si quis sine legitima facultate vel impressisset, vel imprimi fecisset libros eiusmodi cum nomine auctoris praesentem excommunicationem non incurrebat; lex enim poenalis est; et ad incurrendam excommunicationem, quae maxima poena est, conditiones omnes a Legislatore praescriptae comprobari debent; sin minus nec perfecta contumacia deprehenditur, neque absolute lex violata dici potest.

Attamen nunc eam incurrunt etiam illi qui cum auctoris nomine libros eiusmodi imprimunt, vel imprimi faciunt, cum Pontifex Pius IX Tridentinam hanc conditionem praetermiserit. Et quidem prudentissime; tanta enim nunc est edendi improba et noxia quaeque libertas, tanta auctorum inverecundia, ut nedum eos non pudeat, sed honori sibi tribuant proprio nomine infanda quaeque divulgare; ita ut si Pon-

tilex Tridentinam conditionem conservasset, et consequenter eos excommunicatione exemisset qui suo imprimunt libros nomine, legem fere inutilem tulisset; cum vel nemo, vel admodum pauci hanc excommunicationem nostro aevo incurrerent.

Pariter iuxta Concilii Tridentini decretum tum ii qui vendebant, tum qui apud se retinebant eiusmodi libros excommunicationem incurrebant. At cum in Piana Constitutione praetermissi fuerint, excommunicatione eximuntur.

Ulterius Concilii Tridentini Patres excommunicationi subdiderunt illos etiam qui manuscripta de rebus sacris vel communicarent vel evulgarent; atque etiam illos qui eiusmodi manuscripta apud se retinerent, vel legerent, nisi prodiderint legitimis Superioribus auctores; cum enim, eiusmodi spreto mandato, pro auctoribus habendi essent, atque auctores excommunicatione mulctentur, si vel ipsi divulgaverint, vel divulgari et communicari eiusmodi manuscripta mandarint, etiam illorum detentores vel lectores, in casu exposito excommunicati dicendi erant: *Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur*. Hi postremi autem excommunicatione non tenebantur, nisi et ipsi manuscripta eiusmodi aliis communicassent, vel evulgassent; etenim auctores manuscriptorum, hac stante conditione, excommunicationem incurrebant. Attamen etiam hi in Piana Constitutione praetermissi sunt, cum tantum de libris loquatur, quo nomine neque manuscripta, neque folia typis quidem impressa, attamen separata, neque parvae molis libelli, sed ea volumina veniunt, quae comprehendant saltem decem folia, ut alios inter docet Schmalzgrueber *Ius Can. Tom. V, Tit. VII, n. 55.*

Demum iuxta Concilii Tridentini decretum in impressione eiusmodi librorum Regulares nedum Ordinariorum, sed etiam Superiorum suorum licentiam obtinere debebant. Num ne excommunicati dicendi erant vel sunt, si Superiorum suorum posthabita examinatione et facultate, unica ordinariorum licentia libros de rebus Sacris imprimi faciant?

In antiquo iure quamvis Bonacina *Tract. de excommun. omnibus in partic. extra Bullam Coenae Disp. II. Quaest. II. Punct XVI, n. 8* eiusmodi regulares excommunicationi submitteret, alii tamen, numero maiores eximebant; non est autem putandus Pius Papa IX in sua Constitutione excommunicationi voluisse subiicere eos de quibus neque in antiquo iure an essent excommunicati constabat, cum nihil de eiusmodi facto explicite sanxerit. Quin imo, ut nobis videtur, contraria intentio deprehendatur. Pontifex enim eos excommunicationi

subiicit, *qui sine Ordinarii approbatione libros de rebus sacris tractantes imprimunt, aut imprimi faciunt.* At *Ordinarii* nomine veniunt Episcopi et abbates in determinata Dioecesi iurisdictionem quasi episcopalem exercentes, non autem Superiores regulares; cum autem in poenali verba stricto sint sensu sumenda, regulares qui sine suorum Superiorum licentia libros de rebus Sacris imprimi faciunt, quamvis peccent, non sunt de excommunicatione damnandi, si Ordinarii approbationem retulerint.

CAPUT II.

Per summa capita recensentur excommunicationes ceterae a Concilio Tridentino directe latae.

Praeter excommunicationem in superiori Capite expositam, Tridentini Patres alias sequentes directe tulerunt, quas hoc in capite innuimus, ut deinceps eas, nisi ad aliquam ex expositis reducantur, singillatim expendamus.

Itaque *Sess. XIII, Can. XI* eos excommunicationi submiserunt qui docent, in peccato mortali existentes non teneri confessionem Sacramentalem praemittere sive Eucharistiae perceptioni, sive Missae celebrationi.

Sess. XIII Cap. 11 de Reformatione excommunicationem tulerunt contra usurpatores bonorum cuiuscumque Ecclesiae vel loci pii

Sess. XXIV. De Refor. matrimonii Cap. 1 eos anathemate multarunt qui negant, clandestina matrimonia esse valida quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, aut matrimonia filiorum sine parentum consensu nulla esse, aut a parentibus posse irritari.

Sess. XIV. Cap. 6 de Reform. matrimonii tulerunt anathema in raptores mulierum eorumque complices.

Sess. XXIV. Cap. 9 de Reform. matrimonii excommunicarunt dominos et magistratus qui servos et subditos invitos ad matrimonia ineunda compellunt.

Sess. XXV. Cap. 5 de Regularibus et Monialibus excommunicatione feriunt magistratus qui auxilium denegant ad restituendam vel conservandam Sanctimonialium clausuram.

Qua pariter *Sessione et Capite* excommunicationem ferunt in violantes sanctimonialium clausuram.

Sess. XXV. Cap. 19 de Refor. excommunicatione plectunt quoscumque dominos temporales qui in terris sibi subiectis duellum permittunt, tum pugnam perpetrantes, complices, atque spectatores.

At haec postrema in duellantes lata excommunicatio refunditur in Caput III excommunicationum Romano Pontifici simpliciter per Const. *Apostolicae Sedis* reservatarum; de eaque egimus in Commentario nostro *Tom. 1. pag. 536.* (1)

(1) Scimus a Suprema Inquisitione circa duellum nonnulla lata esse decreta; sed cum nobis nondum communicata fuerint, nil addere possumus.

Huius autem notulae occasione Lectores nostros monemus, nullum a nobis de-

De excommunicatione lata in usurpatores bonorum Ecclesiasticorum, agit Piana Constitutio Cap. XI excommunicationum speciali modo Romano Pontifici reservatarum, quod commentariis illustravimus *Tom. cit. pag. 352.*

Pariter excommunicationem latam in violantes clausuram Monialium renovavit Pius Papa IX Cap. VI excommunicationum secundae classis; nosque de ea egimus *Tom. cit. pag. 701.*

Excommunicationem vero latam contra magistratus auxilium denegantes ad restituendam vel conservandam sanctimonialium clausuram non tam in desuetudinem abiisse, ut cl. De Varceno sentire videtur, quam in actualibus rerum circumstantiis observari non posse melius putamus. Quomodo enim dicere possumus in desuetudinem abiisse legem cuius ab ipso Pio Papa IX inculcata observatio est? Quamvis enim in desuetudinem abiisse ante Const. *Apostolicae Sedis* dicere vellemus; eam restitutam a Pio Papa IX fateri debemus; si autem postea in desuetudinem abiit: ergo cum Piana Constitutio anno 1869 obligare coeperit, eo ipso anno in desuetudinem abiisse renovatum eiusmodi Tridentinum caput asserendum esset; quod nefas.

Nobis itaque agendum de reliquis est. At circa excommunicationem latam in eos qui docent, in peccato mortali existentes ante Eucharistiae perceptionem, vel missam celebrandam non teneri praemittere sacramentalem confessionem; atque aliam latam in eos qui negant clandestina matrimonia esse valida etc. doctores et Commentatores inter se disputant. Alios inter Gabriel De Varceno *Compendium Theologiae Moralis Tom. II. pag. 507* affirmat, has duas excommunicationes comprehendi in art. 1 excommunicationum simpliciter Papae reservatarum (1).

At praestantissimi scriptores *de la Nouvelle Revue Theologique Tom. IV. pag. 469, et Tom. XII. pag. 292.* Ninzatti *Theologia Moralis Tom. II. n. 1793, 6, 7.* D'Annibale *Summula, Pars 1, pag. 311, nota 4. Edit. 1881.* Commentator Patavinus *pag. 297, n. 405* contrarium opinantur, et quidem verius, ut

creium *in Actis* referri nisi illud *directe et immediate* a respectivis Congregationibus habeamus. Non mirentur hinc si aliquando in afferendis decretis tardiores sumus: nulla alia est causa nisi quod Congregationes nondum decreta nobis communicarunt, vel quod nolunt ut eo tempore publicentur. De authenticitate itaque actorum Sanctae Sedis quae nos referimus lectores nostri sunto undequaque certi.

(1) Excommunicatio contra docentes: *Conjugitos etiamsi habeant copiam Confessarii, posse absque sacramentali confessione peccatorum mortalium recipere Eucharistiam*, et contra docentes: *matrimonia clandestina facta libero contrahentium consensu non esse vera et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit*, comprehenditur in articulo primo excommunicationum simpliciter Papae reservatarum.

nobis videtur. Etenim in citato Constitutionis Pianae Capite agitur de propositionibus ab Apostolica Sede damnatis sub excommunicationis poena latae sententiae; sub nomine Apostolicae Sedis autem non veniunt Concilia quamvis oecumenica, sed tantummodo Romanus Pontifex, consequenter hae duae a Tridentino proscriptae propositiones sub citato Pianae Constitutionis Capite concludi non possunt.

Hac in re insuper et illud observamus, quod Tridentinae censurae nemini sunt reservatae; si vero sub allegato Capite Constitutionis *Apostolicae Sedis* concluderentur, reservatae, quamvis simpliciter, Romano essent Pontifici.

Hinc et eas hoc in loco expendemus, illud etiam praemittentes quod per Constitutionem *Apostolicae Sedis* nihil censuris Tridentinis additum est, sed eo in statu relictae quo reperiebantur: reservatae consequenter sunt, vel non reservatae iuxta Tridentinorum Patrum dispositionem. Sunt enim apertissima Constitutionis Pianae verba.

CAPUT III.

De Excommunicatione a Tridentinis Patribus lata in eos qui docent, in peccato mortali existentes non teneri sacramentalem confessionem praemittere sive Eucharistiae perceptioni, sive missae celebrationi.

Concilii Tridentinii Patres *Sess. XIII, cap VII* circa praeparationem quae adhibenda est, *ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat haec praescribenda duxerunt:* « Si non » decet ad sacras ullas functiones » quempiam accedere nisi sancte, » certe quo magis sanctitas et di- » vinitas coelestis huius Sacramenti » viro christiano comperta est, » eo diligentius cavere ille debet, » ne absque magna reverentia et » sanctitate ad id percipiendum » accedat, praesertim cum illa » plena formidinis verba apud apo- » stolum legamus (1. Cor. XI. 29): » *Qui manducat et bibit indigne,* » *iudicium sibi manducat et bibit,* » *non diiudicans corpus Domini.* » Quare communicare volenti re- » vocandum est in memoriam eius » praeceptum (v. 28): *Probet autem* » *seipsum homo.* Ecclesiastica autem » consuetudo declarat, eam proba- » tionem necessariam esse, ut nullus » sibi conscius peccati mortalis, » quantumvis sibi contritus videa- » tur, absque praemissa Sacramen- » tali confessione, ad Sacram Eu- » charistiam accedere debeat. Quod » a christianis omnibus, etiam ab » iis Sacerdotibus, quibus ex of- » ficio incubuerit celebrare, haec » Sancta Synodus perpetuo servan- » dum esse decrevit, modo non » desit copia confessoris. Quod si » necessitate urgente Sacerdos » absque praevia confessione cele- » braverit, quamprimum confitea- » tur. »

Et haec quidem Concilii Tridentini Patres praescripsere ut Sacer-

dotes Sacrosanctum missae sacrificium celebrantes et fideles Eucharistiam sumentes necessaria non praetermitterent, neque ad sanctam mensam nedum sine debita praeparatione accederent, sed conscientia peccato gravi coinquinata. (1)

Quam eamdem necessariam conditionem eadem *Sess. XIII, Can. XI* praescripsere Tridentini Patres dum haec sancivere. « Et ne tantum » Sacramentum (Eucharistiae) in» digne atque ideo in mortem » et condemnationem sumatur; » statuit atque declarat ipsa san» cta Synodus, illis quos con» scientia peccati mortalis gravat, » quantumcumque etiam se con» tritos existiment, habita copia » Confessarii, necessario praemit» tendam esse confessionem Sacra» mentalem. *Si quis autem contra» rium docere, praedicare, vel per» tinaciter asserere seu etiam pu» blice disputando defendere prae» sumpserit, eo ipso excommuni» catus existat.* »

Eiusmodi Tridentini Concilii decretum quisque consideret, facillime deprehendet, in eo quatuor actiones excommunicatione percelli, si tamen cum praesumptione admittantur; Concilium Tridentinum enim dicit: *si quis contrarium docere..... praesumpserit*. Praesumptio autem importat contemptum legis et poenae adnexae.

1. Docere, non esse necessario praemittendam confessionem sacramentalem Eucharistiae perceptioni, modo non desit Confessarii copia. Consequenter theologus, vel alius quilibet qui auditores suos eiusmodi sententiam absolute doceret, excommunicationem incurreret; non autem ille qui eam doceret, deficiente Confessarii copia; neque professor qui docendo, veluti per

(1) Circa praeparationem enim Eucharistiae sumptioni praemittendam verba Chrysostomi consideranda sunt, quae infra octavam Corporis Christi in Breviario inseruit Ecclesia, ut Sacerdotes illa legentes sacro percellantur horrore, et ea sanctitate qua per est, missae sacrificium Deo offerant.

« Quapropter, inquit Chrysostomus, in omnibus oportet te vigilare; nec enim » parva poena proponitur indigne sumentibus. Cogita quantum adversus proditorem » indignaris, et contra eos qui illum crucifixerunt: itaque considera, ne tu quoque » sis reus corporis et sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus occiderunt, tu » vero polluta suscipis anima, post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit hominem » fieri, colaphis caedi, et crucifigi; verum et semetipsum nobis commiscet; et non » fide tantum, verum et ipsa re nos suum efficit corpus. Quo non oportet igitur » esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem ma» num carnem hanc dividentem, os quod igne spiritali repletur, linguam, quae » tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali » mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri » propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et » facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquetur potentias Domini, » auditas faciet omnes laudes eius? »

transennam, eam assereret, vel dubia de eius illiceitate proponeret: hic enim dici nequit contrariam doctrinam docere, multo minus praesumere.

2. Proscriptam sententiam praedicare. Praedicator igitur qui in concione publica affirmaret Sacerdotes vel Christi fideles peccati mortalis conscios et Confessarii copiam habentes posse missam celebrare, aut ad Eucharistiam accedere non praemissa confessione Sacramentali excommunicatus habendus esset.

3. Sententiam ipsam pertinaciter asserere; doctrina autem aliqua pertinaciter asseritur quando proscripta ab Ecclesia noscitur, et in praesenti casu sub excommunicationis poena, ignorantia enim poenae adnexae perfectam contumaciam excludit. Qua de causa si quis excommunicationem adnexam ignorans, eiusmodi sententiam pertinaciter assereret, excommunicationem non incurreret. At legem poenamque si noverit, ea percelletur sive publice, sive privatim eiusmodi doctrinam pertinaciter asserat; etenim et lex unam pertinaciam debitis conditionibus munitam exigit, nihil circa loca distinguens, atque de cetero damna inde emergentia sive publice sive privatim inferri possunt.

4. Quarta actio quae interdicitur est praesumere hunc errorem publice disputando defendere, non quidem eo sensu ut illicitum sit scholasticae disputationis causa et occasione argumenta contra veram sententiam proponere, sed ex animo eius defensionem suscipere: id enim et sensus canonis et multo magis verbum *praesumpserit*, important. Qua de causa si quis contrariam sententiam privatim disputando defenderet, non incurreret excommunicationem; at eam incurrere posset, sententiae contrariae veritatem pertinaciter asserendo; Concilium enim de publica disputatione loquitur, et cum lex sit poenalis non est ad alios casus extendenda.

Hoc in loco tamen advertendum est, Caietani opinionem fuisse, praemittendam esse Eucharistiae confessionem sacramentalem non quidem praecepto divino, ut communis sententia fert, sed tantum ecclesiastico; posse autem contingere ab viro theologo Caietani sententiam sustineri, ideoque defendi, praecepto tantum ecclesiastico praemittendam esse vel Missae sacrificio, vel Eucharistiae perceptioni confessionem Sacramentalem. Quid? Nulla profecto, excommunicatione hunc irretitum dicemus; etenim poenâ lata est in eos qui docent etc. non esse necessario praemittendam confessionem sacramentalem in casu, non autem in illos qui docent praemittendam solum esse de praecepto ecclesiastico; hi enim absolute docent praemittendam esse sacramentalem confessionem in casu, ideoque quantum ab substantiam legis attinet conformes reperiuntur Con: lii Tridentini doctrinae.

Omnes vero intelligunt, doctrinam contrariam docere etc. hoc in capite sub excommunicationis poena prohiberi, non autem facta intima, seu intentiones, vel sacrilegia personalia; qua de causa praesentem excommunicationem non incurrere sacrilegos illos Sacerdotes et fideles, qui firmiter retinentes a Tridentinis Patribus traditam doctrinam, vel ad eam nullo pacto attendentes, aut etiam animo repudiantes, accedunt ad eucharistiam cum peccati mortalis conscientia, iudicium et condemnationem sibi manducaturi; hi enim nihil docent, praedicant, asserunt, defendunt.

Manifestum pariter existimamus, non esse de excommunicatione huius capitis illos damnandos, qui aliquid docerent difforme quidem ab allegata Tridentinorum Patrum sententia, e diametro autem ei non opponeretur. Exemplo rem declarabimus: Alexander VII die 18 Martii 1666 per decretum supremae et universalis Romanae Inquisitionis excommunicationis poena Romano Pontifici reservata illos percelli pronuntiaverat, qui docturi essent: Prop. 38: *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum est consilium non praeceptum.* Tum prop. 39: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Porro circa has aliasque in eodem decreto enumeratas propositiones Alexander VII « statuit ac decrevit praedictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet; ita ut quicumque illas, aut coniunctim aut divisim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim, tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi » (1).

Quaerimus ergo: an eiusmodi propositiones docentes, asserentes, praedicantes, defendentes Tridentinam excommunicationem incurrant?

Negative respondendum esse censemus, cum propositiones proscriptae ab Alexandro VII non contineant doctrinam contrariam Can. XI, Sess. XIII Concilii Tridentini; etenim in hoc agitur de confessione necessario praemittenda Eucharistiae sumptioni etc. ab iis qui se peccato mortali vulneratos sentiunt, in illis vero de confessione citius vel tardius peragenda ab iis Sacerdotibus etc. qui ex necessitate sacrificium in peccato mor-

(1) Bullar. Rom. Tom. XVII. pag. 428. Edit. Taurin. 1869.

tali existentes offerre debuere; hinc propugnantes binas propositiones ab Alexandro VII damnatas, non negant doctrinam constitutam Can. XI Concilii Tridentini, et consequenter hanc excommunicationem non incurrunt.

Attamen quamvis doctrinam in propositionibus ab Alexandro VII proscriptam docentes, defendentes etc. non incurrant Tridentinam excommunicationem, incurrunt tamen excommunicationem illatam in Constitutione *Apostolicae Sedis* Cap. 1, Tit. II, quo interdicitur sub excommunicationis poena Romano Pontifici simpliciter reservatae docere vel defendere *sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae;* prout constat ab Alexandro VII citatas propositiones damnatas fuisse.

Bonacina *De Excomm. in part. extra Bullam Coenae,* Disp. II, Quaest. II, Punct. XIV, 5. quaerit: « utrum, qui asserit necessario » praemittendam non esse confessionem sacramentalem iis in locis, » in quibus Concilium Tridentinum » non est promulgatum, vel usu » receptum excommunicatione huius Canonis ligetur? »

Respondet: « Suarez et Filliuccius sine distinctione respondent » affirmative.

» Sed mihi distinguendum videtur. Vel id asserit in loco ubi Tridentinum est usu receptum, vel » ubi non est usu receptum; si id » asserit ubi Concilium non est usu » receptum, censeo non ligari, » etiamsi firmam ibi sedem non » habeat; quamdiu enim eo in loco » existit, non ligatur praeceptis » et poenis Concilii Tridentini; » peccat tamen graviter, quia falsam doctrinam docet in re maximi momenti. Si vero id asserit » in loco ubi Concilium acceptum » est, incurrit excommunicationem, » quia actionem sub excommunicatione vetitam in Concilio Tridentino facit in loco, ubi Concilium obligat; et fieri potest, » ut occasione istius assertionis » aliquis contra communem Ecclesiae consuetudinem inducatur » ad omittendam confessionem, saltem in iis locis, in quibus Concilium non fuit admissum. »

Eiusmodi sententia nobis verior videtur cum prolatam distinctionem ipsi admittant Ecclesiae Romanae theologi et Congregationes; ut patet ex iis quae circa matrimonia clandestina sanxerunt; per Constitutionem *Apostolicae Sedis* autem nihil innovatum circa Concilii Tridentini acceptationem novimus.

Observamus denique, eiusmodi excommunicationem nemini reservatam esse, cum ex Concilii Tridentini canone nulla reservatio appareat.

CAPUT IV.

De excommunicatione a Patribus Tridentinis lata tum in negantes matrimonia clandestina invalida esse quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, tum in affirmantes matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita nulla esse.

Matrimonia clandestina ea dicuntur et sunt quae a contrahentibus, libero tamen consensu, sine Parochi et testium praesentia ineuntur. Eiusmodi matrimonia quamvis Ecclesia sit semper detestata, tamen invalida sunt tantum de iure ecclesiastico ob inductum a Patribus Tridentinis clandestinitatis impedimentum; per se autem valida sunt, cum ipsi contrahentes sint matrimonii ministri. Quamdiu ergo Ecclesia ea irrita non facit, valida censeri debent et sunt; cum igitur regiones sint in quibus Concilium Tridentinum promulgatum non fuerit neque receptum, vel si promulgatum lato clandestinitatis impedimento per Romanos Pontifices derogatum fuerit, sequitur iis in regionibus clandestina matrimonia rata esse; et tantum nulla et invalida ubi lex clandestinitatis viget, seu ubi vigent Tridentini decreta. At multo minus invalida esse possunt matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta, sive in locis catholicis sive heterodoxis; cum eiusmodi impedimentum ecclesiasticum non existat, neque illius consensus defectus apponatur essentiali fini matrimonii. Hanc doctrinam expressere Patres Tridentini *Sess. XXIV Cap. 1 de Reformatione matrimonii, his verbis: Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia, ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

Advertendum tamen est, Tridentinum decretum vim habere coepisse post triginta dies a publicatione in singulis Paroeciis facta. « Decernit » insuper, ita Patres Tridentini, ut » huiusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post » triginta dies habere incipiat, a die » primae publicationis, in eadem » parochia factae, numerandos. »

Duae igitur personarum classes per citatum decretum anathemate percelluntur; illae quae negant validitatem matrimonii clandestini iis in regionibus in quibus Concilium Tridentinum promulgatum non fuit; etenim si eiusmodi valorem negarent in regionibus in quibus vigent Tridentina decreta, ea ratione quia iis in locis impedimentum clandestinitatis iure ecclesiastico dirimit

matrimonium, nullam incurrerent excommunicationem. Ad incurrendam igitur excommunicationem absolute neganda est validitas matrimoniorum clandestinorum, nullo habito ad Tridentinum impedimentum respectu, quo in casu ubicumque ea contrahitur.

Hac tamen in re advertendum est, nullam incurrere excommunicationem eum, qui negaret matrimonia clandestina esse vera Sacramenta, dummodo ipsorum validitatem admittat; lex enim est de valore matrimonii clandestini, non de Sacramenti dignitate, quae ei insit.

Haec autem quaestio quae antiquitus in Scholis catholicis agitabatur, post Encyclicam *Arcanum divinae Sapientiae* a Leone XIII latam die 10 Februarii 1880 (1) in dubium revocari nequit, cum in ea Pontifex proclamaverit intimam essentialemque unitatem contractus et Sacramenti, ita ut admisso in matrimonio valore naturalis contractus, eo ipso dignitas Sacramenti admittenda in eo sit: « Nec quem» quam, inquit, moveat illa tanto» pere a Regalistis praedicata di» stinctio, vi cuius contractum nu» ptialem a Sacramento disiungunt, » eo sane consilio, ut Ecclesiae re» servatis Sacramenti rationibus, » contractum tradant in potestatem » arbitriumque principum civitatis. » Etenim non potest huiusmodi di» stinctio, seu verius distractio, » probari; cum exploratum sit in » matrimonio christiano contractum » a Sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse » contractum verum et legitimum » consistere, quin sit eo ipso Sacra» mentum. Nam Christus Dominus » dignitate Sacramenti auxit matri» monium: matrimonium autem est » ipse contractus, si modo sit fa» ctus iure. Huc accedit, quod ob » hanc causam matrimonium est » Sacramentum, quia est sacrum » signum et efficiens gratiam, et » imaginem referens mysticarum » nuptiarum Christi cum Ecclesia. » Istarum autem forma ac figura illo » ipso exprimitur summae coniun» ctionis vinculo, quo vir et mu» lier inter se conligantur, quod» que aliud nihil est, nisi ipsum » matrimonium; nihilque magis ab» horrere a veritate, quam esse sa» cramentum decus quoddam adiun» ctum, aut proprietatem allapsam » extrinsecus, quae a contractu dis» iungi ac dispari hominum arbi» tratu queat. »

Unum ergo requiritur ut matrimonium christianum sit Sacramentum, scilicet ut contractus sit factus iure; voluntate scilicet perpetuam consuetudinem vitae retinendi, sobolisque procreandae, quod alterum religionis causa, seponi potest; quae tamen religio in iis qui clandestina matrimonia ineunt vix supponitur

(1) Habetur in Actis S. Sedis.

Altera personarum classis quae in Tridentino capite excommunicatione percellitur, illa est, qua negat, valida esse matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta, et parentes ea irrita aut valida efficere posse.

Duplex hinc sententia damnatur; una de facto, scilicet matrimonia a filiis familias inita sine parentum consensu irrita esse; alia de iure, scilicet, eiusmodi matrimonia parentes irrita aut valida reddere posse. Horum alterutrum qui affirmaret excommunicationem incurreret. Et quidem iure meritoque; impedimenta enim matrimonii constituere non ad parentes, non ad saeculares principes, sed tantum ad Ecclesiam pertinet: cum enim matrimonium christianum rite celebratum eo ipso Sacramentum sit, Sacramenta autem subsint unice Ecclesiae potestati, nemo in ea sese intromittere potest, aut debet. Hinc a Patribus Tridentinis etiam definitum fuit *in Ecclesiae potestate esse impedimenta matrimonium dirimentia constituere, et causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos pertinere.* Sess. XXIV. Can. 4. et 12.

De hoc pariter capite praeclare disserit Leo XIII in cit. Encyclica his verbis: « Igitur cum matri» monium sit sua vi, sua natura, » sua sponte sacrum, consentaneum » est, ut regatur ac temperetur » non principum imperio, sed di» vina auctoritate Ecclesiae, quae » rerum sacrarum sola habet ma» gisterium. Deinde consideranda » Sacramenti dignitas est, cuius ac» cessione matrimonia christiano» rum evasere longe nobilissima. » De Sacramentis autem statuere et » praecipere, ita, ex voluntate Chri» sti, sola potest et debet Ecclesia, » ut absonum sit plane potestatis » eius vel minimam partem ad gu» bernatores rei civilis velle esse » translatam. Postremo magnum » pondus est, magna vis historiae, » qua luculenter docemur, potesta» tem legiferam et iudicialem, de » qua loquimur, libere constanter» que ab Ecclesia usurpari consue» visse iis etiam temporibus, quan» do principes Reipublicae consen» tientes fuisse aut conniventes in » ea inepte et stulte fingere» tur. »

Hac in re tamen advertendum est, Concilium Tridentinum utique illos excommunicasse qui docent matrimonia a filiis a familis contracta sine consensu parentum nulla esse, vel ea parentes invalidare, aut valida reddere posse; nihil autem definivisse circa potestatem quam gubernatores civiles sibi arrogarunt constituendi impedimenta matrimonium dirimentia. Si igitur contingat, ut saecularis princeps constituat nulla essa matrimonia a filiis contracta sine, vel contra parentum consensum, et theologus quidam affirmet, ea nulla esse ob impedimentum inductum a potestate civili, praesentem excommunicationem non incurreret, cum de re

agatur ab ea diversa, quam Tridentini Patres statuere.

Neque contraheret excommunicationem latam a Tridentinis Patribus *Sess. XXIV de Reform. Matrimonii* sive Can. IV, sive Canone XII; quorum primo dicunt: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; a. s.* In alio vero: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos; a.s.*

Etenim qui affirmat matrimonium aliquod nullum esse ob inductum a potestate civili impedimentum, doctrinam in Canonibus allatis propugnatam non negat, sed tantum affirmat, etiam a potestate civili posse impedimenta matrimonium dirimentia constitui; hanc autem doctrinam Ecclesia numquam definitivo iudicio reprobavit quamvis affirmarit, eam nec veram, nec tenendam esse, ut patet etiam ex cit. Encylica Leonis XIII.

CAPUT V.

De excommunicatione lata a Concilio Tridentino in raptores mulierum, eorumque complices.

Norunt Theologi omnes et Sacrorum Canonum Tractatores, non levibus quaestionibus eiusmodi materiam locum praebere, quantum praesertim attinet ad extensionem raptus, quem alii presse interpretantur, alii latiori sensu sumun'

Ne in incertum vagemur et plurimis obvolvamur quaestionibus nos Tridentini Decreti verbis pressius adhaerebimus, ita ut tantum pronuntiare velimus, quantum lex aperte pronuntiat.

Porro ita Tridentinum decretum legimus *Sess. XXIV Cap. VI de Reformatione Matrimonii.*

« Decernit Sancta Synodus, inter » raptorem et raptam, quamdiu » ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere » matrimonium. Quod si rapta a » raptore separata, et in loco tuto » et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam » raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse ac omnes » illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure » excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum » incapaces; et si clerici fuerint, » de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem » raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter » arbitrio iudicis dotare ».

Ut deprehendatur quinam raptus crimine Tridentinam excommunicationem incurrant, in quo raptus substantialiter consistat constabiliendum est.

Raptus itaque personarum duplici ex fine contingit, vel criminis, ut ex. gr. explendae libidinis causa, vel matrimonii ineundi, quod nostrum est.

Primo modo *Raptus est violenta*

abductio virginis, vel alterius honestae foeminae solutae vel ligatae, libidinis exercendae gratia de loco in locum moraliter diversum.

Alio modo est: *violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa*; non virginis itaque aut solutae sed honestae, tantummodo, at cuiuslibet, etiam inhonestae, dummodo abducatur matrimonii ineundi causa; etenim et foeminae minus honestae, imo et meretrices possunt, et aliquando omnino respuunt matrimonia cum viris sibi non bene visis contrahere; attamen harum matrimonium sanctum est, libertate consequenter gaudere debet, ut matrimonia contracta cum honestissimis puellis. Concilii Tridentini patres insuper generice omnino loquuntur, nullamque exceptionem innuunt. *At ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Attamen 1. abductio illa debet esse violenta, scilicet repugnante foemina; etenim *rapi sine vi non potest: et Raptus non dicitur, ubi volens pro matrimonio abducitur. C. cum causam 6 de Raptoribus.* Quare si puella consentiat, raptus non habetur, nec consequenter impedimentum, aut excommunicatio. Nemo enim rapit eum qui lubens volensque sequitur.

Violentia autem haec nedum physica est, sed moralis, si scilicet foemina, vel per preces importunas metui reverentiali coniunctas, non per solas preces, vel per metum gravem, vel fraude adhibita abducatur.

Primum docet Reiffenstuel *Ius Can. Univ. Tom. IV, tit. 1, n. 373: ad raptum requiri aliquam violentiam, vel physicam... vel moralem per minas aut gravem metum;* tum Roncaglia *in sua Theologia morali universa his verbis: Et potest esse moralis* (violentia) *ut per preces importunas unitas metui reverentiali, seu per metum cadentem in constantem virum.* Tum docent alii doctores praeclarissimi.

Attamen si precibus importunis nulla reverentia aut timor consocietur, illae satis non erunt ad raptus crimen constituendum; etenim preces, quamvis importunae, precum indolem non egrediuntur, neque per se violentiam important, imo excludunt cum indicent, utentes precibus importunis, alia media adhibere vel nolle vel non posse. Hinc vere Sanchez, Pirhing, aliisque praetermissis, De Iustis *De dispensationibus matrimonialibus lib. II, cap. XVIII, n. 70* scribit: *Nec dici raptum, quidquid alii contradicant; eo casu, quo solis importunis precibus, aut mercede aliqua abstrahatur* (foemina), *nisi huiusmodi preces tales essent, ut violentiae aequiparentur.*

Quod vero fraudes adhibitae ad abducendam puellam matrimonii ineundi causa violentiae aequiparentur, constat ex sententia, quam tulit S. Congregatio Concilii in causa *matrimonii* anno 1864, quam ex *Tom. 1. Actorum S. Sedis* excribimus et in notam coniicimus,

ut lectores intelligant cuiusnam indolis fraudes intervenire debent quae violentiae aequiparentur (1).

Proposito itaque dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu.* Sacra Congregatio Concilii,

(1) Pag. 15. Etsi Caia uxor Titii e maritali domo legitime expulsa fuisset, concessum tamen eidem fuerat, ut filii qui sub potestate Titii manserant, matrem suam invisere interdum possent. Hac circumstantia abusa est mater, ut filiam suam Agnetem sequenti ratione proderet.

Cum enim nubilis Agnes in paterna domo degeret in civitate A. et conversandi causa ad quamdam frequentatam domum interdum accederet, contigit ut vir quidam Sempronius iam viduus amore Agnetis corriperetur. Tum Titius adolescentulae pater, tum ipsa adolescentula Agnes, Sempronii instantiis ad conciliandas nuptias porrectis, non semel restiterunt; donec Sempronius hanc legitimam viam sibi praeclusam praesentiens, aliam, prorsus inauditam, sibi aperiendam curavit.

Sane (prouti ex actis eruimus) cum Caia Agnetis mater in quadam ora maritima B. ad balnea ratione valetudinis degeret, et Titius Agnetis Pater, eodem tempore, ratione sui officii discessisset e sua civitate A., Agnes cum famula educatrice aliaque sorore iuniori eumdem locum B. petiit, suamque matrem invisit in publico diversorio habitantem. Mansit ibidem Agnes nonnullis diebus, donec mater praetextu melioris habitationis, ficto animo, filiae suasit se conduxisse commodiorem domum eadem in terra, ad quam semet paratam exhibuit ducendi Agnetem. Reapse Caia mater simul cum praedicta educatrice duxerunt Agnetem in quamdam remotiorem domum, quam ingressae, prius Caia, deinde educatrix aliquas causas abeundi praetexentes, discesserunt, sola ibi relicta, veluti in propria domo, Agnete.

Cum ita res se haberet, ex improviso prodiit Sempronius, qui exterrefactae tunc Agneti patefecit, eam in sua domo et potestate reperiri. Coacta fuit Agnes in ea remota Sempronii domo manere per partem diei et integram sequentem noctem, in qua, ut ipsa deposuit, et clamavit et fugam tentavit inutiliter.

Sequenti die, tarda licet hora, rediit educatrix, cui Agnes promptam manifestavit voluntatem, eadem ipsa die, paternam domum redeundi. At mater (quae ex condicto cum Sempronio agere satis apparebat) antequam filia discederet, una cum educatrice exterritae adhuc puellae suaserunt, ne domum patris repeteret, ut paternam iram, propter ea quae acciderant declinaret; sed potius ad aliquod publicum diversorium in eadem civitate A. se conferret, ut ibi opportunius deliberaretur quid post haec esset agendum.

Itaque importunae suasioni matris et educatricis Agnes paruit, et eodem die Agnes et educatrix viae sese commiserunt ut redirent in suam civitatem A. Verum cum ad stationem quamdam devenerunt, en comparet iterum Sempronius, qui eumdem currum (vagone) ingreditur ubi Agnes considebat, quae tanto horrore praesentia Sempronii perculsa est, tantosque clamores extulit, ut curruum gubernator intervenerit, indixeritque Sempronio, ut ab eo recederet. Quod quidem deinde praestitit Sempronius, suadente altero viro C, qui eodem in curru considebat, quique Sempronii partes egit.

Itaque Agnes pervenit ad Diversorium publicum D in sua civitate ex suasione viri C, nec non educatricis quae particeps erat consiliorum Sempronii.

Haec porro sunt adiuncta quae in hoc diversorio contigerunt. Cubiculum assignatum fuit Agneti, studio educatricis, ad quod nonnisi per ipsius educatricis cubiculum, dabatur accessus; et fenestras habebat quae non viam publicam, sed

causa discussa die 25 Iunii 1864, censuit matrimonium esse irritum, respondendo ad propositum dubium *affirmative*; quae sententia fuit iterum confirmata die 27 Augusti eiusdem anni.

Ex qua sententia cl. Avanzini sequentia deduxit corollaria.

1. Perinde esse rapere vi puellam e propria domo, ac dolo eam circumvenire ut in manus meditantis rapinam inscia deveniat.

2. Imo perinde esse videtur rapere puellam e propria domo, ac fraudibus eam circumvenire ne ad suam redeat domum, posteaquam libere exiverit.

3. Neque interest si puella his fraudibus consentiat. (1) Consensus enim fraudibus extortus, apertae violentiae aequiparatur.

Manifestum autem esse putamus etiam ex iis quae supra disputavimus, idem esse, seu raptum con-

atrium tantummodo introrsum respiciebant. Quare nullus exeundi aditus puellae patebat sine educatricis venia, quae tam caute tamque arcte eam custodiebat, ut quoties domo exiret, toties cubiculum clavibus obseraret et firmaret.

Mansit Agnes tres hebdomadas eo in diversorio, quo tempore bis exiit constanter tamen ab educatrice concomitata, primo cum ad Confessarium accessit, secundo ad quemdam Advocatum consulendum. Hic tamen secundus exitus firmiter ab educatrice Agneti prohibebatur. Quare ita altercare et clamare coeperunt, ut diversorii famuli adfuerint, quorum auxilio Agnes egredi potuit. Adiit autem Iuris consultum non procul a diversorio commorantem (comitante educatrice) eidemque conditionem suam aperuit, ac expostulavit quid sibi agendum esse putaret. Iuris ille consultus, nullum aliud huic malo superesse respondit remedium, praeter matrimonium, et ad Titium Agnetis patrem epistolium misit, quo rerum eventu narrato, matrimonium necessarium esse concludebat. Titius indignatus, numquam ad filiam accessit, neque ab ea aspici deinde passus est; tamen re perpensa ex se, et ex aliorum consilio, licet invitus in filiae matrimonium cum Sempronio consensit, et quidem ex ea ratione, quia videbatur actum esse de filiae suae fortuna. Fama enim de hoc facto late diffusa erat, et opera ipsius Sempronii, uti asserebatur, publicae ephemeridès facti notitiam evulgarunt.

Manens itaque Agnes in eo publico Diversorio, ex quo bis tantum exierat, sub praedominio educatricis, ex cura et mandato Sempronii, et animadvertens sibi tantummodo manere electionem inter monasterium et matrimonium cum Sempronio, hoc tandem praetulit, quia religiosa vocatione se carere sentiebat.

Quare omnibus paratis, tandem exiit Agnes ad matrimonium celebrandum, quod ita initum fuit, ipso testante parocho, ut non nuptiae sed potius funus peragi videretur. Agnes tristis externa consensus signa praestitit, eiusque pater qui filiam suam in hoc etiam actu neque aspicere dignatus est, pene stupens actum ipsum, more illius regionis, obsignavit.

At post quatuor plus minus annos, Agnes monasterium ingressa est; Sempronius divortium postulaverit et obtinuerit; Agnes vero coram curia Ecclesiastica institerit pro declaratione nullitatis matrimonii, quae lata fuit, causa accurate discussa, die et anno supradictis.

(1) Dum haec intulit cl. Avanzini, respexit certe ad primum corollarium, quo puellam *insciam* proclamaverat. Si enim puella animadverteret ad quod fraudes

sistere, quamvis raptor non per seipsum, sed alio mediante, foeminam matrimonii ineundi causa rapiat; qui enim per alium facit per seipsum facere videtur: si quis tamen foeminam vel rapiat, vel rapi mandet non pro se, sed pro alio, quamvis Tridentini poenas incurrat, tamen inter raptorem et raptam matrimonium consisteret, cum Tridentini Patres illud diremerint inter raptorem pro se et raptam, non autem inter rapientem pro alio et raptam; hic enim cum pro alio rapuerit, non rapuit matrimonii ineundi causa. Optime hinc scribit Schmalzgrueber *loc. cit. n. 20.* « Quamvis perinde sit, sive » quis rapuerit foeminam, quam » vult ducere, per seipsum, sive » per alium ipso consentiente, vel » mandante, ad impedimentum » hoc incurrendum tamen necessarium est, ut rapuerit pro se; » nam qui pro in alio rapuit, licet » tanquam fautor incurrat excommunicationem, et ceteras poenas, » valide tamen cum ea muliere, » etiam non separata, si velit, inire » matrimonium potest; quia invaliditas matrimonii solum infertur » contra rapientem pro se, non » contra rapientem pro altero. »

Ut igitur raptores, qui primo loco excommunicantur, excommunicationem hanc incurrant, mulierem rapere debent, ipsa contradicente, ideoque violentia adhibita, vel gravi timore incusso, idque matrimonii ineundi causa.

Ideoque illorum sententia excludenda est, qui affirmant, hanc excommunicationem poenasque adnexas et ab iis incurri qui non mulierem,sed virum rapiunt et abducunt, tum quia finis legis idem

et machinationes tendant, ut scilicet potestati raptoris submittatur; attamen libere et voluntarie consentiat, fraudesque sequatur dum eas depellere et vincere potest et tenetur, non putamus hoc in casu raptum intercedere, nec fraudes apertae violentiae aequipollere; vult enim voluntarie quis aliquid, cum illud animo advertit, et tamen sequitur et amplectitur, cum possit respuere; neque in casu potest decepta aut seducta malis artibus et fraudibus dici. Agnes profecto matris et educatricis fraudes non praevidit, ut ex causa patet; easque cum praevidit, eliminare non potuit: ideoque veram violentiam passa est.

Corollarium itaque tertium ab doctissimo Avanzini illatum ita nobis temperandum esse videtur: *Neque interest si puella his fraudibus consentiat, dummodo earum scopum et finem non praevideat et intelligat;* prorsus ut in Agnete contigit. Sin minus corollarium illud, prout iacet, nimis generale est, quodque ex praemissis et disputatis sequi ad unguem non videtur; patet enim magis. Neque his opponi ea nobis videntur quae vir clarissimus disputat appendice II, pag. 54. De cetero nos loquimur de iis quae pertinent ad substantiam raptus, neque aliquid proferimus circa valorem matrimonii post raptum initi, cum in ea sententia versemur, posse dari raptum aliquo modo voluntarium, quin eo existente matrimonium valide contrahi possit. De qua re videatur Avanzini Tomo et Appendice cit.

est, scilicet matrimonii libertatem tueri, tum quia genus masculinum foemineum complectatur.

Etenim lex Tridentina loquitur evidentissime de *raptore et rapta; de raptore* qui *raptam in uxorem* habere velit; de *raptore* qui teneatur *mulierem raptam* arbitrio iudicis decenter dotare; ergo loquitur de duabus personis, quarum una sit masculini sexus, altera foeminini; prima vero rapiat alteram et alio abducat; in lege autem apertissima interpretatio locum non habet.

Neque ad illam sententiam amplectendam fine, seu motivo legis adducimur; etenim, primo, lex odiosa non est extendenda de casu in casum neque ob paritatem rationis; secundo, raro admodum contingit ut viri rapiantur; leges autem conduntur de iis quae frequenter accidunt; tertio, quia non quilibet finis sub lege odiosa comprehenditur, sed ille tantum qui a Legislatore intenditur, quique verbis legis latae circumscribitur, sin minus lex odiosa et extenderetur de casu in casum, et vix a favorabili distingueretur; at mentem Patrum Tridentinorum fuisse raptum mulierum tantummodo impedire ex eo constat quod ipsi de raptu, in praesenti casu sensu et modo obvio loquuti sunt; raptus autem in praesenti casu communiter intelligitur et est: *violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa.*

Qua de causa Tridentini Patres de viri raptu nec locuti intelliguntur; at absonum est, sub lata lege comprehendere casum velle, quem non comprehendisse legislatores deprehenduntur. Demum doctissimorum Theologorum et Canonistarum hanc esse sententiam omnes norunt, ita ut piaculum sit ab ea recedere.

2. Excludenda pariter illorum sententia videtur, qui latae excommunicationi subiiciunt illos etiam viros, qui mulierem non rapiunt, nec ad alium locum abducunt, sed eam domi suae commorantem obsident ne alio abire possit, vel eam viri domum qualibet ex causa, ex. gr. urbanitatis, adeuntem detinent, ita ut ad proprios lares remeare non possit. (1)

Etenim in citatis casibus deest

(1) Primam sententiam alias inter defendit Clericati *Decisiones Sacramentales, lib. VI, Decis. 33, n. 20* hac motus ratione: « Quia mulier quae obsidetur » domi, amittit suam libertatem, patitur violentiam, et censetur esse in manu eius, » cuius satellites aut sicarii domum obsident; ideirco donec ab illa obsessione non » liberetur, non potest valide matrimonium contrahere cum illo, a quo obsidetur. »

Aliam Sententiam vero defendit Billuart *Tractatus de temperantia, diss. VI, art. IV, § II, dic. 1°.* « Existimo verba Concilii posse etiam sano sensu intelligi » de violentia illata absque abductione de loco in locum; et nullus dubitat, quin » sit raptus dirimens matrimonium, si quis v. g. puellam peregrinantem, aut extra » domum paternam existentem, vi detineret in loco ubi illa occurrisset, causa con-

raptus proprie dictus, scilicet *violenta mulieris abductio*, ideoque ipsa necessaria conditio a legislatore apposita ut incurrantur poenae contra raptores constitutae; hi casus insuper raro admodum accidunt; demum in superiori casu rationes expositae hunc pariter excludunt. Neque observare praetermittimus Doctores praestantissimos utramque sententiam repudiare. Ut unum vel alium allegemus, Ferraris *V. Matrimonium Art. VI. n. 125.* scribit: « Raptus ut sit impedimentum diri» mens requiritur traductio foemi» nae de loco ad locum; si enim » quis virginem repertam in domo » patris, aut in alia domo non edu» cit de ea domo, sed illam ibi » opprimit, aut trahit de uno cu» biculo ad aliud, ut ibi illam » commodius violet, non incurrit » impedimentum raptus ». Pro suaque sententia novem ad minus citat doctores.

Idipsum docet Roncaglia *Universa moralis Theologia, Tom. II. p. 171. Edit. 1760 R. II.* « Cum simus » in odiosis, dicendum est praefatas poenas non habere locum » ubi non interveniat rigorosus » raptus de quo loquitur Tridentinum ». At supra *Q. 1.* scripserat: « Haec autem violentia in» ferri debet, ut foemina a loco » in quo est, abducatur in alium, » in quo sit sub viri potestate; » neque enim violentiam pati di» ceretur, dum ita abduceretur, » ut adhuc esset in sua libertate ». Quae ratio pro primo saltem casu solida invenitur.

Reiffenstuel *Ius Can. univ. lib. V. tit. XVII, § 1.* « Si foemina non saltem ab una domo v. g. paterna ad aliam, sed ab uno dumtaxat cubiculo ad aliud eiusdem domus, vel a loco patenti ad secretum, rapitur, proprie raptus non est ». Non negamus utique, hoc in loco auctorem loqui de raptu explendae libidinis causa; at nullum discrimen ponit relate ad causam contrahendi matrimonii, ut patet ex iis quae disserit *n. 10.*

Demum, ut alios praetereamus, S. Alphonsus *Theol. Mor. lib. VI,* n. 1107: « Requiritur ut mulier » rapta abducatur de loco ad lo» cum... vel etiam de domo in » domum per aliquos inde passus » distantem. Unde non sufficit ut » mulier transferatur de cubiculo » in cubiculum eiusdem domus... » Sufficit vero, si transferatur in » locum separatum, in quo illa sit » sub potestate viri, quamvis ibi » cum illo rem non habeat ».

Eadem vero habentur apud Schmalzgrueber *Tom. V. Tit. XVII. n. 9.*

Ex quibus patere arbitramur ab-

» trahendi cum illa matrimonii, etiamsi dum cessante vi sponte consentiret, nisi » posita extra potestatem detinentis; huic enim violentae detentioni congruunt » verba Concilii naturali sensu intellecta. »

ductionem de loco in locum esse conditionem necessariam, ad hoc ut raptus crimen constituatur.

Neque auctoritatis argumento opponitur ratio ex fine legis petita, ex libertate matrimonii scilicet, quam per latam legem Tridentini patres tueri voluerunt. Etenim, ut iam observavimus, non quemlibet finem quo matrimonii libertas offenditur Tridentini Patres sub lege comprehendere voluerunt, sed illum qui offenditur per raptum. Nonne ex. gr. pater puellae offenderet libertatem matrimonii, si violentia adhibita filiam, inscio sponso, domum sponsi adduceret, et sponsus occasione arrepta, eam domi suae concluderet et retineret? Attamen nemo dixerit patrem aut sponsum raptorem esse, vel alterutrum aut utrumque Tridentini poenas incurrere.

3. Ex lato pariter a Tridentinis patribus decreto aperte deducitur, excludendos esse ab incurrenda excommunicatione illos qui vim non puellae, sed eius parentibus inferunt; lex enim est de violentia illata foeminae, de eiusque raptu, non vero de violentia aliis quibuscumque illata. Hinc si postquam raptor violenter domo parentes abduxerit, puella lubens volensque raptorem sequatur, raptus crimen non interesse censetur. « Si puella » volens et consentiens abducatur, » praeclare scribit *Ferraris V. matrimonium n. 115*, quamvis sint » inviti et reclament parentes, seu » tutores, non oritur impedimen- » tum raptus ». Et citatis ad minus decem et octo doctoribus prosequitur: « Et ratio est, quia Tri- » dentinum praecise intendit cavere » ne laedatur libertas matrimonii, » quae utique non laeditur, si » puella libere consentiens abdu- » catur, quamvis violentiam seu » vim patiantur parentes, vel in- » viti reclament, cum libertas puel- » lae nubere volentis non depen- » deat a voluntate parentum, et va- » lidissimum sit matrimonium con- » tra eorum voluntatem ab ipsa » contractum, ut decrevit ipsum » Concilium Tridentinum Sess. » XXIV. *De Reformat. Matrim.* » cap. 1, anathematizando contra- » rium sentientes, ibi: *Eos sancta* » *Synodus anathemate damnat...* » *qui falso affirmant matrimonia a* » *filiis familias sine consensu pa-* » *rentum contracta irrita esse, et* » *parentes ea rata vel irrita fa-* » *cere posse.* Tum quia Tridentinum » statuit impedimentum raptus ces- » sare si foemina rapta sit *separata* » *a raptore, et in loco tuto con-* » *stituta,* sive restituatur paren- » tibus, sive non; et ideo etiam » cap. *Cum causam 6 de Rapto-* » *ribus* Lucius III statuit ut se- » quitur: *Iste raptor dici non de-* » *bet, cum habuerit mulieris as-* » *sensum, et prius eam desponsa-* » *verit quam cognoverit, licet pa-* » *rentes reclament, a quibus eam* » *dicitur rapuisse.* Haec autem ar- » gumenta peremptoria videntur ».

4. Ruit pariter illorum sententia, qui propugnant poenas a Tridentinis patribus indictas ab iis etiam raptoribus incurri qui nedum violentia adhibita rapiunt, sed etiam seductione. Etenim tridentina lex loquitur tantum de raptu, quo laeditur matrimonii libertas, ideoque de raptu qui violentiam importet et repugnantiam ex parte mulieris raptae; in seductione autem nulla datur violentia, et mulier sciens volensque raptorem sequitur; raptus consequenter locum non habet.

Attamen respectu ad valorem matrimonii ineundi optima nobis videtur distinctio adhibita ab doctis Scriptoribus de la *Nouvelle Revue Théologique Tom. 12 pag. 393 n. XV;* perpendendum scilicet sedulo esse, an mulier rapta simpliciter ad raptum assensum praestiterit, nihil de futuro matrimonio ineundo cogitans et decernens; aut ideo se rapi permiserit volueritque, ut matrimonium contrahere posset. In primo casu praesumi non potest neque debet eam voluisse matrimonium inire; ideoque usque dum sub raptoris potestate maneat, libertate gaudere necessaria ad matrimonium ineundum censenda non est; in alio casu autem eiusmodi defectus supponi nequit; cum prorsus ineundi matrimonii causa se rapi permiserit, volueritque.

Et eiusmodi criterio varii circa impedimentum raptus casus dignosci et dirimi possunt, tum percipi sensus variarum resolutionem S. C. Concilii, quae prima fronte contrariae inter se videntur. Attamen consensus in raptum, matrimonii ineundi causa, ex parte mulieris evidenter probari debet; cum enim per se violentiam importet, evidenti argumento haec excludenda est, et libertas et omnimoda voluntas asserenda. Probationes eiusmodi desumi possunt, ex. gr., ex sponsalibus quae praecesserint, et ex explicito consensu matrimonii ineundi utrimque antecedenter libere manifestato.

5. Demum illorum sententiam excludimus, qui affirmant hanc excommunicationem et ab iis viris incurri, qui non matrimonii ineundi, sed explendae libidinis causa mulierem rapiunt, iis fulti rationibus quod et Concilium generice loquatur, et Legislatio anterior praedictum casum comprehenderit, et quod latis poenis etiam viri ecclesiastici submittantur, cum quibus, si in sacris sint, matrimonium consistere non potest, sed sola libidinis explendae ratio.

Etenim 1. ex contextu Capitis Tridentini patet, in eo de raptu sermonem esse relate ad matrimonium ineundum, et ad huius libertatem servandam; eius igitur verba non ita sunt generalia, ut ad alias raptus causas applicari debeant, in quibus nulla sit matrimonii ratio. Ex quo corruit pariter secundum argumentum; quaecumque enim

fuerit legislatio anterior circa extensionem et raptus causas, ei derogatum fuisse per Tridentinum decretum arbitrari debemus. Neque obstat quod et Clerici latis poenis submittantur; hi enim si in minoribus constituti raptus crimen admittere possunt matrimonii ineundi causa, quod reapse valide et legitime ineunt; sermonem vero esse non putamus de clericis in maioribus ordinibus constitutis, nisi tanquam de fautoribus, seu consilium, auxilium, favorem praebentibus; cum his enim nullum matrimonium consistere cum possit, ineptissime eis lex Tridentina applicaretur; etenim constat, de talibus agi raptoribus et raptis, inter quos, rapta in loco libero et tuto constituta, possit matrimonium contrahi, quod ad clericum in sacris constitutum applicari nullo pacto potest.

Nostrae demum expositioni favent S. Congregationis Concilii decreta. Rigantius *Commentaria in Regulas Cancellariae Apostolicae, Regula 49* sequentem sententiam refert latam die 23 Ianuarii 1586: « Raptores » ob aliam causam, quam ut ra» ptam in uxorem ducerent, non » comprehendi in Cap. 6. Sess. » XXIV *de Reformatione matrimo*» *nii,* etiam ex maioritate rationis, » nec constitutionem poenalem ex» tendi ad hunc casum ».

Hanc vero S. Congregationis sententiam esse, patet evidentissime ex immutatione clausulae qua in dispensatione impedimentorum utitur: Dum enim antea in ea haberentur haec verba: *dummodo mulier rapta non fuerit,* post declarationem anni 1586 ita immutata fuit: *dummodo propter hoc mulier rapta non fuerit:* scilicet: *dummodo mulier rapta non fuerit propter matrimonium contrahendum.* Eiusmodi vero additio quamlibet aliam causam excludit.

Quid vero si vir mulierem rapiat, cum qua sponsalia antea iniverat?

Doctores discrepare in sententia ferenda reperimus. Nonnulli enim affirmant, raptorem latis poenis immunem esse, quia rapta tenetur cum raptore matrimonium contrahere, ideoque libertati matrimonii nullam iniuriam per raptum irrogari. Alii ita distinguunt: Si mulieri iusta sit causa a sponsalibus recedendi raptorem poenis submittunt, quia mulieri hoc in casu integra redit libertas; si vero nulla sit causa resiliendi ab sponsalibus, poenis subtrahunt, ob superius allegatam rationem. Alii denique contendunt, in utroque casu raptorem poenas incurrere.

Hos postremos sequendos esse dicimus. Etenim in decreto Concilii Tridentini nulla fit exceptio aut limitatio; neque inita sponsalia ratio legitima esse possunt sponsam invitam rapiendi; maximum enim dedecus ex raptu sponsa consequitur; ideoque eiusmodi raptus legitima causa est a sponsalibus

resiliendi, cum crimen constituat. Ex quo pariter sequitur legitima praesumptio, quod cum sponsa invita rapta fuerit, et dedecus suscipere aut pati nolit, matrimonium cum raptore contrahere repudiet, vel saltem, se eo in statu manente, contrahere nolit. Supponendus est igitur defectus libertatis et voluntatis in sponsa. His accedit quod sponsa violenter cogi non potest, aut debet ad sponsalium fidem servandam; quod enim libere promisit, libere et sine crimine servare permittenda est, et velle est supponenda. Demum in iure una tantum in re fit exceptio, si scilicet sponsa libere et libenter raptui consentiat, ut patet ex *Cap. cum causam*, quod supra citavimus.

At praeter raptores, in Tridentino Capite excommunicantur *omnes illi* (raptori) *consilium, auxilium, et favorem praebentes;* qui qui sint, quasque ponere actiones debeant ut excommunicationem incurrant, non semel in nostris Commentariis diximus.

Una tantummodo quaestio hoc in loco dirimenda est: an scilicet Parochus qui matrimonio benedicit antequam sponsa in loco tuto collocetur, veluti raptoris fautor habendus sit, et consequenter excommunicatus aliisque poenis irretitus.

Cui quaestioni ut respondeamus, animadvertendum est, Parochum hunc, ni auxilium vel consilium raptori antea praestiterit, excommunicationem incurrere ex *favoris* tantum capite; favor autem, debet in actionem vetitam influere, ut possit actio haberi excommunicatione perculsa; hoc autem in capite excommunicatur favor raptui praestitus, non matrimonio. At ante matrimonium cui Parochus benedicit, raptus iam consummatus est; ergo Parochi favor nullimode in raptum influxit; ergo nec ullam poenam incurrit.

At si antequam raptum vir consummaret, Parochus ei promiserit se matrimonio assistentiam suam praestiturum, excommunicatione, ceterisque poenis non est eximendus, cum eiusmodi promissione favorem raptori praestiterit, eique animos addiderit ad raptum peragendum, quem fortasse peracturus non fuisset, si Parochus assistentiam suam matrimonio ineundo denegasset; cum hac in hypothesi, ratione matrimonii ineundi frustra raptus perageretur, cum ei nemo profecto assistentiam praestiturus foret.

Eiusmodi vero sententiam auctores praestantissimi sequuntur, quos inter Schmalzgrueber *loc. cit. n. 51* scribit: « Hunc, Parochum, poenas » Concilii Tridentini non incurrere; » non enim favet delicto raptus, » quod iam est commissum et consummatum, sed ipsi matrimonio. » Excipitur nisi ante raptum promisisset raptori, quod assistere » velit matrimonio contrahendo » cum rapta, adeoque illam ad » raptum exequendum animasset;

» tunc enim tamquam fautor poenis » raptus obnoxius fieret ».

Coronidis gratia demum observamus, impedimentum raptus eo ipso cessare ac foemina sublata a raptoris potestate in loco tuto posita sit; excommunicationem vero non ita, sed tamdiu perdurare, quamdiu per absolutionem, quae nemini reservata est, adempta non fuerit.

Attamen observandum in re est, quod si ante absolutionem, causa delata fuerit ad Apostolicam Sedem, ex. gr. ad impetrandam dispensationem alicuius intercedentis impedimenti, tum excommunicatio ab eo absolvitur, cui executio dispensationis committitur, eo quod cum causa omnia adnexa ad Romanum Pontificem devolvuntur. Id alios inter docet Clericati *Decisiones sacramentales lib. VI, 33, n. 26* his verbis: « In hoc casu petitae dispen- » sationis Apostolicae Ordinarius non » potest amplius absolvere raptorem » ab excommunicatione; quia cum » Papa committit dispensationem » exequendam a suo delegato, as- » sumit in se totum negotium, » quod totum censetur remissum » eidem delegato, iuxta regulam, » per appositionem manus Papae » in aliquo negotio, in eo infe- » riorum manus ligantur » (1).

CAPUT VI.

De excommunicatione a Tridentinis Patribus lata in eos qui servos et subditos invitos ad matrimonia ineunda compellunt.

Eiusmodi excommunicatio his verbis a Patribus Tridentinis effertur *Sess. XXIV, Cap. IX de Reformatione matrimonii.*

« Ita plerumque temporalium » dominorum ac magistratuum men- » tis oculos terreni affectus atque » cupiditates excaecant, ut viros » et mulieres, sub eorum iurisdi- » ctione degentes, maxime divites, » vel spem magnae haereditatis » habentes, minis et poenis adi- » gant cum iis matrimonium in- » vitos contrahere, quos ipsi do- » mini vel magistratus illis prae- » scripserint. Quare, cum maxime » nefarium sit matrimonii liberta » tem violare, et ab eis iniurias » nasci, a quibus iura expectantur, » praecipit Sancta Synodus omni- » bus, cuiuscumque gradus, digni- » tatis et conditionis existant, sub » anathematis poena, quam ipso » facto incurrant, ne quovis modo, » directe vel indirecte subditos » suos vel quoscumque alios cogant, » quominus libere matrimonia con- » trahant. »

(1) Cap. *Ut nostrum, 56, De appellationibus, recusationibus, et relationibus*, scilicet: « Ut nostrum prodeat de vultu Dei iudicium: et infra. Iudicibus » dedimus in mandatis, ut si post secundum mandatum, per quod totius cognitionem negotii ad nostrum iudicium revocavimus, traditionem sigilli dicto H. a te » cognoscerent esse factam, eam decernerent irritam, et inanem, inhibentes illi ne » quomodolibet eo uti praesumeret. Cum plus sit Romanum Pontificem ad se aliquod » revocare negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio provocare. »

Hoc porro in capite expendendo duo nobis sunt inquirenda: 1. Quaenam personae huic excommunicationi subdantur. 2. Quaenam actiones, quibusque conditionibus vestitae.

Et quoad primum Caput, sententia Suaresii fuit, in Tridentino Capite omnes excommunicari, etiam privatas personas, quae aliquem ad contrahendum matrimonium compellunt. Eiusmodi sententia, quae etiam a Filliuccio propugnata fuit, probabilior visa est praestantissimo Commentatori Patavino, qui *n. 413* II scribit: « Subiectum censurae » huius sunt *omnes et singuli*, cu» iuscumque gradus, dignitatis, et » conditionis existant, *qui* aliquem, » vel aliquam *cogunt*, quominus » libere matrimonium ineat. *Haec* » *censura*, ita Suaresius, *Disp. XXIII* » *Sect. VII, est quoad personas* » *universalis*, quia licet in prin» cipio (Capitis Tridentini) *sit ser*» *mo de temporalibus Dominis et* » *magistratibus; tamen cum fertur* » *praeceptum et censura, verba* » *generalissima sunt*. Omnibus rite » perpensis, haec mihi probabilior » videtur sententia ».

Subdit autem « Non tamen de» sunt, qui cum Sanchesio, Co» ninchio, et Bonacina teneant, ex» communicationem esse cohiben» dam solum ad *dominos tempo*» *rales et magistratus*, nempe ad » eos qui temporali pollent iuris» dictione. Quidquid sit de intrin» seca probabilitate huius secundae » sententiae, certe numerus et gra» vitas Doctorum qui ei patroci» nantur, probabilitatem extrinse» cam satis solidam eidem prae» bent ».

Ex quo postremo sequeretur, privatas personas, neque in eiusmodi sententia, posse de excommunicatione in casu damnari, cum vera probabilitas, quae etiam exurgit ex Doctorum multitudine et gravitate, excommunicationem excludat, ut non semel in nostris Commentariis asseruimus.

Attamen omnino negamus, sententiam eorum, qui affirmant, non privatas personas, sed tantum dominos temporales et magistratus in capite Tridentino excommunicatione percelli, intrinseca probabilitate destitui; immo affirmamus intrinseca probabilitate prae alia muniri. Revera 1. in latis legibus vel decretis verba obvio et naturali sensu accipienda sunt, nisi aliquod vel absurdum vel incommodum sequatur; at certum est, in Tridentino capite verba a Patribus adhibita constanter innuere, excommunicatione percelli tantummodo personas quae temporali iurisdictione, vel magistratus officio polleant; ergo ad has tantum Tridentini Capitis verba aptanda sunt, non vero ad privatas alias quascumque personas. Minorem probamus 1. ex titulo Capitis, qui est: *Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati matrimonii contrarium moliantur*. Titulus autem continet summam capitis.

2. Ex verbis ipsius Capitis: Ita *plerumque temporalium dominorum ac magistratuum:* temporales autem domini sunt qui dominium civile vel supremum vel pheudale habent in determinatum territorium; magistratus autem qui munia publica gerunt, quorum causa in populum iurisdictionem exercent; ut ex. gr. antiquitus gubernatores, Legati, Delegati; nunc autem Praetores, Praefecti, Ministri etc.

3. Ex verbis: *viros et mulieres sub eorum iurisdictione degentes:* Iurisdictio autem definitur: *Facultas alicuius habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen, et gubernationem.* Est ergo potestas publica, non privata, qualis paterna est.

4. Adeo vero est publica, *ut viros et mulieres maxime divites, vel spem magnae haereditatis habentes,* non precibus aut timore tantum, *sed minis et poenis adigant matrimonia contrahere* cum iis, *quos ipsi domini vel magistratus praescripserint.*

At privatae personae viris et mulieribus maxime divitibus eiusmodi imponere non possunt; multo minus ad matrimonium contrahendum eos invitos compellere; multoque etiam minus poenis et minis, et quod gravius est, cum personis quas ipsae praescripserint. Atque praetermittimus hos compellentes, et libertatem matrimonii violantes iterum vocari *dominos et magistratus.* Privatis profecto personis eiusmodi sive facta sive vocabula nullo pacto competere possunt.

5. Quod evidentissime confirmatur ex sequentibus verbis. *Cum maxime nefarium sit, ab eis iniurias nasci a quibus iura expectantur.* At iura vel condere vel dicere supremorum principum, et magistratuum est.

6. Quid vero quod in universo Capite nulla sit expressio quae ad privatas aliasque personas quae magistratu vel principatu temporali careant, aptari possit? Etenim personae designatae per subsequentia verba: *omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant* aliae non sunt, quam illae de quibus Tridentini Patres in superiori parte capitis loquuti sunt; sunt enim illae quae *subditos suos* vel quoscumque alios *directe vel indirecte* cogunt *quominus libere matrimonia contrahant;* si *subditos suos;* ergo iurisdictionem et potestatem habent, ergo esse non possunt privatae personae. Neque quis vim faciat in vocabulo *conditionis;* etenim et principes, et magistratus erant, praesertim pheudalismo perdurante, et sunt diversae conditionis tum nomine, tum potestate, tum iurisdictionis diversitate: si autem vocabulum aliquod praecedentibus aptari et convenire potest, nulla ratio est qua ad alia aptetur de quibus in lege non est mentio.

Nullam autem difficultatem facit, imo sententiam nostram perbelle confirmat, quod in Tridentino Ca-

pite illi excommunicentur qui nedum subditos suos, sed *alios quoscumque cogant,* quominus libere matrimonia contrahant. Quandoquidem et hi vel principes temporales, vel summi magistratus esse debent, magnaque fruentes auctoritate; si enim auctoritas requiritur in subditos, multo magis in alios qui subditi non sint; deinde nonne hi principes vel magistratus eiusmodi vim exercere possent in consanguineos et affines, aliosque qui ab ipsis quacumque de causa dependeant quamvis sub ipsorum potestate non degant? ergo et haec verba optime ad ipsos principes temporales et praefectos aptari possunt, quin Tridentinum Caput ad privatas etiam personas extendamus. Igitur ratio intrinseca privatas personas ab praesenti excommunicatione excludit, neque verum est, quod asserit doctissimus Suaresius, in Cap. Tridentino *verba esse generalissima cum fertur praeceptum et censura.* Sed ipsemet Commentator Patavinus fatetur, plures esse et gravissimos auctores qui nostrae sententiae faveant; fateatur igitur necesse est, sententiam nostram muniri ratione tum intrinseca tum extrinseca, ideoque privatas personas cogentes aliquem quominus libere matrimonium contrahat non esse praesenti excommunicationi subiiciendas. Hanc de cetero esse sententiam S. Congreg. Concilii patet ex declaratione, quam citat Fagnanus in Cap. *Insinuante* n. 4. *Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt,* quaeque ita legitur: Sacra Congregatio eiusdem Concilii Interpres consulta: An prohibitio dicti Capitis 9 circa matrimonii libertatem comprehendat privatas personas; respondit, non comprehendere, sed tantum dominos temporales et magistratus cuiuscumque gradus et conditionis.

Nemo tamen putet dominorum temporalium nomine Reges et Imperatores venire; hi enim numquam excommunicati censentur, nisi expresse nominentur, ut non semel in Commentariis nostris affirmavimus et probavimus (1).

At nostra aetate nisi Reges et

(1) Bonacina sententiam utramque probabilem putat: scribit enim *De Excommunicat. in part. extra Bullam Coenae Disp. II, Quaest. II, Punct. 6, n. 7.* « Idem probabiliter dici potest de Rege, Regina, Imperatore, Imperatrice, quia » Concilium adhibet generalissima verba complectentia quoscumque temporalem » iurisdictionem habentes, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant. »

Opposita tamen sententia probabilis est. « Ratio est, tum quia istae personae » videntur speciali nota dignae; tum quia dum Summus Pontifex intendit hos li » gare, solet exprimere. »

Quod certe ipse Pius IX fecit in Constit. Apostolicae Sedis.

Cum igitur utraque sententia probabilis sit, Reges et Supremi imperantes decretum Tridentinum transgredientes non possunt de excommunicatione damnari eo vel magis quod nostra sententia multo probabilior est.

Imperatores aliique supremam potestatem in determinato territorio retinentes sint qui subditos invitos matrimonia inire compellant, et dato etiam quod possint, nescimus an alii sint qui hanc excommunicationem incurrant.

Cum itaque tantum domini temporales et Magistratus eiusmodi excommunicatione percellantur; ergo non parentes qui utcumque filios aut consanguineos invitos ad contrahenda matrimonia adigant; neque domini qui mancipia, neque Parochi aut Episcopi, cum hi iurisdictionem temporalem non habeant, neque magistratum exerceant. Attamen si Episcopus etiam temporalem iurisdictionem exerceret, et tridentinum decretum transgrederetur, excommunicationem incurreret, ut patet.

II. Actio vero quae excommunicatione percellitur est *cogere directe vel indirecte subditos aut alios quoscumque quominus libere matrimonia contrahant*. Requiritur igitur violentia sive physica sive moralis.

Porro coactio erit directa si immediate ipsi personae inferatur; indirecta si aliis personis, quarum auctoritas potest ad matrimonium contrahendum invitos inducere. Ex. gr., si persona quae non vult propositum matrimonium contrahere vel in carcerem coniiciatur, vel bonis, officio etc. privetur, coactio erit directa; si e contra personae invitae parentes minis poenisque cogantur ad inducendum filium vel filiam ad matrimonium illud contrahendum, coactio erit indirecta. At dum eiusmodi coactio exercetur, ludicrum quid et contemptibile non est cum Tridentini Patres dicant: *minis et poenis adigant;* grave quid ergo esse debet, quod libertatem offendat, et invitum inducat ad id peragendum quod alias nollet. De cetero excommunicatio maior, qualis haec est, quamvis nemini reservata, sine peccato gravi non incurritur. Timor ergo levis hoc in facto contemnitur, de quo in foro externo nec ratio habetur.

At nedum gravis, sed etiam iniuste incussus eiusmodi timor esse debet; si enim iusta de causa incuteretur, ratio legis cessaret.

Hinc nullam excommunicationem incurrerent sive domini temporales, sive magistratus qui virum compellerent etiam vi illata ad ducendam in matrimonium puellam quam ipse defloraverat cum promissione matrimonii.

Neque si alicui officium, munusque publicum, favorem denegarent, ad quod conferendum iustitia non obligentur, nisi matrimonium cum tali persona contrahat; cum enim munia et officia illa ex iustitia conferre non teneantur, nil iniustum committunt si denegent invito.

Pariter neque illi qui alicui promitterent officia, pecunias, haereditatem ut eum ad matrimonium

ineundum sollicitent; hi enim vim non inferunt, sed potius alliciunt.

Demum, ut universas quaestiones uno criterio dirimamus, nemo est de excommunicatione damnandus qui alicui gratuita, quantumvis magna, beneficia denegat, nisi matrimonium cum tali contrahat persona. Nihil enim iniusti committit: at sine culpa excommunicatio non incurritur.

Quid vero si temporales principes vel magistratus non ad matrimonium contrahendum, sed aliquem minis et poenis ab matrimonio cum tali persona contrahendo retrahant?

Quamvis sint qui affirment, eiusmodi excommunicationem contrahere, eo quod violare deprehendantur matrimonii libertatem; tamen contraria sententia verior est; Concilium Tridentinum enim excommunicatione ferit cogentes aliquem invitum ad matrimonium cum determinata persona contrahendum, non autem retrahentes; et cum lex sit poenalis non est ad alios casus extendenda neque ob rationis paritatem. Quae paritas rationis de cetero non adest. Qui enim inviti matrimonium cum personis sibi non bene visis contrahere compelluntur, incommodis plurimis, poenis, dissensionibus etc. sese in perpetuum committunt; qui vero timore adducti ab determinato matrimonio recedunt, eiusmodi incommodis carent; possunt enim cum alia benevisa persona matrimonium contrahere, cum eaque pacificam vitae consuetudinem retinere.

Neque aequalis est in utroque casu libertatis violatio; qui enim ad contrahendum matrimonium invitus compellitur, durante matrimonio, libertatem suam amisit; qui autem retrahitur, potest eam exercere cum quacumque alia persona sibi benevisa, et ut ita dicamus, libertati hoc in casu irrogata iniuria momentanea esse potest, et aliquando est. Viri enim illi qui ob deperditam puellam aegritudine tabescunt, rari admodum sunt; et etiam puellae communiter novis amoribus acquiescunt. Si vero de substantiis agatur, meminerint lectores, in Cap. Tridentino sermonem esse de viris et mulieribus maxime divitibus, vel spem magnae haereditatis habentibus. Supponendi vero non sunt Principes temporales et magistratus a matrimonio aliquo contrahendo hos retrahere, ut illud deinde contrahant cum viro et muliere inferioris conditionis, sed e contra.

Nonnulli doctores tamen excipiunt, si temporales domini vel magistratus subditum vel alium quemlibet ab tali matrimonio retraherent, ut deinceps matrimonium cum alia determinata persona invitus contraheret.

Nobis non ita videtur. Concilium Tridentinum etenim excommunicatione ferit illos qui directe vel indirecte cogunt, vel adigunt subdi-

tum vel alium invitum ad matrimonium contrahendum cum iis *quos ipsi domini vel magistratus ipsis praescripserint.* Cogere autem est aliquem inducere vi aut iniuria ad aliquid agendum, vel omittendum. Ut ergo excommunicatio haec contrahatur, intercedere debet *coactio directa vel indirecta,* quae in vi vel iniuria consistit. At, quaeso, ubi est coactio indirecta in proposito casu? nam directa locum non habet. Profecto non existit nisi in intentione principis temporalis vel magistratus. Sed Tridentini patres requirunt coactionem veram, scilicet physicam, quae in violentia proprie dicta consistit, vel moralem, quae in timore gravi et iniusto reponitur. Ergo nisi coactio adhibeatur ad hoc ut subditus vel alius in casu deinceps in uxorem ducat mulierem illam quam principes temporales vel magistratus praescripserint, excommunicatio locum non habet; concilium enim requirit coactionem positivam. Id adeo certum est, ut nisi positiva coactio intercedat, ut subditus in casu etc. mulierem illam determinatam in uxorem ducat, ipse liber est cum qualibet muliere sibi benevisa matrimonium contrahere. Sed coactio excommunicatione plectitur relate ad contrahendum matrimonium; ergo cum nulla sit coactio in casu, nulla excommunicatio incurritur.

Ob easdem vero rationes et illam circumstantiam ab excommunicatione excludimus, qua fieret ut subditus hic compelleretur, derelicto primo matrimonio, ad aliud contrahendum cum persona sibi non benevisa, accepta autem principi temporali vel magistratui. Etenim, nisi coactio positiva directa vel indirecta ex parte principis temporalis vel magistratus intercederet, subditus vel alius in casu, non ratione coactionis illatae in ordine ad contrahendum matrimonium, sed ratione suae conditionis, vel etiam coactionis illatae ut recederet a primo matrimonio cogeretur ad contrahendum matrimonium cum persona sibi non bene visa: at nulla est excommunicatio ob eiusmodi coactionem, ergo si ex necessitate conditionis suae deinceps matrimonium invitus contrahat, princeps saecularis vel magistratus excommunicati dicendi non sunt, quia nullam adhibuerunt coactionem positivam neque indirectam ad compellendum subditum vel alium quemlibet ad contrahendum secundum matrimonium.

Equidem quis dicturus erit, impedimentum illatum in primo matrimonio causam esse qua alterum matrimonium cum persona sibi non bene visa contrahat. Atqui nescimus quanta veritate id dicatur; homo enim liber est aliud matrimonium non contrahere: sed esto; concupiscentia ducatur vel alio motivo, et cum alia non sit foemina suae conditionis, quod incredibile videri potest, matrimonium ineat cum ea quae sibi bene visa non est.

Quid inde? Profecto id peragit non vi coactionis illatae, sed motivo suae conditionis vel circumstantiarum; at ob haec nulla adest in Tridentino Capite excommunicatio; ergo principes temporales et magistratus nullam incurrent excommunicationem, quamvis impedimentum appositum primo matrimonio, secundi esset causa, seu potius occasio, cum vera causa numquam esse posset; etenim secundum matrimonium non profluit tanquam effectus ex dissolutione primi.

Quisque vero intelligit, ex Tridentino Capite prohiberi sub excommunicatione coactionem ad matrimonium; quare si quis princeps saecularis vel magistratus quemquam compellerent ad sponsalia ineunda nullam excommunicationem incurrerent.

Tum quisque intelligit hanc excommunicationem incurri effectu secuto. Qua de causa quaecumque sint coactiones directae vel indirectae, physicae vel morales, ni matrimonium sequatur, nulla excommunicatio incurritur, quia coactionibus illis non obstantibus, nullius libertas in matrimonio contrahendo violata fuit.

CAPUT VII.

Excommunicantur Magistratus saeculares auxilium denegantes ad restituendam clausuram sanctimonialium.

Tridentinum Caput, quo eiusmodi fertur excommunicatio ita legitur *Sess. XXV de Regularibus et Monialibus Cap. V.* « Bonifacii VIII » Constitutionem quae incipit: *Periculoso,* renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divinii iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas quacumque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. *Quod auxilium ut praebeatur, omnes christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit.* »

Superius, *pag. 237*, diximus eiusmodi censuram non in desuetudinem abiisse, ut putarunt DeVarceno et Avanzini, sed ob temporum circumstantias vix observari posse. Neque ex eo quod magistratus ad eiusmodi ab Episcopo requisiti vel sese non praestent, vel praestare sese non possint, licitum erit inferre, Tridentinam legem tanquam in desuetudinem abiisse considerari debere. Etenim neque contemptus legum ecclesiasticarum consuetudinem inducit brevi temporis spatio;

neque eiusmodi consuetudo inducta dici potest, si de contraria legislatoris intentione constet, ut prorsus constat in praesentiarum, cum Pius Papa IX legem renovarit post perspectum guberniorum contemptum, neque Episcopi ius amisisse invocandi in re brachium saeculare dicendi sunt, saltem quando et utcumque poterunt; revolutionum autem tempore leges ecclesiasticae in desuetudinem abiisse dici non possunt. Violenta enim non durant: et Ecclesia revolutionibus ingruentibus iura sua intenta servari vult. Acquiescit autem pacis restitutae tempore, cum aliter iura sua servare intacta nequit et ad evitanda graviora mala, ut ex historia constat.

Quis autem affirmare aliqua veritatis specie potest, hodiernis ingruentibus circumstantiis iuribus suis Ecclesiam renunciasse? utique persecutionem ubique patitur, sed persecutio non est ratio amittendorum iurium, quamvis sit ratio patiendi.

Advertimus tamen, in Tridentino capite agi de clausura sanctimonialium quae vota solemnia emittunt; non enim quaelibet clausura est, sed papalis; haec autem sine votorum solemnium professione non imponitur.

Patres Tridentini autem hortantur christianos principes, ut auxilio sint Episcopis ad restituendam vel conservandam sanctimonialium clausuram. Ergo hi nullam excommunicationem contrahunt, si hortationem posthabeant; sine peccato gravi enim excommunicatio non incurritur; peccato autem quis obstringitur lege vel praecepto, non cohortatione. At e contra sub gravi idipsum praecipitur magistratibus saecularibus (1), iis scilicet, qui iurisdictionem saecularem seu civilem exercent, uti sunt provinciarum praefecti, Praetores etc. Attamen ut hi excommunicationem incurrant potestate idonea instructi esse debent, qua esse possint Episcopis auxilio ad restituendam, vel conservandam Sanctimonialium clausuram. Si enim vel lege prohibeantur, ut nunc in Italia contingit, vel alia gravi causa impediantur quominus petitum auxilium ferant, vel grave damnum aut timere aut pati debeant, excommunicati dicendi non sunt; lex enim ecclesiastica non obbligat cum gravi incommodo.

(1) Quinam sint Magistratus saeculares describit Bonacina *De Excomm. in part. Disp. II, Q. 10, punct. VII, n. 4.* « Esse personas publicas, quae iurisdictionem saecularem exercent *L. eum qui ff. de iurisd. omn. iud.* ut hoc clarius intelligatur adverte, alias varios fuisse magistratuum ordines, alii enim erant magni, alii minimi et infimi, de quibus agit Bartolus, Alterius, Duardus. » In hoc loco excommunicantur omnes Magistratus saeculares, cuiuscumque generis et ordinis existant; quia illa dictio *omnibus* est universalis et nullum magistratum excludit. Praetores, Indices, Rectores civitatum, et alias iurisdictionem saecularem exercentes, subiici huic excommunicationi, quia sub generali magistratuum nomine comprehenduntur.

CAPUT VIII.

Excommunicantur cogentes mulieres quascumque invitas ad ingrediendum Monasterium.

Eiusmodi excommunicationem latam a Tridentinis Patribus ita legimus *Sess. XXV Cap. 18 de Regularibus et Monialibus.*

« Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis et conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. »

Sanctissimum profecto fuit eiusmodi decretum, nedum ut libertas individuorum conservaretur, sed etiam pax in monasteriis Constat enim, sanctimoniales ad vota nuncupanda coactas neque regulas observare, neque spiritu lenitatis et charitatis duci erga alias; sed inquietas plerumque, ne dicamus, semper, esse, pacem monasticam turbare, obedientiam denegare, eaque praetendere quae aut nullo modo, aut vix concedi possunt; demum contingere ut Monasterii Superiores tandem aliquando compellantur ad illas, facultatibus Apostolicis petitis, dimittendas.

Inquiramus autem 1. quaenam personae huic excommunicationi subiiciantur; 2. quaenam actiones.

Et quoad 1. lex adeo generalis est, ut nemo excludatur, cuiuscumque status, conditionis, qualitatis, dignitatis existat; clericus saecularis sit vel claustralis, vir vel foemina. Uni excipiendi sunt Reges et Imperatores qui excommunicati non censentur nisi exprimantur, ut non semel in Commentariis nostris probavimus et constat nedum ex Piana Constitutione, aliisque fontibus, sed etiam ex agendi ratione Patrum Tridentinorum, qui cum voluere supremos imperantes excommunicatione percellere, eos disertis verbis nominarunt; ut patet ex *Sessionibus XXII Cap. 11 de Reform. et Sess. XXV, cap. 19 de Reform.*

Triplex autem personarum classis excommunicationi submittitur.

1. Si qui mulierem aliquam aut virginem cogunt vel ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum religiosum, vel ad professionem solemnem agendam.

2. Qui consilium, auxilium, vel

favorem dederint, seu cogentibus in vetitis actionibus cooperantes.

3. Qui coactionem cognoscentes, ingressui, habitus susceptioni, aut professioni praesentiam, consensum, auctoritatem interponunt.

At coactio non intelligitur nisi intercedat aut vis, aut metus gravis, qui cadat in virum constantem; *cogere* enim est per vim aut metum gravem quemquam ad aliquid faciendum vel omittendum inducere. De cetero Tridentini Patres non unam violentiam innuunt, sed etiam timorem, cum dicant: *quomodocumque coegerint:* quodlibet ergo medium expresserunt, quo coactio inducitur perficiturque; non igitur solam violentiam physicam, sed et moralem, cum talis est quae violentiae aequiparari possit; quae aequiparatio optime in gravi timore reponitur: item sive coactio illa directe sive indirecte inferatur.

Ex quibus deducimus, metus levis incussione excommunicationem non contrahi, cum de eo ratio in lege non habeatur, et sperni possit; sed neque si adhibeantur preces importunae gravi timore vel miniseiunctae; neque si minis, si iniustae non sint; ex. gr. si foeminam quis comminetur privare bonis, ad quae ius non habet; atque idipsum dicito de timore gravi, qui ut excommunicationem inducat debe esse iniustus.

Pariter quoniam in lege qualiscumque proprie dicta coactio excommunicatione feritur, omnis alia actio quae adhibeatur ad inducendam mulierem ut ingrediatur monasterium etc. quae coactionis naturam non induat, excommunicatione plecti nequit: hinc qui persuasionibus, promissionibus munerum, haereditatis ad quam ius non habeat, mulierem induceret ad ingrediendum monasterium excommunicationem non contraheret, quia eiusmodi coactionis naturam non induunt.

Atque idipsum de dolo dicendum est: dolus enim, seu deceptio qua quis ad aliquid agendum vel omittendum inducitur non est coactio, et cum in lege odiosa versemur, verba sunt stricto sensu sumenda. Hinc parentes qui filiam ad monasterium ingrediendum inducunt animo quidem eam ibi perpetuo retinendi, attamen promissione ut educationem suscipiat, et deinceps opportuno tempore iterum ad suos revertatur, excommunicationem non contrahunt; nullam enim coactionem adhibent. Attamen si dolo minas graves gravemque timorem inducentes adiungerent, excommunicationem non effugerent; coactio enim esset.

Alii qui excommunicatione percelluntur sunt cooperatores, ii scilicet qui consilium, auxilium, favorem cogentibus praestiterint; ut si ex. gr. coactionem suadeant, vel ad eam inferendam auxilium ferant, detinendo invitam mulierem domi, aut impediendo quominus ipsa querelas opportunas ad Superiores de-

ferat, vel cum aliis loquatur, qui coactionem illam detestaturi essent et impedituri; vel alia exhibendo quibus coactio ad effectum facilius deduci possit.

Attamen, ut alias observavimus, cooperantes excommunicatione percelluntur relate ad principalem agentem; et favor, influere debet in vetitam actionem; hinc si principalis actio ad effectum deducta non sit, vel praestitus favor nullo pacto in vetitam actionem influxerit, cooperantes excommunicationem non contrahunt; quorum manifesta est ratio; cum enim excommunicatio haec incurratur effectu secuto, actiones enim prohibitae factum completum indicant, *ingressum in monasterium, habitus susceptionem, professionem religiosam*, ni actio principalis ad effectum deducta sit, excommunicatione non feritur; at inepte dicerentur excommunicati agentes secundarii, quando principalis agens ob eamdem actionem excommunicatus non est; quae de cetero actio in casu neque existit. Quod ipsum de praestito favore dicendum est; nisi enim favor in actionem influxerit, favens in vetitam actionem nihil contulit. Sed faventes ideo excommunicantur quia praestito favore in vetitam actionem contulerunt; ergo non possunt in casu excommunicati proclamari. Hinc si post quam cogentes omnia disposuerint, ut mulier monasterium ingrediatur, vel habitum suscipiat, vel professionem emittat, sint qui eiusmodi factum laudent, probentque, aliaque dicant faciantque quae ipsorum adhaesionem demonstrent; cum hae actiones nihil in factum influxerint, quia executioni fuisset demandatum etiam sine eiusmodi favore, faventes hi excommunicationem non contrahunt.

Tertio demum excommunicantur, qui *scientes* mulierem *non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.*

Ut igitur hi postremi excommunicationem incurrant requiritur 1. ut cognoscant, mulierem *non sponte monasterium ingredi, aut habitum suscipere aut professionem emittere;* si igitur id eos lateat, facto suo nullam excommunicationem contrahunt, cum nulla habeatur formalis transgressio legis, nullumque peccatum. At cum in eiusmodi scientia non exigatur a legislatore praesumptio, hinc ob ignorantiam affectatam excommunicatione non excusantur, quamvis alia qualibet excusentur ignorantia.

2. At scientes huiusmodi vetito actui praesentiam suam exhibere debent, id est illi assistere; ergo qui vel devotione; vel curiositate, amicitia, consanguineitate assistunt, nihil de mulieris repugnantia scientes, nulla excommunicatione plectuntur; multoque minus excommunicati censentur illi qui praesentiam exhibent impediendi causa

quominus vetitus actus perficiatur, aut de violentia habita testimonium ferant.

Sed certe illam incurrunt monasterii praefectae et sanctimoniales si mulieris repugnantiam cognoscentes consensum tamen praestant vel ut ingrediatur, vel ut habitum suscipiat, vel ut professionem emittat. Tum Episcopus, Vicarius generalis, aut Superiores regulares ipsius monasterii qui auctoritate seu efficiunt ut vetiti actus executioni demandentur.

Apud Bonacina *De excommun. in part.* Disp. II, Quaest. II, Punct. II, n. 10 quaestio occurrit: an parentes filias ad interdictos actus cogentes excommunicationem incurrant; eamque instituit quia nonnulli auctores apud Azorium *2 p. lib. 2 cap. 21 quaest. 15* ea de causa parentes excommunicatione exemerunt, quia verisimile non est, hanc poenam constitui in parentes, quibus incumbit onus consulendi saluti, vitae et commodis filiorum.

Optimo autem iure Bonacina, aliique tum veteres tum recentiores sententiam repudiant; primo quidem quia Concilii Tridentini verba nullam exceptionem admittunt, cum generalia omnino sint; 2. quia sunt prorsus parentes qui filias ad monasteria, avaritiae plerumque causa, compellunt; si igitur hos Tridentini Patres exclusissent, qui excommunicationem incurrerent? Demum quia ratio adducta futilis prorsus deprehenditur: Etenim nullo pacto verisimile esse potest, eos esse a lege excludendos quos lex nedum non excludit, sed quos, si exclusisset, apertam mentionem facere debuisset, cum sint prorsus parentes qui eiusmodi crimine plerumque sese commaculant; nulla demum adest relatio inter parentum crimen et rationem additam. Num ne ex quo parentibus onus incumbat consulendi saluti, vitae et commodis filiorum sequitur aliquo pacto, excusandos esse si filias ad monasticam vitam compellant? Quin imo contrarium sequi videtur; ex quo enim parentibus illud onus incumbat, filias invitas ad monasteria compellere non debent, cum compellendo, eis infelicissimum vitae cursum procurent; constat enim puellas eiusmodi aerumnosam agere vitam, angoribus, stimulis conscientiae agitatam, et onustam peccatis ita ut eiusmodi parentes nedum temporalem, sed et aeternam salutem filiarum suarum in discrimen adducant; non una hinc sed pluribus digni censuris. Patet autem, nulla esse dignos excusatione si filias ad monasteria compellere satagant, ut masculis maiores comparent, serventque divitias; id enim nonnisi per summam iniustitiam agerent, cum filiabus dare quod est iustum teneantur, secundum statum quem amplecti volunt, ad quemque amplectendum divina voluntate vocantur.

II. Ex dictis autem iam patere arbitramur triplicem actionem ex-

communicatione percelli; scilicet cogere vel *ad ingrediendum monasterium*, vel *ad habitum suscipiendum*, vel *ad professionem emittendam*.

At quoad ingressum quaeritur an ad excommunicationem incurrendam necessarium sit ut cogentes mulierem invitam ad ingrediendum monasterium compellant ea intentione ut professionem religiosam deinde emittat, an satis sit ut quacumque de causa ad id cogant?

Et quidem doctores discrepant: Suarez *Disp. 23 Sect. 7 n. 9* et Filiuccius *Tract. 14 c. 6, q. 5 n. 89* affirmant a cogentibus excommunicationem incurri quamvis compellant mulierem invitam ad monasterium ingrediendum unius suscipiendae civilis et christianae educationis causa. E contra Rodriquez, Sanchez, quos citat Bonacina *loc. cit. n. 6*, contendunt, coactionem mulieris invitae ad ingrediendum monasterium excommunicatione non percelli, nisi in ordine ad professionem religiosam. Ita vero Bonacina disserit: « Primum est ad » ingrediendum monasterium; quod » ego tamen intelligendum puto » per ordinem ad professionem; » Concilium enim in hoc capite consuluisse videtur libertati religionis; propterea si metus incutiatur ad alium finem, ut si foemina » constituatur per metum in monasterio, ut ibi educetur, donec » nuptui apta fit, excommunicatio » huius capitis incurri non videtur. » Ita Rodriquez *in Summ. 2 part. » cap. 8 conclus. 5 n. 10;* et San» chez *loc. cit.* id est *in op. morali » lib. 4 n. 12.* Quamvis in hoc ultimo casu, in quo foemina per » vim, vel metum collocatur in mo» nasterio, ut educetur, oppositum » sentit Suarez, et Filliuccius etc.

» Neque obstat, Concilium simpliciter et absolute loqui de ingressu in monasterium. Respondeo enim, ipsius mentem colligi » ex subiecta materia, de qua in ea » sectione agitur. »

Hanc autem Bonacinae sententiam clar. De Varceno *Theol. Moral. Thom. II, pag. 517, n. 4:* rationabiliorem appellat, eamque amplectitur.

Verum hac in re praestat audire S. Alphonsum qui *Lib. VII n. 212* utriusque partis sententiam his verbis exponit: « An (hanc excommu» nicationem) incurrant qui cogunt » foeminam ad monasterii ingres» sum, non ut profiteatur, nec ut » habitum sumat, sed ut ibi hone» ste educetur?

» Affirmant Suarez... Navarrus... » Bonacina (1)... Filiuccio. Id pro» bant ex Tridentino *Sess. 25 » cap. 18 de Regular.* ubi excom» municantur *quicumque coegerint » aliquam virginem, vel viduam, » aut etiam quamcumque mulierem » invitam (praeterquam in casibus*

(1) Quantum ad Bonacinam attinet falso, ut ex testimonio supra relato patet.

» *in iure expressis) ad ingredien-*
» *dum monasterium, vel ad susci-*
» *piendum habitum cuiuscumque*
» *religionis, vel ad emittendam pro-*
» *fessionem.* Concilium igitur hic
» tria membra distinguit, et inurit
» censura omnes cogentes foemi-
» nam, sive ad ingressum mona-
» sterii, sive ad susceptionem ha-
» bitus, sive ad emissionem pro-
» fessionis; spectavit enim Triden-
» tinum, ne occasione ingressus de-
» tur causa mulieri suscipiendi ha-
» bitum, aut profitendi minus li-
» bere propter suasionem monia-
» lium, vel ob exeundi pudorem.
» Negat vero Sanchez cum Manuel.
» Ratio, quia in praedicta sanctione
» Tridentini videntur non tria, sed
» duo membra contineri. Ibi enim
» damnantur cogentes ad ingredien-
» dum monasterium (quod est quid-
» dam commune habens duos fines,
» nempe) vel ad suscipiendum ha-
» bitum cuiuscumque religionis, vel
» ad emittendam professionem. Ergo
» qui cogat ad ingressum tantum
» causa educationis, non vero ad
» habitus susceptionem, vel ad pro-
» fessionis emissionem, ibi minime
» improbatur. Et cum simus in poe-
» nalibus, iuxta regulam iuris, be-
» nignior facienda est interpretatio.
» Sed hoc non obstante prima sen-
» tentia mihi est probabilior, et
» ducor quia Concilium postquam
» principales cogentes damnat, eam-
» dem fert censuram contra eos,
» qui *consilium, auxilium et favo-*
» *rem dederint, quique scientes eam*
» *non sponte ingredi monasterium*
» (nota) *aut habitum suscipere, aut*
» *professionem emittere; quoquo mo-*
» *do eidem actui vel praesentiam,*
» *vel consensum, vel auctoritatem*
» *interposuerint.* Ex hac igitur se-
» cunda parte sensus primae col-
» liditur; sicut enim in hac secunda
» parte tria membra distinguuntur,
» cum damnentur praebentes con-
» sensum actui coacto in tribus ca-
» sibus; nempe quando mulier in-
» vita aut ingreditur monasterium,
» aut habitum suscipit, aut profes-
» sionem emittit; sic etiam intel-
» ligendum prima parte quoad prin-
» cipaliter cogentes. Quia tamen
» Concilium excipit casus in iure
» expressos, dicunt probabiliter *Sua-*
» *rez* et *Bonac. cum Filliuc.*, licite
» posse cogi mulierem delinquen-
» tem ad ingrediendum in sui cri-
» minis poenam, vel ne labatur in
» aliquam incontinentiam ut eruitur
» ex C. *significavit*, et C. *Gaudea-*
» *mus de convers. coniug.* »

Quamnam igitur sententiam amplecti debemus, vel probabilis saltem censenda est?

Imprimis cum S. Alphonso certum esse putamus, in Capite Tridentino de triplici actu agi absolute distincto, de actione scilicet vel ad ingrediendum monasterium, vel ad habitum suscipiendum, vel ad professionem religiosam emittendam. Capitis contextus, et doctorum pluralitas sententiam a doctissimo Sanchez propugnatam excludere videntur.

At pariter uti certum retinemus, in Tridentino capite, relate ad ingressum, non agi de puellulis, quae a parentibus quamvis invitae compelluntur ad ingrediendum monasterium christianae educationis suscipiendae gratia, vel eas a periculis, quae debiliori sexui imminent liberandi, vel quia ob matris mortem, vel aliam circumstantiam, eas domi tuto retinere non possunt, vel opportunam educationem praebere. Eo enim iure parentes pollere censemus, ut filias suas ad educationem suscipiendam iis in locis collocent, quae opportuniora et securiora ipsis videntur; neque ad filias spectat educationis locum eligere. Cum autem Ecclesia permittat ut puellae in monasteriis educentur, et parentum sit educationi filiorum consulere, nullam profecto excommunicationem illos incurrere arbitramur, si filias quamvis invitas ad monasterium debitis facultatibus obtentis, ingrediendum ea de causa compellant, ut deinceps, opportuno tempore domum reducant. Quin imo probamus, de eiusmodi casu in Tridentino Capite sermonem non esse, et fortasse nec esse posse; sin minus parentum auctoritati vulnus inflixisse Patres Tridentini viderentur. Quin et illud addimus, inter conditiones requisitas ut puellae in monasteriis admittantur educationis suscipiendae causa, nulla prorsus est quae referatur ad ipsarum voluntatem; scilicet, non indicitur ut interrogentur: an libere et voluntario monasterium ingrediantur, ut patet ex Lucio Ferraris *V. Moniales, Art. 1. n. 2 ad 30.* Si autem iura id non praescribunt, quomodo parentes argui possunt si illas invitas ad ingrediendum compellant? De cetero in eiusmedi facto parentes neque Monasterio ad quod ingrediendum eas cogunt ullam inferunt iniuriam, sed neque aliquo sese peccato commaculant, cum filiarum bonum spirituale et civile absolute procurent; quo igitur argumento eos excommunicatos dicemus?

Attamen illorum sententiam neque amplectimur qui dicunt, ad incurrendam excommunicationem ratione coactionis ad ingrediendum monasterium requiri in cogentibus intentionem ut virgo vel mulier coacta professionem emittat. Etenim Tridentini patres nedum coactionem virginum interdicunt, sed etiam viduarum, et quarumcumque aliarum mulierum; quae dictio cum sit prorsus generalis nullam excludit mulierem, sed quamlibet includit cuiusvis aetatis, status, et conditionis; eo vel magis quod designent virgines et viduas; cum igitur addant *aut aliam quamcumque mulierem invitam,* haec profecto non erit neque virgo, neque vidua, sed etiam coniugata, aut corrupta, et senectute confecta. At patet, non omnes et quascumque mulieres posse professionem religiosam emittere. Ergo patrum Tridentinorum mens non fuit, ut intuitu professionis religio-

sae emittendae ad ingrediendum monasterium non compellerentur mulieres invitae, sed etiam aliis de causis. Id autem confirmatur ex quo Tridentini Patres coactionem permittant *in casibus in iure exceptis;* Inter hos casus autem et ille est ut compellatur ad ingressum Monasterii mulier adultera, quam maritus suscipere non vult, ut ibi perpetuam agat poenitentiam; at praeter huiusmodi mulieres adulteras aliae sunt certe quae ad ingrediendum monasterium compelli possunt, quin tamen possint professionem religiosam emittere; at has Concilium non vult compelli; ergo non potuit excommunicatione percellere coactionem ad ingressum monasterii ea tantum intentione factam, ut mulier invita religiosam professionem emitteret.

Dicimus ergo Patres Tridentinos excommunicatione illos perculisse, qui avaritiae ex. gr. causa filias, sorores, consanguineasque ad monasterium ingrediendum cogunt, ut ita parcant rebus suis, earumque redditibus magis ditescant; tum illos qui ad idipsum eas compellunt, ut domi ad lubitum lubricam vitam agere possint, quin piarum sororum, amitarum etc. obiurgationes ferant; tum tutores illos qui virgines, quarum tutelam susceperunt, quarumque accuratam educationem aliter gerere possunt, ad monasteria compellunt invitas, et ut de earum cura gerenda sese expediant, et ut ad lubitum domi agant, vel alias ob causas.

Neque verum esse videtur, Tridentinos Patres in citato Capite prae oculis unice habuisse libertatem professionis religiosae; id enim falsum esse patet ex allegatis rationibus, ex quibus apparet non unico religiosae professionis intuitu prohibuisse quominus mulieres quaecumque invitae ad monasteria ingredienda compellerentur; patet etiam ex quo triplex actio distincta interdicatur, *ingressus* scilicet, *habitus susceptio, et professio religiosa,* quorum unum ex alio non sequitur; demum patet ex quo non unice libertas religiosae professionis in mulieribus invitis cavenda sit, sed etiam, et quidem maxime, quies monasterii, et sanctimonialium pietas. Constat enim, mulieres huiusmodi in monasteriis conclusas nulla vel fere nulla pietate duci, linguam non caute custodire, in mundana esse effusas, ira maxime abripi, detractionibus indulgere, aliisque quae praeterire decet; quin imo et illud contingit ut mentecaptae vel fere fiant; ita ut sanctimoniales vel scandalum sumant, vel quietem animi perdant, et aliquando etiam maximo timore corripiantur. At patres Tridentini his certe incommodis consultum voluere; ergo dicendi non sunt unico libertatis religiosae professionis amore ductos cogentes mulieres invitas ad monasterium ingrediendum excommunicatione perculisse. S. Alphonsi sententiae qua de causa subscribentes; excommunicationem hanc et illum in.

currere arbitramur, qui mulierem invitam ad monasterium ingrediendum compellit etiam sine voluntate ut professionem religiosam emittat.

Nulla autem quaestio esse potest quod excommunicationem incurrant qui virginem, viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem cogunt.

Attamen verba illa *cuiuscumque religionis* occasionem praebuere Commentatoribus et theologis inquirendi: an excommunicatio haec incurratur etiam ob coactiones ad ingressum, susceptionem habitus et professionem in qualibet familia religiosa, ex. gr. Congregatione in qua vota simplicia emittantur, vel requiratur ut illa triplex actio perficiatur in ordine religioso proprie dicto, in quo vota religiosa solemniter nuncupantur?

Et quidem cl. De Varceno *loc. cit. pag.* 517 scribit: « Haec excom- » municatio locum habet etiam » quando agitur de religione, in » qua emittuntur vota simplicia » perpetua. Concilium enim voluit » liberum ingressum in Monaste- » rium, vel susceptionem habitus » *cuiuscumque religionis,* sicut le- » gitur in Decreto. Ratio est, quia » finis Concilii non est alius, quam » ut libere, non autem coacte, » mulier amplectatur statum reli- » giosum. »

Attamen contraria sententia multo nobis verior videtur. Certum est enim, in iure *religionis* nomine venire ordines religiosos votorum solemnium, ut alias nos in primo Commentarii nostri volumine plurimis probavimus argumentis. At Concilium Tridentinum usum esse *religionis* vocabulo legenti patet; non ergo, praesertim cum in poenalibus versemur, ad alias pias Societates extendendum est, quae solemnia vota non nuncupent. Neque difficultatem facessere putamus, quod Tridentini Patres dicant: habitum *cuiuscumque religionis;* etenim eiusmodi dictio veritatem sortitur, quamvis ad Ordines tantum in quibus emittuntur vota solemnia coarctetur, cum reapse eiusmodi Ordines seu Religiones plures sint.

Cum autem sive coactio ad ingressum Monasterii, sive ad susceptionem habitus, sive ad professionem religiosam emittendam excommunicatione plectatur, non inopportunum erit quaerere; an qui triplicem hanc actionem relate ad eamdem personam committit, triplicem excommunicationem incurrat?

Qua in re scribit Gibalini *Disquisitiones Canonicae de clausura regulari* Disq. 1. Cap. VII, n. 10: « Quia videtur esse una coactio » perseverans, unam quoque in- » curri censuram existimat Suarez, » quae per primam actionem statim » contrahitur, et per sequentes » deinde magis aggravatur, sicut » et ipsa contumacia ».

At praestantissimis scriptori-

tus de la Nouvelle Revue Theologique Tom. XVII pag. 45, sicut et clariss. F. Piato Montensi *Commentarius in Const. Apostolicae Sedis pag. 283* eiusmodi solutio non arridet, ea prorsus de causa quia singuli actus excommunicatione percelluntur; quae quidem ratio spernenda non est.

Conciliari tamen utraque sententia nobis posse videtur si ita distinguamus. Cogens vel etiam ante ingressum intentionem habuit impellendi mulierem ad professionem religiosam, vel non: si primum; unam excommunicationem eum contrahere credimus, quia ingressus et habitus susceptio sunt media ad finem obtinendum, ideoque triplex illa actio unam constituere videtur, cum sine mediis finis obtineri non possit. Si alterum, cum actio sit diversa, neque una ad aliam intentionaliter ordinata; pro singulis actionibus excommunicationem contrahit. Attamen quoniam coactio ad habitus susceptionem ordinatur ad professionem religiosam, quam post ingressum cogens intendit, dum credimus hunc incurrere novam excommunicationem ob coactionem ad susceptionem habitus, non putamus aliam incurrere ob coactionem ad professionem emittendam, quia coactio ad susceptionem habitus et ad professionem religiosam veluti una actio spectandae sint, cum una sit medium ad aliam, atque de cetero cogens in intentione perseverat.

Haec tamen lectorum nostrorum iudicio submittimus:

Post haec duo manifesta esse putamus: primo quidem non contrahere excommunicationem illum qui mulierem invitam cogeret ad emittendum votum alicuius religionis profitendae; quia Concilium loquitur de coactione ad realem ingressum Monasterii, susceptionem habitus, vel professionem.

Secundo, neque illum excommunicationem contrahere, qui non mulierem, sed virum invitum ad praedicta cogeret; quia Tridentini Patres loquuntur de mulieribus, non de viris; et cum lex sit odiosa non potest extendi ad alios casus neque ob rationis paritatem.

Supervacaneum autem animadvertere ducimus, excommunicationem hanc non incurri nisi effectu secuto.

Superest ut exponamus casus in iure exceptos, in quibus mulier invita ad monasterium ingrediendum cogi sine ulla excommunicatione potest.

Primus comprehenditur in Cap. *Significavit De. convers. coniugat.* quo uxor quae assensum praestitit ut maritus in Ordine religioso votorum solemnium professionem emitteret, suspicionem de sua ingerit castitate. Innocentius III enim haec mandavit: « Mandamus qua» tenus si ita est, et est talis ae» tatis, de qua suspicio haberi non » possit, ipsam votum continentiae » observantem, intrare monaste-

» rium compelli non permittatis » invitam. » Quod in decretum ita disserit Glossa. « Ex eo enim quod » dicit: *de qua suspicio haberi non » possit, non debet compelli*, intel- » ligi quod si sit suspecta debet » compelli religionem intrare ex » quo promisit continentiam. »

Alius casus continetur in *Cap. Gaudemus, 19, De convers. coniug.* quo Gregorius IX hoc statuit: « Mu- » lieres vero, quae relicto maritali » toro, lapsu carnis ceciderunt, si » mariti earum a te diligenter com- » moniti, eas ad frugem melioris » vitae conversas noluerint recipere » propter Deum, in claustris cum » religiosis mulieribus studeas col- » locare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant. »

Hae autem legis dispositiones unicum respiciunt ingressum in monasterium, non autem aut habitus susceptionem, aut professionem religiosam. Qua de causa qui has etiam mulieres ad alterutrum compelleret, excommunicationem Tridentinam incurreret.

Demum et haec excommunicatio nemini reservata dignoscitur.

CAPUT. IX.

De excommunicatione a Tridentinis Patribus in eos lata qui virginem aut aliam mulierem impediunt quominus velum accipiant, aut professionem religiosam emittant.

Eadem Sessione XXV. *De Regularibus et Monialibus eodemque Cap. XVIII.* Patres Tridentini his verbis notatam supra censuram pronuntiant: *Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.*

Atqui si anathemati simili; ergo cum anathema in praecedenti capite discussum nemini reservatum sit; et hoc nemini reservatum esse plane dignoscitur.

Antequam de materia et subiecto huius capitis, sermonem instituamus, declarare oportet quid Tridentini Patres intellexerint per verba *veli accipiendi*, vel *voti emittendi*; utrum, scilicet, unam professionem religiosam significare voluerint; aut per priora verba habitus susceptionem, vulgo *vestitionem*, per alia autem proprie dictam *religiosam professionem*.

Inter antiquos Bonacina *De Exc. in part. Dispt. II, Q. II, Punct. III, n. 2.* affirmat, per allegata verba Tridentinos Patres intellexisse « pro- » fessionem quae fit per susceptio- » nem veli, aut etiam sine veli » susceptione cum tribus votis ». Atque pro sua sententia citat Suarez *Disp. 23, Sect. 7, n. 9*, et Filiuccium *Tract. 14, Cap. 6, quaest. 5 ad fin. n. 90.* Et *num. 4* clarius mentem suam aperit. « Quam- » obrem, inquit, illa particula *voti* » *emittendi*, addita videtur ad com- » prehendendum omnem modum, » seu statum religionum, seu per-

» sonarum monialium; nam aliquae » professionem emittunt susceptio- » ne veli, aliae statum illum sine » susceptione veli assumunt, ut » bene Suarez, Filliuccius, et San- » chez. »

Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis* eiusmodi sententiam amplectuntur, et affirmant Tridentini verba unum dicere; scilicet *professionem emittere.* Ita clariss. Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique *Tom. XVII, pag. 49, n. IV;* Commentator Patavinus *pag. 305, n. 419, III;* Gabriel de Varceno, *Compendium Theologiae Moralis pag. 518,* 9; F. Piatus *Comment. pag. 285,* 3, qui tamen prudenter scribit: « Nomine *veli accipiendi, vel voti emittendi* iuxta » nonnullos intelligitur vel ingressus in monasterium animo statum » religiosum amplectendi, vel susceptio habitus et professionis » emissio. Communiter autem docent auctores, his verbis idem » designari ac religionem profiteri, » quae quidem professio apud nonnullas moniales fit per veli susceptionem, apud alias per solam » votorum emissionem ».

Atque haec aliorum etiam sententia est et unica ratio, si unus vel alius excipiatur.

Quin praesumamus tantorum doctorum sententiae contradicere, rationes et argumenta lectorum nostrorum iudicio subiicimus, quibus putamus esse recedendum ab prolata sententia, atque e contra affirmandum, per *acceptionem* veli Patres Tridentinos indicare voluisse susceptionem habitus religiosi, seu vestitionem; per *emissionem voti* professionem religiosam proprie dictam.

Et 1. non inficiamur, Tridentinorum Patrum mentem finemque fuisse per latum anathema vetare quominus nemo iniuste a professione religiosa retraheretur; at cum finis iste nedum religiosae professioni, sed etiam voluntati suscipiendi habitum, quin imo et ingrediendi Monasterium sit communis, exinde nullum argumentum pro contraria sententia extundi potest. Non igitur ex fine legis petendum est argumentum, sed aliunde; et quidem.

1. Ex modo loquendi. Manifestum est enim Tridentinos Patres talem loquendi rationem adhibuisse, ut duas res plane diversas designarint, *voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi;* at particula *vel* non est copulativa, neque absolute proposita adhibetur ad unam eamdemque rem significandam, sed distinctam atque diversam. Quin imo etiam cum absolute adhibetur, valet *tum,* et quamvis *copulativa* obiecta distincta coniungit; ut patet ex Virgil. Aeneid. V, v. 769. *Silvius Aeneas pariter pietate vel armis egregius.* Et ex Livio Hist. lib. 1, cap. 42. *Hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello.*

2. Certum est, etiam Concilii

Tridentini tempore *velum accipere*, et *vota emittere* communiter duos actus religiosos plane distinctos significasse, cum assumptio veli plerumque praecederet votorum emissionem, ut infra videbimus. Non sunt autem putandi Tridentini Patres ab usu communi loquendi recessisse, quin id aliquo pacto innuerent.

3. Idque eo vel magis, quod, in aliis Capitibus, cum de votis emittendis loquuntur, adhibeant professionis vocabulum, *velum autem accipere* in cit. tantum loco eos adhibuisse reperivimus; at certum est, votorum emissionem converti posse cum professione religiosa, non autem cum veli acceptione, quae verba etiam alios actus significant.

4. Quod postremum evidentissime patet ex iis quae scribit Schmalzgrueber *Ius Ecclesiasticum Universum, Pars IV, De Statu Monachorum, Tit. XXXV, n. 96.* Scilicet: « Circa benedictionem seu » consecrationem monialium scien- » dum est multiplex velum eis » dari solere: 1. velamen conver- » sionis seu probationis quod da- » tur in susceptione habitus regu- » laris ante professionem, et com- » muniter est album; 2. velamen » professionis, quod nigrum est; » 3. velum consecrationis; 4. ve- » lum continentiae et observationis, » quod est viduarum, et potest dari » etiam virginibus, licet virginale » velum non possit dari viduis, ne- » quidem cum dispensatione Epi- » scopi; 5. velum ordinationis quod » olim dabatur diaconissis ad incho- » andum officium divinum; 6. de- » mum velum praelationis quod » olim abbatissis dabatur anno sexa- » gesimo aetatis. » Cum igitur susceptio veli tot diversa significet, quae professionem religiosam non nisi semel exprimat, quomodo arbitrari rationabiliter possumus, Tridentinos Patres professionem religiosam per susceptionem veli unice indicare voluisse?

Addimus quod duo sint in iure canonico quibus Tridentini Patres deterreri debuerint ab indicanda professione religiosa per veli susceptionem; quorum unum est, quod reapse per veli susceptionem exprimebatur habitus assumptio, quo mulier veluti religiosa non habebatur, dum religiosa vere et proprie evadebat per professionem religiosam. Id patet ex Cap. XIV. *Ex parte tua, De Conversione coniug. Tit. XXII,* in quo Innocentius III scribens ad Archiepiscopum Lugdunensem haec decernit: « Porro licet praedicta mu- » lier videatur in veli susceptione » religionis habitum assumpsisse, » si tamen velit in domo propria » remanere quasi propositum ca- » stitatis in saeculo servatura, ni- » hilominus consummandum est » matrimonium iam contractum; » nisi se voto adstrinxerit ad ob- » servantiam regularem; in quo » casu compelli potest ut relicto

» saeculo religionis propositum » exequatur ». Ex quo capite quisque videt, per veli susceptionem mulierem videri, non fieri, nec esse religiosam, et posse tantum compelli ad professionem emittendam si voto sese ad eam adstrinxerit; qua de causa susceptio habitus, seu veli non indicat professionem religiosam, cum eaque converti non potest: hinc recte Glossa in hunc locum: « et est » hic argumentum quod susceptio » veli sive habitus non facit mo» nachum. »

Addimus etiam quod in vetustis Canonibus, ex subiecta materia semper dignoscitur quando veli assumptio significat habitus susceptionem, seu vestitionem, et professionem religiosam, aut alios actus, ut patet ex variis Canonibus quae a Gratiano citantur *Caus. XX, T. 1,* Patres Tridentini autem in re tanti momenti, in qua scilicet agebatur de excommunicatione incurrenda, nihil omnino distinxerint; quod absonum videri debet.

Aliud erat quod prohibebatur quominus professio emitteretur, nisi antea in habitu religioso novitiatus fieret per annum; quod et ipsi Patres Tridentini sanxerant. *Sess. XXV. Cap. XV. De Regul. et Monial.* his verbis: « In quacumque religione tam virorum quam » mulierum professio non fiat ante » decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore » quam per annum post susceptum » habitum in probatione steterit, » ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, » nullamque inducat obligationem » ad alicuius regulae vel religionis » vel ordinis observationem, aut » ad alios quoscumque effectus. » Cum itaque Patres Tridentini tam diserte distinxerint susceptionem habitus a professione religiosa, susceptio autem habitus sine veli assumptione non fiat, ut patet ex iis quae ex cl. Schmalzgrueber supra disseruimus, imo veli assumptio vocaretur, ut constat ex cit. Innocentii III Capite, non nisi inconsulto poterant utrumque actum confundere, aut designare per vocabula, quae diversos distinctosque actus significabant. Hinc, ut minimum dicamus, ex Concilii Tridentini verbis nullo pacto probari potest *voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi* unam professionem religiosam significare.

Neque allatam ab adversariis rationem solidam arbitramur. Ideo enim affirmant per Tridentini Concilii verba unam professionem designari; quia haec aliquando fit per susceptionem veli, aliquando vero per solam votorum emissionem. Atqui 1. haec sententia non satis conformis communi loquendi rationi reperitur, cum verba a Tridentinis Patribus adhibita duos actus distinctos et diversos significare possint, qui reapse in statu religioso reperiuntur.

2. Probare deberent, Concilii

Tridentini tempore velum a sanctimonialibus assumptum fuisse tantum in religiosa professione emittenda. Si enim et in vestitione assumebatur, quid? Hoc autem argumento numquam adversarii nostri sese expedire poterunt, nisi antea probent semper et in qualibet proprie dicta Religione Concilii Tridentini tempore velum assumptum non fuisse nisi in professione emittenda, ita ut professio convertatur cum veli susceptione; quod nescimus an probare valeant; etenim veritati historicae contradicit.

3. Quid insuper si nos argumentum ita instrueremus? vulgo vestitio vocabatur *veli susceptio*, professio *votorum emissio:* at Patres Tridentini et quidem disiunctive, utramque phrasim adhibuere; atque illam adhibuisse censendi sunt iuxta communiorem sensum; ergo Patres Tridentini per allata verba tum vestitionem tum professionem indicasse censendi sunt, non unicam professionem.

4. Si Patres Tridentini unicam professionem religiosam indicare voluissent, nonne satis erat eam indicare per *voluntatem voti emittendi?* Etenim iuxta adversarios voluntas veli accipiendi nil aliud est quam professio. Qua igitur de causa addiderunt *voluntatem* veli accipiendi, quod in adversariorum hypothesi nil prorsus significat, cum idipsum identice per voluntatem voti emittendi expressum sit? Ad dubia ne disseminanda, et quaestiones excitandas?

Hinc, et veniam ab adversariis petimus, nos non videmus quomodo Tridentini verba ad unam professionem religiosam limitari et restringi possint; affirmamus e contra, idque ex expositis rationibus satis constare arbitramur, Patres Tridentinos per allegata verba tum vestitionem, tum professionem religiosam indicasse.

Post haec iam apparet quae sit huius Capitis materia, scilicet impedire aptam foeminam sive per se, sive per alios, sive physice, sive moraliter quominus vel habitum religiosum accipiat, vel professionem religiosam emittat, disiunctive, non copulative.

Cum autem materia sit odiosa, et odia sint restringenda, Tridentini verba stricto sunt sensu accipienda; scilicet de unico impedimento quomodolibet apposito sive vestitioni, sive religiosae professioni virginum, aliarumque mulierum quae illos actus ponere velint, non autem aliis religiosis actibus.

Hinc 1. veram non putamus illorum sententiam, qui excommunicationi submittunt etiam illos, qui impediunt quominus virgines, aliaeque mulieres monasterium ingrediantur; hi enim non impediunt sacri veli susceptionem, vel professionem, sed ingressum in Monasterium; lex autem poenalis extendi non potest de casu in casum neque ob identitatem rationis.

Equidem non inficiamur in Tridentino Capite excommunicari qui veli susceptionem vel voti emissionem *quoquo modo* impediunt. Putamus tamen adverbium illud *quoquomodo* referri immediate ad vestitionem et professionem, et innuere actus religiosos illarum virginum mulierumque quae cum Monasterium iam sint ingressae, prohibentur quominus habitum religiosum suscipiant, aut si habitum iam suscepere, quominus religiosam professionem emittant; intrinsece autem adverbium *quoquo modo* significare arbitramur varios modos et adminicula, quibus praedicti religiosi actus prohibentur vel impediuntur. Si enim etiam mediate adverbium illud intelligamus, scilicet relate ad alios actus qui praecedunt religiosi habitus susceptionem, ex. gr. petitionem ingrediendi in monasterium, vel consilium manifestandi Monasterii praefectae voluntatem sese Deo per professionem religiosam devovendi, vel eius sensum nimis extendamus, ad omnia scilicet quae avertere possunt voluntatem virginum mulierumque aut sacrum velum suscipere volentium, aut vota solemnia nuncupantium, etiam illi qui precibus, suasionibus aliisque mediis quae impedimenti proprie dicti naturam non induunt, impedirent quominus mulier aliqua praedictos actus religiosos ponat, essent de excommunicatione damnandi, quod neque adversarii nostri admittunt. Arbitramur quapropter, numquam in eiusmodi quaestione esse recedendum a significatione naturali et propria verbi *impedire,* quae importat: *sese opponere, vel obstacula apponere ne quis quod iuste et licite appetit assequi possit;* ideoque importat actionem quamdam sive violentam, sive imperativam ex auctoritate qua quis praefulget dimanantem, sive dolosam, ex qua oriatur impedimentum, illud scilicet factum, quo mulier vel profiteri de cetero non possit, vel nolit, quia decepta, putat iuste a suscepto consilio sibi esse recedendum. Rem exemplis declarabimus.

Pater non vult ut filia, quam suscipiendae educationis causa in Monasterio collocarat, habitum religiosum suscipiat, et voluntatem suam filiae manifestat; haec autem strenue recusat, et in suscepto consilio firma consistit; cum sit minorennis, pater gubernii fretus auctoritate, filiam e monasterio extrahit. Est actio violenta, qua impeditur habitus religiosi susceptio.

At pater alius mitius sibi agendum esse putat. Quare cum prorsus nolit ut filia habitum religiosum induat, eam ad se vocat, paterne monet ut negotium maturius consideret, melius esse dicit ut e monasterio egrediatur, etiam acquirendae robustioris valetudinis causa, coram Deo spondet se iterum eam in Monasterio collocaturum, neque ullo pacto impediturum quominus habitum religiosum induat, si re-

apse cognoscat vocationem esse a Deo, et ipsa in suscepto consilio perseveret, iuratque se quae promittit fidelissime observaturum.

Filia patri fidem adhibet; at vix egressam e Monasterio ad exteras regiones mittit, et ei in vocatione firmiter consistenti nullam fidem servat. Haec actio ante egressum e monasterio dolosa est, post egressum violenta cum inferat vim libertati filiae; atque dolosa illa actio impedivit quominus filia religiosum habitum indueret.

Alius pater ceteris sagacior ut filiam avertat a suscepto consilio sacrum velum assumendi, medicum sibi amicitia et iisdem circa religionem ideis coniunctissimum ad se vocat, eique rem omnem aperit, exoratque ut ad Monasterium pergat, specie quidem ut visitet puellam levissimo capitis dolore laborantem, reapse vero ut efficiat quod ipse desiderat. Medicus pergit ad Monasterium, puellamque diligentia maxima visitat; deinde ad se vocatis Abbatissa aliisque quae Monasterio praesunt, sub secreto monet, puellam laborare morbo aliquo, quo absolute impeditur quominus vitam monasticam amplectatur et ducat; eam reapse semper plus minus eo morbo laborasse, at nunc incrementum suscipere, et si in monasterio commorari pergat, brevi ad eum statum venturam ut sanitatem prorsus amittat. Consultius, imo necesse esse ut e monasterio egrediatur. Praefectae fidem omnimodam medico praestant, et exorant puellam ut e monasterio egrediatur. Profecto hoc in facto nulla habetur violentia, sed turpissima tantum fraus, quae tamen est causa efficiens impedimenti illati.

Princeps aliquis temporalis amore vehementissimo prosequitur puellam in Monasterio degentem, quamque novit velle religiosam vitam amplecti. Ut id impediat, Monasterio iram suam comminatur, si puella ad habitum suscipiendum admittatur vel ad professionem. Monasterii praefectae timore gravi perculsae puellam ultro dimittunt. Impedimentum eiusmodi ex gravi timore iniuste incusso originem ducit.

Demum neptis Episcopi et Ordinarii Monasterii statum monasticum profiteri vult. Episcopus novit eam matrimonio expetiri a nobilissimo et ditissimo iuvene; et plus ea quae mundi sunt quam quae Dei curans, neptem ab inito consilio professionem emittendi avertere satagit. Hinc eam adit, circa vocationem, statum conscientiae, tentationes varias interrogat: et demum concludit, vocationem neptis suae non esse a Deo, eamque statum monasticum nedum amplecti non debere, sed imo ad saecularia vota transire; de cetero hanc esse divinam voluntatem, cui parendum omnino est. Puella fidem adhibet avunculo et Episcopo, neque sacrilegum mendacium ulle

modo suspicata, monasterium deserit.

Hoc in facto nulla est violentia, sed tantum pessima fraus, et mendacium turpissimum, quod impedit professionem religiosam puellae.

Ex quibus inferimus, de essentia impedimenti eiusmodi non esse neque violentiam, neque minas, neque gravem timorem, illudque sine hisce optime consistere; idcirco requiri ut actio posita reapse impedierit, vel fuerit causa efficiens impedimenti illati.

Ex quo sequitur, media vel actiones adhibitas quae ut causa efficiens considerari non possunt, non posse constituere neque haberi uti impedimentum. Preces hinc importunae, minae aliquae quae procedunt ab exquisito sed nimis carnali amore parentum, quamvis produxerint effectum, scilicet retraxerint puellam ab susceptione habitus vel professione religiosa, non possunt habere rationem impedimenti; quia non ab his, sed a voluntate puellae repetendum est quod cesserit, atque nuntium miserit vocationi suae; estque de re iudicium idem ferendum ac de timore levi.

Haec vero paullo fusius edisseruimus ne error obreperet, et ne uti excommunicatos damnemus, qui nullam incurrerunt excommunicationem; ut insuper probaremus adverbium illud *quoquo modo* numquam esse extendendum ultra significationem impedimenti proprie dicti, quod scilicet causa est efficiens et proxima qua mulier aut veli susceptionem, aut professionem religiosam abiecerit; demum ne quis putet ad rationem impedimenti necessariam esse aut violentiam aut sin minus timorem gravem.

2. Ob eamdem rationem excommunicatus ille censendus non est qui virum prohiberet habitum suscipere vel religiosam professionem emittere; lex enim loquitur de mulieribus.

3. Pariter excommunicationem evaderet ille qui sanctam virginum aliarumque mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi in aliqua Congregatione in qua vota simplicia tantum nuncupantur impediret; etenim sensu vero et proprio, ut alias in Commentariis nostris probavimus, Religio, et professio religiosa semper intelliguntur de illis religiosis Institutis, in quibus vota solemniter nuncupantur; et in Tridentini Concilii Capite allegato eiusmodi vocabula absolute ponuntur; addimus Concilii Tridentini tempore religiones et Congregationis votorum simplicium vel nullas, vel raras admodum fuisse.

4. Multo minus excommunicationem ille incurreret, qui foeminam impediret quominus votum emittat sive monasterium ingrediendi, sive habitum suscipiendi sive etiam professionem agendi;

lex enim prohibet impedimentum illatum vestitioni et professioni, non voto habitum induendi.

5. Consequenter ob expositas rationes amplecti non possumus sententiam a cl. De Varceno propugnatam, qua affirmat, incurrere excommunicationem patrem, qui filiae minorenni denegat consensum absque iusta causa monasterium ingrediendi, quia, scribit *Comp. Theol. Mor. Tom. II. pag. 519.* « efficaciter impedit ne filia possit » frui dispositione Concilii Tridentini, nempe etiam in aetate minorenni ingrediendi Monasterium ». Etenim Tridentina lex non loquitur de impedientibus *quoquo modo* ingressum in monasterium, sed habitus susceptionem vel professionem religiosam; neque adverbium *quoquo modo* separandum est ab obiecto quod afficit, scilicet ab impedimento iniusto alterutri actui religioso illato; sin minus lex odiosa extenderetur ad alios casus, quod nefas.

6. Huic pariter innixi rationi subscribere non possumus responso quod idem auctor porrigit sequenti quaestioni:

Q. « Utrum parentes qui dotem » solvere possunt, eamque sine » iusta causa recusant filiae suae; » ideoque ipsa non potest ingredi » monasterium, incurrant excommunicationem?

R. » Si ob iustam causam recusent, puta ne ipsi remaneant in » notabili egestate, non incurrunt. Si iniuste recusent, incurrunt, nisi ei dent saltem legitimam vel congruam sustentationem; quia parentes obligantur quidem ad solvendam legitimam, non vero integram dotem, nisi post eorum ab hac vita discessum, id est per haereditatem ».

Supposita parentum potentia ad solvendam dotem, et supposito etiam quod legitima satis sit ad omnia quae pro agenda sive vestitione sive professione religiosa in aliquo monasterio requiruntur; (nisi enim sit sufficiens, parentes incurrerent excommunicationem eo tantum in casu quo Sanctimoniales dotem quamcumque acceptare possent et acceptarent, quod tamen non quaeritur); propositae quaestioni haec apta responsio esse videtur. Parentes dotem convenientem iniuste denegant filiae vel ante ingressum in Monasterium, vel postquam ipsi assensum praestitere ut ipsa et ingrederetur monasterium et habitum susciperet (dos enim solvitur paullo ante professionem, quamvis obligatio solvendi fiat in ipso Monasterii ingressu, et etiam ante) hoc in casu utique incurrere excommunicationem videntur, cum impediant quominus filia voluntatem exequatur suscipiendi habitum, vel emittendi solemnem professionem; si autem denegant ante Monasterii ingressum, excommunicationem non incurrunt; etenim non vestitionem aut professionem, sed ingressum immediate impediunt,

qui sub lege non cadit, cum legislatores illum non expresserint.

7. Manifestum autem esse arbitramur, non incurrere excommunicationem hanc illos, qui precibus etiam importunis aliquam retrahunt ab habitu suscipiendo vel religiosa professione emittenda; preces enim impedimentum proprie dictum constituere non possunt.

8. Amplecti demum nullo pacto possumus ea quae scribit cl. Del-Vecchio *Theologia Moralis Tom. 1. n. 916,* quae ita leguntur: « Tandem incurrunt qui *quoquo modo a religione impediunt;* ex quo capite incurrere possunt censuram Episcopi, vicarii, et religionis superiores, si iustam mulieris libertatem quantum est ex se non tuentur. Item parentes a religione filias iniuste avertentes; qui tamen facile, saltem ad tempus, excusantur ob vehementem carnis affectionem, qua illas prosequuntur. »

Etenim Patres Tridentini excommunicatione feriunt impedientes sive vestitionem sive professionem religiosam; idcirco eos qui active impediunt; Episcopi autem, Vicarii, et superiores religiosi in casu non impediunt, sed passive se habent; idcoque nullam excommunicationem contrahere possunt, cum nullam ponant impediendi actionem. Quantum vero ad parentes attinet iniuste filias a religione avertentes, observandum est eos excommunicationem incurrere si impediant quominus filiae vel habitum religiosum suscipiant, vel professionem emittant; ideoque si haec agant excommunicationem incurrere, secus minime.

Attamen ut impedientes eiusmodi excommunicationem incurrant, nonnullae conditiones intercedere debent, quarum 1. ut impedimentum proprie dictum sive physicum, sive morale habitus susceptioni, vel professioni opponant; si enim impedimentum oppositum facile superari possit, non sunt de excommunicatione damnandi, cum de eiusmodi impedimento eadem ratio sit habenda ac de timore levi. Qua de causa ut diximus, considerari non possunt uti impedimentum preces parentum etiam importunae et cum lacrimis coniunctae; neque ipsorum minae, cum constat de eorum indole mitissima et religiosa et exquisito erga filiam amore. Etenim eiusmodi parentes brevi temporis spatio consensum praestabunt, numquam autem minas ad effectum deducent. Non idipsum autem dicendum de fraudibus et dolis, quibus impedire satagant filiarum voluntatem ab coepto proposito. Etenim fraudes et doli media sunt aptissima ad aliquid impediendum, ut patet exemplis, quae supra ad rei declarationem posuimus.

Altera conditio est ut impedimentum *sine iusta causa* illatum fuerit; id enim in decreto expresse cavetur; qua de causa qui iusto

innixus motivo impedimentum apponit excommunicationem evadit. Si parentes ex. gr. filiae habitum religiosum suscipere volenti sese opponant eo quod paupertate laborent, eaque pro sua sustentatione indigeant; vel quia ad religiosam vitam minus aptam noverunt, vel quia sciunt eam morbo aliquo laborare, quem Sanctimoniales lateat, et revelare vel non decet, vel nolint; vel aliis rationabilibus de causis. Parentes enim hi id agunt quod iuste est agendum.

Quid autem si parentes ideo sese opponant impediantque, quia noverunt a ditissimo consanguineo filiae, testamento pinguem haereditatem relictam fuisse, et testamentum esse certe revocandum si religiosum habitum induat?

Respondemus: Si parentes bonis illis indigeant ad vitam honeste ducendam, vel ad se exonerandos plurimo aere alieno quo gravantur, quoque aliter se expedire non possint, cogantur consequenter in miseriam prolabi, non sunt de excommunicatione damnandi; indigent enim filia ad honestam et necessariam vitae sustentationem; si vero bonis testamento relictis non indigeant, attamen ut ea consequantur, impediunt quominus filia habitum religiosum induat, excommunicationem incurrunt; iniustum enim et irrationabile est, temporalis lucri causa efficere ut quis vocationem in qua vocatus est deserat, et aeterno discrimini animam suam fortasse committat.

Neque obiiciendum, parentes ex amissione pinguissimae haereditatis grave incommodum subire; legem autem hanc esse ecclesiasticam, quae non obligat cum gravi incommodo. Respondemus enim, haereditatem non parentibus sed filiae relictam fuisse, unde ipsi nullum subeunt incommodum; deinde bonis illis supposuimus eos non indigere ad honestam vitae sustentationem.

Demum ad hanc excommunicationem incurrendam necessarium est, ut impedimentum effectum consequatur; non enim conatus excommunicatione percellitur, sed effectus inde resultans; qua in re decretum est apertissimum: *sine iusta causa impedierint;* non autem impedire conentur, vel tentaverint. Quare si ex impedimentis oppositis nullus resultavit effectus, et virgo vel mulier id perfecerint, quod perficere optabant, impedientes nullam excommunicationem incurrunt; contrahitur enim excommunicatio effectu sequuto.

Auxilium, consilium, favorem impedienti praestantes cum in lege praetermissi fuerint, nullam excommunicationem incurrunt.

APPENDIX XXXIX.

De excommunicatione lata in Ecclesiasticos et Missionarios Indiarum orientalium atque Americae mercaturam exercentes.

Eiusmodi excommunicatio neque in Concilii Tridentini decretis lata, neque in Constitutione *Apostolicae Sedis* renovata reperitur. Cum tamen vigorem suum servet, de ea est sermo instituendus. Negotiationem Clericis esse prohibitam ex antiquissimis canonibus, ecclesiasticis regulis et Constitutionibus plurimis Romanorum Pontificum evidentissime constat. In re evidentissima documenta afferre supervacaneum ducimus; potius ex S. Thoma rationes afferimus, quibus adstruitur quanto iure negotiatio Clericis sive saecularibus, sive regularibus interdicatur. Porro ita S. Doctor scribit *2–2. q. 77, Art. 4.* « Ad tertium » dicendum quod Clerici non solum » debent abstinere ab his quae sunt » secundum se mala, sed etiam ab » his quae habent speciem mali. » Quod quidem in negotiatione con- » tingit, tum propter hoc quod est » ordinata ad lucrum terrenum, » cuius clerici debent esse contem- » ptores; tum etiam propter fre- » quentia negotiatorum vitia, quia » *difficulter exuitur negotiator a* » *peccatis labiorum,* ut dicitur Ec- » cli. 26, 28. Est et alia causa, quia » negotiatio nimis implicat animum » saecularibus curis, et per conse- » quens a spiritualibus retrahit; un- » de et Apostolus dicit 2 ad Ti- » moth. 2, 4. *Nemo militans Deo* » *implicat se negotiis saecularibus.* » Licet tamen clericis uti prima » commutationis specie, quae ordi- » natur ad necessitatem vitae, e- » mendo vel vendendo ».

Attamen quamvis negotiationem prohibitam esse ecclesiastici universi nossent, putantes tamen eam esse prohibitam ob temporale lucrum quo quis ditior fieret, et pecunia abundaret, non tamen si lucrum ex negotiatione habitum in causas pias impenderetur, plurimi qui Evangelium praedicaturi perrexerant ad insulas Iaponiae, ad imperium Sinicum, et Americam, negotiationem exercebant ab initio quidem ut ex lucro percepto Missiones catholicas sustinerent; sed deinde illud etiam in suae Religionis utilitatem, et proprium commodum convertere coeperunt. Hinc plurimi abusus enati et scandala, ecclesiasticae regulae neglectae, canones contempti, et querelae non paucae ad Apostolicam Sedem delatae (1).

Urbanus VIII invalescentibus abu-

(1) Brevem rei historiam legant lectores in actis S. Sedis *Vol. VII, pag. 319*

sibus repagulum apponere satagens, occasionem nactus Constitutionis *Ex debito pastoralis officii* quam edidit die 22 Februarii 1633, quaque excommunicatione feriit eos qui impedire praesumerent missionarios catholicos quominus ad regna Indiae orientalis nonnisi per Lusitaniam accederent, excommunicavit etiam religiosos quoslibet qui in praedictis regnis mercaturam exercebant.

§. 8. « Ceterum, quia a sacris » canonibus, conciliorum decretis, » ac apostolicis constitutionibus, » omnibus religiosis, ac etiam aliis » ecclesiasticis, praesertim in sacris » ordinibus constitutis, mercatura » et negotiationes saeculares distri- » cte prohibentur, ac valde damno- » sum, indecorum et indecens exi- » stit, huiusmodi personas divino » cultui mancipatas, ac praecipue » illas quae ad praedicandum sacro- » sanctum Christi Domini Evange- » lium destinatae sunt, praefatis » mercaturis et negotiationibus se » immiscere aut operam dare, prae- » dictorum sacrorum Canonum ac » decretorum, constitutionumque » Apostolicarum dispositioni inhae- » rentes, auctoritate apostolica, ea- » rumdem tenore praesentium, re- » ligiosis omnibus cuiuscumque Or- » dinis et Instituti, tam non men- » dicantium quam mendicantium, » etiam Societatis Iesu, eorumque » singulis, tam in praedictis locis » nunc existentibus, quam in futu- » rum ad illa mittendis, omnem et » quamcumque mercaturam seu ne- » gotiationem, quocumque modo ab » eis fieri contingat, sive per se, si- » ve per alios, sive proprio sive » communitatis nomine, directe si- » ve indirecte, aut quovis alio prae- » textu, causa aut colore, interdici- » mus et prohibemus sub excommu- » nicationis latae sententiae poena » ipso facto incurrenda, ac priva- » tionis vocis activae et passivae, » officiorum ac graduum et dignita- » tum quorumcumque, etiam inha- » bilitatis ad ea, et insuper amissio- » nis mercium et lucrorum ex eis; » quae omnia a Superioribus reli- » gionum, ex quibus delinquentes » existent, reservanda erunt ad u- » sum missionum, quas eaedem re- » ligiones habent et habiturae sunt » in futurum in praedictis Indiis, » et non in alios usus; eisdem su- » perioribus districte praecipientes » sub eisdem poenis, ut in hoc in- » vigilent, et contra delinquentes » ad praedictas poenas procedant, » sublata eisdem facultate huius- » modi delinquentibus aliquid ex » dictis mercibus et lucris quan- » tumvis minimum remittendi aut » condonandi ».

Quamvis gravibus tum poenis tum verbis prohibitio mercaturae exercendae ab Urbano VIII indicta fuerit, tamen variis praetextibus ab viris ecclesiasticis eludi coepit, eiusque observantia in irritum mitti, et renovari scandala et querelae pariter coeperunt.

Clemens hinc IX Romanus Pon-

tifex e re sua esse iudicavit abusus et inobedientiam eiusmodi compescere, poenas multiplicando, et prohibitionem Urbani ad Americae regna etiam extendendo. Id autem praestitit per Bullam *Sollicitudo pastoralis officii*, quam promulgavit die 17 Iunii 1669. Eam ita legimus in Bullario Rom. *Tom. XVII, pag. 798, Edit. Taur. 1869.*

« Sollicitudo pastoralis officii, » quo Ecclesiae catholicae per uni- » versum orbem diffusae regimini » per ineffabilem divinae sapientiae » atque clementiae abundantiam » praesidemus, nos stimulat ut ea » quae christianae religionis catho- » licaeque fidei propagationi remo- » ram vel impedimentum iniicere, » ac virorum in sortem Domini vo- » catorum et praesertim religioso- » rum, qui semetipsos abnegarunt, » et mundana omnia contempse- » runt ut Christum lucrifacerent » eiusque obsequiis mundo corde » et mente tranquilla unice inten- » derent honestatis gloriâ maculam » ponere possent, salubri sanctione » e medio tollere, atque radicitus » evellere studeamus.

§. 1. « Dudum siquidem felicis » recordationis Urbanus Papa VIII » Praedecessor noster considerans » per sacros canones, conciliorum » decreta et constitutiones aposto- » licas omnibus religiosis, ac prae- » sertim aliis ecclesiasticis, praeser- » tim in sacris ordinibus constitu- » tis, mercaturam et negotiationes » saeculares districte prohiberi, ac » valde damnosum, indecorum et » indecens existere huiusmodi per- » sonas divino cultui mancipatas, » ac praecipue illas quae ad prae- » dicandum sacrosanctum Christi » Domini evangelium destinatae » sunt, mercaturae et negotiationi- » bus huiusmodi se immiscere aut » operam dare, per quamdam suam » in simili forma Brevis die 22 Fe- » bruarii 1633 emanatam constitu- » tionem, inter alia, religiosis omni- » bus cuiuscumque ordinis et insti- » tuti, tam non Mendicantium quam » Mendicantium, etiam Societatis » Iesu, eorumque singulis, tam » tunc in insulis, provinciis, re- » gionibus et regnis Indiae Orien- » talis, ac Chinae et Iaponum exi- » stentibus, quam in futurum ad » illa mittendis, omnem et quam- » cumque mercaturam seu nego- » tiationem quocumque modo ab » eis fieri contingeret, seu per se » sive per alios, sive proprio sive » communitatis nomine, directe » sive indirecte, aut quovis alio » praetextu, causa vel colore, in- » terdixit et prohibuit sub excom- » municationis latae sententiae poe- » na ipso facto incurrenda, ac pri- » vationis vocis activae et passivae, » officiorum ac graduum et digni- » tatum quarumcumque, et inha- » bilitatis ad ea, ac insuper amis- » sionis mercium et lucrorum ex » eis factorum: quae omnia a su- » perioribus religionum, ex quibus » delinquentes existerent, reser- » vanda essent ad usum missionum,

» quas eaedem religiones habebant, » et in futurum habiturae erant in » Indiis praedictis, et non in alios » usus; ac eisdem poenis, ut in » hoc invigilarent, et contra delin- » quentes ad praedictas poenas » procederent, sublata eisdem fa- » cultate huiusmodi delinquentibus » aliquid ex dictis mercibus et lu- » cris quantumvis minimum re- » mittendi aut condonandi, et alias » prout in dicta Urbani praedeces- » soris Constitutione, cujus teno- » rem praesentibus pro plene et » sufficienter expresso, ac de verbo » ad verbum inserto haberi volu- » mus, uberius continetur.

§. 2. « Cum autem (sicut non » sine gravissimo animi nostri do- » lore accepimus) multi ex iisdem » religiosis et personis ecclesia- » sticis, propriae professionis in- » iunctique sibi gravissimi mini- » sterii immemores, ab eiusmodi » mercatura et negotiationibus sae- » cularibus non abstineant, sed sese » a debita praedictae Constitutionis » Urbani praedecessoris observa- » tione sub variis praetextibus, co- » loribus et subterfugiis eximere » conati fuerint, et satagant de » praesenti, in deplorandam anima- » rum suarum perditionem, perni- » ciosum quoque exemplum et » scandalum plurimorum: nos sa- » lutaribus Doctoris gentium prae- » ceptis edocti, quod nemo mili- » tans Deo implicat se negotiis sae- » cularibus, ut ei placeat cui se » probavit, tam grande tamque » exitiosum ab Ecclesia Dei malum » apostolici zeli vigore propellere » scandalorumque inde nascentium » occasiones recidere, ac saluti ani- » marum et christianae religionis » catholicaeque fidei propagationi, » quantum nobis ex alto concedi- » tur, salubriter consulere, omnem- » que lucrorum mundanorum spem » personis caelesti militiae adscri- » ptis, praesertim ad infidelium » conversionem et Evangelii prae- » dicationem destinatis, quas sicut » bonos Christi milites laborare, et » ministerium suum honorificare » oportet, ut eo studiosius ac im- » pensius adspirante superni favoris » auxilio, horrea Domini novis sem- » per frugibus locupletare satagant, » omnino adimere decrevimus.

§. 3. « Itaque, sacris canonibus, » ac decretis et constitutionibus » praedictis inhaerentes, illaque, » et praesertim memoratam Urbani » praedecessoris constitutionem, in » iis quae praesentibus litteris non » adversantur, approbantes et in- » novantes, et circa praemissa de » novo disponentes et statuentes, » motu proprio, ac ex certa scientia » et matura deliberatione nostris, » deque apostolicae potestatis ple- » nitudine, omnibus et singulis » personis ecclesiasticis, tam sae- » cularibus quam regularibus, cuius- » cumque status, gradus, conditio- » nis et qualitatis, a cuiusvis Or- » dinis, Congregationis et Instituti, » tam Mendicantium quam non Men- » dicantium, etiam Societatis Iesu,

» et earum cuilibet, quae ad in-
» sulas, provincias, regna Indiarum
» Orientalium, et praesertim in
» provinciam Societatis Iesu de Ia-
» pone nuncupatam, ac in partes
» Americae tam Australes quam
» Septentrionales, a Sede Apostо-
» lica, vel Congregatione Venera-
» bilium Fratrum nostrorum S. R. E.
» Cardinalium negotiis Propagandae
» fidei praepositorum, aut ab earum
» superioribus, sub nomine Missio-
» nariorum, aut quovis alio titulo,
» pro tempore missae fuerint, aut
» in illis partibus quomodolibet mo-
» rabuntur, sub excommunicationis
» latae sententiae, ac privationis
» vocis activae et passivae, et offi-
» ciorum, dignitatum et graduum
» quorumcumque per eas obtento-
» rum, et inhabilitatis ad illa et
» alia quaecumque in posterum
» obtinenda, nec non amissionis
» mercium et lucrorum omnium
» ipso facto incurrendis, ac aliis
» nostro et Romani Pontificis pro
» tempore existentis, vel praedictae
» Cardinalium Congregationis arbi-
» trio imponendis poenis, tenore
» praesentium districte prohibemus
» pariter et interdicimus, ne mer-
» caturis et negotiationibus saecu-
» laribus huiusmodi, quovis prae-
» textu, titulo, colore, ingenio,
» causa, occasione et forma, etiam
» semel, per se aut mediantibus
» ministris, seu aliis personis subsi-
» diariis, directe vel indirecte, tam
» nomine proprio, quam suarum
» respective religionum, seu Con-
» gregationum, ac Societatum, e-
» tiam Iesu vel aliorum quorumli-
» bet, et alias quovis modo et qua-
» litercumque se ingerant vel im-
» misceant. Ac ex nunc, próut ex
» tunc, et e contra, postquam casus
» evenerit, merces et lucra quae-
» cumque, quae ex huiusmodi mer-
» caturis et negotiationibus prove-
» nerint et provenient, in usum
» et commodum pauperum, hospi-
» talium, Seminariorum ecclesiasti-
» corum ac operariorum, (non ta-
» men religionum, congregationum,
» et Societatum, etiam Iesu, seu
» instituti eorum, qui in praemissis,
» vel circa ea deliquerint, sed alio-
» rum non delinquentium) harum
» serie applicamus, qui teneantur
» consignare merces et lucra huius-
» modi locorum Ordinariis, seu eo-
» rum vicariis in spiritualibus ge-
» neralibus, aut officialibus, vel
» apostolicis vicariis, seu provi-
» cariis. (1) Si vero, tamquam dictae
» Sedis delegati, illa, ut praefertur,
» et non in alios usus distribuere
» et erogare debeant, super quibus
» eorum conscientiam districte one-
» ramus. Et quia in praemissis et
» circa ea delinquentes ut plurimum
» praetextu necessitatis pro eorum
» missionibus se excusare praesu-
» munt excusationes huiusmodi eis
» eorumve cuilibet nullo modo suf-
» fragari posse vel debere decer-
» nimus et declaramus.

§. 4. « Insuper eisdemmet cen-

(1) Potius videtur legendum *Ii* pro *Si*.

» suris et poenis innodamus et inno-
» datos fore declaramus superiores
» immediatos, ac provinciales et
» generales praedictorum Ordinum,
» Congregationum et Societatum,
» etiam Iesu, qui eorum respective
» subditos in praemissis vel circa
» ea etiam pro una vice quomodo-
» libet delinquentes, saltem per
» amotionem illorum a locis com-
» missi per eos delicti, non puni-
» verint; a sententia vero excom-
» municationis huiusmodi per su-
» periores, vel alium seu alios quos-
» cumque, etiam quavis facultate
» suffultos, nemo ex praedictis de-
» linquentibus absolvi possit, prae-
» terquam in mortis articulo, nisi
» lucris huiusmodi prius restitutis. »

Eiusmodi excommunicatio cum latae sententiae sit, nullo pacto in Constitutione *Apostolicae Sedis* conclusa videri poterat, cum expresse renovata non fuerit; sed neque infra illas censuras, quas Pius Papa IX immotas servari voluit per eiusmodi exceptionem. « Quae vero censu-
» rae sive excommunicationis, sive
» suspensionis, sive interdicti Nostris
» aut praedecessorum nostrorum
» Constitutionibus aut sacris cano-
» nibus praeter eas, quas recen-
» suimus, latae sunt, atque hactenus
» in suo vigore perstiterunt sive
» pro Romani Pontificis electione,
» sive pro interno regimine quo-
» rumcumque Ordinum et Institu-
» torum Regularium, nec non quo-
» rumcumque Collegiorum, Con-
» gregationum, coetuum locorum-
» que piorum cuiuscumque nominis
» aut generis sint, eas omnes firmas
» esse, et in suo robore permanere
» volumus et declaramus ».

Lata enim contra missionarios mercaturam aut negotiationem in Indiis et America exercentes excommunicatio ad nihil eorum pertinet, quae Pius IX in testimonio supra relato recensuit; abrogata ergo censenda erat iure optimo.

Attamen anno 1872 Pius Papa IX a Supremis Inquisitoribus de re interrogatus latam excommunicationem firmam esse voluit, iussitque ut per S. Congregationem de Propaganda fide Epistolae circulares ad locorum Ordinarios mitterentur, quas dedit die 29 Martii 1873. Ita porro leguntur in Actis S. Sedis, *Vol. VII. pag. 317.*

« Cum a Suprema S. Inquisitionis
» Congregatione dubium fuerit ex-
» positum an post Constitutionem
» *Apostolicae Sedis* editam a SSmo
» D. N. Pio div. prov. PP. IX
» quarto idus Octobris 1869 adhuc
» vigeant censurae *latae sententiae*
» contra Ecclesiasticos et Missio-
» narios mercaturae in Indiis Orien-
» talibus operam dantes in Consti-
» tutionibus Urbani VIII *Ex debito*
» die 22 Februarii 1633, et Cle-
» mentis IX *Sollicitudo* die 17 Iulii
» 1669 editis comminatae, EE. PP.
» Inquisitores generales in Congre-
» gatione habita Feria IV, 4 De-
» cembris 1872, cum considerassent
» reservationem aut exceptionem
» factam ad paragraphum : *Quae*

» *vero censurae,* praedictae Constitutionis posse quaestionibus ansam » praebere, censuerunt supplicandum eidem SSmo Domino Nostro » ut declarare dignaretur, Constitutiones Summorum Pontificum » Urbani VIII et Clementis IX superius memoratas adhuc vigere, » et declarationem notificandam esse » ab hac S. C. par litteras Circulares prout tenore praesentium » fit Missionariis quibuslibet in Indiis Orientalibus et Americae exi» stentibus. Porro Sanctitas sua » eidem Sententiae in omnibus annuendum censuit. Interea precor » Deum etc. ».

Praesens igitur excommunicatio viget per extensionem legis a Supremo Principe factam, et hac de causa tantum vim suam iterum est adepta.

Hisce sed vero praemissis videamus 1. quaenam sit huius excommunicationis materia; 2. quinam eam incurrant.

Et quoad 1. Materia huius excommunicationis est *omnis et quaecumque mercatura seu negotiatio quocumque modo fiat in Indiis Orientalibus, in provincia Societatis Iesu de lapone nuncupata, et in America tam Australi quam Septentrionali.*

Si qua de causa in aliis quibuslibet mundi partibus committatur, non incurritur excommunicatio; loca enim sunt a Legislatore determinata, et cum lex sit poenalis non licet eam ad alia loca quaelibet extendere, quamvis identica ratio vigeat.

Quoniam vero excommunicatio incurritur ob mercaturam seu negotiationem, sensum harum vocum determinare oportet ne in errorem prolabamur.

Clar. D'Annibale in Comment. *pag. 26 Edit. 1880* scribit: Obiectum huius excommunicationis est *omnis et quaecumque negotiatio,* seu *mercatura.* « Negotiatio pro» pria significatione est *aliquid e*» *mere ut immutatum carius ven*» *das.* (Ex Lessio et S. Alphonso). » Mercatura latius patet, et ea quo» que attingit quae *mutata* natu» raliter revendi solent, ut puta si » quis mustum emat, ut vinum; » vitulos, ut boves; sues, ut sa» ginatos revendat; *naturaliter,* » inquam; nam si revendantur mu» tata labore hominum, vel indu» stria magis *artificium* intelligitur; » ut ecce si ex empto ferro, ligno, » lana, arma, vasa, vestes conficias; » quod proinde huc non pertinent.»

Verum quae de *artificio* vir clarissimus definit non ab omnibus probantur. Belletus *in Disquis. Clerical. part. 2 § 51 de Poenis Clericor. n. 1* affirmat etiam tum intervenire negotiationem Clericis interdictam, quando quis eorum rem quampiam, v. gr. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum et opificum industriam, laboremque (non per semetipsum) aliquid efficiat: puta ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut

inde aliquid lucrari possit. Neque Reiffenstuel *Lib. III Decretal. tit. 1, n. 131* eiusmodi sententiam repudiat. Qui insuper *artificium* stricta sumit significatione scribens *n. 132:* « Artificium vero est, » quando quis emit aliquam ma- » teriam, quae postea per artem » reducitur ad aliam formam, ut si » quis emat vimina et faciat canistra; » vel emat filum et faciat retia. » Et tale artificium non est clericis » prohibitum, quin potius recom- » mendatum. » Ita ut iuxta exposita sententiam tunc habeatur *artificium* quando res empta essentiam et qualitatem suam non amittit, ut contingit in viminibus quae talia sunt sive ex eis conficiantur canistra sive non; quod deinceps artificium Clericus vel religiosus per semetipsum explere debeat, non assumptis operariis vel artificibus, unde lucrari possit. Exempla enim quae ad rem explicandam Canonistae producunt, ut Apostolorum qui ad piscationem post Christi resurrectionem rediere, Pauli qui erat scenophactoriae artis et propriis manibus laborabat ut quae sibi necessaria erant comparare posset, monachorum qui ad eumdem finem texebant retia, corbes, storeas, rem evidenter probant. Et reapse illi omnes qui assumptis operariis res emptas, etiam qualitate non immutata in aliquam formam redactas communiter vendunt, mercatores vocantur; hi enim industria sua lucrantur, et fortasse magis ex industria quam ex rebus emptis; atque hinc in vendendo solertia non modica adhibetur, et incommoda illa omnia enascuntur, quorum gratia negotiatio Clericis prohibetur.

Qua de causa hac in re sententiam a cl. Schmalzgrueber propugnatam tenendam esse censemus, qui *Ius Canon. Part. V, Tit. 50, n. 17* quaerit: « An Clericis et re- » ligiosis prohibita sit etiam illa » negotiationis species, qua res per » artificium, laborem, industriam » in aliam formam immutata lucri » intentione venditur?

» Resp. Solutionem istius depen- » dere ex eo, an res, ex quarum » distractione lucrum quaeritur; » sint fructus propriorum fundo- » rum, an vero aliunde coemptae, » vel comparatae fuerint. »

Licitam affirmat primam negotiationem; quoad alteram ita prosequitur: « Si secundum contingat, » et res huiusmodi aliunde coem- » ptae et comparatae sint, et non » ex fundis, aut praediis propriis, » considerari intentio debet; nam » si res tales lucri, seu quaestus » dumtaxat intentione coemantur, » ut immutatae vel melioratae ven- » dantur carius, extra casum neces- » sitatis hoc prohibetur clericis et » religiosis (1)... quia licet rerum » sic immutatarum venditio proprie

(1) Cuius sententiae hos Doctores allegat Molin. Tract. 2, D. 342, n. 6. Laym. lib. 3, Tract. 4, Cap. 17, n. 40. Palliz. Tract. 6, cit. cap. 10, n. 2. Pirh. hic n. 4. Vries n. 7. et alios.

» negotiatio non sit, si tamen quaestus dumtaxat causa exerceatur, » ad negotiationem proprie dictam » accedit proxime, ideoque non decet personas religiosas; ut proinde cum in eadem urgeant rationes, quae contra negotiationem » proprie dictam militant, praesenti » prohibitione per epichiam comprehensa censeri debeat. Quare » illicite ecclesiastici agunt 1. Si » dicta lucri intentione uvas emant, » ut per famulos aut ministros ad » id conductos vinum ex iis conficiant, quod postea vendant: 2. si » emant hordeum et luputos ut » cerevisia lanam ut pannus, ferrum ut gladii, secures, vomeres ex iis fiant et distrahantur: 3. si emant boves et pabulum ut isto saginati cum lucro » vendantur. Quorum omnium ratio » est, quia esto, res ita empta in » aliam formam mutata sit, illa » mutatio facta est a ministris conductis, ac proinde est fructus » emptionis laboris ministrorum. » Simili ratione illicite conducunt » aliena animalia, praedia, et fundos » si hoc faciant, non ad sui, suorumque sustentationem, sed lucri » causa, ut fructus inde collecti » vendantur, et reportetur lucrum » (1).

Quorum ratio est manifesta. Ut enim negotiatio clericis et religiosis sit interdicta duo requiruntur: 1. ut res ematur, animo eam vel immutatam vel mutatam vendendi; 2. ut ematur gratia lucri, quod ex illius venditione speratur. At qui ea quae supra exposuimus agunt, haec duo omnino agunt; ergo negotiationem exercent.

Exinde deducitur, clericis et religiosis licitam esse negotiationem oeconomicam, qua res emuntur ad propriam et familiae sustentationem et quae superflua manent pretio currenti venduntur; sequitur quoque negotiationem non esse, si Clericus postquam res necessarias sibi comparaverit, iis vel uti nolit vel non possit, easque maiori pretio vendat, dummodo sit pretium commune, aut currens; sequitur insuper negotiationem non esse si quae vendit Clericus superflua non sint, emerit tamen pro se suisque sine animo ea iterum vendendi; etenim sine tali intentione nec negotiatio nec mercatura intelliguntur; demum sequitur non esse de negotiatione arguendum clericum illum, qui cum successerit agrorum vel animalium etc. conductori, usque ad praefinitum tempus conductionem continuat, tum quia in principio defuit animus vendendi, tum quia ad mercaturam requiritur ut idem sit qui emit et qui vendit.

Quamcumque tamen distinctionem negotiationem inter et mercaturam Canonistae et Theologi assignent; adiaphorum pro re nostra est, cum tum Urbanus VIII, tum

(1) Quod declaratum etiam fuit per Sacram Congregationem Concilii anno 1662, ut affirmat Scavini *Tom. 1. n. 576 edit. Del Vecchio 1882.*

Clemens IX utramque districte et sub excommunicationis poena in praedictis regionibus prohibuerint. Artificium tantum excludendum censemus, non quidem latiori sensu acceptum, sed stricto prout illud ex cl. Reiffensteul supra definivimus; si enim latiori sensu sumatur in mercaturam proprie dictam convertitur, ut etiam doctores affirmant.

Post haec videamus quinam hanc incurrant excommunicationem.

Et clarum est ex Clementis IX Constitutione, eam illos incurrere ecclesiasticos viros tam saeculares quam regulares qui vel ab Apostolica Sede, vel a S. Congregatione de Propaganda Fide, vel a respectivis superioribus uti Missionarii vel quovis alio titulo ad Indias Orientales, praedictam Iaponiae provinciam, vel utramque Americae partem mittantur, vel ibi quomodolibet morantur.

Ergo personae ecclesiasticae sive saeculares sive regulares indigenae in praedictis locis existentes hac censura non percelluntur. Attamen si quis indigena in Europa degens ad praedictas provincias Missionum agendarum causa vel alio titulo mittatur, excommunicatione percellitur; etenim in lege non definitur cuius regionis Missionarii qui mittuntur esse debeant; sed hoc unum requiritur, ut cuiusvis ordinis, status, gradus, conditionis, Congregationis sint, vel a S. Sede Apostolica, vel a S. Congregatione de Propaganda Fide, aut a respectivis Superioribus mitti debeant; quod circa indigenam in Europa ex. gr. degentem optime contingere potest. Hinc si qui Iaponici, et Indi ex America in Iaponiae Iesuiticam provinciam, vel in Indiam uti Missionarii mittantur, vel Americani ex Iaponia, India, Europa in Americam, dummodo negotiationem vel mercaturam exerceant, excommunicatione percelluntur; nulla enim apparet ratio qua sint excludendi. Etenim et mittuntur, et uti Missionarii, vel alio titulo mittuntur, et negotiationem exercent; in iis ergo omnes conditiones adimplentur a legislatore praescriptae ut excommunicatio incurratur.

Quid autem si indigena Americae Meridionalis in Americam Septentrionalem uti Missionarius vel alio titulo destinetur; num excommunicationem effugiet si negotiationem exerceat?

Non putamus; etenim conditiones requisitae ad excommunicationem incurrendam et in hoc adimplentur; ecclesiasticus enim est, saecularis, vel regularis, et a S. Sede, vel a S. Congregatione de Propaganda Fide, vel a propriis Superioribus ad missiones sacras peragendas, aut alio titulo mittitur. Qua de causa dum de indigenis loquimur, de illis tantum loquimur qui vel ibi existunt, vel ad propria ex aliis regionibus revertuntur, sponte, non missi, neve destinati missionum agendarum causa a Sancta

Sede Apostolica vel etc. Neque difficultatem facessunt verba: *aut in illis partibus quomodolibet morabuntur:* nil enim aliud dicunt quam quod hae personae ex aliis regionibus ad praedictas provincias transmigrare debeant, eisque sint extraneae, quamvis nec a Sede Apostolica, nec a Superioribus uti Missionarii, aut alio titulo ex. gr. praefecti, catechistae missae fuerint et ibi negotiationem exerceant. Quod etiam patet ex verbo *commorari,* quod de eo dicitur qui loco in quo versatur est alienigena. At indigenae qui ibi sunt non sunt missi neque commorantur, sed ibi existunt; e contra indigenae qui ex aliis regionibus ad propria a Superioribus mittuntur officii alicuius agendi causa sunt reapse missi; ergo hi excommunicationem incurrunt si negotiationem exerceant, non illi.

Quid ergo de indigena qui studiorum causa Romae degat, et cursu confecto, ad propria revertatur a nullo missus, num si negotiationem exerceat, est excommunicatus?

Nequaquam; etenim in lege requiritur ut quis ad praedictas provincias vel missus sit, vel quacumque de causa ibi commoretur; quod postremum de externis dicitur. Ille vero de quo loquimur, nec missus est, nec externus; ergo sub lege non comprehenditur.

Exinde deducitur, Missionarios esse non debere Europaeos ut vetitam actionem in dictis provinciis exercentes excommunicationem incurrant; sed cuiusvis sint gentis quovis titulo illuc mitti debent. Num ne si Urbani VIII, (1625-1644) aut Clementis IX (1667-1670) tempore ad provincias illas missus fuisset sacrarum missionum agendarum gratia Africanus, vel Americanus, aut Sinensis excommunicationem evasisset, si negotiationem exercuisset aut mercaturam? Hoc nemo dixerit, cum et hi et alicuius religionis vel Presbyteri saeculares esse potuerint, et a propriis Superioribus, vel a S. Congregatione de Propaganda Fide missi; omnimodis proinde sub lege conclusi.

Non putamus tamen sub eiusmodi lege Episcopos comprehendi. Etenim Urbanus VIII religiosos tantum cuiuslibet Ordinis et Instituti negotiationem in dictis provinciis exercentes excommunicationi subiecit; hi vero non possunt esse Episcopi, qui de coetero non a propriis Superioribus, sed vel ab Apostolica Sede, vel a S. Congregatione de Propaganda Fide ad regendas missiones destinantur.

Quamvis autem Clemens IX excommunicatione feriat omnes et singulas personas ecclesiasticas tam regulares, quam saeculares, *cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis;* tamen sub hisce nominibus non veniunt episcopi 1. quia horum comprehensio ordinario exprimitur per verba *cuiuscumque sint dignitatis;* 2. quia hae personae mittuntur sub

nomine Missionariorum; episcopi autem hoc nomine non mittuntur; 3. nec vim inferunt alia verba: *aut quovis alio titulo:* dignitas enim Episcopalis non est titulus; qua de causa ea verba intelliguntur de aliis titulis qui non includunt dignitatem episcopalem, uti sunt praefecti Apostolici, Superiores Missionum, Oeconomi, Catechistae etc.; 4. quia Superioribus immediatis et provincialibus atque generalibus Ordinum, Congregationum et Societatum excommunicationem Pontifex comminatur si respective subditos delinquentes ab locis commissi per eos delicti non removeant; at non pertinet ad generales, multo minus ad provinciales, et multo etiam minus ad Superiores immediatos removere Vicarium Apostolicum, vel Episcopum ab suo Vicariatu; id enim pertinet ad Romanum Pontificem et ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide.

Clarum est pariter ex eadem Clementis IX Constitutione, excommunicatione percelli Superiores immediatos, seu illos qui praesunt Sacri Evangelii praeconibus vel aliis quovis titulo in dictis provinciis commorantibus, ac provinciales et generales Ordinum, Congregationum et Societatum etiam Iesu, nisi subditos negotiatores puniant saltem per eorum a praedictis locis amotionem. Et haec adeo clara sunt et aperta ut expositione non indigeant.

At quaerimus: Superiores immediati sunt ne tantum regulares, aut etiam saeculares?

Ni fallimur: in lege excommunicantur uni Superiores regulares. Revera nobis clarum videtur verba *Superiores immediatos, ac provinciales et generales* pertinere ad sequentia: *praedictorum Ordinum, congregationum et societatum etiam Iesu,* quibus exprimuntur uni regulares; Sed regularium Superiores sunt regulares. Accedit quod Religiosorum Praefecti utique vocantur Superiores; at eiusmodi nomine non appellantur Praefecti presbyterorum saecularium Sacras Missiones apud exteras provincias peragentium. Accedit etiam quod ordinario provinciales, multo magis generales non commorantur in locis ubi Sacrae Missiones peraguntur; qua igitur de causa excommunicantur? Profecto quia admoniti a Superioribus immediatis subditum delinquentem ex loco commissi delicti vel non removent, vel removere nolunt. At id probat *Superiores* illos *immediatos* esse regulares, non saeculares.

Utique lectores nostri dicturi erunt per *Superiores immediatos* intelligi posse etiam *saeculares*. Verum quominus id concedamus sequentia obstant. Quidquid enim dicamus, verba: *respective subditos* referuntur unice ad Ordines, congregationes, et societates religiosas: Sed de eis in lege dicitur. *Superiores immediati, ac provin-*

ciales et generales; ergo sunt regulares non Saeculares; hi enim non sunt respective subditi ordinum religiosorum. Demum in lege odiosa benignior est interpretatio instituenda, et nemo sub ea est comprehendendus nisi comprehendi certo constet. Nos autem nescimus quomodo sub verbis latae legis comprehendantur Superiores saeculares; et doctiores iudicent.

Neque id novum aliquid est. Etenim et in Const. *Effraenatam* a Xisto V latam contra procurantes abortum (Cf. Comment. nostrum *Tom. II, Ap. XXXII*) quamvis decursu Constitutionis etiam mulieres praegnantes Pontifex recensuerit, tamen quin eas dum poenas intulit praetermisit, ab excommunicatione etiam hac de causa eximuntur.

Ut autem excommunicatio incurratur, non refert quo modo negotiatio et mercatura exerceatur; incurritur enim quomodolibet exerceatur, *quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione et forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis Subsidiariis, directe vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective religionum seu congregationum, ac Societatum, etiam Iesu, vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo et qualitercumque se ingerant vel immisceant.* Ita ut Romani Pontifices nullum reliquerint effugium ut eiusmodi pessimum vitium eliminare possent; atque idcirco in ritum canones antiquos miserint, quibus mercaturae exercitium interdicebatur; qua de causa si qui semel et iterum eam exercuissent, poenas evadebant. Nostri Pontifices non ita; sed excommunicationi subdiderunt etiam missionarios illos qui *semel* negotiationem exercuerint.

Circa reservationem eiusmodi censurae cl. Petrus Avanzini, *Acta S. Sedis Tom. VII, pag. 324,* putat eam simpliciter Romano Pontifici esse reservatam. « Puto, scribit, » congrue poni posse sub elencho » excommunicationum Romano Pon» tifici simpliciter reservato; eo vi» delicet modo, quo sub eo elencho » recensetur excommunicatio quarta » in eos inflicta, qui non denuncient » occultos Sectarum coriphaeos, et » duces *donec non denunciaverint.* » Similis enim clausula apposita est » excommunicationi de qua agimus, » per verba Constitutionis Clemen» tinae. *A sententia vero excom» municationis huiusmodi per Su» periores vel alium seu alios quos» cumque, etiam quavis facultate » suffultos, nemo ex praedictis de» linquentibus absolvi possit prae» terquam in mortis articulo con» stitutus nisi lucris huiusmodi » prius restitutis.* Quod si condi» tioni lucri satisfecerit a quovis » Confessario absolvi possit, sicut » in mortis articulo ».

Ex quibus duo inferri posse videntur: eiusmodi scilicet excommunicationem ante lucri restitu-

tionem Romano Pontifici simpliciter esse reservatam; post restitutionem a quolibet ad confessiones approbato absolvi posse.

Verum alii Commentatores propemodum omnes affirmant eam nemini reservatam esse. Et quidem verius; in citatis enim Clementis IX verbis nullo modo apparet, eum Romanis Pontificibus absolutionem eiusmodi excommunicationis reservasse, cum Romanos Pontifices neque nominet; e contra cum Romani Pontifices sibi aliquam excommunicationis absolutionem quamvis simpliciter reservant, solent id exprimere per haec vel similia verba: *a qua* (excommunicatione) *non possit nisi a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice aut ab hac Apostolica Sede absolvi,* ut pluribus demonstrare possemus exemplis, quae tamen prostant in variis Capitibus et locis Commentarii nostri.

Exinde vero corruit ratio ab cl. Avanzinio deducta ex comparatione huius Capitis cum Cap. IV excommunicationum simpliciter reservatarum. Etenim non ex verbis illius Capitis dignoscimus excommunicationem illam esse Romano Pontifici reservatam; sed ex declaratione quae Capiti praemittitur, scilicet ex verbis: *Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus.* Quam declarationem cum non habeamus neque in literis circularibus S. Congregationis de Propaganda Fide, neque in Constitutionibus Urbani VIII, aut Clementis IX, iure inferimus, excommunicationem praesentis Capitis nulli esse reservatam.

Neque quis obiiciat, in Clementis IX Constitutione prohiberi quominus quis sive Superior, sive alius quavis facultate suffultus ab eiusmodi excommunicatione delinquentem absolvat; etenim id non indicat hanc excommunicationem esse reservatam, sed delinquentem absolvi non posse *nisi lucris huiusmodi prius restitutis;* apponit scilicet Pontifex conditionem qua quis est absolvendus. Atqui eiusmodi conditio non indicat reservationem (1).

Qua de causa tenendum est, ex-

(1) Rationem ab Avanzinio allatam .ta solvit cl. Ballerini in notis ad Gury *Tom. II. pag. 1007. Nota a).* At nimis infirmum videtur argumentum petitum ex huiusmodi clausulis, quae mere praescribunt, quid exigendum de iure sit ab eo, qui absolvi postulat; nec alio sensu casus vi eiusmodi clausulae reservatus censeri potest R. Pontifici, nisi quatenus ipse ceu Legislator sibi reservat relaxationem harum obligationum, nempe tum denuntiandi in altero casu, tum in altero lucra abdicandi. Atqui idipsum dici potest de obligatione denuntiandi sollicitantes, de qua in numero praecedenti, neque enim cuiquam praeter Rom. Pontificem facultas fit eum absolvendi, qui huic parere obligationi paratus non sit, neque tamen ea excommunicatio inter R. Pontifici reservatas cernitur. Ut definiatur itaque, cuinam elencho accensenda sit excommunicatio eiusmodi clausulis munita, inspiciendum

communicationem hanc non esse Romano Pontifici nec simpliciter reservatam; eam consequenter a quolibet ad Confessiones approbato absolvi posse ea tamen conditione ut delinquens prius lucra ex negotiatione aut mercatura percepta restituat; cum enim potest, et non restituit, prava duci animi dispositione censendus est.

Putamus insuper, eum absolvi non posse quamvis se restituturum promittat; etenim Romanus Pontifex explicite eiusmodi conditionem ante absolutionem adimplendam statuit non simpliciter, sed in poenam admissi criminis; atque facultate absolvendi, non adimpleta conditione, confessarium privavit. Qua de causa huic casui non possunt applicari leges aut regulae statutae pro iis qui restitutionem non exequuntur; iis enim serio promittentibus restitutionem absolutio conceditur; cum arbitrio et prudentiae Confessarii committatur; neque ulla sit lex qua compellantur Confessarii absolutionem denegare non restituentibus quamvis hi serio se restituturos promittant, et promissionem sincero animo factam esse diiudicare possint. At in casu nostro non ita: Pontifex enim ante absolutionem requirit omnino restitutionem lucri ex negotiatione percepti, idque in poenam admissi criminis, eiusque extirpationem, et facta quibuslibet Confessariis quavis facultate suffultis prohibitione absolvendi nisi prius delinquentes restituant. Non potest igitur praesens casus resolvi regulis communibus, sed legis dispositioni standum est omnino.

Excipiendus est tamen mortis articulus, quia in lege diserte excipitur: *Praeterquam in mortis articulo constitutus,* quo consequenter delinquens potest absolvi, quamvis lucris non restitutis; quavis id de causa contingat. In quo Romanorum Pontificum sapientium admirari debemus. Si enim in articulo mortis prohibentur Confessarii quominus absolutionem conferant iis qui ex iustitia restituere tenentur cum possint, vel eo quod furati sint, vel damnum intulerint, in casu nostro lucra percepta ex negotiatione aut mercatura iure ecclesiastico prohibita derivantur, non ex furto, aut damnis illatis, aut

potius videtur, num casus adhuc R. Pontifici reservatus maneat, quando poenitens officio suo satisfacit. Atqui id solum contingit, cum agitur de sectariis; nam etiam post factam coryphaeorum denunciationem de iure a solo R. Pontifice non denuntians absolvi potest; in aliis autem casibus potest poenitens a quolibet Confessario absolvi. Nam alioquin nulla extitisset ratio, cur excommunicatio contra non denuntiantes sectariorum coryphaeos poneretur inter reservatas Pontifici, secus vero inter nemini reservatas collocaretur lata contra non denuntiantes sacerdotem sollicitantem. Cum itaque ad absolvendum eum, qui obligationi suae satisfecit, nulla specialis facultas necessaria sit, concludendum est, eiusmodi excommunicationes elencho nemini reservatarum esse adiungendas.

lia de causa iniusta; ideoque quantum ad iustitiam commutativam attinet nihil delinquentes restituere tenentur. Sapientissime igitur, et misericorditer Romani Pontifices exceperunt articulum mortis, quia in eo constituti talibus in circumstantiis physicis vel moralibus versari possunt, ut nec prudens sit, nec aliquando possibile ad lucra percepta restituenda eos compellere; ideoque censentur Romani Pontifices poenam relaxare ne animae in aeternum pereant. Quid igitur? Num ne delinquentes eiusmodi in articulo mortis constituti non sunt a Confessario monendi ut lucra percepta restituant?

Putamus hoc remitti confessariorum prudentiae, qui omnibus perpensis decernere debent quid pro infirmi aeterna salute expediens fuerit: idque ex lege. Si enim Clemens IX interdixit absolutionem negotiatoribus aut mercatoribus nostris conferre dum sanitate fruuntur, nisi prius lucra restituant, hanc autem conditionem pro iis qui in articulo mortis versantur praetermisit, non possunt Confessarii onus imponere quod imponendum esse ex lege non constat.

Haec vero relate ad delinquentes, eos scilicet qui eiusmodi negotiationes et mercaturas etiam semel exercuere.

At relate ad Superiores immediatos, vel provinciales aut generales non ita; hi enim, dummodo legem latam exequi curaverint, a quolibet possunt absolvi, lucris nondum restitutis. Clemens IX enim delinquentes tantum qui ex illicitis negotiationibus lucra perceperunt absolvendos interdixit, nisi prius lucra restituerint; Superiores autem provinciales et generales nisi delinquentes puniverint, saltem per amotionem a loco quo deliquerunt. Cum ergo Superioribus aliis non edixerit absolutionem ésse denegandam nisi prius lucra restituantur a delinquentibus, possunt ante horum restitutionem absolvi, nec delinquentium mora eis nocere potest.

Restitutio *autem locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu pro Vicariis est facienda,* qui lucra restituta erogare debent *in usum et commodum pauperum, hospitalium, Seminariorum ecclesiasticorum ac operariorum.* Non tamen religionum, congregationum, societatum, etiam Iesu, seu Instituti eorum qui in praemissis, vel circa ea deliquerint, sed aliorum non delinquentium.

Haec sed vero quantum ad excommunicationem attinet: ceterae illatae poenae, ex. gr. privationis vocis activae et passivae, officiorum etc. subsistunt; etenim per Constitutionem *Apostolicae Sedis* nihil circa illas innovatum reperitur, ut non semel observavimus.

APPENDIX XL.

Excommunicantur sive Clerici sive laici qui Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum bona, iurisdictiones, fructus, etc. in proprios usus converterint vel usurpaverint.

Excommunicationes Tridentinae de quibus egimus in praecedentibus capitibus nulli reservatae reperiuntur, haec autem de qua nunc agimus Romano Pontifici simpliciter est reservata. Quamvis autem de bona Ecclesiae usurpantibus *Vol. 1, p. 352* Commentarii nostri pertractaverimus, in eoque Capite exponendo nonnulla etiam de praesenti Tridentina excommunicatione dixerimus, tamen cum plurimae existant inter utrumque caput differentiae, Tridentinam hanc censuram diserte expendere censuimus, ut haec tractatio plenior et clarior evaderet; et referre hoc insuper in loco varia decreta possemus circa bonorum ecclesiasticorum emptores lata.

Porro Caput Tridentinum ita se habet *Sess. XXII, Cap. XI De Reformat.*

« Si quem Clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate » etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium » radix, cupiditas occupaverit, ut » alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis » saecularis aut regularis beneficii, » Montium pietatis, aliorumque pio» rum locorum iurisdictiones, bona, » census ac iura etiam pheudalia et » emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obven» tiones quae in ministrorum et » pauperum necessitates converti » debent, per se, vel alios, vi, vel » timore incusso, seu etiam per » suppositas personas clericorum » aut laicorum, seu quacumque arte, » aut quocumque quaesito colore, » in proprios usus convertere, il» lasque usurpare praesumpserit, » seu impedire ne ab iis, ad quos » iure pertinent, percipiantur; is » anathemati tamdiu subiaceat, » quamdiu iurisdictiones, bona, res, » iura, fructus et reditus quos oc» cupaverit, vel qui ad eum quo» modocumque, etiam ex dona» tione suppositae personae, per» venerint, Ecclesiae eiusque admi» nistratori, sive beneficiato, inte» gre restituerit; ac deinde a Ro» mano Pontifice absolutionem ob» tinuerit. Quod si eiusdem Eccle» siae patronus fuerit, etiam iure » patronatus, ultra praedictas poe» nas, eo ipso privatus existat. Cle» ricus vero qui nefandae fraudis » et usurpationis huiusmodi fabri» cator, seu consentiens fuerit, » eisdem poenis subiaceat, nec non » quibuscumque beneficiis priva» tus sit, et ad quaecumque alia » beneficia inhabilis efficiatur, et a » suorum ordinum executione, e-

» tiam post integram satisfactionem » et absolutionem, sui Ordinarii » arbitrio suspendatur. »

In eiusmodi Capite expendendo, ipsius Capitis ordinem sequimur. Inquiremus scilicet:

1. Quaenam personae huic excommunicationi subiiciantur.

2. Ob quasnam actiones excommunicationem incurrant.

3. Sub quibusnam conditionibus.

At in hisce expendendis etiam differentias indicabimus quae intercedunt inter presens Tridentinorum Patrum Caput, et Caput XI exc. 1. cl. quod hoc loco inserimus, ut lectores illud sub oculis habeant: *Usurpantes, aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.*

Utrumque Caput legentibus patet, Tridentinum latius sese extendere prae Capite XI. Dum enim in hoc excommunicantur tantummodo *usurpantes et sequestrantes* in eo excommunicatione plectuntur etiam illi qui nedum usurpant, sed *quacumque arte* vel *quaesito colore* in proprios usus convertunt, vel impediunt quominus bona vel ecclesiastici reditus quicumque ad quos pertinent pervenire possint; ac insuper etiam illi ad quos per donationem suppositae personae bona, fructus, vel iura huiusmodi pervenerint, nisi ignorantia excusentur.

Qua de causa occupantes huiusmodi quamvis effugere possint Constitutionis *Apostolicae Sedis* censuram Cap. XI latam, non item Tridentinam excommunicationem, quae sese extendit ad aliud quodcumque occupationis genus fundatum in quocumque titulo etiam colorato.

Attamen quantum ad usurpationem attinet observandum est, eodem sensu in utroque Capite sumi; at relate ad poenas quae incurruntur ob idem crimen tum in Tridentino, tum in Piana Constitutione excommunicationi subiectum, praevalere Constitutionem *Apostolicae Sedis;* ideoque usurpatorem bonorum ecclesiasticorum non incurrere Tridentinam Censuram, sed excommunicationem Pianae Constitutionis, et nullo pacto utramque.

Id constat nedum ex iuris aequitate, qua scimus ob idem crimen duplicem non esse poenam eiusdem speciei imponendam, praesertim si inter poenas gravissima sit, ut in casu nostro, quo usurpantes incurrerent excommunicationem maiorem speciali modo Romano Pontifici reservatam in Const. *Apostolicae Sedis*, et simpliciter reservatam in Concilii Tridentini Capite; sed etiam ex declaratione lata a Suprema Inquisitione die 8 Iulii 1874. Supremi Inquisitores enim interrogati huiuscemodi:

« Qua parte Tridentinae Censurae » a Constitutione *Apostolicae Sedis* » confirmatae adhuc vigeant? Quod

» idem est ac quaerere: an pec-
» cans in materia, quam et Consti-
» tutio *Apostolicae Sedis* et Concii-
» lium Tridentinum attingunt, in
» duplicem excommunicationem in-
» cidat; alteram Rom. Pontifici spe-
» cialiter reservatam vi supradictae
» Constitutionis; alteram simpliciter
» reservatam vi Concilii Tridentini?
» Et proinde, an usurpatores bono-
» rum ecclesiasticorum duplici in-
» nodentur excommunicatione? »

Eadem porro Sacra Congregatio respondit.

« Ad 1. Negative. Videlicet usur-
» patores bonorum ecclesiasticorum
» innodari sola excommunicatione
» Romano Pontifici specialiter re-
» servata » (1).

Hinc quantum ad *usurpantes* attinet excommunicatio Tridentina vim suam amisit, cum conversa fuerit in latam in Cap. XI Pianae Constitutionis.

Attamen quantum ad extensionem vocis putamus, eam eamdem vim habere, ac in Cap. XI Constitutionis *Apostolicae Sedis*, quo affirmavimus *Comment. Tom. 1. pag. 364* de unis usurpationibus quae *auctoritative* fiunt sermonem esse (2).

(1) Decretum habetur Vol. IX Act. S. Sedis pag. 114.

(2) Porro ita scripsimus. *Differunt sequestrum et usurpatio, quod haec fiat auctoritative, scilicet a potestatibus superioribus.* Et: *Qua de causa usurpatorum nomine venire non possunt privatae personae, quae bonum aliquod Ecclesiae sive fructum usurpent, cum in iis usurpatio stricto sensu, prout hic accipienda est, vix aut ne vix quidem concipi possit, cum legibus latis obstringantur, et potius ut fures et latrones sint habendae, quorum actio sub excommunicatione non cadit, quam usurpatores proprie dicti.* Idque auctoritate cl. Roncaglia confirmavimus.

Clarissimus F. Piat *Commentarius in Const. Apostolicae Sedis pag. 86*, scribit; nostrae interpretationi adversari communiorem Doctorum sententiam, verba legis esse generalia, eiusdem finem esse intactum servare Ecclesiae patrimonium, ei insuper adversari S. Congr. Concilii decretum diei 23 Maii 1874.

Hisce tamen a sententia nostra recedere non putamus. Et nil immoramur circa Doctorum pluralitatem, quorum auctoritas rationi subesse debet. Attamen non omnes qui ab praestantissimo auctore allegantur sententiae favent. Alterius ex. gr. *De Censuris Tom. 1. disput. XVII pag. 720* nostrae potius sententiae favere videtur. Scribit enim « Dicimus in hanc excommunicationem incidere omnes illos, qui iu-
» risdictionem, aut fructus ad ecclesiasticas personas spectantes ratione suarum
» ecclesiarum et beneficiorum occupant, praesumentes hoc posse, et eis licere ra-
» tione auctoritatis et potestatis quam habent, sive sit laica, sive ecclesiastica....
» Lata est haec excommunicatio non simpliciter contra fures et raptores, sed contra
» Dominos et Superiores qui beneficiorum ecclesiasticorum fructus usurpant. »

Equidem non negamus Alterium subdere: « Verum cum non coarctetur ad dictos Superiores et dominos, complectitur omnes universaliter, qui ea ratione
» occupant bona Ecclesiae, ac si ad illos pertinerent, et non rapiunt tamquam
» aliena bona. Tunc enim quis usurpare dicitur proventus quando potestate domi-
» nandi, et quasi iure proprio utens illos praeoccupat. »

Iuxta Alterium igitur lex haec lata principaliter fuit contra eos qui usurpant

Quod demonstramus 1°. ex relato Supremae Inquisitionis decreto. Si enim usurpantes, de quibus in Tridentino Capite, incurrunt excommunicationem Cap. XI Constit. *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici speciali modo reservatam, cum hoc in capite sermo sit de usurpationibus

bona Ecclesiae confisi auctoritate qua potiebantur; principaliter ergo usurpatio haec ex auctoritate iuxta Alterium procedit; aliamque privatam inducit eo quod lege non coarctetur ad Dominos et Superiores. Quaecumque vero ratio fuerit praestantissimo Vaticanae Basilicae Canonico etiam ad privatas usurpationes legem extendere, quae aetate eius facilius contingere poterant ob adhuc invalescentem pheudalismum, non est negandum, aevo nostro difficillimum esse, ne dicamus prorsus impossibile ut contingant. At Pius Papa IX legem tulit praesertim pro hac aetate qua non privatae personae usurpant vel usurparunt, sed supremi imperantes civiles; et cum leges fiant de iis quae frequenter accidunt, non est putandus Pius Papa IX ad privatas usurpationes legem extendere voluisse, ad facta scilicet quae nunc nec contingunt, nec contingere possunt.

Huic vero accensendi alii sunt qui diserte sententiam nostram defendunt, ut ipsi adversarii fatentur.

Non inficiamur autem verba legis generalia esse; at neque inficiandum est, eiusmodi generalia verba restringi ad vocem *usurpantes*; hi autem plano et obvio sensu illi sunt et esse debent qui usurpare possunt et impune, cum incongruum nobis videatur legislatores legem tulisse pro iis qui vel usurpare non possunt, vel si usurpent, lata lege ad restitutionem et ad poenam cogantur. Addimus, nostra aetate eiusmodi privatam usurpationem impossibilem esse et Pium Papam IX, uti diximus, legem renovasse ob usurpationes iurium et bonorum ecclesiasticorum ab habentibus potestatem politicam patratas. Ergo et tempus, et circumstantiae et Legislatoris intentio atque finis verbum *usurpantes* ad habentes potestatem limitant, et non ad privatas personas quae usurpare vere et proprie non possunt.

Id vero melius patere arbitramur ex ipsa *usurpationis* definitione, quae *est illa actio, qua quis rem alienam, quasi iure proprio, seu tamquam sibi debitam vindicat et adscribit.* Ergo non est furtum, aut rapina. In usurpatione quapropter id quod primo et necessario requiritur est illa mentis credulitas aut cogitatio qua usurpans putat rem illam esse suam vel eam sibi adscribere posse eo quod in eam ius habeat; si enim ex definitione vel indole usurpationis demamus eiusmodi conceptus, iam usurpatio convertitur in furtum aut rapinam, in quibus credulitas eiusmodi locum habere non potest. Atque hinc intelligimus quare Cardinalis Petra *Comment. ad Const. 1. Leonis IX, Sect. I. n. 11* de usurpatione dicat: qui actus est, si quis bona Ecclesiae sibi appropriet, auctoritate quadam speciali ius sibi dicens, scilicet usurpatorem putare rem quam invadit sibi competere, ideoque, nullo servato iuris ordine, eam sibi sumere.

Hisce positis: cum bona quaelibet divisa sint atque singula pertineant ad individua, societates, familias, communitates, privatae personae nequeunt eam sibi in animo credulitatem inducere quod bona ex. gr. Titii, aut Ecclesiae, aut beneficii huius vel illius ad se pertineant, aut saltem in ea tale ius habeant ut illa sibi impune adscribere possint; sciunt enim non esse sua; oportet ergo ad talem sumendam credulitatem, ut aliquod ius, vel titulum particularem habere se putent quo credant bona illa esse sua. Atqui in tali casu deest usurpationis conceptus, cum adsit titulus particularis quo quis credit rem esse suam. Si vero sine ullo titulo bona, vel

tantum auctoritativis, non intelligitur quomodo sub eodem capite et poena etiam actiones quae usurpationes privatae ab aliquibus vocantur comprehendi possint; idque ex natura legis odiosae, quae ad alios casus extendenda non est, neque ad alias personas.

fructus sibi usurparet privata persona, iam non esset usurpatio, sed furtum, vel rapina; qui enim sine ullo titulo bona aliena sibi sumit fur est et latro. In personis privatis igitur usurpatio proprie dicta non concipitur et non supponitur.

At in supremis imperantibus titulus iste particularis, quo putant Ecclesiasticas iurisdictiones, bona, redditus ad se pertinere, non requiritur, cum omnia sibi licita et debita putent ratione potestatis. In supremis imperantibus igitur usurpatio proprie dicta et supponitur et existit, habita etiam ratione quod latis a se legibus sint superiores, neque iis teneantur obstricti. Hoc autem ex plurimis factis constare nemo ignorat, cum et antiquitus, et nunc, et in futurum Reges Ecclesiae iura et bona usurpaverint, usurpent et usurpaturi erunt, ea unica ratione ducti quod supremae potestati omnia licent, praesertim si expediant.

At si consideremus usurpationis obiecta melius rem dignoscemus. Excommunicantur porro usurpantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

Atqui nemo negaverit, usurpationem iurisdictionis ab eo tantum fieri posse qui potestatem habet: quomodo enim privatus quilibet, nunc temporis praesertim, usurpare posset auctoritatem ex. gr. pheudalem, aut spiritualem (quod postremum in sensu adversariorum dicimus) alicuius Episcopi? Aut parochum accepta iurisdictione privare sibique arrogare sine gubernii venia et auctoritate, vel sine eius consensu? Quandoquidem ubi leges vigent, quibus quis iura sua defendere et tueri possft, hoc est impossibile sine gubernii venia, vel auctoritate, vel consensu. Iurisdictionem ecclesiasticam igitur sive temporalem sive spiritualem privatae personae nostra aetate sibi usurpare non possunt.

Sed ob easdem rationes, ergo neque redditus quorum iurisdictio et bona sunt fons et origo. Ex quo sequitur, si quando legum latores leges de usurpationibus privatorum tulerunt, non proprio sensu illas sumpsisse, sed latiore significatione. Haec vero generice dicta sint. Nam in casu nostro res evidentior fit ratione temporis, circumstantiarum, et finis a legislatore intenti.

Ex quibus, ni tamen fallimur, nutare deprehendimus rationem alteram ex eo petitam quod legis finis sit intactum servare Ecclesiae patrimonium. Etenim haec ratio et nimis probat, et falso supposito laborat. Hoc quidem, quia nisi auctoritatem politicam habentes, seu saeculares principes, Ecclesiastica bona usurpent, patrimonium ecclesiasticum numquam imminuetur; privatae personae enim si usurpare tentarent, in ordinem illico redigerentur: imminutio quapropter patrimonii ecclesiastici ab privatorum usurpationibus metuenda non esset. Nimis vero probat; nonne enim fures et latrones, praesertim si pretiosa mobilia raperent, non solventes Ecclesiae decimas, aut locationes domorum praediorumque patrimonium Ecclesiae imminuunt? attamen hi cum usurpantes non censeantur, Piani capitis ex communicationem non incurrunt.

Superest ut tertium expendamus argumentum petitum ex Decreto lato a S. Congregatione Concilii die 23 Maii 1874. Illud porro latum fuit ad compescendam quorumdam Parochorum audaciam qui ad munus Parochi vel Vicarii Paroecialis in

2°. Quod autem in cit. Const. *Apostolicae* Capite XI, Pius Papa IX loquatur de unis usurpationibus auctoritativis, praeter argumenta quae adduximus in eo capite expendendo, demonstratur etiam ex allegato Supremae Inquisitionis decreto, quo quaesitum fuit: « 2°. An

Helvetia et Longobardia electi, audebant munia ecclesiastici ministerii obire, et in possessionem iurium et redditnum sese immittere. Contra eiusmodi facinus tuba pontificia insonuit Pius Papa IX literis encyclicis datis die 21 Novembris 1873 (*Acta S. Sedis Tom. VII. pag. 465.*) in quibus haec dolet et decernit. « Nimirum idem » gubernium (Gebennense) sibi ius arrogavit refingendi in eo pago constitutionem » Ecclesiae catholicae, eamque exigendi ad democraticam formam, subiiciens Epi» scopum cum quoad exercitium propriae iurisdictionis et administrationis, tum » quoad potestatis suae delegationem auctoritati civili, vetans ne in pago illo » domicilium haberet; definiens Paroeciarum numerum et limites, proponens formam » et conditiones electionis Parochorum et Vicariorum, casusque et modum revoca» tionis eorum aut suspensionis ab officio, tribuens laicis hominibus ius illas no» minandi, laicis item credens temporalem cultus administrationem, eosque, inspe» ctorum instar, rei ecclesiasticae generatim praeficiens. Cautum praeterea his » legibus, ut sine gubernii venia, et hac quidem revocabili, parochi et Vicarii » functiones nullas exercerent, nullas dignitates acciperent illis ampliores quam » per populi electionem essent adepti; iidemque a potestate civili ad iusiurandum » adigerentur in ea verba quibus veri nominis apostasia continetur. Nemo non » videt huiusmodi leges non solum irritas et nullius roboris esse ex omnimodo » potestatis defectu in legislatoribus laicis et ut plurimum haeterodoxis, sed etiam » in iis quae praecipiunt sic adversari catholicae fidei dogmatibus et ecclesiasticae » disciplinae, per oecumenicam Synodum Tridentinam et Pontificias Constitutiones » sancitae, ut eas omnino a nobis improbari damnarique oporteat.

» Nos itaque ex officii nostri debito, auctoritate nostra Apostolica, eas solem» niter reprobamus et condamnemus; declarantes simul, illicitum esse ac plane » sacrilegum iuramentum ab ipsis indictum; eosque propterea omnes, qui in Ge» benuensi tractu aut alibi iuxta earumdem legum decreta aut non absimili modo, » suffragante populo et confirmante civili potestate electi, audeant obire munia » ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrere in excommunicationem maiorem pe» culiariter reservatam huic Sanctae Sedi, aliasque poenas canonicas: adeoque eos » omnes fugiendos esse a fidelibus, iuxta divinum monitum, tamquam alienos et » fures qui non veniunt nisi ut furentur, mactent et perdant.

Hisce Rom. Pontificis Epistolis subsecutum est Decretum ab S. C. Concilii latum die 23 Maii 1874, quo inter alia haec habentur: « Quin imo scelus huiusmodi eam » praeterea redolet nequissimam iurisdictionis, bonorum, ac iurium Ecclesiae usurpa» tionem quam Concilium Tridentinum anathemati tamdiu subiecit, quamdiu usurpa» tio cessaret, ac Constitutio *Apostolicae Sedis* IV Idus Octobris 1869 obnoxiam de» claravit excommunicationi late sententiae speciali modo Rom. Pontifici reservatae. » Cum tamen tot saluberrimae SS. Canonum sanctiones haud fregerint audaciam ac » nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiae regionibus illud ipsum patrare» tur nefas, quod in proxima Helvetia nuper fuerat Apostolica auctoritate disiec» tum, SSmus D. N. Pius Papa IX, prae maxima qua flagrat erga omnes oves » sollicitudine et charitate, mandavit huic S. Congregationi Concilii eidem malo

» qui emunt bona ecclesiastica ab » usurpatoribus usurpata incidant » in excommunicationem Romano » Pontifici specialiter reservatam? »

Cui responsum fuit: « Minime » dubitandum, quin ementes bona » ecclesiastica ab usurpatoribus in» cidant in excommunicationem Ro» mano Pontifici reservatam. »

Atqui usurpatores de quibus et dubium proponebatur, et responsio data fuit non sunt alii quam ipsi principes Supremi, seu ipsa gubernia; ab his enim bona ecclesiastica usurpata sunt et usurpantur, atque ab his privatae personae, illa et emerunt et emunt. Non debet igitur caput illud ad privatas usurpationes extendi. Sed qui usurpant non Tridentinam incurrunt excommunicationem, sed illius capitis. Ergo et Tridentini capitis usurpationes auctoritativae, non privatae, intelliguntur.

3°. Pro eiusmodi insuper quaestione omnia illa argumenta faciunt, quae in superiori nota attulimus; cum usurpationes privatae proprie dictae vel impossibiles sint, vel fere, et certe admodum difficiles et potius furta sint et latrocinia, quam usurpationes in sensu vero et proprio; leges autem conduntur de iis quae frequenter accidunt.

Ex verbis autem Tridentini Capitis non percipimus, in eo sermonem esse de privatis usurpationibus, cum de talibus agatur factis

» eadem occurrendum esse medela: ideoque iussit Ecclesiasticis Provinciis Venetae » ac Mediolanensi, singulisque Dioecesibus patriarchali ac metropolitanae iurisdi» ctioni subiectis applicari atque inculcari, prout praesenti decreto reapse appli» cantur atque inculcantur, ea omnia, quae pro Helvetica foederatione, quoad popu» larem parochorum electionem sapientissime constituta sunt in nuperrimis litteris » Encyclicis diei 21 Novembris 1873; adeo ut quicumque in praememoratis Dioe» cesibus, suffragante populo, ad Parochi sive Vicarii officium electi audeant sive » Ecclesiae, sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire » munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrant in excommunicationem maio» rem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas canonicas etc. » *Acta S. Se» dis Tom. VIII pag. 702.*

Ex eiusmodi porro decreto ita concludit doctissimus Piat. *Comment. pag. 87* » Iam autem neque Parochi, neque Vicarii publica potiuntur potestate, qualem » requirunt prioris sententiae patroni.

Verum, privata ne potestate eiusmodi Parochi atque Vicarii sese intromittebant in Paroecias? Et nonne potius auctoritate illa qua eos communierat Gebennense gubernium? nonne vi latarum legum quas Pius IX solemnissime repudiat atque condemnat? Decretum igitur S. Congregationis Concilii nostrae sententiae, non adversae favere dignoscitur. Equidem intrusi illi erant privatae personae. At potuissent nisi auctoritate publica muniti fuissent, atque vi legum, parochos legitimos expellere, eorumque iura sibi usurpare? Profecto non potuissent. Usurpatio igitur iurisdictionis, bonorum et reddituum Ecclesiae sine publica auctoritate, nostro saltem aevo, non intelligitur. Nihil autem refert quod qui iurisdictionem usurpatam exercent sint privatae personae; id enim in eiusmodi facinoribus semper eve-

et actionibus, usurpatione scilicet iurisdictionum, bonorum, censuum, iurium etiam pheudaliun et emphyteuticorum, fructuum, emolumentorum, et obventionum quarumlibet alicuius Ecclesiae, cuiusvis saecularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum, quae quomodo a privatis personis admitti et ad finem perduci possint, prorsus non videmus; cum haec omnia et sub legum vigentium custodia degant, et domini atque administratores existant, qui certe rebus suis et Ecclesiae conservandis invigilant, neque patiuntur, nisi complices sint, ut ab aliquo ipsis videntibus (nam usurpatio factum publicum indigitat) bonis concreditis spolientur.

Id vero ex ipsis adversariis percipimus, qui ut *usurpationem* Tridentini Capitis ad privatas etiam personas extendant, eam improprio sensu accipiunt, pro qualibet scilicet actione iniusta qua quis bona praedictorum locorum invadit et surripit. *Ita Bonacina.* At nemo obliviscatur, in lege odiosa verba esse stricto sensu interpretanda; nemo obliviscatur quod si sensu a Bonacina accepto usurpationem, de qua in Tridentino capite, sumamus, haec actio extendenda est ad quodlibet furtum grave, quod sub usurpatione comprehendi posse difficillimae probationis est, ut infra videbimus.

Quid autem? Num ne et ceterae

nit. Saeculares principes enim leges iniquissimas ferunt contra Ecclesiastica iura; at nova iura quae saeculares principes statuunt, per privatas personas exercent; non enim ipsi munia episcopalia aut paroecialia gerunt.

Difficultati tamen occurrendum esse decernimus. Nonne et Presbyter et Episcopus vi populari suffulti possent legitimos pastores depellere, et eorum iurisdictionem, bona, redditus sibi usurpare?

Quamvis id contingere posse arbitremur, relate ad expulsionem legitimorum pastorum, Parochorum praesertim, difficillimum tamen putamus intrusos sese in usurpata iurisdictione, sine publica auctoritate conservare posse, multo minus bona et redditus sibi arrogare; requiritur enim, ut plurimum, regium placitum. In statibus autem solide constitutis eiusmodi usurpationes non committuntur sine gubernii venia et consensu; qua sine si admittantur, illico finem habent. Vis insuper popularis nonne est vis publica?

Attamen non videtur Pius Papa IX usurpationes eiusmodi quae perdurare non possunt, et raro admodum contingunt, voluisse in cit. Cap. XI excommunicatione plectere; sed usurpationes, si ita loqui fas est, authenticas, quae scilicet cum potestate committuntur; quod nedum ex iis quae diximus patet, sed etiam ex verbo *sequestrantes;* nulla enim privata persona iurisdictiones et bona ecclesiastica sequestrare potest, cum ad sequestrum, nisi sit voluntarium, de quo in Cap. nostro sermo non est, requiratur sententia iudicis. His autem addenda sunt argumenta quae infra ex Declaratione quadam Supremae Inquisitionis desumemus.

Dabunt lectores veniam si in hisce prolixius fortasse eos detinuerimus. At agitur de excommunicatione, quae nemini, sine certo et evidenti argumento, imponenda est. Si in Piano Capite agi de usurpationibus privatis, ni falsum omnino, saltem admodum dubium esse arbitramur. At in dubio quod minimum sequendum esse norunt universi

actiones quae in Tridentino Capite excommunicatione plectuntur, sunt auctoritativae et potentiales?

Nobis non ita videtur, et haec lectorum nostrorum consideranda subicimus.

1°. Tridentini Patres complectuntur quaslibet personas sive ecclesiasticas, sive saeculares. *Si quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat.* Quae verba generalia prorsus sunt; et comprehendunt quaslibet personas. Ad quod melius intelligendum animadvertatur, dignitatem attribui tantum laicis hominibus, non Clericis. Ergo cum sub Clericorum nomine veniant praesertim inferiores Clerici, de his etiam Tridentini Patres loquuti censendi sunt; atque idipsum sentiendum de laicis, quos inter comprehendi debent etiam Reges et Imperatores, qui relate ad poenas non censentur sub lege comprehendi nisi exprimantur; ita ut locutio Tridentina huic aequipolleat: *Si quem laicorum,* etc., *fuerit is etiam in imperiali aut regali dignitate constitutus;* comprehendit ergo etiam privatas personas.

2°. Si Clerici aut laici, de quibus Patres Tridentini loquuntur, sunt tantum personae in dignitate constitutae, etiam *patronus Ecclesiae,* de quo infra loquuntur, erit persona in dignitate constituta. At hic potest esse Clericus vel laicus; Clerici autem certo certius sunt etiam privatae personae, ut diximus; atque idipsum de laicis dicatur. Ergo patronus huiusmodi potest esse etiam privata persona. Quomodo autem probaretur, patronum Ecclesiae esse personam in dignitate constitutam, seu auctoritate publica praeditam? Non ex verbis Capitis, ut patet; sed neque ex facto, cum non paucae privatae personae, quamvis plerumque insignes, sint Ecclesiarum patronae.

3°. Excommunicationem incurrunt etiam illi, ad quos bona Ecclesiae pervenerint quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae. At sub eiusmodi censu comprehendi tantum Reges et Imperatores difficillime intelligitur.

4°. Ex relato Supremae Inquisitionis decreto, qui emunt bona ecclesiastica ab usurpatoribus incidunt in Tridentinam excommunicationem. *Etenim,* prosequuntur Inquisitores supremi, *praescindendo a quaestione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constitutionis* Apostolicae Sedis *Articulo XI, nulli dubium esse potest, quin comprehendatur a clarissima dispositione Capitis XI* De Reformatione *Sess. XXII Concilii Tridentini.*

At si actiones quae in Tridentino Capite excommunicatione percelluntur essent omnes *auctoritativae et potentiales,* privatae personae ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus, scilicet a supremis principibus usurpata, hanc excommunicationem non incurrerent.

5°. Pius Papa IX in Allocutione habita die 25 Iuiii an. 1873 (1) aperte affirmat, emptores bonorum ecclesiasticorum incurrere hanc Tridentinam censuram. «Omnino com» pellimur, inquit, ab officio vindi» candi Ecclesiae iura, a studio » praemonendi incautos, ab ipsa » caritate erga sontes, elata voce » nunciare iis omnibus, qui prae» dictam legem proponere, proba» re, sancire non extimuerunt; nec » non mandantibus, fautoribus, con» sultoribus, adhaerentibus, execu» toribus, bonorumque ecclesiasti» corum emptoribus, non solum » irritum esse, cassum et nullum » quidquid hac in re egerint, aut » sint facturi, sed universos maiori » excommunicationi, aliisque cen» suris et poenis ecclesiasticis, iu» xta sacros canones, Apostolicas » Constitutiones, et generalium » Conciliorum, Tridentini praeser» tim decreta, inflictis obstringi, » severissimam incurrere divinam » ultionem, et in aperto versari » aeternae damnationis periculo. »

At nullum aliud Caput in Tridentino Concilio latum novimus, quo emptores bonorum ecclesiasticorum excommunicatione obstringuntur, nisi praesens quod expendimus. At emptores sunt praesertim privatae personae; horum igitur actio ex Tridentino Capite non est excludenda.

Exinde vero inferendum esse censemus, in Tridentino Capite et esse actiones auctoritativas et potentiales quae excommunicatione mulctantur, et esse etiam privatas; has autem esse ex subiecta materia, et actionis ipsius qualitate dignoscendas. Ita, ut rem declaremus, usurpatio iurisdictionum et iurium pheudalium, emphyteuticorum, bonorum Montium pietatis, et bonorum ecclesiasticorum stabilium, domorum ex. gr. agrorum, fructuum etc., est potentialis et auctoritativa, ut probavimus: Sicut proprio sensu actio auctoritativa est impedire quominus fructus et obventiones ecclesiasticae ab iis percipiantur ad quos de iure pertinent; ad id enim requiritur auctoritas et potestas; etenim sine hac impedimentum personarum particularium, si quod daretur, publica potestate invocata, illico cessaret. Atque de cetero inter usurpatores invasores et in proprios usus convertentes etiam imperatores et Reges recenseantur, ut inde intelligamus, aliquas saltem ex vetitis actionibus auctoritative et potentialiter procedere. Quamvis etiam omnes; etsi enim privatae personae quae Regis exigunt auctoritatem potentiamque exequi non possint; hic optime exequi potest quae a privatis personis possunt admitti. At illae quaenam erunt aliae nisi, quae vel tantum a supremis principibus, vel sine eorum auctoritate committi

(1) Acta S. Sedis Tom. VII.

non possunt? Eiusmodi igitur criterio in Tridentino Capite actiones vetitae secernendae nobis videntur. Ut quae sine principum supremorum auctoritate committi non possunt auctoritativae sint et censeri debeant; ceterae quae etiam a privatis personis peragi possunt, utpote ad quas explendas vel auctoritas suprema non requiratur, vel ea eludi facile possit, privatae censendae sint. Ita conversio bonorum mobilium, ex. gr. pecuniae, frumenti, fructuum, et etiam obventionum, saltem aliquarum, in proprios usus perfici potest etiam a personis privatis; pariter ad privatas personas bona ecclesiastica ex donatione suppositae personae pervenire possunt, vel *quomodocumque;* qua de causa etiam emptione, quo titulo, nostro saltem iudicio, emptio bonorum ecclesiasticorum sub Tridentino Capite comprehenditur, cum adverbium illud *quomodocumque* includat quodlibet factum, quo bona ecclesiastica ad aliorum manus pervenire possunt.

Hinc non absolute, sed sub aliquo tantum respectu, repudianda est sententia cl. Commentatoris Reatini, qui *Comment. pag. 56, Nota 40, Edit. 3. 1880,* affirmat, « hoc decretum, non ad quascumque occupationes, sed ad *auctoritativas* et *potentiales* pertinere. » De Luca *Ad Trident. hunc tit. Discept. 23.,* etenim nonnullae vetitarum actionum *auctoritative* et *potentialiter* procedere prorsus debent, cum a privatis personis perfici non possint; at non omnes, ut supra diximus.

Omnino autem sequimur cl. Commentatorem in iis quae subdit, non quamlibet scilicet bonorum ecclesiasticorum in proprios usus conversionem, aut iniustam acceptionem excommunicatione plecti. «Secus, inquit, et quidem recte, si quisquis rem quamlibet, vel modium frumenti, aut amphoram olei, quocumque modo in suos usus convertit; v. c. conductor qui mercedem non solvit, commodatarius, depositarius qui rem non restituit, quisquis sibi arborem succidit, finitimus qui limites agrorum ingreditur, vel in confinio aedificium ponit, excommunicationem incurrit, necesse erit excommunicationibus Ecclesiam repleri, quod a mente Tridentini videtur alienum prorsus (1). Proinde decretum hoc nec eos tenet qui decimas subtrahunt vel impediunt, quod plane decretorium est (2).

(1) *Sess. XXV, Cap. III De Reform.* « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. »

(2) Etenim Tridentina excommunicatio in non solventes, aut decimas solvere

» Quid quod usus huius decreti » in Curia Romana nimium rarus » est? Quin haec damnat: inferio- » rum facilem abusum dum etiam » contra privatos debitores qui ex » aliqua praetensione decimas, vel » canones, livellos, aliasque prae- » stationes statutis temporibus non » solvunt, ad has poenas procedunt; » sive contra eos qui ex privatis iu- » ribus ac praetensionibus aliqua » possideant bona, quae ad Eccle- » sias, vel pia loca spectare prae- » tendatur. »

Quae tamen postrema, quae ex De Luca *Loc. cit.* observat vir praestantissimus, ad rem facere non videntur, cum agatur et de debitoribus qui statutis temporibus, quamvis ex praetensione aliqua, non solvunt, ideoque in solvendo moras nectentibus; non igitur de iis qui solvere nolunt, ut deinde ecclesiae redditus in proprios usus convertant; et de iis qui ex privatis iuribus ea bona sibi sumpserunt, quae praetendantur ad Ecclesiam vel pia loca pertinere; si autem, ex praetensione, ergo non ex certo iure; ergo de bonis super quibus dubium est, an certo ad Ecclesiam pertineant.

Attamen cum usus huius decreti in Curia Romana nimium rarus sit, et e contra conversio illicita bonorum ecclesiasticorum, praesertim fructuum, in proprios usus, valde frequens, exinde dignoscimus non quaslibet huiusmodi actiones ex Tridentino Capite, excommunicatione mulctari, sed eas tantum, quae, ut ita loquamur, specialem indolem habeant, ob apertam iniquitatem, iniustitiam, violentiam, fraudem, animique contra Ecclesiam perversitatem, aut praetensionem qua quis putet iura et bona Ecclesiae ad se spectare, quae omnia ex lectione Capitis perbelle intelliguntur. Etenim Tridentini Patres utuntur a principio verbis solemnibus. *Si quem Clericorum aut laicorum in tantum malorum omnium radix cupiditas occupa-*

impedientes est, non latae, sed ferendae sententiae, ut constat ex Sess. XXV, Cap. XII de Reform. « Non sunt ferendi qui variis artibus decimas Ecclesiis ob- » venientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et » in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare » noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur S. Syno- » dus omnibus cuiuscumque gradus aut conditionis sint, ad quos decimarum solutio » spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali aut quibus » cumque aliis Ecclesiis vel personis quibus legitime debentur, integre persolvant. » Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc cri- » mine nisi plena restitutione sequuta absolvantur. » Cum itaque excommunicatio *Sess. XII, Cap. XI* de qua agimus sit latae sententiae, evidentissimum est, hoc in Capite non comprehendi subtrahentes, aut non solventes, aut impedientes decimarum solutionem, easque in rem suam convertentes. Ergo non quaelibet conversio bonorum ecclesiasticorum in proprios usus excommunicatione mulctatur in Tridentino Capite.

verit; quae hyperbolica videntur, si aptentur ad quaslibet illicitas conversiones bonorum ecclesiasticorum in proprios usus, atque ad eas actiones quas supra recensuit Commentator Reatinus; deinde non minus solemniter loquuntur de variis bonis, iuribus, et iurisdictionibus, quas Clerici vel laici et usurpant et in proprios usus convertunt; quorum nonnulla a privatis personis vix aut ne vix quidem in proprios usus converti possunt; demum loquuntur de horum bonorum usurpatione et in proprios usus conversione, *per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas laicorum aut Clericorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore,* quae prorsus intelligi non possunt de iis actionibus, aliisque similibus, quas supra enumeravit Com. Reatinus. Sicut nec de iisdem intelligi potest Clerici cooperatio; nam verba: *Clericus vero qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit,* etc., referuntur ad omnes actiones quas supra Tridentini Patres proscripsere. At possunt ne haec dici de aliquo furto, de aliqua subtractione fructuum, reddituum etc. ecclesiasticorum? Nostro profecto iudicio, ridiculos sese exhibuissent Tridentini Patres adeo solemniter loquendo, et tot tantasque poenas inferendo, si de qualibet mediocri bonorum ecclesiasticorum, et utcumque peracta loquuti fuissent. Locuti sunt ergo de rebus magni momenti, de usurpationibus, et bonorum ecclesiasticorum in proprios usus conversionibus speciali malitia peractis; deque iis quae contra specialem prohibitionem Ecclesiae, et in eius contemptum actae sunt, prorsus ut contingit de emptoribus bonorum ecclesiasticorum, non de quibuslibet et fere quotidianis. Quod eo fidentius, dicimus, quia ut probavimus, plurimae inter vetitas sint actiones potentiales et auctoritativae, quae ad privatas personas pertinere non possunt; aliae vero vel eas subsequantur, ut emere bona ecclesiae ab usurpatoribus, aliae habeant specialem malitiam et fraudem, ut si administratores bonorum ecclesiasticorum in proprios usus convertant redditus perceptos ex bonis quorum administrationem gerunt, sine ulla prorsus voluntate eos restituendi, sintque magni momenti; et alia huiusmodi. Clericus vero nefandae fraudis fabricator vel consentiens efficiat ut patronus Ecclesiae nedum patronus sed et dominus censeatur, vel principi suggerat aperiatque viam qua in possessionem bonorum, et reddituum ecclesiae pervenire possit; aut suadeat, eum, salva conscientia, esse dominum omnium bonorum etiam ad Ecclesias et pia loca pertinentium in genere, vel in specie ad illam Ecclesiam, Monasterium, beneficium, Episcopatum etc., atque princeps exinde in bona Ecclesiasti-

ca rapacem manum immittat, usurpet, et in proprios usus convertat.

Ex dictis vero inferimus. 1°. In Tridentino Capite esse actiones interdictas, quae potentiales sunt et auctoritativae.

2°. Esse etiam actiones quae a privatis personis perfici possunt, et perficiuntur.

3°. Has autem specialem vel inobedientiam, vel malitiam redolere debere.

4°. Hinc inter vetitas actiones accensendas non esse illas quae vel sunt minoris momenti, vel prope diem contingunt, ut negare mercedem, succidere aliquam arborem, uvas, olivas, fructus furari etc. De eiusmodi enim patres Tridentini non loquuntur.

Hinc ad discernendum quinam ex hoc capite excommunicationem incurrunt, attendendum esse censemus ad entitatem et malitiam actionis. Quare si haec fuerit minoris momenti, et nullam habens specialem malitiam fraudemque, aut nullam expressis Ecclesiae mandatis inobedientiam praeseferens, eam sub praesenti excommunicatione non comprehendi putare debemus; secus si actio privata (nam potentiales et auctoritativae tria illa semper complectuntur) hisce circumsepiatur.

Post haec inquiramus 1° quaenam personae huic excommunicationi subiiciantur?

Et profecto ex dictis iam patet legem universalem esse, sub eaque comprehendi quoslibet clericos, et laicos etiam regali et imperiali dignitate fulgentes; neminem consequenter excludi qui vel in proprios usus convertat, vel usurpet per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, vel impediat ne ab iis ad quos de iure pertinent percipiantur.

Attamen cum excommunicatio pendeat ex qualitate et malitia speciali actionis, privatae personae numquam excommunicatae censendae sunt, nisi actionem ponant et culpa sese commaculent, quae sub lege evidenter comprehendatur, prout superius innuimus.

2°. Hinc ad actiones enumerandas progredimur.

Et quantum ad usurpationem attinet, eam auctoritativam et potentialem esse, supra probavimus; sicut etiam diximus, et evidens patet, auctoritativas esse debere usurpationes bonorum Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum, [illegible] Montium pietatis, atque insuper [illegible] rium pheudalium et emphyteuti[illegible] rum, cum hae usurpationes a pri-

vatis personis perfici non possint, sicut hae nec impedire possunt vere et proprie quominus redditus quicumque ecclesiastici ab iis percipiantur, ad quos de iure pertinent; ad hoc enim necessaria est auctoritas publica, cum excedat vires et potestatem privatarum personarum. Nec nobis illa sententia displiceret qua assereretur, actiones omnes, de quibus in Tridentino Capite, saltem ab initio, auctoritativas et potentiales esse; relate ad Clericos, scilicet, eas committi ab Episcopis, Cardinalibus, et Abbatibus aliisque ecclesiasticis qui beneficium possideant cui plurima sint bona adnexa, et iurisdictio in determinatum territorium; relate vero ad laicos, a supremis principibus, vel civilibus guberniis, quocumque nomine censeantur. Exinde vero non excludi privatas personas, quae bona usurpata vel invasa emant, vel Legato, haereditate, donatione ad ipsas transmittantur, vel ad haeredes aliosve ipsae transmittant, tum ob declarationem citatam Supremae Inquisitionis, et Pii Papae IX allocutionem, tum ob rationes quas supra exposuimus.

Igitur 1° loco excommunicantur qui bona ecclesiastica in proprios usus convertunt, quicumque ii sint; sive scilicet ad solvendum aes alienum, sive ad belli expensas sustinendas, sive ad aedes reficiendas, bona emenda, negotiationem exercendam, etc. Cum enim bona ecclesiae adhibenda sint ad cultum Dei sustinendum, ministrorum obventiones, pauperum necessitates, sacrilegum est ea in alios usus expendere.

2°. Excommunicantur usurpantes; de quibus diximus. Qua de causa supremi principes qui bona ecclesiastica et usurpant et vendunt, vel in alios adhibent usus, nullo pacto excommunicatione eximuntur, non hac quidem, sed Cap. XI Const. *Apostolicae Sedis*.

3°. Ii qui impediunt ne fructus redditusque ecclesiastici quicumque percipiantur ab iis ad quos de iure pertinent. Impedire autem est efficere quod aliquis invitus et contra suam voluntatem dimittat opus vel actionem quam facere intendit. Ideoque ex hoc capite excommunicatione plectuntur illi qui vi, minis, auctoritate impediunt; non autem precibus, hortatione, et etiam adhibita pecunia, cum haec impedimenti naturam constituere non possint, impedire enim per se importat actionem aliquo pacto violentam; hi autem qui precibus, pecunia, hortamentis licitum opus quod agere debent, dimittunt, propria voluntate et malitia agunt; neque aliquo pacto impediuntur; lex autem cum sit odiosa stricto est sensu accipienda. Non putamus autem eiusmodi impedimentum pertinere ad privatas personas; tum quia Patres Tridentini loqui videntur de impedimento aperto, tum quia ii ad quos redditus de iure pertinent, vi legum, et auctoritate

iudicum illico repetere possent quod ad se pertinet.

Neque ad contrariam sententiam statuendam argumentum desumi potest ex verbis *quacumque arte, vel quocumque quaesito colore;* harum enim formularum prima machinationes, dolos et fraudes importat; alia titulos varios, sed fictos, seu praetextus quibus iustitia rei praetendi seu colorari videtur, ut infra melius explicabimus. Sub hisce vero titulis neque preces, neque hortamenta, neque pecuniae exhibitio venire possunt.

4°. Mandantes vetitas actiones, vel earum aliquam; hi enim diserte comprehenduntur sub illis verbis *usurpare* etc. *praesumpserit per se, vel alios;* qui enim per alium facit, mandans est. Attamen mandantes excommunicationem incurrunt effectu sequuto, sicut et ceteri vetitas actiones committentes; etenim in capite prohibetur usurpatio, conversio in proprios usus, impedire ne bona ecclesiae ad quos de iure pertinent, perveniant; quae omnia sine effectu secuto non intelliguntur. Qua de causa si quis aliquam ex proscriptis actionibus mandaverit, et perfici non potuerit, excommunicationem ob attentatum non incurrit.

5°. Illi qui quomodocumque usurpata bona acceperint sive donatione, sive emptione, sive haereditate, etc. adverbium enim *quomodocumque* quemlibet transmissionis modum includit.

Attamen circa eiusmodi contigerunt et contingere possunt casus qui enodandi sunt.

Titius praeter bona propria quae possidet, emit ab usurpatoribus fundum ecclesiasticum. Cum aere alieno gravetur, omnia quae habet licitatione una cum fundo ecclesiastico simul venduntur. Caius ea emit. Quid?

R. Caius Tridentini Capitis excommunicationem incurrere non videtur. Ad hanc enim incurrendam necessarium est ut emptio directe sese ferat in res et bona Ecclesiae. At in casu proposito, emptio cumulative se habet, imo principaliter se tenet ex parte bonorum quae pertinebant ad Titium. Caius autem vel universa bona emere debuit, vel nihil; at nemo potuit expoliare Caium iure emendi bona Titii, neque grave incommodum ob bonum Ecclesiae illis adnexum sentire debuit; ergo cum lex Ecclesiastica non obliget cum gravi incommodo, cum emptio principaliter se habeat ad bona quae Titii sunt propria, non potest Caius excommunicatus haberi, si emit etiam simul bonum illud ecclesiasticum; contractus enim se habet per modum unius, et principaliter respicit bona quae legitime emere poterat.

Exinde vero non consequitur; Ecclesiam in bonum illud iura sua amittere; sed nos de excommunicatione loquimur.

Sit alter casus. Usurpata a gu-

bernio bona Monasterii cuiusdam fuere, in quae Municipium ius pascendi et lignandi habebat. Ea deinde emit Ioannes. Cum hic bona empta quibuscumque servitutis iuribus libera vellet, cum Municipio transactionem fecit, ut ipse quidem Municipio cederet in proprietatem nonnullos fundos, hoc autem onere servitutis pascendi et lignandi cetera bona liberaret. Municipales transactionem acceptant et executioni mandant. An excommunicationem Tridentinam incurrerint?

Negative. Municipium enim nihil emit, sed habuit aequivalens per conversionem quamdam bonorum. Supposito enim quod ius pascendi et lignandi importaret summam decem libellarum millium, si fundos in proprietatem accepit eiusdem valoris, profecto municipium nihil lucratum est, nihil de Ecclesiae bonis sibi sumpsit; ea enim summa debita fuisset Municipio etiam ab Monasterii Praefectis, ad quod bona pertinebant. Hoc autem nihil amisit: cum enim bona usurpata gravata essent onere lignandi et pascendi, minus cum hoc onere valebant. Si autem contingat ut aliquando in dominium Monasterium redeat bonorum usurpatorum, quamvis ex parte fuerint imminuta quantum ad quantitatem attinet, ea quorum possessionem iterum accipit maioris pretii aestimantur, cum onere servitutis libera sint. Ergo in hypothesi Monasterium nihil omnino amisisset; et consequenter hac etiam de causa municipales nullam excommunicationem incurrere potuere. Hi enim quod ad municipium pertinebat, et nihil aliud acceperunt; neque prohiberi poterant quominus transactionem acceptarent, praesertim si lites imminerent, et bonum communitatis eam exigeret.

Angelus vinculo solvit (italice *svincolò*) nonnulla bona canonicatus cuiusdam quo supra iure patronatus gaudebat eaque iterum sibi et filiis suis vindicavit, soluta gubernio summa ad id necessaria, sine ordinarii facultate.

Ea deinde Pacifico vendidit, qui antequam contractum iniret, petiit ab viro ecclesiastico docto et prudenti, an emendo bona praedicta excommunicationem incurreret. Hic negative respondit. Qua de causa Pacificus contractum inivit.

An Angelus et Pacificus excommunicati censendi sint?

Nullum dubium quin Angelus excommunicationem contraxerit, nam vere eam partem bonorum ecclesiasticorum emit, quam fiscus sibi attribuerat; ideoque solvit triginta pro centenis singulis; quod cum sciens prudensque fecerit nulla ratione excusatur; bona enim illa quae Fiscus sibi usurpaverat, quaeque Angelus emit numerata pecunia, bona erant ecclesiastica.

At Pacificus antequam illa emeret, a viro prudenti et docto consilium expetivit, qui cum respondisset eum nullam esse excommu-

nicationem incursurum si bona illa emeret, quo accepto consilio Pacificus emit, manifeste patet, hunc in omnigena bona fide versari, et sine ullo peccato et sine ullo ecclesiasticae legis contemptu emisse. At sine peccato excommunicatio non contrahitur. Ergo Pacificus usque dum in bona fide manet, excommunicatus censendus non est.

6°. Excommunicantur patroni qui praedia Capellaniis, beneficiis et Ecclesiae addicta inconsulto et iniussu ordinarii emancipant, ut diximus.

7°. Item illi qui praedia in emphyteusim vel perpetuam, vel temporariam accepta, canone persolvendo redimunt; hi enim et directum et dominium utile sibi acquirunt; illi vero emunt canonem ad Ecclesiam spectantem, et liberum omnino fundum reddunt.

8°. Pariter illi qui redimunt census, canones etc., iure vel pacto irredimibiles. Non autem illi qui bona ecclesiastica vel in emphyteusim accipiunt, vel conducunt; cum horum actio sub vetitis in Capite Tridentino actionibus non comprehendatur, ut patet.

9°. Demum excommunicantur Clerici quicumque, (non ergo laici) qui nefandae fraudis vel fabricatores fuerint, vel consensum praestiterint.

Quid autem de furibus?

Ex iis profecto quae iam disputavimus hos sub Tridentino Capite non comprehendi constare putamus.

Attamen cl. Scriptores *de la Nouvelle Revue théologique Tom. X, pag. 629,* atque Commentator Patavinus *n. 113, pag. 227,* affirmant, et fures huic Tridentinae excommunicationi subiici.

Et illi quidem id demonstrare conantur 1°. Ex verbis legis quae omnino generalia sunt: *quacumque arte, aut quocumque quaesito colore.*

2°. Ex quadam declaratione S. Congregationis Concilii a Pignatelli allata: Consultationes canonicae, Tom. VII, Consult. XI, n. 5., quae ita legitur. « Hoc decretum » (Tridentinum) non habet locum, » quando dominus beneficii caedit » arbores fructiferas, et illas ad » commodum proprium convertit; » sed procedit in caedentes arbores » animo furandi ».

3°. Quam conformem esse dicunt tum literae, tum spiritui seu legis fini; literae quidem, quia excommunicatio fertur in omnes qui redditus ecclesiasticos *in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserint.* Spiritui vero seu fini per legem a legislatore intento, qui est conservare bona ecclesiastica ad illos usus ad quos destinata fuere.

Commentator Patavinus autem tantum ex auctoritate Bonacinae, et ex verbis legis inducitur ad concludendos *surripientes* sub excommunicatione Tridentini Capitis. « Ergo, scribit, decretum Triden- » tinum non solum complectitur

» stricti nominis *usurpatores*, sed » etiam alios quoscumque *invadentes, occupantes, surripientes*, uno » verbo eos omnes qui qualibet » adhibita arte, aut quocumque » quaesito colore, iura aut bona » ecclesiastica violant, *et in proprios usus convertunt* ».

His tamen non inducimur ad concludendos fures sub Tridentina excommunicatione.

Et quidem satis esset ad rem nostram probandam quod Tridentini patres in iis qui vetitis actionibus sese commaculant exigant *praesumptionem;* praesumptio autem in furibus et latronibus proprie dictis non supponitur; hi enim una praesumptione ducuntur: *furari quaecumque possint et quorumcumque sint, et in quocumque loco, quin aliquando sciant ad quos res subreptae pertineant.*

2° Quomodo de furibus (gallice *voleurs*) Patres Tridentini proferre potuissent exordium adeo solemne: *Si quem in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit?*

Loquuntur ergo de iis qui fures non sunt, quique ad furandum aliquando improba cupiditate duci possunt.

3° Quin si obiecta expendantur ad quae radix omnium cupiditas sese extendat, manifesto apparebit, de furibus proprie dictis sermonem non esse.

4° Cum adversarii dicant, hoc in Capite latiori sensu *usurpationem* accipiendam esse, scilicet pro quacumque actione iniusta qua quis bona quaelibet ecclesiastica invadit et surripit, fures et latrones erunt etiam usurpatores; at usurpantes non Tridentinam, sed incurrunt excommunicationem latam Capite XI, tit. 1 Constitutionis *Apostolicae Sedis:* Ergo fures et latrones quatenus usurpantes incurrunt illam excommunicationem. At norunt omnes ab Suprema Inquisitione die 9 Martii 1870 declaratum fuisse, hos sub eo capite *non comprehendi.* (1)

5° Demum utemur ad sententiam nostram confirmandam argumento quo utitur cl. Commentator Patavinus *n. 313,* scilicet variis facultatibus quae a S. Poenitentiaria concessae Confessariis fuere pro Iubilaeo anni 1869, et 1875.

Constat enim ex hisce responsionibus, fuisse concessam occasione Iubilaei Confessariis omnibus facultatem absolvendi eos, *qui acquisierant, et possidebant bona ecclesiastica immobilia alienata* a Demanio (Ex resp. 4.) et eos *qui acquisierant bona ecclesiastica mobilia* (ex Resp. 6); et eos, *qui bona ecclesiastica occupata vel alienata a Demanio in locationem acceperant* (ex Resp. 7), eos etiam *qui eadem bona a Gubernio acceperant in emphytheusim* (ex Resp.

(1) Refertur haec declaratio in Commentario nostro Tom. I, pag. 368.

8) ; item eos absolvendi, *qui census, canones aliaque iura ecclesiastica redemerant, natura sua redimibilia, sive non redimibilia.* (Ex resp. 9, 10, 11.) « Iam » vero, prosequitur Commentator » eximius, curnàm, quaeso, tam » amplae facultates concessae sunt » Confessariis pro tempore lubilaei? » Non alia certa de causa, nisi quia » in singulis numeratis casibus cen» sura aliqua obstricti poenitentes » iudicabantur, et quidem reserva» ta. Atqui in iisdem casibus non » habebat locum excommunicatio » specialiter reservata in Art. XI., » eo quia non aderat nec veri no» minis *usurpatio,* nec strictum *se» questrum ;* aderat ergo excom» municatio Tridentina. Concluden» dum igitur iis verbis Concilii, *in » proprios usus convertere et usur» pare* esse intelligendam quam» cumque iniquam occupationem » seu invasionem bonorum eccle» siasticorum. »

Sed pace cl. viri. Consequentia magis patet quam praemissae. Si enim facultates datae sunt pro illis actibus quos ipse recensuit; ergo excommunicatio erit pro illis actibus, et non pro aliis. Quo igitur iure inferre poterit excommunicationem Tridentinam se extendere ad quamlibet iniquam occupationem et invasionem, ideoque etiam ad surripientes?

Quid si nos ita argumentum struamus?

Certum est in censu personarum illarum quas absolvendi Confessariis s. Poenitentiaria tribuit facultates, poni non posse neque fures neque latrones.

Ergo S. Poenitentiaria facto suo iudicavit fures et latrones sub Tridentino Capite non esse comprehendendos. Sin minus et hos absolvendi tribuisset facultates.

De cetero S. Poenitentiaria facultatem tribuit eos etiam absolvendi qui in locationem acceperant, vel in emphyteusim bona usurpata a Daemanio. At nescimus quandonam et ubinam pro his lata excommunicatio fuerit; ni tamen agatur de locatione et emphytheusi perpetua. (1)

(1) Etenim si hi excommunicationem incurrerent, vel vi extravagantis *Ambitiosae de rebus Ecclesiae non alienandis,* vel vi Tridentini huius Capitis, quatenus scilicet locatarii et emphytheutae in proprios usus convertant lucrum ex locationibus et emphytheusi resultans, vel ex aliquo decreto vel declaratione RR. Congregationum. Atqui non ex capite Extravagantis *Ambitiosae,* quia ibi locare, bona ecclesiastica, vel in emphytheusim ea tradere prohibetur viris ecclesiasticis; non vi Tridentini Capitis, quia ibi verba usurpare et in proprios usus convertere non indicant lucra ex locationibus vel emphytheusi percepta, quaeque dimanant etiam ex industria et labore hominum, sed aliunde habita, ut Caput legenti patet. Locatariis igitur et emphytheutis utique poterat absolutio denegari, quod non observarint leges a s. Poenitentiaria impositas circa eiusmodi locationes, non autem quia excommunicationem incurrerint. Haec ergo Confessariis facultatem eos absol

Neque argumenta ab adversariis allata ad rem suam probandam ita solida nobis videntur quae elidi non possint.

Et primum quidem petitum ex verbis legis *quacumque arte vel quocumque quaesito colore,* quibus demonstrare volunt inde iegem generalem esse, evidentissime eruditur quod fures et latrones hisce adminiculis ad furandum neque indigeant, neque utantur; illas insuper formulas quid longe diversum significare; scilicet verbis *quacumque arte* significari dolum quemlibet, quo quis res ecclesiasticas in suum usum convertit (1) verbis autem *quocumque quaesito*

vendi concessit, relaxata obligatione ad quam tenebantur vi latorum ab ea decretorum. Neque igitur ex hoc capite locatarii et emphytheutae excommunicati haberi possunt.

Utique contra ea quae de locatariis diximus, allaturi aliqui fortasse erunt responsionem quam S. Congregatio Concilii dedit ad Episcopum Melitensem, quaeque refertur a Pallottini: *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Congregation. Concilii, V. Alienatio* §. *3 n. 12.* Postulaverat scilicet Episcopus Melitensis.

1. An qui bona stabilia ecclesiastica absque S. Sedis Apostolicae assensu, post sacri Concilii Tridentini publicationem, in perpetuum scienter sub annuo censu locaverunt, conduxerunt, permutaverunt, aut alias alienaverunt, et alienata receperunt, subiaceant poenis Cap. XI. *Si quem Clericorum,* Sess. XXII. *De Reformatione* dicti Concilii?

2. An qui dicta bona ante dicti Concilii publicationem, ut supra alienata, saltem a 25 vel 40 annis citra scienter detinent, noluntque iis, ad quos de iure pertinent, restituere, in easdem poenas incurrisse censeantur?

Porro S. Congregatio respondit:

Ad 1. Subiacere, si Apostolicae Sedis consensum non impetraverunt.

Ad 2. Incurrisse, et tamdiu illis subiacere, quamdiu bona cum fructibus restituerint.

Eiusmodi, inquam declaratio, nil nostram sententiam infirmat; quandoquidem in ea agitur de conductionibus, locationibus, permutationibus perpetuis, aut proprie dictis alienationibus; at in casu nostro agitur plerumque de locationibus aut conductionibus ad tempus, pro quibus quapropter non militat neque haec declaratio, neque Tridentinum decretum. Secus autem dicendum de contractibus perpetuis.

At manifestum est etiam conductores bonorum ecclesiasticorum ad tempus lucra percipere et in proprios usus convertere; ergo cum hi sub legibus et decretis latis non comprehendantur, nullam excommunicationem incurrere dicendi sunt. Data ergo fuit facultas eos absolvendi non respectu excommunicationis, sed aliis de causis.

(1) Dolus hic profecto malus est, de quo apud Vicat *Dictionarium Iuris h. v.* haec habentur. Dolum malum C. Aquilius Gallus, ut Cicero de Offic. lib. 3. c. 14 scribit, definiebat: quum aliud agitur, aliud simulatur. D. Augustinus *Serm. 22. De Iacobo et Esau:* « Dolus ergo quid est? Quando aliud agitur, aliud simulatur. Quando itaque aliud est in intentione, aliud in factis dolus dicitur. Ulpianus: Dolus malus, ait, fit calliditate et fallacia. » Aquila dolum malum definiebat... esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum,

colore, idipsum significari ac *quocumque praetextu;* etenim tum dici colorem quaesitum esse, quando id, quod quis vere agit, simulatione aliqua obtegit sive fraudandae legis causa, sive alia ex causa id fiat: apud Vicat Dictionarium iuris ad Voc. *ars.* et *Color.*

2' Declarationi allatae a cl. Pignatelli Tom. VII. Consult. XI. n.5. illam primum opponimus quam *loc. cit. n. 9.* Pignatelli scribit latam fuisse die 27 Februarii 1596, scilicet: *Fures surripientes res Ecclesiae vel locorum piorum non incurrere excommunicationem Bullae coenae, neque Concilii. Neque qui debita non solvunt, licet possint.*

Deinde relate ad Cap. XI excommunicationum 1. cl. Suprema Inquisitio die 9 Martii 1870 interrogata: *sub nomine usurpantes comprehenderentur ne fures, qui furarentur beneficiariis fructus suorum beneficiorum?* Respondit: *Non comprehendi.* Atqui fures nullo alio quam usurpationis titulo in Capite Tridentino comprehenderentur; etenim conversio rerum ecclesiasticarum in proprios usus sub furti titulo venire non potest; sed fures inter usurpantes non sunt accensendi. Ergo neque Tridentinam excommunicationem incurrunt.

Sed neque verum est quod contraria expositio conformis tum obvio legis sensui, tum fini a Legislatore per legem intento reperiatur. Verba enim legis odiosae stricto sunt sensu interpretanda. At sub verbis Tridentinis: *in proprios usus consistere, illosque usurpare praesumpserit* quae adversarii pro sua sententia statuenda allegant, furtum propriedictum venire, res est quam probare antea deberent. Dicturi ne erunt etiam hos proprie dictos fures et usurpare et in proprios usus convertere bona Ecclesiae? Qua igitur de causa usurpatio differt a furto, si usurpatio et furtum unum idemque sunt? Nonne insuper illi qui furantur beneficii fructus et eos usurparent et in proprios usus converterent? Quomodo igitur inter usurpatores non comprehenduntur? In lege odiosa, singulis verbis proprius et naturalis sensus servandus est, ne legem extendamus; cum autem furtum nec sub nomine usurpationis, nec sub nomine conversionis in proprios usus proprio sensu veniat, exinde patere arbitramur, falsum esse quod adversariorum sententia sit conformis obvio verborum sensui.

Sed neque spiritui legis, seu fini a legislatore intento contraria sententia conformis reperitur. Ratio omnimoda suadet, ut nos alias in Commentariis nostris monuimus, sub lege illum finem comprehendi, quod verbis legis circumscribitur, non alium quemlibet, sin minus

recipiendum alterum adhibitam... Dolus videtur definiendus quod sit omne dictum factumque cum propositio alterius fallendi; ac malus dolus dicitur, quo id intendi tur, quod alteri iniuria noceat.

lex odiosa extendenda foret, contra ac ferat acceptissimus canon. At Patrum Tridentinorum verbis proscribitur usurpatio, et conversio in proprios usus bonorum ecclesiasticorum, insuper impedire quominus haec bona ab iis percipiantur, ad quos de iure pertinent; at sub eiusmodi verbis furtum proprie dictum non comprehendi probavimus, et evidentissime apparet ex verbo *praesumpserit;* praesumptio enim in furibus non supponitur, neque exigitur. Addimus, alienum videri ab Ecclesiae mente, ut excommunicatio ob simplex furtum incurratur; addimus, quod si id admittamus, excommunicatio incurratur oportet pro quolibet furto, quod ad materiam gravem pertingat: etenim et hisce furtis patrimonium Ecclesiae imminuitur, et bona ecclesiae ab fine ad quem sunt destinata distrahuntur; ideoque si qui furentur, iuxta personarum ecclesiasticarum conditionem, decem, quinque, tres, et etiam libellam unam, excommunicati proclamandi erunt. Quod esset iniuriam maximam ecclesiae inferre, utpote quae tanta severitate et studio res suas tueatur, ut excommunicationem pro hisce quisquiliis inferat. Hanc insuper Tridentinorum Patrum mentem non fuisse ex solemnibus quibus utuntur verbis, evidentissime patet. Incongruum demum est et iniustum sub eorum verbis furtum comprehendere quando furtum nec nominarunt. Ratio igitur ex fine ab adversariis petita ultra mentem Legislatorum extenditur; consequenter nimis probat.

Post haec inquirendum ducimus de quibus bonis Patres Tridentini loquantur.

Et quidem praestantissimus d'Annibali *Com. pag. 57, Edit. 1880* affirmat esse immobilia vel mobilia pretiosa. « Et bona, si quid opinor » accipere debemus, ut alias in iure » canonico (*C. 13 De Elect. in 6.* » *Extrav. Ambitiosae. De reb. Eccl.* » *non alien.*), immobilia vel mobilia » pretiosa. » Nec obstat responsio S. Poenit. 1. Iun. 1869: « Ad 6, quo » edicitur, eos tantum absolvi posse » qui emerint res usu consumptibi- » les, oleum, triticum, vinum; ibi » enim agitur de absolutione sacra- » mentali, quae multa respicere de- » bet, et non a censuris tantum. »

Quae quidem sententia restringenda est, ut patet etiam ex iis quae cl. auctor disserit, ad unicum titulum *bona,* non ad alia quae in Tridentino capite recensentur. Porro in eiusmodi limitatione sententiam auctoris uti veram esse suscipiendam, certissimum esse arbitramur ex iis quae supra edisseruimus, cum impossibile nobis esse videatur, ut Patres Tridentini tanta emphasi locuti sint pro bonis quae nec immobilia, nec mobilia pretiosa ecclesiastica fuerint, et sint: Quae vero sint haec, diximus dum commentati sumus Caput III *Alienantes et recipere praesumentes.* etc. *Tom. II pag. 146.*

Probavimus insuper a Romano Pontifice Pio IX non fuisse excommunicationem indictam pro iis omnibus capitibus quae in allegata S. Poenitentiariae Instructione recensentur.

Hinc ex quo in ea varia poenitentium genera absolvi postulentur, non sequitur, omnes illos excommunicationem incurrisse, et ab hac absolvendos esse.

De cetero in Literis Apostolicis Pii Papae IX latis die 11 Aprilis 1869. Confessariis concedebatur facultas poenitentes absolvendi in foro conscientiae et pro ea vice tantum nedum *ab excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis, praeter infra exceptis:* sed etiam *ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicae, speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa.* (1) Ita ut exinde intelligamus non a censuris tantum absolvendi factam fuisse Confessariis potestatem, sed etiam ab nonnullis criminibus, peccatis et excessibus, quae sine censura reservata essent. Nil mirum hinc si sacra Poenitentiaria interrogata, pro singulis casibus normas Episcopis praebuerit.

(1) Acta S. Sedis Vol. IV. pag. 504.

Animadvertant insuper lectores nostri, declarationes citatas S. Poenitentiariae anteriores esse promulgationi constitutionis *Apostolicae Sedis:* huius ergo tenorem et vim non esse dimetiendum ex declarationibus anterioribus a S. Poenitentiaria latis, sed e contra. Neque obstare quod confirmatae fuerint tum in Decreto lato die 26 Februarii 1879, tum in alio dato die 25 Martii 1881 quibus in decretis sub n. VII dicitur: *In hoc etiam Iubilaeo locum habere, sine ulla exceptione, resolutiones dubiorum ab ipsa S. Poenitentiaria pro Ordinariis Italiae editas sub die 1 Iunii 1869.* Etenim eiusmodi confirmationes mutare non possunt primi decreti sententiam, cum illud prout iacet inculcent.

Arbitrari demum Episcopi potuere, a Pio Papa IX factam fuisse Confessariis absolvendi potestatem, relaxato etiam onere, ad quod poenitentes tenebantur, ut alias a Romanis Pontificibus factum fuerat. Atque hinc ad S. Poenitentiariam recursum habuere ut scirent qua conditione varios poenitentes censura nec ne obstrictos absolvere Confessarii possent.

III. Attamen ad incurrendam Tridentinam excommunicationem exigitur praesumptio. Haec autem, ut non semel diximus, importat tum cognitionem legis, tum poenae ei adnexae. Ideoque si quis igno-

ret bona, de quibus in Capite Tridentino agitur, esse ecclesiastica, (1) vel ad alia pia loca pertinere quae ibi exprimuntur; aut ignoret actiones interdictas sub excommunicatione esse prohibitas, hanc excommunicationem non incurrit. Hinc quaelibet ignorantia eum excusat.

Superest ut afferamus varia decreta, quae in re a Sacris Romanis Congregationibus promulgata fuere.

Porro lata fuerunt a S. Poenitentiaria Romana die 1 Iunii 1869 occasione facultatum Confessariis a Pio Papa IX concessarum sub die 11 Aprilis eiusdem anni.

Hae declarationes, ut diximus, praecedunt promulgationem Constitutionis *Apostolicae Sedis*, quae lata fuit quarto Idus Octobris anni eiusdem; cum tamen normam Confessariis praebere in subiecta materia debeant, eas referimus. (2)

Itaque non pauci Episcopi petierant.

IV. An et quomodo possint absolvi illi, qui acquisiverunt et possident bona ecclesiastica immobilia alienata a Gubernio?

R. *Poenitentes, qui detinent huiusmodi bona non esse absolvendos, nisi prius loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis, ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngraphum ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam, ac caute in Cancelleria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se, suosque haeredes et successores subiicere declarent.*

1° *Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.*

2° *Conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi.*

3° *Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.*

4° *Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu Locis piis, ad quae de iure pertinent.*

5° *Monendi haeredes et successores per syngraphum subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

V. An possint absolvi et sub quibus conditionibus illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisiverunt, quaeque postea aliis vendiderunt, atque cooperati sunt ad contrahendum de iisdem bonis?

R. *Affirmative, deposito lucro exinde iniuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum,*

(1) Haec est etiam sententia Pignatelli *Tom. VIII. Consult. XI. n. 9.* Quin etiam necesse est ad contrahendam censuram non ignorari, quod fructus usurpati sint ecclesiastici. Non enim adesse potest formalis malitia sacrilegii consistens in usurpatione rei ecclesiasticae, si ignoretur rem esse ecclesiasticam.

(2) Integrae declarationes reperiuntur in Actis S. Sedis Tom. V. pag. 28.

quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.

VI. An et sub quibus iniunctionibus possint illi absolvi, qui acquisiverunt bona mobilia ecclesiastica?

R. *Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio quod iudicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus iusto. At si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de suppellectilibus, et vasis sacris, imponatur Poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam a S. Poenitentiaria concessum.*

VII. An et quomodo possint absolvi illi qui conduxerunt bona ecclesiastica detenta vel alienata a Gubernio?

R. *Affirmative, imposita Poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium ad hoc, ut super bonis conductis provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam pariter a S. Poenitentiaria concessum.*

VIII. An et quomodo possint absolvi illi, qui in Emphyteusim a Gubernio acceperunt bona ecclesiastica?

R. *Huiusmodi poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario Loci, seu aliis viris Ecclesiasticis, ut supra in dubio 4° ab Ordinario designandis syngraphum consignaverint, qua declarent se, suosque haeredes et successores subiicere sequentibus obligationibus, seu conditionibus.*

1° *Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.*

2° *Non utendi quocumque privilegio, et lege lata, sive ferenda quoad Canonis affrancationem.*

3° *Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde ferendis quoad eorumdem bonorum restitutionem.*

4° *Adimplendi pia onera, quae eisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.*

5° *Solvendi interim annuum Canonem, illumque augendi ad tramites iustitiae, et iuxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.*

6° *Monendi haeredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngraphum, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

IX. An et quomodo absolvi possint illi qui non modo in emphyteusim a Gubernio acceperunt bona ecclesiastica, verum etiam eadem redemerunt?

R. *Huiusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responso ad dubium sub n. 4.*

X. An et quomodo possint absolvi illi, qui redemerunt census et ecclesiastica iura indole sua redimibilia?

R. *Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, ad quae census, seu iura redempta pertinebant.*

XI. An et quomodo possint absolvi illi, qui redemerunt Canones, Livella, Praestationes, vel alia iura ecclesiastica indole sua non redimibilia?

R. *Posse absolvi, dummodo prius prout in responso ad dubium sub n. 4. syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque successores subiicere sequentibus obligationibus et conditionibus.*

1° *Retinendi fundos sic invalide affrancatos, ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.*

2° *Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi.*

3° *Servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione Canonis, Livelli, ac Praestationis, ac super quibusvis aliis iuribus, quae ad ipsa Loca Pia exinde spectabant; nec non adimplendi prout de iure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.*

4° *Monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.* (1)

Monitum ad lectores.

P. 317, Col. 1. scripsimus actiones in Cap. Tridentino proscriptas *committi ab Episcopis, Cardinalibus*

(1) Experientia non una edocti fuimus, ex emptoribus bonorum ecclesiasticorum paucos admodum fuisse et esse illos, qui huiusmodi conditionibus sese subiiciant, plurimos e contra, imo fere omnes, qui respuant. Accedit quod parentes etiam dum in mortis periculo versarentur, a filiis, consanguineisque aliquando impediti fuerint quominus declarationem a S. Poenitentiaria requisitam emitterent: quin imo novimus factum esse aliquando, ut filii et haeredes mortem comminati sint Sacerdoti vel Parocho qui moribundo declarationem suggesserat, et interea absolutionem distulerat. Accedit demum, quod plurimi qui sperabant ex emptione bonorum ecclesiasticorum se divites futuros, aere alieno sese gravaverint; cogitent hinc vel sani, vel morti proximi se in gravi miseria filios familiamque relicturos si declarationem requisitam emittant, vel se non posse onera imposita adimplere, quod aliquando verum est. Hinc confessarii qui ad eiusmodi moribundos vocantur, omnia serio et diligentissime perpendant, consilium a viris prudentibus, praesertim ab Episcopo, si possibile est, expetant, et deinde agant. Si vero vel prudentes desint a quibus consilium sumere, vel mors instet, meminerint, *mentem et voluntatem esse Christi et Ecclesiae, ne anima ulla in aeternum pereat.*

Si vero ad Confessarium poenitentes sani accedant, omnia audiat et perpendat, atque deinceps ad S. Sedem casum exponat, petatque quod poenitenti magis expedire in Domino iudicaverit.

et Abbatibus. Exinde vero caveant lectores inferre, Abbates aliosve Regulares iurisdictionem in determinatum territorium exercentes, et Superiores Regulares beneficium possidentes, cui plurima sint bona adnexa, hanc excommunicationem incurrere, si bona illa vel usurpent, vel in proprium usum convertant etc. Etenim cum Concilium loquatur tantum *de Clericis et Laicis* Regulares in odiosis non veniunt sub clericorum nomine, ut alias etiam observavimus.

Quod iterum sententia Pignatelli confirmamus, qui *loc. cit. n. 3.* scribit: « Non vero in dicto decre» to Concilii comprehenduntur Re» gulares, quia loquitur tantum de » Clericis et Laicis. Regulares autem » in odiosis, et dum agitur de cen» suris, non veniunt Clericorum ap» pellatione. » Ita etiam alii Doctores clarissimi, quos Pignatelli citat.

Insuper *pag. 311 col. 1* scripsimus: « Ad quod melius intelligen» dum animadvertatur, dignitatem » attribui tantum laicis hominibus, » non Clericis. Ergo cum sub Cle» ricorum nomine veniant praeser» tim inferiores Clerici, de his e» tiam Tridentini Patres loquuti » censendi sunt. »

Cum vero melius Tridentini verba considerassemus, eorum sensum rite nos non fuisse assecutos percepimus. In verbis enim: *Si quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam regali aut imperiali praefulgeat* etc., dignitas nedum laicis, sed etiam clericis tribuitur; etenim pronomen *is* non refertur ad laicos, sed ad relativum *quem;* hoc vero relativum cum complectatur quemcumque tum ex laicis tum ex clericis, manifestum est etiam complecti quemlibet ex clericis et laicis in dignitate constitutum. Ita ut sensus sit: *Si quem clericorum quacumque dignitate praefulgeat, aut laicorum quamvis hic etiam in regali aut imperiali dignitate constitutus sit.*

Qui sensus certus omnino est. Nisi etiam Clericis dignitatem tribuamus, cum sub Clericorum nomine in odiosis nec Episcopi, nec Cardinales etc. neque Regulares veniant, sequeretur ex Capite esse excludendas personas omnes ecclesiasticas in dignitate constitutas, dum e contra pro iis canon praecipue latus deprehenditur; non enim inferiores Clerici ea plerumque possent agere quae decreto caventur.

Quid ergo? num ne exinde personae tantum in dignitate constitutae indigitantur, exclusis inferioribus clericis, iis nempe qui nulla dignitate pollent? Sententiam non pronunciamus. Attamen Lectoribus nostris sequentia consideranda subiicimus.

1° Argumenta cl. Commentatoris Reatini quae ipsemet ex doctissimo Cardinali De Luca excerpsisse fatetur; scilicet inquit: « Prin» cipio admonendi sumus, hoc de-

» cretum, non ad quascumque oc-
» cupationes, sed ad auctoritativas
» et potentiales pertinere (De Luca
» *Ad Trid. h. t. Disc. 23*). Quod
» satis superque manifestum est
» tum ex personis, quas hoc De-
» cretum prae ceteris spectat; tum
» ex gravissimis verbis, quibus *ne-*
» *fandum* hoc facinus carpit; tum
» ex poenis quam gravissimis qui-
» bus illud coercet. »

2° Tridentini Patres clericos in principio capitis nominatos excommunicant etiamsi interdictas actiones peragant *per suppositas personas clericorum aut laicorum*. Sed ut quis aliam personam supponere possit in re tam gravi, et gravissima poena, debet profecto in illam non mediocrem auctoritatem habere; non enim hic agitur de suppositione personae non existentis haec enim nihil agere posset, et fraus illico detegeretur, sed existentis, quae utique alieno imperio sed nomini proprio agat et actiones interdictas peragat. Quis autem ex inferiori clero tanto se discrimini committeret, nisi se auctoritate munitum sciat, qua et defendatur, et servetur indemnis?

3° Qui inferioris ordinis Clerici nulla vel auctoritate vel dignitate ecclesiastica insignes possent per se actiones, quae caventur, admittere? Sunt enim actiones quae illico a Praelatis Ecclesiae debitis poenis plecterentur; sunt actiones, ob quas illico ab parte laesa iudicia instituuntur, vel reclamationes ad Superiores ecclesiasticos deferuntur; sunt demum actiones quae (generice loquimur) a privatis personis admitti non possunt, ita ut impossibile sit inferiori clerico illas ad finem perducere.

Ergo sensus Tridentini Capitis exigit ut priora verba unice de Clericis vel laicis in dignitate constitutis intelligantur, qui humana iudicia non timeant, vel quia ceteri clerici subditi sunt, quique consequenter timore compulsi contra superiorem insurgere non audeant; vel civili imperio, et potestate potiantur; qua de causa iudicia vel spernant, vel contra se agenda nullo pacto timeant; vel quia si de beneficio agatur, cuius reditus omnes cedant Clerico in dignitate constituto, neminem intererit accusationes instituere.

4° Accedit quod Caput usque ad verba: *Clericus vero qui nefandae fraudis* etc. semper de iisdem personis loquatur; qua de causa et illi ad quos bona pervenerunt quomodocumque, etiam ex *donatione suppositae personae*, ut ex contextu apparet, sunt ipsi Clerici vel laici quacumque dignitate fulgentes. Quo in loco notamus, nobis non videri Tridentinos Patres comprehendisse sub adverbio *quomodocumque* emptionis titulum; sed titulos quoscumque gratuitos, ex. gr. Legati, haereditatis, donationis; si enim etiam emptionis; hic, utpote validior et emptori onerosus exprimendus fuerat, non titulus donationis.

5° Eo vel magis quod, donatio haec ab persona supposita fieri prohibetur: *etiam ex donatione suppositae personae.* Quis autem prohibet quominus affirmemus, personam hanc suppositam unam ex illis esse, vel prorsus illam, qua Clerici vel Laici in dignitate constituti usi sunt ad bona ecclesiastica usurpanda, vel in proprios usus convertenda?

Sed alia sit: semper verum erit, emptionis titulum validiorem fuisse, consequenter prae alio exprimendum.

6° Ex contextu pariter patet, quod patronus Ecclesiae sit unus ex clericis vel laicis in dignitate constitutis; etenim Tridentini Patres semper, usque ad notata verba, loquuntur de iisdem personis, de quibus initio capitis, ut caput legenti patebit.

7° Hinc sequitur, ad inferiores clericos initium capitis esse applicandum, si verba *si quem clericorum* etc. etiam ad inferiores clericos extendamus; sed quomodo id fiat, ea obstant quae supra, et alibi, hoc in Capite expendendo notavimus.

8° Fatemur quoque, quod expositione eiusmodi admissa, emptores bonorum ecclesiasticorum difficillime etiam sub eiusmodi Tridentino capite comprehenderentur, secus ac assertum fuerit et a Pio Papa IX, et a Suprema Inquisitione in locis supra citatis. Latis decretis autem obedientia adhibenda est.

Quid ergo dicemus? Ingenue fatebimur, nobis adeo implexum captuque difficile, relate etiam ad latas declarationes, Tridentinum hoc caput visum esse, ut doctioribus sententiam dicere remittamus. Quominus enim verba: *Si quem Clericorum* extendamus etiam ad inferiores clericos nulla dignitate fulgentes, prohibere videntur ipsa verba, actiones, et alia quae adnotavimus: si ad unas personas in dignitate constitutas verba illa coarctemus, personae privatae ex capite sunt excludendae; ideoque emptores bonorum ecclesiasticorum sub hoc capite non comprehenderentur.

At id affirmare interdicunt lata decreta.

COMMENTARII

PARS SEXTA

DE SUSPENSIONIBUS *LATAE SENTENTIAE* ROMANO PONTIFICI IN CONSTITUTIONE *APOSTOLICAE SEDIS* RESERVATIS.

APPENDIX XL.

De suspensione in genere.

Suspensio est censura ecclesiastica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus Ecclesiasticos alias sibi competentes.

Atque primum est latae vel ferendae sententiae; illa quae ipso iure delinquenti infligitur, haec quae primum per sententiam Iudicis seu superioris ob delictum imponitur.

Utraque sed vero est vel ab officio, vel a beneficio, vel ab officio simul et beneficio.

Suspensio ab officio est, qua clericus interdicitur exercitio suorum ordinum, vel aliarum functionum ipsi ratione ordinis competentium; ex. gr. celebratione Missae, Sacramentorum administratione etc.

Suspensio a beneficio est qua clericus prohibetur percipere fructus sui beneficii ecclesiastici.

Suspensio ab officio simul et beneficio est qua clerico utriusque iura prohibentur, officii scilicet atque beneficii.

Suspensio vel ab officio, vel a beneficio dividitur in totalem atque partialem.

Totalis est, qua Clericus ab omni prorsus officio ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum beneficii suspenditur.

Partialis ab officio est qua Clerico prohibetur aliquis tantum sui officii actus, ut cum Sacerdos suspenditur tantum ab audiendis confessionibus, vel Episcopus a Pontificalibus, vel conferendis ordinibus. Hi qua de causa possunt omnes alios actus sibi ratione ordinis competentes exercere.

Ita Sacerdos ab audiendis confessionibus suspensus potest et missam celebrare, et cetera Sacramenta ministrare. Episcopus suspensus a conferendis ordinibus, potest Pontificalia agere, et cetera ministerii

sui munia. At si suspendatur a Pontificalibus, suspensus etiam intelligitur ab actibus ordinis Episcopalibus qui sine insignibus Pontificalibus ex. gr. mitra, baculo pastorali et pallio exerceri non possunt. Hinc Episcopus a Pontificalibus suspensus non potest nec Sacramentum Confirmationis conferre nec sacras ordinationes peragere, nec altaria et Ecclesias consecrare, quia in iis ministeriis insignia Pontificalia adhibenda sunt. Potest tamen missam ut alii simplices sacerdotes celebrare, confessiones audire, baptizare, et actus iurisdictionis exercere; hi enim actus ad Pontificalia non pertinent.

Partialis a beneficio est qua Clericus ab aliqua tantum parte fructuum sui beneficii suspenditur, ex. gr. tertia, quarta.

In una insuper suspensione non includitur alia. Consequenter Clericus suspensus determinate ab officio, non intelligitur etiam a beneficio suspensus, et e contra.

Attamen si suspensio absolute et sine ulla limitatione sit imposita, neque ex adiunctis colligi possit an sit ab officio vel beneficio, totalis censetur, tum quia propositio indefinita aequivalet universali, tum quia nulla ratio apparet quare de alterutra censenda sit, tum quia cum soliti sint suspensionem ferentes illam determinare, cum nil determinaverint, censendi sunt suspensionem totalem indixisse; demum quia suspensio absolute lata pro causa omnino gravissima infertur, quaeque poenam gravissimam mereatur.

Exinde vero sequitur, suspensionis extensionem seu effectum pendere a Superioris voluntate, ita ut eius in arbitrio sit eam ad minores effectus limitare. Qua de causa verba quibus suspensionis decretum concipitur sedulo sunt attendenda, neque ultra quam sonant extendenda.

Advertendum tamen est suspensionem considerari posse vel quatenus censura est, vel quatenus poena vindicativa ob patratum ab viro ecclesiastico scelus, vel admissum peccatum. Etenim si spernatur *censura suspensionis* incurritur irregularitas; si autem illa in poenam lata fuerit, irregularitas non incurritur si spernatur, quamvis inobedientes graviter peccent.

Quatenus censura est non potest licite infligi sine monitione, sine scriptura, aliisque in iure requisitis formalitatibus; nisi tamen suspensio lata sit a iure, hoc enim in casu nulla praerequiritur monitio, ut alias inter affirmat Reiffenstuel *lib. V Decretal. Tit. 39, De sent. excom. n. 21* his verbis: « Ad incurrendam censuram a Iure vel per » generalem sententiam pro averendis futuris culpis latam, seu » quando Iure, vel per sententiam, aut Decretum generale » sub *Censura* ipso facto incurrenda aliquid prohibetur, nulla ad » eam incurrendam praerequiritur

» monitio: quia cum ius sit publi-
» cum, ipsummet continuo monet,
» ubi ab illo aliquid sub *Censura*
» prohibetur, nisi forsan monitio-
» nem praecedere Ius ipsum ex-
» presse vellet. »

Pariter nulla praerequiritur monitio si suspensio lata fuerit in poenam admissi criminis; hoc enim in casu monitionis finis inutilis est.

Dum vero suspensio fertur ab homine ut censura requiritur praevia monitio, seu illius comminatio; quae ordinario debet esse trina cum competenti dierum intervallo; vel saltem debet esse una tribus aequivalens, id est tres monitiones complectens, cum trino et competenti intervallo; quod in lata monitione exprimendum est.

Monitio haec ut sit legitima debet fieri in scriptis, coram testibus tradenda, ipsique personae suspendendae legenda; ut constat ex Cap. *Sacro* 24 h. t. *Personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio.* Nisi tamen persona aut se abscondat, aut declinet, aut fugiat; hoc enim in casu satis est si suspensionis monitio ad eius domum, vel ad Ecclesiae valvas, vel in alio publico loco affigatur.

Monitio insuper haec necessario suspensioni *ut Censura* ferendae praemitti debet, iuxta probatissimos auctores, cum in iure praecipiatur *censuris* praemittendam esse monitionem canonicam.

Ad cognoscendum quando suspensio lata est *ut censura,* vel ut *poena vindicativa* haec suppetunt indicia.

Suspensiones omnes latae a iure uti censurae spectandae sunt, nisi aliud constet.

In iis vero quae ab homine sunt, ut censurae considerari possint, debent in scriptis fieri; quare spectari non potest uti censura suspensio ab Superiore verbo tenus prolato; ex. gr. *te suspendo.* Cum enim in iure ad inferendam suspensionis censuram monitio praerequiratur, supponi non debet superior contra ius graviter delinquere velle.

Pariter uti poena vindicativa spectari debet suspensio illata ob crimen Clerici consummatum, quodque tractum successivum non habeat, ex. gr. si mulierem quam domi detinebat ante suspensionis decretum expulerit, cum eaque de cetero non conversetur; cum enim finis censurae sit ut sit poena medicinalis, hoc in casu medicina esse non potest.

Insuper si suspensio in perpetuum lata sit; etenim censurae ultra contumaciam non extenduntur; qua de causa suspensio perpetua quae secum infert perpetuam inhabilitatem, ex. gr. ad confessiones excipiendas, est uti poena vindicativa consideranda.

Quod pariter dicendum est de eo qui innocens est de crimine, cuius causa suspensa aliqua ecclesiastica communitas fuit; cum enim

sine peccato censura non incurratur, suspensio innocentis uti poena spectanda est.

Demum suspensio limitibus circumscripta, ex. gr. ad tres menses, ad annum etc.; cum censura suspensionis indefinite, id est sine limitatione temporis, plerumque feratur.

Praeter suspensiones eiusmodi alia est quae dicitur ex informata conscientia, quae ab Superiore fertur non revelata suspensionis causa, sed ex causis sibi notis neque praemissis monitionibus; atque exinde uti poena vindicativa spectanda est.

Potestas haec suspendendi ex informata conscientia concessa est Episcopis a Concilio Tridentino Sess. XXIV, Cap. 1 de Reform. his verbis: « Cum honestius ac tutius » sit subiecto, debitam praepositis » obedientiam impendendo in in- » feriori ministerio deservire, quam » cum praepositorum scandalo gra- » duum altiorum appetere dignita- » tem, ei, cui ascensus ad sacros » ordines a suo Praelato, ex qua- » cumque causa, etiam ob occul- » tum crimen, quomodolibet, etiam » extraiudicialiter, fuerit interdi- » ctus, aut qui a suis ordinibus » seu gradibus, vel dignitatibus ec- » clesiasticis fuerit suspensus, nulla » contra ipsius Praelati voluntatem » expressa licentia de se promo- » veri faciendo, aut ad priores or- » dines, gradus, dignitates sive ho- » nores restitutio suffragetur. »

De quaestionibus quae agitantur circa suspensionem eiusmodi videantur Canonistae.

Nos ex Lucio Ferraris *ad hunc V. n. 25* exscribimus epistolam, quam S. Concilii Congregatio misit ad Venetum Nuntium, ut exinde et Ordinarii, et subditi sciant quid in eiusmodi re agere debeant.

« Quandoquidem experientia » compertum est reos criminum » plerumque ad evitandas poenas » et episcoporum correctiones, que- » relas et gravamina simulare. Hu- » iusmodi itaque appellationes in » posterum Amplitudo tua omnino » reiici mandabit, nec ullam inhi- » bitionem vigore appellationis re- » laxari permittet. Sed quoniam » disciplina ecclesiastica ac stylo » inductum est, ut iudex superior, » quamvis appellationes proprie di- » ctas eorum qui ab Ordinario suo » extraiudicialiter et ex informata » conscientia suspensi fuerint, re- » cipere non possit, recursibus ta- » men aditum non praecludat, quo, » salva iurisdictione episcopali ac » disciplinae rigore caveatur, ne » quis forte Episcopus potestate » sua in subditos sibi ecclesiasticos » abutatur; post haec Amplitudini » tuae ac successoribus eiusmodi » recursus excipere dumtaxat lice- » bit, servatis infrascriptis condi- » tionibus atque cautelis.

» Primo. Namque non ita fa- » cile locum illis dabit, sed con- » grua adhibita ratione, et circum- » spectione, nec sane alias, quam » cum vehemens suspicio subsit,

» quod ordinarius auctoritate sua » abusus sit, procedendo videlicet » modo praedicto ad suspensionis » poenam, sine gravi causa adversus » sacrorum canonum praescripta, » et in animae propriae perniciem.

» Secundo. Recursu quamvis ad- » misso, suspensi in statu, quo erant, » permaneant; illoque pendente, » ordines, a quibus suspensi fuerint, » exercere nullatenus valeant.

» Tertio. Recursu ita admisso, » requiratur per literas eiusdem » suspensi Ordinarius, ut irrogatae » suspensionis causas aperire non » gravetur, addita etiam promissio- » ne de servando secreto, quatenus » illud iustitia exigat, aut christia- » na charitas suadeat. »

Quibus et abusus potestatis ex parte Superiorum, et inobedientia ex parte subditorum arcentur.

APPENDIX XLII.

SUSPENSIONES LATAE SENTENTIAE SUMMO PONTIFICI RESERVATAE

De Suspensione lata in Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum qui Episcopos vel Praelatos admittunt, antequam exhibeant literas apostolicas.

Eiusmodi suspensio ita a Pio Papa IX fertur.

« Suspensionem ipso facto incur- » runt a suorum beneficiorum per- » ceptione ad beneplacitum S. Sedis » Capitula et Conventus Ecclesia- » rum et Monasteriorum aliique o- » mnes, qui ad illarum seu illorum » regimen et administrationem re- » cipiunt Episcopos aliosve Prae- » latos de praedictis Ecclesiis seu » Monasteriis apud eamdem S. Se- » dem quovis modo provisos, an- » tequam ipsi exhibuerint litteras » Apostolicas de sua promotione ».

Porro lata suspensione Pius Papa IX tum iura primatialia Romani Pontificis integra et imminuta servari voluit, tum cavere ne quis illegitimus in ecclesiastica officia gerenda sese intromitteret, tum ut subiecti certum indicium haberent quo falsos et illegitimos a veris et legitimis pastoribus discernerent.

Putandum tamen non est, eiusmodi legem eamdem esse ac illam quae idem Pontifex Pius IX tulit in Const. *Romanus Pontifex* sub die 28 Augusti 1872, de qua nos breviter egimus in Commentariis nostris *Tom. 1, pag. 413*. Etenim in ea agitur de excommunicatione specialiter S. Sedi reservata, lata in Canonicos et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium vacantium, qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu; et in electos ac praesentatos qui ultra in eiusmodi administrationem sese ingerere praesumant. At in capite nostro agitur de sus-

pensione lata in Capitula et Conventus qui ad regimen Ecclesiarum et Monasteriorum recipiant provisos quidem ab ipsa Apostolica Sede, antequam tamen exhibeant literas apostolicas de sua promotione. Hinc non est idem casus. Privatio insuper illa fructuum ecclesiasticorum Beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum de quibus in Const. *Romanus Pontifex* poena est, non suspensio proprie dicta, quae censura sit; quod etiam ex eo patere arbitramur, quia eiusmodi etiam maiori excommunicatione innodantur specialiter S. Sedi reservata.

Qua de causa suspensio praesens nihil cum illa commune habere dignoscitur.

Suspensio haec originem duxit ex Extravaganti *Iniunctae Nobis De Electione Cap. 1. inter communes*, qua Bonifacius VIII, inter cetera, sequentia decreverat. « Praesenti » itaque perpetuo valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi et » alii Praelati Superiores, nec non » Abbates, Priores, et ceteri Monasteriorum regimina exercentes, » quocunque nomine censeantur, qui » apud dictam Sedem (apostolicam) » promoventur, aut confirmationis, » consecrationis, vel benedictionis » munus recipiunt, ad commissas » eis Ecclesias et Monasteria absque » dictae Sedis litteris huiusmodi, » eorum promotionem, confirma- » tionem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum ecclesiastico- » rum administrationem accipere » non praesumant; nullique eos » absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut pareant, vel » intendant. Quod si forsan contra » praesumptum fuerit, quod per » Episcopos, Praelatos, Abbates, » Priores, et alios Monasteriorum » regimina exercentes praedictos » medio tempore actum fuerit, irritum habeatur; nec quicquam » interim iidem Episcopi, vel Praelati, Abbates, Priores vel regimina » exercentes, de Ecclesiarum vel » Monasteriorum proventibus percipiant earumdem. *Capitula vero* » *et Conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicumque, ipsos absque huiusmodi* » *dictae Sedis literis recipientes,* » *vel obedientes eisdem, tamdiu sint* » *a beneficiorum suorum perceptione* » *suspensi, donec super hoc eiusdem* » *Sedis gratiam meruerint obtinere.* Similiter quoque Episcopi, » Praelati, Abbates, Priores et alii » Monasteriorum regimina exercentes praedicti, solito fidelitatis et » obedientiae iuramento non praestito. Illi etiam Pontifices, quos » apud praedictam Sedem pallium » contingat recipere absque litteris » traditionis ipsius pallii nequaquam » ab eadem discedant; discedentes » vero (quousque eiusmodi iuramentum praestiterint, et litteras obtinuerint) nihil de ipsarum Ecclesiarum et Monasteriorum proven-

» tibus percipiant, et quidquid in-
» terim per eos, ut de aliis prae-
» dicitur, actum fuerit, viribus non
» subsistat. »

Ut quisque videt, hoc in Capite tum Episcopi, tum Abbates, tum reliqui Praelati a S. Sede provisi prohibentur sub suspensionis poena locorum, dignitatum, et officiorum administrationem assumere sine apostolicis litteris de munere eis concredito fidem facientibus; Capitula autem et Conventus Ecclesiarum atque Monasteriorum eos recipere, eisque debitam obedientiam praestare prohibentur ante apostolicarum literarum exhibitionem de more faciendam, illata in eos suspensionis poena a perceptione beneficiorum suorum si legem transgressi fuerint.

Attamen suspensio in Episcopos, Abbates, ceterosque praelatos, qui a S. Sede quovis modo provisi audeant sine Apostolicis literis dignitatum et officiorum sibi concreditorum administrationem assumere in Const. *Apostolicae Sedis* innovata non reperitur, neque in Const. *Romanus Pontifex*, ut videri posset, instaurata est: quamvis enim hac in Const. postquam Pius Papa IX Canonicos et Dignitates quae Episcopos ante exhibitionem literarum apostolicarum recipiant *excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum ecclesiastico rum.... incurrendis poenis* innodasset, et innodatos decrevisset, subdat: « in easdem poenas pariter » reservatas ipso facto incurrunt » nominati et praesentati ad vacantes » ecclesias, qui earum curam, re- » gimen et administrationem susci- » pere audent ex concessione et » translatione a Dignitatibus et » Canonicis, aliisque de quibus su- » pra, in eos peractam »; tamen hoc in loco non agitur de Episcopis Abbatibus et praelatis a S. Sede provisis, sed de nominatis et praesentatis a Canonicis et laicis potestatibus, qui officiorum et dignitatum audeant administrationem assumere titulo provisoris, vel Vicarii generalis, quin S. Sedes antea de re instructa fuerit, ut Constitutionem legenti patebit.

Cum itaque casus in constitutione *Romanus Pontifex* propositus sit diversus, non est cum casu confundendus, de quo nunc agimus, cum praesertim etiam suspensio diversa sit, atque cit. Const. posterior sit Constitutioni *Apostolicae Sedis*.

At suspensio lata in Capitula et Conventus Ecclesiarum atque Monasteriorum qui audeant Episcopos aliosve praelatos quovis modo a S. Sede provisos, scilicet vel per nominationem, vel per confirmationem, aut benedictionem recipere ante Apostolicarum litterarum exhibitionem, integra manet tam extensione, quam reservatione; de ea consequenter nobis agendum est.

At 1. illa dirimenda est quaestio,

qua Commentatores quaerunt: an hoc in Capite Episcopus accipiendus sit consecratus, an vero satis sit ut electus vel confirmatus existat, quin adhuc consecrationem episcopalem acceperit.

Et quidem cl. Reatinus hunc in locum scribit (Comment. n. 178, Edit. 1880): *Porro Episcopos accipere debemus consecratos:* quam sententiam sequitur Conrado *Memoriale de censuris pag. 103.* Clariss. Piatus *Commentario in Constitutionem pag. 292* aliorum sententiam exponit quin suam pronuntiet. In hanc vero sententiam inducti sunt fortasse praestantissimi Suaresii auctoritate, qui secutus interpretandae legis odiosae seu poenalis regulam, affirmavit stricto sensu Episcopi nomine consecratum venire *De Censuris, disp. XXI, Sect. II, n. 69.* At cl. Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique *Tom. XVII, pag. 172* Suaresii interpretationem repudiant, et amplectuntur potius Lucii Ferraris opinionem, qui in *Bibliotheca, Voc. Episcopus, Art. II,* n. 38 ita distinguit: « Episcopi appellatione » venit tantum consecratus in con» cernentibus exercitium et deco» rem ordinis Episcopalis..... In » concernentibus autem iurisdictio» nem Episcopalem venit etiam e» lectus, confirmatus vel provisus » per Papam, quia cum haec com» petat etiam electo confirmato.... » ideo dispositio loquens de Epi» scopo verificatur etiam in electo » confirmato, seu proviso, licet non » consecrato, ut notant Glossa in » Clement 1. Verb. *Episcopi....* et » Fagnanus cum aliis ibi a se ci» tatis. »

Cum itaque episcopalis potestas tantum ad ea quae ordinem episcopalem respiciunt, a Canonistis requiratur, non vero ad ea quae sunt iurisdictionis; atque Pius Papa IX suspensione affecerit eos qui recepturi forent Episcopum et Praelatum *ad regimen et administrationem,* dubitari non posse videtur quod de Episcopo etiam non consecrato lex sit intelligenda.

De cetero haec quaestio maximi momenti in re est. Si enim lex est de Episcopo consecrato, non consecratum recipientes suspensionem non incurrunt: secus si etiam de non consecrato lex sit intelligenda.

Ut itaque aliquid dicamus; ultro libenterque admittimus cum Reatino aliisque, in legibus poenalibus *benigniorem esse interpretationem faciendam, earumque interpretationes emolliendas potius esse quam exasperandas;* verum id accidere fatemur in iure dubio, cum scilicet non apparet quo sensu, strictiori scilicet vel latiori, verbum sit legis sumendum. At in nostra quaestione eiusmodi ius dubium esse non videtur. Etenim Legislator cum de Episcopis et Praelatis dicat: *apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos,* indicare videtur quoslibet provisionis modos, quibus viros

ecclesiasticos Sancta Sedes providere dignoscitur. Ergo ut loquitur Bonifacius VIII, *sive confirmationis, sive benedictionis, sive consecrationis munus recipiant.* At certum est iis in regnis, quorum reges vel praesides praesentandi vel nominandi potestatem habent, de qua re etiam in Const. *Romanus Pontifex* est sermo, Rom. Pontificem confirmare, si nihil obstet, factam electionem, qua mediante confirmatione, ad consecrationem, vel benedictionem, servatis servandis, proceditur. Cum autem hi Episcopi ita electi et praesentati, si in longinquis et extra Europam praesertim degant regionibus, non semper Romam pergant consecrationem episcopalem accepturi, sed a proprio Metropolitano eam recipiant, vel ab alio Episcopo, postquam a S. Sede electio confirmata fuerit; atque de cetero cum negari non possit quod Episcopus electus et confirmatus iurisdictionem habeat in Dioecesi sibi assignata, (1) hic profecto, quamvis nondum consecratus, administrationem suae Dioecesis ante consecrationem gerere poterit. Necessarium ergo non est, ut episcopus sit consecratus.

Id vero melius patet ex Concilio Tridentino *Sess. VII De Ref. Cap. IX, et Sess. XXIII De Reform. Cap. 2,* quo haec de Episcopi consecratione statuuntur: « Ecclesiis » Cathedralibus, seu Superioribus, » quocumque nomine, ac titulo » praefécti, etiamsi Sanctae Ro» manae Ecclesiae Cardinales sint, » si munus consecrationis intra tres » menses non susceperint, ad fru» ctuum perceptorum restitutionem » teneantur; et si intra totidem » menses postea id facere neglexe» rint, Ecclesiis ipso iure sint » privati. »

Cum itaque Episcopi nondum consecrati fructus Episcopatus percipiant, Dioecesis administrationem certe gerere possunt: ideoque necessarium non est, ut consecrati ad concreditam Dioecesim pergere debeant, eiusque administrationem suscipiant. Si itaque dubium aliquod in re intercedere posset, vel quod episcopus ante consecrationem Dioecesis administrationem ex iure constituto sumere non possit, vel quod in Piano Capite Episcopi intelligendi sint consecrati. At primum falsum probavimus; aliud nescimus quomodo defendi possit; etenim in eo dicitur 1. *qui ad illorum regimen et administrationem*

(1) Ut ex iis patet quae scribit Ferraris in loco supra citato, et n. 32, scilicet: « ante usurpationem non potest Episcopus exercere ea quae sunt ordinis, sed tan» tum ea quae sunt iurisdictionis – et apertius n. 36 : – Iurisdictionem accipit Epi» scopus in confirmatione, etiam ante consecrationem; unde Episcopus confirmatus, » licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, » corrigere, punire, synodum convocare, Beneficia conferre, Ecclesias minores con» iungere, annectere, dividere, voti et iurisiurandi vincula solvere, quorumdam » peccatorum absolutionem sibi reservare, et huiusmodi etc. »

recipiunt Episcopos: regimen autem et administratio non exigunt Episcopi consecrationem; 2. dicitur *quovis modo provisos:* ergo sive per electionem, sive per confirmationem quin exinde includenda sit consecratio; 3. dicitur: *antequam ipsi exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione.* At promotio non includit consecrationem, ut patet ex iis quae scribit Ferraris *loc. cit. n. 42.* « Provisi seu » pronunciati a Papa in Consistorio » appellantur promoti, etiamsi non- » dum fuerint consecrati. *Iniunctae » 1 de Election. inter communes,* » ibi: *Qui apud dictam S. Sedem » promoventur.* Et Concil. Triden. » Sess. 7, Cap. 9, ibi: Ad ma- » iores ecclesias promoti, munus » consecrationis infra tempus a iure » statutum suscipiant. »

Cum itaque ex Piano Capite nullo pacto appareat, Episcopos consecratos esse debere, nullo pacto pariter apparet, suspensione esse illos eximendos qui Episcopum nondum consecratum ad regimen et administrationem Ecclesiae ei concreditae recipiunt.

Quod postremo ex re constat. Etenim Episcopus nondum consecratus regimen et administrationem concreditae Ecclesiae exercere potest, iis exceptis quae sunt ordinis episcopalis; ei ergo subditi obedientiam et subiectionem praestare tenentur, et praestant: si ergo praestent antequam literas Apostolicas exhibeat de sua promotione fidem facientes, legem transgrediuntur, et consequenter latam suspensionem incurrunt.

Atque haec relate ad Episcopos.

Praelati autem ii proprie appellantur, qui iurisdictionem quasi Episcopalem et in foro externo nacti fuerunt, quaecunque tandem fuerit nanciscendae iurisdictionis causa (1).

(1) Berardi, *Commentaria in Ius Eccl. univers. Dissert. V, Cap. 3°*, qui subdit: « Horum quatuor veluti genera demonstrantur. Primi generis sunt praelati » Regulares, seu Monasteriorum Superiores. Secundi generis sunt praepositi saecu- » lares, seu Abbates, seu Decani nuncupati in collegiatis Ecclesiis certas iurisdi- » ctionis species exercentes sub Episcopo. Tertii generis sunt, qui in Dioecesi Epi- » scopi consistunt, certum adsignatum territorium instar Dioecesis habentes, in » quo in clerum et populum iurisdictionem ecclesiasticam etiam in foro externo » explicant. Postremi generis sunt, qui episcopalem iurisdictionem exercent in certo » territorio a Dioecesi cuiuscumque Episcopi separato, et singulari ac proprio no- » mine appellantur *Nullius Dioecesis.* Imo nec repugnat esse praelatos quosdam, » qui ad tertium aeque, ac quartum praelatorum genus referri possunt, propterea » quod et in Dioecesi Episcopi iurisdictionem exercent, et in territorio *nullius,* » habito scilicet respectu locorum, cum quandoque contingat, ut certa loca regimini » horum praelatorum subiecta sita sint in dioecesi Episcopi, alia extra dioecesim » cuiuscumque Episcopi constituta. Atque in his casibus obtinet, ut praelatus huius » generis in ea parte administrationis suae, quae sita est in Dioecesi Episcopi, » consideretur tamquam praelatus tertii generis, in altera parte, quae dicitur *Dioe- » cesis nullius,* consideretur tamquam praelatus postremi generis, sive *nullius.* »

Hisce praemissis, videamus et quid eiusmodi suspensio comprehendat, et quinam eam incurrant, et quamnam ob culpam.

Et quantum ad hoc postremum attinet, culpa quae suspensione plectitur est recipere *Episcopos aliosve praelatos ad regimen et administrationem Ecclesiarum et Monasteriorum, quibus quovis modo a S. Sede provisi fuerant, antequam exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione.*

Ergo 1. cum in poenalibus verba stricto sint sensu accipienda, non erunt recipientes eiusmodi excommunicati, si recipiant non episcopum, vel praelatum proprie dictum, sed eum, qui ex. gr. tamquam Dioecesis, Ecclesiae, Monasterii Visitator vel administrator mittatur, aut sese praesentet, antequam literas Apostolicas exhibeat.

2. Eiusmodi receptio sensu ecclesiastico accipienda est; consequenter non significat receptionem quamlibet, ex. gr. Episcopum vel praelatum hospitem acceptare, ei urbanitatis, amicitiae, et reverentiae officia exhibere, sed eos acceptare ut Episcopos et praelatos illius Ecclesiae, Dioecesis, Monasterii, eisque debitam obedientiam spondere et exhibere. Id nedum patet ex scopo a legislatore intento; nedum ex verbis *ad regimen et administrationem Ecclesiae vel Monasterii,* quibus officia episcopalia et praelatitia disignantur, sed etiam ex Bonifacii VIII lege, quam supra retulimus, in qua aperte pronuntiantur suspensi *recipientes, vel obedientes eisdem.* Si qui ergo sint qui Episcopo vel praelato obedientiam neque spondeant neque exhibeant, quamvis eos debita reverentia prosequantur, lata suspensione immunes erunt. Cum enim proprie dictam obedientiam et subiectionem non exhibuerint, qua ut Episcopi et Praelati acceptantur, planum est Pontificia decreta ab iis servata fuisse, cum dici non possint recepisse Episcopos et Praelatos ad regimen et administrationem Ecclesiae vel Monasterii; quae receptio de more proprie et vere fit per exhibitionem obedientiae alicui tamquam proprio et legitimo Superiori.

Ut autem eiusmodi culpa existat, Episcopi et hi praelati debent esse *quovis modo apud eamdem Sanctam Sedem provisi,* scilicet ut utamur Bonifacii VIII verbis, tales debent esse qui *apud dictam S. Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt ad commissas eis Ecclesias et Monasteria absque dictae Sedis literis huiusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere non praesumant.*

Ex qua conditione infertur, quod si quis impostor accedat falsas literas exhibens, et Capitula atque Conventus, epistolarum falsitatem non advertentes, illum recipiant,

eique obedientiam praestent, hanc suspensionem effugiant. Hi enim nulla culpa maculantur, nullam inobedientiam pontificio decreto praestitere: poena qua de causa non tenentur.

Quid vero si Episcopus et Praelatus a S. Sede nullo pacto provisus fuerit; attamen ad Ecclesiam et Monasterium uti provisus sese conferat, et Canonicos atque Monachos decipiens, hi illi debitam praestent obedientiam antequam literas Apostolicas exhibeat? Nos suspensionem incurrere non dubitamus. Quamvis enim in lege dicatur quod Episcopi et Praelati sint a S. Sede provisi, tamen eorum qui illos recipiunt culpa in eo consistit quod eos admiserint antequam exhibuerint literas apostolicas de sua promotione testimonium legitimum continentes; recipientes igitur vere et proprie contra latum decretum peccarunt, ergo et suspensionem incurrerunt; finis insuper legis est ne ut Episcopus vel Praelatus recipiatur qui talis non est: at manente fine legis sub ipsius verbis legis comprehenso, stat ipsa lex, consequenter etiam poena legis transgressioni adnexa.

II. Suspensionem autem incurrunt 1. *Capitula et Conventus* Ecclesiarum et Monasteriorum, qui Episcopis vel Praelatis utcumque a S. Sede provisis obedientiam praestent, antequam literas apostolicas exhibeant suae promotionis testes. Ergo canonici, et ii omnes quibus Capitulum constituitur, non alii qui de Capitulo non sunt, dummodo latam non infregerint legem; et Religiosi omnes, ex quibus Monasterium vel Conventus conflatur.

Qua tamen in re advertendum est, quod cum suspensio lata sit in Communitatem, eam etiam innocentes incurrunt, quamvis non ut censuram, quae sine peccato non incurritur, sed uti poenam. At audiamus S. Alphonsum *Lib. VII, n. 317*: « Quando suspensio fertur » in solam Communitatem, non » afficit singulas personas, quoad » munia particularia, sed tantum » quoad Officia vel Beneficia totius » Communitatis.... Quod si aliqui » exerceant functiones Communi- » tati tunc vetitas, dicunt.... eos » non incurrere irregularitatem, » quia prohibitio illa non est pro- » prie censura, sed potius inhabi- » litas particularium personarum ad » talia officia. Si vero suspensio » fertur in communitatem, et in » singulas ipsius personas, tunc non » afficit innocentes, sed tantum de- » linquentes; nemo enim potest » excommunicari aut suspendi pro » culpa aliena, ut communiter do- » cent.... et patet *ex Cap. 2... et* » *clarius ex Cap. de His quae fiunt* » *a maior. part. Cap.*, ubi dicitur: » *Cum peccata suos auctores te-* » *nere debeant, ne poena sit ulte-* » *rius protrahenda, quam deli-* » *ctum fuerit in excedente refer-* » *tum.* »

Atqui haec suspensio lata prorsus

est in Communitatem, et non in singulas personas, ut caput legenti patet; ergo eam etiam innocentes incurrunt. Sed 2. Suspenduntur alii omnes qui ad Ecclesiarum et Monasteriorum regimen recipiunt episcopos aliosve praelatos, antequam etc. Hi vero non intelliguntur pertinere neque ad capitulum, neque ad Conventum. Sunt ergo alii Clerici, aliique religiosi viri (suspensio enim fertur tantum in Ecclesiasticos) qui in Dioecesi vel Conventu degentes, ut subditi quamvis neque ad Capitulum, neque ad Conventum pertineant, Episcopo tamen vel praelato eiusmodi obedientiam de more spondent.

Attamen si aliquis Episcopus vel de gremio Capituli, vel ei extraneus eiusmodi culpa sese macularet, suspensione non ligaretur, quia dum de suspensione agitur non intelliguntur ligati Episcopi nisi de ipsis expressa mentio fiat. Quod ex communi Doctorum sententia patet, fundata in Cap. *Quia periculosum 4 De sententia excommunic. in 6,* quod ita legimus: « Quia periculosum est Episcopis et eorum » superioribus propter executionem » pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu » interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto. Nos » deliberatione provida duximus » statuendum, ut Episcopi et alii » superiores praelati nullius constitutionis occasione, sententiae » sive mandati praedictam incurrant sententiam nullatenus ipso » iure. Nisi in ipsis de episcopis » expressa mentio habeatur. »

Neque quis subsumat, agi in relato capite de suspensione ab officio, et in Piano capite de suspensione a perceptione fructuum; etenim Episcopi a suspensione qualibet exempti iudicantur, nisi exprimantur, ut patet ex Glossa loc. cit. « Non » credebam olim quod constitutio » ista haberet locum in poenis » suspensionum a beneficio.... tamen hodie non dubito quod etiam » in suspensionibus a beneficio, » non solum ab officio, ingressu » Ecclesiae, vel similibus locum » habet haec constitutio. »

Non putamus tamen, Episcopos qui hanc suspensionem effugiunt, incurrere excommunicationem aut suspensionem latam in Const. *Romanus Pontifex,* cum casus ille a praesenti sit omnino diversus, ut supra notavimus, neque poenae extendi possunt de casu in casum, quamvis rationis identitas intercedat.

Demum notandum est, quod cum suspensio feratur in communitatem, relate ad Capitula et Conventus non habet rationem censurae aut poenae, sed merae privationis et inhabilitatis; ideoque si Capituli et Monasterii membra suspensionem violent, vel nullo pacto observent, irregularitatem non incurrunt, quamvis graviter peccent inobedientiae causa, ut patet ex S. Alphonsi testimonio supra re-

lato. At pro aliis qui neque de Capituli neque de Monasterii gremio sunt, censura est, cum in singulos prolata fuerit, ideoque si eam transgrediantur irregularitatem incurrunt.

III. Videndum superest quid eiusmodi censura complectatur.

Id vero ex lege patet, qua dicuntur huiusmodi Capitula et Conventus *suspensionem ipso facto incurrere a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum Sanctae Sedis*. Ergo non ab officio, sed a beneficio tantum.

Attamen inter Commentatores duplex in re quaestio agitatur, quarum prima quaeritur: an lex intelligenda sit de beneficiis communibus Capitulo et Conventui, vel etiam de beneficiis singulis personis propriis; secunda vero, dato quod lex intelligenda sit de beneficiis communibus, an sub lege comprehendantur beneficii administratio, distributiones quotidianae, et cetera adventitia.

Inter antiquos, Bonacina *De censuris omnibus ecclesiasticis in particulari, Disp. III, quaestio IV, punct. X, n. 4*, affirmat, Capitulum et Conventum suspendi nedum a communibus, sed etiam a beneficiis quae particulariter singuli possident. (1) Ex Commentatoribus Pianae Constitutionis, alios inter, eamdem sententiam defendit cl. Ciolli *Comment. pag. 128* (2).

At Commentatores ceteri, duce Suaresio aliisque ex antiquioribus, censent Capitula et Conventus suspendi tantum a perceptione fructuum beneficiorum, quae communiter possident; quam sententiam veriorem putamus.

Revera, certum est in cit. Capite non suspendi Capitula et Conventus, et singulos de Capitulo et Conventu, sed universalitatem in genere, nulla de individuis mentione peracta; sicuti certum est Capitulum et Conventum suspendi a perceptione suorum beneficiorum; ergo ab iis beneficiis quae possidet Capitulum et

(1) « Hic dubium esse potest, inquit, utrum Capitula suspendantur a beneficiis, » quae capitulariter seu communiter possident, vel potius a beneficiis, quae singuli » obtinent. Suarez *disp. 31, sect. V, n. 23:* innuit suspendi solum a beneficiis » quae communiter possident Ego vero in hoc casu probabilius censeo suspendi » simpliciter a perceptione suorum beneficiorum, quia Bonifacius VIII in dicta » Extravaganti non suspendit solum capitulum et conventus, ut sic, verum etiam » singulares personas, ut colligitur ex illis verbis: *Capitula vero, Conventus* » *Ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum, et alii quicumque ipsos absque hu-* » *iusmodi dictae Sedis literis recipientes, vel obedientes, tandiu sint a be-* » *neficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc eiusmodi Sedis* » *gratiam meruerint obtinere.* »

(2) E che infatti i singoli membri incorrano pure la sospensione dai loro particolari benefizii, quando colpevolmente ammiscono a tale ammissione, lo provano quelle parole del caso *aliique omnes*, con cui il legislatore ha voluto colpire *chiunque* aderisce a tale temerità.

Conventus reduplicative, non ab aliis quae singuli de Capitulo et Conventu distributive possident, quaeque ad Capitulum et Conventum non pertinent.

Iamvero doctorum praestantissimorum sententia est, non comprehendi sub suspensione beneficia particularia quae ad universitatem non pertinent, quando suspensio generaliter in universitatem lata est, nulla de individuis facta mentione. Id praeter S. Alphonsum in testimonio cit. docent Roncaglia *Theologia universa, Tract. IV De Censuris, Quaest. V, Cap. 1, Quaer. VII:* « Suspensio ferri potest non solum in particulares personas, sed etiam in Communitatem. Ubi advertendum quod quando suspensio simpliciter fertur in communitatem, non extenditur ad singulas personas distributive, sed solum privat Communitatem officiis et beneficiis, quae communia sunt Collegio, Capitulo, seu Communitati; et remanet cuicumque particulari personae ius exercendi officium et administrandi beneficium, quod sibi competit, ut particularis persona est. »

Suarez De Censuris *Disp. XXVIII, Sect. III* idipsum affirmat: « Capitulum in rigore non significat singulas personas de Capitulo, sed universitatem ipsam: ergo suspensio Capituli solam Communitatem ligat, ut unum corpus est, quia vis illorum verborum non solum hanc interpretationem patitur, sed etiam exigit in omni proprietate... Ergo ita est eius modi suspensio et poena interpretanda. »

Gibalini *De sacra iurisdictione in ferendis censuris Sect. IV, n. 4* idipsum scribit: « Quando suspenditur simpliciter et absolute Capitulum, aut Universitas, intelligenda est suspensio cadere in Capitulum collective, sive ut quoddam unum corpus est, non autem in singulas personas distributive, nisi aliud ex materia et ex circumstantiis colligatur, aut in iure vel sententia declaretur... Quia haec nomina Capitulum, Collegium, Conventus et Universitas, aliaque similia non significant proprie singulas personas, sed ipsam Communitatem ut unum corpus est. Atqui nulla est causa impropriandi has voces in sententia suspensionis, quandoquidem Communitas et Capitulum formaliter est capax suspensionis. Igitur retinenda erit propria vocum illarum acceptio, nisi, ut dixi, aliud sententia aut ius designet. »

Demum, ut alios praetermittamus, De Alteriis *De Censuris ecclesiasticis, Tom. II, Disp. VII, Cap. V, pag. 115:* « Quando simpliciter fertur suspensio in Capitulum, intelligitur suspensum ipsum Capitulum, quatenus est quoddam totum, non autem singulares personae Capituli, quia

» hoc nomen Collegium, seu Ca-
» pitulum, aut Universitas et si-
» milia, non significant singulas
» personas Capituli, Collegii aut
» Universitatis, sed ipsum corpus
» Collegii, Universitatis, aut Capi-
» tuli. Ergo suspensio Capituli, Col-
» legii, aut Universitatis afficit so-
» lam ipsam Communitatem ut
» unum corpus est. »

Potiores igitur antiquiores doctores Bonacinae sententiam repudiabant.

At Commentatores praecipui Constitutionis *Apostolicae Sedis*, Reatinus, Patavinus, la Nouvelle Revue Théologique, De Varceno aliique eamdem sententiam a cl. Ciolli instauratam repudiant. Neque ab hoc et a Bonacina adducta ratio solida esse videtur, aut vera. Etenim *alii quicumque*, aut *alii omnes* illi de quibus Bonifacius VIII, et Pius Papa IX, non probantur ad Capitulum et ad Conventum pertinere, ideoque cum beneficia communia non possideant, particularibus suspendendi erant. De cetero nemo negare poterit, rationes adductas ab allegatis auctoribus solidiores prae aliis esse.

Quibus si addamus, quod lex poenalis est, ideoque stricte interpretanda; et dato, minime tamen concesso, quod sit dubia, in dubio quod minimum est tenendum, sententia nostra certa evadit, et practice omnino sequenda. Quod si adversarii dicant esse tantum probabilem, concludemus, quod nemo censura tenetur, quando sententia vere probabili eam non incurrisse creditur.

Neque illa circumstantia movemur, qua fieri posset ut Capitulum et Conventus in re delinquens nullam poenam incurreret, si beneficia communia non possideret. Etenim relate ad Conventus, beneficia sunt omnia communia, cum Religiosi voto paupertatis obstricti nil proprii habere possint; relate vero ad capitula rarum admodum est ut beneficia communia non possideant; leges autem fiunt de iis quae frequenter accidunt.

Sed esto; detur eiusmodi casus. Num ne exinde ab recta interpretandarum legum regula recedere compellemur? Legislator casum praevidisse censendus est, vel non. Si praevidit, neque lege conclusit, illum contempsit. Ni autem illum praevidit, quo iure nos legem ad id extendemus, quod Legislator nequidem cogitavit?

De cetero ipse Alterius *De censuris ecclesiasticis Tom. II, p.76,77* eodem sensu banc quaestionem dirimit: « Similiter, inquit, si nul-
» lum beneficium possidet quando
» suspenditur, suspensio eum non
» afficit, cum sit limitata ad bene-
» ficia quae tunc possidentur, quan-
» do lex violatur. »

Et haec de universitate; at caeteros omnes qui nec ad Capitulum, nec ad Conventum pertinent, incurrere suspensionem a beneficiorum perceptione, quae particulariter possident, certum omnino ex lege est.

Attamen hac in quaestione ulterius inquirendum est: an dum Capitula et Conventus suspensionem incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, removeantur etiam ab beneficiorum administratione.

Et quidem Commentator Patavinus, *Comment. pag. 315, n. 432,* Del Vecchio *Theol. mor. Tom. 1, pag. 732, n. 918,* et alii censent, eiusmodi suspendi etiam a beneficii administratione: Hic enim scribit: « Suspensus a perceptione beneficiorum intelligitur suspensus a » fructuum perceptione, et temporali administratione; quare oeconomus illi constituendus est. »

Alius vero ita disserit: « Effectus » huius censurae in eo consistit, » quod Clericus beneficiatus *a perceptione suorum beneficiorum* suspendatur; hoc est suspendatur a » beneficiis usque dum gratiam absolutionis mereatur et obtineat a » S. Sede. Qui autem suspensus a » beneficio est, ut disserit Laym. » *(De susp. n. 3). intelligitur tantum suspendi a perceptione fructuum ac temporali administratione beneficii, quare illi oeconomus constituendus est; si autem se ingerat interdictae sibi administrationi, ipso iure eo privatur.* Ex Cap. *Cupientes,* § *Caeterum,* de Elect. in 6. » (1) Attamen Reatinus *Comment. n. 179,* Conrado *Memoriale pag. 103,* aliique censent huiusmodi delinquentes ab una fructuum perceptione suspendi, non autem ab beneficiorum administratione. (2) Horum autem sententiam veram et tenendam esse arbitramur.

Etenim in poenalibus legem stricto sensu interpretari debemus; in lege autem una suspensio indicitur *a perceptione beneficiorum,* id est a perceptione fructuum beneficii; at in potestate ferentis suspensionem est, eam ad plures vel minores effectus limitare; cum ergo legislator ad unam perceptionem fructuum praesentem suspensionem limitarit, ad alias poenas quae suspensioni adnecti possunt, extendere nec possumus, nec debemus.

Neque obstat allegatum Caput *Cupientes;* in eo enim agitur de suspensione ab *omnibus beneficiis suis,* ideoque poena inducta complectitur omnes effectus adnexos

(1) Caput ita legitur. « Caeterum si eligentes electiones ipsas concorditer vel » in discordia celebratas, intra octo dies, postquam commode poterunt, electis praesentare distulerint; ipsos qui culpabiles in hoc extiterint, quoad se, a processus » prosecutione totaliter excludentes, omnibus beneficiis suis, quae in ipsa Ecclesia, » de cuius electione agitur, obtinent, per triennium continuum, ex tunc inchoandum, volumus eo ipso fore suspensos. Ad quae si intra illud tempus se propria » temeritate, vel alio quaesito colore ingesserint, illis ipso iure perpetuo sint » privati. »

(2) Satis sit unius Reatini verba allegare: *Perceptione;* ac proinde non ab administratione, ut alias, sed a fructibus tantum, si quid opinor. »

suspensioni totali a beneficiis; at in casu nostro suspensio limitatur ad perceptionem fructuum; ergo non est ad administrationem extendenda.

Eiusmodi quaestione dirempta, videndum superest: an saltem ecclesiastici in re delinquentes suspendantur ab distributionibus quotidianis, et aliis incertis stolae ex. gr. redditibus.

Quoad hos postremos ita Alterius rem dirimit *loc. cit. p. 76.* « Aliae » vero (distributiones) sunt nullo » modo annexae beneficio, quae » sunt incertae, et non semper, » sed aliquando a fidelibus ex eo- » rum arbitrio offeruntur, ut elee- » mosynae quae dantur pro decan- » tanda missa, vel Officio defuncto- » rum celebrando, vel similia, et » haec proprie non continentur sub » genere fructuum ecclesiastico- » rum, quia non proveniunt ra- » tione beneficii, sed traduntur per- » sonae occasione beneficii, quate- » nus scilicet habet ius celebrandi » in hac vel illa Ecclesia. » Cum itaque incerti stolae reditus, et similes non proveniant ex fructibus beneficii, ab his suspensus non censetur suspendi ab huiusmodi quibuscumque incertis redditibus.

At relate ad distributiones quotidianas non pauci ex antiquis doctoribus affirmativam sententiam defenderunt. Ratio est, inquit Alterius *loc. cit.* quoniam etiam « dis- » tributiones dantur propter bene- » ficium, nam quamvis requiratur » servitium et residentia, ut illae » acquirantur, tamen necessarius » est quoque titulus beneficii, unde » si alius praestaret illud idem » servitium sine titulo beneficii, » nihil lucraretur; ergo quando » quis universaliter suspenditur a » beneficio, amittit etiam distribu- » tiones » (1).

Alii Canonistae considerantes quod Concilium Triden. *Sess. XXI, Cap. 3, de Reform.* decreverit, in Ecclesiis ubi nullae essent distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligerentur, eas augendas esse ex tertia parte fructuum quorumcumque beneficiorum, (2) distinctionem intulerunt,

(1) Idipsum censet Suarez *De Censuris Disput. XXVIII, Sect. I, n. 29.* « Ratio est, inquit, quia etiam hae distributiones dantur ratione beneficii; quam- » quam enim immediate dantur propter assistentiam vel ministerium ad aliquod » divinum officium, tamen hoc non est praeter rationem beneficii, quod ex institu- » tione sua propter officium datur; et praeterea illud officium non esset sufficiens » ratio ad lucrandas distributiones, nisi ex titulo beneficii fierent; sunt ergo illae » distributiones veluti pars quaedam beneficii. »

(2) « En Caput: Cum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia » obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debi- » tum omnibus in rebus obsequium praestetur; statuit S. Synodus in Ecclesiis » tam Cathedralibus quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quo- » tidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum

ita ut sub suspensione comprehendi affirmarint distributiones quotidianas si eae derivantur ex beneficiis; quia hoc in casu censendae sunt beneficii fructus; secus si deriventur ex aliqua alia particulari fundatione. « Quia, inquit Schmalzgrueber *Ius Eccl. Lib. V, Tit. 39, n. 302,* esto solis beneficiariis applicentur, non tamen intuitu beneficii, sed in stipendium Officii conceduntur; et beneficium solum conditio est, ut concedantur, non causa concessionis. »

Attamen aliis tum antiquis, tum recentibus Doctoribus nimis rigidae eiusmodi visae sunt sententiae; atque quaslibet distributiones quotidianas ratione beneficii excludendas esse censuere, ideoque minime sub praesenti suspensione comprehensas. Horum autem ratio evidens videtur, cum distributiones quotidianae sub nomine fructuum beneficii minime veniant, utpote quae reapse non dentur ratione beneficii, sed diligentiae qua Canonici vel beneficiati Chorum frequentant; qua de causa negligentes dum beneficii fructus lucrantur, distributiones amittunt. Haec vero nota sunt universis. Cum ergo in praesenti Cap. suspensio incurratur a beneficii fructibus, non est haec ad distributiones quotidianas extendenda, quae beneficii fructus non sunt, neque uti tales in iure recensentur, sed sub *praesentiarum seu victualium nomine* (1).

Lex vero cum sit poenalis debet stricto accipi sensu.

Rationes vero ab adversariis adductae facile diluuntur, cum 1. falsum sit quod distributiones quotidianae dentur propter beneficium; etenim dantur ratione diligentiae adhibitae in choro frequentando, quae diligentia apprime secernitur a ratione beneficii, cum ab beneficio non dependeat. 2. Quia quamvis ad lucrandas distributiones requiratur titulus beneficii, exinde tamen non sequitur, eas ab beneficio repetendas esse: causa enim vera, propria, et directa lucrandarum distributionum est beneficiarii diligentia, et ad chorum adsistentia; titulus hinc beneficii non est causa lucrandarum distributionum, sin minus, dato titulo, dandae etiam essent distributiones, sicut et beneficii fructus; sed est conditio sine qua nemo distributiones lucraretur, cum chorum frequentare non pos-

» et quorumcumque proventuum et obventionum tam Dignitatum quam Canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter Dignitates obtinentes et ceteros divinis interesentes proportionabiliter iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur, salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt. »

(1) Cf. Reiffenstuel. Ius Can. Tom. III, Tit. 14, n. 166 seq.

set. Si autem beneficium non est causa lucrandarum distributionum, non sunt hae consequenter beneficii fructus; sed Pontifex Conventus et Capitula suspendit a beneficii fructibus; ergo non a distributionibus quotidianis. 3. Si admittamus, suspensos a perceptione beneficiorum suspensas etiam esse ab distributionibus quotidianis, suspensi censendi sunt etiam ab aliis incertis distributionibus, et quidem ob idem adversariorum argumentum. Ideo enim Canonici ex. gr. illas distributiones percipiunt quia habent beneficii titulum, sin minus functiones illas in choro agere non possent, neque distributiones illas ut Canonici et Beneficiarii lucrari. At has ab suspensione eximunt adversarii nostri, ergo et alias omnes eximere debent.

Hinc, ut huic capiti finem imponamus, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem sanctam Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione, incurrunt tantummodo suspensionem a fructibus suorum beneficiorum quae capitulariter, et communiter possident, si agatur de Capitulis et Conventibus.

Non autem ab fructibus beneficiorum, quae singuli possideant, neque ab incertis stolae, aliorumque officiorum redditibus, neque ab distributionibus quotidianis quocumque ex fonte originem ducant, sed neque exinde ab beneficiorum administratione removentur.

Alii vero omnes qui de Capituli aut Conventus gremio non sunt, incurrunt unam suspensionem a perceptione fructuum suorum beneficiorum quae singulariter possident.

Ea vero quae ad officia pertinent, et alia beneficiis adnexa iura, omnino intacta pro omnibus manent, cum in lege de unica suspensione a perceptione fructuum beneficiorum sermo sit: *odia autem restringi, favores convenit ampliari.*

Relate ad huius suspensionis cessationem advertendum est, eam perdurare ad beneplacitum Sanctae Sedis pro iis qui eam contraxerunt. At postquam Episcopus et Praelatus receptus est, atque est in pacifica possessione suae Ecclesiae, nullam suspensionem contrahunt illi qui ei debitam obedientiam praestant, quamvis literas Apostolicas non exhibuerit; receptio enim recipiendi actione finitur, atque cum Episcopus vel Praelatus pacifice suam Ecclesiam possidet, supponenda est S. Sedes acquievisse, et possessionem Ecclesiae aut Monasterii utcumque peractam ratam habuisse; sin minus praedicti Episcopi et Praelati in pacifica possessione minime versari possent.

APPENDIX XLIII.

De suspensione lata in Ordinarios aliquem ordinantes absque titulo.

Ne turpi paupertate pressi Ecclesiae viri mendicare, vel vetitis lucris sese implicare cogerentur, Concilium Tridentinum statuit, clericos omnes qui ad sacrum Subdiaconatus ordinem provehendi essent, sufficientibus redditibus instruerentur, quibus vitam honeste ducere possent. Neminem hinc ad maiores ordines promovendum absque titulo statuit, qui est *Ius percipiendi fructus annuos iuxta taxam ab Episcopo determinatam pro honesta Clerici sustentatione.* Quamvis enim Christus Dominus paupertatem discipulis suis commendasset, nullibi tamen eis praecepisse legimus ut sibi quae necessaria essent ad vitae sustentationem mendicando compararent. Hinc Sess. XXI, Cap. 2 *de Reformatione* haec in re Patres Tridentini statuere:

« Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, » cum ordinis dedecore mendicare, » aut sordidum aliquem quaestum » exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu » admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium » ecclesiasticum, aut etiam idoneas » facultates obtinere; statuit Sancta » Synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit » idoneus moribus scientia et aetate, » ad sacros ordines promoveatur, » nisi prius legitime constet, eum » beneficium ecclesiasticum, quod » sibi ad victum honeste sufficiat, » pacifice possidere. (1)

» Id vero beneficium resignare » non possit, nisi facta mentione, » quod ad illius beneficii titulum

(1) Huius decreti ratio perbelle ab Innocentio III significata fuit Episcopo Zamorensi his verbis: « Cum secundum Apostolum qui Altari servit, de altari » vivere debeat et qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede; patet a » simili ut clerici vivere debeant de patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. Cum enim a *Clero*, quod est sors, » vel haereditas, Clerici appellentur, quia in sui ordinatione vel assumuntur in » haereditatem domini, vel assequuntur haereditatem in ipso, ut vere possint psallere » cum propheta dicente: *Dominus pars haereditatis meae;* dignum est ut Ecclesiae stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis adscribuntur. » Licet autem praedecessores nostri ordinationes eorum qui sine certo titulo promoventur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes: Nos tamen » benignius agere cupientes, tamdiu per ordinatores vel eorum successores provideri » volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur; ne forte » clamores clericorum pauperum, quos in aures Domini Sabaoth credimus introire » indurata facie negligere videamur. » Migne, Patrolog. Lat. Tom. 214, col. 68.

» sit promotus, neque ea resigna-
» tio admittatur, nisi constito, quod
» aliunde vivere commode possit;
» et aliter facta resignatio nulla sit.
» Patrimonium vero vel pensionem
» obtinentes ordinari posthac non
» possint, nisi illi, quos episcopus
» iudicaverit assumendos pro ne-
» cessitate vel commoditate Eccle-
» siarum suarum; eò quoque prius
» perspecto, patrimonium illud vel
» pensionem vere ab eis obtineri,
» taliaque esse, quae eis ad vitam
» sustendandam satis sint. Atque
» illa deinceps sine licentia Episco-
» pi alienari aut extingui vel re-
» mitti nullatenus possint, donec
» beneficium ecclesiasticum suffi-
» ciens sint adepti, vel aliunde ha-
» beant unde vivere possint; anti-
» quorum canonum poenas super
» his innovando. »

Attamen antiquorum vi canonum Episcopi Clericum sine titulo ordinantes, tantum ad eum alendum tenebantur, donec sufficiens beneficium consecutus fuisset. Quod et ab Alexandro III in Conc. Lateranensi statutum fuit « Episcopus si » aliquem sine certo titulo de quo » necessaria vitae percipiat, in dia-» conum vel Presbyterum ordina-» verit, tamdiu ei necessaria sub-» ministret, donec in aliqua Eccle-» sia ei convenientia stipendia mi-» litiae clericalis assignet. Nisi talis » ordinatus de sua vel paterna hae-» reditate subsidium vitae possit » habere. »

Quibus innuitur Clericum etiam ad titulum patrimonii posse ad maiores ordines promoveri, quo titulo si promotus fuerit, Episcopus ad nihil tenetur.

Ut quisque videt, antiquis Canonibus Episcopi non censura aliqua, sed una poena obstringebantur, Clericis necessaria subministrandi si absque iusto titulo eos simpliciter ad maiores ordines promovissent.

Diximus *simpliciter;* etenim si Episcopi aliquem ordinassent et sine titulo et cum pacto de non petendis ab se alimentis, hoc in casu triennalem suspensionem ab collatione ordinum incurrebant. Qua in re ad lectorum nostrorum eruditionem ea quae scribit cl. Avanzini, *Commentarii in Constit. Apostolicae Sedis Edit. 3 manual. 1874* exscribimus.

« Gregorius IX in Cap. *Si quis* » *45, De Simonia,* haec statuit: » *Si quis ordinaverit, seu ad or-* » *dinem praesentaverit aliquem,* » *promissionem vel iuramentum ab* » *illo recipiens, quod super provi-* » *sione sua non inquietet eumdem,* » *Ordinator a collatione, praesen-* » *tator vero ab exsecutione ordi-* » *num per trienninm, et ordina-* » *tus ab ordine sic suscepto, donec* » *dispensationem super hoc per Se-* » *dem Apostolicam obtinere merue-* » *rint, noverint se suspensos.*

» Eiusmodi iuris dispositio, uti » patet, ex parte tantum est in-» novata; incurrunt enim hanc sus-» pensionem solum ordinantes.

» Haec dispositio reperitur in » decretalibus sub titulo *de Simo-* » *nia*, quia propositus casus Simo- » niam redolet. Neque huic iuris » dispositioni derogaverat Triden- » tina Synodus, quae immo hac in re » veteres canones innovavit. (1)

» Namque Tridentina Synodus » de titulo S. Ordinationis plura » disponens in *Cap. 2 Sess. 21 de* » *Reform.* his verbis caput hoc » clausit: *antiquorum Canonum* » *poenas super his innovando:* ideo- » que dispositio Gregorii IX de qua » loquor, renovata censenda erat, » quamquam etiam ob speciem Si- » moniae esset inflicta.

» a) Abs re hic non erit, indi- » care quamdam dubitationem or- » tam post Tridentinam Synodum » super illis verbis: *antiquorum* » *canonum poenas super his inno-* » *vando.* Nonnullae erant poenae » antiqui iuris relatae in Decreto » Gratiani can. *Neminem,* et Can. » *Sanctorum dist. 70,* quibus ca- » nonibus infligebatur perpetua pri- » vatio exsecutionis ordinis in eos, » qui sine titulo ordinabantur, idque » in iniuriam ordinantis sine titulo: » sed aliae poenae erant minus an- » tiquae, quae derogaverant illis » antiquissimis, et sunt illae quae » leguntur in Decretalibus, *Capi-* » *tibus 2, 4, 16, et 23 de Prae-* » *bendis,* et *Cap. 37 eod. tit. in 6,* » quae quidem poenae non plectunt » ordinatos, sed ordinantes et sine » censura; namque his capitibus » hoc principium dumtaxat conti- » netur: ordinans sine titulo cleri- » cos in sacris ordinibus, tenetur » eisdem subministrare congrua ali- » menta donec per ipsum ordinan- » tem vel per alium consultum non » fuerit titulo S. Ordinationis.

» S. Congregatio authentica Con- » cilii Tridentini interpres in dubii » solutione, iuxta ea quae tradit » Fagnanus in *cap. cum Secundum,* » *de Praebendis n. 63 et seq.,* hanc » tenuit viam, ut non intelligere- » tur renovata poena antiquissima, » propterea quod eidem poenae » iam esset derogatum per subse- » quentes canones, quando tamen » ageretur de ordinato sine titulo » non interveniente fraude: quod » si fraus interveniret, puta ob con- » fictum falsumque titulum, quo » ordinatus decipiat Episcopum, » tunc sustinet Fagnanus locum » habere vetustissimam poenam in » sic ordinatum.

» Successit Constitutio Xisti V » *Sanctum et salutare*, edita die » 5 Ianuarii 1589, qua Pontifex ille » praeter alias poenas suspendit tam » ordinantem quam ordinatum, nulla » distinctione facta, nisi iustus error » vel probabilis facti igorantia Epi- » scopum excusaret. Quam consti- » tutionem tamen ad terminos com- » munis iuris et Constitutionis Pii II,

(1) Animadvertimus, in Trident. Capite nihil haberi de pacto de non inquietando super provisione Episcopo, sed sermonem tantum esse de Clerico ad maiores ordines non promovendo absque iusto titulo.

» *Cum ex sacrorum*, editae die » 17 Novembris 1461, reduxit po- » stea Clemens VIII in Const. *Ro- » manum Pontificem*, edita die 28 » Februarii 1596. Ita res manserat » ut prius.

» Denique Urbanus VIII in Const. » *Secretis*, edita die 11 Decem- » bris 1624 inter cetera perpetuo » eos suspendit *qui cum falsis vel » fictis aut fiduciariis patrimonii » titulis se ad ordines promoveri » fecerint*. Quod est id, quod do- » cuerat cum aliis Fagnanus, quod- » que iam confirmaverat S. Congre- » gatio Concilii die 27. Novembris » 1610, ut refert Benedictus XIV » *Institut. eccles. 26, n. 16.*

» *b)* Hic facile quaeritur; quid » hodie sentiendum post Constit. » *Apostolicae Sedis* de iis clericis » saecularibus, qui fortasse conficto » titulo ordinari se fecerint?

» Resp. Puto nulla censura ir- » retitos esse, tum quod suspensio » ab Urbano VIII inflicta cessavit, » tum quod Tridentina expressio, » *antiquorum canonum poenas su- » per his innovando*, de qua, ut » exposui, iampridem dubitatum » est, videtur quoque cessasse, » quum Constitutio *Apostolicae Se- » dis*, renovans Tridentinas censu- » ras, non videatur renovasse cen- » suras Tridentinas indirecte infli- » ctas. »

Hisce ex clar. Avanzini praemissis, en quid in re Pius Papa IX statuit: *Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.*

Atque ante omnia inquirendum est: utrum post Pianam suspensionem ordinantes huiusmodi teneantur ad alimenta clericis ordinatis praestanda donec sufficienti titulo provisi fuerint, prout in antiquo iure decernebatur. Cuius quaestionis ratio est, quia in Constitutione *Apostolicae Sedis* censurae tantum limitatae reperiuntur, integrae consequenter manent poenae constitutae, quae censurae rationem non induant.

Verum manifestum est, in cit. capite Pium Papam IX innovasse Gregorii IX decretum quo una triennalis suspensio a collatione ordinum decernebatur in ordinantem. In cit. Urbani VIII Constit. *Secretis* uni promoti perpetuae suspensionis poena plectebantur. In Constitutione autem *Cum ex sacrorum* a Pio II lata, quibus Urbanus VIII non derogavit, non agebatur de promotis sine titulo, sed de iis clericis, quorum nonnulli *extra tempora a iure statuta, quidam ante aetatem legitimam, aliqui vero sine dimissoriis literis* ad sacros ordines promoti fuerant, ut inde intelligamus poenas illas non esse ad praesentem casum applicandas. Quin et illud addendum, a Pio II nullam poenam in Ordinantes decretam, sed tantum in ordinatos suspensionem statutam fuisse. At neque

Xistus V Episcopos sic ordinantes poenae de clericis ordinandis alendis subegit. Ex quibus inferimus, poenam hanc iam in desuetudinem abiisse, neque a Pio Papa IX ullo pacto fuisse renovatam, quamvis in Constitutione sua de unis censuris limitandis sollicitus fuerit.

Post haec, ex lectione Capitis manifestum esse putamus praesentem suspensionem incurrere Ordinarios illos qui aliquem ordinant absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta: consequenter ad illam incurrendam satis non esse ut Ordinarius aliquem ad Subdiaconatum promoveat absque titulo beneficii vel patrimonii, sed simul necessarium esse ut praecedat pactum de non petendis alimentis; qua de causa, cum in lege odiosa versemur et stricte interpretanda, si eiusmodi pactum desit, ordinans Clericum absque titulo beneficii vel patrimonii hanc triennalem suspensionem non incurrit.

Titulus vero ex Concilii Tridentini dispositione debet esse vel beneficium ecclesiasticum quod Clerico ad victum honeste sufficiat, quodque pacifice possideat. Qua de causa nominatio, praesentatio ad beneficium, multo minus promissio nequeunt constituere sacrae ordinationis titulum; sicut nec capellania laicalis, cum beneficium ecclesiasticum non sit; quamque idoneam ad titulum ordinationis non esse declaravit. S. Congregatio Concilii die 26 Novembris 1723. (1) Plures atque praecipui Canonistae

(1) Cf. Thesaurum Resolutionum S. Congr. Concilii, *Tom. 2 pag. 551.* Attamen eiusmodi Capellaniae mere laicales possunt constitui in titulum patrimonii. Qua in re ita loquitur Lucidi *De Visitatione SS. Liminum Tom. 1 pag. 450, n. 399:* « Quaeritur itaque an titulum ordinationis praebere queant? Negat Monacellus » *Formul. Leg. pract. App. ad part. 3 Instr. 8. n. 11* contra Morenum; et » ratio est, quia cum huiusmodi Capellaniae non sint vera beneficia, hinc non » possunt inservire ad hoc, ut quis titulo beneficii cum iisdem Capellaniis ordinetur. » At vero licet beneficii titulum hae capellaniae constituere nequeant, nihilominus » poterunt saltem constituere titulum patrimonii, ita ut qui cum iis ordinetur » non titulo beneficii, sed titulo patrimonii ordinatus dici debeat. Quam quidem » conclusionem recipit et amplectitur ipse Monacellus *loc. cit. num. 16* ait enim: » *Una concluditur, eos qui tales capellanias vitalitias obtinent, ordinari non » tamquam ad titulum beneficii. sed tamquam ad titulum patrimonii.*

» N. 400. Confirmari haec sententia potest exemplo fundationum illarum, quae » appellantur *patrimonia sacra*, quaeque a testatoribus institutae sunt, ut certo » cuidam personarum coetui adiudicentur ad sacros ordines suscipiendos, qualis » erat ea de qua agebatur in *Ravennaten. Patr. Sacr. 19 Iulii 1783.* In ea » siquidem haec, quae sacris hisce patrimoniis communiter inhaeret, conditio adiecta » erat, ut Capellanus, ubi primum aliter provisus foret, capellaniae iure excideret » et sic alterius Capellani nominationi fieret locus, iuxta legem fundationis. Itaque » cum Andreas Cignani, qui ad illud sacrum patrimonium nominatus fuerat, et

exigunt beneficium istud perpetuum esse debere, cum sin minus Clericus eo titulo ordinatus posset eo vel quandocumque, vel finito tempore privari, atque cum ecclesiastici ordinis dedecore mendicare cogeretur. Attamen si beneficium illud ea conditione in titulum collatum fuerit, ut eo tunc solum privari possit, cum alio titulo sufficienti provisus fuerit, titulus validus et legitimus censetur et est, cum perpetuo aequipolleat; Clericus enim titulo necessario numquam carebit. (1)

Verum si desit beneficium, ad maiores ordines promovendus ordinari poterit titulo patrimonii quod complectitur donationem quamlibet irrevocabilem bonorum stabilium ordinando factam, qua honeste sustentari valeat. Ut autem legale sit hisce conditionibus instrui debet; ut 1°. sufficientes redditus producat ad honestam Clerici ordinandi sustentationem iuxta taxam vel Dioecesis consuetudinem quae varia est; et ut ipse realiter bonorum assignatorum possessionem obtineat, publico instrumento mediante de more conficiendo. (2)

2°. Qua de causa bona in patri-

» per illud ad ordines ascenderat, parochialem quamdam Ecclesiam adeptus fuisset, » S. Concilii Congregatio definivit, locum esse novae nominationi. »

(1) Qua in re de cetero haec scribit Lucidi De Visitatione Sacrorum Liminum, *Tom. 1 pag. 449 n. 397.* « At vero si patronus, aut alius quilibet, cui nominatio » beneficiati, vel Capellani competit, data Episcopo rite fide in forma iuris valida » polliceatur, sese beneficiatum vel Capellanum, quoad vixerit (hic nempe, non » patronus) vel aliter de congruo titulo provideatur, a beneficii, vel Capellaniae » possessione amoturum non esse, ita ut titulus ex precario ad effectum de quo » agitur, perpetuus efficiatur, tum beneficium illud, vel Capellania in usum patri- » monii sacri potest admitti, veluti animadvertit Benedictus XIV *Inst. Eccles. 26* » *n. 9.*

Atque n. 398 « Monacellus tit. 13 form. 3, n. 17 haec tradit hac super re: » Item s. Congregatio Concilii aliquando dispensat ob penuriam Sacerdotum, vel » paupertatem locorum, ut quis possit promoveri ad titulum Capellaniae amovibilis, » dummodo sit redditus sufficiens pro victu, accedente obligatione valida de non » removendo ordinando, durante illius vita, prout indulsit in *una Mutinen. 17* » *Decembr. 1690, et Eugubina 17 April. 1706 etc.*

(2 Qua de causa constitui nequit in futura haereditate a patre obtinenda; donec enim ea delata non fuerit, nullum haeredi parit emolumentum.

Sed neque in propriae industriae lucris. Nam S. Congregatio Concilii *mense Octobris 1589* rogata: « Si quis tantum habeat, quod ex industria, vel honesto » labore lucretur, puta quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor, » aut alterius licitae professionis; idque sit sufficiens ad sustentationem vitae, » poterit ne promoveri? Decretum est: » *Non posse.*

Nec in mobilibus et semoventibus, ut decretum fuit ab eadem S. Congr. Concili die 29 Nov. 1670: « Communitas S. Angeli Sypontinae Dioecesis exponit per Or- » dinarium admitti ad sacros Ordines Clericos, assignato patrimonio in bonis mo-

monium assignata certa atque determinata esse debent; hic ager ex. gr. haec domus etc. Neque satis esset si in patrimonium assignaretur pars aliqua indeterminata atque indivisa; ex. gr. pars agri huius vel illius, domi etc. quin exprimatur et determinetur positio, quantitas, redditus etc.

3°. Demum eiusmodi bona *stabilia* esse debent; qua in re haec ex cit. Lucidi asserenda ducimus, *loc. cit. n. 408 pag. 454...* « Super » praedicta patrimonii constitutione » insuper est advertendum quod, » *nemo est* (ita S. Congr. Concil. » in memor. Brugen. 1855 §. circa) » *qui nesciat, patrimonium sacrum* » *ex bonis certis, stabilibus ac fru-* » *giferis conficiendum esse.* Hinc » consequitur, quod census, iuxta » leges a S. Pio V praestitutas im- » positi, quoniam inter bona stabi- » lia numerantur, (Bened. XIV, » *Inst. Eccl. 26, n. 12)* canoni- » cum ordinationis titulum tribuere » possint, modo eae cautiones adhi- » beantur, quae a S. Congr. Con- » cilii praescriptae sunt in *Nullius* » *21 Iun. 1629, lib. 14, dec.* » *pag. 109, a tergo*, quae ita se » habet: Quaeritur, an super annuis » perpetuis censibus constitui pos- » sint patrimonia pro clericis ad » sacros ordines promovendis? S.C. » respondit, posse super censibus » perpetuis cohaerentibus rei im- » mobili, et cum legitimis cautio- » nibus, et dummodo proprietas » census sit talis summae, ut in » casu restitutionis censuum debi- » tores teneantur pretium deponere » penes aedem sacram, vel perso- » nam fide et facultatibus idoneam » ad effectum investiendi quanto » citius in aliis censibus eiusdem » qualitatis, vel in bonis stabilibus, » vel in locis montium non vaca- » bilibus, durante hoc patrimonii » titulo, nullatenus, nisi ad prae- » scriptum SS. Canonum, et S. C. » Tridentini, alienandis, ad quod » investimentum faciendum teneau- » tur ipsi ordinati sub poena sus- » pensionis ipso facto.

» Quod si contigerit patrimo- » nium ab aliis quam ab ordinandis » in huiusmodi censibus constitui,

» bilibus et semoventibus, et cum hoc cedat in grave damnum eiusdem Commu » nitatis, et credat esse contra dispositiones canonicas, ad tollendas controversias » supplex instat declarari, an possit patrimonium assignari super mobilibus, et » dictis animalibus. S. Congr. respondit: *Negative.*

Item neque in obligatione personali, ut legitur *in Brugen. 1855* §. *Nec satis:* « Cum Imperator Clerico Florentino diploma concessisset, seu titulum mensae pro » sua honesta sustentatione, quousque provideretur de sufficienti beneficio, et in » dubium revocatum esset, an licite et valide ordinari possit ad titulum dictae » mensae. » Responsum fuit. *Negative.*

Quod demum locum habet, etiamsi ipse Episcopus personali sua obligatione promitteret, sese patrimonii titulo satis esse facturum, ut patet ex Lucidi *loc. cit. n. 419 pag. 458.*

» curent Ordinarii, ut constituentes » in forma iuris valida promittant, » quod in casu redemptionis, modo » superius expresso, pro sufficien- » ti ordinatorum victu provide- » bunt. »

Alius titulus, quo iuxta Concilii Tridentini decretum, clericus ad ordines maiores promoveri potest, est *pensio*. Qua in re S. Congregatio Concilii in *Suanen. Tit. Sac. Ord. 28 Iulii 1838* statuit, *eam nedum ad congruam Clerici alimoniam sufficere debere, sed et perpetuam requiri, ut validum tribuat ordinationis titulum, ad vitam nempe ipsius mansionarii duraturam.* Atque exinde tradit Rigantius *in Reg. 24 Cancel.* §. *5 n. 153 et seq.* quod pensio ab Episcopo favore clerici super aliquo beneficio reservata pro canonico ordinationis titulo non sufficiat, quia nimirum ea nequeat esse perpetua, sed pendeat illius duratio a vita titularis, qui pensionario praecedere potest. Paucis, titulus pensionis ut validus sit iis ipsis conditionibus vallari debet quibus patrimonium sacrum.

Attamen si a Romano Pontifice Clerico alicui collata fuerit pensio in perpetuum super aliquo beneficio, quod cum hoc onere idcirco confertur, cum pensio non beneficiatum, aut Canonicum, sed ipsum beneficium afficiat, eaque de cetero, iuxta leges synodales, vel dioecesis consuetudinem, satis sit ad Clerici honestam sustentationem, optimo iure in titulum patrimonii assumi potest.

Ad titulum vero patrimonii et pensionis ii tantum promoveri debent, *quos Episcopi iudicaverint assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum*, ut Tridentini Patres decrevere.

Qua de causa si eiusmodi vel necessitas vel commoditas desit, quorum alterutrum difficillime deesse potest, nullus clericus patrimonii vel pensionis titulo ad maiores ordines assumendus est.

Nihil porro dicimus de titulo paupertatis quo promoventur personae religiosae post emissa vota solemnia, exceptis Societatis Iesu alumnis, qui hoc titulo assumi possunt ad ordines sacros postquam duos Novitiatus annos expleverint, et vota simplicia emiserint; vel de *titulo missionis*, quo ordinari possunt ii qui facultates apostolicas ad rem obtinuerunt; vel *mensae communis*, quo promoveri possunt Clerici in communitate ad instar regularium viventes, quin tamen aut vota ulla, aut solemnia emittant; vel de *dispensationis* titulo quo ex concessione apostolica nunc promoventur non pauci Clerici, cum aliter provideri non possint ob bonorum ecclesiasticorum inopiam, atque ob Ecclesiarum necessitatem; sunt enim particulares tituli, quorum nostra non interest. Unum consequenter addimus; ad sacram ordinationem requiri titulum qui legitimus et validus sit vel ex iure

constituto, vel ex Pontificis Romani dispensatione et facultate.

Quibus praemissis, videamus et quinam hanc suspensionem triennalem incurrant, et quamnam ob culpam.

1. Et quantum ad primum attinet, eam incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Incurrunt igitur suspensionem hanc Episcopi tantum atque Ordinarii locorum, ad quos pertinet ad sacros ordines sibi subiectos promovere.

Qua in re notandum est, quod cum Abbates regulares, ex. gr. nullius Dioecesis non sint Episcopi, ad Episcopum in cuius Dioecesi territorium nullius situm est, vel ad alium quemlibet, iuxta facultates quibus ab Apostolica Sede donati fuerunt, ordinandum in sacris per testimoniales litteras remittunt, et remittere debent. Quid ergo si ordinandus titulum legitimum non habeat, habeat autem testimoniales Abbatis sui literas, quibus affirmatur legitime Clericum illum ab Episcopo NN. ordinari posse?

Profecto non Episcopus ordinans, sed Ordinarius Clerici promovendi praesentem suspensionem incurrit; non enim in casu ad Episcopum ordinantem pertinet inquirere an secundum iura constituta omnia acta fuerint circa ordinationem Clerici, hoc enim pertinet ad Curiam Abbatialem, sed an Clericus ille habeat testimoniales literas sui Ordinarii, quibus rite ordinari possit; unum in re Episcopus ordinans agere potest, iterum scilicet examini, relate ad scientiam opportunam et necessariam, Clericum subiicere, ut et ipse sciat an reapse idoneus sit, cetera autem peracta fuisse ab Clerici Ordinario supponere debet.

In relato insuper Piano Capite *ordinantes* accipi et intelligi debent Ordinarii Clerici ordinandi, qui reapse Clericos suos promovendi facultatem habent, non alii, ad quos necessitatis causa, vel alia ratione ordinandi mittuntur, quique in casu sunt potius executores voluntatis ordinarii qui Clericum promovendum transmittit, non reapse ordinantes, cum sine voluntate et literis testimonialibus Ordinarii loci Clericum illum nec promovere possent. Quod de cetero ex capite evidens est: ad incurrendam enim suspensionem requiritur pactum ut ordinatus non petat ab Ordinante alimenta; haec vero utique peti possunt ab Episcopo proprio, non ab alieno qui ex commissione sacros ordines confert.

Neque hanc suspensionem incurrent si Episcopus ad quem Clericus ordinandus missus est, certo sciret, eum legitimo titulo carere, et ordinaret; etenim ad incurrendam suspensionem requiritur pactum, de non petendis ab ordinante alimentis; quod cum ab ordinante huiusmodi, utpote extraneo, fieri non

possit, ab eo neque suspensio incurritur.

II. Suspensio autem haec est a collatione ordinum; cum ergo ab legislatore ad unum hoc limitata fuerit, ad alios effectus poena extendi nequit; ad aliud scilicet, quod non sit collatio ordinum.

Hinc Episcopus iste poterit Pontificalia agere, Sacramenta omnia ministrare praeter Sacramentum ordinis, atque universos iurisdictionis episcopalis actus ponere, eo non excepto, ut ad alios Episcopos transmittat ordinandos Clericos, quos ob incursam triennalem suspensionem ipse ordinare non potest.

Neque hoc postremum iis contradicit quae superius diximus de ordinariis, quo nomine intelliguntur etiam abbates in determinato territorio iurisdictionem quasi episcopalem exercentes, quique de cetero ordines maiores conferre suis subditis non possunt. Etenim hi suspensi manent per triennium a conferendis minoribus ordinibus, si legem transgrediantur. Pro Episcopis vero poena integra manet, quamvis ad alios Episcopos subditos ordinandos transmittere possint; neque de coetero ob Episcopi poenam damnum spirituale Dioecesis pati debet.

Disceptatur inter Commentatores an Episcopus ita suspensus prohibeatur etiam conferre primam clericalem tonsuram. Atque cl. *De Varceno Theol. moral. Tom. II p. 524,* id affirmat his verbis: « Ordinantes absque titulo etc. suspensionem incurrunt a collatione cuiusvis ordinis, etiam tonsurae iuxta Const. S. Pii V *Romanus Pontifex Sacrorum.* »

At commentatores ceteri contradicunt, et quidem iuste et vere. Prima enim clericalis tonsura ordo non est, sed dispositio ad ordines; cum autem in lege eiusmodi ordinantes per triennium a collatione ordinum suspendantur, et lex poenalis sit, suspensi intelligi non possunt ab collatione primae clericalis tonsurae, quae ordo non est.

Idque verum esset quamvis S. Pius V quod censet cl. De Varceno statuisset: cum enim post Pianam Constitutionem censurae latae sententiae vim habeant et quatenus renovatae sint, et prout cum Pianae Constitutionis textu concordent, cum in hac de ordinibus sermo sit, textus Constitutionis S. Pii V non concordaret cum textu Constitutionis *Apostolicae Sedis,* ideoque suspensio a collatione primae clericalis tonsurae nunc non teneret Episcopos ordinantes. Attamen nihil est in cit. S. Pii V Constitutione quo propugnata a De Varceno sententia statuatur, quandoquidem de clericali tonsura nullus in ea est sermo, nihilque aliud sanctus Pontifex praecipit quam ut etiam Regulares Clerici non professi vel utcumque in Communitate viventes ordinentur ad formam decreti a Concilio Tridentino lati; *contrafacientes vero per annum a*

praestatione talium ordinum ipso iure suspendit. Ita ut rationabiliter dubitari possit, an S. Pius V Episcopos transgressores suspenderit a conferendis minoribus ordinibus, cum loquatur de iis ordinibus ad quos titulus conveniens requiritur, scilicet de maioribus, et suspensionem in contrafacientes inferat per annum a *praestatione talium ordinum;* ergo non a minoribus, multo minus a clericali tonsura.

Maiori veritatis specie sententiam suam probasset cl. De Varceno auctoritate Xisti Papae V qui in Const. *Sanctum et salutare* lata die 5 Ianuarii 1589 non legitime ad sacros ordines aliquem promoventes Episcopos suspendit *a collatione quorumcumque ordinum, atque adeo ipsius tonsurae, et ab executione omnium munerum pontificalium, et ab ingressu Ecclesiae interdictus existat, aliisque gravioribus poenis nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio puniatur.*

Verum nullum pro sua sententia exinde cl. auctor suffragium retulisset, nedum quia eiusmodi censura a Pio Papa IX in sua Constitutione renovata non fuit, sed etiam quia Clemens VIII in Const. *Romanum Pontificem* lata die 28 Februarii 1596 praedictas Xisti V dispositiones poenales moderatus est, atque ad tramites Constitutionis Pii II, et iuris communis reduxit. (1)

III. Ut autem eiusmodi suspensio incurratur, Episcopi clericos ad maiores ordines promovere debent nedum absque titulo beneficii vel patrimonii, sed etiam cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta; qua de causa si alterutrum desit suspensio non incurritur. Hinc suspensionem incurrunt Episcopi scienter ordinantes clericum cum titulo falso, qui nullos praebeat redditus ad honestam eiusdem sustentationem; eiusmodi enim titulus reapse est nullus, et ordinandus absque titulo promoveretur.

(1) « Considerantesque, tam promoventes, quam eos qui ad dictos ordines promoventur, saepe censuris et poenis huiusmodi, ob illarum multiplicationem, in » eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex praelatis et » Episcopis in conferendis huiusmodi ordinibus nimis scrupolose procedere, multosque » metu poenarum et censurarum praefatarum, ab ordinum collatione prorsus deterreri, adeo ut clericorum et Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde » imminutus sit, omnium in praemissis securitati ac animarum saluti paterna » charitate perspicere volentes... supradictas literas ad terminos Sacrorum canonum, ac Constitutionis recolendae memoriae Pii Papae II... *Cum ex Sacrorum ordinum*... et ad dispositionem decretorum sacri Tridentini Concilii restringimus » et reducimus, nec non censuras et poenas in eisdem Xisti literis contra quoscumque, praeterquam contra simoniae ordinantes et ordinatos inflictas, quas volumus in suo robore permanere (aliis omnibus poenis a sacris Canonibus et Conciliis » contra praedictos omnes similiter inflictis salvis et firmis remanentibus) moderamur et abolemus. »

Haec de cetero Commentatorum omnium sententia est.

Non ita tamen dicendum est de Episcopo qui cum titulo insufficienti Clericum promoveret, (1) vel cum titulo ficto aut fiduciario.

Porro titulus fictus ille censetur et est qui assignatus promovendo Clerico fuit sine intentione ut ipse bonorum assignatorum dominus evadat.

Fiduciarius vero ille qui ex pacto constitutus fuit ut post ordinationem donanti restituatur.

Atqui in Piano Capite suspenduntur ordinantes sine titulo; in tribus autem recensitis casibus titulus adest; et quidem in tertio casu adest titulus verus; in altero casu lege consultum est Clericorum indemnitati.

Etenim, ut scribit Lucidi *loc. cit. n. 414,* is qui patrimonium fictum constituit, si apud iudicem competentem vocatus fuerit, ut ad fructus patrimonii eiusdem persolvendos damnetur, non potest ulla se pactione contraria tueri, qua ordinatus adpromiserit, nihil ab eo se recepturam, etiamsi promissio ista iureiurando vallata fuerit. Nam S. Congr. Concilii die 11 Maii 1599 *lib. 9 Decret.* apud Benedictum XIV *Instit. Eccl. 26, n. 18, re diligenter expensa, declaravit, donationem eius patrimonii ad cuius titulum quis fuerit ordinatus,* utpote prohibitam decreto Concilii Tridentini *Sess. 21, cap. 2 De Reform.* iuramento donantis nequaquam confirmari. Et item 14 Maii 1671 *lib. 27 Decret. pag. 43* cum ageretur de supplemento patrimonii, quod quidam ex donatione Clerico adiunxerat, numquam tamen per plures annos perceptum fuerat, S. Congregatio, etiamsi Clericus ex industria scholastica victum sibi comparare posset, declaravit, eumdem donantem teneri supplementum persolvere pro annis decursis, neque excusari imposterum ob scholae industriam, quam ordinatus exercere poterat.

In primo autem casu titulus quidem insufficiens est, attamen adest, et e contra lege suspenduntur ordinantes sine ullo titulo vel beneficii, vel patrimonii; qua de causa idem casus non est.

Exinde vero nemo inferat, teneri ordinandum ad percipiendos redditus ex bonis stabilibus assignatis, si aliunde honestam sustentationem lucretur; etenim illos potest ad arbitrium dimittere. Filius enim, cui pater patrimonium assignavit, potest patri redditus omnes dimittere, si ipse aliunde habeat unde honeste vivat. Lege hinc unum cavetur, ut scilicet Clericus habeat ex patrimonio assignato quae ipsi

(1) Relate ad titulum insufficientem contrarium opinatur cl. Ciolli dum in suo *Commentario prattico pag. 129* scribit: « Per incorrere questa sospensione si » richiede... secondo che l'ordinato non abbia titolo di beneffizio o patrimonio, o » che l'abbia soltanto insufficiente. »

ad honestam vitae sustentationem quolibet tempore, et quibusvis in circumstantiis necessaria sunt, nec umquam aut mendicare, aut vetitos quaestus exercere cum ecclesiastici ordinis dedecore compellatur. De cetero sicut ipse redditibus assignatis non indigens eos in eleemosynas distribuere, ita etiam donanti, patri, vel cuicumque libere, non ex pacto aliquo, dimittere potest.

III. Suspensio eiusmodi triennalis est; ac triennio expleto, per se cessat; antequam triennium expiret absolutio summo Pontifici reservatur.

APPENDIX XLIV.

De suspensione lata in ordinantes alienum subditum absque litteris dimissoriis eius Episcopi, aut proprium qui alibi tanto tempore commoratus sit, ut impedimentum aliquod ibi contrahere potuerit.

Tertia suspensio Romano Pontifici in Constitutione *Apostolicae Sedis* reservata his verbis effertur.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus. (1)

(1) Non abs re erit ea illico exponere quae cl. Petrus Avanzini scribit *Edit. Man. pag. 82, Edit. III, 1871.* Quaeri potest, quomodo conciliatur cum hac parte huius Articuli III dispositio Tridentina *Sess. 23, Cap. 8 de Reform.* quae ita se habet: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinatur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Resp. Nulla datur oppositio inter hanc Tridentinam dispositionem et articulum III Constitutionis de qua agimus. Namque dispositio Tridentina videtur respicere peculiarem casum de eo qui petit promoveri ab alio qui non sit Episcopus proprius neque ratione originis vel domicilii, neque Beneficii vel familiaritatis; item respicit casum eius, qui forte obtinuerit aliquod apostolicum rescriptum, vi cuius posset ordinari ab alio Episcopo; itemque casum respicit de Episcopo, qui vi alicuius privilegii ordinare posset quemlibet ad se accedentem, iuxta id quod legitur in *Sess. 14. Cap. 2 de Reform.* Vesce enim in casibus tum Episcopus qui ordinaret subditum alienum sine dictis litteris testimonialibus, tum ipse ordinatus in eam Tridentinam censuram incideret. Quod de cetero dum suspensiones a Tridentino inflictas expenderimus, patebit.

Eiusmodi suspensio in illum finem collimat, ne quis aliorum Episcoporum iura et auctoritatem invadat, neve indigni in ordinem ecclesiasticum assumantur. (1) Illius autem incurrendae ratio tota dependet ex ordinatione alieni subditi. Qua de causa primum et necessario decernendum est, quinam sint subditi, et quomodo quis aliunde non subditus, talis fieri possit, ut ita veluti a proprio Episcopo ad sacros ordines rite promoveatur. In re autem eiusmodi decernenda omnino sequimur Constitutionem *Speculatores*, qua *declarantur, et praescribuntur nonnulla circa ordinationes alienorum subditorum* (2).

Porro in ea quatuor indigitantur rationes, quibus quis subditus alicuius vel est, vel fieri potest; quae de caetero causae etiam nunc ex iure canonico ratae habentur.

Et quidem 1. ratio originis, qua Episcopi alicuius fit subditus ille, in cuius Dioecesi domicilium habebant parentes cum ad ordines promovendus natus est; si autem in ea Dioecesi parentes domicilium non habebant et ordinandus ibi accidentaliter natus sit, huius episcopus proprius ordinandi est ille in

(1) Id perbelle exprimit Pontifex Innocentius XII in Const. *Speculatores* lata die 4 Novembr. 1694 his verbis: « Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua » servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec umquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, » virtute rudes, et recentes discipuli simul ac magistri pietatis creentur; sed ii » tantum, iuxta constitutas a maioribus leges, ab humili gradu fidelis populi ad » sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac » multo tempore didicerint quae postmodum alios docere tenentur. »

(2) Praestat audire quae in re dolcat Sanctissimus Pontifex §. 2: « Ex delatis » ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriae salutis immemores, clericales ordines sibi forsan a propriis praesulibus denegatos, seu quos, » aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab » alienis Episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas quae ad ipsos non pertinent » oves in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque » suorum praelatorum commeatu, hoc est dimissoriis commendatitiisque eorum litteris destituti, quin imo eis insciis et saepe etiam invitis, sub minus legitimis » beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis ac continuae » ordinantium episcoporum commensalitatis quaesitis titulis, in sacrarum legum » fraudem et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium » et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, indicium absque misericordia sibi conscisciunt, » Deoque minime placentes, et tamen placare velle praesumentes, non modo eum » non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: *Non requiret.* »

cuius Dioecesi pater traxit originem.

Haec autem omnia ita ab Innocentio XII §. 4 cit. Constitutionis decernuntur. « Subditus ratione o- » riginis is tantum sit ac esse intel- » ligatur, qui naturaliter ortus est » in ea Dioecesi, in qua ad ordi- » nes promoveri desiderat, dum- » modo tamen ibi natus non fuerit » ex accidenti, occasione nimirum » itineris, officii, legationis, merca- » turae, vel cuiusvis alterius tem- » poralis morae, seu permanentiae » eius patris in illo loco; quo casu » nullatenus eiusmodi fortuita na- » tivitas, sed vera tantum et na- » turalis patris nativitas erit atten- » denda. »

Attamen si in loco, in quo ordinandus ex accidenti natus est, tanto tempore commoratus fuerit, ut ibi canonicum aliquod impedimentum contrahere potuerit, ordinans epistolas testimoniales etiam ab Episcopo huius loci petere tenetur, si contigerit promovendum adulta aetate locum illum deseruisse. Id etiam enim statuit Innocentius XII loc. cit. « Quod si tan- » to temporis spatio in eo loco, in » quo ex accidenti sicut praemit- » titur natus est, moram traxerit, » ut potuerit ibidem canonico ali- » quo impedimento irretiri, tunc » etiam ab Ordinario eius loci lit- » teras testimoniales, ut supra obti- » nere, illasque Episcopo ordinanti » per eum in collatorum ordinum » testimonio similiter recensendas » praesentare teneatur. »

Haec autem pro filiis legitimis statuta esse reperiuntur. At si promovendus fuerit illegitimus, ab Episcopo Dioecesis in qua mater domicilium habet, vel si domicilium nullibi acquisierit, ab Episcopo loci in quo Mater originem habuit, ordinandus est, vel petendae Epistolae dimissoriales si alibi promoveatur. Id apud Sacrorum Canonum Tractatores exploratissimum est. Ferraris *Bibliotheca Canonica, Voc. Ordo, Art. III, n. 20* scribit: « Si autem filius sit illegitimus, » tunc si super defectu natalium » dispensatur ad ordines recipien- » dos, debet attendi origo matris » et non patris, quia filii illegitimi » sequuntur matrem eiusque origi- » nem. L. *Cum legitimae* 19 ff. *De* » *Statu hominum.* L. *Municipium* » 1, §. final., ff. *Ad municipalem;* » et L. *Eius qui* 19 ff. eodem. »

Reiffenstuel *lib. 1 Decret. Tit. XI n. 92* idipsum docet: « Dum- » modo, inquiens, excipiantur... il- » legitimi; hi enim matrem, eius- » que originem sequuntur. Ac pro- » inde, si quoad defectum natalium » dispensentur, in loco originis ma- » tris, quando haec alibi domici- » lium non contraxit, ordinari pos- » sunt. (1)

(1) Qui plura et uberiora desiderat, adeat Giraldi *Expositio Iuris Pontificii Part. II, Sect. 96* quo in loco per extensum refert tradita a Canonico Romualdo Honorante *in Praxi Secretariae Urbis Vicarii Cap. 1 Not. IX.*

Si autem promovendus fuerit aliquis ex infantibus expositis, quorum et patria, et parentes ignorantur, quique aliquando legitimi sunt, vel esse possunt, locus originis pro huiusmodi erit hospitium, quo expositi et recepti fuere, vel Dioecesis, in qua naturaliter orti sunt, si de ea constare possit. Id docent, alios inter, Reiffenstuel *Tit. XI, n. 93.* « Tandem loquendo de ex» positis, quorum parentes ignoran» tur, possunt ipsi ordinari in Dioe» cesi, in qua naturaliter orti sunt; » vel si de hoc constare nequeat, in » loco, ubi expositi reperiuntur. »

Clarius autem Giraldi *Expositi. Iuris Pont. Part. II, sect. 96, p. 950:* Nota III, « locum originis expositorum, quorum scilicet parentes et » nativitatis locus ignoratur, quique » hospitali pro ipsis designato con» signantur, esse ipsummet locum, » in quo expositi fuerunt, ad hoc, » ut promoveri possint ad ordines. » Expositi ordinari ab Episcopo, qui » est Ordinarius loci, in quo expo» siti sunt; nam eo quod parentes » ignorantur, sine dubio illius loci » effecti sunt cives. Quod si pluribus » in locis expositi fuerint, attenden» dum erit, non locus, ubi primo » expositi et baptizati fuerunt, cum » in isto quasi ex accidenti fuerint » expositi, sed locus hospitalis, cui » alendi et educandi consignati fue» rint. Qui locus itidem attendendus » erit, licet constet de loco, ubi » ignorantia magnam inducit prae» sumptionem, ibi natos esse ex ac» cidenti, cum caeteroquin impos» sibile videretur eosdem parentes » ignorari, si in eo loco domicilium » contraxissent. Si vero constet de » loco originis vel domicilii solius » matris, hic attendendus erit. » Ex Honorante.

Demum Ferraris Voc. *Ordo*, Art. III, n. 21. « Expositus, cuius » parentes ignorantur, potest ordi» nari in Dioecesi, in qua natura» liter ortus est. Vel si de hoc con» stare nequeat, potest ordinari in » dioecesi loci, ubi expositus est. »

Alius Episcopus ordinandi prius est Episcopus domicilii, ille scilicet in cuius Dioecesi stabilem promovendus moram fixit seu cum intentione ibi perpetuo commorandi.

Id etiam statutum reperimus ab Innocentio XII *loc. cit.* his verbis: « At si pater in alieno loco, » ubi eius filius natus est, tamdiu » ac eo animo permanserit, ut ini» bi vere domicilium de iure con» traxerit, tunc non origo patris, » sed domicilium per patrem le» gitime, ut praefertur, contractum, » pro ordinatione eiusdem filii at» tendi debeat. »

Et quidem rationabiliter et iuste; cum enim filius, seu promovendus ad ordines natus sit in loco ubi pater domicilium constituerat atque acquisierat, atque de cetero ab impedimento libertas non patri sed filio necessaria sit, manifestum est quod si filius in loco domicilii a patre constituti impedimentum non con-

traxit, in loco paternae originis contrahere non potuerit, cum nondum natus esset, vel si postea, accidentaliter contraxerit.

Quoniam vero contingere potest, ut filius alibi natus sit, et post eius nativitatem pater domicilium alia in urbe vel loco constituerit atque acquisierit, hinc Innocentius XII sub ea lege eiusmodi domicilium ratum habet ut vel pater per decennium eo in loco commoratus sit, vel eo bonorum suorum maximam partem transtulerit, atque per non brevem commorationem intentionem manifestaverit ibi perpetuo moram figendi. Et ne fraus in re subrepat, pater hanc animi voluntatem iuramento firmare in utroque casu teneatur.

« Subditus autem, prosequitur » §. 5, ratione domicilii ad effe» ctum suscipiendi ordines is dum» taxat censeatur, qui licet alibi » natus fuerit, illud tamen adeo » stabiliter constituerit in aliquo » loco, ut vel per decennium sal» tem in eo habitando, vel maio» rem rerum ac bonorum suorum » partem cum instructis aedibus in » locum huiusmodi transferendo, » ibique insuper per aliquod consi» derabile tempus commorando (1), » satis superque suum perpetuo » ibidem permanendi animum de» monstraverit; et nihilominus ul» terius utroque casu se vere et » realiter animum huiusmodi habere » iureiurando affirmet. »

At quoniam evenire poterat, et potest, ut ea aetate versaretur filius qua aliquod canonicum impedimentum contrahere potuerit eo in loco, ex quo pater domicilium alio transtulit, hinc statuit Innocentius ut hoc in casu testimoniales literae petantur nedum ab Episcopo loci ubi domicilium habet, sed etiam ab eo unde discessit. « Si quis autem a » propriae originis loco in ea aetate » discesserit, qua potuerit alicui » canonico impedimento obnoxius » effici, etiam Ordinarii suae origi» nis testimoniales litteras, ut supra, » afferre debebit, ac de illis ex» pressa similiter mentio in susce» ptorum ordinum literis facienda » erit. »

Tertio loco Episcopus proprius est etiam episcopus beneficii, ille scilicet, in cuius Dioecesi promovendus beneficium ecclesiasticum possidet. Ut autem eiusmodi titulo ordinandus efficiatur subditus, necesse est et ut beneficium sit ecclesiasticum, et ut ad honestam clerici sustentationem sufficiens sit, et ut ei collatum fuerit ante ordinationem, et ut illud pacifice possideat. Has enim conditiones omnes Innocentius XII exigit *loc. cit.* §. *3.*

« Licet vero clericus ratione » beneficii in aliena Dioecesi obtenti » subiiciatur iurisdictioni illius E-

(1) Honorante *Praxis Sac. Trib. Vic. cap. 9*, eiusmodi considerabile tempus ad *triennium* coarctat.

» piscopi in cuius dioecesi benefi-
» cium huiusmodi situm est, eam
» tamen de cetero hac in re in-
» concusse servari volumus regulam
» ut nemo eiusmodi subiectionem
» ad effectum suscipiendi ordines
» acquirere censeatur, nisi benefi-
» cium praedictum eius sit reddi-
» tus ut ad congruam vitae susten-
» tationem, sive iuxta taxam syn-
» odalem, sive, ea deficiente, iuxta
» morem regionis pro promovendis
» ad sacros ordines, detractis one-
» ribus, per se sufficiat, illudque
» ab ordinando pacifice possidea-
» tur, sublata quacumque facultate
» supplendi quod deficeret fructi-
» bus eiusdem beneficii cum adie-
» ctione patrimonii etiam pinguis,
» quod ipse ordinandus in eadem,
» seu alia quavis Dioecesi obtine-
» ret. Ac Episcopus sic ordinans
» tam de praedictis testimonialibus
» litteris quam de redditu benefi-
» cii huiusmodi expressam in con-
» sueta collatorum ordinum atte-
» statione mentionem facere de-
» bebit. »

At exinde putare non debent Episcopi qui eiusmodi clericos beneficio idoneo communierint, eos ad sacros ordines promovere posse sine testimonialibus litteris Episcopi originis et domicilii; quandoquidem ex praescripto Innocentii XII hae necessariae sunt ut licite ordines conferri possent. Ita enim statuit §. 3.

« Praeterea (decernimus ac de-
» claramus) clericum qui legitime
» iam a proprio Episcopo ad eam-
» dem clericalem tonsuram, seu e-
» tiam ad minores ordines promo-
» tus fuerit, non posse ab alio E-
» piscopo, ratione ac titulo cuius-
» cumque beneficii in illius Dioe-
» cesi obtenti, ad ulteriores ordi-
» nes promoveri, nisi ante eorum-
» dem susceptionem testimoniales
» literas proprii Episcopi tam ori-
» ginis quam domicilii super suis
» natalibus, aetate, moribus et vita
» sibi concedi obtinuerit, easque
» Episcopo ordinanti in actis illius
» Curiae conservandas exhibuerit. »

Advertenda insuper in re sunt quae docet Rigantius *in Regul. Cancell. Apost. Reg. XXIV. §. III, n. 92, et 103,* scilicet literas testimoniales ab Episcopo domicilii vel originis concessas pro tonsura vel minoribus ordinibus, idoneas non esse pro suscipiendis maioribus ordinibus, hinc alias epistolas testimoniales ad hos suscipiendos necessarias esse; at si literae testimoniales concessae fuerint pro Subdiaconatu ex. gr. suscipiendo, aliae epistolae necessariae non sunt ad reliquos ordines, si Clericus Dioecesim in qua beneficium obtinet, non deseruerit.

Demum Episcopus promovendi proprius ille etiam est, apud quem titulum *familiaritatis* obtinuit, iis sub conditionibus, quas inferius indicabimus.

Titulum eiusmodi etiam Patres Tridentini probaverunt Sess. XXIII, Cap. 9 *De Reformatione* dum sta-

uere: « Episcopus familiarem suum » non subditum ordinare non pos- » sit, nisi per triennium secum fue- » rit commoratus, et beneficium qua- » cumque fraude cessante, statim » reipsa illi conferat: consuetudine » quacumque, etiam immemorabi- » li, in contrarium non obstante. »

Atqui et haec eadem identice renovavit Innocentius XII in Const. cit. §. 6. « Ad haec nullus Episco- » pus alienae Dioecesis subditum » familiarem suum ad aliquos sacros » seu minores ordines vel etiam » primam tonsuram promovere seu » ordinare praesumat absque eius » proprii originis scilicet seu domi- » cilii praelati testimonialibus litte- » ris, ut supra, et nisi ad praescri- » ptum Concilii Tridentini praefati » Sess. XXIII Cap. IX *de Reform.* » familiarem praedictum per inte- » grum et completum triennium in » suo actuali servitio secum reti- » nuerit, ac suis sumptibus aluerit, » beneficium insuper, quod ei ad » vitam sustentandam, iuxta mo- » dum superius praefinitum, suffi- » ciat, quacumque fraude cessante, » statim, hoc est saltem intra ter- » minum unius mensis a die factae » ordinationis, reipsa illi conferat, » ac in ordinationis huiusmodi te- » stimonio expressam itidem fami- » liaritatis ac litterarum praedicta- » rum mentionem facere teneatur. »

Qua de causa ut familiaritatis titulo quis Episcopi alieni subditus efficiatur, necessarium est 1. ut per triennium integrum et completum familiaritatem Episcopo exhibuerit, ab eoque altus fuerit. 2. Ut literis testimonialibus Episcopi sive originis, sive domicilii muniatur. 3. Demum, ut statim, scilicet infra mensem a die factae ordinationis, beneficio investiatur quod satis sit ad honestam promoti sustentationem.

Quatuor igitur modis quis alicuius Episcopi vel Ordinarii subditus est, vel efficitur 1. ratione originis; 2. ratione domicilii; 3. ratione beneficii; 4. ratione familiaritatis.

Ex iis vero quae praemisimus, huius Capitis et suspensionis expositio pendet.

Considerabimus hinc et quinam hanc suspensionem incurrant, et quanto tempore, et quodnam ob factum.

1. Atque quantum ad primum attinet suspensionem incurrunt *Ordinantes*. Omnes ergo qui nedum conferendi ordines potestatem habent, sed literas dimissoriales propriis Clericis concedendi ad Ordines suscipiendos. Hinc non tantum Episcopi, sed etiam Abbates iurisdictionem quasi Episcopalem in determinato territorio habentes, quibus a Romanis Pontificibus clericalem tonsuram et minores ordines conferendi privilegium factum fuit, quique pro maioribus ordinibus expedire literas dimissoriales debent ad Episcopum, in cuius Dioecesi territorium Abbatiale reperitur, vel etiam ad alium quemlibet

iuxta facultates quas á Romano Pontifice acceperunt.

Et etiam Vicarii generales qui vel mandatum speciale habuerunt concedendi Clericis opportunas literas ad ordines suscipiendos, vel Episcopus abest. (1) Insuper Vicarii Capitulares, quibus, defuncto Episcopo, regundae et administrandae Dioecesis cura devolvitur, donec a novo Episcopo possessio capta non fuerit. (2)

Attamen quantum ad Vicarios Capitulares attinet advertenda sunt ea quae Patres Tridentini statuere *Sess. VII Cap. X de Reform.* « Non li» ceat capitulis Ecclesiarum sede » vacante infra annum a die vaca» tionis (3) ordinandi licentiam, » aut litteras dimissorias seu reve» rendas, ut aliqui vocant, tam ex » iuris communis dispositione, quam » etiam cuiusvis privilegii aut con» suetudinis vigore alicui, qui bene» ficii ecclesiastici recepti sive re» cipiendi occasione arctatus non » fuerit, concedere. Si secus fiat, » capitulum contraveniens ecclesia» stico subiaceat interdicto, et sic » ordinati, si in minoribus ordini-

(1 Haec omnia constant ex Cap. *Cum nullus 3. De Tempor. Ord. in 6.* « Cum nullus Clericum Parochiae alienae, praeter Superioris ipsius licentiam, de» beat ordinare: Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius dioecesi est » is qui ad ordines promoveri desiderat; seu in cuius Dioecesi beneficium obtinet » ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.

» Inferiores quoque Praelati religiosi vel alii, nisi eis quod suos clericos aut » subditos possint a quo voluerint Episcopo facere ordinari, a Sede Apostolica » specialiter sit indultum, vel Officiales Episcopi (cum ad hoc se ipsius officium » non extendat) huiusmodi nequeunt licentiam impartiri.

» Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius generalis » vel (sede vacante) Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spi» ritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.

(2) « Vicarius generalis Episcopi, inquit Barbosa *De offic. et potest. Episcop. Allegat. 7 n. 9* huiusmodi dimissorias literas concedere non potest, cum ad id Vicariatus officium non extendatur, nisi de speciali mandato Episcopi, vel eo absente, vel ipso Episcopo in remotis agente. » Quam sententiam plurium auctoritate Doctorum defendit.

(3) Quae de Capitulis hoc in loco statuit Concilium Tridentinum intelligenda sunt de Vicariis Capitularibus, qui eligendi sunt a Capitulo post dies octo a morte Episcopi, ut statuit idem Concilium Cap. XVI, Sess. XXIV de Reform. Atque hinc Capitulum dictas dimissorias concedere nequit per seipsum tam arctatis infra annum, quam non arctatis post annum, sed dumtaxat per electum a se vicarium, ad quem privative, non cumulative cum eodem Capitulo eiusmodi iurisdictio spectat, ut patet ex declaratione Congregationis Concilii in *Neritonen. 17 Sept. et Hydruntina 1 Octob. 1655.* etiamsi electus fuisset cum hac vel alia restrictione facultatis, quam hodie Capitulum, attentis posterioribus ipsius Congregationis decretis relatis a Benedicto XIV *De Synod. Dioeces. lib. IV, Cap. 8, n. 10,* nequit coarctare, neque sibi in minima parte reservare. Apud Giraldi *Tom. II, Sect. 100.*

» bus constituti fuerint, nullo pri
» vilegio clericali, praesertim in
» criminalibus, gaudeant. In maio-
» ribus vero ab exsecutione ordi-
» num ad beneplacitum futuri prae-
» lati sint ipso iure suspensi. »

Capitulum igitur, seu Vicarius Capitularis, anno Sedis vacantis nondum expleto, iis tantum concedere poterit dimissorias litteras ad ordines, qui ad eos suscipiendos compelluntur ratione alicuius beneficii suscepti aut suscipiendi; non arctatis eiusmodi titulo tantum post annum expletum concedere poterit. (1)

Qua de causa si non arctatis infra annum Vicarius Capitularis eiusmodi dimissorias literas concedat, poenis afficietur in Tridentino Capite illatis, ut dum de Tridentinis suspensionibus et interdictis acturi erimus, videbimus.

Attamen si Vicarius capitularis, infra annum literas dimissorias Clerico alicui concedat, cui ab Episcopo defuncto concessae fuerunt, ad hoc ut ordines infra dictum annum susciperet, nullam suspensionem incurrit; etenim harum literarum concessio est gratia, quae non expirat morte concedentis, vel per renunciationem Episcopatus, ut declaravit S. C. Ep. et Reg. in Orien. 12 Nov. 1600. Sicut non expirant si concessae fuerint ab eodem Vicario Capitulari, licet cessave-

(1) Praestat in re varia decreta seu declarationes afferre quas ex Lucidi transcribimus *Op. cit. Tom. 1 pag. 151, n. 71.*

Plura orta sunt, scribit, dubia circa dimissorias concedendas a Vicario Capitulari infra annum Sedis vacantis scilicet:

1. An eas concedere possit ad primam tonsuram non arctato?

2. An itidem pro assequenda pensione?

3. An laico praesentato ad beneficium simplex de iure patronatus, sub conditione, quod intra quadrimestre tonsura initietur?

4. An habenti beneficium cum onere et lege fundatoris missas per seipsum celebrandi?

Ad 1. Congreg. Conc. in *Burgen.* 10 Febr. 1594 censuit *posse*, et hac attenta eiusdem Congregationis mente, qua, prout fert Gallemart ad *Caput X Sess. 7* censuit, caput hoc non comprehendere primam tonsuram.

Ad 2. *Non posse* censuit etiam de licentia nuntii Apostolici, dummodo hic specialem hanc facultatem non habuerit: *in Burgen. Mense Maii in lib. IV Decret. pag. 265.* Et merito quidem; cum enim Concilium impertiatur Vicario capitulari facultatem concedendi dimissorias infra annum Sedis vacantis ratione beneficii recepti, vel recipiendi, pensio vere et proprie non est beneficium, nec regulariter venit beneficii appellatione.

Ad 3. *In Squillacen.* 1594 respondit *Affirmative.* Nec videtur ullum fuisse dubitandi locum; quandoquidem Tridentinum indistincte loquens de arctato ratione beneficii, non exclusit beneficium simplex. Ceterum cum agatur de sola prima tonsura, iam satis provisum fuisset in allato responso ad dubium 1.

Ad 4. In Ripana mense Martii 1634 respondit *posse, ut lib. XVI Decret pag. 516.*

rit eius iurisdictio, nisi in Episcopatu succedens ab eodem revocentur, quod tanquam definitum a Congregatione Concilii tradit cum Barbosa et Navarro Passerini in *Cap. Nullus de temp. ordin.* (1)

II. Suspensi autem poena suspensionis per annum integrum tenentur, ab ordinum sive minorum sive maiorum administratione, seu collatione; lex enim generaliter et indistincte loquitur: Non ergo a prima clericali tonsura conferenda, quae ordo non est. (2) Qua de causa suspensio cessat per se post annum; infra sed vero absolutio eiusdem reservatur Romano Pontifici; a nemine hinc absolvi possunt praeter quam a S. Sede, vel ab iis quibus ab S. Sede absolvendi facultas facta fuit.

Porro sententia eiusmodi communis est penes doctores, et etiam per se manifesta, cum poena ultra legislatoris manifestam mentem extendi nequeat. Attamen Suaresium in re audiamus, qui *De Censuris Disp. 29, sect. 1, n. 1* scribit: «Suspensionem ad certum tempus » latam, elapso tempore ipso iure » tolli. Haec est communis sententia iuris pontificii interpretum. » Et ratio manifesta est, quia suspensio vim habet ex prohibitione » Ecclesiae; sed prohibitio ad certum tempus facta, ipso elapso » cessat, qui non operatur ultra » voluntatem prohibentis; ipse autem suam voluntatem definivit » ad certum tempus: ergo, illo elapso, suspensio per se cessabit. » Unde fit, ut qui sic suspensus erat, possit deinceps vel suo officio fungi, vel fructibus sui beneficii frui absque alia facultate » vel declaratione Superioris; nam » ablato impedimento, res per seipsam reducitur ad pristinum statum, et unusquisque qui impeditus non est, uti potest iure suo.» Idem vero docent, ut plures alios praetermittamus, Schmalzgrueber *lib. V tit. 39, n. 253,* et Alterius *Tom. II. Disp. VIII, Cap. 1, pag. 121–122.* (3)

III. Ut autem ordinantes eiusmo-

(1) Qui plura in re desiderat, adeat Lucidi Op. cit. *Tom. I pag. 152, 153.*

(2) Eius modi sententia communis est et certa, cum lex poenalis extendi nequeat ultra naturalem verborum sensum mentemque legislatoris. Inter antiquos eam defendit Schmalzgrueber Part. 1 tit. XI n. 66. Certum est a primae tonsurae collatione talem non suspendi. Patet ex textu; quia hic diserte loquitur de collatione ordinum; igitur ad primam tonsuram, quae ordo non est, extendi non debet. Innocentius XII insuper cit. Bulla *Speculatores* §. 8 statuerat: « Si quid » in iisdem praemissis seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione » ordinum per annum, ordinatus vero susceptorum ordinum executione, quamdiu » proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit. » Pius Papa IX autem censuras limitavit, non extendit.

3) Qui scribit: Certum est apud omnes Doctores, excepto Decio... suspensionem prolatam ad certum tempus, elapso tempore definito cessare ipso facto absque

di suspensionem incurrant debent ordines conferre alieno subdito, ei scilicet qui eorum non sit neque originis, neque domicilii, neque beneficii, neque familiaritatis titulo, sine Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subdito proprio qui alibi tanto tempore commoratus sit, ut ibi aliquod impedimentum contrahere potuerit, sine testimonialibus litteris Ordinarii eius loci.

Porro literae *dimissoriales* illae sunt, quibus continetur scripta licentia, et consensus proprii praelati, ut eius subditus possit ab alio Episcopo ordinari.

Testimoniales vero, in quibus testimonium fertur de probitate, moribus, atque clerici idoneitate ad hoc ut ei ordines conferri possint. (1)

Exinde vero nemo inferat, eiusmodi testimonium necessario in

ulla alia absolutione... Et ratio est, quoniam quando suspensio ad hunc modum fertur, proprie non est censura, ut ad eam tollendam necessaria sit absolutio, sed est poena, quae non transgreditur fines imponentis, qui ideo tempus certum definivit, quoniam iudicavit delictum non esse longiori poena vindicandum... Quod non solum verum est in foro externo, sed multo magis in interiori, quoniam nullo iure obligatur suspensus ad certum tempus, transacto tempore praescripto, ad novam licentiam vel declarationem petendam, ut possit licite exercere functiones officii, vel percipere fructus beneficii, a quibus suspensus erat, sed cessante impedimento suspensionis, licitum erit ei exercere, sicut antea, officium, aut uti beneficio; et semper poterit in foro exteriori, si ab homine sit suspensus, probare apud iudicem, durante tempore suspensionis, ab his actibus ecclesiasticis, quibus privatus erat, abstinuisse.

(1) Quod Episcopi ordinantes ad quos clerici ab proprio Episcopo ordinandi transmittuntur, non teneantur inquirere circa titulum et idoneitatem promovendi, constat etiam ex Conc. Trid. *Sess. 23* cap. 3. « Episcopi per semetipsos ordines » conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos, quos non aliter » quam iam probatos et examinatos, ad alium Episcopum dimittant. » Haec sed vero in re tradit Lambert. *in fol. caus. Elboren. Dub.* §. *iuxta*, ad diem 2 Augusti 1721. « Iuxta idem Concilium *Sess. 23 Cap. 3 de Reform.* Episcopi qu » subditos suos dimittunt ordinandos ad alium Episcopum debent eos dimittere » probatos et examinatos, et cohaerenter ad haec invaluit opinio, quod Episcopus, » cui facta est commissio, non tenetur inquirere, an dimissi sint idonei, et an » habeant sufficientem titulum pro ordinatione, ut habet Fagnan. in Cap. *Cum* » *secundum n. 52, De Presb. et Dignit.* licet inquirere possit si velit, iuxta » resolutionem huius S. Congregationis in una *Nullius 16 Ianuar. 1595*, ubi » proposito dubio: An Episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse, et idoneos repertos, » teneatur huiusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos » examinare? Responsum fuit: *Posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non teneri.* Et concordat alia resolutio » super dubio ordinationis edita die 17 Ianuar. 1693. » Apud Lucidi Op. cit. Tom. 1 pag. 154 n. 75.

scriptis tradendum esse; consequenter suspensione percelli Episcopum ordinantem qui sine huiusmodi dimissoriis vel testimonialibus epistolis subditum alienum vel proprium ordinet. Facultas enim vel testimonium proprii Episcopi voce tenus exhibitum eamdem vim habet ac testimonium scriptum; praebet scilicet ordinanti securitatem quod promovendus etiam a proprio Episcopo facultatem habeat suscipiendi ordines, et nullo canonico prohibeatur impedimento. Testimoniales autem et dimissoriae litterae ad hunc finem conceduntur, ne vel indigni, vel alieni subditi, invito Episcopo, ordinentur. At per testimonium voce exhibitum finis legis apprime servatur. Ergo Episcopus ordinans suspensionem non incurrit, cum legem simpliciter observet; etenim sine testimonio non ordinat.

De cetero haec in re scribit Reiffenstuel *lib. 1 Decret. Tit. XI, n. 110.* « Porro dicta licentia suscipiendi ordines ab alieno Episcopo » ordinarie solet dari in scriptis, » ut sic de consensu proprii ordinarii melius constare valeat, dum » continetur in scriptis. Absolute » tamen non requiritur scriptum, » si aliunde de eiusmodi consensu » rite constet, prout desumitur ex » Concilio Tridentino *Sess. XIV*, » *Cap. 2 de Reform.* ubi sub disiunctione loquitur, dum prohibet » Episcopis alienum subditum ordinare absque sui proprii praelati » expresso consensu, aut litteris » dimissoriis; (1) sicque sufficere » poterit expressus proprii praelati » consensus, quamvis non detur in » scriptis.

» Excipe tamen casum in Cap. 1 » huj. tit. in 6 relatum. Ibi enim » expresse ac necessario requiritur, » ut Episcopus Italiae ultramontanum non ordinet, nisi specialem » licentiam a Papa habeat, vel a » suo Episcopo per ejus patentes » litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut » nequeat ordinare. »

Igitur ordinare subditum quocumque titulo alienum sine literis dimissorialibus, aut testimonialibus proprii Episcopi, vel proprium in exposito casu, est factum quod hoc in Capite suspensione percellitur.

Ordinare, inquam, cum autem prima clericalis tonsura ordo non sit, quamvis Episcopus eam conferens, proprio ordinario inconsulto, illicite ageret, hanc tamen suspensionem minime incurreret.

(1) Nemo episcoporum, inquiunt Tridentini Patres, qui titulares vocantur, etiamsi in loco Nullius Dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat.

Neque difficultatem facessit, quod Innocentius XII in cit. Bulla *Speculatores* §. 3 statuerit « Nulli E- » piscopo, seu cuiusvis loci Ordi- » nario, tametsi Cardinalatus honore » fulgeat, licere exterum quem- » piam, ac si ratione originis, seu » domicilii, iuxta modum inferius » declarandum, legitime contracti, » non subditum, ad clericalem ton- » suram promovere, cuiusvis bene- » ficii ecclesiastici ei statim ac ton- » sura huiusmodi insignitus fuerit » conferendi, seu ad quod is a pa- » tronis iam praesentatus seu no- » minatus fuerit, praetextu, etiam- » si beneficium praedictum de novo » ea expressa adiecta lege funda- » tum fuisse constiterit, ut quis » immediate post clericalem chara- » cterem susceptum ad illud insti- » tuatur.

Haec, inquam, difficultatem non faciunt. Quamquam enim ultro fateamur prohibitionem Innocentii XII adhuc vigere; negamus tamen Episcopos clericalem tonsuram, alieno Clerico sine literis testimonialibus conferentes suspensionem praesentis capitis, aut aliam censuram incurrere. Etenim Pius Papa IX veteres leges ea adiecta conditione vigere docuit quatenus cum sua Constitutione concordarent. At certum est Innocentii XII legem cum Piana Constit. in re non concordare; etenim Pius Papa IX *ordinantes* suspensione ferit; hi vero ii sunt qui ordinem proprie dictum conferunt, non clericalem tonsuram, quae ordo non est; atque cum lex sit odiosa stricte est interpretanda. Accedit quod ipse Innocentius XII, ut ex allegato testimonio patet, de clericali tonsura distincte loquitur tamquam de speciali facto cum ordinibus non confundendo; neque in eo indicendo, verbum *ordinantes* adhibet, sed ad *clericalem tonsuram promovere*, quo innuit, expresse de ea sibi loquendum fuisse, ut sub lege lata comprehendi posset. Cum itaque Pius Papa IX de clericali tonsura mentionem expressam non fecerit, adhibueritque verbum *ordinantes*, quo tantum proprie dictos ordines conferentes intelliguntur, sub Piana lege immerito clericalis tonsura comprehenditur.

De coetero plurimorum et potiorum Commentatorum sententia haec est: ex. gr. Patavini, Ciolli, Conrado, Pinto, P. De Marc. *Institutiones Morales Alphonsianae n. 1363*, et de la Nouvelle Revue Théologique *tom. 17 pag. 492*.

In lege, ut diximus, interdicuntur Episcopi alienum subditum ordinare. Quid ergo de Regularibus? Cum enim a legislatore suspendantur alienum subditum ordinantes sine commendatitiis aut dimissoriis epistolis proprii Episcopi, Superiores vero regulares Episcopi non sint, videri possent ii qui ordines conferunt regularibus praesentem suspensionem effugere.

Attamen hac in quaestione distinguendi sunt regulares qui exem-

ptionis ab iurisdictione Episcopi privilegio gaudent, ab illis qui eiusmodi privilegio destituuntur. Atque Ordinarios qui primos ordinant sine opportunis Superioris regularis epistolis suspensionem incurrere dicimus, non eos qui ordinant exemptionis privilegio destitutos. Quod manifestum esse putamus.

1. Quia in Piano Capite verba *absque eius Episcopi litteris dimissorialibus* intelligenda sunt de quolibet Ordinario; sin minus ordinantes subditum nullius Dioecesis, vel Dioecesis cuiuslibet sede vacante, sine Abbatis vel Vicarii Capitularis opportunis litteris, suspensionem hanc non incurrerent.

2. Quia sensus vel extensio vocis Episcopi determinatur ex subiecta capitis materia, qua ordinari prohibentur subditi alieni; at religiosi exempti non sunt subditi; ergo sunt Episcopo alieni; ideoque non possunt ordinari sine Superioris regularis facultate et consensu.

3. Ex decreto Clementis VIII 15 Martii 1596 pertinet ad Superiores Regulares, non ad Episcopos literas dimissorias pro sacris Ordinibus suis subditis concedere. (1) Neque regulares tenentur ostendere dimissorias Episcopi domicilii vel originis, ut S. C. C. declaravit die 28 Febr. 1644 his verbis: « Regu» lares volentes se promovere ad » ordines, non teneri ostendere di» missorias Ordinariorum propriae » originis,sed sufficere ut observent » formam praescriptam in decreto » s. m. Clementis VIII apud Be» ned. XIV, Const. *Impositi nobis.*»

Ex quibus patere arbitramur (2)

(1) Decretum ex Reiffenstuel transcribimus *Ius Can. Tit. XI, n. 133.* D· mandato SS. D. N. Clementis divina providentia Papae VIII tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de coetero observent, et observari faciant quae in Decreto S. Congreg. Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis:

Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere, ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, et si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a Superioribus, Episcopo Dioecesano absente vel Ordinationes non habente, litterae dimissoriae dabuntur, ab eis utique huiusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activae et passivae privationis, ac alias arbitrio Sanctissimi D. N. Papae reservatas poenas incurrent.

(2) Nonnulli probare hanc sententiam satagunt verbis Benedicti XIV Const. *Impositi nobis* lata die 27 Februarii 1747 in qua inter alia edixit: « Denique

Episcopos ordinantes Regularem sine dimissoriis sui Superioris epistolis praesentem suspensionem incurrere.

Advertendum tamen est, quod et ex cit. Clementis VIII decreto, et ex allegata Const. *Impositi nobis* licitum minime sit regularibus Praelatis dimissoriales Epistolas suis subditis concedere ad quemcumque Episcopum, (nisi tamen id specialiter, et non per communicationem privilegiorum eis indultum sit) (1) sed teneri eos ordinandos mittere ad Episcopum loci, in quo situm est Monasterium ad ordines promovendi.

Quid ergo si ad Episcopum alienum ordinandus mittatur Regularis aliquis, qui deferat quidem dimissorias epistolas respectivi Superioris regularis, in iis autem silentio praetereantur vel absentia Episcopi loci, vel ordinationes non habendae temporibus ab Ecclesia praescriptis?

Profecto Episcopus ille si ordinem Regulari conferret praesentem suspensionem non effugeret. Etenim huiusmodi dimissoriales epistolae in casu nullae sunt habendae, ut statuit Benedictus XIV in cit. Constitutione: « Praeterea vo» lumus atque decernimus, ut Su» periorum Regularium dimissoriae, » quae ideo ad alium antistitem di» rectae fuerint, propterea quod » Episcopus Dioecesanus extra Dioe» cesim commoretur, vel ordinatio» nem non sit habiturus, nullius » sint roboris et momenti, nisi il» lis iuncta fuerit authentica atte-

» Antistites, qui ipsis (Regularibus) manus imponunt, non facile effugiunt canonicas » poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimis» soriis ordinare praesumunt. »

Atque paullo post a censuris incursis pro huiusmodi ordinationibus absolvit *nedum Superiores regulares, sive Regulares ad ordines promotos,* sed etiam *Antistites qui eos ordinaverint.* Attamen eiusmodi auctoritas ad rem nostram non facit. Etenim Benedictus XIV ea non sancivit de Religiosis qui ordines sacros suscipiunt sine litteris dimissoriis suorum Superiorum, sed de iis, qui contra praescriptum in cit. decr. Clementis VIII, cum dimissoriis respectivi superioris regularis sacros ordines suscipiebant ab Episcopis aliis, et non ab Episcopo domicilii, seu loci, in quo situm erat Monasterium religiosi qui ad ordines promovendus erat. Cum autem Superiores regulares in epistolis dimissoriis silentio premerent vel *absentiam Episcopi*, vel *causam non habendarum ordinationum,* quae omnia exprimenda erant, hinc Benedictus XIV de epistolis illis dimissorialibus dicit: *qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt.*

(1) Haec enim in cit. Benedicti XIV Const. statuta reperiuntur. Innocentius (XIII) praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse ad supradictum effectum quod huiusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium ordinem derivata asserantur.

» statio Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiusdem » Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a Dioecesi abesse, » vel Clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas » leges ad hunc effectum statuto: » hoc enim expresse declarari opus » est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, » quomodocumque ipsis placuisset » ad ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, iam » dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque » alius Episcopus pro suscipiendis » ordinibus adeundus esset. Quod » si aliquis Antistes Regularem virum, in sua Dioecesi proprium » domicilium non habentem, solis » ipsius Superioris dimissorialibus » litteris contentus, sine adiuncta » praefata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere praesumpserit; decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere » in poenas canonicas adversus eos » constitutas, qui alienum subditum » legitimis dimissoriis destitutum » ordinaverint. »

Eiusmodi at sanctio nullo pacto discordare reperitur ab Constitutione *Apostolicae Sedis*.

Non ita tamen dicendum est de Religiosis illis qui quacumque de causa exemptionis privilegio non gaudent: hi enim si ab Episcopo alieno ordinentur, praesentare debent Epistolas dimissoriales proprii Episcopi. Id patet ex causa quae disceptata est inter Episcopum Tarvisinum, et Superiorem Congregationis charitatis (1), in qua propositis dubiis:

1. An et quomodo Episcopus Tarvisinus possit ad S. Ordinationem admittere alumnos Instituti charitatis testimonium Superioris exhibentes, quo affirmat eos ad eamdem domum religiosam adscriptos esse; an vero necessariae sint epistolae dimissoriae et testimoniales Episcopi originis aut domicilii iuxta formam Constitutionis *Speculatores* ab Innocentio XII latam?

2. An idipsum dicendum sit de alumnis qui ab alio Episcopo vel primam tonsuram, vel aliquem ordinem susceperunt?

Eminentissimi Patres, referente Emo Bizzarri, rescripserunt: Ad 1. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Ad 2. *Affirmative in omnibus.*

Ex quibus sequitur, quod si quis Episcopus eiusmodi religiosos viros votorum simplicium, speciali privilegio non exemptos, sine di-

(1) Bizzarri *Collectanea pag. 760 seq.*

missoriis epistolis Episcopi domicilii et originis ordinaret, praesentem suspensionem incurreret.

Et haec quidem quantum ad subditos alienos.

At relate ad subditum proprium qui alibi tanto tempore commoratus sit, ut ibi canonicum aliquod impedimentum contrahere potuerit, observandum cum Avanzini est, moram necessariam quae legi subiiciatur dimetiri prorsus ex articuli verbis *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* Qua in re tamen est animadvertendum, sermonem non esse de philosophica possibilitate; canonicum enim impedimentum, momento temporis contrahi potest; sed de possibilitate iuridica, quae iuxta locorum et personarum circumstantias frequentius executioni mandatur. Lex enim respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad ea quae raro contingunt. Sin aliter, cum impedimentum contrahi possit quocumque loco et quocumque temporis momento, literae dimissoriales atque testimoniales petendae essent ab omnibus Episcopis, in quorum Dioecesi Ordinandus quamvis una die commoratus fuisset. Quod fere ridiculum esset.

Si tamen hac in re quaeratur aliqua regula, tutissime posset aptari illa, quae viget de literis testimonialibus de *Statu libero* pro matrimonio contrahendo ab illis exhibendis qui tanto tempore commorati fuerint in variis locis, ut documentum liberi status necessarium existimetur. Porro status a matrimonio liberi documentum ex omnibus locis exigitur, in quibus contrahentes ultra sex menses commorati fuerint. Ita alios inter Ballerini *Theol. Mor. Gury, Tom. II, pag. 1025. Nota (a).*

Hinc si ordinandus, post rationis usum, id est septennium expletum, pluribus in Dioecesibus commoratus ultra sex menses fuerit, tradere debet Episcopo ordinanti testimoniales epistolas omnium illorum Episcoporum, in quorum Dioecesi versatus est.

Similiter Clerici qui in aliquo Seminario studiorum cursum confecere; ab Episcopo quidem proprio ordinari debent, attamen cum literis testimonialibus Episcopi, in cuius Dioecesi Seminarium situm est, prout etiam declaravit S. Congregatio Concilii die 11 Iulii 1540. (1)

Relate ad canonica impedimenta quae sacram ordinationem impediant, non sunt omnia eiusdem indolis; atque insuper alia contrahi possunt in loco originis vel domicilii, alia in quovis commorationis loco. Elenchum lectoribus damus ex Monacelli *Formularium legale practicum De Collat. Ordin. Form. 1.*

Promoveri non possunt.

Non baptizati, *Cap. Veniens de Presbyt. non baptiz.*

(1) Apud Del Vecchio *Theol. mor. Tom. III, pag. 498, 2.*

Illegitimi, *Can. Presbyter, 56 dist.*

Minores natu, *Can. Qui in aliquo, 51 Dist.*

Non confirmati, *Conc. Trid. Sess. 23, cap. 4 de Reform.*

Neophyti, *dicto C. Qui in aliquo. Can. Quoniam, 48 Dist.*

Uxorati, *Extrav. Ioan. XXII Antiquae.*

Bigami, *Can. Si quis, 33 dist. et tot. tit. de Big. non ordinandis.*

Criminosi, *can. Laici Dist. 33, Conc. Trid. Sess. 14 C. 7 de Reform.*

Infames, *Can. Infames 6, q. 1.*

Publicis rationibus impliciti, *can. Legem, 53 dist.*

Servi, *C. De servorum, de serv. non ordinandis.*

Eunuchi, *Can. si quis, 55 dist.*

Corpore vitiati, *can. Illiteratos, 36 dist.*

Insigniter deformes, *Can. fin. 51 dist.*

Amentes et furiosi, *dicto C. Qui in aliquo.*

Energumeni, *can. Communiter 33 dist.*

Peregrini et ignoti, *dicto Can. qui in aliquo.*

Ebrietati et gulae dediti, *Cap. 23 de vita et honest. Cleric.*

Usurarii manifesti, *Can. Episcopus, 47 dist.*

Rudes et ignari, *Conc. Trid. Sess. 23 per tot.*

Irregulares, *C. Saepe de temp. ord. in 6.*

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Morbo comitiali laborantes.

Lanii, Cauponae, Mimi, Histriones.

Qui saeva exercuit, vel denunciavit, secuta poena vel mutilatione. *Can. Communiter, Can. Clerici, dist. 33, cap. unic. de vita et honest. Cleric. in 6, Clem. 1 eod. tit., can. His quibus 23 quaest. 8, Cap. Sententia sanguinis, Ne Clericor. vel Monachor., cap. Ex litteris de Excess. Praelat.*

Antequam huic Capiti finem imponamus, observandum est in eo suspensione percelli etiam illos qui alienum subditum ordinant *sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis.* Et primum quidem per se patet, etenim ordinaretur non subditus.

Quantum vero ad secundum attinet, cum legislator loquatur absolute de beneficii titulo, quo quis subditus ordinantis fiat, beneficium tale esse debet, ut omnino satis sit ad honestam clerici sustentationem; qua de causa si Episcopus ordinans beneficium quidem insufficiens ordinando concederet, sufficiens autem redderetur per bona patrimonialia quae beneficio adderentur, Ordinans suspensione percelleretur; simpliciter enim falsum esset titulo beneficii eum ordinasse alienum subditum, cum titulus insufficiens titulum ad sacram or-

dinationem validus esse non possit; atque de cetero legislatores hac in re loquuntur de beneficio adaequato et sufficienti, cui per bona patrimonialia suppleri neque possit, neque debeat, ut patet ex testimonio supra cit. Innocentii XII, praesertim illis verbis *sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioecesi obtineret.*

Quae ratio cum absoluta sit atque determinata etiam ad inferiores ordines, quamlibet exceptionem excludit; restringi scilicet non potest ad unos maiores ordines.

Exinde vero nemo concludat beneficium esse unicum debere atque sufficiens, ut quis alieni Episcopi subditus fiat; potest enim Episcopus plura beneficia ecclesiastica, quae onus residentiae et officii non habeant, ordinando conferre, quaeque satis sint ad honestam eius sustentationem, ut non semel contingit et contigit. Hoc enim in casu quis absolute subditus fieret ratione beneficii ecclesiastici; Innocentius XII insuper unam prohibuit beneficio collato sed insufficienti adiectionem patrimonialium bonorum, non aliorum bonorum ecclesiasticorum, quae legitime alicui conferri possunt. Demum quamvis nonnulli putaverint beneficium residentiale esse debere, tamen S. Congr. Concilii *in Militen. 26 Maii 1598* definivit *sufficere quod beneficium sit simplex.*

Sequitur hinc quod si quis plura beneficia possideat in diversis dioecesibus, quorum singula sint sufficientia ad honestam clerici sustentationem, Clericus ordinari poterit ab Episcopo, quem ipse maluerit; etenim cuiusvis Episcopi subditus est ratione beneficii. At si beneficii insufficientia in diversis Dioecesibus possideat, a nemine illorum ordinari poterit sine dimissoriis litteris Episcopi originis, vel domicilii, imo variorum Episcoporum in quorum dioecesi per sex menses completos clericus ordinandus versatus fuerit.

Advertendum insuper est, quod quamvis beneficium ad nutum amovibile praebere nequeat titulum aptum pro sacris ordinibus suscipiendis, tamen aptum argumentum praebet, ut alienus fiat proprius subditus Episcopi in cuius dioecesi beneficium amovibile possidet; quia ad hoc ut aliquid sit beneficium ecclesiasticum satis est ut perpetuitas ipsi beneficio inhaereat, quamvis non attingat beneficiati personam: quod a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse *in Pinnen. Benef. et Iuris patr. 14 Maii 1859* docet Lucidi *loc. cit. pag. 160.*

Affirmat insuper Honorante *Praxis Secret. Trib. Vic. Cap. 8* quod quamvis beneficium omni ex parte in distributionibus consistat, tamen canonicam causam suppeditat cur aliquis ratione beneficii possit or-

dinari ab Episcopo, in cuius Dioecesi beneficium constitutum est.

Idipsum tamen dicendum non est de Coadiutoria cum futura successione, quamvis assignata congrua legitima; haec enim non reddit alienum Episcopi subditum ratione beneficii, sed ratione domicilii quod coadiutor in Dioecesi illa legitime acquisiverit, ut idem Lucidi docet *loc. cit. pag. 161.*

Relate ad titulum familiaritatis addendum putamus, in hac computari posse tempus quo quis ordinanti familiaris fuit quamvis nondum esset Episcopus. Etenim S. Congregatio Concilii in Catanien. 9 Novembr. 1859 haec habet: « Episcopus non potest iuxta *Cap. IX Sess. 23 de Reform.* familiarem suum non subditum ordinare, nisi per triennium secus fuerit commoratus. Oritur difficultas, an in huiusmodi triennio possit computari tempus, quo secum commoratus fuerit, antequam ad episcopatum esset promotus. Ideo supplicat pro resolutione. Sacra Congregatio Concilii respondit: utique computari. »

2. Observandum est quod familiaritatis titulus non importat tantum commorationem in aedibus Episcopi, vel eius sumptibus vivere, sed insuper, et principaliter, servitium Episcopo praestitum. Hinc sequitur, quod nepotes et consanguinei Episcoporum, licet cum eo commorentur, ab eoque alantur, nisi simul ei inserviant, non possunt familiaritatis titulo ab eo ordinari sine dimissoriis aut commendatitiis Epistolis Episcopi originis vel domicilii, ut eadem S. Congr. Concilii definivit in *Brixien. 11 Septembr. 1608.*

3. Demum observandum est, Episcopum non posse promovere ad ordines familiarem suum titulo patrimonii aut pensionis, neque ob utilitatem aut Ecclesiae suae necessitatem. Ut constat ex S. C. Concilii *in Tricaricen. 27 Iul. 1697,* ubi dubio proposito: « An stante » novissima Constitutione *Speculatores* possit Episcopus familiarem » triennalem ad titulum patrimonii » promovere ad sacros ordines ob » necessitatem vel utilitatem Ecclesiae, nullo collato beneficio ecclesiastico? »

Responsum fuit: *Negative.*

Quod idem valet de pensionis titulo, ut tradit Monacelli *Form. Leg. Practic. Part. 1 Tit. 3 form. 17, n. 1* qui ita scribit: « Et quod » dicitur de patrimonio, procedit » in titulo pensionis, quia haec nullum habet ius spirituale adnexum » sed consistit in mera temporalitate, sicut patrimonium; et utrumque significat Concilium Tridentinum *Sess. 22 Cap. 2 de Ref.* » Quidquid dicendum esset... iuxta » sensum antiquarum resolutionum. » (1)

(1) Apud Lucidi loc. cit. pàg. 170.

Praetermittere demum non putamus, quod aliquando evenire possit, ut quis ob diversas causas diversis subiiciatur Episcopis. Licitum ne huic erit in ordinum receptione Episcopum ad lubitum variare?

In Fundana *27 Febr. 1666* sequentia dubia S. Congregationi Concilii proposita sunt:

1. An in suscipiendis ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab Episcopo originis, seu domicilii tonsura, aut altero in ordinibus minoribus initiatus fuerit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri?

2. An sit permissa variatio ab acolytatu ad Subdiaconatum?

3. An sit permissum Subdiacono in promotione ad Diaconatum, vel diacono in promotione ad Sacerdotium variare?

S. C. respondit: *Variationem in unoquoque ex praenarratis casibus* (dummodo non in fraudem fiat) *licitam esse.*

Tantum ergo fraus impedit quominus quis in casu iure suo utatur. Si ergo bona fide fiat, et multo magis rationabili de causa, variatio licita erit.

APPENDIX XLV.

De suspensione lata in ordinantes clericum in aliqua simplici Congregatione viventem, aut nondum solemniter professum.

Est haec quarta suspensio, quam Pius Papa IX intulit per suam Constitutionem *Apostolicae Sedis.* Ea vero his verbis effertur:

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

Ut patet ex *Sess. XXI. Cap. 2. de Reform.* Concilii Tridentini Patres decernentes, neminem e Clero saeculari ad sacros ordines assumendum esse sine beneficii aut patrimonii titulo, nihil circa religiosos viros decreverant. Eveniebat hinc ut Clerici more regularium in communi viventes, et aut nullam, aut simplicem tantum professionem emittentes, ex claustro vel exirent vel dimitterentur, et ab Episcopis quibusdam, Religionis praetextu, ad sacros ordines promoverentur; neque titulum sufficientis sustentationis possidentes, aut ignobiliter mendicarent, aut turpes quaestus exercerent.

Haec porro dolet S. Pius V in Const. *Romanus Pontifex sacrorum,* quam tulit die 14 Octobris 1568 his verbis, § 2: « Cum autem » nullo in huiusmodi decreto (Tri-

» dentino *Sess. XXI. cap. 2 de Re-*
» *form.*) religiosorum clericorum
» mentio facta fuerit, ac propterea
» nonnulli, uti moleste accepimus,
» certorum Ordinum religiosi seu
» canonici vel clerici, intra claustra
» monasteriorum seu domorum,
» more regularium, in communi
» viventes, qui numquam, seu non-
» nisi ad certum tempus professio-
» nem emittunt, et ex claustro exi-
» re vel dimitti, ad saeculum re-
» dire libere et licite possunt, Re-
» ligionis praetextu, titulo suffi-
» cientis beneficii, nec iuxta dicti
» decreti tenorem, ad sacros ordi-
» nes se promoveri praetendant, et
» a nonnullis Episcopis passim pro-
» moveantur, atque inde plerum-
» que illud inconveniens eveniat,
» ut sic promoti et e claustro exe-
» untes et per saeculum vagantes,
» vel mendicare, vel sordidum quae-
» stum exercere, non sine ipsorum
» dedecore ac Ordinis vilipendio,
» et quamplurimorum Christi fide-
» lium scandalo cogantur. »

Hisce motus incommodis Sanctus Pontifex ad omnes religiosos viros Tridentinum decretum extendit, qui vel in Congregationibus votorum simplicium viverent, vel nondum professione solemni emissa, e claustro exissent, lata suspensionis poena per annum ab ordinibus quos contulissent in Episcopos ordinantes.

§ 3. « Nos igitur qui singulorum
» Dei ministrorum honorem et de-
» cus, quantum in nobis est, sin-
» ceris exoptamus affectibus, motu
» proprio et ex certa nostra scien-
» tia, deque apostolicae potestatis
» plenitudine, hac perpetuo valitura
» sanctione, *decretum praedictum*
» *de clericis saecularibus loquens*
» *ad omnes et singulos cuiuscum-*
» *que Ordinis clericos more reli-*
» *giosorum viventes in communi,*
» *non professos, harum serie exten-*
» *dimus et ampliamus, ac religio-*
» *sis et aliis praedictis non pro-*
» *fessis, ut ad sacros ordines pro-*
» *moveri;* nec non omnibus et sin-
» gulis venerabilibus fratribus no-
» stris patriarchis, archiepiscopis et
» episcopis gratiam et communio-
» nem Sedis Apostolicae haben-
» tibus, ut ordines ipsos huiusmodi
» religiosis personis impendere, nisi
» observata forma dicti decreti, nos,
» virtute sanctae obedientiae, et sub
» indignationis nostrae poena, in-
» terdicimus et prohibemus, *ac con-*
» *trafacientes per annum a prae-*
» *statione talium ordinum ipso iure*
» *suspendimus.* »

Ne autem personae ordinandae molestiam Episcopis inferrent, in ipsas quoque Pontifex, et quidem gravius, animadvertit § 4 latae a se Constitutionis.

« Statuentes, et decernentes pro-
» motiones quarumlibet religiosa-
» rum personarum praedictarum ad
» ordines huiusmodi, contra ipsius
» Decreti Concilii Tridentini for-
» mam, etiam cuiusvis licentiae illis
» ab Apostolica Sede, vel illorum
» Superioribus cuiuscumque digni-

» tatis, status etc. concessae, praetextu factas, executione praedictorum ordinum omnino carere, » nullasque prorsus et irritas existere, sicque promotas personas » in altaris ministerio ministrare » non posse. Quin imo ministrantes privilegiis, exemptionibus, » et aliis gratiis clericis concessis » omnino privari, et irregularitatis » aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a » quibus, nisi a Romano Pontifice, » vel in mortis articulo, minime » absolvi possint. »

Conferentes hanc S. Pii V Constitutionem cum Piano Capite lectores illico percipient. 1. hanc postremam dispositionem qua poenis Clerici ordinati plectuntur, abolitam censeri debere, cum eam Pius Papa IX in sua Constitutione non innovaverit. 2. Pianum Caput desumptum fuisse ex relata S. Pii V Constitutione. 3. Suspensionem tamen ampliatam fuisse; etenim in Const. *Romanus Pontifex* ordinantes suspendebantur tantum a conferendis sacris ordinibus, *a praestatione talium ordinum suspendimus,* id est maiorum, ad quos legitime suscipiendos requirebatur et requiritur titulus beneficii aut patrimonii; in nostro autem capite Ordinantes suspendentur generice *per annum a collatione ordinum,* nulla facta limitatione, ideoque ab collatione ordinum tum maiorum tum minorum, tonsura clericali excepta, quae, ut etiam superiori capite diximus, ordo non est; consequenter ab lege exempta.

Actio vero quae suspensione plectitur est *ordinem sacrum conferre absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.*

Ut igitur suspensio incurratur, necessario requiritur ut sacer ordo conferatur Clerico qui vivit in Ordine in quo vota solemniter nuncupantur, ante professionem solemnem, vel in simplici Congregatione; neque ea Episcopus ordinans eximitur, si conferat post professionem votorum simplicium. Id vero manifestum est 1. Ex quo absolute suspendantur Episcopi conferentes ordinem sacrum absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, quin Legislator determinet aliquid circa professionem votorum simplicium, quin imo hanc excludere videatur, cum de una solemni professione sermonem instituat: 2. quia loquitur de Religioso nondum professo; professio autem absolute sumpta in iure intelligitur professio solemnis, qua quis vere et proprie religiosus evadit.

Haec autem observare voluimus, ne quis anceps haereat ob decretum a Pio Papa IX latum sub die 19 Martii 1857, quodque extat apud Bizzarri *Collectanea in usum Secretariae S. Congregationis Epi-*

scoporum et Regularium pag. 904, in quo inter alia haec praescribuntur *pag. 906:* « Peracta probatione et Novitiatu ad praescriptum » S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a Statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Const. Clementis VIII incipien. *In supremo* praefinita est. »

« Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationalibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. »

Ex hoc scilicet decreto quis dubitare posset an Piana lex intelligenda esset de suspensione incurrenda ob collatum ordinem post professionem votorum simplicium?

Attamen dubium esset fere ridiculum nedum ob Pianum Caput quod expendimus, in quo sermo est de professione solemni, consequenter verba *religioso nondum professo* de solemniter professo sunt intelligenda, nedum ex paullo ante cit. S. Congregationis Episcoporum et Regularium decreto, quo Superioribus Regularibus permittitur dimissorias epistolas concedere professis votorum simplicium pro suscipiendis tantum minoribus ordinibus, quo intelligimus denegatam eis fuisse facultatem dimissorias concedendi huiusmodi professis, eo quod ad maiores ordines titulus requirebatur; sed etiam quia quaestio haec dirempta fuit per S. Congregationem Episcoporum et Regularium. Cum enim Archiepiscopus Mexicanus expostulasset inter alia: 1. Possunt ne Novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus* S. Pii V, die 12 Novembris anni 1568 in lucem edita? (Die 14 Octobris 1568)

Cui postulato die 20 Ianuarii 1860 responsum fuit: *Negative quoad Ordines sacros.* (1)

Ex quibus evidentissime patet professionem, de qua in nostro Capite, intelligendam esse de solemni, non de simplici; ideoque ordinantes Clericum in aliqua Congre-

(1) Apud Bizzarri. Collectanea pag. 909

gatione viventem, aut religiosum nondum solemniter professum sine titulo beneficii vel patrimonii praesentis capitis suspensionem incurrere.

Attamen suspensionem incurreret Episcopus ordinans ni Clericus religiosus ordinatus absque titulo privilegio huiusmodi gaudeat: *excepto casu legitimi privilegii.* Hoc autem gaudent Patres Societatis Iesu, quibus illud factum est ab Gregorio XIII in Constit. *Ex Sedis Apostolicae benignitate* lata die ultima Februarii 1583, qua edixit: « Nec non ut ii qui in eadem so » cietate tria paupertatis, et castitatis et obedientiae vota emiserint, ad omnes etiam sacros et » Presbyteratus Ordines de licentia » pro tempore existentis sui Praepositi Generalis, etiam antequam » professionem emiserint, promoveri valeant » (1).

Porro suspensio haec ab collatione ordinum tum maiorum tum minorum per annum durat. Eo igitur expirato per se cessat; infra sed vero eius absolutio Summo Pontifici reservatur.

APPENDIX XLVI.

De suspensione lata in religiosos eiectos extra Religionem degentes.

Religiosi propriis ordinibus eiecti tales plerumque sunt ut nullo Dei timore ducantur; et qui in religione degentes scandalo fratribus fuere, ipsorumque quietem turbarunt, in saeculum reversi cunctis sunt scandalo fidelibus; etenim plerumque morum depravatione ipsis saecularibus praeeunt, atque hinc nullum bonum, mala imo plurima perpetrantes nulla habentur existimatione, et ab omnibus despi-

(1) Eiusmodi Constitutio in Bullario Romano Edit. Taurinen. 1863 non reperitur; at reperitur in Op. *Institutum Societatis Iesu. Tom. I. pag. 43 Edit. Pray.* Attamen in Const. *Licet debitum* lata a Paulo III die 18 Octobris 1543. §. 19 concessum Patribus Societatis Iesu inter alia hoc privilegium reperimus. « Et quia eiusdem Societatis fratres et socios de locis ad loca transferri contin- » git, propter quod stabilem et continuam in certis et determinatis domibus man- » sionem habere non possunt, et in ipsa Societate idoneos tantum et comprobatos » ad Sacros ordines promoveri intelleximus, eidem praeposito generali, quod Ordi- » nandos socios et fratres huiusmodi Societatis, quibuscumque maluerit catholi- » cis Antistibus gratiam et communionem dictae Sedis habentibus, praesentare, » ipsisque Antistibus praesentatos huiusmodi, absque omni promissione vel obli- » gatione ipsorum ordinandorum fratrum et sociorum, ad omnes, etiam Sacros et » presbyteratus, ordines promoveri. »

At certum est Societatis Iesu alumnos ad ordines Sacros promoveri ante solemnem professionem.

ciuntur. In iis praecipue veritatem adagium illud sortitur: *Corruptio optimi pessima.*

Ut vetustas leges latosque in re canones praetermittamus, ex quibus eruitur religiosos professos qui nulli correctioni dant operam e religione expelli posse, (1) nos pro re nostra unum allegabimus decretum latum die 21 Septembris 1624 a S. Congregatione Concilii, de Urbani VIII Rom. Pontificis mandato, ex quo Caput nostrum desumptum fuit.

Iis praetermissis quae de fugitivis et apostatis primis paragraphis statuunt Eminentissimi Patres, quoad ejectos haec decrevisse legimus (2).

§ 6. « Ad haec, ut imposterum » a religionibus nullus legitime » professus eiici possit, nisi vere » incorrigibilis; vere autem incor- » rigibilis minime censeatur, nisi » non solum concurrant ea omnia, » quae ad hoc ex iuris communis » dispositione requiruntur (sublatis » hac in parte statutis et constitu- » tionibus cuiusque Religionis et » Ordinis etiam a Sede Apostolica » approbatis et confirmatis) (3), ve- » rum etiam unius anni spatio in » ieiunio et poenitentia probetur » in carceribus; proindeque religio » privatas habeat carceres in qua- » libet saltem provincia. Elapso » autem anno, si nihilominus non » resipuerit, sed animo indurato » in sua pertinacia perseveraverit, » ne contagione pestifera plurimos » perdat, tamquam pecus morbida » ac membrum putre eiici tandem » possit, sed ab ipsomet generali » tantum, de consilio et assensu » sex patrum ex gravioribus reli- » giosis, eligendis in singulis capi- » tulis, vel congregationibus gene- » ralibus, tumque nonnisi instru- » cto, secundum eorum stylum et » constitutiones, processu, et plane » probatis causis expulsionis ad » sacrorum canonum praescriptum. » Interea tamen usque ad primum » generale capitulum seu congre- » gationem proxime celebrandam, » si quempiam ex iustis et neces- » sariis causis expellere oportebit,

(1) Cf. Can. *Impudicas* 11. et Can. *Si quis Sacro* 17 caus. 27. Q. 1. Cap. *Cum in Ecclesiis 10 De maiorit. et obed.* Cap. *Cum non ab homine 10 de iudiciis:* Cap. *Ne religiosi 24 de Regularibus:* Cap. *Jam ad Monasterium 6.* et Cap. *Ea quae 8 de Statu Monachorum:* Cap. *Relatum 7. Ne clerici vel Monachi;* Cap. *Ut formae 35,* et Cap. *Contingit 45 de sentent. excommunicationis.*

(2) Extat in Bullar. Rom. Tom. XIII. pag. 202. Edit. Taurin.

(3) Ex iure communi requiritur 1. ut delictum sit grave, ex gr. homicidium, periurium, furtum etc. quia eiectio est gravissima poena, imo pro religiosis quodammodo extrema, quae consequenter sine gravi crimine infligi non potest; 2. ut delictum sit publicum non solum inter religiosos, sed etiam inter saeculares, ita ut sine infamiae nota retineri in Ordine non possit; 3. ut ter prius monitus fuerit, correctus et punitus, sin minus incorrigibilis dici non posset; 4. ut per sex continuos menses in carceribus Monasterii detentus fuerit.

» eiectio fieri possit a generali » cum consilio et assensu sex pa- » trum, ut supra, quos idemmet » generalis eligere debeat infra » quatuor menses a praesentis de- » creti publicatione, servata tamen » in reliquis forma superius prae- » scripta.

» § 7. Sic vero eiecti, quamdiu » non redierint ad religionem, in » habitu clericali incedant, atque » Ordinarii loci iurisdictioni et obe- » dientiae subsint; proindeque ge- » neralis illico expulsionis senten- » tiam eidem Ordinario notificare » teneatur.

» § 8. Ceterum sacra Congre- » gatio Religionum Superiores serio » admonet, ac per Iesu Christi vi- » scera obtestatur, ut memores pa- » ternae charitatis et mansuetudi- » dinis, nihil intentatum relinquant, » ut lucrentur animas fratrum suo- » rum fere in profundum malorum » delapsas, antequam gravissimum » atque extremum expulsionis reme- » dium experiantur; idque eo magis » quod subditorum sanguinem, qui » ex malo negligentium et sui officii » immemorum praelatorum regi- » mine peribunt, Dominus Noster » Iesus Christus in supremo Dei » iudicio de eorumdum praelato- » rum manibus sit requisiturus.

» § 9. Praeterea statuit ut ii- » dem superiores nemini ex reli- » giosis expulsis literas testimonia- » les concedant, illos ad Sedem » Apostolicam reiicientes, vel iu- » bentes aliam ingredi religionem.

» § 10. Item ut eiecti (ex hac » § desumptum est Pianum Caput), » extra religionem degentes, sint » perpetuo suspensi ab exercitio » ordinum, sublata Ordinariis loco- » rum facultate dictam suspensio- » nem relaxandi, aut moderandi.

» § 11. Ac postremo censuit » esse innovandam et suae Beati- » tudinis auctoritate innovat Con- » stitutionem felicis recordationis » Gregorii IX relat. in Cap. fin. » *De Regular.* ac praeterea decla- » rat eam Constitutionem in iis » quoque vendicare sibi locum, ser- » vandamque esse, qui iuste, defini- » tive, ac iuris ordine servato ex- » pulsi fuerint; dummodo tamen » in expulsis huiusmodi subsit spes » evidens emendationis ex litteris » saltem testimonialibus Ordinarii, » cuius conscientiam in his litteris » concedendis sacra Congregatio se- » rio oneravit. (1)

(1) Porro Constitutio Gregorii IX ita se habet: « Ne Religiosi vagandi occa- » sionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant, et sanguis eorum de » praelatorum manibus requiratur, statuimus, ut praesidentes Capitulis celebrandis » secundum statutum Concilii generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, fugiti- » vos suos et eiectos de ordine suo, requirant sollicite annuatim. Quod si in mo- » nasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates seu Priores » eorum, monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptio- » nem ipsorum, salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur, » auctoritate nostra provideant, ut apud ea Monasteria in locis competentibus, si

Verum eiusmodi dispositiones Procuratoribus generalibus ordinum religiosorum nimis incommodae visae sunt, atque tales quae religiosis ob improbos mores eiiciendis nimis faverent, cum eorum causa non ita expediri posset ut par esset ad praecavendas eorum funestas insinuationes dum in monasterio quamvis carceribus mancipati, commorarentur; improbi enim semper protectorem aliquem habent, nec raro, etiam in religiosis domibus, socium; hi porro causam suam agunt, dum improbi patrocinium suscipiunt. Hinc, Sedem Apostolicam regente Innocentio XII, Procuratores ordinum generales Summum Pontificem deprecati sunt, ut moderationem aliquam Decreto de Urbani VIII iussu edito apponeret, quod praestitum fuit die 24 Iulii 1694.

Porro hoc in decreto poena carceris per annum inflicta ad sex menses reducta fuit, atque facultas unis generalibus facta eiiciendi religiosos incorrigibiles concessa fuit etiam ministris provincialibus (1).

» absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem » Ordinis ad agendam ibi poenitentiam talibus vitae necessaria ministrentur. Si » vero huiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, » et tamdiu faciant ab Ecclesiarum Praelatis excommunicatos publice denunciari, » donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur. *De Regular. et Trans.* » *Tit. 31. Cap. 24.* »

(1) Perpensis eorumdem Procuratorum votis, inquiunt Emi Patres, ne consortio morbidarum pecudum caeterae corrumpantur, et remedio hucusque ad sanitatem oblato male affectis officiant magis quam prosint... decrevit.

1. Quod firmis ac in suo robore semper manentibus praedictis decretis de Apostatis etiam secundum eam partem, ubi agitur de eiectis et eiiciendis, tamquam sacris Canonibus, et communiori SS. Patrum menti conformibus, quoad eiectos eadem serventur quae in alio simili decreto hac praesenti die emanato de apostatis et fugitivis statuta sunt et indulta; quodque ad praescriptam legem Sanctae memoriae Gregorii IX.... annuatim fugitivi requirantur, et respective cogantur ad claustra reverti.

2. Quod annus integer, qui in praedictis decretis anni 1624 praescribitur in poenitentia, et ieiunio ad eiiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur.

3. Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio et assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis et Congregationibus generalibus ad causas eiiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus de propria provincia religiosis, a Generali confirmadis, de illorum consilio et assensu causas huiusmodi cognoscant, ut ad effectum eiiciendi incorrigibiles suae provinciae, et eiectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis definiant, salva semper Sanctae Sedis et S. Congregationis in causa recursus et appellationis auctoritate.

4. Quod in posterum processus conficiatur iuxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes et stylum cuiusque Ordinis et Religionis, donec aliter fuerit a Sacra Congregatione provisum.

At ex eiusmodi latis decretis patet.

1. Religiosos ex ordine dimittendos esse iuris ordine servato iuxta proprias Constitutiones.

2. Eo casu quo nullam praebeant ad saniorem mentem revertendi spem.

3. Postquam subierint carceris poenam ad sex menses continuos.

4. Omniaque media adhibita fuerint ut ad virtutis religiosae tramites sectandos reducantur.

5. Dimittendos vero esse vel ab uno Ordinis generali ministro, vel a provincialibus cuiuscumque provinciae de assensu sex probatorum patrum ad eiusmodi causas iudicandas apposite electorum.

6. Et quidem sine ullis testimonialibus literis, monito insuper Ordinario religiosi eiecti de expulsionis sententia.

7. Religiosos eiectos incedere debere in habitu et tonsura, subesse ordinarii iurisdictioni, insuper, donec extra religionem degerint ab exercitio ordinum suspensos manere, qua suspensione ab ordinariis locorum absolvi et liberari nequeant.

Hoc autem statuit Pius Papa IX in Capite quod commentaturi sumus quodque ita legitur. *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti extra religionem degentes.*

Expendamus igitur naturam huius suspensionis; inquiramus quinam eam incurrant, et quibus sub conditionibus.

Et quantum ad primum attinet, suspensio haec quamvis *perpetua* dicatur, tamen tamdiu perdurare dignoscitur, quamdiu religiosus eiectus extra religionem degit: etenim non absolute ponitur, sed relative ad tempus, quo eiectus extra religionem degit. Ergo si eiectus vel ad eamdem religionem revertatur, vel aliam quamlibet amplectatur, suspensione solvitur.

Hoc autem ex lati decreti fine et verbis apprime deprehenditur. In eo enim praecipiunt patres ut modis omnibus eiectio a superioribus caveatur, nec ad eam, nisi postquam ispes quaelibet emendationis effugerit, deveniant; atque hinc volunt ut ante eiectionem per corporales poenas obstinatam religiosi malitiam vincere curent. Quoniam vero sex menses cito transeunt, et religiosi eiiciendi post poenam sperare bona ex libertate poterant, hinc et in poenam admissorum criminium, et ad citius eorum frangendam animi obstinationem, et ne ordinum susceptorum exercitio bona illa consequerentur quae sperabant, et etiam ne sacra mysteria sordidis adeo manibus profanarentur, legum latores huiusmodi eiectos poena auspensionis mulctarunt usque dum extra religionem manerent. Poena igitur est absolute medicinalis, eoque directa ut religiosi eiecti ad religionem iterum redeant; per novum igitur in religionem ingressum finis legis cessat, at cessante fine legis, ipsa lex cessare dignoscitur.

De cetero verba legis aperta sunt: *extra religionem degentes;* non ergo in religione stantes. Quamvis vero dubia essent, *in poenalibus quod minimum est sequendum;* ideoque vix ad religionem reversus, eiectus lata suspensione liber censendus esset.

At in saeculo manens *ipso iure* ab *exercitio ordinum* suspenditur.

Hinc duplex quaestio: 1. an suspendatur ab iis tantum ordinibus, quos in religione manens susceperat, vel etiam ab iis quoque quos post egressum ex religione suscepit? 2. An ab ordinum exercitio tantum, vel etiam ab aliis muniis ex. gr. a munere concionandi vel docendi etc.?

Prima quaestio inutilis videri poterit. Cum enim de eiectorum causa cognoscere ad Sanctam Sedem unice pertineat, et Episcopi prohibeantur suspensionem relaxare aut moderari, et suspensi non possint ad ordines promoveri, atque si promoveantur ipso iure sint irregulares, non enim bona fides in huiusmodi supponitur; eiecti ab ordinum exercitio suspensi semper essent. Attamen relate ad ordinum susceptorum exercitium, vera nobis illa sententia videtur, qua asseritur, in cit. Decreto sermonem esse de ordinibus ante eiectionem ab eiecto susceptis. Qua in re duplex datur casus, vel quod eiectus ante ingressum in religionem ordines sive minores sive maiores susceperit, vel post ingressum: atque affirmamus ab ordinibus quocumque tempore susceptis eiectum manere suspensum. Id patet 1. ex verbis decreti lati an. 1624. quo suspensio simultanea est cum ipsa eiectione, et quo aufertur ordinariis facultas ipsam suspensionem relaxandi aut moderandi; ergo suspensio vel est antecedens, vel saltem cum ipsa eiectione simultanea; ergo illa refertur ad ordines, quibus eiectus praeditus erat dum in religione maneret. 2. Superiores ordinis Episcopum monere tenentur de expulsionis decreto, ut et ipse sciat ad quid teneatur. (1) Cum autem vix

(1) Formulam communicationis excribimus ex Lucio Ferraris *Bibl. Canon. Voc. Eiecti a Religione n. 37. F. N. Provincialis Provinciae N. Ordinis S. N. Illmo ac Rmo Episc. N. salutem in Domino.*

« Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi Vestrae notum sit, quatenus » nos ad Canonum et Apostolicarum Constitutionum formam, ac Decretorum Sa» crae Congregationis Concilii de Apostatis et eiectis die 21 Septembris 1624, et » die 24 Iulii 1694 respective emanatorum, procedentes per nostram definitivam » sententiam, quam in scriptis tulimus, hoc anno... die... Mensis... a nostra Reli» gione tamquam incorrigibilem P. F. N. Religionis praefatae expresse professum, » et ad Sacrum Praesbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos, et si fue» rit Clericus exprimatur Ordo; si vero laicus, id notetur) dimisimus et eiecimus, » habitu religionis nudatum. Quod Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi » Vestrae (de cuius dioecesi ipse est) significandum curavimus, ut et nos Apo» stolicis obtemperemus mandatis, et pecoris sui vultum possit Dominatio Vestra

ex ordine eiectus suspensio incipiat, hinc suspensio non potest esse nisi ab ordinibus quos eiectus habet. 3. Ordinarius non potest sententiam expulsionis examinare, nec inquirere an iuste vel iniuste eiectus fuerit; quod patet et ex decreto Urbani VIII, quo superioribus eiecti unum praecipitur, monere scilicet Episcopum de illato expulsionis decreto; deinde quia acta processualia confecta fuere iuxta ordinis constitutiones, dum eiectus subditus esset. Episcopus autem nullam habet iurisdictionem in exemptos; neque considerari potest ut iudex appellationis, quia in decreto lato sub Innocentio XII appellatio in huiusmodi casibus ad S. Sedem reservatur. *Salva semper Sanctae Sedis, et sacrae Congregationis Concilii in causa recursus et appellationis auctoritate.* Si autem Ordinarius non potest sententiam expulsionis examinare, nec in suspensionem aliquid potest, cum haec cum expulsione sit coniuncta. Suspensio autem cum antecedenter lata fuerit, non potest esse nisi circa ordines quos eiectus iam susceperat, vel habebat. Neque huic postremo argumento ea contradicunt quae scribit Benedictus XIV *De Synodo Dioecesana lib. XIII, cap. XI,* quo innuit, eiectos posse iura experiri, eaque in gradu appellationis proponere, quin cogantur ad Romanae Curiae tribunalia causam suam deferre. Id enim 1. tantum Episcopo Angelopolitano indultum ob speciales circumstantias reperitur. 2. Episcopum autem in causa agere tanquam iudicem ecclesiasticum delegatum. 3. Ceteros episcopos, quod postea declaratum fuit, nihil iudicialiter in causis eiusmodi agere posse. « Cavit » enim S. Congregatio Concilii, in» quit Pontifex, n. 31, ne quispiam, » licet intra terminum a lege prae» finitum ab eiectionis sententia ap» pellaverit, possit extra carceres » sua iura experiri; sed si eadem » proponere velit, omnino debeat » sese in carceribus constituere. » Cum autem provocans carceribus » detinetur, non est cur Episcopus » de eo sollicitus sit; quem scili» cet studiose observare, ac custo» dire tantummodo debet, cum » procul a claustris in sua Dioecesi » versatur. » Cum igitur Episcopus nihil iudicialiter in eiusmodi causis agere possit, neque eiectionis aut suspensionis causam retractare, et allegata Benedicti XIV auctoritas nihil nostro obest argumento, et suspensio lata in eiectum, est ab ordinibus iam susceptis, non suscipiendis. Quod postremo ex ipsa

» cognoscere, eaque etiam circa praefatum N. exequi valeat, quae in praefato » Decreto anni 1624 die 21 septembr. peragenda iussit dicta S. Congregatio Con» cilii. Et Dominus sit Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi Vestrae pro» pitius. In quorum fidem praesentes litteras iussu nostro conscriptas, sigilloque » munitas dedimus ex Conventu N. Anno.... Mense.... die... »

rei natura patet, non intelligitur enim quomodo suspensio illata ob facinora possit esse in ordines suscipiendos; pro his enim intercedit impedimentum promotionis ad ordines ulteriores, non suspensio. Atque hinc si eiectus ab aliquo Episcopo ad ulteriores ordines promoveatur, suspensus manet non vi capitis nostri, sed vi aliarum leum quae suspensione feriunt illegitime ordinatos.

Neque argumento movemur quod urget doctissimus Com. Reatinus qui *Edit. 3. Comment. pag. 115* scribit: Ceterum « etsi ordines vel ordinem » susceperit post eiectionem, ab eis, » vel eo quoque suspensus videtur » ut antea (Cap. 6. de apost.) lex » non distinguit. » His inquam, non movemur. Etenim cit. cap. IV non loquitur de eiectis, sed de apostatis; (1) at eiectus apostata non est; hinc ad hunc caput illud non est extendendum. Lex autem optime distinguit. Atque quoad decretum Urbani VIII res est manifesta ex iis quae diximus: Cum autem Pii IX Caput ex illo desumptum sit, cum eoque plane concordet, eodem sensu est intelligendum.

Exinde etiam patere arbitramur improbabilem prorsus esse Antonii a S. Spiritu sententiam, qui in opere *Directorium Regularium. Tract. IV. disp.* III. *n. 480* affirmat « talem suspensionem esse comminatoriam et inferendam, utpote quae lata est per verbum futuri temporis: *sint perpetuo suspensi,* nam verbum *sit* est futuri temporis. » Quam opinionem Pellizarius probabilem dicit Manuale Regularium *tract. VIII, cap. VIII, n. 25.*

Eiusmodi, inquam, opinio omnino reiicienda est ob universum decreti sensum, quo percipimus et suspensionem coniunctam esse cum decreto eiectionis, et ab Episcopo neque relaxari neque moderari posse, et appellationem eiecti in casu apud Sanctam Sedem esse instituendam, et alia huiusmodi. Si autem suspensio ferendae sententiae est a quo feretur? Non certe a superioribus Regularibus post eiectionem; non ab Episcopo qui in eiusmodi causis nihil potest, non a Romano Pontifice qui in casu tantum appellationis decernit an iuste vel iniuste sit eiectus, et an ad sanam mentem reversus credi possit. Necessario igitur suspensio haec est latae sententiae. Neque verum est quod *sit* ad futurum tempus pertineat; designat enim tempus praesens; quod sexcentis exemplis probare possemus. Hinc optime Ameno *De incorrigibilium expulsione Part. III. n. 27* eiusmodi sententiam his verbis reiicit. « Nec » id quod subditur, alicuius ro-

(1) Ex Caput: « Consultationi tuae respondemus quod Monachus aliquem Sacrum ordinem in apostasia recipiens, quamtumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, et receperit poenitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in ordine sic suscepto. »

» boris est : falsum est enim quod » dictio *sint* tempori futuro con- » veniat, et non potius imperati- » vo praesenti. Non enim decre- » tum de eiectis ipsos esse suspen- » dendos pronunciat, sed eos ve- » luti tales ex tunc declarat : » Quae de cetero sententia communis est penes doctores, ut affirmat Passe- rini. *De hominum statibus et offi- ciis Q. 189, art. VIII, n. 638.*

Circa aliam quaestionem, qua quaerere proposuimus, an eiecti suspendantur etiam ab muniis Sa- cris ordinibus quoquo modo adne- xis, ex. gr. concionandi munere, haec scribit Lucius Ferraris Biblio- thec. Canon., Voc. *Eiecti a Reli- gione n. 43.* « Eiectus nedum ne- » quit exercere ministerium Ordi- » num, sed neque officium con- » cionandi et docendi, uti habetur » in *Mari Magno Ordinis Praedi- » catorum* § 24, in *Mari Magno » Carmelitarum* § 93 et 94, in » *Mari Magno Minimorum* § 36, » et 45, in *Mari Magno Servita- » rum* § 49, ubi datur facultas Su- » perioribus Religionum huiusmodi » eiectos excommunicandi, si intra » limites suarum Provinciarum, vel » districtuum, ausi fuerint concciona- » ri, Confessiones audire, et docere; » quae concessiones adhuc vigent, » ut tradit Passerinus *De homin. » Stat. quaest. 189, art. 8, n. 640, » Ameno lib. cit. n. 35.* Accedit » ratio, quia expulsus laborat in- » famia juris et facti, ut solide pro- » bat Ameno *l. cit. n. 51.* Infa- » mis autem est incapax officiorum » spiritualium, nequit esse Iudex » Ordinarius, Delegatus, Procurator » accusans, aut Testis, aut Tabel- » lio, nisi rogatus a partibus, c. » *Infamis persona* 1. et c. *Infames* » 2. caus. 3. Q. 7. Cap. *Sciscita- » tus* 3 *de Rescriptis.* Unde a for- » tiori nequibit assumi ad apostoli- » cum Evangelizandi ministerium.»

Verum quidquid sit de veteri iure, post Pii IX Constitutionem neque docendi, neque concionandi munere religiosi eiecti suspensi vi- dentur. Etenim 1° in nostro Capite ab uno exercitio ordinum suspensi religiosi eiecti decernuntur, et cum lex sit odiosa non licet eam ad alios casus extendere, qui cum or- dine absolutam et intrinsecam non habent relationem et dependentiam ut esset ex. gr. munus excipiendi fidelium confessiones.

2. Religiosis huiusmodi adimen- da non sunt victus et vestitus sibi comparandi media. Atqui ordo eos alere non tenetur, ab ordinibus sus- pensi sunt, ideoque, si sacerdotes fuerint, eleemosynis missarum sibi providere non possunt; bonis pa- trimonialibus carent; eleemosynam quaeritare non tenentur. Unde ergo vivere possent? At supponenda non est ecclesiastica poena eo usque procedere, ut delinquentem ad mortem adigat.

3. Bonum facere nemini pro- hibetur, neque sibi ingenii sui do- tibus ea procurare quae necessaria sunt. Atqui conciones habere et

praedicare bonum est, sicut etiam bonum est docere, aliosque in scientiis instruere, atque talia sunt bona quae cum Ordinibus necessariam non habent connexionem. Non est autem supponenda Ecclesia velle eiectum privare facultate bonum faciendi, quod fieri potest extra limites poenae inflictae ab iure in re constituto.

4. Neque rationes ab cl. Lucio Ferraris allatae solidae videntur. Prima enim deducta ex variis *Maribus Magnis* diversorum Ordinum nulla est. Etenim iis fit facultas Superioribus religionum excommunicandi eiectos si intra limites suarum provinciarum, vel districtuum audeant praedicare vel docere.

Ergo extra eiusmodi limites eiecti docere et praedicare poterunt : ergo simpliciter ex iure constituto eiusmodi muniis non sunt suspensi : ergo facultas eiusmodi excommunicandi eiectos in casu est facultas particularis ordinibus concessa ob peculiares circumstantias et rationes , quae generalis legis vim nec habet nec habere potest.

At exinde sequi videtur , non esse saltem in intentione Legum latorum ut eiecti laborent simpliciter infamia ; sin minus haec eos in locis quibuslibet afficeret, et non in locis tantum in quibus Monasteria eiusdem Ordinis existunt. Quod et ex aliis capitibus probamus.

Can. *Infames 17. caus. 6. quaest. 1.* de infamibus haec habentur: *Infames esse eas personas dicimus... et omnes quos ecclesiasticae leges vel saeculi infames pronuntiant.* Atqui nullam novimus vel canonicam legem vel civilem quae pronuntiet infames a religiosis ordinibus eiectos. At si leges hos infames non pronuntiarunt, ex delictis tantum quibus sese commaculaverint infames iudicari debent. Manifestum sed est, non omnes religiosos qui eiiciuntur, eiici propter crimina quibus adnexa sit infamia; ergo eiectioni a religione simpliciter infamia non est adnexa.

At est ne adnexa ob crimen aliquod , quo eiecti sese inquinarunt ? Ipse Lucius Ferraris *loc. cit. n.* 11 haec scribit : *Item* (sunt infames) *presbyteri condemnati ad triremes, postquam actu remigarunt : S. Congr. S. Officii 4. Iunii 1645. Secus si non remigassent.* At profecto crimina quibus adnexa est condemnatio ad triremes producunt infamiam. Unde ergo ex uno facto condemnationis ad triremes contrahunt infamiam presbyteri, et non ex crimine quod perpetrarunt ? Idipsum igitur de eiectis a religione dicendum erit, cum versemur in favorabilibus.

Attamen in re audiantur quae scribit Benedictus XIV *De Synodo Dioec. lib. XIII, Cap. XI, n. 30.* « Quod ad illos, id est eiectos, per» tinet, integrum erit Episcopis vel » cum Superioribus Ordinibus agere » vel Sanctae Sedis auctoritatem » implorare, ut qua ratione magis » expediens fore iudicabitur, iidem

» a Religione recipiantur. Si autem » hoc obtinere non valeant, noverint Episcopi, id oneris sibi tantummodo incumbere, ut eorum vivendi rationem studiose speculentur, ne alios inficiant, maiorisque dedecoris notam Regulari Ordini imponant. Neque vero sinant, huiusmodi religiosos, qui Sacerdotes fuerint, sive extra claustra remaneant, sive iterum a Religione fuerint in societatem vitae recepti, sacrosanctum missae sacrificium celebrare, si remigaverunt, vel si fuerunt ad triremes damnati ob aliquod delictum, cui de iure infamia est adnexa: extat enim decretum Urbani Papae VIII, quo declarantur perpetuo irregulares Sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui ad triremes vel perpetuo, vel ad definitum tempus damnati remigaverunt. An vero simplex damnatio ad triremes infamiam importet, et consequenter irregularitatis notam damnato inurat, id inter Doctores controvertitur. Sed communis opinio est, tunc proculdubio damnatum irregularem esse, cum sententia lata est ob delictum, quod secum fert infamiam de iure. »

Igitur, iuxta Benedictum XIV tunc tantum eiectus irregularis evadit cum 1. ob aliquod delictum, cui adnexa est infamia de iure, damnatus est ab tribunalibus constitutis, seu publicis, sive ecclesiasticis, sive civilibus, etenim hi tantum iudices possunt ad triremes damnare; (1) in casu autem nostro religiosi incorrigibiles eiiciuntur a Religione a propriis Superioribus, nulla irrogata sive carcerum, sive triremium poena; simpliciter ergo propter eiectionem non incurritur infamia.

2. Ex decreto Urbani VIII irregularitatem, consequenter infamiam, incurrunt sacerdotes sive saeculares, sive regulares, qui ad tempus, vel perpetuo ad triremes damnati, reapse remigaverunt. Quod ob simplicem eiectionem locum non habet.

3. Quaestio est inter Doctores: an ob simplicem damnationem ad triremes, quam scilicet factum remigationis subsecutum non sit, incurratur infamia. In dubio autem quod minimum est sequendum, et

(1) Contra facere videntur quae scribit Benedictus XIV. loc. cit. n. 30. « Cum » autem quandoque contingat Regularem.... ad praefinitum temporis spatium, puta » septennium.... ab eadem religione damnatum fuisse ad triremes. » Ex quibus apparere posset, Religiosum non ab tribunalibus publicis, sed ab ipsis religiosis viris legitime electis ad iudicandas eiusmodi causas, damnari posse ad triremes. Nos quidem nescimus, an aliquando Superioribus Ordinum religiosorum qui adhuc existunt facta fuerit eiusmodi facultas; unum scimus, eam certe in desuetudinem abiisse. Putamus autem, Benedictum XIV per ea verba dicere voluisse, a iudice ecclesiastico ratum habitum fuisse iudicium vel sententiam a Patribus religionis latam circa crimen, cui damnatio ad triremes esset adnexa.

favendum est reo, eo praesertim quod in casu dubium vertitur circa poenae existentiam. At certum est, in simplici eiectione eiusmodi damnationem locum non habere. Unde ergo, vel quo capite eiectus infamis evadit? Ad infamiam igitur incurrendam necessarium esset vel quod ante eiectionem, vel postea, religiosus per publicam sententiam, et ob crimen, cui de iure sit adnexa infamia, a publicis tribunalibus carceris damnatus fuerit; secus minime.

4. Demum addimus, nostro aevo, eiectiones eiusmodi pene obsolevisse. Religiosis enim incorrigibilibus datur Breve saecularizationis, quod eiectioni aequivalet; de qua re cf. Lucidi *De Visitatione Tom. 2. pag. 19. n. 33.* quo Brevi quaelibet eliminatur infamia.

Ut itaque ad rem nostram redeamus. Eiectioni ab ordine religioso adnexa non est infamia, consequenter neque irregularitas; sed una suspensio ab ordinum exercitio, cuius transgressione irregularitas incurritur. Cum autem praedicare et docere non sint munia ordinibus intrinsece adnexa, eiecti ea optime exercere poterunt.

Haec autem disputavimus in casu Urbani VIII et Innocentii XII, quo decreta eiectio sit perpetua. At *l. c. n. 30.* Benedictus XIV duo docet et expulsionem esse posse temporaneam, et in temporanea expulsione locum non habere praedictorum Pontificum decreta: « Cum autem » quandoque contingat, Regularem » haud fuisse decretoria sententia e » religione expulsum, velut incor- » rigibilem, sed ob atrox aliquod » crimen, ad praefinitum temporis » spatium, puta septennium vel » decennium, ab eadem Religione » damnatum fuisse ad triremes... » Cum nulla hac de re afferri re- » solutio possit, neque damnatis ad » triremes ob aliquod crimen apta- » ri posse videantur Summorum » Pontificum Urbani et Innocentii » decreta, scripta de religiosis in- » corrigibilibus, qui longe gravio- » ribus delictis sunt obnoxii. »

Cum igitur in temporanea expulsione locum non habeant praedictorum Pontificum contra eiectos lata decreta, temporaliter eiecti manent ne suspensi?

Ni fallimur, responsio ex dictis iam patet. Etenim hi religiosi ad tempus eiecti, triremium vel poenam passi sunt, vel eiectio fuit simplex quam, scilicet, nulla subsecuta est poena temporalis; si hoc, praesentis Capitis suspensione eiecti sunt immunes, atque ea tantum affici poterunt, qua pro casu speciali multati fuerunt; si vero triremium poenam passi sunt, cum infames evaserint, suspensione quidem afficiuntur, attamen non vi capitis quod expendimus, sed ratione infamiae quam sunt consecuti quaque irregulares evaserunt; ita ut ad tempus eiecti neque Urbani Octavi decreto, neque Piano Capiti sunt obnoxii. Sed aliis rationibus suspensioni subiici poterunt.

II. Post haec inquiramus quinam hanc suspensionem incurrant.

Et quidem eam incurrunt *ipso iure religiosi eiecti.*

Non igitur Apostatae, qui scilicet criminose discedunt a religione cum animo non amplius redeundi, quique Apostatae proprie dicti vocantur, ut ab improprie dictis distinguantur, seu fugitivis, qui criminose quidem discedunt, sed cum animo ad religionem redeundi. (1) Cum enim in lege odiosa versemur, verba sunt stricto sensu accipienda; eiectus autem non venit nec sub apostatae, nec sub fugitivi, seu desertoris nomine; dispar consequenter est utriusque ratio.

Accedit quod in iure apostatae, desertores et eiecti exprimuntur singuli suo nomine; cum igitur in nostro capite de unis eiectis sit sermo, sub hisce alios comprehendere nec possumus, nec debemus.

Accedit etiam quod in cit. Urbani VIII decreto agatur primum de apostatis et fugitivis, deinde de eiectis, atque ipsorum puniendorum diversa edicitur ratio; dum enim eiecti una ordinum suspensione percelluntnr, de apostatis et fugitivis statuitur § 3. quod « sive habitum » regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, » ubi moram trahunt, in carceres » coniici ac superioribus consignari » secundum regularia instituta puniendi etc. » diversa ergo est poena, et diversa recensio; non sunt ergo simul confundendi.

Nemo tamen putet, hoc in capite religiosos intelligi qui unis votis simplicibus sese obstringunt: non semel enim hoc in Commentario animadvertimus, eos intelligendos esse proprie dictos religiosos qui vota solemnia nuncupant, atque hinc Iesuitas nondum solemniter professos veros religiosos declaratos esse, quia in Societate solemnia vota tempore opportuno emittuntur. Si igitur ageretur de eiectione alicuius religiosi qui ad aliquam societatem religiosam pertineat, in qua vota solemnia non emittuntur, quae de eiectis diximus locum non haberent. De cetero circa eiectionem religiosorum votorum simplicium decretum Urbani VIII locum non habet; consequenter nec Pianum hoc Caput.

III. Ut autem religiosi eiusmodi suspensione detineantur nedum necessarium est ut eiecti fuerint, sed etiam ut extra religionem degant; lex enim aperta est: *Religiosi eiecti extra religionem degentes.* Si igitur eiectus vel in suum ordinem reverti obtineat, vel alius religionis Institutum amplectatur, suspensione solvitur, cum extra Religionem minime degat. Qua de causa si antequam sua religione dimittatur, ab alia suscipi obtineat, et eiectus recta ad illam pergat, nullam suspensionem contrahit, cum

(1) Cf. Ferraris *Biblioth. Canon. V. Apostasia n. 25.*

alia conditio, commorationis scilicet in saeculo, deficiat omnino.

Hoc tamen in loco quaestio fit: an suspensione teneatur religiosus eiectus qui iniuste e propria religione dimissus fuerit; iniustam autem hoc in loco eiectionem illam dicimus, quae peracta fuit vel criminibus non extantibus, vel in criminibua probandis non servato iuris ordine secundum proprii Ordinis constitutiones.

Dispar porro est Doctorum sententia. Cl. Avanzini *Editio 3 Manual.* pag. 88 affirmativam sententiam tuetur. Inquit: « Videntur in» currere. Ratio est quod in hoc » articulo non fit distinctio in» ter iustam vel iniustam eiectio» nem, sed tantum limitatio adhi» citur per verba: *Extra religio» nem degentes:* proindeque qui » eiecti sunt et extra religionem » degunt, sive iuste sive iniuste » fuerint eiecti, quousque extra re» ligionem degunt, sive extra suam » quam professi sunt, sive extra » aliam in quam possint canonice » transire, suspensi manent ab ex» ercitio ordinum.

» Qui autem putent, se iniuste ex» tra religionem eiici, habent iuris » remedia per recursum ad Sanctam » Sedem, a qua tamen neque au» diuntur si extra religionem de» gant, iuxta Cap. XIX Conc. Trid. » Sess. 25 de Regularibus, (1) nisi » forte prius obtineant facultatem » reclamandi extra religionem de» gentes. »

Idipsum arbitratur Grandclaude *Comment. pag. 71.* At Commentatores alii generaliter docent, Religiosum iniuste e religione eiectum suspensione lata non teneri; attamen, si scandalum adsit, teneri non vi eiectionis, sed scandali. Ita Frat. Piatus *Comment. pag. 300. Nouvelle Revue Théologique Tom. 17. pag. 108.* Commentator Patavinus *pag. 323. n. 445.* D' Annibale *Comment. pag. 114. n. 193.* Ciolli. *Comment. pag. 134.* De Varceno Compendium *Theol. Mar. Tom. 2.*

(1) In allegato Capite non est sermo de eiectis, sed de sponte habitum dimittentibus, allegata professionis nullitate: in casu nostro autem agitur de iniuste eiectis; ideoque non intelligimus quodnam argumentum exinde desumi possit. « Quicumque regularis praetendat, inquiunt patres, se per vim et metum ingressum » esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut » quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum » habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquen» nium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praeten» derit deduxerit coram Superiore suo et Ordinario. Quod si antea habitum sponte » dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad » Monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur; interim vero nullo » privilegio suae religionis iuvetur. Nemo etiam regularis cuiuscumque facultatis » vigore transferatur ad laxiorem religionem, nec detur licentia cuiquam regulari » occulte ferendi habitum suae religionis. » Haec vero nihil ad rem facere videntur.

pag. 529; horum autem sententia nobis undequaque certa videtur; primo quidem ex intentione legum latorum, qui certe nolunt quemquam poena ligari nisi ob culpam quam admisit, et servato iuris ordine; in casu autem alterutrum deficit. 2. ex ipso decreto Urbani VIII, in quo non tam ob gravissimas culpas, quam ob in malo obstinationem eiectio praecipitur, vel permittitur, et regulae praescribuntur quibus religiosus eiici possit; crimina igitur religiosi expellendi debent esse luce clariora nedum ex se, sed ipso religiosi indurato animo; quod in innocente locum nec habet, nec habere potest. Qua de causa, casus iste difficillime evenire potest. Optime hinc scribit De Varceno *loc. cit.* « Reipsa non incurrunt; quia censura non ligat nisi iuxta veram » ac rationabilem voluntatem Superioris: modo Superior rationabiliter agens non habet voluntatem » puniendi innocentem; ideo reipsa » non incurrunt. Quare sine culpa, » quando non adest scandalum, et » sine irregularitate possunt exercere ordines. Diximus *reipsa,* » quia externe habentur ut suspensi; ac proinde ratione scandali » debent se abstinere ab exercitio » ordinum, secus peccant si cum » alterius scandalo id faciant. »

Neque ratio ab cl. Avanzini allata solida videtur. Quamvis enim in articulo distinctio non fiat inter iustam vel iniustam eiectionem; tamen et ex subiecta materia, et ex Decreto Urbani VIII, ex quo Articulus noster desumptus est, evidentissime constat expulsionem decerni nedum ob gravissimas culpas, sed propter incorrigibilitatem; ergo constat, eiectionem omnimodis iustam esse debere; noverat autem vir doctissimus, in iure quolibet poenas non decerni nisi propter culpas admissas; neque umquam fuisse in legum latorum intentione innocentes plectere. Demum in cit. Urbani VIII decreto expressis verbis dicitur § 11 *qui iuste, definitive, ac iuris ordine servato expulsi fuerint.*

Praetermittimus autem inquirere an si dubitatio oriatur circa iustitiam expulsionis, eiectus suspensionem servare teneatur. Cum enim in casu constare debeat de incorrigibilitate religiosi eiiciendi, eiusmodi dubium vix aut ne vix quidem locum habere potest, vel tantum circa ordinem iuris in expulsione servatum. In dubio autem possidet potestas iudicis; ideoque donec contrarium probetur, censura iuste illata iudicanda foret.

APPENDIX XLVII.

De Suspensione Rom. Pontifici reservata, quam incurrunt ordinem recipientes ab excommunicato, suspenso, interdicto, vel ab haeretico et schismatico notorio.

Hanc suspensionem his verbis Pius Papa IX sexto loco infert: *Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Antiquis canonibus cautum erat, ne quis ab eo ordines acciperet, qui potestatis exercitio careret; nemo enim dare poterat quod non habebat: atque tanta verborum vi ordinationes haereticorum, simoniacorum etc. prohibebantur ut benigna quodammodo interpretatione lati in re canones indigeant, (1) et certe ad Ecclesiae fidem collata, qua scitum semper est, quorumcumque haereticorum et schismaticorum dummodo rite ordinatorum ordinationes validas esse, quamvis illicitas.

Ne in citandis canonibus nimii simus, in Concilio oecumenico Lateranensi III sub Alexandro Papa III, anno 1179 celebrato, Canone II legimus: « Quod a praedecessore nostro felicis memoriae Innocentio (II) factum est, innovantes, ordinationes ab Octaviano et Guidone haeresiarchis, nec non a Ioanne Strumensi, qui eos sequutus est, factas, et ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus; adiicientes etiam, ut si quis dignitates ecclesiasticas seu beneficia per praedictos schismaticos receperit, careat impetratis. »

Innocentius III insuper ad Archiepiscopum Bisuntinum mandavit: « Priorem, quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, et ab ea persona quae potestatem habuerit dispensandi. » *De schismat. Cap. 11.*

Ita ut nullum sit dubium, ab Ecclesia ordinationes ab haereticis vel schismaticis factas semper irritas habitas fuisse, non quantum ad valorem actus, sed quantum ad exercitium traditae postestatis. Idipsum autem dicendum esse de ordinationibus ab Episcopis excom-

(1) Praesertim Capp. 24, 25, Caus. 1, Quaest. VII, et Capp. 1, 2, 3, Caus. IX, Quaest. II.

municatis peractis evidentissime patet ex variis testibus quae in iuris corpore allegantur.

Atqui hisce prorsus canonicis dispositionibus innititur Pii Papae IX Caput quod expendimus, ita ut quantum ad substantiam attinet, eadem sit novi et antiqui iuris dispositio.

Attamen ius antiquum et novum differunt 1. quantum ad extensionem, ad principia scilicet vel causas, ex quibus suspensio oritur, cum in antiquo iure suspensione plecterentur etiam ordinati ab Episcopo Simoniaco, vel irregulari, deposito, et degradato; de quibus suspensionibus nihil in Piano Capite habetur. Utrum vero bona fide ordinati ab huiusmodi simoniacis, degradatis etc. post Pianam Constitutionem adhuc inhabilitate ordinem exercendi teneantur infra expendemus. 2. quantum ad modum. Etenim in iure antiquo necessarium erat, ut eiusmodi Episcopi excommunicati, suspensi, vel haeretici etc. essent vitandi, ideoque tales per sententiam iudicis nominatim declarati. Qua de causa si vitandi non essent, eiusmodi suspensione ab eis ordinati non afficiebantur: Hinc Bonacina *De suspensionibus omnibus in particulari, Disp. III, Punct. X. n. 2.* scribit: Hinc sequitur, « ordinatum ab » Episcopo haeretico, schismatico, » simoniaco vel alia ratione excom» municato, suspenso, interdicto, vel » irregulari, etiam manifesto et no» torio, non affici hac suspensione » nisi per sententiam sit nominatim » declaratus talis. Ratio est, quia » eiusmodi Episcopus post Concili» lium Constantiense non dicitur vi» tandus ex vi prohibitionis ecclesia» sticae. » At non ita in nostra Constitutione: quamvis enim Episcopus, ad hoc ut ordinatus suspensionem incurrat, esse debeat nominatim excommunicatus, suspensus etc.; non tamen necessarium est ut sit nominatim declaratus haereticus vel schismaticus, sed satis est ut sit notorius; ad notorietatem autem facti, non requiri sententiam iudicis alias probavimus.

Interea animadvertimus, maximam intercedere differentiam primam inter et alteram Capitis partem relate ad irrogatas poenas. Dum enim in prima parte dicitur: *suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt* etc., de veri nominis censura sermo est, ita ut eam violantes irregularitatem contrahant. Id patet ex quo suspensio lata sit in praesumentes, et quidam indeterminate quoad tempus, consequenter in poenam patrati criminis; censura ergo est, cum habeat requisita omnia ad veri nominis censuram.

E contra non censura, sed poena tantum in altera Capitis parte continetur, dum dicitur: *exercitium non habere ordinis sic suscepti*; ideoque eam violantes irregulares non fiunt. Quod patet 1. quia censurae proprie dictae sine gravi

peccato non contrahuntur; at in Capite dicitur: *qui bona fide;* ergo sine peccato. 2. quia legislator suspensionis vocabulum paullo ante adhibitum praetermittit; neque utriusque partis verba sive hoc in loco, sive in iure aequipollent; 3. Insuper in odiosis quod minimum sequi debemus. 4. Quia in altera parte Capitis Legislator unam dispensationem exigit: at veri nominis censurae per absolutionem tolluntur. Utrum vero huius poenae dispensatio Romano Pontifici vel Episcopo reservata sit, infra expendemus.

Huic tamen sententiae quam nos cum aliis defendimus, adversatur Bonacina, qui *De Censuris in particulari Tract. III. D. 1. Punct. X.* n. 4. quaerit: « Sed modo dubium est utrum ignorans Episcopum excommunicatum, suspensum, interdictum, aut irregulârem, ligetur ista suspensione, recipiendo ordines ab huiusmodi Episcopo? » (1) Atque affirmanti sententiae adhaeret, eo quod cum

(1) Respondeo duplicem esse in hac re Doctorum sententiam.

« Prima est Innocentii *in Cap. 1, n. 4, de Schismat.*, Panormitani *in Cap. Veritatis, n. 46 de dolo et contumacia*, Alphonsi a Castro *lib. 2, de pot. leg. poenalis, Cap. 15, Concl. 3*, Rodriguez *in summ. 2 part. cap. 19*... et aliorum negantium incurrere. Ratio est quia ista suspensio lata videtur a iure in poenam; poena autem supponit culpam; sed qui ordines recipit ignorans Episcopum excommunicatum, suspensum etc. non committit culpam; ergo non incurrit poenam suspensionis.

« Secunda sententia cui adhaereo, est Covarr. *cap. Alma part. 1, §... n. 6*, Diaz. *in pract. cap. 28. n. 3.* Suarez *n. 63.* Sairi,... et aliorum... asserentium ignorantiam etiam probabilem et invincibilem non excusare ab ista suspensione. Ratio est, tum quia nemo dare potest quod non habet *Cap. Daibertum 1, q. 7.* Sed Episcopus excommunicatus, suspensus, aut interdictus vitandus non habet usum Ordinum; ergo neque illum conferre potest: sicut enim recipiens ordinem ab eo, qui non est Episcopus, non recipit ordines, quamvis putet illum esse Episcopum, ita qui recipit ordines a vero Episcopo, putans illum non esse affectum censura, seu canonico impedimento, ob quod arcetur ab usu ordinum, non recipit usum ordinum. Sicut enim Episcopus indiget charactere ut characterem imprimat; ita opus est ut habeat characterem habilem ad operandum ut alteri conferat characterem habilem et expeditum ad suam operationem, tum quia Ecclesia hunc defectum induxit non ob culpam ordinati, sed ordinantis, cuius acta irritare intendit quantum potest; cum autem in hoc casu irritare possit eius acta quoad ordinum executionem in ipso suscipiente, iure merito suscipientes ordines ab excommunicato, suspenso, vel interdicto vitando, privat executione ordinum susceptorum.

« Ad rationem primae sententiae respondeo istam suspensionem non habere propriam rationem poenae ac censurae respectu ipsius suscipientis ordines, sed potius habere rationem defectus et impedimenti provenientis ex culpa conferentis, et ex carentia potestatis ordinis in ipso ordinante, qui ab Ecclesia prohibetur ordine Episcopali fungi. »

Episcopus huiusmodi non habeat usum ordinum, illum alteri conferre non potest, quamvis hic ignoret illum esse haereticum, excommunicatum etc.

Verum, ni opinio nos fallit, in ratiocinio clar. Bonacinae magna confusio est; aliud est enim quod recipiens ordines ab Episcopo haeretico, excommunicato etc., eum esse talem ignorans, impediatur usu ordinum exercendorum; aliud est quoad incurrat proprie dictam suspensionem, seu suspensionis censuram; primum nemo negaverit; alterum vero probandum a cl. Bonacina erat, et nostro iudicio minime probavit. Quod enim argumentatur vel eo ex quod Episcopus huiusmodi exercitium potestatis non habeat, ideoque usum ordinis conferre nequeat, vel ex eo quod Ecclesia eiusmodi defectum induxerit ob culpam ordinantis, demonstrat utique ordinatum non habere usum acceptae per ordinem receptum potestatis, sed minime demonstrat, eum censuram suspensionis incurrere, ideoque absolutione, non una dispensatione indigere, ut ordinem ab haeretico, schismatico, etc. Episcopo bona fide acceptum exerceat.

Quid insuper? Si eiusmodi suspensio non habet propriam rationem poenae ac censurae respectu ipsius suscipientis ordines, ut ipse Bonacina scribit, ergo respectu suscipientis ordines censura non erit; ergo dispensatione non absolutione tolletur. Id vero quaerimus.

Nemo vero suspicetur, Bonacinam loqui hoc in loco de suspensione, prout pura poena est, non censura; cum enim ipse scribat *utrum ignorans... ligetur ista suspensione,* manifestum est, eum loqui de suspensione quam contrahunt illi qui scienter suscipiunt ordines ab excommunicato, suspenso etc., qui profecto veri nominis, etiam ipso fatente, suspensionem incurrunt.

Post haec observamus, eiusmodi suspensionem generalem non esse, scilicet a quolibet suscepto ordine, prout erat antecedens, sed ab uno ordine male suscepto ab haeretico. excommunicato etc.; Lex enim aperta est: *Suspensionem ab ordine suscepto, et: exercitium non habere ordinis sic suscepti.* Qua de causa si quis ab haeretico, schismatico susceperit Sacrum Presbyteratus ordinem, huius utique exercitio suspenditur, non autem Diaconatus, Subdiaconatus et aliorum ordinum, in quibus licite ministrare poterit.

Hisce praemissis, expendamus quinam et quibus in casibus hanc suspensionem incurrant.

1. Porro eam incurrunt ii omnes qui ordinem sive maiorem, sive minorem recipere praesumunt *ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis: aut ab haeretico vel schismatico notorio.* Quo in loco observamus Ordinantem, ad hoc ut suspensio

incurratur, debere esse nominatim excommunicatum, vel suspensum vel interdictum; qua de causa si sit quidem excommunicatus vel suspensus, vel interdictus, at non nominatim, ordines ab eo recipiens suspensionem non incurrit; versamur enim in lege strictae interpretationis. Hinc si quis ordines recipiat ab Episcopo collegialiter excommunicato vel interdicto, eo quod scilicet ad aliquod Collegium vel universitatem pertineat, quae interdicto supposita fuit, suspensionem non contrahit; etenim dici nequit nominatim excommunicatus vel interdictus.

Necessarium at non est, ut quis sit nominatim declaratus haereticus aut schismaticus ad hoc ut ab eo recipiens ordines suspensionem incurrat: sed satis est ut sit haereticus aut schismaticus notorius.

At vero nominatim excommunicati, suspensi, et interdicti illi dicuntur qui tales ab habentibus potestatem per sententiam declaratoriam pronunciati sunt, ita designato nomine et cognomine, aliisque adiunctis ut cum alia qualibet persona confundi nequeant.

At haeretici et schismatici notorii illi intelliguntur qui qua tales cognoscuntur ab maiori hominum parte, qui eumdem locum incolunt, quamvis nulla praecesserit sententia declaratoria; hanc enim in notorio haeretico necessariam non esse probavimus pag. 80. huius voluminis.

Advertendum tamen est, Episcopum, aut ordinantem in genere, suspensum esse nominatim debere a collatione ordinum, si enim suspensione alia aliqua particulari teneatur obstrictus, et non a collatione ordinum, recipiens ordines valide et licite recipit, nec ulla censura tenetur. Et planum est, cum suspensio non sese extendat ultra voluntatem eam inferentis.

Attamen inter Commentatores quaestio agitatur, an sub Piani Capitis verbis etiam Episcopatus comprehendatur.

Et quidem cl. D' Annibale, *Comment.* pag. 115, n. 195 diserte scribit: *quae proinde* (suspensio) *ad omnes ordines pertinet, etiam episcopalem;* cui et alii plures Commentatores assentiuntur, ita ut haec opinio communis dici possit. Rem vero suam tuentur 1. ex principio generali, quia nemo dat quod non habet; cum igitur Episcopus nominatim excommunicatus, suspensus etc. exercitium episcopatus non habeat, hoc nec aliis tradere potest. (1) Deinde ex variis declarationibus Supremae Inquisitionis quas

(1) Hoc est Suaresii argumentum, qui *De Censuris, Disp. 31, Sect. 1, n. 35* scribit: « Quoad suspensionem existimo Episcopum sic consecratum contrahere illam, quia iura universaliter loquuntur. Et fundantur in principio generali, quod hunc casum includit, quia nemo dat quod non habet. Unde haec non est poena, nec extenditur per aequiparationem, sed est defectus potestatis in dante. »

refert Cardinalis Petra *Comment. ad Constitutiones Apostolicas, Const. XXIX Eugenii IV. n. 19.* quas inter adest lata die 2 Augusti 1708, qua declaratur « Ordinatos et consecratos a veris Episcopis etiam » schismaticis et haereticis, non esse » iterum consecrandos et ordinandos, et habendos esse pro veris » Episcopis ; egere tamen dispensatione super irregularitate pro » exercitio suorum ordinum. »

At praeclarissimi Scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. XVII, pag. 629* hisce argumentis contrariam sententiam propugnant.

1. quidem quia Pius Papa IX in sua Constitutione suspensione ferit recipere praesumentes ordinem : *ab ordine suscepto... ordinis sic suscepti.* At valde dubium est an Episcopalis consecratio sit ordo : *C'est une question très controversée et très douteuse.* Vox igitur *ordo* ad consecrationem episcopalem extendenda non est.

2. Quia in allegatis a Cardinali Petra Supremae Inquisitionis declarationibus, haec hos adhibet terminos *ordinationis et consecrationis.* Quod indicat Legislatorem existimasse consecrationem ab ordinatione differre ; consequenter iniuria aptari poenas latas pro ordinatione consecrationi episcopali.

3. Demum quia hoc in Pii IX Capite nulla fit expressa de Episcopis mentio. At sanctum est in iure, Episcopos nulla suspensione vel interdicto affici nisi diserte exprimantur. Pianus articulus igitur ad consecrationem Episcopalem applicandus non est.

Ita vero elidunt primum Suaresii argumentum. Satis non esse, scilicet, quod verba legis sint generalia ; etenim iura insuper exigunt ut de Episcopis in suspensionis et interdicti negotio, expressa mentio fiat.

Elidunt vero alterum argumentum affirmando, immerito ab Suaresio negari hanc suspensionem poenam esse : *unde haec non est poena ;* quod relate ad primam articuli partem verum non est.

Relate vero ad declarationes Supremae Inquisitionis respondent, nullam eas vim habere post Constitutionem *Apostolicae Sedis.* Etenim post hanc nullas alias debemus censuras admittere quam quae in ea recensentur. Atqui Piana Constitutio nullam suspensionem continet contra Episcopos ab excommunicato etc. consecratos ; saltem id nondum probatum est : ergo usque dum non probetur, iure merito lata in hoc Piano Capite suspensio ad solos ordines limitabitur, neque ad consecrationem episcopalem extendetur.

Quae igitur tenenda sententia ? Arbitramur non esse recedendum a prima.

Primo quidem quia vetusti canones, a quibus desumptum est Pianum hoc caput sub ordinationis nomine loquuntur etiam de ordine Episcopali, ut patet ex citato La-

teranensi Canone, *ordinationes ab Octaviano et Guidone haeresiarchis actas... et ab ordinatis ab eis.* Praedicti igitur haeresiarchae etiam Episcopos ordinaverant. Id autem quamvis quaestio vigeret et an Episcopatus esset ordo, et ab Presbyteratu distinctus: quae tamen quaestio, nostro praesertim aevo, obsoleta fere dici potest, cum thesis quae in Catholicis Scholis defenditur doceat, et Episcopatum esse Sacramentum et ordinem esse ab Presbyteratu distinctum. (1) Cum ergo veteres canones sub ordinum nomine etiam Episcopatum comprehenderent, et Pius Papa IX nihil in re immutaverit, eodem sensu locutus censendus est.

2. Ita vero et antiquos Doctores et ipsas Sacras Romanas Congregationes antiquos canones intellexisse nemo diffitebitur, atque ipsi adversarii id concedunt. At Commentatores plurimi Pianae Constitutionis idipsum arbitrantur; habemus ergo extrinsecum Doctorum consensum; cui certe ratio intrinseca non contradicit.

3. Aevo nostro cum communis sententia sit Episcopatum et ordinem et Sacramentum esse, Pius Papa IX intelligendus est locutus iuxta communem sententiam. Qua de causa nihil impedit quominus vox *Ordo* ad consecrationem episcopalem extendatur.

4. Declarationes allatas a Cardinali Petra, et praesertim supra relatam nobis favere. In ea enim agitur de una ordinatione Episcopali, ut patet ex verbis: *non esse iterum consecrandos et ordinandos, et habendos esse pro veris Episcopis.* At si agebatur de ordinationibus inferioribus, ex. gr. presbyteralibus, addendum fuisset *et pro veris presbyteris etc.* Sed esto, sermo in ea declaratione sit quoque de aliis ordinibus; cum postremo loco dicant Supremi Inquisitores generice prorsus: *egere tamen dispensatione super irregularitate pro exercitio suorum ordinum*, episcopatus excludi nec deberet nec posset.

5. Sanctum est utique in iure, nulla suspensione vel interdicto episcopos affici, nisi exprimantur

(1) S. Thomas *in Opusc. 18 de perfect. vitae spirit. cap. 24* ita rem definit: « Quod vero quarto proponitur, quod Episcopatus non est ordo, hoc manifeste » continet falsitatem, si absolute intelligatur. Expresse enim dicit Dionysius, esse » tres ordines Ecclesiasticae Ierarchiae, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, et » diaconorum.... Habet enim ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Chri » sti mysticum, quod est Ecclesia, super quam principalem accipit curam, et quasi » regalem.... Quod autem habent aliquem ordinem et non iurisdictionem solam, » sicut archidiaconus, vel curatus Presbyter, patet ex hoc quod Episcopus potest » multa facere, quae non potest committere, sicut confirmare, ordinare, et conse » crare basilicas... quae vero iurisdictionis sunt potest aliis committere. Idem » etiam patet ex hoc, quod si Episcopus depositus restituatur, non iterum conse » cratur, tamquam potestate ordinis remanente, sicut et in aliis ordinibus con » tingit. »

at id sanctum est de Episcopis legitimis qui expedito suae iurisdictionis exercitio fruuntur. Id patet evidentissime ex ipso Cap. IV *Quia periculosum* lato ab Innocentio IV *De Sentent. excomm.* in 6. quod subnectimus. « Quia periculosum » est Episcopis et eorum Superio» ribus, propter executionem Pon» tificalis Officii, quod frequenter » incumbit, ut in aliquo casu in» terdicti vel suspensionis incurrant » sententiam ipso facto : Nos deli» beratione provida duximus sta» tuendum, ut Episcopi et alii Su» periores praelati nullius consti» tutionis occasione, sententiae, » sive mandati praedictam incur» rant sententiam ullatenus ipso iure » nisi in ipsis de Episcopis expres» sa mentio habeatur. »

At in casu nostro agitur de Episcopis, quorum ordinatio ab initio vitiosa est utpote suscepta ab haeretico notorio, vel excommunicato nominatim etc. qua de causa non habent expeditum suae iurisdictionis exercitium, cum eorum suspensio ex ipsa illicita ordinatione sequatur. Inde necesse non est ut nominatim suspendantur.

6. Exinde immotum stat primum Suaresii argumentum deductum ex verbis generalibus legis. Exceptio enim petita ab cit. Innocentii IV decreto ad rem non facit.

7. Quamvis vero eiusmodi suspensio quoad primam partem sit vera censura, et non poena tantum, ut Suaresius existimare videtur, nihil officit, cum decretum Innocentii IV in re locum non habeat, consequenter eam incurrant Episcopi consecrati vel ordinati ab Episcopis haereticis notoriis, etc.

8. Utique post Constitutionem *Apostolicae Sedis* nullas alias debemus censuras admittere quam quae in ea recensentur. At quo argumento probatum est, Episcopos ab haereticis notoriis vel ab excommunicatis nominatim consecratos sub hoc capite non comprehendi? De cetero Suprema Inquisitio nullam excommunicationem in re intulit, sed declaravit quod episcopales consecrationes sub latis iuribus comprehenderentur, et consequenter quod tenerentur suspensione episcopi ita consecrati. Nil novi igitur decrevit. Cum autem Pius Papa IX vetera iura in casu retulerit et innovarit, ea stant immota una cum Supremae Inquisitionis declarationibus, quae nihil quantum ad substantiam attinet, vetustis canonibus addunt. Episcopi igitur qui consecrationem episcopalem ab haeretico vel schismatico notorio vel nominatim excommunicato susciperent, suspensionem ab ordine sic suscepto ipso iure incurrerent, ut alii qui ceteros ordines reciperent.

Attamen ad eiusmodi suspensionem incurrendam in lege exigitur praesumptio: *qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt.* Ergo cau-

sae omnes quae praesumptionem excludunt ab eiusmodi censura pariter eximunt.

At 1. praesumptionem excludit ignorantia quaelibet, etiam affectata, ut alias affirmavimus (1); ergo qui ignorantia qualibet detentus ordinem ab interdictis in Capite personis reciperet hanc suspensionem effugeret.

2. Pariter qui in dubio versaretur an Episcopus sit interdictus, excommunicatus, haereticus etc. Dubio enim scientia excluditur, ideoque et praesumptio.

3. Similiter qui timore ad ordinem suscipiendum compelleretur; qui enim timore ad aliquid agendum movetur, omnimodis voluntarie non agit, nec omnimodis contemnit legem; praesumptio autem liberam omnino actionem requirit, perfectam legis cognitionem, et perfectum contemptum.

3. Demum necessarium est ad censuram incurrendam ut ordo sit valide collatus: ordo enim invalide collatus est nullus; consequenter non potest eius exercitium impediri. Ita siquis ab Anglicanis ordinem susciperet, nullam suspensionem incurreret.

Haec porro suspensio perpetua est, nec ab aliis quam a Romanis Pontificibus remitti potest, qui in eiusmodi negotiis severe agere solent; et recte. Manifestum autem esse putamus, quod si quis ordines reciperet ab excommunicato nominatim per Romanum Pontificem excommunicationem incurreret ei reservatam, quia communicaret in divinis cum personis nominatim a Papa excommunicatis.

(1) Circa ignorantiam affectatam non pauci nobis contradicunt. At S. Alphonsus, qui etiam contrariae sententiae adhaeret, *lib. VII, n. 48* scribit: « Secunda » vero sententia affirmat, eamque tenent Sanchez, Bonacina, Roncaglia, Salmanti » censes, aliique non pauci. Ratio quia ignorantia affectata in rigore non est vera » scientia, qualis requiritur in poenis impositis scienter peccantibus, cum poenae » stricte sint intelligendae; licet autem talis ignorantia includat dolum virtua- » lem, non tamen formalem; qui enim peccat scienter contra legem vere contemnit » eam; qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare, ut liberius » peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quaerit ipsam » ignorare ex timore, quod si ipsam sciret retraheretur a peccato... Hanc secun- » dam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primae magis adhaereo sal- » tem ut communiori. »

Ne utriusque sententiae intrinsecas rationes expendamus, unum adnotabimus, sententiam nostram scilicet ex S. Alphonso, probabilem esse, atque ita probabilem ut ipse contrariae adhaereat non ob probabiliori, sed *saltem ut communiori*. Si autem sententia quam sequimur vere probabilis est, probabilitate scilicet intrinseca et extrinseca, per eam censura excluditur. Nemo enim de censura damnandus est quem sententia vere probabilis ab ea incurrenda eximit; ut non semel cum cl. Roncallio in nostris Commentariis asseruimus.

At hoc in casu non putaremus, ordinatum praesentem incurrere suspensionem, cum non sit ob idem crimen duplex irroganda censura et quidem inutiliter; etenim ordinatus suspensus maneret ratione excommunicationis R. Pontifici reservatae.

Expendamus post haec oportet alteram partem Capitis.

Porrò in ea exercitio ordinis suscepti, donec dispensentur, prohibentur qui eum receperunt bona fide ab interdictis personis : *eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis. sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Quo in loco clarissimi scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. XVII. pag. 636. n. 27.* scribunt: « Bona fides, de qua hoc in » loco quaestio est, non dicit peccati » absentiam in ordinando; vocabula » ista opponuntur praesumptioni » in prima articuli parte requisi- » tae. Ordinandus igitur exercitio » ordinis recepti interdicitur, pec- » caverit, nec ne, graviter vel levi- » ter peccaverit dum illum recepit, » si in eo praesumptio locum non » habuit. » (1)

Atque pro re sua statuenda citant, alios inter, cl. D' Annibale *Comment. n. 196.*

Ut aliquid in re dicamus. Cap. 1. de Ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui et Episcopali dignitati, qui consequenter et iurisdictione et quavis extrinseca dignitate caret, respondit Alexander III: « Sane si ab eodem sa- » cros ordines scienter quis rece- » perit, quia indignum se fecit, » executionem officii non habebit; » ubi autem non scienter, poterit » (nisi crassa et supina fuerit igno- » rantia) discretus Pontifex dispen- » sare. »

Similiter Gregorius IX Cap. 2. de ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui sancivit : « Cum » clericis qui ab excommunicato » Episcopo ignoranter ordines re- » ceperunt per suos poterit Episco- » pos dispensari. »

Ex quibus patet, in eiusmodi ordinatis ignorantiam quidem admitti, non tamen crassam et supinam, qua quis ea addiscere negligit quae scire tenetur. Pium IX autem reddidisse per verba *bona fide* id quod antiquiores Pontifices expresserant per verba *ignoranter*, vel *non scienter*.

At manifestum est, ignorantiam crassam et supinam non quidem tollere sed minuere voluntarium, et inter ignorantias consequentes ut ita loquamur, illam esse quae minorem habet malitiam, scilicet

(1) La bonne foi dont il est ici question n'est pas l'absence de péché chez l'ordinand : ces termes sont opposés à la présomption requise dans la première partie de l'article. L'ordinand est donc soumis à la défense d'exercer l'ordre reçu, qu'il ait péché, ou non, en le recevant, qu'il ait péché légèrement ou gravement, du moment qu'il n'y a pas eu présomption chez lui.

est minus gravis. Cum igitur legislatores eiusmodi ignorantiam abesse velint ab eo qui ordines ab nominatim excommunicato etc. vel haeretico aut schismatico notorio recipit, arbitramur eos exigere ut ordinandus ita in bona fide versetur ut nulla culpa inquinetur. Quod etiam exigitur in Cap. *Si qui a Simoniacis* supra relato. In eo enim requiritur ut ordinatus nescierit ordinantem esse Simoniacum; id vero demonstrari si tunc temporis ordinans pro catholico habebatur in Ecclesia; quod factum excludere videtur suppositionem contrariam. Quod et ex ipsa bonae fidei definitione patere dicimus. Etenim in casu bona fides est actus intellectus, id est existimatio, persuasio, credulitas, qua quis prudenter iudicat, Episcopum a quo ordines recipit non esse haereticum notorium, excommunicatum nominatim etc. At qui prudenter agit, sine peccato agit, ergo cum ab ordines in casu suscipiente bona fides exigatur, ab eo talis requiritur ignorantia cum qua dubium aliquod antecedens non consistat; sin minus dubium deponere teneretur; quod ni deponeret peccaret, neque amplius dici posset eum esse in bona fide.

Non putamus hinc hoc in loco bonam fidem opponi praesumptioni de qua in prima parte capitis; cum enim praesumptio non admittatur in eo qui ignorantia crassa et ut melius loquamur, qualibet ignorantia laborat, non intelligeretur quare Alexander III crassam ignorantiam excluserit; si illud *non scienter* praesumptioni vel scientiae opponi voluisset; praesumptio enim vel scientia in eo qui crassa et supina ignorantia laborat non admittitur.

Ex hoc autem sequi videtur, non posse ab Episcopo dispensari eum qui supina ignorantia et multo magis affectata detentus, ordines ab haeretico notorio vel nominatim excommunicato et interdicto etc. recipit. Quod et ipse cl. Commentator Reatinus affirmat dum quaerit: *Comment. pag. 115 n. 196 edit. 3.* Quid si dubitaverit, et neglexerit inquirere ex desidia culpabili quidem, *sed non lata, crassa, supina?*

Id vero certum nobis videtur tum ex allegatis supra Canonibus, in quibus excluditur quaelibet ignorantia consequens, tum ex verbis Pii Papae IX, qui insuper bonam fidem requirit, quae, ut patet, quodlibet peccatum excludit. Atque hinc apparet, 1. verum non esse quod in Piano Capite bona fides opponatur praesumptioni; opponitur enim, ut ex dictis constat, cuicumque ignorantiae quae peccatum infert; apparet 2. veram non probari sententiam illorum qui dicunt hoc in capite bonam fidem consistere posse cum peccato etiam gravi: 3. probatione indigere cl. Reatini sententiam, qui *loc. cit.* eum qui dubitavit, et ex desidia culpabili, non tamen lata, crassa, supina dubium deponere neglexit,

affirmat absolvi posse ab Episcopo, quia non praesumpsit. (1) Etenim et probandum est hoc in loco bonam fidem opponi praesumptioni, et inquisitionis amissionem in eo qui dubitavit in casu, posse esse levem; si enim gravis, et de re nescimus an dubitandum sit, non intelligimus quomodo cum bona fide conciliari possit. Qua de causa inferimus, dispensari ab Romano Pontifice debere Clericum qui culpabili ignorantia ordinem ab Episcopis vel haereticis etc. vel nominatim excommunicatis etc. receperit: eum vero qui bona fide, id est sine peccato, a proprio Episcopo. Quod postremum certum undequaque est. Ut enim argumentatur Avanzinius noster *Comment. pag. 92*. verba indefinita: *donec dispensetur*, continent clausulam *prout de iure*. In iure autem haec dispensatio non est reservata, uti constat ex allegatis iuris capitibus. Hinc qui bona fide ab eiusmodi Episcopis fuit ordinatus peccat si postquam vitium Episcopi ordinantis novit, ordinem exerceat antequam dispensetur; at ante ordinationem sceleris purus debet esse ut dispensari possit ab Episcopo.

Post haec expendenda superest opinio Commentatoris Patavini, qui *pag. 326 n. 449* censet eiusmodi inhabilitatem ad exercendum ordinem ignoranter susceptum ab Episcopo simoniaco, irregulari, deposito et degradato etiam post Constitutionem *Apostolicae Sedis* perdurare: « Aderat olim censura suspensionis ab ordine suscepto non » modo in Clericos, qui scienter re» cipiebant ordinem ab Episcopo pu» blice haeretico, aut schismatico; » sed etiam in Clericos qui scienter » ordinem recipiebant ab Episcopo » Simoniaco (ex Cap. *Siquis a Si*» *moniacis*) (2), vel ab Episcopo ir» regulari aut deposito et degradato » ut liquet ex pluribus iuris Capi» tibus, quae citat Bonacina. Censu» ra autem prout modo viget, non » extenditur ultra casus in novo Ar» ticulo expressos; idcirco qui » nunc, etiam scienter, ordines re» cipere auderet ab Episcopo Simo» niaco, irregulari, deposito, aut » degradato, inhabilis quidem exi» steret ad recepti ordinis exerci» tium, donec dispensetur, sed cen» sura innodatus non esset. »

At alii contradicunt (3) ea ducti ratione quod in Constitutione

(1) « Utrum dispensari nequeat ab Episcopo, quia non fuit in bona fide; an » queat quia non praesumpsit? Et quando semper id accipiendum est quod reo est » favorabilius, hoc magis puto. »

(2) Si quis a Simoniacis non simoniace ordinati sunt, siquidem probare potuerint se quum ordinarentur, nescisse eos simoniacos esse, et si tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commendat. Qui vero scienter se a Simoniacis consecrari (imo exsecrari) permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus. Caus. 1, Quaest. 1, Cap. 108.

(3) Nouvelle Revue Théologique loc. cit. pag. 637, n. 28.

Apostolicae Sedis eiusmodi prohibitio silentio praeterita fuerit.

Nos ad hanc alteram sententiam defendendam aliis argumentis adducimur. Primo enim admodum raro, nostro aevo, eiusmodi ordinationes a Simoniacis, degradatis, irregularibus, depositis Episcopis contingere possunt, ut fere dicamus quod numquam contingant. Adeo ut Pius Papa IX qui poenas in reos Simoniae realis, et confidentialis in beneficiis quibuslibet, et in reos simoniae realis ob ingressum in religionem excommunicationem innovavit, nullam tulerit contra reos Simoniae in conferendis ordinibus. Ex qua omissione videri potest actum nunc esse, ex legislatoris mente, de poenis latis contra conferentes vel suscipientes ordines simoniace. Atque idipsum de degradatis, depositis etc. dicatur. Sed hoc praetermisso, si nunc qui bona fide ab excommunicato nominatim, vel haeretico notorio etc. ordinem reciperet lata poena, ante dispensationem teneretur, in peiori conditione versaretur quam qui a simoniaco ordinem aliquem recipere praesumeret. Cum enim in hunc lata censura renovata non fuerit, nulla profecto hic poena teneretur post constitutionem *Apostolicae Sedis;* etenim inhabilitas exercendi ordines in eos lata esset qui eos bona fide a simoniacis recepissent.

Et cum in lege odiosa versemur, eiusmodi dispositio non esset extendenda ad alios casus; consequenter neque ad praesumentes recipere ordines a Simoniacis declaratis et manifestis, quamvis graviori culpa obligentur.

At id alienum censeri debet a legumlatorum mente qui sibi cohaerentes et sunt et videri volunt. Ergo cum hi nullo pacto legem renovarint in nequiores delinquentes, universam legem abrogasse et noluisse poenae innocentiores subiicere censendi sunt.

Confitemur utique cum praestantissimo Commentatore Patavino per Constitutionem *Apostolicae Sedis* limitatas fuisse censuras tantum, poenas autem, inhabilitates etc. servatas fuisse. At id intelligimus quando poena, inhabilitas, privatio legumlatorum menti non opponitur, neque ex earum conservatione incohaerentia aliqua sequitur, ut in casu nostro, ni fallimur, sequeretur.

APPENDIX XLVIII.

De suspensione lata in Clericos saeculares exteros Romae commorantes, atque in Episcopos absque praescriptis conditionibus ipsos ordinantes.

Septima suspensio his verbis proponitur: « *Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto; vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam Dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Cardinalem urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt. Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.*

Ea quae Pius Papa IX hoc in capite decernit, decreta iam fuerant ab Alexandro VII in Const. *Apostolica sollicitudo* lata die VII Augusti 1662; ea vero quae decrevit cedere et cessura esse in omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem arbitratus est. Non omnia tamen praescripsit, quae Pius Papa IX; qua de causa Alexandri VII Constitutionem praetermittentes, uni Piano Capiti exponendo insistemus.

Inquiramus igitur quinam suspensionem in capite latam incurrant; quasnam ob causas, quibusque sub conditionibus.

Et 1. Suspensio lata duplex est. Atque prima ab ordinibus indebite susceptis fertur in Clericos exteros, id est non pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis (1) qui contra ac praescriptum in Capite est, ordines susceperint. Alia vero suspensio ab usu Pontificalinm fertur in Episcopos qui praedictis clericis ordinationem conferant.

Suspensionis autem incurrendae multiplex est causa. Et prima est si clerici saeculares exteri qui ultra quatuor menses Romae commorantur, absque licentia Eminentissimi Urbis Vicarii ordinentur ab alio quam a proprio Episcopo sive in maioribus sive in minoribus ordinibus; (2). Hi quapropter Clerici ab uno Episcopo proprio, non ab alio

(1) Episcopatus Suburbicarii sunt Ostiensis et Veliternus, Portus et Sanctae Rufinae, Albanensis, Tusculanus, Praenestinus, atque Sabinus.

(2) Quod quantum ad ordines attinet nulla fiat exceptio, patet ex edicto lato de mandato Clementis VIII die 24 mensis Novembris 1603, quodque relatum etiam

quolibet, absque licentia Eminentíssimi Urbis Vicarii, ordinari possunt. Quoniam vero Episcopus proprius non tantum originis est, sed etiam beneficii, domicilii, et triennalis servitii, hinc in praesenti capite, quoniam nulla fit exceptio, horum quilibet Episcopus proprius intelligitur. Id nedum ex recepta in iure consuetudine et sensu intelligitur, sed etiam ex decreto Congregationis particularis deputatae ab Alexandro VIII Romano Pontifice anno 1668, descripto in libro *Bandimentorum ab anno 1662 usque ad annum 1673 fol. 221* in Secretaria Tribunalis Vicariatus Urbis Romae, in quo sub n. IV petitum fuit :

« An Clerici in Urbe commo» rantes possint ordinari etiam ab » Episcopis domicilii, beneficii, et » ab eo, cui triennale servitium » personaliter praestiterunt, ad for» mam S. Concil. Trident. Sess. » XXIII, cap. 9, de Reform. absque » eò quod prius examinati et ap» probati fuerint ab Examinatoribus » Urbis, iuxta supradictum edi» ctum? »

Resp. *Clerici in urbe commorantes, bene recipiunt ordines ab Episcopis domicilii, beneficii, et triennalis servitii praestiti, dummodo ab ipsismet Episcopis ordinentur ad formam Sacrosancti Concilii Tridentini.* (1)

Si qui igitur Clerici ultra quatuor menses in urbe commorantes absque licentia Cardinalis Romae Vicarii ab alio aliquo ordinentur Episcopo, ab ordine sic suscepto suspensionem incurrunt.

2. Alia sed vero suspensionis incurrendae causa est, si praedicti clerici ab Episcopo non proprio ordinentur quin antea coram examinatoribus Vicariatus Urbis examen subierint et probati fuerint. *Vel absque praevio examine coram eodem peracto.*

Quo in loco notandum est, non teneri huiusmodi Clericos examen subire coram Emo Vicario si a proprio Episcopo ordinandi sint. Id patet nedum ex praesenti Capite, in quo Episcopis eo solum casu interdicitur suos ordinare clericos, quo in examine coram Emo Urbis Vicario peracto reprobati fuerint, nullaque alia imponitur exceptio; sed etiam ex decreto citato Congregatiònis particularis, in quo sub n. 2. sequens dirimitur dubium.

fuit Tom. II Actorum S. Sedis pag. 586. Nota 1. « Universis et singulis Clericis » nunc et in futurum pro tempore in urbe commorantibus, et ad minores vel sa» cros etiam Presbyteratus ordines promoveri volentibus, de mandato Sanctissimi » D. N. Clementis Papae VIII vivae vocis oraculo desuper facto, edicimus et prae» cipimus, ne de caetero extra eamdem urbem, etiam vigore literarum dimissoria» lium suorum ordinariorum, et cuiusvis alterius facultatis ad dictos ordines pro» movere se faciant. »

(1) Acta S. Sedis Tom. II pag. 537.

« An Clerici in Urbe commoran-
» tes accedentes ad proprium Or-
» dinarium, et ab eo suscipientes
» ordines, absque eo quod exami-
» nati fuerint in Urbe, afficiantur
» edicto supradicto? »

Resp. *Non afficiuntur edicto, si ab ipso Ordinario suscipiant Ordines; secus si ab alio ordinentur, etiam vigore dimissorialium proprii Ordinarii.* (1)

Igitur ut huiusmodi Clerici suspensionem ab ordine ita suscepto incurrant, necessarium est ut, sine praevio examine coram Emo Urbis Vicario peracto, ordinentur non a proprio, sed ab extraneo Episcopo, quamquam ad hunc proprii Ordinarii dimissorias epistolas deferant.

Quid autem si externi Clerici Romae commorantes examen quidem subierint ab urbis examinatoribus, reiecti tamen fuerint? Possunt ne a proprio Episcopo iterum examini subiici et ordinari?

Profecto non possunt; quod constat tum ex verbis Capitis quod expendimus, in quo dicitur; *vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint,* tum ex Dubio III allegati Decreti quod ita proponitur: « An
» Clerici in Urbe commorantes, et
» ab examinatoribus Urbis reiecti,
» recipientes Ordines a proprio Or-
» dinario incidant in poenas edicti? »

Resp. *Clerici ab examinatoribus Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii reprobati incidunt in poenas edicti, etiamsi a proprio Ordinario approbati, ab eodem suscipiant Ordines.*

Clerici igitur exteri qui in examine peracto coram Emo Urbis Vicario reprobati sunt, ab ordine suscepto suspensionem incurrunt, quamvis a proprio ordinario sive originis, sive domicilii, beneficii vel famulatus iterum examinati, idonei reperti, et ordinati fuerint.

Et haec quidem quantum ad externos Clericos attinet.

Verum in alia capitis parte de Clericis suburbicariis est sermo, de quibus dicitur: *Nec non clerici pertinentes ad aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam Dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Cardinalem Urbis Vicarium, vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum.*

Ergo Clerici suburbicarii ex duplici capite suspensionem ab or-

(1) Exinde sequi non debemus sententiam cl. Conrado, vel Ciolli, quorum primus in suo *Memoriale de Censuris, pag. 111* scribit: « Hoc (examen) requiritur » etiam cum ab ordinario recipi velit ordinatio. » Alius vero *Commentario pratico delle Censure pag. 137.* Incorrono isso fatto la sospensione dell' Ordine ricevuto.... quelli pure di cotali che si fanno ordinare dal loro Ordinario, ma senza prima aver subito l'esame dinanzi al medesimo Cardinal Vicario.

dine suscepto incurrere possunt; primo quidem si ab aliis ordinentur quam vel a propriis Episcopis, vel ab Eminentissimo urbis Vicario, quamvis ad Episcopum ordinantem dimissorias proprii Ordinarii deferant; secundo si sacros ordines suscipiant non praemissis per decem dies spiritualibus exercitiis in domo urbana sacerdotum missionum, apud patres scilicet Congregationis S. Vincentii a Paulo.

Advertendum tamen est, hos suburbicarios Clericos capitis huius dispositionem violantes lege non affici ut ultra quatuor menses Romae commorentur ad hoc ut suspensionem contrahant; sed illam contrahunt quamvis in sua Dioecesi commorantes ad alios Episcopos ordinandi dimittantur, et non ad Eum Urbis Vicarium. Idque iure; cum enim Dioeceses suburbicariae Urbanae seu Romano Pontifici subiectae sint, qui tanquam ipsarum Episcopus est habendus, iniuria ad alios Episcopos clerici ordinandi dimitterentur, spreto ipsius Romani Pontificis Vicario. Clerici igitur suburbicarii ordinari debent vel a proprio Episcopo, vel ab urbis Cardinali Vicario. Idque etiam ex Alexandri VII sanctione qui in cit. Const. *Apostolica sollicitudo* § 4. decrevit « Denique in sex Episcopatibus prope urbem, in quibus non sunt suffraganei, quicumque ad minores vel sacros ordines volent promoveri, cum litteris dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum Vicarium et non ad alium antistitem directis, ad urbem accedant, ibique et non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius praescripta. » (1)

Hoc autem quod diximus *ordi-*

(1) Dubium tamen propositum fuerat, quod Benedicti XIV verbis in Const. *ad audientiam* proponimus et resolvimus. « Cum dubium illud scite proposuerit; an scilicet Cardinales Episcopi suburbicarii qui suffraganeum habent, si ab huiusmodi suffraganeo non habeatur Ordinatio, teneantur literas dimissorias ad Card. urbis Vicarium dirigere, an potius valeant easdem cuilibet catholico antistiti directas concedere; quandoquidem Alexandrina Constitutio, quoad promovendos subiectos Episcopis Suburbicariis qui Suffraganeum habent, nil aliud expresse iubet, quam ut ante cuiuslibet sacri Ordinis susceptionem spiritualibus exercitiis per decem dies in urbe vacent; pro assueta sibi ingenuitate admittit atque fatetur. (auctor Tractatus *De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*) Cardinales Episcopos Suburbicarios, quoties ipsorum Suffraganei Ordinationes non celebrant, teneri litteras dimissoriales ad Cardinalem Vicarium Urbis tantummodo dirigere; tum quia Alexander Pontifex ideo de hac facti specie in sua Constitutione mentionem non fecit, quia Ordinationes a Suffraganeis habendas fore pro certo habuit; tum quia compertum habens, hoc semper Episcopis Suburbicariis Suffraganeum habentibus, post Alexandrinam Constitutionem, in more positum fuisse, ut eorum Suffraganeis a Clericorum ordinatione cessantibus, Dimissorias litteras ad Cardinalem Vicarium Urbis dirigerent, constantem hanc observantiam et consuetudinem magni aestimandam, et tamquam fidissimam Alexandrinae Constitutionis interpretem habendam censuit. »

nari debent a proprio Episcopo non ita intelligendum est quasi ita a proprio Episcopo ordinari debeant ut hic aliqua de causa impeditus alium Episcopum in suam Dioecesim advocare non possit ad ordinationes peragendas, vel non possit per suum suffraganeum clericos suos ordinare. Utrumque enim falsum esset. Et quantum ad suffraganeos attinet res est manifesta ex cit. Const. Alexandri VII, in qua § 4 statuit. « Ubi vero sunt suffraganei, nemo ad aliquem ex » maioribus ordinibus assumatur, » nisi prius, praeter ea quae a sacris canonibus et eiusdem Concilii (Tridentini) decretis sancita » sunt, ad minus per decem dies a » dictis Sacerdotibus in urbe deputatis, in eorum aedibus inclusus, » ut supra fuerit eruditus, ac litteras testimoniales eorumdem sacerdotum ad ipsum suffraganeum » detulerit. Suffraganeus autem, qui » contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum; promoti vero » tam ab eisdem suffraganeis, quam » etiam in Urbe, non servata forma » praesentis Constitutionis, ab exequutione ordinum sic susceptorum, donec nobis et successoribus » nostris Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso iure sint suspensi. »

Aliud vero affirmat Benedictus XIV in sua Const. *Ad audientiam* lata die 15 Februarii 1753, in qua § 12 scribit: « Quum autem » post Constitutionem Alexandri- » iam proposita fuerit quaestio: an » liceat Cardinali Episcopo Suburbicario, ex his, qui suffraganeum » non habent, quum ad suam Dioecesim se confert, Clericorum ordinationem inibi habere, vel etiam dum ipse in suo Episcopatu » se continet, alium Episcopum » advocare, qui Ordinationem huiusmodi de ipsius Cardinalis licentia » perficiat; affirmativum prodiit » responsum; ut videre est apud » Rigantium *loc. cit. n. 175,* et » apud bon. mem. Card. Petra » *Tom. V, pag. 276, n. 79, et* » *pag. 371, n. 98,* ac denique pe- » nes Honorantem, qui unus est ex » actualibus Administris Secretariae » Cardinalis Vicarii *in sua Praxi,* » *Cap. 6, pag. 184,* et seqq. »

Clerici igitur suburbicarii tum a proprio Episcopo, tum a suffraganeo, tum ab Episcopo alio quolibet in Dioecesim suburbicariam advocato ad ordinationes peragendas ordinari possunt; unum eis interdicitur sub suspensionis ab ordine suscepto poena, ne extra Dioecesim ab alio ordinentur quam ab Eminentissimo urbis Vicario.

At in eadem Constitutione § 14 Benedictus XIV dubium expendit, an Cardinalibus suburbicariis liceat Romae in proprio palatii sacello primam tonsuram et minores Ordines suis subditis conferre absque Cardinalis Vicarii licentia.

Id vero plurimis argumentis adductis negat doctissimus Pontifex, atque unum concedit, posse scilicet

Cardinales suburbicarios in proprii Palatii sacello primam tantum clericalem tonsuram suis subditis conferre. « Secus vero, ubi res » esset de sola clericali tonsura; » quo casu iidem ipsi auctores nostri superius citati, Rigantius, » Cardinalis Petra, et Honorantes, » allegatis etiam nonnullis resolutionibus Congregationis Concilii, » in eo consentiunt, ut liceat Cardinalibus Episcopis suburbicariis » per se ipsos eam solam suis » subditis in proprii palatii Cappella conferre; ex ea nimirum » ratione, quod Alexandrina Constitutio de Ordinibus minoribus » atque maioribus diserte caveat; » quaestio autem est non adhuc » definita, utrum prima clericalis » Tonsura sit ordo, nec ne. »

At eamdem suspensionem Clerici suburbicarii incurrere possunt, si sacros ordines suscipiant, non praemissis per decem dies spiritualibus exercitiis in domo Urbana Patrum S. Vincentii a Paulo; quod ex ipso Capite clarum est. Hanc autem suspensionem Clerici suburbicarii incurrunt cum non praemittunt spiritualia exercitia alicui ex maioribus ordinibus; in Capite enim dicitur. *Ante ordinem sacrum suscipiendum;* at per ordines sacros maiores intelliguntur, non minores. De cetero pro minoribus ordinibus nec lex, nec consuetudo Romae viget ut eis exercitia spiritualia per decem dies in domo Missionum praemittantur.

Attamen Clerici, de quibus in Capite, latam suspensionem sub quibusdam conditionibus incurrunt. Quarum prima est, ut sint Clerici. Ergo qui initiandi sunt prima clericali tonsura, seu laici, hac lege non obstringuntur; qua de causa si qui prima tonsura et ordinibus minoribus simul initientur ab alieno Episcopo, quoniam una est actio, suspensione lata non afficiuntur; deinde ut sint exteri: *Clerici saeculares exteri.* Exteri autem sunt qui neque Romani, neque suburbicarii sunt. Sunt insuper clerici saeculares; ergo non Regulares, qui consequenter eiusmodi lege non tenentur.

2. Ut ultra quatuor menses in urbe commorentur. Quo in loco observandum est, ad suspensionem incurrendam requiri actualem in urbe commorationem; *in urbe commorantes.* Qua de causa si ante quatuor menses, vel in ipso quatuor mensium articulo ad proprios Ordinarios, vel cum horum litteris dimissorialibus ad alium Episcopum sese conferant ut ordinentur, nulla Cardinalis Vicarii requiritur licentia, et nullam suspensionem incurrunt. Lex enim dicit *ultra quatuor menses.*

Similiter nullam suspensionem incurrunt Clerici illi exteri qui quamvis ultra quatuor menses Romae commorati fuerint, Roma proficiscuntur non revertendi animo; utpote qui velint in propriam Dioecesim redire, vel alibi domicilium figere et Romanam urbem relin-

quere. Hi qua de causa quamvis non a proprio Episcopo, sed ab alio ordinentur nullam poenam contrahunt. Hoc autem constat nedum ex Capite in quo dicitur *Romae commorantes;* sed etiam ex saepius citata declaratione Congregationis particularis sub Alexandro VII, in qua n. 1. quaeritur:

Qui dicantur Clerici in Urbe commorantes ad hoc ut in praefato edicto comprehendantur?

Resp. *Qui habitant in Urbe, et in ea saltem per quatuor menses moras traxerint.*

Requiritur ergo actualis in Urbe habitatio.

Hi tamen si Romae commorati fuerint per sex saltem menses, Episcopo ordinanti afferre debent testimoniales Epistolas Eminentissimi Cardinalis Vicarii, ne suspensionem incurrant Capitis III, quo cavetur ne ullus Clericus ad ordines promoveatur absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus, si ibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere potuerit. « Porro eo in capite expendendo diximus *pag. 381,* testimoniales literas exigendas esse ab omnibus ordinariis in quorum Dioecesi Clericus ultra sex menses commoratus fuerit.

3. Ulterius si clerici exteri non a proprio, sed ab alieno episcopo ordinentur, quamvis de proprii Ordinarii facultate, absque praevio examine coram Eminentissimo urbis Vicario peracto, vel etiam ordinentur a proprio, si in praedicto examine reprobati fuerint. Quae supra expendimus, ibique diximus, Episcopum proprium esse etiam illum in cuius Dioecesi ordinandus beneficium possidet, ideoque hunc non teneri examen Romae subire si ab Episcopo beneficii ordinetur.

Attamen Honorante *Praxis Secretariae* etc. postquam retulerit declarationes saepius citatae Congregationis particularis sub Alexandro VII, quantum attinet ad Episcopum beneficii subdit: « Hodie » tamen, stante dispositione Concilii » Romani *Tit. 6 de aetate et qua-* » *litate praeficiendorum cap. IV,* » qui extra urbem promoveri vo- » lunt titulo beneficii, subire te- » nentur examen coram examina- » toribus Urbis, si ad hanc sint re- » versuri. »

Verum eius sententia merito ab nostro Avanzini repudiatur, qui *Actorum S. Sedis, Tom. II. pag. 587,* Nota 1. scribit: « Haec quae heic » Honorante animadvertit, certa sunt » cum de iis agitur qui domicilium » Romae habeant, ad normam Con- » stitutionis Innocentii XII, quae » incipit *Speculatores;* non autem » tradi, eadem saltem certitudine, » possunt de iis qui tantum Romae » morantur, quique domicilium ha- » bent in alia Italiae Dioecesi. Se » quens enim est tenor *Cap. 4.* » *Tituli 6* Concilii Romani:

Quicumque autem domicilium in una Dioecesi habentes, in alia beneficium ecclesiasticum obtinue-

rint, et ad illius titulum ab Episcopo, in cuius Dioecesi est beneficium, promoveri petierint, praeter literas testimoniales super eorum natalibus, aetate, vita et moribus, iuxta Constit. felicis record. Innocentii Papae XII, quae incipit Speculatores *impetrandas, examen quoque coram domicilii Episcopo, si in eius Dioecesim sint reversuri, super scientia et idoneitate, ut dictum est, subire teneantur; neque testimoniales literas ullatenus concedi volumus, nisi praevio antedicto examine, habiles ad Ordinem approbari meruerint. Beneficium autem ad congruam vitae sustentationem ita erit, ut absolute, iuxta taxam, moremve propriae Dioecesis ad quam Ordinandus sit rediturus, sufficiens esse iudicetur.*

Igitur ex Concilio Romano non quaelibet commoratio, sed domicilium proprie dictum requiritur ut quis Clericus ordinandus teneatur coram domicilii Episcopo, et quidem ea conditione ut ad eius Dioecesim sit reversurus, examen subire. At Clerici exteri Romae commorantes plerumque studiorum causa ibi sunt; ideoque nullam intentionem ibi domicilium figendi plerumque habent; qua de causa eis dispositio Concilii Romani applicari non potest. De cetero ut in casu ordinandus a proprio Episcopo examen subire Romae teneatur, constare ante de t de eius domicilio. Ni igitur constiterit, examen subire non tenetur.

At si in examine Romae peracto Clerici saeculares exteri reiecti fuerint, suspensionem incurrunt etiamsi a proprio Episcopo ordinentur, ut supra observavimus, iuxta dubium a particulari Congregatione sub Alexandro VII.

Observandum tamen est, id intelligi debere de Clericis qui in urbe commorantur, vel etiam pergunt commorari postquam in examine reiecti fuerint. Si enim postquam reiecti in examine fuerint, Romam deserant, et ad propriam Dioecesim vel alias revertantur, suspensionem non incurrunt, si a proprio ordinentur Episcopo. Quod patet 1° ex ipsa proposita quaestione: An Clerici in urbe commorantes, et ab examinatoribus urbis reiecti, recipientes ordines a proprio ordinario, incidant in poenas edicti? *Commorantes,* dicunt, non qui commorati fuerint, et urbem deseruerint. 2° Ex quo nulla lege praecipitur eiusmodi Clericis ut examen renovare teneantur coram examinatoribus Urbis. At id omnino indicendum fuerat, ne dubia in re orirentur. 3° Quia nulla causa appareret qua ab propriis Episcopis huiusmodi Clerici ordinari non possint postquam Romam deseruerint.

Neque difficultatem ingerere arbitramur edictum latum ab Emo Cardinali Urbis Vicario sub die 20 Martii 1743, in quo praescribit: « Licet autem per praemissa non » interdicatur Clericis, ab Urbe ad » proprium Ordinarium remeanti-

» bus, ab ipsomet Ordines suscipere; » qui tamen a praedictis Examinatoribus Urbis semel fuerint reprobati, se sub eadem lege comprehensos, etiam relate ad proprium Ordinarium noverint et intelligant. »

Haec enim intelligenda sunt de iis Clericis exteris qui Romae commorantes vel studiorum vel alia de causa, in fraudem latorum decretorum ad proprios Episcopos remeabant Feriarum variis temporibus, ut ab iis ordines susciperent, postquam in examine coram Urbis examinatoribus peracto reiecti fuerant. Id patet ex lati edicti tenore, in quo inter alia haec habentur: « Ad » declinandas providas Ordinationes » (Summorum Pontificum) nullo » praemisso examine coram Examinatoribus in Urbe deputatis, nullaque a Nobis reportata licentia, » ad minores et Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, sub obtentu » dimissorialium suorum Ordinariorum, extra Romanam Curiam promoveri inhiantes, propriam conscientiam censuris et poenis per » memorata decreta latis illaqueare » non vereantur; hinc ad occurrendum fraudibus eiusmodi, de mandato Sanctitatis Suae» etc. Ergo fraudes et peccata per eiusmodi edictum caventur. At qui urbem omnino deserunt, postquam in examine Romae reiecti fuerint, nullam fraudem committunt, sed utuntur iure suo; ergo hi sub praefato edicto non comprehenduntur. Deinde relatum edictum nil aliud facit quam renovare praescriptiones tum a Bened. XIV, tum a praedecessoribus latas; in illis vero non prohibebantur Episcopi ordinare Clericos suos Romae ab examinatoribus reiectos, si hi Romanam urbem deserebant; ulterius hic faciunt rationes superius expositae; si enim Clerici illi ab proprio Episcopo ordinari non possunt a quo ordines suscipient? profecto non ab Cardinali Urbis Vicario qui in illos nullam potestatem habet; multo minus ab alio aliquo Episcopo; ergo tantum a proprio Episcopo.

Dicturi ne aliqui erunt, hos reiectos Clericos teneri examen coram Urbis examinatoribus renovare ut ordinari possint a proprio Episcopo? Sed ubi et quo tempore haec lata fuit lex? Et sine lege, quomodo obligatio inducetur?

Neque quis in re inducat auctoritatem Romualdi Honorante, qui *in Praxi Secret. Tribunalis Urbis Vicarii Cap. XII, pag. 382. Edit. 1746,* loquens de absolutione suspensionis huiusmodi, affirmat eam non concedi nisi repetito examine: « Recurri etiam solet ad Summum » Pontificem, qui pariter huiusmodi » censurae absolutionem et irregularitatis dispensationem eidem Vicario remittit, a quo tamen de » stylo non absolvuntur recurrentes, nisi praevio eorum examine, » coram examinatoribus Urbis idonei reperti et approbati fuerint » ac exercitiis spiritualibus in domo

» missionis per decem dies continuos » vacaverint. » Haec inquam nocere nostrae sententiae non possunt; primo quidem quia eiusmodi poena percelluntur omnes qui quomodocumque contra tenorem latorum edictorum ordinati fuerint. *Qui igitur contra formam praelaudati edicti, extra Romanam Curiam ad ordines promoventur. Ibid.;* ideoque etiam illi qui nullo dato examine ab aliis ordinantur et non a proprio Episcopo; secundo quia allegata dispositio non est lex, sed poena quaedam inducta de stylo Curiae ad compescendas fraudes huiusmodi Clericorum. Demum quia ipse Honorante postquam illa scripserit de iis qui absolute patriam repetunt, subdit: « Quod si quis » postquam in eadem alma Urbe » ultra quatuor menses commoratus » fuerit, negociis, seu studiis absolutis patriam repetit, non ad finem praecise suscipiendi ordines » sed animo inibi permanendi, poterit in eo casu, proprio Ordinario impedito, vel Ordinationes non » habente, cum litteris dimissoriabilibus eiusdem, a quocumque alio » catholico antistite.... extra Romanam Curiam licite promoveri, quin » poenas in praememorato edicto » editas, tam ipse quam Episcopus » ordinans incurrant, et ratio, quia » in eo casu neque fraus neque dolus ullo modo interveniunt. Praeterquam quod esset lex nimis » dura, saltem respectu Ultramontanorum, si post moram per dictum tempus in Urbe habitam, » quocumque futuro tempore.... » ad urbem accedere pro suscipiendis Ordinibus omnino obligarentur; neque credendum est, quod » Summi Pontifices ad hoc huiusmodi promovendos, cum tanto incommodo ac dispendio obligare » voluerint. »

Atqui nemo negabit eiusmodi argumenta valere etiam pro iis qui in examine reiecti Urbem deserunt et patriam repetunt. Et hi enim id peragunt sine ulla fraude et dolo, et hi quocumque futuro tempore pro suscipiendis ordinibus Romam redire cogerentur, et hi dispendio et incommodo gravarentur, habita praesertim illius temporis ratione.

Concludamus igitur eiusmodi Clericos in examine Romae reiectos et Romam deserentes nulla lege impediri quominus a proprio Episcopo ordines suscipiant. Hanc autem sententiam et cl. Commentator Reatinus amplectitur qui Commentar. *n. 198* postquam scripserit; *imo* neque ab *hoc* (proprio Episcopo) *si in eo examine reiecti fuerint,* subdit: « Haec non pertinent ad Regulares, nec ad Laicos qui Tonsuram, et ut puto, cum ea ordines recipiunt una simul. Nec » ad eos pertinent, qui ordinandi » quidem discedunt, sed non amplius reversuri. »

Subsument ne, prohibitionem hanc existere tum in relato edicto anni 1743, tum in relatis declarationibus Congregationis particulari;

sub Alexandro VII? Atqui nihil in citatis documentis est quod respiciat clericos exteros in examine Romae reiectos, et urbem omnino deserentes, ut vidimus.

Conditiones quibus tenentur Clerici Suburbicarii ne suspensionem incurrant, ex iis quae praemisimus satis sunt manifestae. Attamen quantum attinet ad exercitia spiritualia peragenda in domo urbana Sacerdotum Missionis, et a quibus nec Emus Cardinalis Vicarius dispensare potest, sunt qui indulto gaudent. Atque sunt Regulares et Collegia sub stricta et formali eorum cura existentia, alumni Collegiorum Apostolicorum qui vigore Apostolicorum privilegiorum, ad Titulum Missionis et extra tempora ordinantur, uti sunt Alumni Collegii de Propaganda Fide, Germanici et Hungarici, Anglorum, Hibernorum, Scotorum, Graecorum et Maronitarum, quibus etiam accensendi sunt Alumni Collegii SS. Apostolorum Petri et Pauli a Pio Papa IX anno 1874 fundati.

Porro suspensio haec ab exercitio ordinis male suscepti in clericos lata perdurat ad beneplacitum Sedis Apostolicae; ideoque ab ea tantum a Romano Pontifice absolvi possunt.

Sed praeter Clericos contra Capitis praescripta ordinatos, suspensione a Pontificalibus per annum percelluntur Episcopi ordinantes.

« Sub Pontificalium autem nomine, » inquit Giraldi *Expositio iuris Pontificii, Part. II, Sectio XXI, praenot. 1, pag. 825, col. 1,* praeter » Ordinum collationem, venire Primam Tonsuram, consecrationes » vasorum, Ecclesiarum, Virginum, Chrismatis et Confirmationem; nec non benedictionem vestium et Corporalium. Item omnes » actus Sacerdotales exercendos cum » apparatu Pontificali, mitra videlicet et baculo pastorali, puta Missam, aliave divina officia. »

Itaque quoniam per pontificalia intelligitur usus insignium pontificalium, ut mitrae, baculi pastoralis et pallii, idcirco suspensus a pontificalibus repellitur ab usu auctoritativo mitrae, baculi et pallii, id est, ab actibus ordinis episcopalis, qui cum praefatis insignibus, regulariter loquendo, fieri consueverunt.

Attamen quantum ad Clericalis Tonsurae collationem attinet, auctores discrepant inter se, cum nonnulli affirment Episcopum suspensionem incurrere sive eam conferat cum pontificalibus insigniis, sive non; et hanc sententiam tum antiqui tum recentiores auctores propugnant, quos inter etiam clar. d'Annibale *Comment. num. 198, p. 117.* (1)

(1) Citant etiam pro eiusmodi confirmanda sententia verba Benedicti XIV in Const. *Ad Audientiam* § 8. « In collatione Tonsurae et Ordinum Minorum Pontificalia exerceri; id quod infitiari nemo potest, quemadmodum diligenter advertit Thesaurus in Tractatu *de poenis ecclesiasticis Part. 2. Verb. Episcopus, Cap. IV*

At alii tum antiqui, tum recentes negant Pontificalia exerceri in privata Tonsurae collatione. Inter antiquos hanc sententiam propugnavit doctissimus Giraldi *Expositio iuris Pontificii Part. II, Sect. XXI, Nota II, pag. 826,* quo loco scribit: « Quod neque dictam suspen» sionem, aut aliam poenam incur» ret, si in aliena Dioecesi primam » Tonsuram proprio subdito priva» tim conferat, quia ut notat Van» Espen Part. 1, tit. XVII, n. 12, » cum Cardinali de Luca, haec dari » potest sine Pontificalibus, et quia » non est proprie Ordo, sed intro» ductio ad illum. »

Inter Commentatores vero Pianae Constitutionis eamdem sententiam propugnant cl. Fr. Piatus *Comment. pag. 307,* et clarissimi Scriptores Ephemeridum Nouvelle Revue Théologique *Tom. XVII, pag. 271,* et alii. Cum itaque ob Doctorum discrepantiam non constet de evidenti legis sensu, sententia insuper negans probabilis sit, ut notat Bonacina, Episcopus qui in casu privatim Tonsuram conferret, non esset uti suspensus a Pontificalibus iudicandus.

Haec autem suspensio per annum durat; ideoque post annum per se cessat; infra sed vero absolutio ab Romano Pontifice petenda erit.

Circa eiusmodi suspensionem quaestio est inter Commentatores an ea sit censura proprie dicta, vel tantum poena. Et quidem Conrado *Memoriale de censuris* scribit: « Verius est hanc nonnisi meram esse punitionem »: consequenter qui eam violaret irregularitate non ligaretur, quod certum est.

Quod autem haec suspensio sit poena, non autem censura ex eo deducunt, quod lata sit ad tempus determinatum, scilicet per annum.

Attamen praestantissimi scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique Tom. XVIII, pag. 271,* expositae sententiae ideo contradicunt, quia Constitutio *Apostolicae Sedis* de unis censuris sollicita est, minime de poenis, privationibus, nullitatibus actorum etc.; qua de causa rationi conforme videtur affirmare quod R. Pontifex vel de veri nominis censura locutus sit dum hanc innovavit suspensionem, vel saltem quod ei tribuere voluerit eosdem effectus.

Postremae sententiae nos suscribendum esse putamus, non tamen ob rationes expositas, sed quia suspensiones a iure, quales sunt illae omnes quae feruntur in Constit. *Apostolicae Sedis,* sunt omnes veri nominis censurae, nisi aliud constet, fuerint in perpetuum, fuerint ad tempus latae; ratio hinc adducta a

n. 3. » Attamen tum Benedictus XIV, tum Thesaurus ita loquuntur de eiusmodi re ut deprehendere non liceat an loquantur de huiusmodi collatione Tonsurae cum insigniis Pontificalibus, vel absque. Probabilius imo est eos loqui de tonsurae collatione cum pontificalibus insigniis, cum simul loquantur de collatione Ordinum qui sine pontificalibus insigniis conferri non possunt.

primae sententiae defensoribus pro suspensionibus valet quae sunt ab homine; quae vero adducitur ab iis qui nostram sententiam defendunt, locum non habet. Atque ita huic Capiti finem imponimus.

APPENDIX XLIX.

De Suspensione lata in Dignitates, vel Canonicos episcopali charactere insignitos, qui regimen Ecclesiae conferunt nominato a potestate laica, vel electo a Capitulo.

Eiusmodi suspensio extra Constitutionem *Apostolicae Sedis moderationi* graditur; lata enim fuit a Romano Pontifice Pio IX die 28 Augusti 1873 in Constitutione *Romanus Pontifex* quam nos retulimus *Vol 1.* Commentariorum nostrorum *pag. 413.*

Ea porro in Constitutione infertur excommunicatio Romano Pontifici speciali modo reservata, et privatio fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque aliorumque reddituum ecclesiasticorum a Canonicis et Dignitatibus respective obtentorum, si mortuo Episcopo, audeant ad Ecclesiae regimen suscipere nominatum vel praesentatum a potestate laica quacumque de causa, remoto exinde Vicario Capitulari rite constituto. Etenim, mortuo Episcopo, Ecclesia vacans regenda est a Vicario Capitulari rite constituto ad praesentationem usque litterarum Apostolicarum a novo Episcopo peragendam; atque si contingat ut Vicarius capitularis interea moriatur, novus quidem Vicarius eligendus est, numquam autem suscipiendus Episcopus vel a Capitulo electus, vel praesentatus a laica potestate.

Porro in Capitulares, quocumque nomine censentur, lata est excommuuicatio speciali modo reservata et privatio fructuum, uti supra animadvertimus. At quoniam non raro contingit ut inter Capitulares sint etiam Episcopi, hinc Pius Papa IX in eos suspensione his verbis animadvertit.

« Si vero aliqui ex praedictis » (Canonicis) Episcopali charactere » sint insigniti, in poenam suspen- » sionis ab exercitio Pontificalium, » et interdicti ab ingressu Ecclesiae » ipso facto, absque ulla declara- » tione incidunt Sanctae Sedi pa- » riter reservatam. »

Ergo hanc suspensionem illi tantum ex Capitulum componentibus incurrunt, qui sunt episcopali charactere insigniti; et clarum est, cum tantum Episcopi a Pontificalibus suspendi possint, vel ii qui iurisdictione quasi episcopali pollent, qui tamen hoc in Capite non comprehenduntur, cum sermo in eo sit de charactere episcopali qui competit tantum episcopis proprie

dictis qui consecrationem episcopalem susceperunt. Hi igitur Episcopi ad Capitulum pertinentes, si in aliquem nominatum et praesentatum a potestate laica conferre praesumpserint Ecclesiae cathedralis vacantis curam, regimen et administrationem, quocumque demum nomine vel titulo id fiat sive Provisoris, sive Vicarii generalis etc. antequam nominatus vel praesentatus exhibeat de more literas apostolicas suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrunt, Sanctae Sedi reservatam.

Verum triplex hoc in loco oritur quaestio quarum 1. an eamdem suspensionem incurrant Episcopi praedicti si Ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem conferant non nominato et praesentato a laica potestate, sed ab ipso Capitulo, quod eligendi habeat potestatem?

2. Hanc suspensionem incurrunt ne ipsi Episcopi praesentati, nominati, vel electi si Ecclesiae regimen suscipere praesumpserint; vel alii eodem charactere episcopali insigniti qui vel obedientiam, auxilium, consilium, favorem intruso Episcopo praestent?

3. Haec suspensio est ne specialiter, vel simpliciter Romano Pontifici servata?

Relate ad primam quaestionem, certum videtur praedictos Episcopos latam suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrere. Etenim in Constitutione *Romanus Pontifex* Pius Papa IX renovat et confirmat Pii VII praesertim dispositiones et decreta, quibus praecipitur ut si, durante Sede vacante moriatur Vicarius Capitularis rite constitutus, eligatur quidem novus Vicarius Capitularis, vel administrator, nullo autem pacto conferatur Ecclesiae regimen in Episcopum electum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum. « Si » interea Vicarius Capitularis de» cesserit, aut sponte suo muneri » renuntiaverit, tunc Capitulum, de» ficiente qui potestatem habet » deputandi vacantis Ecclesiae ad» ministratorem seu Vicarium, no» vum quidem Vicarium vel admi» nistratorem eligat, numquam » vero electum in Episcopum a » Capitulis, aut a laica potestate » nominatum seu praesentatum ad » dictam Ecclesiam vacantem. »

Cum autem postea dicat Pontifex se confidere dignitates et Canonicos aliosque ad quos pertinet eligere Vicarium Capitularem fore executuros *quae hisce nostris litteris declarata ac decreta sunt;* sin minus incursuros esse poenas quas decernit, nullum dubium esse potest quin dispositio Pontificis complectatur etiam electos in Episcopos ab ipsis Capitulis quae iure eligendi gaudent.

Altera pariter quaestio certam solutionem habet ex ipsa Constitutione *Romanus Pontifex*. Postquam enim in ea Pius Papa IX dixerit: « In easdem pariter poenas reser-

» vatas (excommunicationis specialiter S. Sedi reservatae, et privationis fructuum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque) » ipso facto incurrunt nominati et » praesentati ad vacantes ecclesias, » qui earum curam, regimen et » administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, » aliisque de quibus supra in eis » peractam.

» Nec non ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, » aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis praeeminentiae, et dignitatis fuerint. »

Postquam, inquam, Pontifex haec dixerit, subdit: « Si vero aliqui ex » praedictis episcopali charactere » sint insigniti etc. » Atqui praedicti sunt nominati et praesentati, tum cooperantes; ergo si qui horum charactere episcopali sunt insigniti suspensionem hanc incurrunt.

Advertendum tamen est, hosce Episcopos non affici superius latis poenis, excommunicationis, et privationis fructuum; etenim excipiuntur, et una suspensione mulctantur.

Circa tertiam quaestionem discrepat cl. Conrado, qui *Memoriale de Censuris pag. 136* scribit, hosce Episcopos puniri tantum *suspensione a pontificalibus et interdicto ab ingressu Ecclesiae cum reservatione simplici Rom. Pontifici.*

Ei tamen Commentatores ceteri contradicunt, et quidem rationabiliter, ni opinio nos fallit. Etenim ideo affirmari posset hanc suspensionem esse simpliciter reservatam, quia Pius Papa IX dum latam superius in ceteros excommunicationem specialiter reservatam pronuntiat, de hac suspensione a Pontificalibus dicit *Sanctae Sedi pariter reservatam,* omisso adverbio *specialiter.*

Atqui etiam supra Pontifex scripserat: *In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes Ecclesias* omisso adverbio specialiter. Num ne exinde horum excommunicatio reservata est simpliciter Romano Pontifici?

Profecto adverbium *pariter* innuit modum antecedentem reservationis, qui fuit specialis; ita ut non intelligamus, quo argumento sententia inducta a cl. Conrado defendi possit. Eo vel magis quod agatur de Constitutione, in qua poenae aliae sunt speciali modo Romano Pontifici reservatae; ideoque a Legislatore innuendum erat quod reservatio suspensionis in Episcopos hos lata esset simplex, et non specialis.

Cum autem specialis sit, non potest ab Episcopis absolvi, etiamsi esset occulta, si eiusmodi facta occulta aliquando esse possint.

Quid vero importet suspensio a Pontificalibus superiori Capite diximus.

APPENDIX I.

De Suspensionibus Tridentinis.

Latis in Constitutione *Apostolicae Sedis* suspensionibus addendae illae sunt, quas Patres Concilii Tridentini directe tulere, cum Pius Papa IX sartas tectasque his verbis eas manere voluerit.

« Denique quoscumque alios Sa» crosanctum Concilium Tridenti» num suspensos aut interdictos ipso » iure esse decrevit, Nos pari modo » suspensioni vel interdicto eosdem » obnoxios esse volumus et decla» ramus. »

Porro suspensiones Tridentinae sive reservatae sive non reservatae novem numerantur, non quod tantum novem sint, sed quod sub novem Capitibus comprehendantur.

Earum *prima* est contra Episcopos qui in aliena Dioecesi Pontificalia exerceant sine Ordinarii licentia. *Sess. VI, Cap. V, de Reform.*

Secunda contra clericos non arctatos, qui sede vacante, a Capitulo literas dimissorias infra annum obtinuere, atque ita maiorem aliquem ordinem susceperunt. *Session. VII, Cap. 10, De Reform.*

Tertia contra Episcopos titulares, qui aliquo in loco commorantes, alienum subditum ordinent absque proprii Praelati dimissoriis epistolis. *Sess. XIV, Cap. 2, de Reform.*

Quarta est contra ordinantes alienum subditum, et contra Clericum ordinatum. *Sess. XXIII, Cap. 8, de Reform.*

Quinta contra Abbates quoscumque quamvis exemptos et nullius Dioecesis, qui conferant primam Tonsuram vel ordines minores cuiquam qui regularis subditus non sit. *Sess. XXIII, Cap. X, de Reform.*

Sexta contra promotos per saltum *Sess. XXIII, Cap. XIV, de Reform.*

Septima contra Parochos sive saeculares sive regulares qui matrimonio iungant alienae Paroeciae sponsos sine proprii Parochi licentia. *Sess. XXIV, Cap. 1, de Reform. Matrim.*

Octava contra Episcopos concubinarios. *Sess. XXV, Cap. 14, de Reform.*

Nona demum contra Sanctimonialium praefectas, quae ante mensem non moneant Episcopum ut novitiam quae professionem emittere debet, exploret. *Sess. XXV, Cap. 17, De Regular. et Monial.*

De his porro suspensionibus breviter dicturi erimus.

APPENDIX LI.

CAPUT I.

Suspensione afficiuntur Episcopi qui in aliena Dioecesi, sine Ordinarii licentia Pontificalia exercent.

Eiusmodi suspensio lata *Sess. VI, Cap. V De Reform.* his verbis comprehenditur: « Nulli Episcopo li» ceat cuiusvis privilegiii praetextu » pontificalia in alterius Dioecesi » exercere, nisi de Ordinarii loci » expressa licentia, et in personas » eidem Ordinario subiectas tan» tum. Si secus factum fuerit, Epi» scopus ab exercitio Pontificalium, » et sic ordinati ab exsecutione » ordinum sint ipso iure suspensi. »

Lato decreto integra servatur auctoritas cuiusvis Episcopi in sua Dioecesi. Quamvis autem in eo sermo esse videatur de Pontificalibus in genere, quae quid importent alias explicavimus; tamen id quod reapse in eo prohibetur est pontificalia exercere ad sacras ordinationes peragendas; etenim caput loquitur de personis episcopo Pontificalia agenti subiectis, atque in ordinatos poena suspensionis statuitur; quae innuunt evidentissime agi in Capite de sacris ordinationibus.

Porro Episcopi nomine hoc in loco nedum intelligitur simplex Episcopus qui uni Ecclesiae seu Dioecesi praesit; sed etiam Archiepiscopus, seu metropolitanus, qui, saltem de antiquo iure, praeerat episcopis omnibus qui in provincia episcopatum habebant. Etenim et Archiepiscopis interdictum est Pontificalia in suffraganeorum Ecclesiis habere, vel ordinationes facere sine Ordinarii loci, scilicet suffraganei, licentia. Ita enim Ferraris V. *Archiepiscopus, Cap. II, nn. 24. 25.* « Sic nec sine licentia suffraganei » potest ordinare, chrismate inun» gere, degradare et alia similia » quae dicunt iurisdictionem; Ar» chiepiscopus enim nequit exer» cere pontificalia in Ecclesiis suf» fraganeorum, absque licentia Epi» scopi Ordinarii. »

Atque ita decrevisse affirmat S. Congregat. Episc. et Regular. die 18 Aprilis 1599.

Quin imo Metropolitanus, quamvis sit legatus a latere, nequit Pontificalia exercere in dioecesibus suae legationis, nisi in facultatibus suae legationis id habeat, ut decretum fuit in *Tullen. 1595.* Apud Giraldi *Exposit. Iuris Pontific. Part. II, Sect. XXI.*

Verum Bellarminus in hunc Concilii Tridentini locum nonnulla decreta affert quae spectant ad rem nostram, eaque referre ad rei claritatem existimamus.

Commendatarius Abbatiae habens iura episcopalia potest quemlibet Episcopum vocare ad conferendum sacramentum confirmationis suis subditis.

Si vero abbatia sit infra fines alterius Dioecesis, licet sit exempta et habeat iura quasi episcopalia, id non potest nisi de licentia Episcopi.

Cardinales in aliena Dioecesi non possunt consecrare Ecclesias profanatas nisi de indulgentia Papae. Episcopus non habens Episcopatum, si habeat Ecclesiam iurisdictionalem suam, non potest in ea confirmare, vel exercere Pontificalia sine licentia Episcopi, intra cuius Dioecesim est Ecclesia, nec in loco exempto etiam vocatus a superiore loci, si locus est infra fines Dioecesis alicuius. Sed si locus est in nulla Dioecesi potest confirmare de licentia superioris.

Neque Episcopus exterus, subdit Giraldi, *loc. cit.* in Ecclesia Monialium ab Ordinarii iurisdictione exemptarum, sibique specialiter a Sede apostolica per litteras in forma Brevis subiectarum absque licentia Episcopi Dioecesani. *Torc. 24 Ian. 1760.*

Neque Episcopus vicinior in Abbatia nullius Dioecesis, sine licentia Abbatis, nisi hoc aliunde ei competat. *Nullius 2 Augusti 1596.*

Quin immo apud Pignatelli T. X. Consult. 154 hoc aliud decretum citatur latum in Aquileiensi 14 Iulii 1569. « Non poterit etiam eius» modi licentiam concedere Pa» triarcha in locis alienae Dioe» cesis, ubi aliquas Ecclesias sibi » immediate subiectas habet, nec » pontificalia munia ibidem obire. »

Haec vero melius constant ex declaratione vocabuli Ordinarii.

Itaque ordinarius loci intelligitur 1. Episcopus in cuius Dioecesi sita est Ecclesia vel locus in quo Pontificalia peraguntur, etiamsi locus iste sit exemptus improprie, quantum scilicet ad personas tantum attinet, uti ex. gr. Regularium virorum Conventus atque monasteria; haec enim sunt in et de Episcopi Dioecesi. Qua de causa superior regularis sine facultate Dioecesani Episcopi nullum Episcopum advocare potest ad Pontificalia in suis Ecclesiis exercenda; hinc si Episcopus externus ibi Pontificalia exerceret sine Ordinarii licentia, hanc suspensionem incurreret. E contra ordinarius loci in Ecclesiis Regularium suae Dioecesis sive Paroecialibus, sive non, potest Pontificalia exercere, etiam contradicentibus superioribus regularibus, ut decretum fuit a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 10 Iunii 1603 (1).

(1) Decretum ex cl. Giraldi excriptum in nota subiicimus.

« Decet Episcopis pro eo, quo in Ecclesia Dei excellunt, dignitatis gradu, in quo » cumque suarum dioecesium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut Ponti» ficalibus adesse et assistere contingit, eam, qua par est, reverentiam et honorem

2. Intelligitur Capitulum et Vicarius Capitularis Sede vacante. Etenim infra octiduum a morte Episcopi iurisdictio ad Capitulum devolvitur; cum autem Capitulares infra eiusmodi tempus Vicarium Capitularem constituere teneantur, ad quem tota iurisdictio devolvitur non cumulative cum Capitulo, sed privative, hinc Vicarius Capitularis tamquam Dioecesis Ordinarius habendus est. (1) Cum itaque infra octiduum a morte Episcopi Capitulum, postea vero Vicarius Capitularis totam episcopalem iurisdictionem in Dioecesi exerceat, nullo pacto dubitandum est, quin externus Episcopus Pontificalia ibi exercere non possit praeter consensum vel Capituli, vel Vicarii Capitularis; atque si exerceat suspensionem incurrit.

3. Similiter tanquam loci alicuius ordinarius censendus est ille qui episcopali iurisdictione gaudeat in determinato territorio, quod ad nullum Episcopum pertineat, ideoque nullius Dioecesis vocetur et sit. Tales plerumque sunt Abbates, qui in suis Dioecesibus episcopa-

» decoro cultu et ornatu exhiberi. Quare non sine gravi animi dolore auditum est, » nonnullos Regulares, vano quarumdam immunitatum et privilegiorum praetextu, » Episcopis in eorum Ecclesiis Pontificalibus interessentibus, non modo renuisse » in eis supra locum Episcopalis solii baldachinum erigere, verum id etiam iussu » ipsorum Episcoporum curantes prohibere ac arcere ausos fuisse. Atque ideo S. Con- » gregatio S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Re- » gularium praeposita, facto verbo cum SS. Domino nostro Clemente VIII, ac de » Sanctitatis suae speciali et expresso mandato, hoc praesenti decreto perpetuis » futuris temporibus valituro declarat, statuit, decernit et mandat ut de cetero » Episcopi, ubi tam ex consuetudine et privilegio, quam ex sacrorum Canonum, » Constitutionibus, et Pontificalis Romani praescripto, aut alio iure Pontificalia » exercere, aut pontificalibus paramentis cum mitra, vel extra, sola cappa induti » in quibusvis Regularium tam mendicantium, quam Monachorum, etiam Cassi- » nensium, Clericorum, Presbyterorum, et cuiusvis alterius Ordinis, Religionis, » Militiae, Societatis aut Congregationis Ecclesiis interesse possunt, ipsi Regu- » lares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, et debeant in loco ad solium Episcopi » constituendum opportuno, et congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere » negligentibus, aut nolentibus, liceat eisdem Episcopis illud apportari, et in qua- » cumque eorum Regularium, aut alia quamtumvis exempta Ecclesia, supra Epi- » scopale solium, seu pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere et » stare, quemadmodum in propriis Cathedralibus eorum Ecclesiis stare et sedere » solent; eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales huiusmodi functiones exer- » cebunt, vel dum actus ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Non obstan- » tibus etc. »

(1) Id constat ex Conc. Trid. *Sess. XXIV, Cap. 16 de Reform.* Ex variis S. Congregation. *Concilii declarationibus*, quae referuntur a Giraldi *Expositio iuris Pontif.* Part. II, *Sect. 42*, et ex Const. *Romanus Pontifex* a Pio Papa IX lata die 28 Augusti 1873 in qua dicit: « declaramus et decernimus, totam ordi- » nariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua sede Episcopali ad Capitulum ve- » nerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire. »

libus iuribus gaudent, atque praesunt tum clericis, tum laicis. Cum enim hi et immediatam iurisdictionem a summo Pontifice habeant, et nulli subiiciantur Episcopo, et iurisdictionem episcopalem in territorio sibi assignato exerceant, nemo sine illorum consensu ibi potest Pontificalia quacumque de causa peragere, vel iurisdictionem exercere nisi tribus in casibus; quoad visitationem scilicet, de qua *Sess. XXIV.* Conc. Trid. *Cap. IX. de Reform.;* quoad licentiam et cognitionem extractionis reorum e loco sacro, iuxta Const. *Cum alias* latam a Gregorio XV, *die 24 Maii 1591,* et Const. *Officii nostri* editam a Benedicto XIV, *Die 15 Martii 1751;* demum in casu praescriptae iurisdictionis et privilegii non quadragenarii sed immemorabilis, et certi, de qua re agit Benedictus XIV in Const. *Inter multa diei 24 Aprilis 1747.* At his casibus exceptis Episcopi viciniores nullam habent in Dioecesibus nullius iurisdictionem; iurisdictionem, inquam, quae tamen cum ad rationes particulares determinata sit, exinde non sequitur eos posse pontificalia in Dioecesibus nullius exercere, cum ad praedictas complendas actiones, ad quas peragendas pontificalia non requiruntur, ad eas pergunt.

Attamen nemo putare debet, infra eiusmodi nullius Dioecesis Praelatos illos esse computandos qui loco exempto propria praesunt, habeant scilicet in eo plenam iurisdictionem episcopalem, situs tamen est infra fines alicuius Dioecesis. Quamvis enim Episcopus hisce in locis nullam habeat iurisdictionem, cum tamen dicatur esse in propria, et residere in sua Dioecesi, potest in eo Pontificalia exercere, et cathedram habere, iuxta disposita in Clementina II *Archiepiscopo, de Privileg.,* qua derogatum est Canoni *Abbatem* desumpto ab Epistola 43 S. Gregorii ad Castorium Episcopum Ariminensem, ubi prohibebatur Episcopis celebrare missas publicas seu solemnes in Ecclesia monachorum. Ita Giraldi *loc. cit.*

4. Ordinarii locorum pariter habendi sunt Vicarii generales, dummodo speciale mandatum habeant ad pontificalia exercenda facultates concedendi, secus in casu considerari non possunt ut ordinarii locorum. Qua de causa, absente Episcopo, vel in alia Dioecesis parte commorante, Episcopi externi de Vicarii generalis licentia possunt Pontificalia in illa Dioecesi exercere. Atque ita decisum fuisse, ex Petro Marzilla, et Ioanne Gallemartio affirmat Bonacina *De suspensionibus omnibus in partic. Disp. III, Quaest. II, Punct. XII, n. 5.*

In hisce igitur locis quae et habent proprium ordinarium, et sunt nullius Dioecesis, Episcopus externus nonnisi de ordinarii expressa licentia potest pontificalia exercere.

Qua de causa non sufficit con-

sensus tacitus, multo minus praesumptus, sed requiritur expressa Ordinarii facultas verbo tenus vel in scriptis concessa; haec enim in Capite exigitur: *nisi de Ordinarii loci expressa licentia.*

At in Capite etiam dicitur. *Et in personas eidem Ordinario subiectas tantum;* scilicet subiectas ordinario in cuius Dioecesi Pontificalia exercentur. Quid ergo? Episcopus ne Pontificalia exercens non potest ordines conferre iis qui ad Dioecesim illam non pertinent?

Et quidem Bonacina *loc. cit. n. 6* id diserte affirmat, quia Tridentini Patres statuunt, ordines ab Episcopo Pontificalia de licentia Ordinarii exercente conferri posse unis illius subditis. Eos tamen excipit, qui dimissorias epistolas habent, quibus eis fit facultas ordines a quolibet episcopo recipiendi; hoc enim in casu nulli fit injuria.

Attamen certa sententia est, eiusmodi Episcopum posse sacros ordines conferre nedum suis subditis, sed etiam alienis dummodo proprii Ordinarii epistolas dimissorias habeant. Ita enim decrevisse S. Concilii Congregationem affirmat Pignatelli *Consultationes Canonicae T. X, Consult. 94,* n. 2. « Censuit S. Con» gregatio licere alieno Episcopo » exercere Pontificalia in aliena Ec» clesia, et ministrare chrisma, et » ordinare clericos tum eiusdem » Dioecesis de licentia tamen Ordi» narii, tum extraneos cum litteris » dimissorialibus suorum Ordina» riorum, et hoc ipsum de licentia » Capituli, Sede Episcopali vacante, » licere, non obstante *Cap. X, Ses. 7* » quod voluit tantum coarctare hanc » facultatem infra annum. Nec ob» stare dictum *Caput V Sess. 6,* » dum ait sine licentia Ordinarii, » quia Capitulum hoc casu vice Or» dinarii fungitur. Minusque obstat » dictio illa *subditos,* sive *subiectos,* » quandoquidem hae dimissoriae suo» rum Ordinariorum fecerunt illos » subditos. Hinc idem Episcopus » ex eadem Sacra Congregatione » ordinare poterit familiares trien» nales tam Episcopi, in cuius Dioe» cesi exercet Pontificalia, quam » alterius, si expressa adsit suorum » licentia, cum tales familiares, con» currentibus his quae in decreto » *Cap. IX Sess. 23,* et in Constitu» tione Innocentii XII exiguntur, pro » subditis habeantur. »

Quae vero decreta S. Congregationis doctissimus Pignatelli citavit, ita paullo post allegat.

In Mediolanensi 15 Aprilis 1575. « Episcopus in alterius Dioecesi, de licentia Ordinarii loci eos tantum ordinare poterit, qui a suis Ordinariis dimissorias generales habent. »

In Bisinianensi (fortasse 14 Iunii 1569). Per decretum *Cap. 5. Sess. 6* non excluduntur Clerici aliarum Dioecesium, si suas litteras dimissorias habent, quominus possint ab Episcopis extraneis in aliena Dioecesi, de licentia Ordinarii Pontificalia exercentibus, ordinari

Clerici igitur alienae Dioecesis ab eiusmodi Episcopo ordinari possunt quamvis habeant dimissorias particulares ad illum tantum, et dimissoriis generalibus careant.

Manifestum autem esse putamus ex iis quae in Append. 44 diximus. pag. 337 non incurrere Episcopum huiusmodi suspensionem si primam tantum tonsuram conferat; quia lex versatur circa ordines: *et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi;*. cum autem clericalis tonsura ordo non sit, sub lege comprehendi non debet, neque comprehenditur, ea etiam de causa, quod ut recte observat Castropalao *De Censur. D. 4. P. 10. part, 1, n. 5,* haec tonsura nullum speciale munus habet a cuius exsecutione ea initiatus suspendi valeat. Idque verum est, quamvis episcopus in ea conferenda insigniis pontificalibus uteretur; quantum enim ad suspensionem attinet, hoc in capite ea plectitur episcopus ordines conferens, et non simpliciter pontificalia exercens; ut patet tum ex verbis et *in personas eidem Ordinario subiectas tantum,* tum ex sequentibus.

II. Episcopi autem decretum transgredientes suspensione a Pontificalibus indeterminate percelluntur, et ordinati indefinito pariter tempore ab executione ordinum; eorum scilicet quos ab tali Episcopo acceperunt; in capite enim dicitur *sic ordinati,* scilicet ab Episcopo pontificalia exercente in aliena Dioecesi sine Ordinarii loci licentia.

Exinde vero nemo putet Episcopum ut ab exercitio Pontificalium ita et ab reliquis suae potestatis actibus suspensum manere; cum enim in lege sermo sit de unis pontificalibus, et in lege odiosa versemur, non potest eiusmodi suspensio ad alias actiones extendi. Hinc Episcopus iste poterit missam celebrare, confessiones audire, poenas in delinquentes constituere et alia omnia munia episcopalia exercere, praeter illa in quibus pontificalia insignia requiruntur.

Suspensio autem haec cum nulli reservationi subiaceat, poterit ab Episcopo absolvi.

CAPUT II.

Suspenduntur Clerici non arctati, qui Sede vacante, a Capitulo literas infra annum obtinent, atque ita aliquem maiorem ordinem suscipiunt.

Hanc alteram suspensionem Patres Tridentini *Sess. VII, Cap. 10 de Reform.* his verbis tulere.

« Non liceat Capitulis Ecclesiarum Sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui,

» qui beneficii ecclesiastici recepti » sive recipiendi occasione arctatus » non fuerit, concedere. Si secus » fiat, Capitulum contravenients ec- » clesiastico subiaceat interdicto, et » sic ordinati, si in minoribus con- » stituti fuerint, nullo privilegio » clericali, praesertim in crimina- » libus gaudeant. *In maioribus vero* » *ab exsecutione ordinum ad bene-* » *placitum futuri praelati sint* » *ipso iure suspensi.* »

De interdicto alias loquturi erimus. Interea de suspensione.

Atque ad rei claritatem advertendum est, id quod Capitulis interdicitur in Capite Tridentino, multo magis intelligendum esse de Vicario Capitulari. Capitulum enim infra octiduum a morte Episcopi iurisdictionem habet; (1) postea vero haec iurisdictio integra transit in Vicarium Capitularem, quem infra octiduum illud eligere Capitulares debent: quod ex iure iam constituto declaravit etiam Pius Papa IX in Const. *Romanus Pontifex* lata sub die 28 Augusti 1873, qua de apostolicae auctoritatis plenitudine decrevit: *totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua Sede Episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare.*

Qua de causa litteras dimissorias in casibus praemissis Capitulum tantum infra octo dies a morte Episcopi et ante electionem Vicarii Capitularis dare potest, postea vero hoc ius unice pertinet ad Vicarium Capitularem. (2)

Capitulum autem intelligitur illud Ecclesiarum Cathedralium, non Collegiatarum.

Attamen ut Clerici recipientes eiusmodi epistolas suspensione plectantur, necessarium est ut arctati ad maiores ordines suscipiendos non sint. Si enim sunt arctati, seu coacti, suspensione non afficiuntur. Porro arctati *beneficii ecclesiastici recepti occasione* illi Clerici dicuntur, qui beneficium obtinent, cuius causa ordinem sacrum recipere debent. Ita qui Ecclesiam Paroecialem obtinuit, tenetur infra annum sa-

(1) Iuxta decretum Concilii Trid. Sess. 24, Cap. 16 de Reform. » Capitulum, Sede vacante. » Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, tum antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta oeconomum et vicarium idoneos possit constituere.

(2) Quae cum certa omnino sint, non recte Commentator Patavinus *Comment. pag. 330, n. III.* scripsit: « Prima (conditio) est ut dimissoriae litterae datae sint a Capitulo infra annum a die vacationis. » Id enim pertinet post octo dies ad Vicarium Capitularem. Sed vir cl. a Bonacina in errorem inductus est, qui *Part. 3, Disp. III, Q. I, Punct. XI, n. 23, 24* idipsum scribit.

crum Presbyteratus ordinem suscipere, ut constat ex Cap. *Licet canon 14 de election. in 6.* § Is etiam (1). Similiter illi qui sive Dignitatem, sive Canonicatum obtinent, quibus ordo aliquis sacer sit adnexus, iuxta ea quae decrevit Concilium Tridentinum *Sess. XXIV, Cap. XII de Reform.* (2) Item illi omnes qui in aliqua Ecclesia beneficium aut Capellaniam obtinent, quibus ex institutione, consuetudine, aut particulari Ecclesiae illius statuto adnexus sit certus ordo.

Arctatus autem *beneficii recipiendi occasione dicitur ille* qui habet ius, vel saltem vocatus est ad aliquod beneficium vacans, seu Capellaniam, quae actu requirit certum ordinem, quo vocatus adhuc caret. Talis ex. gr. esset ille qui Diaconus existens nominatus fuerit ad Capellaniam presbyteralem, quam consequenter adipisci non posset sine Presbyteratus ordine. Vel ille qui prima tonsura cum sit insignitus, praesentatur ad beneficium quod aliquem ordinem sive maiorem, sive minorem requirit.

Item laicus quem Patronus velit ad beneficium aliquod nominare, huiusque rei causa petat ut prima tonsura initietur. Quod Ugolinus *De Offic. et pot. Episc.* apud Card. De-Luca *De beneficiis Discur. 71, n. 7,* affirmat declaratum fuisse a S. Cong. Concilii his verbis. « Vicarius Capituli Sede vacante infra annum » potest concedere dimissorias ad » primam tonsuram ei, qui est » praesentatus a patronis laicis (scilicet pro quo patronus petit ut » initietur prima tonsura, ut eum » praesentare possit ad beneficium, » sin minus praesentatio laici ipso » iure esset nulla) ad beneficium » ecclesiasticum iurispatronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat. »

Putamus tamen, Vicarium Capitulum eiusmodi dimissorias ad recipiendam primam tonsuram concedere laico posse quamvis arctatus non sit occasione beneficii recipiendi. Cum enim Concilii Tridentini Patres loquantur de ordinibus, *ordinandi licentiam,* et prima clericalis tonsura non sit ordo, haec non videtur sub lege comprehendi.

(1) En Caput: « Is etiam qui ad huiusmodi regimen assumetur; ut gregis sibi » crediti diligentius curam gerere possit, in parochiali Ecclesia, cuius rector exti- » terit, residere personaliter teneatur; et intra annum a sibi commissi regiminis » tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si intra idem » tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam praemissa mo- » nitione, sit praesentis constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, » ut praemittitur, facienda, possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus » facere, prout causa rationabilis id exposcit. »

(2) » Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui ea ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda, » aut portio requirit, aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta » Synodo statutum initiari valeat. »

Non inficiamur autem quaestionem in re inter doctores intercedere.

Monacelli *Formularium legale practicum Tom. III, Part. III, Tom. III, n. 3* diserte scribit: « Haec autem facultatis restrictio » non solum respicit ordines minores et maiores, sed etiam primam clericalem tonsuram, pro » qua intra annum dimissorias non» nisi arctatis vicarius capituli con» cedit. » Idipsum vero opinari affirmat alios non paucos, quos inter Barbosa et Card. De Luca.

At alii contrarium censent, quos inter eminet doctissimus Giraldi circa negotia Romanarum Congregationum versatissimus, qui *Expositio iuris Pontificii Part. II, Sect. C, pag. 962,* id affirmat definitum per Sacram Cong. Concilii, ad quam sequens dubium, inter alia, delatum dirimendum fuerat.

« An (Vicarius Capitularis) eas » (dimissorias) concedere possit ad » primam tonsuram non arctato? »

R. « S. Cong. *in Burgen 10 Fe» bruari 1594* censuit *posse,* et hoc » attenta eiusdem Congregationis » mente, qua, prout refert Galle» mart *ad cap. X. Sess. VII* cen» suit, Caput hoc non comprehen» dere primam Tonsuram. »

Huic vero declarationi conformis est alia quam loc. cit. allegat Monacelli ex Fagnano qui ita scripserat: « Rursus dubitatum fuit, an » Vicarius Capituli Sede vacante » possit concedere litteras dimis» sorias ad primam Tonsuram prae» sentato ad Cappellam simplicem. » Sacra Congregatio censuit posse, » quia non prohibetur dare dimis» sorias ad primam Tonsuram, et » quia praesentatus est arctatus. »

Neque ad explodendam sententiam quam defendimus aliquid valere putamus argumenta quae Monacellus inducit, quod, 1° scilicet, Concilium non comprehendat primam tonsuram quoad poenas ibi impositas contra ordinatos, non autem quoad licentiam ordinandi, 2° quod prima clericalis tonsura sit ordo, 3° quod plures suam sententiam teneant, 4° quod Fagnanus obiter loquatur de eo cui, cum non sit arctatus occasione beneficii recipiendi, Vicarius Capitularis concedit litteras dimissorias ad primam clericalem tonsuram recipiendam.

Prima enim ratio nulla est; cum nedum gratuitam assertionem contineat, quamvis et ab Garcia fortasse inductam, sed insuper contradicat relatis S. Congregationis Concilii declarationibus; in quibus aperte distinguuntur dimissoriae ad primam clericalem tonsuram tum arctatis tum non arctatis, affirmatur insuper hanc non comprehendi sub Tridentino Capite; altera valde sit levis cum ut modestiores simus, dubium valde sit an clericalis Tonsura sit ordo; cum autem in Tridentino Capite sermo sit de *ordinandi licentia,* et verba sint stricto sensu accipienda, non potest clericalis tonsura sub ordinibus com

prehendi. De cetero hoc eodem argumento usus est Benedictus XIV ut adstrueret Episcopos suburbicarios posse in Cappella privata palatii sui Romae existentis suis subditis primam clericalem tonsuram conferre *pag. 422* huius nostri Commentarii. Porro si haec ratio illic valet, profecto valet et in casu nostro.

Altera pariter ratio sententiam nostram non evertit: etenim non tam doctorum pluralitas, quam solidae rationes rem conficiunt. Porro certum est sententiam nostram et magis conformem esse verbis Tridentini Capitis, et relatis declarationibus S. Cong. Concilii.

Tertia autem nullo pacto movemur: Fagnanus enim loc. cit. in eo erat ut probaret an licitum esset Vicario capitulari concedere literas dimissorias ad primam clericalem tonsuram illi qui esset arctatus occasione beneficii recipiendi; consequenter de hac quaestione loqui debuit, et non de alia. Cum autem sententiam S. Congregationis attulerit, qua eadem facultas concedi posse dicitur a Vicario Capitulari etiam non arctato, de eaque re Fagnanus non quaereret, nil mirum si de ea obiter locutus sit. Cum tamen illam non improbaverit, evidens videtur quod et ipse Fagnanus suffragio suo sententiam nostram complectatur.

De cetero argumentum non in eo reponendum est, an Fagnanus de ea re obiter, vel prolixo sermone locutus sit, sed quo sensu sit exponenda S. Congregationis Concilii declaratio; cum autem duplex contineat membrum, unum simplex *quia non prohibetur dare dimissorias ad primam tonsuram*, aliud pro arctatis, manifestum esse putamus S. Congregationem declarasse eiusmodi dimissorias ad primam clericalem tonsuram dari posse etiam non arctatis (1).

Insuper, nemo negare poterit, valde dubium esse, ob expositas rationes, an clericalis tonsura sub Tridentino Capite comprehendatur. Quo autem iure certa obligatio, maxime in poenalibus, ex lege dubia inducetur?

Demum ipse S. Alphonsus, VI, n. 788, affirmat hanc sententiam probabilem esse. « Probabiliter (Ca-» pitulum) etiam potest dare alicui » licentiam, ut initietur prima Ton-» sura, eo quod Tonsura non est » ordo. » Et quamvis S. Doctor hac in re maximam modestiam adhibuerit, cum nostra sententia plus quam probabilis sit, tamen unum inferimus, non posse scilicet quemlibet poenae subiici, quem sen-

(1) Hinc non recte cl. Piat *Comment. pag. 311 Not.* 2, arbitratur declarationes allegatas a Giraldi et Monacelli inter se oppositas esse. Sunt enim plane concordes; atque oppositas reddit non solida Monacelli ratiocinatio.

tentia vere probabilis ab censura eximit, ut non semel diximus (1).

Attamen hac in re nonnulla sunt animadvertenda 1. Capitis prohibitionem respicere tantum Dioecesanos non autem externos; qua de causa Vicarius Capitularis Sede vacante potest alieno Episcopo facultatem concedere tum Pontificalia in Dioecesi vacante exercere, tum ibi propriis subditis ordines conferre, tum alienis, si dimissoriis proprii Episcopi sint instructi. Quod Caput Tridentinum Dioecesanos tantum respiciat per se patet nemo enim dare potest literas reverendas alienis subditis.

2. Posse Vicarium Capitularem etiam infra annum dare facultatem suscipiendi ordines illis Clericis qui epistolas dimissorias a defuncto Episcopo iam obtinuerant, ut ordines recipere possent; hae enim non expirant morte concedentis; tum illis epistolas testimoniales de vita et moribus dare, qui a summo Pontifice privilegium habent ut ordines a quocumque Episcopo suscipere possint; vel etiam a Nuntio apostolico dimissorias habent, hae enim testimoniales epistolae non sunt dimissoriae, neque licentiam ordines suscipiendi continent, quae in privilegio pontificio vel Nuntii dimissoriis continetur. Schmalzgrueber *Pars. II Tit. IX. n. 47. 3.*

Eiusmodi vero dimissorias dare tantum infra annum a Sede vacante Vicario Capitulari interdicitur. Post annum enim eas concedere potest, tum ut Dioecesis necessitatibus consulat, tum quia hac in re ius antiquum non videtur per Tridentinum immutatum. Advertendum tamen est, eas post annum concedere posse iis tantum qui ordinantur titulo beneficii ecclesiastici, non autem titulo patrimonii vel pensionis, cum aliquem ordinare ad titulum huiusmodi a Tridentinis Patribus reservatum sit Episcopo *Sess. XXI, Cap. 2. de Reform.* (2) Atque id saltem valere ubi contraria consuetudo recepta non fuerit affirmat Barbosa in *Summa Constitutionum Apostolic. dec. V. c. Sede vacante, n. 12.*

Porro si latum decretum transgrediatur Capitulum interdicto subiacet (3).

(1) Quae de arctatis occasione beneficii recipiendi diximus non sunt extendenda ad resignationem beneficii quod actu certum ordinem requirit. Resignatio enim est mere voluntaria quae ad quodlibet tempus differri potest, dum electio et praesentatio fit ex necessitate iuris infra certum tempus; qua de causa resignantes beneficium dici non possunt arctati. Reiffenstuel lib. 1. Decret. Tit. IX, n. 124.

(2) Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint.

(3) Utrum Vicarius Capitularis contra decretum faciens incurrat interdictum quaestio est inter doctores. Nos eam expendemus cum de hoc interdicto locuturi erimus.

Si Clerici in minoribus ordinibus constituti nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudent; haec autem est pura poena, quae adhuc viget. Si in maioribus ordinibus ipso iure suspenduntur ab executione ordinum ad beneplacitum futuri praelati.

Neque obscurum esse videtur quod suspendantur ab omnibus maioribus ordinibus quibus decorantur, quamvis aliquem legitime susceperint. Etenim Tridentini Patres nullam exceptionem innuunt, sed simpliciter affirmant hos ab executione ordinum manere suspensos. Accedit quod qoando voluere ut ab ordinibus male susceptis suspensi manerent, id innuere non praetermiserint, ut patet Sess. IV, cap. V de Reform., quo loco dicunt: *et sic ordinati executione ordinum sint ipso iure suspensi;* quo loco particula sic suspensionem determinat ad ordines indebite susceptos.

De cetero haec plurimorum Commentatorum sententia est, quos inter nominamus De Varceno et Patavinum. Clarum autem est, hanc suspensionem esse reservatam illi episcopo qui ei Dioecesi praeficitur de qua est Clericus non arctatus cui concessae fuerant ab Capitulo vel Vicario Capitulari epistolae dimissoriae ad suscipiendos maiores ordines. Quare ab eo tantum absolvi potest.

CAPUT III.

Suspensione afficiuntur Episcopi titulares qui aliquo in loco commorantes alienum subditum ordinent absque proprii praelati dimissoriis epistolis; tum alieni subditi qui ordines recipiunt.

Haec suspensio a Patribus Tridentinis lata fuit Sess. XIV, Cap. II de Reform. his verbis: « Nemo » Episcoporum qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Dioecesis, etiam exempto, aut aliquo » Monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de » promovendo quoscumque ad se » venientes pro tempore concessi, » alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu » aut litteris dimissoriis, ad aliquos » sacros, aut minores ordines, vel » primam tonsuram promovere seu » ordinare valeat. Contra faciens » ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab » exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi. »

Ut legenti patet, duplex hoc in Capite continetur suspensio, prima quidem ab exercitio Pontificalium per annum fertur in episcopos ordinantes; alia vero ab ordinibus susceptis fertur in promotos,

quaeque perdurat ad beneplacitum proprii praelati.

Porro non Episcopi quicumque, sed *titulares* tantum huius Capitis suspensionem incurrunt. Episcopi titulares autem ii sunt, qui dantur Episcopi Ecclesiis sitis in partibus infidelium, quae neque populum christianum, neque Clerum habent. Ferraris. *Voc. Episcopus Cap. VII, n. 23.* Qua de causa hanc suspensionem non incurrerent Episcopi iurisdictionem episcopalem habentes in determinata Dioecesi.

Hi tamen si alienum subditum absque expresso consensu sui Episcopi ordinarent incurrerent suspensionem sub *n. 3.* positam inter suspensiones Romano Pontifici reservatas. Atque si Clericos ordinarent in aliena Dioecesi absque consensu ordinarii illius loci suspensionem simul incurrerent latam a Tridentinis Patribus *Sess. VI, Cap. V, de Reform.*, de qua supra egimus. Nulla autem ratione his titularibus Episcopis conceditur alienum subditum ordinare, si excipiatur expressus consensus, aut literae dimissoriae Episcopi subditi illius qui ordinandus est; ita ut exinde intelligamus minime sufficere consensum tacitum, et multo minus praesumptum.

Qua de causa si Episcopus titularis sit Canonicus alicuius Cathedralis, nullo pacto posset sine expressi Episcopi consensu illius Dioecesis subditos ordinare.

Neque eum ab suspensione eximeret sive privilegium pro tempore ei concessum ordinandi quoslibet ad se venientes; id enim disertis verbis a Patribus Tridentinis excluditur.

Neque praetextu familiaritatis aut continuae commensalitatis; etenim praeterquamquod id expresse prohibetur, episcopus qui Dioecesim habet, non potest iuxta Concil. Trid. Sess. 23, Cap. 11 de Reform. alienum ordinare subditum familiarem suum, et nisi per triennium cum eo commoratus fuerit, et nisi beneficium quacumque fraude cessante statim reipsa illi conferat; at Episcopus titularis cum Dioecesim non habeat, nullum beneficium familiari suo conferre posset. Addimut eiusmodi titulum familiaritatis continuae Episcopis titularibus ademptum fuisse a Pio IV in Const. *Cum sicut accepimus* lata die 21 Maii 1562, qua postquam questus sit et improbarit horum titularium Episcoporum audaciam, atque effraenam ordinandi licentiam, qua fiebat ut inhabiles et indigni in Clericos ordinarentur, eis quascumque adimit facultates, et titulos quibus se eiusmodi ordinationes peragere praesumebant. Ait enim prorsus ad Concilii Tridentini tramites.

§. 2. « Opportunum in praemis-
« sis remedium adhibere volentes...
« quascumque litteras ab eodem
« Poenitentiariae nostrae officio seu
« alias a Sede Apostolica quomodo-
« libet emanatas, harum serie re-

» vocantes penitus et annullantes, » ac nemini de cetero suffragari, » nec quemquam illis se ullo pacto iuvare, neque uti posse decernentes, auctoritate Apostolica, » tenore praesentium statuimus, ordinamus atque declaramus, quod » posthac nullus Episcopus ex eis » qui titulares vocantur, in qualibet civitate seu Dioecesi, etiamsi » in loco nullius Dioecesis, quamtumcumque exempto, aut aliquo » monasterio cuiusvis Ordinis, etiam » quibuslibet privilegiis et immunitatibus suffulti, ubilibet consistente, resederit aut moram traxerit, praetextu quarumvis litterarum ab eodem Poenitentiariae » officio seu alias ab ipsa Sede Apostolica sibi de promovendo quoscumque ad se recurrentes pro » tempore concessarum, Pontificalia officia, nisi, ut praefertur de » ordinarii loci expressa licentia, et » in personas eidem ordinarios subiectas, dumtaxat exercere, vel » aliquem alterius subditum, etiam » sub colore familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso » consensu aut litteris dimissoriis, » ad primam clericalem tonsuram, » aut aliquos alios minores, aut etiam sacros, et presbyteratus, ordines, ullatenus possit aut debeat. »

Sed neque ab suspensione incurrenda eximeret hunc episcopum locus quamtumvis exemptus, et quibusque communitus privilegiis aut immunitatibus; quandoquidem id excluditur a Tridentinis Patribus, et prohibetur a Pio IV *loc. cit.* qui Tridentinam legem non extendit, sed tantummodo declaravit.

His autem et primam clericalem tonsuram ad se venientibus conferre prohibetur; quod de Episcopis Dioecesim habentibus verum esse negavimus, et negandum est; cum Tridentini Patres pro iis clericalem tonsuram non exceperint, sicut excipiunt hoc in Capite, et alibi. Qua de causa Episcopus titularis expresso consensu vel litteris proprii Episcopi illius qui in Clerum cooptari debet, destitutus primam clericalem tonsuram conferens suspensionem hanc incurrit.

Hanc autem incurrere dicimus, etiamsi in ea conferenda pontificalia non exerceat, sed private conferat.

Quamvis enim in cit. Tridentino Capite sermo fiat de Pontificalibus, sicut est in allegata Pii IV Constitutione, tamen finis absolutus est prohibere quominus sine Episcopi proprii expresso consensu alieni subditi vel in Clerum cooptentur, vel ad ordines promoveantur. Hic autem finis integer manet, quamvis prima clericalis tonsura ab titularibus Episcopis sine pontificalibus insigniis conferatur; manente autem fine legis, manet ipsa lex et poena adnexa.

De cetero Tridentini Patres cum et de aliis ordinibus, etiam maioribus locuti sint, qui sine Pontifi-

calibus insigniis conferri non possunt, atque ipsa prima clericalis tonsura hisce communiter conferatur, non debuerunt diversa uti loquendi ratione.

Neque huic argumento obstare videtur *Caput. V, Sess. VI de Reformat.* quo et Episcopis Dioecesim habentibus interdicitur pontificalia in aliena Dioecesi exercere et alienos subditos ordinare praeter Episcopi loci expressum consensum. Etenim ut utrumque legenti caput patebit, ratio loquendi diversa omnino est; graviori ratione compescuntur Episcopi titulares, pro iis etiam prima clericalis tonsura diserte excipitur, disertis verbis nominantur, et excluduntur quaelibet privilegia, quaelibet loca exempta quantumvis immunia; cum igitur gravior sit loquendi ratio. Patrum Tridentinorum in Episcopos titulares adhibita, haec graviorem finem innuit, qui confundendus non est cum eo fine quem sibi praestituere patres Tridentini dum de Episcopis Dioecesim habentibus locuti sunt.

Porro hi titulares Episcopi si legem transgrediantur suspensionem a Pontificalibus incurrunt per annum; quod quid importet, alias diximus. Ordinati vero ab exsecutione ordinum sic susceptorum; qua de causa non ab omnibus ordinibus quos legitime susceperant, sed ab iis tantum, quos praeter proprii ordinarii expressum consensum ab Episcopis titularibus acceperunt; illa enim particula *sic* ad hos tantum suspensionem coarctat.

Manifestum autem esse putamus, hanc suspensionem tum ordinantes, tum ordinatos incurrere toties quoties aliquem ordinem distinctis temporibus contulerint et susceperint; non item si minores ordines simul contulerint; quia una est actio.

Hinc si Episcopus titularis primam clericalem tonsuram, et quatuor minores et maiores ordines distinctis ad invicem temporibus contulerit, quoniam octies legem transgressus est, per octo annos suspensione mulctabitur. Ordinatus autem ad proprii Episcopi arbitrium.

Attamen et illud inquirere debemus, an ut hi Episcopi titulares hanc suspensionem incurrant, praesumptione aliqua ducti ordines conferre debeant, vel excusentur ignorantia crassa, supina, vel etiam affectata.

Atque inquisitionis ratio suppeditatur ex Cap. *Eos qui De Temporibus Ord. in 6.°* quod ita legitur: « Eos qui clericos parochiae » alienae absque Superioris ordi- » nandorum licentia, scienter, seu » affectata ignorantia, vel quocum- » que alio figmento quaesito prae- » sumpserint ordinare, per annum » a collatione ordinum decernimus » esse suspensos. Iis quae iura sta- » tuunt contra taliter ordinatos in » suo robore duraturis. » Quod Caput a Tridentinis patribus extensum non fuisse inter alios affirmat

Vasquez, *3 part. Disp. 243, cap. V, n. 48.*

Et quidem recte, ut nobis videtur; etenim et Patres Tridentini praesumptionem disertis verbis exigunt, et ex eorum loquendi ratione sat manifestum est, eos illos Episcopos titulares punire, qui in fraudem et legis contemptum ordinationes peragunt. Dicunt enim: « Et quoniam nonnulli Episcopi ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes et populo christiano, cum fere vagabundi sint, et permanentem Sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam Synodum se pontificalia officia in alterius Dioecesi, nisi de loci Ordinarii expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum exercere prohibitos vident; in legis fraudem et contemptum quasi episcopalem cathedram in loco nullius Dioecesis sua temeritate eligunt, et quoscumque ad se venientes, etiamsi suorum episcoporum seu praelatorum litteras commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, et ad sacros, etiam presbyteratus ordines promovere praesumunt. »

Ergo etiam Tridentini patres in hosce titulares episcopos praesumptionem exigunt: quod patet nedum ex verbo *praesumunt,* sed etiam quod ex universo Capitis contextu constet, hos episcopos legem nosse, atque in fraudem et contemptum legis illicitas ordinationes in locis nullius Dioecesis peragere. Qua de causa nullo pacto ignorantia in praedictis supponitur. Quid ergo? Excusabuntur ne ab suspensione incurrenda si laborent ignorantia crassa et supina, vel etiam affectata?

Nos alias, et quidem non semel, diximus quod quando legislatores praesumptionem exigunt, quae importat scientiam et contemptum legis et poenae adnexae, quaelibet ignorantia ab censura incurrenda eximat.

Hoc autem in loco animadvertimus, in Cap. *Eos qui* scientiam, affectatam ignorantiam, vel aliud quaesitum figmentum expressis verbis excludi, ita ut una ignorantia antecedens ab eiusmodi censura excusare supponenda sit; Tridentinos Patres autem verbum *praesumere* adhibere iuxta usitatam significationem, et receptum usum, quin ei aliquid vel detrahant, vel addant; nos autem ex Tridentino capite quaestionem dirimere debere; cum ergo Patres Tridentini in Episcopis huiusmodi praesumptionem exigant, atque dicant, eos in locis nullius Dioecesis *in legis fraudem et contemptum* ordinationes peragere, quo in eis perfectam scientiam supponunt, sin minus neque fraudem neque contemptum admitterent, saltem perfecte, concludimus hos Episcopos crassa, et affectata ignoran-

tia ab incurrenda suspensione excusari; quidquid enim dicatur; etiam in ignorantia affectata, qua quis apposite vult legem ignorare ut liberius peccet, nescitur lex et poena apposita; quam si quis sciret a lege transgredienda retraheretur, ut prorsus hoc in loco, in quo non est Episcopus titularis supponendus eligere propriam suspensionem a Pontificalibus per annum, ut clericalem tonsuram alicui conferat, hic enim potius mentecaptus quam sano iudicio instructus dici deberet. Quod ne dicamus, affirmandum est eum nescisse, sit etiam ratione affectatae ignorantiae, vel supinae, saltem poenam adnexam, sin minus cum tanto suo incommodo et dedecore illam transgredi cavisset. At qui quomodocumque legem et poenam adnexam ignorat, praesumptionis culpa non est incusandus. Ergo neque censura inlata ob praesumptionem.

Quo in loco notandum est, non esse circa ignorantiam affectatam idem proferendum iudicium de eo qui vult apposite legis praecepta ignorare ut liberius peccet, qua de causa in his voluntarium magis intensum iudicari debet, et eum qui legem aliquam vult ignorare cuius trasgressioni adnexa sit quoque poena temporalis; in his enim, ut praesumere dicantur, supponenda est perfecta legis et poenae adnexae cognitio; cum enim nemc prudens propria damma velit, si hic poenam adnexam legis transgressioni agnovisset, cavisset eam transgredi; (atque hinc videmus transgressores legum humanarum id unum efficere, ne in legis transgressione detegantur; idque ea de causa ne poenam incurrant). Nemo autem negaverit quod qui tali ducitur animo, praesumere dicendus non est: Id autem in Tridentino capite evidens quodammodo est. Etenim ideo Episcopi titulares in Dioecesi nullius ordinationes huiusmodi peragunt, quia noverunt in alterius Dioecesi eas peragere non posse sine Ordinarii illius loci expressa licentia. Putant ergo, in locis nullius Dioecesis se neque eiusmodi lege, neque adnexa poena teneri; sin minus ad quid in nullius Dioecesibus cathedram episcopalem erigere?

Ergo hi titulares Episcopi poenam legi adnexam incurrere nolunt; ergo in his praesumptio in lege transgredienda non reperitur; si enim novissent adnexam poenam, cavissent legem transgredi. Utique peccant, quia eorum ignorantia crassa est vel affectata, et inquirere tenentur; at nos non loquimur de peccato, sed de censura suspensionis, quam in praesumentes tantum Tridentini Patres tulere.

Superest ut inquiramus an eiusmodi suspensio in Episcopos titulares lata reservata, nec ne sit, et cui.

Clarissimus de Varceno *Theol. Mor. Tom. 2, pag. 543, 2* affirmat, hanc censuram Ordinario re-

servari, ut patet ex verbis Decreti: *donec suo Praelato visum fuerit.*

Commentator Patavinus ita distinguit: « Censura qua innodatur Epi» scopus titularis ordinans, vel pro» movens ad Tonsuram, qua parte » convenit cum suspensione inserta » in nova Constitutione sub art. II, » procul dubio reservatur summo » Pontifici; qua vero parte ab illa » suspensione differt, non videtur » Pontifici reservata ».

Conrado *Memoriale de Censuris* pag. 116 contendit, hanc Episcoporum titularium suspensionem nulli esse reservatam: *Ex ipsis verbis decreti patet non esse reservatam nisi suspensionem ordinati.*

Clar. Fr. Piat Commentarius *pag. 314* scribit: « Ex doctrina » auctorum, suspensio lata ad cer» tum tempus est reservata, adeo» que ab Episcopo vi Cap. *Nuper* » tolli inquit. »

Quatuor hinc habemus sententias: 1. hanc suspensionem esse reservatam Episcopo; 2. esse reservatam Summo Pontifici ex ea parte qua convenit cum Art. II. suspensionum latarum in Const. *Apostolicae Sedis,* qua vero differt non videri Pontifici reservata; cui tamen? Episcopo vel nemini? Id Patavinus non dicit; 3. esse reservatam simpliciter Summo Pontifici; 4. esse nemini reservatam. Expendamus singulorum sententias.

Sententia propugnata ab cl. De Varceno ideo repudianda videtur, quia verba *donec suo praelato visum fuerit,* referuntur ad ordinatum tantum, minime vero ad ordinantem; si enim de utroque essent intelligenda, Patres Tridentini scribere debuissent *donec eorum praelato visum fuerit.* Insuper clericus ordinatus alienus est; ergo eius episcopus non est Episcopus Ordinantis; quod si pronomen *suus* applicetur ordinanti, huius Episcopus non erit Episcopus ordinati.

Commentatoris Patavini sententiam ea de causa amplecti non possumus, quia nulla relatio intercedere videtur inter hanc Tridentinam, et suspensionem II citati capitis, qua incurrunt suspensionem per triennium aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. Quaenam relatio seu convenientia inter has duas suspensiones reperitur? Etenim et finis, et obiectum, et subiectum utriusque diversa sunt omnino.

Si autem Episcopus titularis Capitis illius II sanctionem transgrederetur, etiam illam suspensionem incurreret Romano Pontifici reservatam; at exinde non sequeretur esse pariter Romano Pontifici reservatam hanc suspensionem, quam titularis Episcopus incurrit quod absque proprii Episcopi consensu alienum subditum ordinet in Nullius Dioecesi. Cum ergo haec suspensio cum citato capite nulla ex parte conveniat, restat ut nemini sit reservata iuxta

ipsius Patavini Commentatoris sententiam.

Solidiori argumento innititur sententia cl. Piati.

Schmalzgrueber Pars. IV. Tit. 39, n. 311, 312 quaerit: Quomodo tollatur suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione?

Resp. Si lapsum sit tempus, aut impleta conditio cessat absque ulla absolutione, quia ultra intentionem ferentis progredi nequit. Intermedio autem tempore, seu ante impletam conditionem tolli suspensio talis per dispensationem potest ab eo, qui eam tulit, vel ab huius superiore, aut successore, non autem ab inferiore. Adeoque si lata sit a iure communi ad certum tempus tollere illam aut relaxare solus Pontifex potest ante tempus finitum.... Ratio est, quia alias intentio Pontificis frustraretur.

Hanc eamdem sententiam defendit Thesauro *De poenis eccl. Cap. 24, Amplia 4* his verbis: « De sus- » pensione autem lata vel in per- » petuum, vel ad certum tempus, » communis sententia docet, non » posse Episcopum absolvere ex » vi Cap. *Nuper,* quia eo ipso est » reservata, ex quo canon tempus » praefinivit durationis. »

Porro in cit. Cap. *Nuper 29 De sent. excomm. Tit. 39* dicitur inter alia: « Quia tamen conditor » canonis eius absolutionem sibi » specialiter non retinuit, eo ipso » concessisse videtur facultatem » aliis relaxandi. »

Ferraris V. *Suspensio Art. VIII, n. 4* idipsum affirmat, ea ductus ratione quia sicut legem superioris, ita et annexam ei poenam inferior solvere non potest.

Putamus, ab eiusmodi sententia non esse recedendum tum quia gravissimis auctoribus innititur, tum quia rationes ab iis adductae solidissimae videntur. Addimus, quod ut Episcopus vel alius inferior ab huiusmodi Tridentinis censuris ad tempus latis, absolvere posse dicendus sit, constare omnino debeat eis factam a Concilii Patribus facultatem fuisse eas absolvendi.

Id vero unde constat? Non ex iure, in quo sanctum est effatum, inferiorem nihil posse in lege superioris; non ex ipso capite in quo suspensio ad tempus fertur, quia hoc ipso quod ad tempus feratur, reservatio inducitur; hinc affirmare velle quod suspensio haec ad tempus non est reservata, quia reservatio eius non indicitur, est nihil dicere; non argumento deducto ex aliis exemplis que suppetant in Concilii Tridentini suspensionibus ad tempus latis, vel in ipsa Constitutione Apostolicae Sedis, quia, nisi memoria nos fallit, eiusmodi exempla non existunt. Non ex intentione sive explicita, sive implicita Legumlatorum, ex qua deducatur eos absolutionem huiusmodi suspensionum non reservare; quia haec intentio nullibi apparet; non ex aliqua ratione, quia non suppetit; atque de cetero verum un-

dequaque est, quod si haec temporalis suspensio reservata non esset, mens Legumlatorum frustraretur; quilibet enim titularis Episcopus posset ordinationes vetitas agere, et absolutionem suspensionis deinde ab quocumque petere, atque ita latas suspensiones deridere; non ex Doctorum suffragio, quia praestantissimi sententiam nostram defendunt. Ergo contraria sententia quolibet fundamento destituta videtur.

Quid ergo de ratione adducta in Cap. *Nuper*, quo dicitur: quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi?

Respondemus, eiusmodi regulam ad casum non posse applicari. Etenim relate ad casum nostrum, in cap. *Nuper* agitur de excommunicatione minori, quam is incurrit qui cum excommunicato communicat, non tamen impendendo auxilium, favorem; ea vero excommunicatio, sicut et ceterae, indefinita est, scilicet nullo tempore constringitur; cum autem Pontifex definierit, illius excommunicationem qui excommunicato impendit auxilium, consilium, favorem reservatam esse, quoad alium autem casum nullam reservationem haberi, optime iudicavit, hanc minorem excommunicationem reservatam non esse; quandoquidem ex ipsa legislatoris mente deducitur, eam non esse reservatam, sin minus ut priorem, ita et hanc reservasset.

At in casu nostro agitur de suspensione a Pontificalibus per annum a Tridentino Concilio inducta; mens ergo legumlatorum fuit, ut qui legem transgrederetur, eam subiret; sin minus ad quid annum determinassent? Cum autem ex verbis decreti nulla intentio appareat, ut ante annum, qui suspensione perculsi fuere, ab ea interim absolvantur; hinc et nulla paritas inter hunc et in cap. *Nuper* citatum casum intercedit, et suspensus ab inferiore, vel ab Episcopo infra annum absolvi non potest.

CAPUT IV.

Suspensione percelluntur tum ordinantes alienum subditum, tum clerici ordinati.

Hanc suspensionem legimus in Concilio Tridentino *Sess. XXIII, Cap. VIII de Reform.* his verbis: « Unusquisque autem a proprio » Episcopo ordinetur. Quod si quis » ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel » privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi » eius probitas ac mores Ordinarii » sui testimonio commendentur. » Si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, et » ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. »

Ut scripsimus in *Appendice 44, pag. 365,* Episcopus proprius potest esse *originis, domicilii, beneficii, familiaritatis,* prout etiam statuit Innocentius XII in Const. *Speculatores* lata die 4 Novembris 1694. Cum itaque Tridentini Patres quemlibet ab proprio Episcopo ordinari praecipiunt, unum ex dictis intelligunt; alienum hinc vocant qui non est episcopus neque originis, neque domicilii, neque beneficii, neque familiaritatis.

Id autem intelligitur nisi ordinandus ab Episcopo proprio literas excardinationis obtinuerit, quibus ei fit legitima facultas libere a propria Dioecesi abeundi, ut ab alieno Episcopo in suum Clerum cooptetur; hoc enim in casu Episcopus ordinans ita habendus est, ac si proprium subditum ordinet; talis enim fit excardinatus per legitimam in illam Dioecesim incardinationem. At eiusmodi casu excepto, nemo ab alieno Episcopo ordinari potest.

Qua in re observandum est, in Tridentino Capite duplicem prohibitionem contineri; unam quidem absolutam, qua quilibet prohibetur ab alieno Episcopo ordines recipere, eaque continetur sub illis verbis: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur;* qua de causa, ne quis eiusmodi prohibitione, poenaque ei adnexa teneatur, nedum testimoniales epistolae, sed dimissoriales necessariae sunt, quibus fit a proprio Episcopo facultas ordinando ut ab Episcopo alieno possit ordines recipere. Alia prohibitio respicit clericos illos, vel Episcopos qui privilegium obtinuere ordines conferendi cuilibet, vel recipiendi a quocumque Episcopo communionem habente cum Romano Pontifice, cui privilegio si legitimum sit, non potest derogari. Attamen ordinandus, non obstante privilegio quo fruitur, Episcopo ordinanti praesentare debet epistolas testimoniales proprii Episcopi, quibus eius probitas et mores commendantur; quas literas si Ordinandus non praesentet, Episcopus ordinans eas exigere debet; epistolas testimoniales, inquam, non dimissorias; etenim hae continentur in privilegio obtento; nullam enim vim haberet, vel illusoriam tantum, si in eiusmodi casu necessariae forent Epistolae dimissoriales, quibus Clerico et ordinando in genere fit facultas recipiendi ordines ab alieno Episcopo; atque insuper privilegium ab Superiore concessum subiectum esset inferioris voluntati; quod absonum (1).

Quantum vero ad poenam incurrendam attinet, uterque Episcopus eam incurrit, desint pro diversitate casus epistolae dimissoriales vel testimoniales.

Quid autem dicendum de Regu-

(1) De huiusmodi privilegiis sermo est Sess. XIV, Cap. II de Reform. quo Episcopi titulares prohibentur alienos subditos ordinare *vigore cuiusvis privilegii sive de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi.*

laribus, et de iis Clericis qui duplicem Episcopum proprium habent, alium beneficii, alium domicilii; possent ne hi pro recipiendis ordinibus Episcopum ad lubitum variare?

Quantum ad Regulares attinet, ex variis Romanorum Pontificum constitutionibus, et S. Congregationis Concilii decretis citatis et confirmatis a Benedicto XIV in Constit. *Impositi nobis* lata die 27 Februarii 1747 constat, eos ordinandos esse ab Episcopo, in cuius Dioecesi situm est monasterium, in quo ordinandus commoratur (1) ut alias diximus, et probavimus. Alias inter, en quid Benedictus XIII, qui Regularibus, praesertim Ordinis S. Dominici, ad quem ipse pertinebat, innumera fere privilegia contulerat, statuerat in Const. *In Supremo* data die 23 Septembris 1724. « Quoties » ergo Regulares ad ordines erunt » promóvendi, servetur omnino » Decretum Congregationis Cardi» nalium Concilii Tridentini inter» pretum a piae memoriae Cle» mente VIII Praedecessore etiam » nostro confirmatum die 15 Mar» tii 1596, quo sancitur, ad Epi» scopum Dioecesanum literas di» missorias pro eorumdem ordinum » susceptione a suis Superioribus » esse dirigendas, praeterquam in » casu, quo Dioecesanus a Dioecesi » abesset, vel ordinationes non es» set habiturus, quo etiam casu in » litteris dimissoriis ad alium Epi» scopum dirigendis expressa fieri » debeat mentio, vel de praedicta » Episcopi Dioecesani absentia, vel » de ulla alia causa, videlicet quod » ordinationes non sit habiturus; » exceptis tamen, quoad praedicta, » Regularibus illis, quibus per spe» ciale Privilegium (2) a Sede Apo» stolica post Concilium Triden» num fuerit concessum, ut a quo» libet catholico antistite ordines » suscipere possint, super quo in» dulto nihil per praesentes inno» vare intendimus » (3).

Ita ut nullimode dubitandum sit

(1) Episcopi qui contra abusus eiusmodi ad S Sedem querelas detulerant ita argumentabantur: Regularium ordinationes Dioecesanis Episcopis expresse esse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur.

(2) Cum fuerit speciale privilegium, non erat in eo communicatio privilegiorum; sin minus non speciale, sed communissimum fuisset.

(3) Benedictus XIV autem *Const. cit.* haec statuit: « Quaecumque nimirum » hac in re a praefatis praedecessoribus nostris Gregorio XIII, Xisto V, Cle» mente VIII, et Innocentio XIII in supra citatis ipsorum litteris seu decretis, » statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, » scientia, et potestatis plenitudine praefatis, earumdem praesentium serie confir» mamus, roboramus, et innovamus; atque ab omnibus ad quos spectat, seu quan» documque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et iubemus.

quin Regulares promoveri ad ordines debeant ab eo Episcopo in cuius Dioecesi situm est monasterium, in quo ipsi commorantur, ad quem deferre debent literas testimoniales proprii Superioris.

Quantum vero attinet ad Clericos qui, eo quod habeant duplicem Episcopum proprium, domicilii ex. gr. et beneficii, variare possunt circa ordines recipiendos, satis sit adnotare, Doctores in sententia statuenda discrepare, cum alii doceant, variationem semper licitam esse, uti Leurenius *For. Eccl. 1, 596,* et Pirhing *1, XI, 30;* alii semper illicitam, ut Reiffenstuel *Ius can. univ. 1, XI, 79* (1);

» Transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per Apo» stolicas Constitutiones et per Sacros Canones latis atque statutis, cum effectu » subiacere, easque ipso facto, et absque ulla declaratione incurrere decernimus. »

(1) Cl. Reiffenstuel verba praestat referre. « Quod quis a quolibet illarum » Dioecesium Episcopo possit ordinari, procedit potissimum ante factam unius » istorum Episcoporum electionem, seu receptam ab ipso ordinationem. Nam quando » aliquis fuit ordinatus ab uno praefatorum Episcoporum, v. g. ab Episcopo be» neficii in Subdiaconum ad titulum beneficii in eius Dioecesi existentis et per» sonalem residentiam requirentis, vel ad titulum patrimonii pro utilitate vel » necessitate Ecclesiae suae iuxta formam Concilii Tridentini *Sess. 23, cap. 16* » *de Reform.* tunc talis, inconsulto illo priori Episcopo, non potest ordinari, v. g. » in Diaconum, vel Presbyterum ab alio Episcopo, puta originis vel domicilii. » Atque pro re sua citat Barbosa, aliosque plurimos Doctores; postea prosequitur: « Rationem dant. Tum quia variatio in ecclesiasticis, puta in receptione ordinum » maxime est vitanda, *Clement. un. de Renunc.* Tum quia alioquin talis va» riata ordinatio fieret in praeiudicium prioris Episcopi per primam ordinationem » electi, utpote qui talem iam semel ordinavit, et quidem ad titulum beneficii » vel patrimonii pro utilitate suae Ecclesiae; sicque in hunc finem ulterius inve» stigare potest et debet constantem morum probitatem atque idoneitatem ordi» nandi. Fatendum tamen quod extra praedictum casum, Diana... cum nonnullis » aliis oppositum teneat. Quia inquiunt, talis variatio in iure non reperitur pro» hibita; nam impraesentiarum variatio non contingit circa unum idemque subie» ctum, qualis prohibetur *in cit. Clement. un. de Renunc.*, sed respectu diver» sorum ordinum, quorum quilibet est irreiterabilis. »

At Pignatelli loc. cit. hisce probat variationem esse licitam: N. 7. « At te» nendum est variationem praefatam esse licitam... Quia hic adest causa, propter » quam aliquis censeatur subiici Episcopo, ut ab eo possit ordines recipere, sicut » habetur ex Cap. *Cum Nullus De temp. Ordin.*, ubi Pontifex non solum vult » ratione originis aliquem subiici Episcopo, ut possit ab eo ordinari, sed etiam » ratione domicilii et beneficii; ergo illae sufficient, quamvis aliquis propter eas » non sortiatur domicilium. Atque ita statuit Diana.... et declaravit S. Congre» gatio Concilii tempore Cardinalis Alciati, et 20 Maii 1594. Quod etiam censuit » in una Fundana die 27 Februarii 1666 per haec verba: S. Congregatio.... re» spondit *esse licitam, dummodo non in fraudem.* Secus autem censeo quando » beneficium esset tenuissimi reditus, quia censeretur procuratum in fraudem, ut » declaravit eadem Sacra Congregatio 28 Novembr. 1633 in una *Venetiarum.* »

alii licitam esse, dummodo non fiat in fraudem, ut Pignatelli *Consult. Can. 38, n. 7;* alii demum licitam esse, dummodo Clericus non fuerit in sacris ordinatus ad beneficium, quod residentiam exigit; uti Schmalzgrueber *Ius Can. 1, XI, n. 29.*

In tanta Doctorum discrepantia, ea sententia nobis vera videtur, qua variatio prohibetur in fraudem. Cum enim iura clerico permittant sacros ordines ab proprio Episcopo suscipere, hunc autem esse dixerint sive originis, sive domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis; horum autem non limitaverint auctoritatem in casu quo quis clericus ab alio sacros ordines susceperit, vel beneficium obtinuerit, non potest ab Episcopo ex. gr. domicilii ordinatus impediri quominus ab Episcopo beneficii alios ordines suscipiat; utitur enim iure suo tum Clericus, tum Episcopus.

Accedit, saltem nostra sententia, quod si quis Clericus ab Episcopo ex. gr. originis ordinatus, non posset ab Episcopo domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis ordinari, horum iura frustranea et illusoria essent, cum ea in casu numquam ad effectum deducere possent; quod repugnat iuribus constitutis. Quin imo addendum est, Clericum in casu, inutiliter acquirere titulos alios, ratione quorum ordinari ab alio potest Episcopo; quod pariter iuribus constitutis repugnat.

Quid enim prodesset Titio Clerico qui in Subdiaconum ordinatus fuerat ab Episcopo originis domicilium vel beneficium in aliena Dioecesi obtinuisse, quando sine venia Episcopi originis ordinari non posset?

Minus hinc vera nobis apparet sententia a doctissimo Schmalzgrueber *loc. cit.* propugnata, et ab aliis quos ipse citat, quamque his verbis exponit: « Excipitur, nisi » Clericus in sacris, videlicet subdiaconus ordinatus sit ad Ecclesiae servitium, seu beneficium residentiam postulans; nam hic ab alio Episcopo, absque consensu ordinantis prioris, alium superiorem ordinem non potest accipere. » Etenim exinde unum sequitur. Subdiaconum hunc debere aut dispensationem legitimam ab residentiae onere impetrare, aut beneficium ultro dimittere, si velit in Dioecesi manere Episcopi a quo ulteriores ordines recepit; minime autem sequitur, eum non posse ab Episcopo alio, cui ius competat, ad ulteriores ordines promoveri; nullo enim iure impeditur.

Fraus autem eliminanda est, tum quia fraus et dolus nemini patrocinari debent; tum quia haec ratio admissa fuit a S. Congregatione Concilii; tum demum quia cum le-

Nec obstare affirmat effatum: *optione semel facta omne sui consumitur:* quia ius consumi dicit, unius rei eligendae, non autem omnibus exhibitis; quippe quod ad non-exhibita integra manet optio.

gumlatores aliquid permittunt, sine peccato et malitia permittunt, quae fraudi cuilibet semper copulantur. Atque hinc si quis Clericus domicilii Episcopo subditus, ab alio adeo tenue beneficium obtineat quod ad honestam eius substentationem non sufficiat, ob idque Episcopum domicilii dimittere velit, hic in fraudem agere dicendus esset, consequenter legitime impediri quominus ab Episcopo beneficii non sufficientis ad ordines promoveatur; iura enim requirunt beneficium quod sufficiat ad honestam Clerici sustentationem.

Quamvis autem quilibet a proprio Episcopo promoveri debeat, et non ab alio sine literis vel dimissorialibus vel testimonialibus proprii Ordinarii, fit tamen exceptio pro iis Clericis qui potestati subsunt Episcopi qui quod alienae Dioecesis Clericos ordinavit, a conferendis ordinibus sit publice suspensus.

Eiusmodi exceptio continetur in Cap. *Eos qui De tempor. Ordin.* in 6, quo dicitur: « Clericis quo» que parochiae taliter suspenso» rum postquam eorum suspensio » fuerit manifesta, absque ipsorum » etiam licentia interim recipiendi » ordines ab aliis vicinis Episcopis, » alias tamen canonice, liberam » concedimus facultatem. »

Attamen hoc in loco observare debemus quae scribit cl. Giraldi *Expos. Iuris Pontif. Part. 1, Sect. 93:* « Opinor tamen quod cum » non satis esset notorietas facti, » vi cuius viciniores Episcopi prae» fato indulto uti possent, sed ne» cessario requireretur notorietas » iuris, declaratio scilicet per sen» tentiam incursionis in suspensio» nem, haecque iuxta hodiernam » Ecclesiae disciplinam contra Epi» scopum ferri nequeat nisi a Sede » Apostolica, hanc eodem tempore » fore provisuram crederem per » specialem deputationem vel Me» tropolitani, vel alicuius Episcopi » ex vicinioribus, a quo subditi » suspensi Episcopi ordinari pos» sent, ut tam ab ipsa S. Sede, » quam a Congregatione Concilii in » similibus facti contingentiis fieri » solet.... Si vero Sedes Aposto» lica aliter a dicta Decretali non » provideret, dicendum esset ei» dem derogare noluisse.... »

Cum autem Episcopus ordinans non pauca posset afferre in suam defensionem, sive vere sive falso, neque ad subditos pertineat de suspensione ab Episcopo incursa iudicare, difficillime evenire posse putamus ut eius suspensio nota fieri possit notorietate facti, sed omnino requiri sententiam declaratoriam S. Sedis. Quae consequenter si adsit, et in ea indicetur a quo Episcopo ordinandi sint illius Dioecesis Clerici, ab eo tantum ordinari possunt, et non ab alio; si vero nihil in re disponatur, Clerici illi a quocumque vicino Episcopo, qui scilicet illi Dioecesi sit limitrophus, promoveri poterunt.

Attamen prudenter agent Clerici si ab suo petant Episcopo, an et a quo velit ut ordines recipiant, neque quidquam faciant praeter ipsius sententiam. Obedientes et reverentes subditos id quam maxime decet.

At praeter legitimos casus, si qui Episcopus ordinet alienum Clericum sine epistolis dimissorialibus aut testimonialibus proprii Ordinarii suspenditur a *collatione ordinum per annum. Ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire.*

Relate ad ordinantem nullum dubium esse potest quin suspendatur a collatione omnium Ordinum: dictio enim generalis est, neque ad ordines illegitime collatos limitari potest, cum si unum tantum ordinem conferret, dictio, quae est numero plurali, falsa inveniretur; tum id patet ex collatione cum suspensione ordinatorum; hi enim suspenduntur a susceptorum ordinum executione, qui ad alios debite susceptos extendi non possunt, tum propter verba, tum quia in capite sermo est de ordinibus quos proprius ordinarius non contulerit, atque praeter ipsius sententiam suscepti fuerint; at relate ad Episcopos ordinantes dicitur: *a collatione ordinum per annum,* profecto in genere et nulla facta limitatione; quae de cetero limitatio vix comprehendi posset, si Ordinans tantum ab collatione illorum ordinum quos indebite contulit suspensus intelligeretur; cum enim alios ordines, quos non contulit illegitime, conferre posset, falso de eo diceretur suspensus a collatione ordinum.

Equidem Giraldi *Part. 1, Sect. 93* contrarium affirmare videtur. At ad rem suam demonstrandam unam Cardinalis Petra expressis verbis auctoritatem inducit, quin aliquo argumento sententiam suam communiat.

Duplex tamen quaestio dirimenda in casu est: an, scilicet, eamdem poenam incurrat Episcopus etiam pro primae tonsurae collatione; et an ad suspensionem incurrendam pro collatione ordinum in eo requiratur praesumptio.

Ad utramque quaestionem negative respondemus. Quamvis enim et prima Clericalis tonsura sine venia Dioecesani Episcopi conferri nequeat, ut constat ex Cap. *Nullus IV De temp. Ordin. in 6* (1), tamen hoc in loco sermo est non de peccato, sed de suspensione incurrenda.

Cum ergo in Capite sermo sit de ordinibus, quo sub nomine non venit clericalis tonsura, ut in capitibus praecedentibus demonstravimus, hinc ob tonsurae collationem non incurritur suspensio al

(1) Illud ita legitur: Nullus Episcopus, vel quilibet alius infanti (nisi forte religionem intraret) seu illiterato, sed nec absque sui Superioris licentia homini Dioecesis alienae clericalem praesumat conferre tonsuram.

ordinum collatione; quod adeo verum est, ut si Episcopus aliquam poenam ob eiusmodi factum incurreret, suspensione afficeretur ab una clericali tonsura per annum conferenda, et minime a collatione ordinum. Allegati enim in nota capitis haec est sanctio. « Qui vero » contra fecerit (ut in eo in quo » peccaverit puniatur) per unum » annum a collatione clericalis ton» surae dumtaxat noverit se sus» pensum. » Non ergo a collatione ordinum. Nullibi demum reperimus in Constitutione *Apostolicae Sedis* eiusmodi suspensionem innovatam fuisse.

Relate ad alteram quaestionem, eam ad tramites Concilii Tridentini dirimere debemus. Cum ergo Tridentini Patres in huiusmodi Episcopis praesumptionem non exegerint, secus ac de titularibus diximus, hinc cum cl. Giraldi *loc. cit.* concludimus, eam transgressores Episcopos incurrere etiam *citra praesumptionem.*

Porro cum haec in ordinantes suspensio ad annum tantum extendatur, eo elapso per se cessat, infra sed vero ab uno Romano Pontifice relaxari potest, ut alias diximus.

Ea vero quae in ordinatos lata est, Episcopi conscientiae remittitur, qui consequenter, resipiscentia clerici ordinati perspecta, breviori vel diuturniori tempore eam remittere poterit. Attamen in re observandum est, hanc Clerici suspensionem non remitti Episcopi arbitrio, ex quo sequeretur ab eo ad lubitum posse dispensari clericum illegitime ordinatum, sed eius conscientiae et iudicio; ita ut Clericus aliquo tempore suspensus manere debeat; verba enim: *quamdiu proprio ordinario videbitur expedire,* innuunt, ab Ordinario observandam esse Clerici agendi rationem, atque ex eius poenitentia, animique submissione etc. criterium sumere debere ad ipsum vel brevius vel tardius suspensione liberandum; sin minus Patrum Tridentinorum allegata verba nihil, vel fere significarent.

Clerici nullius Dioecesis ab eo Episcopo absolvendi sunt, ad quem pertinebat literas sive dimissorias, sive testimoniales dare.

Ad absolutionem huius Capitis inquirendum est, an suspensionem hanc incurrant etiam Clerici Regulares qui sine proprii Superioris litteris sive dimissorialibus sive testimonialibus ordinentur ab Episcopo Dioecesis in qua situm est Monasterium in quo clericus commoratur.

Cui quaestioni affirmative cum Bonacina *III, 1, XI, 3* respondendum esse ducimus, non ea quidem de causa quod ab alieno Episcopo ordinentur, sed quia ordinantur sine literis testimonialibus sui Superioris; quantum enim ad primum attinet, quamvis Regulares proprie dicti exempti sint a iurisdictione Episcopi, tamen cum iura consti-

tuta decreverint ut ordines suscipiant ab Episcopo in cuius Dioecesi situm est monasterium, in quo commorantur, iam relate ad hunc casum, ipsorum proprius Episcopus est Episcopus domicilii. Ergo cum ordinentur a proprio Episcopo, locum non habet suspensio illata in praesenti Tridentino Capite.

At eadem iura constituta decernunt ut regulares ab Episcopo domicilii ordinari non possint sine literis dimissorialibus suorum Superiorum Regularium, ut patet ex allegatis supra testimoniis. Ergo si absque hisce epistolis ordines ab Episcopo domicilii suscipiant, suspensionem Tridentinam incurrant necesse est. Id autem expressis verbis docet Benedictus XIV in *cit. Const.:* « Superiores nimirum » Regulares eas omnes (poenas in- » currunt), quas, ut praefertur, su- » pradictus Clemens VIII praede- » cessor constituit et sanxit. Re- » gulares autem, qui contra illius » Decreti praescriptum promoti fue- » rint, et Antistites eos promoven- » tes canonicas poenas atque cen- » suras, quae adversus sacram or- » dinationem suscipientes ab Epi- » scopo, qui proprius ad hunc ef- » fectum dici et haberi nequit (1), » nec non adversus Episcopos alie- » nos subditos indebite ordinantes, » in iure canonico, et in Constitu- » tionibus Apostolicis statutae ha- » bentur. »

CAPUT V.

Suspensione afficiuntur Abbates quicumque qui conferant primam Tonsuram, vel ordines minores cuiquam qui regularis subditus non sit.

Haec suspensio his verbis continetur *Sess. XXIII, Cap. X, de Reform.* « Abbatibus ac aliis qui- » buscumque quantumvis exemptis » non liceat in posterum intra fines » alicuius dioecesis consistentibus, » etiamsi nullius Dioecesis, vel » exempti esse dicantur, cuiquam, » qui regularis subditus sibi non » sit, tonsuram vel minores ordines » conferre; nec ipsi abbates et alii » exempti, aut collegia vel capi- » tula quaecumque, etiam Eccle- » siarum cathedralium, literas di- » missorias aliquibus clericis saecu- » laribus, ut ab aliis ordinentur, » concedant. Sed horum omnium » ordinatio, servatis omnibus, quae » in huius Sanctae Synodi decretis » continentur, ad Episcopos, intra » quorum Dioecesis fines existant, » pertineat; non obstantibus qui- » busvis privilegiis, praescriptio- » nibus aut consuetudinibus, etiam » immemorabilibus... Concedentes

(1) Benedictus XIV verba, *qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit*, pronuntiat de Episcopis illis, in quorum dioecesi non est Monasterium Regularis qui promovendus est ad ordines, ad quos privilegiorum praetextu, Regulares deferebant epistolas dimissorias suorum superiorum.

» autem dimissorias contra formam » decreti ab officio et beneficio per » annum sint ipso iure suspensi. »

Capite praemisso expendamus quinam hanc incurrant suspensionem, et quasnam ob causas.

Ante tamen declarare arbitramur quaenam sint praelatorum inferiorum species, de quibus Tridentini Patres loquuntur. Id autem peragemus verbis Benedicti XIV *De Synodo Dioeces. lib. 77, cap. XI.*

« Prima est eorum, inquit, qui » certo praesunt generi personarum » existentium intra septa alicuius » Ecclesiae, Monasterii, seu Con- » ventus, cum passiva exemptione » a iurisdictione Episcopi. Eius- » modi sunt Superiores Regulares, » et nonnulli Praelati saeculares, » qui una cum Ecclesia, eiusque » Ecclesiae clericis et administris, » quibus praeficiuntur, subsunt im- » mediate Romano Pontifici.

» Secunda species est Praelato- » rum habentium iurisdictionem » activam in Clerum et populum » certi loci, qui tamen locus est » intra Episcopi Dioecesim, a qua » undique circumscribitur. Et eius- » modi praelati, improprio tantum, » et lato quodam loquendi modo, » dicuntur esse *Nullius*.

» Tertia species est Praelatorum, » qui iurisdictionem activam habent » in Clerum, et populum alicuius » loci seu oppidi, aut plurium lo- » corum et oppidorum, quae o- » mnino avulsa et separata sunt a » cuiuslibet Episcopi Dioecesi; qua- » propter dicuntur constituere » quamdam quasi Dioecesim, ubi » Praelatus, iis exceptis, quae or- » dinis episcopalis sunt, omnia » exercet, quae caeteroquin ad epi- » scopalem iurisdictionem pertine- » rent. Huius generis praelati inter » inferiores nobilissimi sunt; di- » cuntur vere et proprie *Nullius*, » et veris annumerantur Ordinariis » locorum. »

Atqui dubitandum non est, quin Tridentini Patres duas priores Praelatorum classes suspensione afficiant, si latum decretum transgrediantur. Etenim illi consistunt intra fines alicuius Dioecesis, de quibus diserte loquuntur.

At quaestio agitari posset circa tertiam Praelatorum classem, qui vere et propie *Nullius* dicuntur et veris annumerantur Ordinariis; etenim cum territorium habeant separatum et extra cuiusvis Dioecesis terminos sub Tridentino Decreto se non comprehendi extimare possent.

At nullimode dubitandum est quin et ipsi sub eo comprehendantur, nisi post Concilium Tridentinum speciale privilegium obtinuerint quo ab illo eximantur, qua de causa dimissorias epistolas pro sacris ordinationibus *Nullius* Dioecesium clericis dare, non obtento post Tridentinum derogationis privilegio, pertinet ad viciniorem Episcopum. Id 1. patet ex initio Tridentini Capitis, in quo sermo est de quibuslibet Abbatibus, quantumvis exemptis, *etiamsi nullius Dioc-*

cesis. 2. ex variis S. Congregationis Concilii declarationibus relatis tum a Fagnano in Cap. *Significasti de Offic. Archid. a n. 27 ad 34;* tum a Cardinali Petra *ad Const. IV* Coelestini III, *a n. 67 ad 72;* tum a Benedicto XIV *De Synodo Dioecesana lib. II, Cap. XI, n. 15;* tum a cl. Giraldi *Expositio Iuris Pontificii, Part. 2, Sect. 99.* At vero prima quae ab Giraldi refertur est annni 1602 his verbis expressa *lib. V Decret. pag. 66:* « Censuit » facultatem ordinandi, ad Epi» scopum, intra cuius Dioecesis » fines Abbatia consistit, pertinere; » quod si intra Nullius Dioecesis » fines posita sit, ad viciniorem » Episcopum. Vicinitatem autem » ratione Ecclesiae, non territorii » esse attendendam. »

Alia est in *Ordin. Coelest. 22 Februarii 1631:* « Licere Episcopis » vicinioribus Ordines conferre sub» ditis saecularibus Abbatum, et » aliorum inferiorum, etiam Nullius » Dioecesis, sine consensu eorum » Abbatum, et aliorum inferio» rum. »

Quin imo praelatis Nullius Dioecesis prohibitum esse reperitur, epistolas testimoniales pro ordinibus suscipiendis ab alieno Episcopo Clericis suis concedere, nisi accedat consensus Episcopi vicinioris ad quem pertinet eos ordinare, ut declaravit eadem S. Congregatio Concilii in *Beneventana 17 Novembris 1605.*

Atque ne quid rei deesset, in *Anglonen. iurisdictionis 30 Ianuarii 1717,* et in *Illardem.* declaravit, epistolas tam super vita et moribus, quam super patrimonio et titulo beneficii clericis Nullius Dioecesis concedendas esse ab eodem Episcopo viciniore. (1) Si vero Abbatia sita sit infra fines alicuius Dioecesis, concedendas esse ab Episcopo illius Dioecesis. Apud Giraldi *loc. cit.*

Exinde vero nemo inferat, nullo pacto ab praelatis inferioribus non habentibus post Concilium Tridentinum speciale privilegium, concedi posse literas testimoniales.

Etenim has dare posse suis Clericis ad Episcopos respectivos declaravit S. Congregatio Concilii in *Regien. 4 Feb. 1634,* ut idem refert Giraldi *loc. cit.*

Concludamus igitur cum Benedicto XIV *loc. cit. n. 17:* « Huc» usque deducta aperte ostendunt, » praelatis inferioribus tertiae spe» ciei non competere de iure fa-

(1) Subdit vero Giraldi *loc. cit. Nota II:* « Quod si controvertatur quaenam » Dioecesis sit vicinior Abbatiae habenti territorium separatum a quacumque Dioe» cesi, concessio dimissoriarum, seu ordinatio subditorum dictae Abbatiae com» mitti solet a Congr. Concilii alteri Episcopo, ut fecit in *Nullius Mense Mar*» *tio 1588*, sine tamen praeiudicio Episcoporum contendentium... Et die 6 Mar» tii 1621 eadem Congregatio declaravit, sicuti iam prius declaraverat an. 1602, » vicinitatem attendendam esse non ratione territorii, sed Ecclesiae. »

» cultatem concedendi literas di-
» missorias suis subditis, nisi haec
» eis ex speciali distincto apostolico
» privilegio concessa sit » (1).

Qua de causa si cuicumque privilegio, praescriptioni aut consuetudini etiam immemorabili innixi, quae originem habeat ante Concilium Tridentinum, et non ex speciali privilegio post Tridentinum obtento, alicui clerico saeculari et subdito sive Tonsuram sive aliquem ex minoribus ordinibus conferant, suspensionem in praesenti decreto latam incurrunt.

Qua Abbates regulares quicumque atque etiam Capitula et Collegia plectentur si suis subditis saecularibus epistolas dimissorias ad ordines suscipiendos concedant ad alienum Episcopum, et non ad Dioecesanum, vel viciniorem.

Qua in re tamen observamus nos non existimare hasce literas dimissoriales concedentes ad alienum episcopum pro suscipienda prima tonsura suspensionem huius capitis incurrere. Etenim Tridentini Patres dimissorias epistolas dare prohibent tantum relate ad ordines; *nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut collegia, vel capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur concedant.* Porro non semel diximus, Tonsuram clericalem sub ordinum nomine non venire; quod hoc in loco etiam ex eo apparet, quia supra Abbatibus quibuscumque prohibuerint quominus suis subditis saecularibus etiam clericalem tonsuram conferent; dum autem de dimissoriis concedendis locuti sunt unos ordines nominarunt clericis saecularibus conferendos; ergo non primam tonsuram, quam clerici iam habent. Addendum, Tridentinos Patres hoc in Capite recensere alia decreta in re ab eis lata; at in illis de unis tantum ordinibus sermonem fecisse, patet ex *Sess. XIV, Cap. 3; Sess. VII, Cap. 10; Sess. XXIII,*

(1) Subdimus quae loc. cit. n. 16 scribit Benedictus XIV. « Nihilominus » tamen non desunt etiamnum Abbates tertiae speciei, hac peculiari praefulgentes » praerogativa, ut suis subditis litteras dimissorias ad Ordines nedum minores, » sed etiam sacros suscipiendos elargiri valeant, et reipsa elargiantur, ita ut nulli » Episcopo fas sit, sine ipsorum literis eorumdem subditos ordinare. At haec prae- » rogativa non est annexa qualitati Nullius, neque profluit ex territorio perfecte » separato sed unice derivatur ex speciali privilegio, post Tridentinum obtento, » quo Sedes Apostolica nonnullos cumulavit Abbates. Eiusmodi privilegio ab Ur- » bano VIII auctus est Abbas Nonantulanus, ita eumdem Pontificem consulente » Sacra Congregatione Concilii die 10 Ianuarii 1636. Idem indultum assecutus est » Abbas Farfensis. Eamdemque potestatem a Sixto V Abbati Cassinensi, atque a » Paulo V Abbati Cavensi factam narrat Fagnanus in Cap. *Significati de Offic. » Archid. n. 25 et 26.* » Et Capitulum S. Petri relate ad abbatiam S. Rufilii a Benedicto XIII, atque alii.

Cap. 8 de Reform. Demum dum Patres Tridentini etiam clericalem tonsuram includere voluere, de ea disertis verbis locuti sunt, ut patet ex *Sess. XIV, Cap. 2 de Reform.* Cum igitur hoc in loco de ordinibus loquantur et de clericis, neque clericalem tonsuram nominent, haec sub lege comprehendi dicenda non est.

Post haec inquirendum esse ducimus.

1. An Abbates Regulares possint minores ordines et primam tonsuram alienis subditis saecularibus conferre, qui ad eum proprii Episcopi literas dimissorias deferant?

2. An id saltem praestare possint alienis subditis Regularibus qui nedum instructi sunt epistolis dimissoriis suorum superiorum, sed etiam consensu Episcopi in cuius Dioecesi commorantur?

Porro ad utramque quaestionem negative respondendum esse, patet ex pluribus declarationibus S. Congregationis Concilii, praesertim ex Causa Catanien. Iuris conferendi ordines minores inter Episcopum Catanien. ex una, et Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis ex altera, die 23 Novembris 1641: « Sacra Congregatio » Concilii, utraque parte informante » ore et scriptis, ac rationibus hinc » inde deductis mature examinatis, » inhaerendo decisioni Rotae Romanae sub die 27 Aprilis 1592.... » nec non declarationibus eiusdem » S. Congregationis dictae decisioni » conformibus subsecutis, censuit, » improbata opinione contraria, Abbates Regulares benedictos eiusdem Congregationis Cassinensis, » seu alterius Congregationis, vel » Ordinis, aut Instituti, habentes » etiam iura episcopalia, usumque » mitrae, baculi, et benedicendi, ac » facultatem primam Tonsuram et » minores Ordines conferendi, non » posse dictam primam Tonsuram et » minores Ordines nisi suis subditis » Regularibus conferre, non autem » Regularibus alterius Ordinis, Congregationis, aut Instituti, etiamsi » habeant dimissorias suorum Superiorum Regularium, et consensum Ordinariorum, intra quorum » Dioecesium fines ipsi Regulares » ordinandi existunt; et multo minus personis saecularibus, et habentibus litteras dimissorias a » suis Ordinariis, ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis et » aliis Praelatis inferioribus tam » saecularibus quam Regularibus ut » in futurum concedere non audeant litteras dimissorias supradictas huiusmodi Abbatibus directas, nec ab ipsis recipi.

» Quod si secus fiat, tam concedentes quam ordinantes a collatione ordinum suspensi ipso » iure remaneant, praeter alias » poenas arbitrio eiusdem S. Congationis reservatas. Quam declarationem Urbanus VIII die 17 Ianuarii 1642 ad se delatam approbavit, et inviolabiliter obser-

» varî iussit, convalidando ordina-
» tiones primae Tonsurae, et Or-
» dinum minorum hucusque factas
» ab huiusmodi Abbatibus cum lit-
» teris dimissorialibus Ordinario-
» rum, et absolvendo a quibuscum-
» que poenis hac de causa incur-
» sis. » Apud Giraldi *loc. cit. Sect. 98, Part. II.* (1).

Regulares eiusmodi subditi, quibus Abbates Nullius, vel alioquin exempti, conferre poterant tonsuram et minores ordines erant solemniter professi; nemo enim vere regularis est, nisi solemniter professus.

Attamen in novo iure attendenda sunt decreta super statu Regularium incipientia *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae* anno 1848 promulgata, et Literae Encyclicae super statu Regularium latae die 19 Martii 1857. Porro in declarationibus latis a S. Congr. Epp. et Reg. die 12 Iunii 1858, sub n. VII Eminentissimi Patres decrevere: « Superiores Regulares, » ad quos spectat, concedere pot-
» erunt huiusmodi professis (vo-
» torum simplicium) litteras dimis-
» sorias dumtaxat ad primam Ton-
» suram, et ad Ordines minores,
» servatis tamen de iure servandis,
» et praesertim quae circa Ordina-
» tiones Regularium ab Apostolica
» Sede praescripta sunt » (2).

Cum insuper Archiepiscopus Mexicanus die 19 Martii 1857 ab Apostolica Sede inter alia petiisset.

« 1. Possunt ne Novitii post e-
» missa vota simplicia, ante emis-
» sionem solemnium ad sacros or-
» dines promoveri titulo paupertа-
» tis, non obstante Constitutione
» *Romanus* S. Pii V die 12 No-
» vembris an. 15 in lucem edita?

» 2. Possunt Provinciales dispen-
» sare cum Novitiis defectu Nata-
» lium laborantibus ante emissio-
» nem votorum solemnium, ad hoc
» ut his ordines conferantur? »

S. Congregatio die 20 Ianuarii 1860 respondit:

(1) Hisce vero concordant plures aliae S. Congregationis Concilii declarationes, quae legi possunt in Edit. Neapolitana Concilii Tridentini anni 1859. Quare repudianda hac in re est sententia Bonacinae qui *Part. III. Disput. III. Punct. 3.* contrarium scribit; tot enim in re latae declarationes existunt, ut ab iis nullo pacto recedi posse existimandum sit. Ut enim nonnullas allegemus, in *Brixien. 12 Decembr. 1733* haec declarata legimus:

Ad 1m. « Monachos ordinatos ab alio Episcopo cum solis litteris obedientialibus » et sine dimissoriis Episcopi Dioecesani esse illicite ordinatos, et tam Abbates » quam ipsos incidisse in poenas canonicas. »

Ad 2m. 6m. et 7m. « Abbates neque sine litteris dimissoriis Ordinarii monachos » dimittere ad alium Episcopum pro suscipiendis Ordinibus, neque minores ordines » et tonsuram regularibus sibi non subditis conferre, neque saecularibus aliarum » Dioocesium cum dimissoriis eorum Ordinarii, et sine licentia proprii ipsorum » Ordinarii possunt. »

(2) Apud Bizzarri Collectanea, pag. 907.

Ad 1. Negative quoad Ordines sacros.

Ad 2. Affirmative pro prima tonsura et ordines minores, quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Igitur iuxta modernum ius necessarium non est ut regulares professionem solemnem emiserint, quo a propriis Abbatibus Tonsura et ordines minores conferri possint, sed satis est ut emiserint vota simplicia.

Quamvis autem Abbates nonnisi propriis subditis regularibus clericalem tonsuram et ordines minores conferre possint, exinde nemo putet eos invalide conferre si alieno subdito conferant. Hanc quaestionem iuxta concessam sibi sapientiam diremit Benedictus XIV *lib. II Cap. XI De Synodo dioeces. n. 13:* « Quod » autem ad alteram pertinet quae » stionem de ordinationis validitate, » iam plerique Doctores sustineri » docuerant, primam tonsuram, mi» norésque ordines a praedictis Ab» batibus collatos, aut Regularibus » sibi non subiectis, aut saecula» ribus in suis privilegiis non com» prehensis. » Atque allegatis pro hac sententia praestantissimis doctoribus, prosequitur. « Huic vero » sententiae calculum subinde adie» cit S. Congregatio Concilii, quae » illicitam quidem habuit, sed va» lidam semper pronunciavit or» dinationem, de qua disserimus. » Etenim cum in causa *Conim» bricen. 26 Iunii 1655* quaesitum » fuisset: An Abbates Congregat. » S. Bernardi et S. Benedicti con» ferre potuerint ordines minores » Regularibus sibi non subditis, » nec non saecularibus etiam ha» bentibus litteras dimissorias suo» rum Superiorum, respondit sane, » id fieri nequaquam potuisse, sed » simul addidit: Promotos ab illis » non indigere alia collatione di» ctorum Ordinum, sed absolu» tione et rehabilitatione a Sanctis» simo obtinenda. Similiter in causa » *Panormitana coliationis Ordinum* » *die 16 Martii 1647,* disceptato » Articulo: An ordines minores » per Abbatem Regularem non be» nedictum collati non suis subdi» tis, sint validi, si Abbas habeat » privilegium illos suis subditis » conferendi, prodiit decisio alteri » conformis, quae antea emanave» rat in caussa *Catanien. 23 No» vembris 1641,* cuius verba sunt: » collationem autem Ordinum su» pradictis non suis subditis, etiam » regularibus, factam, si fuerit de » ordinibus etiam minoribus, et di» ctus Abbas non benedictus non » habeat privilegium Apostolicum, » Ordines collatos remanere inva» lidos, et Ordinatos indigere alia » ordinatione; si vero Abbas non » benedictus habeat dictum privi» legium et ordines minores tan» tummodo contulerit suis non » subditis, Ordinatos non indigere » alia ordinatione, sed solummodo

» absolutione et rehabilitatione a » Sede Apostolica obtinenda... De» nique cum in causa Lucana pro» posita 16 Martii 1726 disputare» tur de privilegiis concessis Ab» bati S. Barbarae civitatis Man» tuanae, et speciatim res esset de » Clerico ab eodem Abbate ad mi» nores ordines promoto, quam» quam promotus non recenseretur » inter personas in Abbatis privi» legio expressas, S. Congregatio » ordinationem illicitam dixit, Cle» ricumque minoribus initiatum » suspensione irretitum declaravit, » non tamen Ordines eidem iterum » conferendos iussit.

» Quare, ut quam versamus con» troversiam paucis absolvamus, » aut Abbas nullo fruitur privilegio » conferendi primam Tonsuram et » minores ordines, aut privilegio » potitur illos conferendi certo per» sonarum generi. Si primum, nec » licite nec valide potest quemquam » ad primam Tonsuram, minores» que Ordines promovere. Si alte» rum, illicite profecto, attamen » valide, primam tonsuram, mino» resque ordines etiam aliis con» fert, qui caeteroquin inter perso» nas non adnumerantur in privi» legio designatas. »

Abbates decretum hoc transgredientes suspensione per annum afficiuntur ab officio et beneficio: quod quid sit alias diximus. Cum autem suspensio sit determinata ad annum, eo completo, per se cessat; at infra, transgressores sunt a Romano pontifice, vel facultatem opportunam habentibus absolvendi.

Haec sed vero quae circa Abbates disputavimus extendenda sunt ad Collegia et Capitula saecularia quae habeant territorium Nullius Dioecesis, in quo iurisdictionem quasi Episcopalem exerceant; ut ex. gr. Capitulum S. Petri in Vaticano hanc habet in Abbatia Nullius S. Rufilli sita in Dioecesi Brictinoriensi (1).

Qua de causa ni haec Collegia et Capitula post Concilium Tridentinum obtinuerint speciale privilegium tum conferendi tonsuram et ordines minores, tum concedendi suis subditis literas dimissoriales ad ordines recipiendos, ut prorsus habet Capitulum Vaticanum, iisdem obstringuntur poenis, quibus Abbates, si latum a Tridentinis Patribus decretum transgrediantur.

---

(1) Non putamus, haec Collegia et Capitula, multo minus Abbates, computanda esse inter illos, quibus ex privilegio concessum sit, ut loco Capituli, sede vacante, in Episcopalem iurisdictionem succedant, ut intelligere videtur Commentator Patavinus in Comment. *pag. 333. n. 462. II.* Nullo enim pacto eiusmodi sensus extundi potest ex Cap. Tridentino, ut legenti patebit. Si vero succederent, utique eodem obstringerentur decreto.

CAPUT VI.

Eadem suspensione afficiuntur qui loco Capituli in iurisdictione Episcopi succedunt Sede vacante, si decretum transgrediantur.

Concilii Tridentini Patres in expenso superius Capite sequentia addunt: « Poenam quoque impositam iis qui contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III decretum a Capitulo episcopali, Sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi. » Pauca de hisce.

Decretum sub Paullo III latum de quo Patres Tridentini hoc in loco loquuntur et quod nos iam expendimus, interdictum infert Capitulo, si infra annum a die vacationis episcopalis dimissorias epistolas ad Ordines suscipiendos concedat Clericis non arctatis beneficii recepti aut recipiendi causa; Ordinatos vero in minoribus privat clericali privilegio, praesertim in criminalibus; promotos vero ad ordines maiores suspensione afficit ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri Praelati.

Duo igitur in praesenti capite statuunt Patres Tridentini; instaurant scilicet in ordinatos eamdem poenam; in illos vero qui cum in iurisdictione Episcopi loco Capituli sede vacante successerint, concedunt Clericis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, decernunt non poenam interdicti, sed suspensionis ab officio et beneficio per annum.

At qui in iurisditione Episcopali, sede vacante, loco Capituli succedunt, sunt Vicarius Capitularis, quem infra octo dies ab Episcopi morte tenetur Capitulum eligere, ad quem insuper tota iurisdictio transit privative, non cumulative cum Capitulo; tum esse possunt vel administratores, vel Vicarii Apostolici quos Romanus Pontifex deputat ad vacantem Dioecesim administrandam donec Ecclesia de novo pastore provisa non fuerit. Quamvis autem administratores deputare privative pertineat ad Apostolicam Sedem, haec tamen aliquando indulget Capitulis ut administratores deputent ab Romano tamen Pontifice confirmandos, et ad huius beneplacitum. (1) Pro re nostra autem idem est; etenim quicumque et quomodocumque succedant, decreto Tridentino tenentur obstricti.

Qua de causa si illud transgre-

(1) Rigantius in Regulas Cancellariae R. 24, §. II, n. 38, 40.

diantur, suspensione per annum afficiuntur *ab officio*, quae poena comprehendit tum ordinem tum iurisdictionem; *et a beneficio*, id est a perceptione fructuum beneficii; quae poena cum sit ad annum definita, eo elapso per se cessat, at infra ab uno Romano Pontifice remitti potest.

Attamen inter doctores quaestio est, 1. an Vicarius Capitularis hanc suspensionem incurrat, vel interdicto potius teneatur. 2. an decreti transgressores poenam incurrant, quamvis qui literas dimissorias obtinuere, illis usi non fuerint? Quantum ad primum attinet, Rigantius *Reg. 24. § 3. n. 237* existimat, Vicarium Capitularem suspensione percelli. « Et quidem Vicario Ca» pitulari infligitur a Tridentino *Sess.* » *23, Cap. 10 de Reform.* poena » suspensionis ab officio et Bene» ficio per annum. » Quod et alii sentiunt. Id vero eo argumento sustinetur quod Vicarius Capitularis reapse loco Capituli in iurisdictione Episcopali succedit.

E contra Giraldi *Expositio iuris Pontificii Part. II, sect. 100, Nota 4* affirmat. « Vicarium Capi» tularem concedentem intra an» num dimissorias non arctato, in» currere poenam interdicti iuxta » decretum *Cap. X Sess. VII*... Quae » poena est latae sententiae prop» ter verbum illud *subiaceat*, quod » est praesentis temporis. » Cuius sententiae argumentum est, quod cum Capitulum infra dies octo a morte Episcopi teneatur Vicarium Capitularem constituere, ad quem privative tota transit iurisdictio, si hic interdicto non teneretur, nesciretur quomodo Capitulum illud posset incurrere, post transactos dies octo. Ut igitur stet Tridentina sanctio necesse est sub interdicto Vicarium Capitularem concludere.

Quamvis in superioribus promiserimus, nos esse de huiusmodi quaestione acturos, dum de interdictis hac in Constitutione sermo esset, tamen cum hoc in loco opportuna nascatur occasio de ea disserendi, rem agimus.

Atque primum non negamus utriusque partis argumenta tum doctorum numero, tum vi intrinseca gravi fundamento niti.

Observamus tamen, alteram quae interdicto Vicarium Capitularem supponit, ni tamen nos fallat opinio, gravissimo niti. Etenim dum Patres Tridentini *Sess. VII, Cap. X* ecclesiastico interdicto supposuere Capitulum si infra annum literas dimissorias ad ordines recipiendos arctatis concessisset, ab eiusmodi dispositione excludere non potuit Vicarium Capitularem; ipsi enim sunt qui Sess. XXIV Cap. XVI decernunt. « Item officialem, seu Vi» carium infra octo dies post mor» tem Episcopi constituere, vel exi» stentem confirmare omnino tene» tur. Si secus factum fuerit, ad Me» tropolitanum deputatio huiusmodi » devolvatur. Et si Ecclesia ipsa

» metropolitana fuerit aut exem-
» pta, tum antiquior Episcopus ex
» suffraganeis in metropolitana et
» propinquior Episcopus in exem-
» pta oeconomum et vicarium ido-
» neum possit constituere. »

Cum ergo supponendi non sint Patres Tridentini poenam tulisse in unum Capitulum pro spatio tantum dierum octo, etenim de anno loquuntur. *Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis etc.* dicendi sunt eo sub decreto comprehendisse etiam Vicarium Capitularem: hunc consequenter incurrere interdictum, et non suspensionem ab officio et beneficio. Ex quo pariter sequitur, quod cum Tridentini Patres in Capite quod expendimus locuti sint de *aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi loco Capituli, sede vacante succedentibus,* illos intellexere, qui non a Capitulo constituti fuere, sed vel a Romano Pontifice, vel ab metropolitano, vel antiquiore ex suffraganeis, vel viciniori pro varietate casuum.

Ab iis enim dimissorias epistolas petendo error aliquis obrepere poterat. Cum enim Tridentini interdicto subiiccerint Capitulum, vel Vicarium capitularem a Capitulo constitutum, quique semper est de Capituli gremio, clerici ordinandi cogitare poterant ab eiusmodi poena exemptos illos esse qui a capitulo constituti non fuerant in iurisdictione episcopali, sed ab aliis, ex. gr. Romano Pontifice, Metropolitano etc.; ideoque se ab iis licite posse literas dimissoriales infra annum ad Ordines suscipiendos impetrare. Quod Patres Tridentini eliminarunt hos subiicientes suspensioni ab officio et beneficio per annum, si latum decretum transgredi et ipsi ausi fuissent.

Relate ad secundam quaestionem doctorum sententias exponemus. Nonnulli tenent, hanc suspensionem ab Capitulo incurri, quamvis concessis litteris Clerici usi non fuerint, tum quia actus Capituli est in se perfectus atque completus, neque per ipsum stat quare complementum sortitus non fuerit, tum quia in re resolutionem S. Congregationis Concilii refert Garcia *De Beneficiis part. 5, in addit. ad Cap. VII n. 92;* (1) tum quia plurimorum sententia haec est. Neque

(1) Resolutio relata a Garcia *loc. cit.* haec est: « Et quoad concedentes dimissorias sufficit sola concessio ad incurrendam poenam, licet eis usum (sic) non » sit, ut in sequenti declaratione S. Congregationis. Vicarius capitularis sede vacante litteras dimissorias ad ordines concessit infra duos menses a die vacationis: verum cum is cui concessae litterae fuerunt, eis usus non esset, dubitatum » fuit, an poena Cap. X in fine sessionis 23 in hoc casu locum haberet. Congregatio » censuit, concedentem incidisse in poenam, licet is, cui concessit, usus non fuerit, » nam actus fuit perfectus quoad concedentem, per quem non stetit. » Auctor postea allegat pro alio casu un. Asturicen. 21 Aprilis 1591. At non intelligitur utrum hac die et anno lata fuerit superior declaratio.

ex Tridentino Capite aliquid apparet quod actus hic debeat ab ordinatione Clerici complementum habere; etenim interdicto subiicitur Capitulum ob epistolas dimissorias, quas infra annum non arctato concedit, sicut alii ob eamdem rem suspensioni subiiciuntur. *Concedentes autem dimissorias contra formam decreti.* Hanc autem sententiam alios inter defendunt Rigantius *in Reg. Cancel. 24. § III n. 238,* atque Giraldi *Expos. Iuris Pont. Part. II, Sect. 100, Nota IV.*

At alii contradicunt, uti Diana *III, V, XII,* Marchini *1, VI, III, 15,* eo quod actus tum dici nequeat perfectus atque consummatus. Haec sententia aequior nobis videtur. Etenim 1. certum est, literas dimissorias dari ad ordines recipiendos; neque post concessas epistolas ullum, ordinarie loquendo, subest impedimentum quo quis prohibeatur illos recipere. Supponendi ergo non sunt legumlatores separare voluisse effectum a causa, neque poenam inferre, quae data fuit ne quis infra annum a die vacationis sine necessitate, ordines reciperet. Quidquid enim dicamus mens et finis principalis Tridentinorum Patrum hic fuit (1); at si post concessas a Capitulo literas dimissorias ordo non recipiatur, finis a legislatoribus intentus stat integer, neque lex, fuerit etiam per accidens, et praeter mentem dimissorias concedentium, violata fuit; non intelligitur ergo quomodo Capitulum, intacto manente fine legis principali, interdictum censeri possit.

2. Concilii Tridentini Patres dum *Sess. VII c. X. de Reform.* poenam inferunt, copulative, non disiunctive loqui videntur. *Si secus fiat,* inquiunt, *Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto, et sic ordinati* etc. ita ut supponant ordinationem ex concessis dimissoriis litteris secutam. Non est ergo separanda ordinatio, et poena pro unis concessis dimissoriis constabilienda.

Contrarium vero ex antecedentibus non probatur; etenim et ibi copulative loqui ex eo patere arbitramur, quod concedere litteras permittant arctatis; constare consequenter Tridentinos Patres num-

(1) Concilium Aurelianense V (an. 549) statuit « ut in civitate; ubi Pontifex » iure humanae conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem reparati » per ordinem successoris, aut in civitate, aut per parochias ordinare clericos, aut » altaria audeat consecrare, vel quidquam de rebus Ecclesiae praeter humanitatem » praesumat auferre. Quod si quisquam temerario ausu statuta trascenderit con » ventus ab instituto Pontifice verecundiae suae consulens sine dilatione oblata » restituat. Si vero suae voluntatis arbitrio, vel quorumcumque precibus actus » quamcumque personam promovere, aut contra interdictum praesumpserit, anno » integro missas tantum facere non praesumat. » Ita ut etiam ante Concilium Tridentinum id quod prohibebatur directe et absolute, sede episcopali vacante, erat ordinationes agere.

quam effectum qui est ordinatio, separasse ab causa quam constituunt litterae dimissoriae.

3. Negari non potest, Tridentinum decretum hanc benigniorem pati interpretationem; illudque de cetero, cum poenam statuat, esse odiosum. At in odiosis quod minimum esse sequendum iuris regulae docent.

4. Demum vera probabilitas sententiae quam defendimus, tum ob vim intrinsecam, tum etiam ob extrinsecam doctorum auctoritatem, quamvis alia sit minor, negari non potest. At vera probabilitas ab censura incurrenda eximit.

5. Argumenta vero quae in contrarium adducuntur solvi posse, si dicamus, ab contrariae sententiae defensoribus affirmari quidem, sed non probari, Concilii Tridentini patres disiunctive locutos esse. Quod autem dicunt, concessionem dimissoriarum esse in se actum perfectum et consummatum supponere videtur quod in quaestione versatur; supponit enim Tridentinos Patres disiunctive locutos esse: quaestio autem est: an Tridentini Patres disiunctive vel copulative locuti sint.

Equidem Garcia affert resolutionem Sacrae Congregationis Concilii. Observamus autem illam a nobis reperiri non potuisse penes alium auctorem quemlibet ex iis quos evolvimus; aliquos eam citare in fide Garciae; non unam citari ab auctoribus S. Concilii declarationem quae numquam lata reperitur; ideoque, ut sincere loquamur, niti illi declarationi veremur, donec eius authenticitas probata non fuerit.

Exinde monere lectores praetermittimus, quod quamvis Capitulum concedens litteras dimissorias interdicto subiaceret, et alii suspensioni, tamen nullam poenam incurreret Clericus qui illis epistolis usus non fuerit; in decreto enim poena infertur in ordinatos; *et sic ordinati.* Et satis.

CAPUT VII.

Suspensione afficiuntur promoti per saltum.

Eiusmodi decretum ita legimus *Sess. XIII, Cap. XIV de Reform.* in fine. « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare. »

Porro inter Commentatores quaestio agitatur an eiusmodi suspensio vigeat post Constitutionem *Apostolicae Sedis.*

Totus autem quaestionis cardo in eo vertitur; an suspensio haec directe a Tridentinis Patribus illata fuerit, vel tantum indirecte. Dictum est autem pag. 220 seqq., quod Pius Papa IX dum adhuc vigere dixit suspensiones a Tridentino Concilio latas, eas intelligendas esse quas directe et de novo statuit, non autem illas quas confir-

mavit a veteribus canonibus latas sive per generalia verba, sive per speciales allegationes; demonstravimus enim cl. Avanzini doctrinam sequentes, has postremas dici non posse censuras a Concilio Tridentino latas. Suspensio igitur haec lata contra promotos per saltum censenda ne est a Patribus Tridentinis directe lata, vel tantum indirecte, antiquorum scilicet canonum sanctiones innovando?

Et quidem clarissimi Frat. Piatus *Commentarius* in Const. *Apostolicae Sedis pag. 320* [3], et Commentator Patavinus *pag. 335* hanc suspensionem, ut censura est, non amplius vigere dicunt post Pianam Constitutionem, eo quod de novo et directe a Tridentinis Patribus inflicta non fuerit; quamvis arbitrentur uti poenam et prohibitionem adhuc vigere, cum de hisce Piana constitutio sollicita non sit.

E contra Avanzini *Editio tertia Manualis pag. 110* affirmat hanc suspensionem adhuc in suo vigore permanere, atque ad rei claritatem eius exscribimus verba.

« Quum haec suspensionis cen» sura non solum sit a Tridentina » Synodo indirecte innovata, sed » potius declarata, facta quoque » Episcopis facultate eam absol» vendi, in suo vigore permanet, » iuxta ea quae scripsi in appen» dice III, pag. 48 et seqq. »

Eum autem sequitur cl. D'Annibale in *Summula Part. III, pag. 124, Not. 16.* scribens: « Non item per saltum ordinatus, » quia haec poena veteri iure in» troducta (C. 1, Dist. 52, C. un. » De Cler. per salt.) a Tridentino » (XXIII, T. 14) *probata* dumtaxat » fuit. » Atque ad haec intelligenda lectores remittit ad Prolegomena § 388, 2.

At Avanzini in *alleg. pag. 48 et seqq.* nil aliud scripserat nisi quod post Constitut. *Apostolicae Sedis* non amplius vigeant censurae a Concilio Tridentino sive per generalia verba, sive per speciales allegationes innovatae.

Cl. autem D'Annibale idipsum scribit *loc. cit.*: « Non eas scilicet, » quas Tridentinum confirmavit ex » iure antiquo; nec quas innovavit, » nisi forte cum antea essent fe» rendae sententiae, eas fecit latae » sententiae; sed quas ipsum Con» cilium invexit, sanxit. Et neque » has omnes, sed 1. exceptis his » censuris quae mutatis temporibus » obsoleverunt, *ut XXV, Ref. Reg. 4.* » et 2. his locis exceptis ubi Tri» dentinum receptum non fuit. »

Ita ut scriptor uterque affirmare videatur hanc suspensionem contra ordinatos per saltum ideo etiamnum vim habere, eo quod Tridentini Patres nedum ipsam indirecte innovaverint, sed etiam declaraverint (ita enim obscuram loquendi rationem ab Avanzinio adhibitam intelligendam esse arbitramur) imo, iuxta praestantissimum d'Annibale, *probaverint*, atque ideo veluti de

novo lata a Tridentino Concilio putanda sit.

At nescimus utrum eiusmodi rationes rem conficiant. Primum enim certum est, Tridentinos Patres ad veterum canonum sententiam decretum tulisse, quod adeo evidens est, ut praetermissa particularium canonum allegatione, veluti si illos notissimos putarent, suspensionem in iis latam iterum statuant decernantque. Qui autem ita agunt, quid aliud agunt nisi per generalia verba poenas a iure inflictas ipso facto renovare?

Sed hanc suspensionem a Tridentinis Patribus *probata* fuit, scribit cl. d'Annibale. Utique. Sed censuras, quae in antiquis canonibus inflictae, intactas conservarunt, nonne probarunt? Nonne ut immotae consisterent voluere? Quare igitur viri sapientissimi scripserunt, post Constitutionem *Apostolicae Sedis* unas vigere censuras quas Tridentini directe tulerunt, non alias, quas innovarunt ex veteribus canonibus sive per generalia verba, sive per allegationes speciales?

2. Non intelligitur quid Tridentini Patres declaraverint; etenim et in Can. *Sollicitudo, Dist. 52,* et in Cap. unic. *De Clerico ordinato per saltum,* sermonem esse de suspensione, et non irregularitate ex doctissimorum Canonistarum sententia, et ipsorum Canonum lectione probare admodum difficile non erit.

Porro Canon *Sollicitudo* ab Alexandro II R. Pontifice conditus ita legitur: « Solicitudo dilectionis » tuae statuit consulere, utrum » portator istarum litterarum, Diaconatus et Presbyteratus officium » idoneus sit peragere, nec ne; » quum ad id praepostero cursu, » subdiaconatus ordine postposito, » negligentia potius, quam superbia » cognoscatur ascendisse. Unde nos » consulendo caritati tuae manda- » mus, ut ab officio Sacerdotali » eum prohibeas, donec proximo » quatuor temporum ieiunio sub- » diaconatus ministerium sibi rite » imponas, et sic deinceps ad ma- » iora officia eum redire conce- » das. »

Aliud vero Caput ab Innocentio III latum ita legimus. « Tuae » litterae continebant, quod (sicut » ex relatione quorumdam rece- » peras) P. Presbyter, Diaconatus » ordine praetermisso, se fecit ad » Sacerdotii ordinem promoveri. » Ipse tibi quoque secreto confes- » sus est, se pro certo nescire si » res taliter se haberet, sed ex » quo boni viri hoc asserebant, in- » ter quos fuerat conversatus, cre- » debat assertioni eorum, eo quod » tempore quo ordines inferiores » susceperat intra annos discretio- » nis fuerat constitutus. Tu igitur » ipsum ad Apostolicam Sedem » transmittens, nobis supplicasti » humiliter ut cum eo misericor- » diter agere dignaremur. Nos igi- » tur eius miseriae condolentes » fraternitati tuae per Apostolicam

edem mandamus, quatenus con» dignam poenitentiam pro huius» modi negligentia iniungas eidem; » qua peracta (quod non intelligi» tur iteratum quod factum esse » nescitur) ipsum in Diaconum or» dinare procures, et sic de mi» sericordia eumdem ministrare » permittas in ordine Sacerdotis. »

In his vero canonibus Avanzinio videtur agi de irregularitate, hanc autem poenam a Tridentinis Patribus non probatam, pro eaque suspensionem inductam. « Ex quibus » mihi apparet, sententiam veteri » iuri magis conformem, eam esse, » quae docet, ordinatum per sal» tum esse irregularem; sed post » Tridentinum Decretum, ob verba » *si non ministraverint... Episco» pus possit dispensare,* declaratum » satis videtur, ordinatum per sal» tum non esse irregularem, sed » esse ipso facto suspensum, ita ut » si ministraverit, irregularis eva» dat, proindeque indigeat aposto» lica dispensatione. »

Quae si vera essent, ex poenae commutatione arguere possemus, Tridentinos Patres veluti de novo hanc legem tulisse vel instaurasse, ideoque uti directam considerari posse. Attamen non admodum certa esse quae scribit Avanzini primum ex ipsius verbis deducitur; *apparet* enim scribit, non *explorata res est.* 2. Quod vero ipsi apparet, non apparuit neque Reiffenstuel, qui *Ius Can. lib. V Decret., Tit. XXIX, n. 5* scribit: Ob so» lam susceptionem Ordinis per » *saltum* irregularis non evadit, si » ab exercitio talis ordinis absti» net... Ratio est quia haec irregu» laritas in iure nullibi expressa » reperitur; consequenter non con» trahitur. » At in iure expressa reperiretur, si in citatis Canonibus de irregularitate sermo esset.

Neque apparuit cl. Schmalzgrueber qui *Part. III Tit. XXIX n. 4.* quaerit: An sic promotus incurrat irregularitatem? Resp. « Non incur» rere nisi ministrando temere in » ordine sic suscepto, quia hoc » nullo iure expressum est; imo » ex *Cap. un. cit.* et *ex Cap. XIV* » *cit.* (Conc. Trid.) satis clare in» telligitur non incurrere, dum » episcopus permittitur dispensare » cum sic promotis, si non mini» straverint, non alia certe ex causa, » quam quod casu, quo non mini» strarunt, irregularitatem nullam » incurrant. » Sapientissimo igitur Canonistae videtur et in *cit. Cap. unic. de Clerico ordin. per salt.* agi de suspensione; et non de irregularitate.

Idipsum autem visum fuit Thesauro *De poenis, Part. 2 Cap. XIII, Voc. Ordo* quo scribit: « Media » sententia est magis communis, » promotum per saltum non esse » ex hoc irregularem, sed esse » ipso iure suspensum ab exercitio » ordinis sic male suscepti tantum; » nec posse ulterius promoveri, » nisi cum eo dispensetur; *ex cap.* » *un. Tuae literae, de Cler. per*

» *salt. promot.* Atque plurimis ei» tatis doctoribus concludit : et » ita servat stylus Ecclesiae Ro» manae. » Ita ut et Thesauro visum fuerit in cit. Cap. agi de suspensione, et non de irregularitate.

Cum autem ita res se habeat; quid Tridentini Patres egisse dicendi sunt, nisi illum canonem renovare, et latam in eo suspensionem confirmare? Novam itaque legem non condiderunt, sed antiquam confirmarunt: at censurae in Tridentino confirmatae sive per generalia verba, sive per speciales allegationes in Constitutione *Apostolicae Sedis* non comprehenduntur. Ergo suspensio haec lata in Clericos per saltum promotos vigere dicenda non est.

Sed esto: Tridentini Patres Canones illos declaraverint. Num ne exinde falsum erit eos renovasse antiquos canones, vel dicendi sunt novam legem poenamque statuisse? Nequaquam. Si enim declararunt canones illos, nil aliud effecerunt quam edicere illis in Canonibus agi de suspensione et non de irregularitate. Canones enim ut erant dimiserunt; qui enim legem declarat non novam legem condit, sed veterem lucidiori verborum ordine exponit. Tridentinos Patres autem veteres Canones intactos dimisisse, ex eo quoque patet quod suspensionem in illis contentam renovarint, Canonum supposita cognitione; eos enim nec citant. At eiusmodi agendi ratio manifeste innuit, legumlatores nixos absolute fuisse veteri sanctioni, neque quid novum statuere voluisse.

Neque contraria stat sententia, quod Patres Tridentini Episcopis facultatem fecerint eiusmodi suspensionem absolvendi. Id enim demonstrat quidem Tridentinos Patres extendisse hanc potestatem, sed minime demonstrat relate ad substantiam voluisse novam legem condere. Etenim per eiusmodi extensionem hoc dixerunt: concedimus Episcopis facultatem dispensandi ab suspensione quam antiquiores canones tulere contra promotos per saltum; At hoc est legem in antiquis canonibus contentam proponere; eiusmodi autem leges post Constit. *Apostolicae Sedis* non vigere ipse Avanzini fatetur.

Ex iis vero sequens argumentum exurgit. Non negabunt adversarii, sententiam quam propugnamus, gravi fundamento niti tum intrinseco rationis, tum extrinseco auctoritatis; atque tanti faciendam esse quanti contrariam, ni etiam maioris. Habemus ergo dubium speculativum positivum quod afficit ipsam legis existentiam, seu reddit dubiam ipsam legem; at lex dubia non obligat; quo igitur fundamento vim huius legis post Constitutionem *Apostolicae Sedis* statuemus?

Concludimus igitur, eiusmodi suspensionem, quatenus censura est, vim non habere post Pianam Constitutionem; at vim suam servare quatenus poena est et prohibitio;

ideoque Tridentinum Caput breviter exponimus.

Porro Ordinatio per saltum est ascensio ad superiores ordines praetermisso inferiori ; ut si quis non suscepto subdiaconatu ad diaconatum promoveatur, vel ordine Diaconatus praetermisso, ad Sacerdotium. Nihil autem interest si praetermissus fuerit ordo maior vel minor, quandoquidem legis verba veritatem sortiuntur tam in maioribus quam in minoribus ordinibus ; etenim et hi ordinatim suscipiendi sunt, et in his etiam ministratur.

Quaestio esse posset circa primam clericalem tonsuram, quae ordo non est, ideoque non viderentur ordinati per saltum, qui ordines minores reciperent, ea nondum recepta. Attamen affirmativam sententiam tenendam esse Canonistae docent, quos inter citamus Schmalzgrueber qui *loc. cit.* nn. 10, 11 scribit: « Sed etsi (prima clericalis tonsura) ordo non » sit, est tamen primus gradus, et » quasi fundamentum ordinum, ad » quos disponit, et capaces fideles » efficit. Quare dicendum est a sic » ordinato suspensionem incurri, » ut exequi officium ordinum sic » susceptorum nequeat, donec prima tonsuram recipiat... et declaratum est a S. Congregatione » Concilii teste Gallemart *ad Trident. Cap. 14.* » Quod idem scribit Reiffenstuel *loc. cit. n. 6* (1).

Ex relatis autem Canonibus satis constare arbitramur, quod promotus per saltum ita suspensionis poena afficeretur, ut 1. prohiberetur in ordine per saltum suscepto ministrare ; 2. ordinem praetermissum suscipere ; 3. et ad superiorem ordinem ascendere ante consecutam dispensationem (2). Hinc audiendi illi non sunt qui aliquando putarunt, ordinatum per saltum suspensum manere ab omnibus etiam illis ordinibus quos rite susceperat, quos videant lectores apud Schmalzgrueber *loc. cit. num. 6.*, etenim latae in re leges sunt poenales,

(1) Penes Giraldi *Expositio Iuris Pontif. Part. I. Sect. 869. Nota II.* habetur testimonium ipsius Gallemart quod excribimus: « Ex declaratione Congregationis Concilii relata a Gallemart ad cit. cap. XIV. Sess. XXIII. Tridentini » huiusmodi facultatem tributam Episcopis intelligendam esse, de promotis per » saltum, immo vero etiam de promotis ad maiores ordines, omissis minoribus sive » uno tantum ; et etiam casu, quo aliqui omiserint primam Tonsuram: Congregatio » enim censuit anno 1588 habero locum decretum Concilii in omnibus casibus po» sitis. »

(2) Ita Schmalzgrueber *loc. cit. n. 7.* « Triplex tamen huius suspensionis ef» fectus est. Nam 1° inducit impedimentum respectu ordinis, ad quem per saltum » promotus, omisso ordine inferiore, ascendit ; 2° impedit, ne ascendere possit ad » superiores ordines ; 3° speciale impedimentum inducit respectu ordinis praeter» missi, re suscipere illum sine dispensatione possit ; nam hoc etiam iura adducta » probant. »

ideoque stricte interpretandae; ex iis autem nullo pacto dignoscitur quod haec suspensio sit etiam ad ordines rite susceptos extendenda. De cetero et ipsius Schmalzgrueber, *loc. cit.*, et Reiffenstuel, *loc. cit. n. 4*, et aliorum praestantissimorum doctorum, paucis contradicentibus, haec est sententia.

Hac tamen poena etiamnum promoti per saltum afficiuntur; ita ut inter antiquum et novum ius nulla alia sit differentia quam quod nunc ordinati per saltum suspensione non afficiantur quatenus est censura, percellantur tamen omnibus effectibus verae suspensioni connexis, quos supra recensuimus. Etenim quatenus poena est, intacta manet, cum poenas, nullitates actorum etc. Pius Papa IX intactas dimiserit, atque de unis censuris in sua Constitutione sollicitus fuerit, ut non semel in hisce commentariis observavimus.

In eiusmodi vero poena ordinatus per saltum manebit donec ab Episcopo dispensatus non fuerit.

At cum cl. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 15* advertendum est, quod Episcopus non potest dispensare cum promoto per saltum neque ut ascendat ad superiores ordines antequam inferiorem praetermissum recipiat, quia id repugnat primae ordinum institutioni, ideoque ipsi iuri divino; neque ut ante susceptum ordinem praetermissum possit ministrare in ordine per saltum suscepto, quia hoc est per se malum, et prohibitum quasi ex natura rei, supposita institutione talium ordinum. Qua de causa Episcopi dispensatio ad hoc unum tendit, ut promotus per saltum recipere possit ordinem praetermissum, in illo ministret, et deinde gradatim ascendat ad ordines superiores, si quos alios suscipere debet.

Id tamen ni promotus per saltum in ordine suscepto per saltum ministraverit, vel in ordine praetermisso, ut ex. gr. si quis post subdiaconatum recepisset Presbyteratus ordinem, et ministraverit in ordine Diaconatus, quem praetermisit; lex enim aperta est: *Cum* promotis per saltum, *si non ministraverint,* Episcopus ex legitima causa possit dispensare. Nequaquam igitur si ministraverint. Si enim ministraverint pro dispensatione ad S. Sedem recurrendum est.

Et quidem in antiquo iure cum promoti per saltum suspensionem ipso facto incurrerent, si ministrassent in ordine male suscepto vel praetermisso, illico irregulares fiebant ob violationem censurae. Qua poena post Pianam Constitutionem, ut ex disputatis patet, non tenentur.

Attamen in Capitibus allegatis vidimus, quod Episcopis facta sit facultas dispensandi cum promotis per saltum ignorantiae vel negligentiae cuiusdam causa. Quaerimus igitur an Episcopi dispensare pos-

sint etiam cum scienter promotis per saltum; ni tamen ministraverunt?

Quamvis Fagnanus putaverit hos ab Episcopis dispensari non posse, tamen vera sententia illa est quae docet, potestatem hanc dispensandi post Tridentinum Concilium competere Episcopis sive ignoranter sive scienter quis per saltum promotus fuerit, dummodo in ordine illegitime suscepto, vel praetermisso non ministraverit. Etenim Tridentini Patres non distinxerunt utrum scienter et ex ambitione et malitia ductus, vel ignorantia et negligentia quis per saltum ordinatus fuerit, sed simpliciter affirmarunt cum ita promotis, si non ministraverint, Episcopum ex legitima causa dispensare posse. Inde sequitur, quod haec eadem potestas Episcopo competat, quamvis delictum publicum fuerit, cum Tridentinum Concilium dispensationem ad delictum occultum non limitaverit.

CAPUT VIII.

Suspensione plectuntur Parochi aliique Sacerdotes sive saeculares sive regulares qui matrimonio iungant alienae Paroeciae sponsos sine proprii Parochi licentia.

Tridentini Patres *Sess. XXIV, Cap. 1 de Reform. matrimonii* eiusmodi suspensionem his verbis tulere: « Quod si quis Parochus, » vel alius Sacerdos sive regularis » sive saecularis sit, etiamsi id sibi » ex privilegio vel immemorabili » consuetudine licere contendat, » alterius Parochiae sponsos sine » illorum Parochi licentia matri- » monio coniungere aut benedice- » re ausus fuerit, ipso iure tamdiu » suspensus maneat, quamdiu ab » Ordinario eius Parochi, qui ma- » trimonio interesse debebat, seu » a quo benedictio suscipienda erat, » absolvatur. » Inquiramus quinam hanc suspensionem incurrant, quodnam ob factum, et quamdiu ea perduret.

Atqui quantum ad 1^m^. attinet, eam incurrunt Parochi, ii scilicet qui ab Episcopo Paroeciae regendae et gubernandae praepositi sunt. Hi autem tales esse possunt quamvis nondum Sacerdotali charactere insigniti fuerint; ut patet ex *c. Licet Canon*, et *c. Statutum de elect. in 6.°* (1) qua de causa in re, una est attendenda verbi proprietas in sua stricta significatione, neque consequenter ab suspensione ob admissum vetitum factum esset Parochus eximendus quod Presbyteratus ordinem nondum susceperit. Id enim nulla ratione defendi posset, cum Parochi non Sacerdotes ea quae non dependent a potestate ordinis Sacerdotalis pleno iure exercere possunt: in matrimonio autem ministri

(1) Porro Cap. *Licet Canon* haec habet: « §. Is etiam qui ad eiusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi c.elili diligentius curam gerere possit, in Parochiali Ec-

sunt ipsi contrahentes; Parochus autem uti testis praecipui officium gerit; testis autem munus Sacerdotis characterem non exigit.

Neque quis argumentum ex eo urgeat quod Tridentini Patres dicunt *vel alius Sacerdos,* quo insinuare videntur etiam Parochum esse Sacerdotem debere, cum pronomen *alius* ad consimilia referatur.

Respondet enim cl. Reiffenstuel *Lib. IV, Tit. III, n. 71:* Praeterquamquod dictio *alius* non semper sit repetitiva similium, ut patet ex illo Lucae 23, *Ducebantur et alii duo nequam cum eo,* id est cum Christo, quem tamen nequam fuisse nullatenus sequitur. Concilium ibi terminum *alius* adhibuit, quia Parochi ordinario solent esse sacerdotes. Quandonam autem dictio *alius* non sit repetitiva similium desumitur ex aliis iuribus id declarantibus, vel quando subiecta materia aut ratio id suadet, uti in praesenti. »

Id autem et Schmalzgrueber propugnat Tom. IV, Tit. III, n. 170.

Advertendum tamen est quod quamvis Parochus non Sacerdos valide et licite matrimoniis assistat, quin benedicere sponsis possit, hoc enim munus Sacerdotum est, tamen potestatem delegare non potest matrimonio assistendi nisi proprie dicto Sacerdoti. Concilium enim Tridentinum hoc in Capite diserte pronuntiat: « Qui aliter » quam praesente Parocho, vel alio » Sacerdote de ipsius Parochi seu » Ordinarii licentia etc. » Sacerdotis autem nomine intelligitur verus Sacerdos, et verba secundum communem acceptionem et usum accipienda sunt.

Sed 2°. Suspensione afficiuntur alii Sacerdotes sive saeculares sive regulares, qui vetitum factum ponant, quamvis id sibi licere contendant ex privilegio vel immemorabili consuetudine; ex quo haec intelligimus, 1°. nullo argumento defendi ut aliquis possit alienae Paroeciae sponsos, sine legitima venia matrimonio coniungere, aut si Sacerdos sit, illis benedicere; 2°. suspensioni illos non subiici qui matrimonio assistunt, si Sacerdotes non sint; Concilium enim loquitur de Sacerdotibus, quo sub nomine in poenalibus venit Sacerdos praesbyteralı charactere insignitus, et non Clericus, sit etiam Diaconus. Haec Doctorum communis sententia est; nos unum citabimus Alterium, qui *De Censuris Ecclesiasticis Tom. 2. Disput. XI. pag. 203. col. 1.* scribit: « Non Sacerdotem coniun- » gentem aliquos matrimonio neu- » tram (neque triennalem scilicet » quae lata fuit in Concilio Latera- » nensi IV sub Innocentio III) sus- » pensionem incurrere, quia utra- » que fertur in Parochum vel Sa- » cerdotem; talis autem non sup- » ponitur Parochus neque Sacerdos; » igitur neutra suspensio illum af-

clesia, cuius Rector extiterit, personaliter residere teneatur; et intra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. »

» ficiet. Et licet in materia favo-
» rabili aliquando nomine Sacer-
» dotis accipiatur Diaconus vel sub-
» diaconus, numquam tamen in ma-
» teria poenali, sicut haec de qua
» modo agimus. Imo neque in omni
» materia favorabili doctrina illa
» semper est admittenda. » 3. Sed neque huic suspensioni subiici Parochum, aut alium Sacerdotem sive saecularem sive regularem, qui non per se alienae Paroeciae sponsos matrimonio coniungant, aut eis nuptialem benedictionem impertiantur, sed alii non Sacerdoti matrimonia assistere committant; Tridentini enim Patres suspensione plectunt Parochos tantum, aut alios Sacerdotes sive saeculares sive regulares qui alienae Paroeciae sponsos matrimonio coniungant, aut eis benedicant. Porro qui id alii faciendum committit, neque assistit, neque benedicit, ideoque latae suspensioni subiici non potest, sicut nec Clericus assistens, cum non sit Sacerdos. Paucis Concilium Tridentinum suspendit Parochos aut alios Sacerdotes agentes, non vero mandantes aut consulentes.

II. Attamen ut eiusmodi suspensionem Parochi aut alii Sacerdotes incurrant, necesse est ut matrimonio coniungant alienae Paroeciae sponsos: quorum scilicet neuter ad propriam Paroeciam pertineat. Parochus enim proprius est ille qui habet ordinariam iurisdictionem in contrahentes, utpote qui domicilium et habitationem habeant in eius Paroecia; ideoque Parochus domicilii, vel quasi domicilii, non autem originis; talis autem potest esse Parochus tam viri quam mulieris, ideoque proprius Parochus est ille, in cuius Paroecia domicilium habet sive vir sive mulier. Attamen consuetudo inolevit ut matrimonium celebretur coram Parocho mulieris de licentia Parochi viri, qui testimonium perhibere debet se proclamationes fecisse, neque ullum ad se fuisse delatum impedimentum.

Dum igitur in Capite Tridentino dicitur: *alterius Paroeciae sponsos sine illorum Parochi licentia,* de utroque Parocho tam viri quam mulieris, si diversum habeant, sermo est; quamvis quantum ad matrimonii valorem attinet satis sit ab uno tantum licentiam habere.

Etenim ut rite argumentatur Schmalzgrueber *Part. II, Tit. III, n. 142,* quantum ad contractum matrimonialem Parochus proprius unius est etiam parochus proprius alterius contrahentis; cum enim matrimonium sit unus contractus, unumque et individuum sacramentum, ita ut ab uno sine altero iniri nequeat, consequitur quod qui constitutus est ad matrimonialiter coniungendum unum coniugem, etiam constitutus est ad matrimonialiter coniungendum alterum per necessariam connexionem. Accedit quod, generaliter loquendo, illi cui ad actum aliquem potestas concessa est, concessa quoque censentur ea,

sine quibus potestas illa explicari, et actus expediri non potest; at ut parochus coniungat matrimonialiter Titium parochianum suum Caiae, quae est alienae Parochiae, necessarium est ut coniungat vicissim Caiam Titio; ergo dum concessum ipsi est coniungere matrimonialiter Titium Caiae, etiam concessum eidem est, ut Caiam coniungat Titio. Utique quantum ad liceitatem attinet de licentia Parochi Caiae, non tamen quantum ad matrimonii validitatem propter exposita.

Hinc in casu quo Parochus vel alius Sacerdos matrimonio coniungens alienae Paroeciae sponsos ab uno tantum e Parochis eos coniungendi facultatem habeat, praesentem suspensionem non incurrit, etenim eos non coniunxit sine licentia Parochi; lex scilicet violata in sua extensione non fuit. Hic autem casus tum contingit, cum ex. gr. Parochus sponsae eam matrimonio vult copulare cum viro alterius Parochiae, inconsulto viri Parocho.

Itaque ut suspensionem hanc Parochus vel alius Sacerdos incurrant, debent matrimonio copulare vel benedicere sponsis alienae Paroeciae sine ulla respectivorum Parochorum licentia et facultate.

Advertendum tamen est quod hoc in loco nomine Parochi nedum veniat Parochus proprie dictus, sed etiam Episcopus, eius Vicarius generalis, et Vicarius Capitularis Sede vacante: hi enim ius habent assistendi et benedicendi matrimoniis quibuslibet in universa Dioecesi, cum ordinaria iurisdictione fruantur. Qua in re nulla est controversia.

Idipsum potest Archiepiscopus in sua dioecesi, quin et in dioecesibus suffraganeorum, sed in his tum solum cum visitationem pastoralem agit, vel tum cum, nolente suffraganeo aliquos matrimonio coniungere, causa per appellationem ad ipsum devolvitur; at extra hos casus nequit assistere matrimoniis illorum qui subditi sunt Episcopis suffraganeis, cum non sit ipsorum ordinarius.

Idipsum pariter potest Legatus Sedis Apostolicae in provincia ad quam est destinatus, quia in illa habet ordinariam potestatem, atque hinc omnia potest quae Episcopus in sua Dioecesi.

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales possunt assistere matrimoniis subditorum Ecclesiae cuius habent titulum, cum in his iurisdictionem quasi episcopalem habeant. Demum summus Pontifex assistere potest matrimoniis quorumlibet christianorum in universo orbe.

Quorum ratio est quia omnes isti cumulativam cum parochis sibi subiectis habent potestatem; qua de causa sicut parochi ipsis subiecti matrimoniis assistendi et sponsis benedicendi habent potestatem, ita et ipsis matrimoniis suorum subditorum assistere possunt, atque aliis facultatem concedere illis as-

sistendi. Ita Schmalzgrueber *loc. cit. nn. 138. 139.*

Circa licentiam per Sacerdotem a Parocho obtinendam, Concilium Tridentinum hoc in loco dicit: *sine illorum Parochi licentia.* Et paullo supra dixerat: *Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia.*

Licentia autem haec potest a Parocho vel Ordinario concedi verbo vel scripto, vel alio signo externo, per se, vel intermediam personam, specialiter vel generaliter; qua de causa ille cui commissa est a Parocho cura functionum seu munerum Paroeciae, censetur etiam commissa potestas matrimoniis assistendi, quia dispositio generalis generaliter intelligenda est: atque hinc novimus quod quando Parochi aliquem sibi, pro circumstantiis ingruentibus, coadiutorem in Paroecia adsciscunt, potestatem matrimoniis assistendi excludunt. Similiter eiusmodi facultas censetur ei commissa, cui generaliter concredita fuit Sacramentorum administratio, tum quia haec est Doctorum plurimorum sententia, tum quia in re adest declaratio S. Congregationis Concilii his verbis concepta: *Requiritur commissio generalis administrandi Sacramenta, vel si haec absit, expressa aut specialis licentia.* Apud Reiffenst. *loc. cit. n. 84;* tum quia eiusmodi commissione concessa, concessa etiam censetur facultas peragendi omnia parochialia munia, quae inter est etiam assistentia et benedictio nuptiarum. Utique Parochus matrimoniis assistendo non administrat Sacramentum, attamen eius praesentia est necessaria ad illius Sacramenti administrationem, et in locis ubi Concilium Tridentinum receptum est, ad ipsius Sacramenti valorem.

Attamen quaestio est an sufficiat licentia tacita, quae exurgit ex praesumptione ratihabitionis futurae.

Sanchez, *lib. 3 de matrimon. Dist. 35, n. 17 et 20* aliique cum eo optime quaestionem hanc dirimunt, distinguendo inter licentiam tacitam praesentem et futuram. Etenim vel alius Sacerdos assistit matrimonio ipso Parocho praesente, et tacente, nec contradicente, cum contradicere possit, vel assistit, absente parocho, ex sola credulitate quod Parochus licentiam concessurus fuisset, atque matrimonii assistentiam ratam habiturum.

Si primum, licentia intercessisse dicenda est, et validum esse matrimonium, quia in favorabilibus, et quae praesenti et tacenti leve et multo magis, nullum praeiudicium inferunt, scientia et patientia operatur consensum, ut patet *ex Cap. Un. De desponsat. impuberum in 6.*

« Porro ex sponsalibus quae pa-
» rentes pro filiis puberibus, vel
» impuberibus plerumque contra-
» hunt, ipsi filii si expresse con-
» senserint, vel tacite, ut si prae-

» sentes fuerint nec contradixerint, » obligantur; et ex eis oritur iu- » stitia publicae honestatis. » Cum itaque matrimonium sit materia favorabilis, atque Parocho praesenti et tacenti assistentia ab alio Sacerdote praestita nullum, vel levissimum tantum praeiudicium afferat, eius silentium pro consensu habendum est; si enim noluisset, profecto contradixisset.

At alio in casu licentia non intercedere dicenda est, consequenter matrimonium est nullum. Concilium Tridentinum enim exigit ut matrimonium ab alio Sacerdote celebretur de *ipsius Parochi vel Ordinarii licentia*. At qui credit Parochum fore ut dedisset licentiam, vel exhibitam assistentiam ratam habuisset, profecto non habet licentiam; quae de cetero quando requiritur ad valorem actus, hunc praecedere debet.

Attamen licentia data fuit Sacerdoti, at metu vel dolo extorta. Quid?

Si licentia per metum extorta fuit, matrimonium valere dicimus; quamvis enim licentia fuerit metu extorta, matrimonium tamen cum tali licentia contractum liberum omnino fuit. Nulla vero adsunt iura quae irritent vel matrimonia cum tali licentia contracta, vel licentiam metu extortam. Cf. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 209.* qui in re plures Doctores citat, atque oppositas rationes refellit.

Si vero licentia dolo fuit obtenta, videndum est an frans habuerit rationem causae finalis vel tantum impulsivae. Si primum licentia ipso iure est nulla, cum enim expositae causae concedens licentiam alligaverit, ea deficiente, necessario in concedente deficit concedendi voluntas. Si autem habuerit rationem causae impulsivae, licentiam concessam valere dicimus tum casu quo concedens animo ita dispositus fuerit ut eam cencessisset quamvis falsitatem nosset, tum si eam concessurus non fuisset, falsitate cognita; etenim, in primo casu in concedentis consensu nullus reperitur defectus; in alio consensus concedentis absolute et simpliciter praestitus dicendus est, cum, falsitate non cognita, expositae causae consensum non alligaverit.

At dari potest casus ut licentia matrimonio assistendi non ab ipso Sacerdote petita fuerit, sed ab alio, ipso conscio, vel ignorante; vel etiam quod licentia concessa revocata fuerit. Quid in hisce tribus casibus?

Quoad postremum, certum est matrimonium minime subsistere, atque Sacerdotem ei assistentem suspensionem incurrere, si revocatio ei intimata legitime fuerit, ex. gr. per nuntium ad id destinatum; Sacerdos enim matrimonio assisteret sine licentia; haec enim cum sit gratuita, potest ad lubitum revocari; revocatione autem facta et legitime intimata, licentia cessat.

Si autem revocatio licentiae nondum intimata legitime fuerit, matrimonium subsistit, nullamque Sacerdos suspensionem incurrit. Matrimonium enim contraxit vi licentiae quam concessam quidem novit, sed revocatam legitime non novit.

Id autem probatur ex lege *Si forte 27 ff. de offic. Praesidis.* « Si » forte praeses provinciae manumiserit, vel tutorem dederit, » priusquam cognoverit successorem advenisse, erunt haec rata. » Ubi Glossa V. *cognoverit,* ait *usque ad eius adventum durat iurisdictio.*

Legitime diximus, non utcumque; non enim satis est quaecumque revocationis notitia, sed ut ita dicamus, authentica, facta scilicet per ipsum Parochum, vel eius Epistolam, vel nuntium ad hoc destinatum. Ita Sanchez *lib. 3 de matrim. 30, n. 13,* Schmalzgrueber *Part. II, Tit. III, n. 201,* et alii.

Quoad secundum. Si licentia ab alio petita fuit, Sacerdote inscio, certum pariter est matrimonium non subsistere, nisi primum concessa licentia ei, non utcumque, sed legitime intimetur. Licentia enim cum induat naturam gratiae privilegio concessae atque donationis, vim habet ab acceptationis tempore; sed non supponitur aliquis acceptare quod ignorat.

Si autem, Sacerdote conscio, a Parocho vel Ordinario sponsorum licentia petita fuerit, matrimonium valere dicendum est, quamvis licentia nondum ei legitime intimata fuerit; etenim acceptata censetur eo ipso quod conscio, nec contradicente Sacerdote, petita fuerit; qua de causa si matrimonium eo tempore celebretur quo nuntius licentiam defert, non autem antequam ex coniectura temporis supponat eam esse iam concessam, matrimonium valet, quamvis ei Sacerdos ante delatam et communicatam licentiam ei illicite assisteret. Nullam tamen incurreret censuram, cum et praesumptio desit, eo ipso quod licentiam petierit, et nullam adesse novit difficultatem qua ei licentia denegetur, et reapse licentia adsit.

Licentia autem haec quae Sacerdoti necessaria praescribitur ut coniungat alienae Paroeciae sponsos, necessaria quoque est ut eis benedictionem nuptialem conferre possit; hi enim actus in lege distinguuntur; *matrimonio coniungere, aut eis benedicere: qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat.*

Qua de causa pro utroque actu suspensio incurritur.

Attamen haec duplex suspensio tum locum habet, cum diverso actu Sacerdos matrimonio alienae paroeciae sponsorum assistit, et benedicit; non autem si unica actione sponsorum consensum excipiat, et inter missae celebrationem, ut fit, eis benedicat; hoc enim in casu unus est matrimonii contrahendi ritus, et una perficitur actione et

eodem tempore, ideoque una incurritur suspensio, non duplex, ut prorsus incurreretur si quis, dimissis sponsis sine benedictione, post aliquod tempus eis benediceret.

Quod de cetero ex ipso Tridentino Capite patere putamus, in quo propositio disiunctiva est: *matrimonio coniungere, aut eis benedicere,* quo innuitur, suspensionem quidem pro alterutra actione incurri, at supposita benedictione sine coniunctione, et viceversa.

Atque de sponsis quibus benedictio nuptialis concedenda est, nulla est quaestio. At quaestio est utrum Sacerdos benedicens secundis nuptiis alienae Parocciae sponsorum hanc suspensionem incurrat.

Et quidem Bonacina *Disp. III, Quaest. IV, Punct. V, n. 10* negativam sententiam tuetur, quia licet vetitum sit sponsos alias benedictos benedicere, cum benedictio sequatur personam; nihilominus lata non est censura ipso facto contra benedicentem. Neque obstat Cap. *Capellanum* (1) de secundis nuptiis, quia vel continet dispositionem casu particulari... vel continet censuram tantummodo ferendam.

At contradicit Reiffenstuel *lib. IV Decret. Tit. XXI, n. 34,* qui quamvis affirmet vi Cap. *Capellanum* Sacerdotem benedicentem secundis nuptiis suspensionem non incurrere, incurrere tamen dicit vi Concilii Tridentini, dispositionis scilicet Tridentinae quam expendimus. Inter Pianae Constitutionis Commentatores cl. De Varceno *Tom. II, pag. 546, n. 5,* hanc sententiam amplectitur.

At ni fallimur, sententiae propugnatae a cl. Bonacina standum est. Etenim ante Concilium Tridentinum *de iure* nulla benedictio secundis nuptiis concedebatur iuxta Cap. *Vir autem Tit. XXI de secundis nuptiis.* « Vir autem vel » mulier ad bigamiam transiens » non debet a Presbytero benedici; » quia cum alia vice benedicti sint, » eorum benedictio iterari non de» bet; » quae tamen iteraretur, quamvis unus tantum e coniugibus, non alius, benedictus fuerit, quia benedictio utrique coniugi est communis, atque inconveniens videtur et contra morem Ecclesiae ut uni tantum, altero coniuge excluso, benedictio conferatur.

Non negamus tamen in pluribus Dioecesibus non de iure, sed vi consuetudinis, etiam secundis nuptiis benedictionem dari, praesertim si sponsa virgo sit, quae viduo matrimonio copuletur.

Certum tamen nobis videtur, Tridentinos Patres per latum a se generale decretum non respexisse ad consuetudines particulares ali-

(1) En caput: Capellanum (quem benedictionem cum secunda contigerit celebrasse) ab officio beneficioque suspensum litterarum tuarum testimonio ad Sedem Apostolicam nullatenus destinare postponas.

quarum Dioecesium, sed ad ius commune. Cum ergo ad iuris communi tramites secundis nuptiis nulla benedictio concedenda foret, lex de habenda a legitimo Parocho licentia benedicendi secundis nuptiis inutilis erat, cum de iure communi nec Parochus eiusmodi facultatem concedere posset, cum si ipsemet eis benedixisset, foret puniendus.

Quidquid demum sit; utraque sententia gravi fundamento nititur tum intrinseco tum extrinseco; consequenter sententia quam nos defendimus vere probabilis est: vera probabilitas autem ab censura incurrenda eximit.

Idipsum vero dicendum existimamus de Sacerdote saeculari vel regulari qui matrimonio clandestino assistat; Concilium Tridentinum enim aperte loquitur de matrimonio quod in facie Ecclesiae contrahitur; qua de causa lata suspensio non est extendenda ad matrimonia clandestina, quia lex est poenalis.

Ut vero Parochi aliique Sacerdotes hanc suspensionem incurrant, necessarium est ut alienae paroeciae sponsos sine legitimi eorum Parochi vel Ordinarii licentia matrimonio coniungere vel eis benedicere audeant; verba enim legis sunt: *alterius Parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit.* Qua de causa ab eiusmodi censura incurrenda ignorantia quaelibet excusat, ut alias in hisce diximus Commentariis.

Advertendum tamen, eam incurri iis tantum in locis ubi Decretum *Tametsi* receptum est; etenim in fine Decreti Tridentini Patres statuunt: « Decernit insuper, ut hu» iusmodi decretum in unaquaque » Parochia suum robur post tri» ginta dies habere incipiat, a die » primae publicationis in eadem » Parochia factae numerandos. » Qua de causa cum publicatum non fuerit, nullum robur habere potest; consequenter Parochos aliosve Sacerdotes, si praeter licentiam Parochi alienae paroeciae sponsos matrimonio coniungant, aut eis benedicant, praesentis decreti censuram non incurrere.

At si iis in locis, ubi Concilii Tridentini decretum receptum non fuit, consuetudo vigeat ut alienae Paroeciae sponsos matrimonio coniungentes aut eis sine debita licentia benedicentes, suspensionem incurrant, eam incurrere dicimus, attamen non vi decreti Tridentini, sed inductae et praescriptae consuetudinis quae vim legis habet; quisque enim tenetur sanctione legis qua obstringitur, non ea cuius sanctione non tenetur.

Quid vero? incurrunt ne saltem excommunicationem a Clemente V in Concilio Viennensi latam, quam ita legimus: « Religiosi, qui Cle» ricis aut laicis Sacramentum un» ctionis extremae vel Eucharistiae

» ministrare matrimoniave solem-
» nizare, non habita super his
» parochialis Presbyteri licentia spe-
» ciali..... praesumpserint, excom-
» municationis incurrant senten-
» tiam ipso facto, per Sedem Apo-
» stolicam dumtaxat absolvendi,
» quos etiam locorum Ordinarii,
» postquam de hoc eis constiterit,
» excommunicatos faciant publice
» denunciari, donec de absolutione
» ipsorum eis fuerit facta fides? »

Respondemus, hanc excommunicationem latam fuisse in solos religiosos; quare hi tantum, non Presbyteri saeculares eam incurrerent. Attamen nec religiosi eam incurrunt, quia in Constitutione *Apostolicae Sedis* renovata non fuit.

Porro qui latum decretum transgrediatur, suspensione afficitur: *ipso iure tamdiu suspensus manet.*

Quid autem? Num ne ab officio tantum, vel etiam a beneficio?

Et quidem Doctorum sententiae discrepant. Suaresius *Disp. 31, Sect. III, n. 18,* quem inter Commentatores Pianae Constitutionis sequuntur Patavinus et De Varceno et alii, docet, suspensionem hanc esse ab officio tantum. « Censeo igi-
» tur illam esse suspensionem ab
» officio Sacerdotali, vel ad sum-
» mum a munere Sacerdotali; quia
» iuxta communem intelligentiam
» canonum ex materia subiecta de-
» terminatur poena, ut in eo quis
» puniatur in quo deliquit. »

At contrariam sententiam defendunt, alios inter Bonacina *Disp. III, Q. III, Punct. V, n. 7,* qui scribit: « Suspensio quam incurrit Pa-
» rochus vel alius Sacerdos assi-
» stendo matrimonio, aut benedi-
» cendo absque Parochi licentia,
» totalis videtur; consequenter sus-
» pendit ab officio et beneficio.
» Ratio est, quia Concilium abso-
» lute loquitur; suspensio autem
» absolute lata et absolute et genera-
» liter intelligenda est; consequen-
» ter est totalis, et suspendit ab
» officio ordinis et iurisdictionis et
» a beneficio. »

Nos arbitramur a Suaresii sententia non esse recedendum 1. quidem quia ratio legis poenalis intelligendae ex subiecta materia vera est atque legitima, consequenter Tridentinum Caput eiusmodi criterio esse dimetiendum. 2. Quia exinde corruit validius adversariorum argumentum in eo positum quod Concilium Tridentinum absolute loquatur, si enim poena illata determinatur ex subiecta materia, Concilii Tridentini loquendi ratio absolute spectanda non est, sed relate ad poenam admissam, quam officii est; ideoque suspensio illata unicum spectabit officium, non ordinem.

3. Quia doctores plurimi, iique praestantissimi nostram sententiam defendunt; ideoque munitur probabilitate extrinseca. Sed muniri etiam probabilitate intrinseca ex ipso Bonacina probamus qui *loc. cit.* loquens de Suaresii sententia eam

probabilem vocat: « Probabilis ta- » men etiam est opinio Suaresii » (et aliorum) asserentium istam sus- » pensionem suspendere solum ab » officio Sacerdotali, quia ex con- » sueta canonum praxi poena de- » terminatur iuxta subiectam ma- » teriam. » At sententiam vere probabilem ab censura incurrenda eximere doctores affirmant.

4. In casu insuper praesenti lex odiosa est, et interpretationem Suaresii patitur; at in lege odiosa quod minimum esse sequendum iuris regulae docent. Concludimus igitur Tridentinum Decretum transgredientes una suspensione ab officio percelli.

III. Quantum ad durationem huius suspensionis lex est aperta; durabit enim usquedum Sacerdos vel Parochus delinquens non absolvatur ab Ordinario eius Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat. Porro diximus non de iure, sed iuxta receptam consuetudinem matrimonia benedici a Parocho mulieris. At posse benedici etiam a Parocho viri notum est, sicut notum est de more benedictionem nuptialem, si danda est, impertire Parochum qui matrimonio assistit. Ut itaque in re certam normam tradamus, matrimonio assistere debebat, et nuptiae benedicendae erant a Parocho illo, apud quem matrimonium celebrare sponsi decreverant. Quod si id nondum decrevissent, iuxta consuetudinem, matrimonium celebrandum erat apud Parochum mulieris, ni aliud obstitisset, ideoque absolutionem a suspensione petendam esse ab Ordinario Parochi mulieris.

CAPUT IX.

Suspensione afficiuntur Episcopi concubinarii.

Sessione XXV, Cap. XIV de Reform. Tridentini Patres in turpissimum concubinatus crimen poenas statuere. De Episcopis postrema Capitis parte locuti sunt; attamen universum Caput hic transcribere iudicamus ut omnes intelligant quantopere Ecclesia eiusmodi crimen in clericis detestetur, quanta severitate illud punire satagat, quantaque auctoritate illud puniendi Episcopos instruxerit.

« Quam turpe, inquiunt Patres, » ac clericorum nomine, qui se di- » vino cultui addixerunt, sit indi- » gnum, in impudicitiae sordibus » immundoque concubinatu versari, » satis res ipsa communi fidelium » omnium offensione, summoque » clericalis militiae dedecore testa- » tur. Ut igitur, ad eam quam decet, » continentiam ac vitae integrita- » tem ministri ecclesiae revocen- » tur, populusque hinc eos magis » discat revereri, quo illos vita » honestiores cognoverit: prohibet » Sancta Synodus quibuscumque » clericis, ne concubinas aut alias » mulieres, de quibus possit ha-

» beri suspicio, in domo vel extra » detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicae delegatus, arbitrabitur suspendantur, et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur; atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos, nec decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniantur. *Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, et si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpae, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.* »

Porro contra nefandum crimen tantam auctoritatem Tridentini Patres Episcopis concessere ut hi strenue illud e propriis Dioecesibus eliminare satagant, neque in re agenda aut opibus, aut auctoritate, aut familiae splendore deterrean-

tur, ulloque ducantur humano respectu. Incredibile enim dictu est, quot quantaque mala eiusmodi pariant ecclesiastici praesertim si parochi, aut quomodolibet animarum curam gerentes; quot scandalis, detractionibus, peccatis aditum aperiant; eorum causa devotio refrigescit, continentiae virtus deridetur, Sacerdotum praedicatio spernitur, et fides aliquando amittitur. Ita ut nulli labori vel incommodo Episcopi parcere debent, ut id exequantur quod Tridentini Patres verbis adeo gravibus, poenisque adeo severis faciendum mandant.

At ad rem nostram accedamus. Concubinatus proprie dictus, inquit S. Alphonsus III *n. 455,* est concubitus soluti cum soluta (improprio vero cum uxorata vel uxorato) dummodo habeantur invicem uxorio modo, sive in unamet domo, sive in alia. Qua de causa concubinarii illi sunt intelligendi qui concubinas, aut fornicarias ad instar uxorum sive continuo, sive vage retinent, quamvis extra domum commorentur. Ita Giraldi.

Tridentini Patres antiquos canones in re innovarunt, non novam legem tulere. Ecclesia enim quocumque tempore eiusmodi scelus detestata, poenas gravissimas in clericos incontinentes tulit. Canones quis legere poterit apud Gratianum *Dist. 35 et 81.*

Porro ut huiusmodi Episcopi hanc suspensionem contrahant nedum debent antea a Synodo provinciali moneri, sed monitione accepta posthabita, in crimine obstinati manere. Igitur, nisi antea monitio praecedat, et in sordibus illis obstinatio, hac censura non tenentur.

Advertendum tamen est, Synodos provinciales raro celebrari, et quidem ob eiusmodi causas numquam, cum hoc crimen nostris temporibus non subsistat, vel sit occultum omnimodis.

Quid tamen si casu eveniret? Profecto tenenda est cl. Giraldi sententia, qui *Expos. Iuris. Pont. Part. 1, Sect. 332, nota V,* ad metropolitanum eiusmodi monitionem spectare scribit: « Onus admonitionis faciendae Episcopo » concubinatus reo, a concilio provinciali, iuxta praescriptum Tridentini, et respectivae denunciationis faciendae Summo Pontifici, in casu insordescentiae in » concubinatu, cum hodie Concilium provinciale, vel raro admodum, vel numquam, iustis de causis, non celebretur, crederem idem onus spectare ad metropolitanum. »

Attamen ut eiusmodi monitio inferatur, concubinatus Episcopi debet esse quodammodo notorius, ita ut eius causa et Synodus provincialis episcoporum celebretur, et monitio iuridica intimetur; quod sine notorietate facti, vel publico scandalo fieri non debet, cum sin minus maius esset scandalum productum ab eiusmodi monitionibus, quam ab Episcopi concubinatu; no-

torium enim fieret cum fidelium scandalo, quod antea vel occultum, vel paucis notum erat. Nemo tamen putet Synodum provincialem trinam monitionem Concubinario Episcopo intimare debere, quo hic suspensionem incurrat; una enim sufficit, cum Concilium Tridentinum trinam non praescribat. Ita de cetero Bonacina *Disp. III, Punct. IV, n. 5,* et cum eo alii.

Si post acceptam monitionem Episcopus se emendat, ex. gr. concubinam dimittat, suspensione non ligatur; si autem in culpa sordescat, eam incurrit.

Attamen iure quaeritur quando Episcopus obstinatus censendus sit, et censura ligatus. Huic quaestioni Bonacina, *loc. cit. n. 6,* ita respondet: « Episcopum suspen» sione ligari, statim ac concubi» nam post admonitionem carnali» ter cognoscit; tunc enim verifi» cantur verba Concilii *suspendentes* » *Episcopum, si ab huiusmodi cri*» *mine non se abstinuerit, et a* » *Synodo provinciali admonitus* » *non se emendaverit.* Imo Suarez » *Disp. 31, Sect. 6, n. 24,* et Al» terius *Tom. 2, disp. 9, Cap. V,* » existimant Episcopum affici sus» pensione, nisi statim, et absque » morali dilatione tollat occasionem » delicti et scandali, si adsit. »

Ut in re aliquid dicamus; certa omnino nobis videtur Bonacinae sententia; etenim eo in casu Episcopus se certe non emendavit, attamen tutior Suaresii et Alterii sententia est: etenim usque dum apud Episcopum concubina manebit, vel ille huius domum frequentabit, et obstinatus in culpa habetur, et reapse est; quomodo enim emendatus haberi ille potest qui concubinam retinet, vel eam adit? Profecto qui amat periculum, peribit in illo, et peccato certe ille abhorrere non est supponendus qui peccati occasionem apud se retinet. De cetero nemo Episcopum illum emendatum existimabit usquedum concubinam apud se retineat. Accedit quod Suaresii sententia in latis canonibus fundamentum habeat; canones enim praescribunt, ut Clerici fornicarii aut concubinarii concubinas dimittere debeant; Legantur hi Canones apud Gratianum *Dist. 81, Capp. 29, 30, 31.* et alibi; atque in ipso Tridentino Capite, quod recitavimus, de clericis enim agens inquit: *et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur;* ita ut Patres expulsionem exigant. Id vero multo magis Episcopi agere debent.

Suspensio haec absolute posita est: *ipso facto sint suspensi;* nec ex determinari potest ex subiecta materia, ut praecedens; ideoque huiusmodi suspensus est habendus ab officio et beneficio; suspensio, scilicet, est totalis.

Manifestum autem esse putamus, ab ipso Metropolitano eiusmodi Episcopum ad Romanum Pontificem denunciandum esse, si, monitione posthabita, sese non emendaverit. Cui enim primum competit et alterum in re eadem competere debet.

CAPUT X.

Suspensione ab officio afficiuntur Sanctimonialium Praefectae, ni ante mensem Episcopum moneant ut exploret voluntatem puellae quae habitum suscipere, vel professionem emittere debet.

Eiusmodi suspensio censura non est, sed poena, quae continetur *Sess. XXV Cap. 17 de Regular. et Monial.* « Libertati professionis » virginum Deo dicandarum pro» spiciens Sancta Synodus statuit » atque decernit, ut, si puella quae » habitum regularem suscipere vo» luerit, non ante eum suscipiat, » nec postea ipsa vel alia profes» sionem emittat, quam explora» verit Episcopus, vel eo absente » vel impedito eius Vicarius, aut » aliquis eorum sumptibus ab eis » deputatus, virginis voluntatem » diligenter, an coacta, an seducta » sit, an sciat quid agat, et si vo» luntas eius pia ac libera cognita » fuerit, habueritque conditiones » requisitas iuxta monasterii illius » et Ordinis regulam, nec non Mo» nasterium fuerit idoneum, libere » ei profiteri liceat. Cuius profes» sionis tempus ne Episcopus igno» ret, teneatur Praefecta Monasterio » eum ante mensem certiorem fa» cere. Quod si praefecta cer» tiorem Episcopum non fecerit, » quamdiu Episcopo videbitur, ab » officio suspensa sit. »

Ut de hoc Capite pauca dicamus. Bis Episcopus explorare debet puellae voluntatem; ante habitum susceptionem scilicet, et ante professionem. Id primum ex titulo Capitis patet: *Puella maior duodecim annis si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab Ordinario, iterumque ante professionem.* 2. Ex ipsius Capitis verbis, *non ante eum suscipiat, nec postea professionem emittat.* 3. Ex facto; Episcopi enim bis puellarum voluntatem explorant, scilicet tum ante vestitionem, tum ante professionem. 4. Ex dubiis ad C. Congregationem Concilii delatis, de quibus infra. Id autem a principio declarare voluimus, ne quis verba Tridentini Capitis legens *Cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret*, putet a Monasterii praefecta monendum esse Episcopum solummodo ante professionem. Atqui et nunc eadem lex viget.

Etenim Constitutio *Neminem latet* a Pio Papa IX lata die 19 Martii 1857, in qua observanda etiam praecipit decreta Sacrae Congregationis super statu Regularium incipientia *Romani Pontifices* et *Regulari disciplinae* anno 1848 promulgata, qua professioni solemni praemittenda praescribit vota simplicia, in quibus religiosus triennio permanere debet; illa, inquam, Constitutio utique pro viris vim habet, minime sed vero pro Sanctimonialibus, illis exceptis, quibus lex illa speciali decreto applicata fuit. Etenim in Collectanea Emi Card. Biz-

zarri pag. 792 disertis verbis affirmatur, latas circa vota simplicia leges unos viros regulares, non sanctimoniales respicere : « Huiusmodi » lex de praemittendis votis simplicibus quoad Ordines et Instituta virorum lata fuit an. 1857, » quae statuit ut pro Monialibus » peculiaris positio in posterum » conficeretur, quaeque tamen locum non habuit. »

Qua de causa status sanctimonialium circa votorum emissionem etiam nunc regitur iuxta Concilii Tridentini decreta iis, ut diximus, exceptis sanctimonialibus, quibus vota simplicia ante professionem solemnem indulta fuere, ut ex. gr. die 19 Martii anni 1857 concessa fuerunt sanctimonialibus votorum solemnium degentibus in imperio Austriaco; tum anno 1864 sanctimonialibus a Visitatione B. M. Virginis nuncupatis existentibus in Archiepiscopatu Baltimorensi, ut patet ex Epistolis quae in cit. Collectanea habentur p. 791, 792.

Attamen observandum est, eiusmodi concessionem votorum simplicium ante solemnem professionem emittendorum datam fuisse non vi latorum decretorum et Pii Papae IX Constitutionis, sed vi particularium Rescriptorum; etenim sanctimonialibus a Visitatione nuncupatis indultum fuit, ut per quinquennium, non per triennium, in professione votorum simplicium manerent; sanctimonialibus vero in imperio Austriaco commorantibus nullum tempus assignatum fuit quo in votorum simplicium professione manere deberent, sed tantum concessum *ut antequam vota solemnia Deo nuncupent, vota simplicia, non tamen ultra vigesimum quintum expletum aetatis annum emittere possint.* Idque ob peculiaria rerum adiuncta, et *donec aliter provideatur.*

Ex quibus sequitur, nec iis sanctimonialibus applicanda esse decreta Sacrae Congregationis super Statu Regularium, nec Pii IX Constitutionem, quam supra commemoravimus. Consequenter etiam pro iis immotum stare Concilii Tridentini decretum de monendo ante vestitionem et professionem solemnem a Monasterii praefecta Episcopo ut voluntatem puellae exploraturus adveniat.

Contendimus, scilicet, Praefectam non teneri eiusmodi monitionem Episcopo porrigere ante professionem votorum simplicium, cum ad id nulla lege obligetur, sed unice ante vestitionem et professionem votorum solemnium.

Id vero contendimus, etiamsi ad aliquas sanctimoniales extensa fuissent lata in re decreta pro viris regularibus. Etenim semper verum esset, circa eiusmodi monitionem faciendam per praefectam Monasterii Episcopo vigere etiam num Tridentini decretum, nulla lege ei fuisse derogatum, nec statutum ut Episcopus accedat ad explorandam voluntatem puellae in professione

votorum simplicium; legem scilicet non existere, et nemo aut peccato aut poenae sine lege subiiciendus.

Quisque vero intelligit, agi de sanctimonialibus proprie dictis, iis scilicet quae vota solemnia emittunt, et clausura perpetua obstringuntur; non autem de sanctimonialibus votorum simplicium; harum qua de causa Praefectae non tenentur, saltem sub suspensionis poena ab officio, monere Episcopum ante mensem, ut voluntatem exploret puellae quae vel habitum religiosum induere, vel professionem votorum simplicium emittere cupit; lex enim poenalis non potest extendi de casu in casum neque ob identitatem rationis.

Eiusmodi at obligationem nedum habent Praefectae sanctimonialium Episcopo subiectarum, sed etiam Monasteriorum exemptorum, atque superioribus regularibus subiectorum. 1. enim Tridentini Patres in lato decreto nullam nec faciunt nec faciendam exceptionem innuunt. Cum enim lex sit omnino generalis circa voluntatem puellarum ab Episcopo explorandam, atque decernant ut si Episcopus absit vel impediatur, eius Vicarius, aut alius ab eis deputatus ad explorandam puellae voluntatem accedere debeat, nulla de superioribus Regularibus facta mentione, ex hoc ipso apparet, ius eiusmodi Episcopo competere etiam in Monasteriis exemptis.

Sed 2. adsunt etiam evidentissimae declarationes. Archiepiscopus Manilen. sequens dubium ad S. Congregationem Concilii detulit « Cum » Concilium Tridentinum Cap. 17 » de Regul. Sess. XXV decernat, » ut Episcopus bis examinet quae » moniales fieri volunt, primo scilicet, quando habitum suscipiunt, » secundo vero tempore professionis: an hoc etiam intelligatur in » Monasteriis superioribus regularibus subiectis? Et si Episcopus » eorumdem Rectores compellere » possit, ne habitum Novitiae dent, » nisi prius Episcopum certiorem » faciant, ut puellae voluntatem » explorare faciat? S. Congregatio » respondit: *ita esse intelligendum.* » Quod decretum confirmatum fuit ab Urbano VIII die 9 Maii 1626.

Atque in *Suessionen.* 16 Septembris 1662 respondit: « ad Episcopum pertinere voluntatem virginum ad regularem habitum aut » ad professionem etiam in monasteriis exemptis admittendarum » explorare. »

Itaque ni sanctimonialium Praetectae etiam exemptarum moneant in re ante mensem Episcopum, suspensione ab officio percelluntur: quae suspensio ad beneplacitum Episcopi perdurat.

COMMENTARII

PARS SEPTIMA

DE INTERDICTIS LATAE SENTENTIAE IN CONSTITUTIONE *APOSTOLICAE SEDIS* ROMANO PONTIFICI RESERVATIS.

APPENDIX LII.

Antequam de interdictis in specie sermonem instituamus, de interdicto in genere aliquid praemittendum esse arbitramur.

Interdictum itaque est *Censura ecclesiastica, qua homo arcetur a participatione quorumdam Sacramentorum, ab omnibus officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura, quatenus haec ad divinum cultum pertinent.*

Quae postrema verba ideo adduntur, ut interdictum ab excommunicatione distinguatur, quae quidem hominem praedictis bonis privat non quatenus sunt res sacrae, sed quatenus rationem habent communicationis cum aliis, quibuscum excommunicatus communicare interdicitur.

Interdictum dividitur in *locale, personale, et mixtum.*

Interdictum *locale* est quod directe fertur in locum, quatenus in eo prohibentur divina officia celebrari, missae audiri, sepulchris fidelium corpora inferri. Qua de causa hoc interdictum indirecte tantum afficit personas; etenim hae aliis in locis non interdictis possunt divinis interesse.

Interdictum eiusmodi dividitur in *generale et particulare;* primum habetur cum interdicto supponitur locus varia sub se loca complectens; ut si interdicatur Regnum, provincia, civitas; aliud cum ecclesia, seu templum aliquod interdicitur.

Interdictum *personale,* illud est quod immediate fertur in personas, quae eiusmodi de causa arcentur, a participatione quorumdam Sacramentorum, divinorum officiorum, et sepulturae ecclesiasticae quocumque in loco commorentur; etenim interdictum huiusmodi personas undequaque sequitur, sicut umbra sequitur corpus. Qua de causa si populus alicuius terrae interdicto subiiciatur, interdictae censentur personae singulares, cum et populus personas denotet, et sin minus interdictum effectu suo careret.

Interdictum *personale,* aliud est

generale, aliud particulare; illud si interdicto supponatur totus populus alicuius loci, terrae, civitatis, vel integra Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus; hoc si una vel plures tantum personae interdicantur.

Interdictum mixtum complectitur locale et personale, atque tunc habetur cum et locus et personae interdicuntur.

Attamen 1°. In interdicto personali, Clero interdicto, non censetur interdictus populus, et e contra; in lege enim poenali verba sunt stricto sensu accipienda. Interdicto autem populo, censentur interdictae omnes singulares personae quae populum illum constituunt, quamvis in suburbiis existentes, absentes, vel innocentes, ita ut nec ibi nec alibi divinis interesse possint, vel ecclesiasticae sepulturae mandari. Etenim interdictum huiusmodi est personale (1).

2°. Sub interdicto generali Cleri non comprehenduntur Episcopi, iuxta caput *Quia periculosum de Sent. excom. in 6,* nec alii praelati ecclesiastici, sed soli inferiores clerici, quia in odiosis tantum hi veniunt sub Cleri nomine.

Multo minus religiosi utriusque sexus, quia hi quamvis in favorabilibus sub nomine Cleri veniant, non tamen in odiosis. Ita Reiffenstuel.

3°. Similiter interdicto generaliter Clero et populo alicuius loci, non intelliguntur interdictae Ecclesiae vel loca sacra illius; consequenter quamvis Clerus et populus loci illius in illis nequeant sacris interesse, vel ea peragere, tamen incolae aliorum locorum ibi missam audire aliaque sacra agere queunt; eiusmodi enim interdictum personale censetur et est; ideoque loca sacra non comprehendit.

Ut ex definitione interdicti patet, eius effectus sunt tres; id est, privatio participationis quorumdam Sacramentorum; prohibitio divinorum officiorum, et privatio sepulturae ecclesiasticae.

Et quantum ad primum effectum attinet, interdicti tempore administrari possunt Sacramenta Baptismi et Confirmationis nedum parvulis, sed etiam adultis propter

(1) Haec omnia constant ex Cap. *Si sententia 16 De excom. in 6* et ex Cap. XVII. 16. « Si sententia interdicti proferatur in clerum non intelligitur, nisi aliud » sit expressum in ea, interdictus populus; nec etiam e converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina. »

17. « Si civitas, castrum, aut villa subiiciatur ecclesiastico interdicto, illorum » suburbia et continentia aedificia eo ipso intelligi volumus interdicta. Nam licet » praedicta videantur alias murorum ambitu terminari; hoc tamen casu ne vilipendi » valeat sententia interdicti, quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis vel continentibus aedificiis licite celebrari ut prius, expedit interpretationem fieri laxiorem. »

periculum in mora, iis tamen exceptis, relate ad confirmationis Sacramentum, qui sunt specialiter interdicti, vel generali interdicto causam dedere. Hinc etiam chrisma in die Coenae Domini confici potest. Haec patent ex Cap. *Quoniam de sent. excom. in 6.*

« Quoniam in Baptismo et Confirmatione quae nedum pueris, » sed et adultis propter morae periculum exhiberi possunt, licite » tempore interdicti chrismatis utimur unctione; posse, licet terra » interdicta existat, chrisma die » coenae Domini confici, dubium » non existit. » Quin etiam Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae etiam per modum viatici moribundis dari possunt; atque primum etiam sanis nisi excommunicatione teneantur, vel causam interdicto dederint.

Relate ad alterum effectum; per divina officia quae interdicti tempore prohibentur, intelliguntur functiones et actiones spirituales, quae primo ac per se sunt sacris Ordinibus adnexae, et quae ex Christi et Ecclesiae institutione a solis sacris ministris exerceri possunt; ex. gr. Missarum celebratio, solemnes benedictiones templi, fontis baptismalis, aquae lustralis, cinerum, palmarum, candelarum, orationes et litaniae cum solemni processione; similiter alia quaevis publica et solemnis oratio, praesertim horarum canonicarum, quae tamen privatim ab iis qui ad eas tenentur, recitari debent, quamvis sint interdicto suppositi.

Attamen ex Capp. *Permittimus 57 De sent. excom.* et *Alma mater 24 De Verbor. signif. in 6.* interdicti tempore potest semel in hebdomada missa celebrari ad Christi corpus conficiendum pro infirmis, tum in Ecclesiis et Monasteriis, generalis interdicti tempore, Missae celebrari et alia officia divina peragi possunt, non pulsatis tamen Campanis neque pro signo, neque ad *Sanctus* aut sacrae hostiae elevationem; missae et alia divina officia submissa vero celebrentur, idque tamen ianuis clausis, exclusis personaliter interdictis, atque iis qui generali interdicto causam dedere. (1)

(1) « Permittimus ecclesiarum ministris semel in hebdomada, tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, missarum solemnia » celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non » negatur. »

Quoniam vero in Cap. *Alma mater* universa ferme interdicti tempore observanda lex continetur, illud, quamvis prolixum, integrum adducimus, ut Gregorii X mens intelligatur.

« Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte; » quae suadente subiectorum utilitate postmodum consultius ac rationabilius revocat, » in meliusve commutat.

» Sane a nostris dudum fuit praedecessoribus constitutum, ut in terris seu locis

Praedicatio tamen verbi Dei publice haberi potest, cum ad animarum conversionem tendat, ad eamque campanarum sonitu fideles invitari tempore interdicti possunt.

Relate ad tertium interdicti effectum, qui est privatio ecclesiasticae sepulturae observandum est, interdicti tempore, neminem posse ecclesiasticae sepulturae mandari, non innocentem, non infantem, non amentem. Hi tantum excipiuntur, qui privilegio gaudent ut sepeliri possint in loco sacro, durante interdicto, quales sunt clerici omnes qui personaliter interdicti

» ecclesiastico suppositis interdicto nulla, certis casibus et Sacramentis exceptis, » divina celebrentur officia, vel ministrentur ecclesiastica Sacramenta.

» Quia vero ex distinctione huiusmodi statutorum excrescit indevotio populi, » pullulant haereses, et infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine » culpa earum debita obsequia subtrahuntur; cum fratribus nostris deliberatione » habita super his diligenti, concedimus quod tempore interdicti ab homine vel a » iure prolati non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quam » infirmi, ad poenitentiam, quae propter proclivitatem et facilitatem hominum ad pec- » candum, summe necessaria est, licite admittantur; dum tamen excommunicati non » fuerint, quod (forte quos) admitti, praeterquam in mortis articulo, nolumus ad » eamdem.

» Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est sententia in- » terdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum » est latum, praebuerunt auxilium, consilium vel favorem; nisi de ipso delicto, si » sint tales qui id facere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam » dederint cautionem; aut si satisfacere nequeant, vel huiusmodi cautionem praestare » iuraverint, qui cum poterunt satisfacient; et ad satisfactionem huiusmodi per » eum, vel per eos cui facere ipsam debent et possunt, praestandam dabunt con- » silium et auxilium, ac iuxta posse suum fideliter laborabunt; non est poenitentiae » beneficium aliquatenus concedendum.

» Nec tunc etiam quo ad istos vel alios qui circa hoc minime deliquerunt (ubi » civitas, vel locus alius seu universitas interdicti existunt) facienda est relaxatio » interdicti, sed est eis solummodo iniungenda poenitentia salutaris.

» Adiicimus praeterea quod singulis diebus in Ecclesiis et Monasteriis missae » celebrentur, et alia dicantur divina officia sicut prius, submissa tamen voce et » ianuis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non » pulsatis. Et tam canonici quam clerici ecclesiarum in quibus distributiones quo- » tidianae illis qui horis intersunt canonicis tribuuntur si ad officia non venerint » supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non extante » si divinis officiis non adessent.

» In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae, ac Pentecostes et Assum- » ptionis Virginis gloriosae campanae pulsentur, et ianuis apertis alta voce divina » officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis » admissis; quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum, ut ipsi ad humilitatis » gratiam et reconciliationis affectum facilius inclinentur, praefatis diebus parti- » cipationem permittimus divinorum; sic tamen quod illi propter quorum excessum » interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. »

non sunt, nec interdicto causam dedere, ac tempore interdicti generalis illud observarunt; hi enim absque ulla solemnitate et consuetis caeremoniis cum silentio in loco sacro etiam interdicto sepeliri possunt. Tempore autem interdicti localis generalis personae illius loci sepeliri possunt alio in loco non interdicto, quia interdictum locale non sequitur personam, secus ac dicendum est de interdicto personali.

Si quis autem interdicti tempore extra locum sacrum sepultus fuerit, sublato interdicto, in loco sacro sepeliri potest; neque exhumandus si contra prohibitionem in loco interdicto sepultus fuerit: at excommunicati sunt exhumandi. Haec omnia ex iure constant.

Exinde patere arbitramur differentias quae intercedunt excommunicationem et suspensionem inter atque interdictum. Excommunicatio enim numquam ut mera poena vindicativa infligitur; secus interdictum; excommunicatio insuper in solas personas fertur, interdictum etiam loca attingit; suspensio autem fertur tantum in personas ecclesiasticas quas tamen ecclesiastica sepultura non privat; at interdictum fertur etiam in laicos quos privat ecclesiastica sepultura.

Cetera lectores videant penes sacrorum canonum tractatores.

Hisce praemissis, ad interdicta lata in Constitutione Piana accedimus expendenda. Porro interdicta a Pio IX lata duo sunt, quorum unum speciali modo Romano Pontifici reservatum, aliud reservatum iis qui interdictum tulere.

APPENDIX LIII.

Interdictum Romano Pontifici specialiter reservatum incurrunt Universitates etc. appellantes ad futurum Concilium.

Eiusmodi interdictum ita fertur: *Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.*

Porro latum reperitur in Bulla publicari solita in die Coenae Dñi § 2. « Item excommunicamus et » anathematizamus omnes et singu- » los cuiuscumque status, gradus, » seu conditionis fuerint, *Universi-* » *tates vero, Collegia et Capitula,* » *quocumque nomine nuncupentur,* » *interdicimus, ab ordinationibus,* » *seu mandatis nostris, ac Romano-* » *rum Pontificum pro tempore exi-* » *stentium, ad universale futurum*

» *Concilium appellantes;* nec non » eos, quorum auxilio, consilio, vel » favore appellatum fuerit. »

In eiusmodi appellantes excommunicatio a Pio Papa IX innovata fuit *Cap. IV tit. 1.* quam in Commentariis nostris expendimus *T. 1. pag. 405.*

Hinc quaerimus primo loco: an qui interdictum incurrunt etiam excommunicatione teneantur?

Et quidem Commentator Patavinus *pag. 342. n. 477.* affirmativam sententiam defendit, sententiam Bonacinae et Suaresii secutus. (1)

At Ballerini, D'Annibale aliique contrariam sententiam defendunt, ille quidem in notis ad Theol. Mor. Gury *Tom. 2. pag. 1032. edit. 1878. hic Comment. pag. 121.* Et ut nobis videtur vere et recte; primo, quia non est ob idem crimen duplex poena imponenda, nisi de legislatoris mente certo constet. 2.° quia in concreto de eiusmodi legislatoris intentione minime constat; etenim in cit. Bullae Coenae Capite dum excommunicatione percelluntur omnes et singuli appellantes ad futurum Concilium, universitates, Capitula, Collegia interdicuntur; ita ut sensus sit haec excommunicatione non teneri, sin minus legislatores dicere debuissent, *universitates* etc. etiam *interdicimus.* In Piana vero Constitutione res evidens est. Etenim caput Bullae Coenae, in duo Pontifex divisit, quorum primo excommunicavit singulares personas ad futurum Concilium appellantes, nulla de universitatibus, Collegiis etc. facta mentione; in alio autem Capite universitates etc. interdicto supposuit, nulla facta mentione de personis singularibus. Ergo facto suo Bullae Coenae caput Pontifex intellexit, ut entia moralia excommunicatione non tenerentur, sed uno interdicto, quod singulares personae appellantes non incurrunt, cum una excommunicationis poena afficiantur. Id vero etiam ex eo patere arbitramur, quia dum de excommunicatione agitur, una persona appellans excommunicationem incurrit, non item interdictum nisi maior universitatis pars appellet; ratio igitur qua per-

(1) En Patavini ratiocinium. « Qui enim Capitulum constituunt, vel Collegium » vel Universitatem, sub duplici respectu considerari possunt; nempe quatenus sunt » *singulares personae,* et quatenus *unum quidpiam morale* constituunt. Sub primo » respectu omnes et singuli qui consensu aut suffragio, aliove simili modo ad in» terponendam appellationem concurrerunt, eo ipso in excommunicationem incide» runt; ipsorum enim quisque vere et proprie inter *appellantes* est numerandus. » Neque tamen hoc satis est; nam sub alio respectu omnes et singuli ipsorum vere » ac proprie Capitulum, vel Collegium, vel Universitatem constituunt, ac proinde » labuntur etiam in interdictum, ubi primum appellatio nomine Capituli etc. fuerit » interposita. Sequitur hinc quod excommunicatio directe fertur *in personas,* interdictum in *Communitatem.* »

sonae in Piano Capite considerantur, diversa est.

3.° Ulterius lex poenalis non est extendenda ad alias personas, nisi id evidentissimum sit.

4.° Demum in lege poenali quod minimum sequi debemus. Nullo ergo argumento Patavini sententia sustinetur.

Allatis autem a nobis rationibus corruit cl. Patavini ratiocinium. Personae enim, ut poenam incurran , considerandae sunt sub eo respectu quo in lege considerantur; cum autem in interdicto considerentur, et nominentur unae personae morales, non potest eis poena applicari quae lata fuit in personas singulares, quae ad nullam Universitatem vel Collegium pertineant; sin minus lex poenalis extenderetur; quando enim lex qualitatem vel statum personarum determinat, de personis quae illo statu vel qualitate carent, sollicita non est; et in casu duplex, et quidem maxima, poena irrogaretur personis moralibus, dum expressis verbis unum irrogatur interdictum. Quod vero personae ad Collegia vel Universitates pertinentes et uti singulares et uti morales considerari possint, in casu locum non habet, cum ipse legislator eiusmodi considerationem instituerit, applicando quidem ad singulares personas excommunicationem, ad morales interdictum.

Personae igitur morales quae hoc in Capite recensentur unum interdictum incurrunt si a mandatis et ordinationibus Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellent; haec enim est culpa quae interdicto percellitur.

Porro illud contrahunt universitates, Collegia, et Capitula quocumque nomine nuncupentur.

Universitas est multorum in unum congregatio eidem capiti subiectorum.

Collegium est collectio plurium corporum rationabilium, constituens unum corpus repraesentatum. *Ferraris Biblioth. can. V. Collegium nn. 2. 3.*

Capitulum est collectio seu congregatio personarum ecclesiasticarum, ex. gr. Canonicorum, vel Regularium in unum, seu capitulariter congregatorum. *Ibid. n. 134.* Capitulariter, inquam, seu iuxta regulas praescriptas; non enim quaelibet canonicorum unio capitulum vocari potest, aut est.

Exinde vero nemo concludat, interdicto affici illas tantum hominum collectiones quae Universitates, Collegia, aut Capitula vocantur; cum enim legislator dicat *quocumque nomine nuncupentur,* satis innuit, se non ad nomina, sed ad rei substantiam respexisse, scilicet ad moralem quamlibet hominum unionem, collectionem, congregationem; ita ut si unio illa vocetur ex. gr. *Synodus, Congregatio,* etc. interdicto afficitur, si ab ordinationibus et mandatis Romani Ponti-

ficis ad universale futurum Concilium appellet.

Porro quando eiusmodi interdicto afficiantur nec ne appellantes colligi potest ex iis quae de excommunicationem incurrentibus ob eiusmodi culpam indicavimus in Commentariis nostris, *loc. cit.*

Attamen per summa capita, hic ea repetimus.

Cum in lege afficiantur interdicto *Universitates, Collegia et Capitula quocumque nomine nuncupantur, ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium*, verba haec stricto sunt sensu interpretanda, ita ut nemo interdicto afficiatur, nisi qui legem identice fuerit transgressus. Est enim odiosa. Qua de causa.

1. Personae quae morales non sunt, seu non pertinent ad aliquam Universitatem etc. interdicto non afficiuntur; hae enim excommunicatione plectuntur.

2. Neque qui appellat ad futurum Concilium, at non oecumenicum, ex. gr. provinciale, nationale etc.; primo quidem quia lex loquitur de Concilio oecumenico; secundo quia ideo appellatio eiusmodi aliquando interiecta fuit, quia Concilium generale censebatur praestare auctoritate ipsi Romano Pontifici; nemo tamen e gallicanis censuit, praestare Summi Pontificis auctoritati concilium provinciale aut nationale; deficit ergo in re appellationis ratio, cum appellaretur a superiore ad inferiorem etiam iuxta Gallicanorum sententiam; deficit etiam prohibitionis causa et intentio legislatoris, tum ipsa lex deficit, cum casus esset omnino diversus.

3. Similiter interdictum non incurrunt qui appellant ad Concilium oecumenicum quod actualiter celebratur; lex enim loquitur de universali futuro concilio.

4. Sed neque qui appellaret ad futurum universale concilium a mandatis et ordinationibus latis a Romanis Pontificibus tanquam temporalibus principibus; quia, praeter rationes alias, quas *loc. cit.* attulimus, Rom. Pontifex ut princeps temporalis nullam habet auctoritatem extra suum territorium.

5. Neque qui appellaret a Pontifice ad Pontificem futurum, aut a Pontifice male informato, ad Pontificem melius informatum, ut dicebant. Lex enim loquitur de Concilio oecumenico.

6. Neque qui appellant a mandatis et Ordinationibus S. R. Ecclesiae Cardinalium, Congregationumque; vel a S. Cardinalium Collegio, sede vacante; horum enim decreta non sunt ordinationes et mandata Romani Pontificis.

7. Sed neque qui a Concilio acephalo, cui scilicet Pontifex non praest, ad Concilium vere generale.

Quid autem si quis appellaverit a Concilio oecumenico legitime celebrato, cui scilicet praesit Pontifex vel per se, vel per Legatos suos, ad aliud Concilium oecume-

nicum futurum legitime pariter celebrandum?

Gabriel de Varceno Theol. Mor. *Tom. II, pag. 421 2*, Bonacinam secutus, affirmat excommunicationem, et eadem de causa, interdictum incurrere. « Verum, inquit, » si a Concilio, cui Papa interesset, » appellaretur ad aliud Concilium » generale, haberet locum haec » censura; tunc enim diceretur ap» pellare ab ordinationibus Papae » ad futurum Concilium. »

At contra, lectoribus nostris sequentia consideranda submittimus.

1. In lege poenali recedendum non est ab stricto verborum sensu; qua de causa cum legislator de Concilio oecumenico futuro loquatur, non debent verba eius ad unum Pontificem extendi, quia Concilium non est.

2. Concilium oecumenicum definitur Conventus seu Congregatio Praesulum et Rectorum Ecclesiae ad tractanda religionis negotia legitime vocatus; qui conventus erit universalis, si ad eum universi Ecclesiae praesules vocentur, licet non omnes accedant.

Porro in Concilio oecumenico legitime convocato, quamvis Romanus Pontifex primus sit, primasque gerat partes, tamen non est quid distinctum, sed una cum Concilii patribus unum quid morale efformat, ut caput ex. gr. unum quid est cum corpore humano, quod sine capite non concipitur.

Iam vero definitiones in conciliis oecumenicis latae, quamvis latae a Pontifice dicantur, tamen latae feruntur suffragante Concilio, habenturque veluti Concilii oecumenici definitiones et decreta, et non unius Pontificis. Exemplum desumatur ex Concilio Vaticano.

His praemissis; si appellare a Concilio oecumenico, cui praeest Pontifex ad futurum Concilium generale induceret interdictum, quoniam in capite quod expendimus, dicitur: *ab ordinationibus, seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis,* et verba legis poenalis sunt stricto sensu interpretanda, ordinationes et mandata lata in Conciliis oecumenicis, a quibus appellatur ad futurum universale Concilium, consideranda erunt lata ab uno Romano Pontifice; non erunt ergo definitiones Concilii Oecumenici; si autem habenda sunt uti decreta Concilii oecumenici; ergo non erunt decreta unius Romani Pontificis.

Atqui in primo casu appellatio erit a Romano Pontifice ad futurum Romanum Pontificem, cum sermo sit de futuro concilio legitimo, cui praesit Papa, non de acephalo, vel illegitimo quod nullius est auctoritatis, quae appellatio interdicto non percellitur; in alio casu appellatio erit a Concilio oecumenico ad futurum concilium oecumenicum, pro qua appellatione nullam habemus in Piana Constitutione sive excommunicationis, sive interdicti legem.

Dicturi ne erunt quod appellatio

dari potest ab ordinationibus B. Pontif. in Concilio expressis ad futurum universale Concilium legitimum?

Sed antea demonstrandum est, eiusmodi ordinationes latas esse ab uno Romano Pontifice, nullo habito ad Concilii patres respectu; sin minus ordinationes erunt conciliares.

Accedit, quod per eiusmodi appellationum ab decretis et ordinationibus Romani Pontificis ad futurum universale Concilium prohibitionem Romani Pontifices suae auctoritati personali consultum voluere, non auctoritati quam una cum Concilio oecumenico exercent, de quaque numquam Gallicani dubitarunt; quod ex ipsa appellatione ab ordinationibus et mandatis Romani Pontificis ad futurum universale concilium patet, tempore praesertim quo infallibilitas personalis Romani Pontificis nondum inter fidei dogmata relata fuerat. Qua de causa neque ipsi Gallicani umquam loqui potuerunt de definitionibus aut decretis quibuscumque latis a Conciliis oecumenicis legitimis, quibus praeesset Romanus Pontifex, cum de eiusmodi auctoritate et infallibilitate numquam dubitaverint. Cum igitur desit in sententia a clarissimis Bonacina, De Varceno etc. propugnata ipsa rei essentia, seu veritas facti, non potest induci interdictum ob appellationem a Concilio generali cui praeest Pontifex, ad aliud futurum generale Concilium; quandoquidem casus est omnino diversus.

Quod etiam alio argumento patet. Gallicani enim qui superioris auctoritatis prae Romano Pontifice putabant Concilium oecumenicum, numquam ut haeretici habiti sunt ante Concilium Vaticanum, qua lis haec dirempta tandem aliquando fuit. At si appellassent a definitione aliqua in Concilio oecumenico legitimo lata, fuissent haeretici; ergo loqui non potuerunt de definitionibus latis a Romanis Pontificibus in Conciliis oecumenicis, dum eiusmodi appellationes licitas propugnarunt, cum infallibilitatem Rom. Pontificis una cum Concilio oecumenico numquam in dubium revocaverint Gallicani, sed de definitionibus latis a Romanis Pontificibus personaliter, et a Concilio independenter, prout in Concilio Vaticano definita fuit. Locuti sunt ergo de appellationibus a decretis Romani Pontificis ad Concilium generale futurum; eiusmodi ergo appellationes Pontifices Romani damnasse, et excommunicatione et interdicto mulctasse dicendi sunt.

Cum itaque neque historice consideratae, neque relate ad caput quod exponimus appellationes eiusmodi possint intelligi de mandatis et ordinationibus latis a Romanis Pontificibus in Conciliis oecumenicis cum concilii Patribus, non videntur interdicti illi qui a Concilio oecumenico cui praeest Romanus Pontifex appellant ad futurum Concilium universale.

Neque solida videtur adducta ab

adversariis ratio; ex quo enim ab Concilio cui Pontifex intersit, appellaretur ad futurum Concilium, consequens non est, quod appellaretur ab ordinationibus Papae ad futurum Concilium, sed ab ordinationibus Concilii ad futurum Concilium; ordinationes enim Papae in Concilio latae, et suffragante Concilio, conciliares sunt, non personales.

Post haec expendendam censemus illam cl. Fr. Piati sententiam, qua *Comment. pag. 326,* in verba illa Capitis *Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur,* scribit: « His » tribus nominibus collectivis Summus Pontifex in hoc canone comprehendit omnem multitudinem, » populum, congregationem, societatem, communitatem, rempublicam, senatum, uno verbo, » omnem universitatem tam ecclesiasticarum, quam saecularium » personarum. »

Haec sententia nobis exagerata videtur. Nos supra dedimus definitiones Universitatis, Collegii et Capituli; in quibus dignoscitur unio personarum particularium ad aliquem particularem finem societati praestitutum obtinendum vel exequendum. Dum itaque postea Pontifex dicat *quocumque nomine nuncupentur,* nil aliud intelligere potest nisi alias societates, et congregationes hominum particularium, quae alio nuncupentur nomine, ex. gr. *Synodus, Confraternitas,* etc., et minime populum aut Rempublicam, quae Universitatis nomine non indigitatur, et multo minus Collegii aut Capituli nomine. Verba enim sunt proprio et naturali sensu accipienda.

Neque sub iisdem verbis concipitur senatus alicuius regni, cum non sit neque universitas, neque Collegium, neque Capitulum, neque sub eiusmodi nominibus comprehendatur, aut intelligatur.

Manifestum autem esse putamus, Pii Papae IX mentem esse non potuisse, ut interdicto subiiceret nationes universas, ex. gr. universam Galliam, Germaniam, Italiam etc. si maior nationis pars ad futurum concilium appellaret. Quae enim utilitas? Et quaenam non exurgerent exinde pro fide, pro religione, pro Ecclesia pericula? Ut silentio praetereamus an dari casus possit ut maior nationis alicuius catholicae pars ab ordinationibus et mandatis Romani Pontificis appellet ad futurum Concilium; quod numquam factum fuit, quamvis factum id noverimus ab coetibus singularibus, et singularibus personis.

Exclusis itaque Rebuspublicis, Senatibus regnorum, populis etc., sub lege lata comprehendi dicimus omnes personarum particularium coetus, qui reguntur ad instar Universitatum, Collegiorum et Capitulorum, et hos unos.

Porro ut Universitates, Collegia, Capitula, et huiusmodi societates interdicto afficiantur, necesse est

ut appellatio sit a communitate facta; ergo opus est ut sit legitime congregata, et in appellationem concurrat maior Societatis pars; sin minus appellatio dici non posset a communitate facta. Hinc si tumultuosi aliqui, non indicto Societatis conventu iuxta leges constitutas, sese congregarent, et vetitam Appellationem interponerent, ipsi excommunicatione afficerentur uti singulares personae, sed interdicto minime, cum in casu considerari non possent uti morales personae, et societatis illius pars; consequenter multo minus interdicto ipsa communitas afficeretur.

At si Societas legitime collecta fuerit, et maior congregatorum pars in appellationem convenerit, interdicto afficiuntur universi ad Societatem illam pertinentes, quamvis absentes, et quamvis innocentes. Hac in re praestat referre quae scribit Schmalzgrueber *Pars. IV, Tit. 39, n. 334.* « Quae personae » comprehendantur, quando interdicto subiicitur populus, Collegium, aut alia quaevis Universitas?

» R. Comprehenduntur omnia » ipsius membra; ideoque etiam » 1. qui absentes fuerunt, quando » latum est interdictum, quia absentia non impedit eos esse membra communitatis interdictae. » 2. Innocentes, quia non interdicuntur quatenus innocentes sunt, » sed quatenus sunt partes communitatis nocentis. 3. Illi qui » post latum interdictum partes » illius communitatis fiunt, quia vere » ad communitatem interdictam » pertinent. 4. Clerici et religiosi » si partes communitatis interdictae » sint. »

Attamen excipiendi sunt Episcopi ad interdictam universitatem pertinentes, cum hi ex Cap. *Quia pericolosum* nec suspensi nec interdicti censentur, nisi disertis verbis exprimantur, tum Cardinales pro privilegiis quibus gaudent; et quia sunt maiores praelati; demum infantes et amentes doli incapaces, cum ob defectum usus rationis non teneantur prohibitione per interdicti censuram illata.

Quid autem? Infantes et amente ad universitatem illam vel Collegium etc. pertinentes privantur ne sepultura ecclesiastica, si interdicti tempore moriantur?

Clarissimus d'Annibale *loc. cit.*, De Varceno *l. cit. 3.* aliique putant infantes et amentes eiusmodi privari sepultura ecclesiastica; *quia,* inquit D'Annibale, *haec prohibitio magis ad viventes pertinet.*

At aliis, quos inter cl. Fr. Piat. eiusmodi sententia non arridet, et quidem, ni fallimur, rationabilius. Interdictum enim huiusmodi est personale, non locale; cum itaque ob rationis defectum illud non incurrerint neque infantes, neque amentes, quo iure privari possunt sepultura ecclesiastica, qua non privantur alii ad Universitates etc. interdictas non pertinentes?

Si hi sepeliri possunt in loco sacro quia interdicti non sunt, et illi poterunt sepeliri cum interdicto neque ipsi teneantur.

Argumentum autem adductum a cl. D'Annibale, aliisque ante ipsum, nescimus quanto robore consistat. Ad quos enim viventes haec prohibitio pertinet? Ad clericos ne qui sepelire tenentur? At si hi clerici non pertinent ad societatem interdictam, qua lege prohibentur in interdicto personali in sepulturam ecclesiasticam inferre non interdictos? Fortasse ad viventes qui pertinent ad interdictas societates et interdicto tenentur? Sed hi sciunt, ideo infantes et amentes illos sepulturae ecclesiasticae tradi, quia interdicti non sunt. Atque idipsum dicendum de aliis viventibus extra Societates interdictas. Non intelligimus quapropter quo rationis argumento contraria sententia sustineatur.

Manifestum autem esse putamus, innocentes, qui scilicet interdicto causam non dedere, illico interdicto solvi vix ab societate interdicta recedant; etenim interdictum hoc afficit personas morales; recedendo autem ab societate interdicta, innocentes tales de cetero nec censentur, nec sunt; interdicto ergo non tenentur.

Suadentes, consulentes, paucis, cooperatores, interdicto non tenentur, cum a legislatore praetermissi fuerint; sed neque excommunicatione lata in singulos appellantes: probavimus enim, personas morales uno affici interdicto; si ergo hae excommunicatione non tenentur, quomodo illa afficientur cooperatores?

Interdictum huiusmodi reservatum est speciali modo Romano Pontifici, ideoque ab eo nemo absolvere potest, neque is cui facultas concessa fuit absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis, cum sub eiusmodi facultate non comprehendantur censurae speciali modo reservatae.

Attamen si quis ab eiusmodi interdicto absolvere praesumeret, peccaret quidem graviter, et absolutio nulla esset, excommunicationem tamen nullam incurreret, cum haec in Piana Constitutione lata sit in absolventes ab excommunicationibus speciali modo Romanis Pontificibus reservatis: *Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant; dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae si convaluerint.* Poena vero lata in praesumentes absolvere ab excommunicationibus speciali modo reservatis Romano Pontifici non potest extendi ad absolventes ab interdictis eidem speciali modo reservatis. Legislator enim quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est.

Alia quae addi poterant lectores habent in cit. Cap. Commentariorum nostrorum, quo excommunicationem in appellantes expendimus.

APPENDIX LIV.

De interdicto lato in celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia vel ecclesiasticam sepulturam admittentes.

Huiusmodi delinquentes his verbis interdicto Pius Papa IX subegit:

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Latum porro interdictum desumpsit Pontifex ex *Cap. 8 de privilegiis in 6*, quo Bonifacius VIII haec statuerat: « Episcoporum et » aliorum Praelatorum querelis fre- » quentibus et querulosis clamori- » bus excitati, praesenti Decreto » duximus statuendum, ne aliqui » saeculares aut regulares, quan- » tumcumque exemptionis seu li- » bertatis Sedis Apostolicae privi- » legiis communiti, cuiuscumque » ordinis religionis, status vel con- » ditionis existant, *scienter cele- » brent vel faciant celebrari divina » in civitatibus, castris, villis (nisi » quatenus eis a iure conceditur) » seu locis aliis interdictis ab Or- » dinariis sive delegatis iudicibus, » vel a iure: aut excommunicatos » publice vel interdictos ad divina » officia seu ecclesiastica Sacra- » menta vel ecclesiasticam sepul- » turam admittant. Qui vero con- » tra praesumpserint (praeter alias » poenas a iure statutas) ingressum » Ecclesiae sibi noverint interdi- » ctum; donec de transgressione » huiusmodi ad arbitrium eius, » cuius sententiam contempserunt, » satisfecerint competenter. »*

Quamvis autem Pii Papae IX caput desumptum sit ex Bonifacii VIII decretali, non tamen identice; ideoque discrepantias adnotamus.

Atque 1. Plurimorum sententia erat, saeculares et regulares illos de quibus in Bonifacii decreto, exemptos fuisse a iurisdictione Episcopali, ideoque lex lata in illas tantum censeri poterat, et censebatur: etenim illi ratione exemptionis ab auctoritate Episcopi putabant, se Episcopali interdicto non abstringi; illud consequenter in detrimentum ecclesiasticae disciplinae carebat effectu. At eiusmodi limitationem abstulit Pius Papa IX decreto suo, cum generice interdicto percellat *scienter celebrantes vel celebrari facientes etc.*

Pariter Bonifacius VIII eidem interdicto submittebat eos qui nedum publice excommunicatos, sed etiam

interdictos ad divina officia, vel Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admitterent; at de admittentibus interdictos ne verbum quidem in Piano capite.

3. In Bonifacii Capite in transgressoribus nedum scientia, sed etiam praesumptio exigebatur: *Qui vero contra praesumpserint.* At in Piano Capite unica requiritur scientia, *scienter.*

4. Demum Bonifacius VIII transgressores nedum ab ingressu Ecclesiae interdicebat, sed in eos statuebat etiam alias poenas in iure statutas, at Pius Papa IX unum interdictum ab ingressu Ecclesiae infert in transgressores.

Quid ergo?. num aliae poenae abrogatae censendae sunt, ut putat et Avanzini. *Edit. man. pag. 95,* atque etiam alii putant, cum de illis Pius Papa IX non meminerit, vel adhuc subsistunt, ut censere videtur cl. Fr. Piat *Com. p. 329?* (1)

Arbitramur non esse recedendum ab sententia cl. Avanzini; etenim quamvis Clerici interdicti interdictum violantes, irregularitatem aliasque poenas incurrerent, de quibus Reiffenstuel *V. XXXI, 217 seq.* tamen non interdicti interdictum locale vel personale violantes nullo iure irregularitate afficiebantur. In re ita cl. Schmalzgrueber *Pars. IV, Tit. 39, n. 394.* « Mitius agitur » cum non interdicto, si in loco » non (2) interdicto celebret, et ad » divina Sacramenta et sepulturam » admittat interdictos; nam hic ab » ingressu Ecclesiae arcetur, donec » ad arbitrium eius, cuius sententiam contempsit, satisfaciat com» petenter; *cap Episcoporum 8 De » privil. in 6.* irregularitatem tamen non incurrit, quia nullibi » constat, hanc poenam ob delictum » istud esse impositam. » Atque pro sua sententia citat Sayrum, Suarez, Palao.

Porro qui in capite Piano interdicto mulctantur sunt clerici non interdicti scienter celebrantes in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure interdictis. Hi igitur unum ab ingressu Ecclesiae interdictum incurrere dicendi sunt.

Ad haec animadvertimus, articulum duplici parte constare; quarum prima interdicto afficiuntur qui celebrant vel celebrare faciunt divina in locis interdictis; alia admittentes ad divina officia, vel eccle-

(1) Qui ita scribit: Contra violantes huiusmodi interdictum plures in iure statutae erant poenae. Plures Constitutionis *Apostolicae Sedis* Commentatores illas abrogatas esse censent, cum de eisdem ibi nulla fiat mentio. Id tamen minus cohaerere videtur cum principio ab ipsismet admisso, quod iuri antiquo Piana Constitutio quoad soles censuras, non vero quoad alias poenas derogaverit.

(2) In editione Romana an. 1845 qua utimur ita legimus *loco non interdicto:* at putamus legendum esse in *loco interdicto,* cum auctor citet Caput *Episcoporum,* in quo sermo est de celebrantibus in locis interdictis. Accedit quod si non interdictus celebrat in loco non interdicto, quae culpa?

siastica Sacramenta, aut sepulturam ecclesiasticam nominatim excommunicatos.

Quibus praemissis perpendamus

1. Quinam hoc interdictum incurrant.

2. Ob quasnam actiones.

3. A quo, et sub quibus conditionibus tollatur.

Et quantum ad primum attinet, ex lege manifestum est, illud primo loco incurrere scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel ab iure interdictis, consequenter unos clericos sive saeculares, sive regulares, sive exemptos, sive Episcopo subditos, cum ab Legislatore, ut vidimus, quaelibet exceptio sublata fuerit, et tantum Ecclesiae viri possint vel celebrare, vel celebrare facere. Uni excipiuntur Episcopi, et alii maiores praelati ratione Capitis *Quia periculosum,* ut alias diximus. Interdictum enim personale est, quod delinquentes incurrunt violando interdictum locale. Attamen notanda sunt in re exceptiones quae in iure constituto permittuntur; ut liceat scilicet, si interdictum speciale sit, missam semel in hebdomada, ad renovandam Eucharistiam, celebrare et in conventualibus Ecclesiis horas canonicas recitare, submissa voce, binis et binis, vel tribus simul; si autem interdictum generale sit, quotidie liceat sacrum facere et alia divina officia obire, ianuis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, et exclusis interdictis, ut superius diximus; qua de causa qui haec ex lege peragant, nulla interdicti poena tenentur.

Sicut illud quilibet evaderent qui divina peragerent in locis quidem a iure interdictis, at per sententiam declaratoriam minime determinatis. Etenim iuxta Constitutionem *Ad evitanda* latam a Martino V loca a iure interdicta non censentur talia nisi declarentur. (1)

Eiusmodi vero interdictum latum dicitur vel ab Ordinario, eo scilicet qui habet iurisdictionem Episcopalem vel quasi Episcopalem in locum, quod interdicto supposuit; vel ab iudice delegato qui ad ferendum interdictum delegari potuit ab quolibet habente iurisdictionem ordinariam in locum interdicendum, vel ab iure, quae interdicta non nisi a Romano Pontifice vel a Conciliis oecumenicis lata fuere, aut ferri possunt.

At circa illos *qui celebrare faciunt* quaerendum est quinam ii sint; vel quicumque qui non prohibent, aut qui prohibere tenentur, cum prohibendi gaudeant potestate? Atque hos postremos interdicto percelli existimamus, cum verba ipsa id innuant; non enim ad quoslibet pertinet celebrationem missae in Ecclesia permittere, sed vel ad Superiorem, vel ad eum

(1) Habetur Tom. I. Comment. nostrorum pag. 1043.

cui ecclesiae custodia commissa fuit vel actualiter commissa reperitur, fuerit pro unius diei spatio; cum autem in lege poenali verba sint stricto sensu interpretanda, hos postremos tantum interdicto teneri arbitramur, non alios quoslibet Sacerdotes sive saeculares, sive regulares, ad quos non pertinet ecclesiae custodiam gerere, nec facere celebrare. Id vero ex eo maxime deducimus, quod Bonifacius VIII ideo legem tulerit, quod qui privilegiis sese communitos censerent, non observarent lata sive ab Ordinariis sive a delegatis iudicibus interdicta; privilegia autem inducere vel demonstrare ad Superiores, non ad quoscumque pertinet; ergo ad Superiores pariter pertinet celebrare facere; haec autem etiam plurium Commentatorum pianae Constitutionis sententia est.

Porro ut hi interdictum contrahant, vel celebrare, vel celebrare facere debent divina in locis interdictis.

Divina autem sunt non tantum missae celebratio, sed alia omnia divina officia quae soli clerici peragere possunt: hinc canonicarum horarum publica recitatio, processiones publicae, omnis oratio publica quae ex Ecclesiae vel Christi institutione exigit ordinem sive maiorem, sive minorem; solemnis benedictio aquae, palmarum, candelarum, chrismatis et similium. Quae si in locis interdictis a personis non interdictis peragantur, vel ad ea peragenda interdicti vocentur, interdictum huius Capitis contrahitur ab illis qui celebrare faciunt, vel ipsi celebrant.

Attamen id faciant oportet *scienter;* nosse scilicet debent locum illum esse interdictum, et personam quam celebrare faciunt divina interdicto suppositam esse. Ergo si ignorantia aliqua etiam affectata laborent, interdicto non percelluntur; scientia enim exigit et dicit legis perfectam cognitionem, at quaelibet ignorantia perfectam cognitionem legis excludit. Quod in re apprime notandum est. Qua de causa si quis dubitet an locus, vel persona illa sit interdicta, poena interdicti non tenetur. Sed nec eo tenetur si eiusmodi divina peragantur in oratoriis privatis saecularium, vel aliis in locis, quae Episcopi auctoritate erecta non fuerint; non censentur enim sacra, nec consequenter interdicto subiecta.

Alii qui eiusmodi interdicto percelluntur sunt *admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia,* seu *ecclesiastica sacramenta,* vel *ecclesiasticam sepulturam.*

Hac in capitis parte expendenda animadvertere primo debemus, Pium Papam IX articulo XVII Sectionis II excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatae subiecisse *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.*

Quid igitur? nominatim excommunicati a Romano Pontifice sunt ne illi ipsi, de quibus in praesenti capite sermo est?

Non putamus. Etenim in cit. cap. XVII de illis mentio est, qui ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente sunt nominatim excommunicati; hoc autem in capite sermo est de nominatim excommunicatis ab Ordinario vel delegato iudice, vel a iure, ut ex ipsius capitis initio patet, praesertim relatione instituta cum capite Bonifacii VIII. Non sunt ergo eaedem personae utriusque capitis obiectum; consequenter admittentes ad divina officia nominatim a Papa excommunicatos excommunicationem quidem incurrerent, non autem praesens interdictum ab ingressu Ecclesiae; eo vel magis quod poenae non sint ob idem crimen multiplicandae, nisi multiplicandas esse constet.

Sed neque arbitramur, aliquam differentiam inducere, quod in Cap. XVII excommunicentur Clerici scienter et *sponte* communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis; Cap. II autem tantummodo scienter nominatim excommunicatos etc. admittentes, adverbio *sponte* praetermisso.

Etenim eiusmodi adverbium coactionem excludit; porro coactio ab excommunicatione, aliaque poena ecclesiastica coactos eximit, cum violentiam inferat. Qua de causa si praetermissio adverbii *sponte* differentiam inter utrumque caput induceret, sequeretur hoc in capite II interdictum incurrere ab ingressu Ecclesiae illos etiam qui ad admittendos nominatim excommunicatos ad divina officia etc. compulsi fuere a principe, a magistratu, a populo, paucis, potestate, vel vi superiori. Quod dici nequit, nedum ob eiusmodi rationem; sed etiam ne legislator minus cohaerens reperiatur. Etenim hic excommunicationi quamvis nemini reservatae subegit 1°. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiaticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos; *cogentes* inquit, et *mandantes,* nullo pacto tradentes, seu coacti; quod idem intelligimus ex Cap. VII tituli primi, quo excommunicationi speciali modo reservatae Romano Pontifici subduntur *cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones;* quo iudices coacti nulla excommunicatione tenentur. Si igitur in cap. hoc II quod expendimus, compulsi ad admittendos ad divina officia et ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos interdicto ab ingressu Ecclesiae tenerentur, sibi in ratione statuendarum poenarum cohaerens non esset legislator, atque egisset contra receptas iuris regulas, quibus novimus vim et metum gravem semper ab poenis ecclesiasticis incurrendis excu-

sare; atque excusare etiam levem, si in lege exigatur spontaneum, ut in casu; qui enim metu etiam levi ad agendum inducitur, sponte non agit; cum spontaneum in sua plena significatione sit accipiendum, cum exclusione scilicet cuiusvis timoris qui tollat vel minuat voluntarium. Qua de causa adverbium sponte, seu libertas a coactione etiam hoc in capite II intelligenda et supponenda necessario est.

Idipsum aliis argumentis demonstrat Avanzini *Edit. 3. Manualis pag. 96.* « Puto, inquit, non » inducere; ratio est quod non agi- » tur in themate de diversa Consti- » tutione vario tempore, variisque » de causis lata, sed de una eadem- » que constitutione, quae quantum » fieri possit, armonice est intelli- » genda; ideoque cum ambo arti- » culi in eadem Constitutione re- » periantur et propter eamdem cau- » sam, id est ne cum excommu- » nicatis denunciatis Clerici com- » municent in divinis, eodem sensu » articuli sunt accipiendi, eo magis » quod discrimen reale iam adest » in discrimine poenae. Quare Cle- » rici omnes sive sint saeculares » sive regulares qui sponte com- » municent in divinis cum excom- » municato nominatim a Romano » Pontifice, excommunicationem » ipsi reservatam incurrent; qui » vero sponte communicent in di- » vinis cum excommunicato ab a- » liis Ordinariis erunt interdicti ab » ingressu Ecclesiae. Articuli autem » cum sint paralleli, ad invicem » sunt declarandi, et, si opus est, » ad invicem supplendi. »

Admittentes autem non quicumque intelligendi sunt, sed qui potestatem non admittendi habent. Tales porro sunt Ecclesiarum Praesides, exceptis Episcopis et Praelatis maioribus qui iurisdictionem quasi episcopalem habeant, Parochi, Rectores, aliique qui potestatem habent, quique in singulis casibus melius dignosci possunt. Eodem scilicet sensu, accipiendi sunt *admittentes, ac facientes celebrari* ob easdem rationes. (1)

(1) Suaresius *De Censuris D. 37. S. 1.* scribit: « Si religiosus recipiat sacra- » mentum a persona excommunicata alioquin celebrante, vel corpus eius ad sepul- » turam comitetur, non videtur hanc poenam incurrere, quia ipse proprie non ad- » mittit, quamvis cooperetur: secus vero est, si religiosus scienter ministret Sa- » cramentum excommunicato denunciato; nam qui ministrat, vere admittit alium » ad usum Sacramentorum. »

Observamus tamen, hoc in loco *admittentes* eo sensu esse sumendos, quo in lege sumuntur, cum autem in lege admittentium nomine veniant potestatem habentes, ii scilicet, ad quorum curam et officium spectat prohibere vel admittere aliquem ad huiusmodi actus, uti sunt Parochi, Rectores, aliique quibus Ecclesiae cura commissa est, si religiosus ille actu celebrans, et Sacramentum nominatim excommunicato porrigens non sit aliquo modo rector Ecclesiae, quomodo interdictum incurrere censeri potest? Quamvis enim admittat, non tamen uti Rector, et habens potestatem prohibendi; at de unis rectoribus etc. lex sollicita est.

Hi autem interdicti poena afficientur si 1. nominatim excommunicatos *ad divina* admittant *officia*.

Si 2. ad ecclesiastica Sacramenta.

Si 3. ad ecclesiasticam Sepulturam.

Porro nominatim excommunicatus hoc in loco ille est cuius persona ita designata est ab Episcopo, Ordinario loci etc., ut cum ulla alia confundi nequeat.

Quae sint divina officia supra exposuimus.

Relate ad ecclesiastica Sacramenta advertendum est, ea esse quae conferuntur adultis sponte illa petentibus, ex. gr. Poenitentia, Eucharistia; legislator enim loquitur de admittentibus nominatim excommunicatos ad ecclesiastica Sacramenta; illi ergo intelliguntur qui vel Sacerdotem vel ecclesias adeunt Sacramenta petituri; et non ii quibus sive poenitentia, sive viaticum, sive extrema unctio utpote in fine vitae constitutis ministratur, servatis tamen servandis.

Cum vero in Capite uni nominatim excommunicati memorentur, lex non est extendenda ad nominatim suspensos vel interdictos, cum de his nulla mentio habeatur.

Ecclesiasticae sepulturae nomine, locum in quo cadavera sepeliuntur intelligimus; consequenter non liturgiam qua ad sepulturam cadavera deferuntur, uti supra demonstravimus *pag. 67*. Qua de causa si quis intra coemeterium cadaver nominatim excommunicati admittat, quin tamen permittat ut terrae mandetur, interdicto eiusmodi non ligatur; hic enim non admisit ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatum; sicut eiusmodi interdicto non ligatur qui cadaver nominatim excommunicati ad ecclesiam defert, aut ad coemeterium usque comitatur; hic enim lato interdicto non tenetur ratione sepulturae, quia nominatim excommunicati exuvias non admittit ad ecclesiasticam sepulturam, neque ratione divinorum officiorum, quia admissio illa intelligitur de personis viventibus nominatim excommunicatis, ut ex textu patet.

Eiusmodi admittentes interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure incurrunt. Quid autem importet intelligimus ex Cap. *Is cui 20 de sent. excommun. in 6.* « Is cui » est Ecclesiae interdictus ingressus » (cum sibi per consequens censea- » tur in ipsa divinorum celebratio » interdicta) irregularis efficitur, si » contra interdictum huiusmodi di- » vinis in ea se ingerat in suo » agens officio sicut prius. Talis » quoque si hoc interdicto durante » decedat, non debet in Ecclesia » vel coemeterio ecclesiastico, nisi » poenituerit, sepeliri. »

Scilicet interdictus ab ingressu Ecclesiae nec ordinem sacrum in Ecclesia exercere, neque ibi divina officia audire, neque in loco sacro sepeliri potest.

Attamen, nisi sit personaliter interdictus, ordinem sacrum exer-

cere, et divina officia audire potest in oratoriis privatis, et in coemeteriis; cum enim legislator ab una sepultura tum in coemeterio tum in Ecclesia sic interdictos excluserit, celebratione autem vel auditione divinorum ab una Ecclesia, non potest haec prohibitio ad coemeteria extendi.

Quin imo censemus, ita interdictis licitum esse Ecclesiam ingredi in iisque preces fundere cum ibi divina officia non peraguntur; ratio est inquit Schmalzgrueber *Part. IV, Tit. 39, n. 384,* quia templa deputata praecipue sunt, ut ibi sacra solemniter peragantur, et populus ad ea audienda congregetur, ergo ingrediens Ecclesiam, quando sacra non peraguntur, non videtur illam ingredi formaliter, ac proinde nec violare praeceptum impositum, ne ecclesiam ingrediatur, utpote quod intelligi debet de ingressu ecclesiae formali et secundum suam institutionem.

Id vero et ex ipso Capite *Is cui* intelligimus, in quo dicitur: *irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius.* Legislator ergo interdictis ab ingressu ecclesiae prohibet solemnem divinorum officiorum celebrationem et auditionem; porro qui Ecclesiam ingrediuntur dum ibi sacra solemnia non peraguntur, nihil eiusmodi efficiunt.

Quin imo, spectato iuris rigore, probabilis valde illa sententia est, qua defenditur, interdictis eiusmodi non esse prohibitum in Ecclesiis Sacramenta recipere; nulla enim lex est, qua id prohibeatur; poenae autem sine lege manifesta non possunt ad alios casus extendi. Neque obstare videtur quod Sacramentorum receptio sit quid praestantius quam divinis officiis assistere et quod Ecclesia deputata sit etiam ad Sacramenta recipienda; etenim interdicto ab ingressu Ecclesiae non omnia prohibentur sed ea tantum quae ex legis sanctione prohibita esse constat. At nulla lege constat, prohibitam esse interdictis ab uno ingressu Ecclesiae Sacramentorum receptionem. Ita Schmalzgrueber *loc. cit. nn. 387, 388* et alii, qui ab eo citantur.

III. Superest ut videamus, a quo, et sub quibus conditionibus huiusmodi tollatur interdictum.

Porro tollitur ab eo cuius sententia comtempta fuit, postquam delinquentes competenter satisfecerint.

Ergo si interdictum, vel nominalis excommunicatio lata fuit ab Episcopo, ab eo tolli debet; si ab delegato iudice, ab hoc vel a delegante; si a iure, nonnisi a Romano Pontifice.

Attamen circa loca a iure interdicta observandum est, iuxta Extr. *Ad evitanda Martini V,* nullum locum censeri iure interdictum nisi accedat Summi Pontificis declaratio; ideoque tunc tantum a Summo Pontifice interdicti remissionem pe-

tendam esse, cum ipse locum illum interdictum esse declaraverit, secus minime.

At nulla datur interdicti remissio nisi prius quis competenter satisfecerit, id est ea praestiterit quae sive episcopus, sive delegatus iudex, sive Pontifex Romanus ab delinquente praestanda esse decreverint.

At satisfactionibus praestitis interdictum per se cessare videtur, quin opus absolutione sit; etenim in Capite ad interdicti cessationem nihil aliud requiritur quam competentem satisfactionem ad arbitrium illius praestare, cuius contempta fuit sententia. Id autem praeter alios sentire videtur ipse Bonacina, qui *Disp. IV, Quaest. II, Punct. VI, n. 11* scribit: Praestita tamen satisfactione, cessare videtur interdictum.

APPENDIX LV.

De Interdictis a Sacrosancto Concilio Tridentino latis.

Postquam exposuerimus interdicta in Constitutione *Apostolicae Sedis* a Pio Papa IX lata, de iis nobis est habendus sermo, quae lata in Concilio Tridentino reperiuntur. Pergit enim Pius Papa IX: « Denique » quoscumque alios Sacrosanctum » Concilium Tridentinum suspensos » aut interdictos ipso iure esse de- » crevit, nos pari modo suspensioni » vel interdicto eosdem abnoxios » esse volumus et declaramus. »

Duo autem interdicta a Tridentinis Patribus lata reperimus; primum quidem *Sess. VI, cap. 1, de Reform.* quo interdicuntur Episcopi qui non denunciant Episcopos illegitime absentes; aliud *Sess. VII, cap. 10, de Reform.*, quo loco interdicuntur Capitula si infra annum a die vacationis clericis non arctatis Ordinandi licentiam seu literas dimissorias pro sacris ordinibus suscipiendis concedant.

Primum ita *loc. cit.* legimus: « Si quis a patriarchali, primatiali, » metropolitana seu cathedrali Ec- » clesia, sibi quocumque titulo, » causa, nomine, seu iure commissa, » quacumque ille dignitate, gradu » et praeeminentia praefulgeat, le- » gitimo impedimento, seu iustis » et rationabilibus causis cessanti- » bus, sex mensibus continuis extra » suam Dioecesim morando abfue- » rit, quartae partis fructum unius » anni, fabricae Ecclesiae et pau- » peribus loci per superiorem ec- » clesiasticum applicandorum, poe- » nam ipso iure incurrat. Quod si » per alios sex menses in huiusmo- » di absentia perseveraverit, aliam » quartam partem fructuum simi- » liter applicandam eo ipso amittat. » *Crescente vero contumacia, ut* » *severiori sacrorum canonum cen-* » *surae subiiciatur, metropolitanus* » *suffraganeos episcopos absentes,*

» *metropolitanum vero absentem* » *suffraganeus episcopus antiquior* » *residens, sub poena interdicti in-* » *gressus Ecclesiae eo ipso incur-* » *renda, infra tres menses, per* » *litteras seu nuncium Romano* » *Pontifici denunciare teneatur,* » *qui in ipsos absentes, prout cu-* » *iusque maior aut minor contu-* » *macia exegerit, suae supremae* » *sedis auctoritate animadvertere,* » *et ecclesiis ipsis de pastoribus* » *utilioribus providere poterit sicut* » *in Domino noverit salubriter ex-* » *pedire.* »

Eiusmodi decretum tulere Tridentini Patres compescendae quorumdam Episcoporum negligentiae causa, qui salutis animarum sibi commissarum immemores, eas derelinquebant, ut sive lucris, sive solatiis indulgerent. Rem dolent his verbis: « Omnes patriar- » chalibus, primatialibus, metropo- » litanis et cathedralibus Ecclesiis » quibuscumque, quovis nomine ac » titulo praefectos monet, ac mo- » nitos esse vult (Sancta Synodus), » ut attendentes sibi et universo » gregi, in quo Spiritus Sanctus » posuit eos regere Ecclesiam Dei, » quam acquisivit sanguine suo, » vigilent, sicut apostolus praeci- » pit, in omnibus laborent, et mi- » nisterium suum impleant. Im- » plere autem illud se nequaquam » posse sciant, si greges sibi com- » missos mercenariorum more de- » serant, atque ovium suarum, qua- » rum sanguis de eorum est ma- » nibus a supremo iudice requi- » rendus, custodiae minime incum- » bant, cum certissimum sit, non » admitti pastoris excusationem, si » lupus oves comedit et pastor ne- » scit. Ac nihilominus, quia non- » nulli, quod vehementer dolen- » dum est, hoc tempore reperiun- » tur, qui propriae etiam salutis » immemores, terrenaque caele- » stibus ac divinis humana praefe- » rentes in diversis curis vagantur, » aut in negotiorum temporalium » sollicitudine, ovili derelicto atque » ovium sibi commissarum cura ne- » glecta, se detinent occupatos; » placuit Sacrosanctae Synodo an- » tiquos canones, qui temporum » atque hominum iniuria pene in » desuetudinem abierunt, adversus » non residentes promulgatos in- » novare. »

Hi porro canones contra eiusmodi Episcopos in pluribus Synodis lati, collecti reperiuntur in Decreto Gratiani *Part. Secunda, Causa VII, Q. 1.*

Iam vero manifestum ex Capite est, interdicto non percelli Episcopos a Dioecesi absentes, sed metropolitanos, qui ad S. Sedem non deferant Episcopos suffraganeos absentes, vel antiquiorem suffraganeum qui non denunciet Metropolitanum si et ipse ultra tempus praescriptum ab Dioecesi absit.

Ut autem ad denunciationem ii quibus onus denunciandi incumbit teneantur, necessarium est, ut Metropolitani vel suffraganei Dioecesi,

sine iusta et legitima causa, per annum completum absint; etenim ad denunciationem tenentur crescente negligentium Episcoporum contumacia ultra annum, non antea, ut ex recitato Capite Tridentino patet.

Neque quis dicat a Concilio Tridentino permitti ut Episcopi extra Dioecesim commorari possint per tres menses continuos tantum; (1) ideoque negligentiam Episcoporum ex eiusmodi dispositione esse dimetiendam.

Etenim quamvis id verum sit relate ad determinationem temporis pro absentia concessi, et alias poenas ab episcopis absentibus incurrendas, nihil tamen hoc in Cap., Sess. XXIII innovatum fuit circa tempus denunciationis faciendae, ideoque tempus absentiae computandum esse ex *Cap. 1, Sess. IV,* ut sive Metropolitani sive suffraganei Episcopi antiquiores denunciare teneantur. Optime hinc cl. Bucceroni S. I. *Commentarius de Constit. Apostolicae Sedis pag. 179, Edit. 1886.*

« Haec obligatio denuntiandi ab-
» sentem sub poena interdicti adest,
» cum Praelatus absens iam fuerit
» absque ulla iusta et rationabili
» causa per annum integrum, eius-
» que contumacia ultra annum per-
» severet. Etenim postquam Con-
» cilium poenam decrevisset priva-
» tionis quartae partis fructuum
» unius anni, si praelatus absens
» fuerit per sex menses, et priva-
» tionis alterius quartae partis fru-
» ctuum, si idem praelatus per
» alios sex menses absens fuerit,
» subiungit: *Crescente vero contu-*
» *macia,* ut severiori canonum cen-
» surae subiiciatur, Metropolitanus
» suffraganeos etc. Ergo illa obli-
» gatio non adest nisi *crescente con-*
» *tumacia* post annum iam elapsum
» absentiae. »

Nullus autem in residentiae onere adimplendo negligens denunciatione eximitur qualibet praeditus dignitate fuerit, neque ipsi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales; primo quidem, quia Tridentinorum patrum verba adeo generalia sunt, ut neminem excludere voluisse rationabiliter censeantur; *quacumque ille,* inquiunt, *dignitate, gradu, et praeeminentia praefulgeat;* 2. quia Sess. XXIII, Cap. 1, de Reform. declarant Tridentini Patres residentiae obligatione teneri etiam S. R. Ecclesiae Cardinales. « Declarat S. Synodus omnes... etiamsi S. Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel dioecesi residentiam. » Denunciandi vero negligentes onus sequitur onus residendi. 3. quia Urbanus VIII in Const. *Sancta Syn-*

(1) Id patet ex *Cap. I, Sess. XXIII de Reform.* « Sacrosancta Synodus vult, » illud absentiae spatium, singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra » praedictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, » et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento. »

odus lata die 12 Decembris 1634 renovavit praedecessorum suorum decreta, Gregorii XIII praesertim, qui declaraverat sub Concilii Tridentini decreto etiam S. Romanae Ecclesiae Cardinales comprehendi, consequenter statuit, Cardinales eadem residentiae lege teneri qua ceteros Episcopos. (1)

§ 6. « Concilii Tridentini de» cretis et litteris apostolicis, mo» tuique proprio ac consistorialibus » decretis praefatis inhaerentes, il» lorumque tenores ac si de verbo » ad verbum insererentur, pro » plene insertis et expressis ha» bentes motu simili et ex certa » scientia ac matura deliberatione » nostris, deque apostolicae pote» statis plenitudine, praefati con» cilii decreta litterasque aposto» licas, ac primodictum motum » proprium, decretaque consisto» rialia praefata, et in eis contenta » quaecumque, hac nostra Consti» tutione perpetua confirmamus et » approbamus, et quatenus foret » opus.... innovamus et plenis» sime restituimus. »

Cardinales consequenter iisdem subiicit poenis ac coeteros quoslibet non residentes Episcopos, nulliusque roboris esse declarat causas, seu potius excusationes et praetextus, quibus a residendi onere sese subtrahebant.

Haec autem de illis sunt intelligenda Cardinalibus, qui non praesunt sex Ecclesiis suburbicariis, vel si alicui harum praesint, etiam alius Dioecesis episcopi sunt: Hi enim residere tenentur non in Ecclesia suburbicaria, sed in alia, ex decreto Urbani VIII lato die 28 Novembris 1633, quo « Sanctitas sua » declaravit dubium hactenus nullo » modo fuisse, nec esse debere, » residentiam Cardinalium Archie» piscoporum ac Episcoporum exti» tisse, et esse apud alias ecclesias » metropolitanas seu cathedrales » sibi commissas; non autem apud » sex ecclesias cathedrales titulares » eorumdem Cardinalium, in qui» bus Cardinales ordine priores » praeesse solent etc. » Apud Giraldi *Expositio Iuris Pontificii Part. 2, Sect. 26, pag. 931.* Qua

(1) §. 5. « Cumque etiam nos edicta contra non residentes saepius publicari » fecerimus, et tamen praeteritis mensibus aliqui, etiam S. R. C. Cardinales metro» politanis seu cathedralibus Ecclesiis ex concessione apostolica praefecti, suae obli» gationis ad personalem residentiam in eis faciendam immemores, in grave ani» marum suarum detrimentum ac ovium sibi creditarum praeiudicium, ab eisdem » Ecclesiis abesse continuarent (etiam sub praetextu suorum tituloram Cardinalatus, » praesertim Episcopalium prope Urbem seu in urbis districtu respective consisten» tium, et quod in eadem urbe in conspectu et praesentia nostra moram traherent) » nos..... in consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem S. Romanae Ecclesiae » Cardinales, qui illis Ecclesiis metropolitanis et cathedralibus praeerant, et apud » eas non residerant nec residebant, non fecisse nec facere illarum fructus suos etc. » Quae lex tridentina est.

de causa eiusmodi Cardinales denunciandi sunt nisi resideant in Ecclesia quam adiunctam habent, non vero nisi resideant in Ecclesia suburbicaria.

Etenim residentia Cardinalium Episcoporum Ecclesiarum suburbicariarum ex Const. *Pastorale Officium* Clementis XII supponitur esse Romana Curia, ut Pontifici assistant. « Ratio autem exemptionis » ab hac materiali residentia, in» quit Berardi *loc. cit.* satis pro» bata visa fuit. Benedicto XIV » *lib. XIII, Cap. VI, de Synodo* » *Dioecesana, n. 6.* propter conti» nuam assistentiam, quam hi Car» dinales praestare debent Pontifici, » modica earumdem Dioecesum di» stantia ab urbe Roma, in qua re» sidentes facile possunt illarum » regimini invigilare atque implere » onera, quae formali saltem resi» dentiae obnoxia sunt. »

Episcopi quicumque iuxta Tridentinos Patres Dioecesi abesse possunt ultra tempus concessum solum cum id exigit *charitas christiana, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas;* si nimirum, vel aliqua Ecclesia versetur in magno periculo haeresis, quod Episcopi praedicatione et praesentia eliminari possit; vel persecutionibus gravissimis afficiatur, ita ut vitam sine discrimine servare non possit; vel a Romano Pontifice alicuius negotii causa vocetur; vel alio sese conferat ad defendenda Ecclesia suae iura, vel ad Concilium sive oecumenicum sive provinciale pergat, vel quando pro utilitate sive suae Urbis sive regni legatus ad Pontificem aut ad Reges pro pace aut aliis fidei negotiis componendis destinetur. Hisce causis exclusis, Episcopi in sua Dioecesi residere tenentur.

Atque hinc ii quibus denunciandi onus incumbit, denunciationis onere non eximuntur, si Episcopus commoretur extra quidem Dioecesim, sed adeo prope, ut ex eo loco eam administrare possit.

Etenim cum Episcopus Gurcensis petiisset indultum, ut praeter tres menses a Concilio Tridentino concessos, per alios tres menses in praedio ab ipso cum aliis bonis empto, in Dioecesi Salisburgensi sito, ei habitare liceret, quamvis praedium illud Dioecesi eius conterminum esset, et facillime se ex eo sacris functionibus vacare posse affirmaret, a S. Congregatione Concilii die 19 Februarii 1718 resolutum fuit: *negative.* (1)

(1) Nescimus hinc an sit admittenda sententia contraria quam amplecti videtur Thesauro *De Poenis Pars Secunda, V. Residentia, n. V,* quo loco scribit: « Non in» currit poenas non residentis Episcopus, si resident prope Dioecesim in loco non » distanti ultra unum milliare, unde nullum praeiudicium officio, et animarum ne» cessitatibus inferatur, quia parum distans, moraliter est praesens. *L. Pro locis,* » *L. Mediterraneae,* aliosque inter auctores citat Garcias, *par. 3. cap. 2. n. 19.* ubi

Denunciandus est pariter Episcopus, qui causa infecti aeris, quo laborat civitas Episcopalis, extra Dioecesim degeret ultra annum, maxime si in Dioecesi alia sint loca salubriora, in quibus salutem suam curare possit. Etenim cum ad Sacram Concilii Congregationem delata fuerint dubia:

1. An Episcopus ex causa mali aeris, cui subiacet civitas Episcoscopalis, possit in aliqua anni parte degere extra Dioecesim ultra trimestre, licet intra fines Dioecesis adsint loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo? Et quatenus negative.

2. An Episcopo suffragetur praetensa consuetudo, ut supra, degendi extra residentiam? Et quatenus negative.

3. An et quibus mediis possit a Metropolitano cogi ad residendum? S. Congregatio die 18 Septem. 1863 respondit: Ad primum et secundum *negative*. Ad tertium *servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini*.

Quid ergo si Metropolitanus vel suffraganeus antiquior sciant quidem Episcopum iam ab anno et amplius extra Dioecesim commorari, nesciant autem an legitime vel illegitime absit?

Quid insuper si noverint Episcopum quidem illegitime Dioecesi abesse, sed etiam noverint absentiam illam Romano Pontifici notam esse?

Respondemus, in utroque casu sive Metropolitanum, sive suffraganeum antiquiorem ad denunciationem teneri.

In primo quidem, quia qui abesse Dioecesi volunt Episcopi, licentiam in scriptis a Romano Pontifice, vel a Metropolitano, vel ab antiquiori inter suffraganeos Episcopos obtinere debent quod constat ex *Sess. XXIII, Cap. 1, de Reform.* « Nam cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent ac exigant, decernit eadem sacrosancta Synodus has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice, aut Metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium episcopalibus adiunctum, cuius quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari metropolitano necesse erit. »

Solent autem Romani Pontifices,

» refert declarationes S. Congregationis, quae licet de Parocho loquantur, multo » tamen magis procedunt in Episcopo, cum ipsius servitium non sit tam frequens » et immediatum. » At quanti facienda est eiusmodi ratio contra expressam S. Congregationis Concilii declarationem in casu Episcopi Gurcensis, qui commorari volebat non ultra unum milliare, sed in praelio suae Dioecesi contermino?

nisi quid singulare obstet, eiusmodi petitiones pro informatione et voto ad metropolitanos remittere; hinc incredibile iudicamus nesciri posse a Metropolitano vel ab antiquiore inter suffraganeos causam absentiae illius Episcopi.

At plane ignorent: cum ipsi absolute, nulla scilicet adiecta exceptione, teneantur sub interdicti ab ingressu Ecclesiae poena absentes Episcopos denunciare, nullimode denunciationis onere excusari possunt. Quin imo cum in casu absentiae causa plane eos lateat, hoc ipso denunciare tenentur. Sin minus illi tantum tenerentur qui norunt, absentiae causam esse illegitimam; quod certe ex Tridentino decreto non constat.

At ad denunciationem etiam in alio casu tenentur; primo quidem quia Tridentini Patres nihil excipiunt. 2. Quia Romanus Pontifex potest utique Episcopi absentiam cognoscere, at veram absentiae causam ignorare; multa enim obreptitie et subreptitie a Romano Pontifice extorquentur. 3. Quia cum Rom. Pontifex metropolitanis et antiquioribus suffraganeis eiusmodi onus imposuerit, ab iis denunciationem attendere posset, qua causam absentiae cognoscat, et interim putare legitime Episcopum abesse eo quod non denuncietur. 4. Quia scientia Romani Pontificis nullo pacto eximit Cardinales Episcopos Ecclesiarum suburbicariarum ab incurrendis poenis contra Episcopos non residentes latis, ut patet ex cit. Const. *Sancta Synodus* ab Urbano VIII lata, § 10.

« Nec etiam a praedicta resi» dentia et poenarum praefata» rum incursu volumus excusari » S. R. E. Cardinales nunc et pro » tempore existentes alicui praefa» tarum Ecclesiarum praefectos seu » praeficiendos, etiamsi tamquam » in ordine priores aliquem ex di» ctis titulis Episcopalibus prope » Urbem, vel in eius districtu con» sistentibus obtineant et in poste» rum obtinuerint, et in praedictis » Episcopalibus titularibus Urbi pro» ximis resederint, vel in Romana » Curia in suis titulis respective, » etiam nobis ac Romanis Pontifi» cibus successoribus nostris scien» tibus videntibus et quomodolibet » tolerantibus, moram traxerint, ita » ut nulla nostra ac Romanorum » Pontificum successorum nostro» rum conniventia, taciturnitate, et » ad quarumcumque functionum et » actuum pontificalium etiam pu» blicorum et solemnium receptione » et admissione unquam tueri se » possint. »

At ratio denunciandi sequitur rationem absentiae et poenarum incurrendarum, si ergo scientia Rom. Pontificis nullo pacto eximit Episcopos Cardinales ab incurrendis poenis contra non residentes latis, eadem scientia neque metropolitanum, neque suffraganeum antiquiorem a denunciandi onere liberabit.

Attamen antequam Episcopi qui denunciare debent interdictum in-

currant, tres labi menses debent ex eo computandi tempore, quo absens Episcopus sit denunciandus, id est post integrum absentiae annum, ita ut Episcopi interdicto percellantur post ultimam tertii mensis diem. Quoniam vero in Tridentino Capite dicitur: *crescente contumacia;* haec autem non importet unum vel alterum diem, sed tempus aliquod magis diuturnum, ideo arbitramur, denunciationis onere teneri Metropolitanum vel antiquiorem suffraganeum post mensem ab anno iam praeterlapso, ita ut si Episcopus Dioecesi abfuerit integro anno 1866, onus denunciandi incumbat Episcopo sub fine mensis Ianuarii an 1887; atque ex die prima Februarii incipere arbitramur tres illos menses, infra quos sub interdicti poena denunciare absentem Episcopum tenetur sive per epistolam, sive per nuncium.

Si autem Episcopus absens in regionibus commoretur valde dissitis, putamus eum tum contumacem habendum esse, ideoque ad Romanam Sedem deferendum, cum computato mense, et tempore necessario ad revertendum, habita etiam circumstantiarum ratione, ad propriam Dioecesim reversus non est.

Ut diximus, Metropolitanus, vel suffraganeorum antiquior absentem Episcopum denunciare tenentur infra tres menses. Quid ergo si infra hos tres menses absens Episcopus in suam Dioecesim revertatur?

Putamus esse denunciandum. Spatium enim trium mensium ad denunciationem peragendam concessum est; denunciatio enim fieri potest etiam post unam diem a perspecta absentis Episcopi contumacia; ergo non possumus ullo pacto affirmare hos tres menses concessos metropolitano vel suffraganeo antiquiori fuisse ad diutius probandam Episcopi absentis contumaciam quae satis perspecta et cognita fuit.

Accedit quod absentis Episcopi contumaciae incrementum iam patet ex mense, seu tempore post integrum annum praeterlapso, quo Metropolitanus inutiliter absentis in Dioecesim reditum expectavit. Habetur ergo hoc in Episcopo plena Tridentinae legis transgressio; iiquapropter qui denunciare tenentur nulla ratione muniti denunciationem differrent.

Neque quis dicat Tridentinos Patres absentiam Episcopi semestri spatio fuisse dimetitos, consequenter aliud saltem semestre, ab anno iam praeterlapso expectandum esse ad denunciationem faciendam.

Respondemus enim, Tridentinos Patres coniunxisse contumaciam subsequentem cum antecedenti spatio, *crescente vero contumacia;* incrementum ergo contumaciae post annum incipit; ergo non ea fuit Tridentinorum Patrum mens, ut alii sex menses expectandi essent ad denunciationem faciendam, sed tunc fieret, cum sufficiens contu-

maciae incrementum in absente Episcopo perspiceretur.

Attamen, Matropolitano absente, ad quem pertinet denunciare, non quilibet suffraganeus antiquior, sed *residens* denunciare non residentes debet Episcopos. Ni igitur, qualibet demum ex causa non resideat, ad denunciationem ipse non tenetur, sed alius antiquior e suffraganeis residens.

Demum interdictum hoc latae sententiae est ab ingressu Ecclesiae, quod quid importet in superioribus diximus. Cum autem quoad tempus indeterminate latum sit, et nulli reservationi subiaceat, a quolibet absolvi potest.

APPENDIX LVI.

De interdicto a Patribus Tridentinis lato Sess. VII, Cap. X, de Reform. contra Capitula quae infra annum a die vacationis Clericis non arctatis ordinandi licentiam, seu literas dimissorias pro sacris Ordinibus suscipiendis concedunt.

Quamvis de eiusmodi Tridentinorum Patrum decreto egerimus supra *pag. 438* textum tamen iterum recitamus.

« Non liceat Capitulis Ecclesia-
» rum, Sede vacante infra annum
» a die vacationis ordinandi licen-
» tiam, aut literas dimissorias seu
» reverendas, ut aliqui vocant, tam
» ex iuris communis dispositione,
» quam etiam cuiusvis privilegii
» aut consuetudinis vigore, alicui
» qui beneficii ecclesiastici recepti
» sive recipiendi occasione arctatus
» non fuerit, concedere. Si secus
» fiat, Capitulum contraveniens ec-
» clesiastico subiaceat interdicto. »

Porro huiusmodi interdicti incursus ex iis omnibus pendet, quae *loc. cit.* disputavimus.

Capitulum autem illud incurrit si ordinandi licentiam aut literas dimissorias non arctatis concesserit infra octiduum illud a morte Episcopi computandum, quo iuxta Concilii Tridentini decretum creare Vicarium Capitularem debet.

Vicarius autem Capitularis, ad quem privative non cumulative iurisdictio transit, illo percellitur si postquam electus fuerit, infra annum eiusmodi licentiam non arctatis concedat; hunc vero non suspensione, sed interdicto teneri, supra demonstravimus *pag. 469*.

Advertendum tamen, quod in locis ubi Tridentinum Concilium receptum non fuit ex iuris communis dispositione expressa ab Bonifacio VIII in Cap. III *Cum Nullus De tempor. Ordin in 6*, Vicarius Capitularis potest infra annum non arctactis concedere licentiam ad ordines recipiendos; (1) consequenter

(1) Cum nullus Clericum Parochiae alienae praeter superioris ipsius licentiam debeat ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius Dioecesi est is

interdictum huiusmodi incurri iis tantum in locis, ubi Concilium Tridentinum receptum fuit.

Hoc autem interdictum nemini reservatum est; ideoque a simplici Confessario absolvi poterit.

APPENDIX LVII.

De interdicto lato in Episcopos ad aliquod Ecclesiarum Capitulum pertinentes, qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo a Capitulo, aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu.

Hoc interdictum tum extra Constitutionem *Apostolicae Sedis,* tum extra Tridentina decreta vagatur.

Latum illud fuit a Pio Papa IX in Const. *Romanus Pontifex* promulgata die 28 Augusti 1873, eamque nos retulimus Tom. I Commentariorum nostrorum, pag. 413, et brevibus adnotationibus communivimus. Hoc tamen in loco iterum recitanda sunt quae ad interdictum et eius causam spectant.

Causa latarum poenarum, et interdicti his verbis continetur. « Declaramus et decernimus ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis Ecclesiae administratorem, seu Vicarium, novum quidem Vicarium vel administratorem eligat, numquam vero » electum in Episcopum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum ad dictam Ecclesiam vacantem; cuius » electionem ac deputationem, si » eam Capitulum, vel alius, ut supra peragere praesumpserit, annullamus ac omnino irritam declaramus.

» Confidimus autem Dignitates, » et Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium, ac illos, qui » deficientibus Capitulis, Vicarios » deputant, aut vacantes Ecclesias » legitime administrant plene exe- » cuturos quae hisce nostris literis » declarata et decreta sunt.

» Ubi vero, quod Deus avertat, » ea exequi detrectaverint, ac con- » cedere et transferre in nomina- » tum ad eamdem Ecclesiam eius » curam, regimen et administratio- » nem sub quovis titulo, nomine, » quaesito colore ausi fuerint, » praeter nullitatem iam decretam

qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cuius Dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus sit, domicilium in eadem. At Sedis vacantis tempore Clerici Superior est Vicarius Capitularis, qui, si Tridentinum Decretum excipiatur, nulla lege impeditur quominus Sede vacante licentiam concedat Clericis ad ordines recipiendos

» praedictae concessionis et transla-
» tionis, praefatos Canonicos ac Di-
» gnitates excommunicationis ma-
» ioris, nec non privationis fru-
» ctuum ecclesiasticorum benefi-
» ciorum quorumcumque innoda-
» mus, et innodatos fore decerni-
» mus et declaramus, ipsarumque
» poenarum absolutionem seu re-
» laxationem nobis et Romano Pon-
» tifici pro tempore existenti dum-
» taxat specialiter reservamus. »

« In easdem poenas pariter reser-
» vatas ipso facto incurrunt nomi-
» nati et praesentati ad vacantes
» Ecclesias, qui earum curam, re-
» gimen et administrationem susci-
» pere audent ex concessione et
» translatione a Dignitatibus et Ca-
» nonicis aliisque, de quibus supra,
» in eos peractam, nec non ii, qui
» praemissis paruerint, vel auxi-
» lium, consilium, aut favorem
» praestiterint, cuiusque status,
» conditionis, praeeminentiae et di-
» gnitatis fuerint....»

« Si vero aliqui ex praedictis epi-
» scopali charactere sint insigniti in
» poenam suspensionis ab exercitio
» Pontificalium, et interdicti ab in-
» gressu Ecclesiae ipso facto, abs-
» que ulla declaratione incidunt,
» Sanctae Sedi pariter reservatam. »

Quoniam de eiusmodi Constitutione, latisque in ea censuris nihil vel fere, dixerimus, paullo uberius materiam hanc tractare cogitamus.

Expendemus quapropter 1°. quaenam sint actiones per eiusmodi Constitutionem prohibitae.

2°. Quibus poenis coercitae reperiantur.

3.° Quinam eas incurrant.

Et quantum ad primum attinet. Constitutionem *Romanus Pontifex* legenti illico apparebit 1.° in ea Pium Papam IX decrevisse, *totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua Sede episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire, nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus removere quousque novus Episcopus litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu* eis ad quos spectat exhibuerit.

2.° Eiusmodi decreto comprehendi etiam nominatos et praesentatos a rerum publicarum moderatoribus, sive sint Reges sive imperatores, iuxta ea quae decreverat etiam Gregorius X in Cap. *Avaritiae,* quod retulimus in Comment. nostris *Tom. 1, pag. 415.*

3.° Decernit etiam Pontifex, *ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis Ecclesiae administratorem seu Vicarium, novum quidem Vicarium vel administratorem eligat, numquam vero electum in Episcopum a Capitulis,*

aut a laica potestate nominatum seu praesentatum.

Igitur ad incurrendas poenas in Constitutione latas quatuor requiruntur.

1°. Ut Dignitates et Canonici, vel alii ad quos loco Capituli pertinet, transferant curam, regimen, et administrationem Ecclesiae vacantis in alium quam Vicarium Capitularem.

2°. Ut ille in quem Dioecesis regimen etc. transfertur, sit nominatus et praesentatus a laica potestate, quamvis nominandi et praesentandi facultatem habeat ex S. Sedis concessione.

3°. Ut ea de causa removeat Vicarium Capitularem.

4°. Ut nominatus et praesentatus regimen et administrationem Ecclesiae vacantis suscipiat ante exhibitionem literarum Apostolicarum, quamvis id agat *sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine.*

Haec autem non distributive, sed collective accipienda sunt, cum Legislator subdat: *Confidimus Dignitates et Canonicos* etc. *plene executuros quae hisce nostris litteris declarata et decreta sunt.*

Et paullo post: *Ubi vero... ea exequi detrectaverint.* Ergo si unum aliquid desit, poenae non incurruntur, quia his percellitur ille qui legem transgressus est prout a Legislatore statuta fuerat, plene, scilicet non dimidiate; hoc enim in casu, non fuit crimen illud admissum, quod a Legislatore poenis mulctatum fuit. Qua de causa si Dignitates et Canonici non elegerint nominatum et praesentatum a potestate laica; vel illum elegerint, attamen minime remoto Vicario Capitulari; vel nominatus et praesentatus noluerit suscipere curam, regimen et administrationem Ecclesiae, poenae in iure statutae non incurruntur.

Attamen antequam ultra progrediamur, nonnulla quaerenda sunt. Et quoad nominatos et praesentatos a potestate laica quaerendum est: an intelligantur etiam illi qui populari suffragio electi et nominati praesententur dignitatibus et Canonicis Ecclesiae cathedralis vacantis, ut eis curam, regimen, et administrationem Dioecesis committant?

Item quaerendum est: an statutas poenas Dignitates et Canonici incurrant, si eiusmodi curam, regimen et administrationem committant non nominato et praesentato a laica potestate, sed ab ipsis Capitularibus electo.

Demum: utrum Episcopus in quem transfertur Ecclesiae vacantis regimen debeat esse consecratus.

Circa primam quaestionem, cl. De Varceno *Theol. Moral. Tom. II. pag. 450* scribit.

3°. « Per laicam potestatem vi» detur comprehendi etiam suffra» gium populare in electione Paro» chorum, Vicarii etc. iuxta de-

» cretum S. Congregationis Con» cilii 23 Maii 1874, vi cuius ec» clesiasticis provinciis Venetae ac » Mediolanensi, singulisque Dioe» cesibus patriarchali ac metropoli» tanae iurisdictioni subiectis appli» cantur ea omnia, quae pro Hel» vetica Foederatione quoad popu» larem Parochorum electionem, » sapientissime constituta sunt in » nuperrimis litteris Encyclicis » diei 21 Novembris 1873: verba » huius decreti haec sunt: *Suffra» gante populo, ad Parochi sive » Vicarii officium electi audeant » sive Ecclesiae, sive iurium ac » bonorum praetensam possessionem » arripere, atque obire munia ec» clesiastici ministerii, ipso facto » incurrant in excommunicatio» nem maiorem peculiariter reser» vatam S. Sedi, aliasque poenas » canonicas* (1). »

Non ita tamen nobis videtur, ut cl. De Varceno visum est. Etenim 1. cit. decreta agunt de electionibus Parochorum et Vicariorum, non Episcoporum; lex igitur lata pro Parochis, quomodo ad Episcopos extendi potest? 2. Agitur in iis de electione; at in Const. *Rom. Pontifex* agitur de nominatione et praesentatione ac de electione a Capitulo tamen peracta. 3. Agitur de populari suffragio *ad democraticam formam;* posthabita, imo spreta quacumque ad Rom. Pontificem, et respectivos Episcopos relatione; at in Const. *Romanus Pontifex* agitur de nominatis et praesentatis *a supremis publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive reges, sive duces vel praesides, et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione et privilegio iure gaudent nominandi et praesentandi ad Sedes Episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes;* quae nil habent cum aliis commune. 4. Agitur demum in illis de abusibus qui irrepserant in Helvetica foederatione, et de tumultibus in quibusdam ecclesiasticis provinciis Venetis et Mediolanensibus; qui postremi saltem auctoritate publica utique forte permissi, nulla tamen lege sanciti fuerant, imo citius repressi fuere; at in Constitutione quam expendimus, agitur de iuribus, quae supremae potestates sibi arrogabant ex concessione, vel privilegio a S. Sede habito.

Utique non negamus, electiones populares Parochorum et Vicariorum in Foederatione Helvetica indictas a Gubernio fuisse; attamen personae sunt diversae, non agitur de nominatione et praesentatione, sed de electione, arbitraria insuper et omnimodis abusiva, non ex praetenso iure, violenta de coetero, et non per invitationem seu mandatum verbis deprecatoriis conceptum, demum non ad Capitulum delata ad quod nominare pertineat,

(1) Huiusmodi decreta habent lectores pag. 307 in nota.

sed ad nescio quem, fortasse ad Episcopum. Ita ut exinde concludere nobis liceat, relata S. Congregationis Concilii decreta, et literas Encyclicas Pii Papae IX nil habere commune cum casu quem hic exponit in sua Constitutione *Romanus Pontifex.*

Quid ergo si in aliquo regno a supremis rerum moderatoribus Episcoporum electio indicatur per populare suffragium?

Respondemus, Romanos Pontifices nova constitutione exposito casui provisuros. Numquam enim ipsi electiones Helveticis similes sive per concessionem, sive per privilegium suffragio suo communierunt.

Ad alteram quaestionem negative respondendum esse ducimus. Etenim dum Legislator poenas infligit, unos nominatos et praesentatos nominat, non vero electos a Capitulo. Atqui illi censendi sunt nominati et praesentati a laica potestate ut patet ex verbis: *concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam;* tum evidentius ex aliis: *ea quae de electis a Capitulo constituta sunt comprehendere etiam nominatos et praesentatos a supremis publicarum rerum moderatoribus etc.* At nominatos et praesentatos confundendos non esse cum electis, nec hos sub illis comprehendi tum ex iure canonico constat, tum ex eo evidentissime patet, quod nominati et praesentati nondum censentur electi, cum ideo nominentur et praesententur ut eligantur.

Idipsum vero opinatur cl. D'Annibale *Comment. pag. 125 Nota 4.* quo loco inquit: « Nec electi ab ipsis Capitulis Ecclesiarum Cathedralium... cuius est et alia ratio, quia hi non *praesentari, seu nominari, sed eligi dicuntur;* quae duo iure canonico longissime distant; et ipsa Constitutio *Romanus Pontifex* ea distinguit. » Tum idipsum sentit cl. Bucceroni *Commentarius pag. 56.*

Equidem Avanzini, *Comment. Edit. 3. Manualis pag. XXXV;* De Varceno *Theol. Mor. Tom. II. p. 448* cl. Fr. Piat *Comment. pag. 101.* Nota 1. (1) aliique contrarium sen-

(1) Qui tamen scribit: « Si Bullae littera attendatur, excommunicatio non incurritur, nisi persona, in quam cura et regimen Ecclesiae transfertur, sit a laica potestate nominata vel praesentata. Si vero scopus ac ratio legis prae oculis habeantur, dicendum est censuram etiam incurri quando Episcopus non a laica potestate nominatur, sed a Capitulo eligitur. Et sic communius sentiunt auctores ».

At contra facit 1°. effatum: Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est. 2°. Lex poenalis non potest extendi nec ad alias personas, nec ad alia facta quamvis intercedat identitas rationis. 3°. Quomodo censeri potest Legislator voluisse Capitularibus poenas imponere ob collatum Ecclesiae regimen etc., electo ab ipsis, quando in eadem pagina hunc praetermittit? 4°. In primo casu confertur Ecclesiae regimen nominato et praesentato a potestate laica, in alio electo ab ipso Capitulo quod eligendi habere potestatem supponitur. Ergo

tiunt at nullo prolato argumento, et maior eorum pars Avanzinium excripsisse videntur.

Ad tertiam quaestionem, necessarium non esse videtur ut Episcopi sint consecrati ad hoc ut Dignitates et Canonici latas poenas incurrant; culpa enim quae in eis punitur est quod ausi fuerint concedere et transferre, remoto Vicario Capitulari, in nominatum et praesentatum a potestate laica curam, regimen et administrationem Ecclesiae vacantis; porro haec reapse transfertur, vix praesentatus electus in episcopum est. Nec difficultatem facessunt verba *curam, regimen, et administrationem*, quae omnia qui non sit reapse consecratus Episcopus perficere non potest, cum *cura et regimen* potestatem ordinis includant; etenim omnia Episcopalia munia a Pio Papa IX recensita sunt vel quatenus illa Episcopo costituendo competere possunt, vel quatenus, quod nobis certum videtur, unius administrationis munia complectantur. Etenim loquens de eiusmodi re inquit: *concedere et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam illius curam; regimen et administrationem.... remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex iuris dispositione, toto tempore vacationis Ecclesiae eam administrare ac regere debet.* Ergo ea potestas electo conceditur quae prius competebat Vicario Capitulari; huic autem, nisi fuisset Episcopus, non competebat potestas ordinis, sed una facultas, servatis servandis, dimissorias concedendi ad ordines suscipiendos; verba igitur *cura, regimen et administratio* non includunt exercitium ordinis episcopalis.

Idipsum patet ex aliis verbis: *Insuper quacumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur, et ordinentur... omnino nulla, invalida, inania, irrita... declaramus et decernimus.* Quo in loco *cura, regimen et administratio* sub uno *admistrationis* vocabulo concluduntur; tum *nulla* omnia a sic intruso peracta decernuntur; at ordines collati decerni *nulli* non poterant. Ulterius decernit Pontifex: *Si vero aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti,* etc. Hi autem esse possunt tum nominati et praesentati; tum eligentes Episcopum ad vacantem Ecclesiam nominatum et praesentatum a laica potestate. Ergo necessarium non est, ut electus sit episcopali charactere insignitus ad hoc ut dignitates et Canonici illatas poenas incurrant.

Demum: culpa quae in Dignitatibus et Canonicis punitur est ele-

in primo casu in res Ecclesiae sese intromittit potestas laica, et non in alio. Haec autem consideratio circa incurrendas poenas potuit moderari legislatoris mentem

ctio in Episcopum nominati et praesentati a potestate laica; at nominatio et praesentatio haec non includit, nisi aliud constet, characterem episcopalem; ergo neque electio, quae consequitur nominationem et praesentationem.

II. Proscriptae porro actiones sequentibus poenis coercentur.

1. Excommunicatione maiori Romano Pontifici speciali modo reservata.

5. Suspensione a beneficiis, scilicet a percipiendis beneficiorum fructibus; de qua re egimus *p. 249;* quae pariter suspensio speciali modo S. Sedi reservata est: *ipsarumque poenarum* (excommunicationis et suspensionis) *absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.*

Praetermittimus perpetuam nullitatem actorum, quae poena est, non censura.

3. Suspensione et interdicto ab ingressu Ecclesiae, si eligentes vel electi Episcopali charactere sint insigniti.

III. Excommunicationem autem et suspensionem incurrunt 1. Dignitates et Canonici Ecclesiarum cathedralium vacantium, qui vetita peragant. Non ergo alii qui ad Capitulum non pertineant, quamvis Ecclesiae Cathedrali sint adscripti.

2. Nominati et praesentati ad vacantes Ecclesias, qui earum curam regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, (ab illis scilicet qui loco Capituli eligendi vim habere praesumunt) in eos peractam.

3. Ii qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis et dignitatis fuerint.

Porro ex hisce postremis verbis duplex oritur quaestio; quarum prima quaeritur: An sub iis etiam laicae personae comprehendantur? Alia vero: An Episcopi? ita ut hi praeter suspensionem et interdictum incurrant etiam excommunicationem.

Et quidem quantum ad hanc alteram quaestionem attinet, ratio dubitandi oritur ex verbis *cuiusque status, conditionis et dignitatis fuerint;* nemo igitur excluditur.

Attamen verior illa nobis sententia videtur, qua Episcopi excommunicatione eximuntur; afficiantur autem una suspensione et interdicto ab ingressu Ecclesiae.

Reapse nulla est poena imponenda nisi de lege certo constet, et in casu non constare de lege qua Episcopi prohibita perpetrantes excommunicationem incurrunt, certum nobis videtur ex quo disertis verbis exprimantur quando eis suspensio et interdictum imponitur. Episcopi igitur a superius expressis segregantur, atque sub una veluti classe ponuntur. Quod evidens quodammodo est ex verbis. *Si vero aliqui ex praedictis episcopali cha-*

ractere sint insigniti etc. At hi *aliqui ex praedictis* etc. essent qui concedunt et transferunt curam, regimen et administrationem vacantis Ecclesiae nominato et praesentato a potestate laica; nominati et praesentati etc. essent qui praemissis paruerint; atqui de iis prorsus dicitur quod *si aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incidunt;* ergo hi non comprehenduntur sub aliorum censu. Sin enim comprehensi fuissent, nulla necessitas erat insignitos episcopali charactere exprimere, cum iam hi comprehenderentur sub verbis praesertim *cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint.* Ulterius si episcopi etiam excommunicationem incurrerent, debuisset legislator scribere: Si vero aliqui etc. *etiam* in poenam suspensionis et interdicti ab ingressu ecclesiae incidunt, vel aliam adhibere loquendi rationem, qua detegeretur, Episcopos etiam excommunicatione percelli. Demum nulla ratio apparet quare ob idem crimen Episcopi triplici censura teneantur, alii vero duplici.

Circa primam quaestionem certum nobis videtur inter cooperantes etiam laicas personas comprehendi; etenim status, conditio, praeeminentia et dignitas etiam ad laicas personas spectare dignoscuntur; in facto autem etiam laicae personae sese in hisce negotiis immiscere se possunt, et immiscent; qua de causa nulla ratio apparet, qua sint excludendae.

Non putamus autem sub illis verbis comprendi personas in imperiali vel regali dignitate constitutas, cum hae sub censuris inclusae non censeantur, nisi earum dignitas disertis verbis exprimatur; ut factum a Pio Papa IX est in excommunicatione lata contra perpetrantes duellum, vel nisi actio quae proscribitur nonnisi a supremis imperantibus perfici possit; quod patet ex Capite XII tit. 1. *Invadentes, destruentes, et detinentes* etc. At in nostro Cap. nullo pacto apparet has personas esse reges vel imperatores vel supremos Praesides; hi enim sub mandantium nomine venirent, ut patet ex verbis: Capitulum obsequens *invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis.*

Post eiusmodi etiam illa quaestio dirimenda est, qua quaeritur: an electus in Episcopum a Capitulo qui curam, regimen et administrationem Ecclesiae vacantis assumit, excommunicatione percellatur? Quae quidem quaestio nil cum praecedenti commune habere videtur, cum in ea agatur de Episcopo nominato et praesentato a potestate laica, in hac vero de episcopo ab ipso Capitulo electo, sine ulla potestatis laicae nominatione et praesentatione.

Ratio autem huius agendae quae-

stionis ex sequentibus verbis desumitur: *In easdem* poenas (excommunicationis et suspensionis) *pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias; qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, in eos peractam.*

Avanzini *Comment. Edit. 3 Manual. pag. XXXV* affirmativam sententiam amplectitur... *Nominati et praesentati, vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias... excommunicatione latae sententiae speciali modo Papae reservata plectuntur.* Atque Avanzinio subscripsere Del Vecchio *Theol. Mor. Tom. 1. pag. 590,* aliique.

At veriorem, idcirco tenendam, contrariam sententiam arbitramur, qua electi ab ipso Capitulo excommunicatione eximuntur; et quidem ob eadem argumenta. Etenim 1. lex deficit, cum in *loc. cit.* sermo sit *de nominatis et praesentatis,* scilicet a potestate laica, ut ex universa loquendi ratione in Constitutione adhibita patet; legem autem poenalem ad alias personas non expressas extendere iuris regulae vetant. 2. Demonstravimus, Canonicos et Dignitates excommunicationem non incurrere si transferant Ecclesiae vacantis regimen in electum ab ipsis; ergo a pari, poena non percellentur electi a capitularibus curam et regimen Ecclesiae vacantis suscipientes, nisi aliter expressis verbis cautum sit. At nullum in lege habemus verbum expressum: etenim verba *ex concessione et translatione* non significant *electionem* a Dignitatibus et Canonicis peractam, sed horum obsequentiam nominationi et praesentationi factae a laica potestate, ut patet ex verbis: *Capitulum Ecclesiae Cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato... supremae civilis potestatis concedere et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam etc.* Et paullo post: *Praeterea nominatos et praesentatos, iure quod eis per nominationem, et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.*

Cum ergo deficiat lex, deficiat ratio interpretandae legis, non possunt electi a Capitulo veluti excommunicati et suspensi traduci si ecclesiae vacantis curam et regimen suscipiant (1).

(1) Exinde corrigimus et retractamus ea quae scripsimus in Commentariis nostris *pag. 430* scilicet 1°. An eamdem suspensionem incurrant Episcopi praedicti si Ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem conferant non nominato et praesentato a laica potestate, sed ab ipso Capitulo?

2°. Hanc suspensionem incurrunt ne ipsi Episcopi electi, si Ecclesiae regimen suscipere praesumpserint?

Ad utramque quaestionem quantum ad electos a Capitulo respondendum est negative, ob rationes hoc in loco expositas.

Eiusdem indolis videri poterit alia quaestio, quam subiicimus. Legislator dum excommunicatione et privatione fructum beneficiorum quorumcumque percellit Canonicos et Dignitates vetita actione sese commaculantes, praetermittit *illos qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant.* Inquit enim: « Ubi vero ea exequi detrectaverint, ac concedere et » transferre etc.... praefatos Canonicos et dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum beneficiorum » etc. » Quid igitur? num ne alii, Canonicis et Dignitatibus exceptis, illatis poenis evadunt immunes?

Ut aliis ita nec nobis videtur; primo quidem, quia et hos Legislator expressit dum eos recensuit, qui Apostolicas literas exequi debent: 2. quia et eos conglobatim recensuit dum dixit: *Ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint;* illi scilicet quos supra Legislator loquens de iis qui de gremio Capituli erant, prius Dignitates expressit, postea Canonicos; postea prius Canonicos deinde Dignitates commemoravit, quo intelligimus sub Dignitatum nomine omnes comprehendisse, ad quos, deficiente Capitulo, pertinebat aut Vicarios Capitulares deputare, aut vacantem Ecclesiam legitime administrare; hae enim sunt personae in dignitate constitutae, ideoque sub dignitatum nomine venire possunt et veniunt. 4. Nulla de coetero ratio apparet, qua ab poenis incurrendis eximendae sint; culpam enim eadem est; et legislatoris mens de iis comprehendendis sat est manifesta. 5. Neque adest paritas cum superiori quaestione; in ea enim legislator semper loquitur de nominatis et praesentatis a laica potestate, quam in negotiis sese intromittere ecclesiasticis aegre semper tulit Ecclesia, ut cetera praetermittamus quae super scripsimus

Post haec de interdicto.

Quae vero de interdicto dicenda sunt ex iis omnibus dependent, quae circa hanc suspensionem *l. c. cit.* diximus; iisdem enim conditionibus et causis delinquentes obstringuntur.

Attamen paucis rem absolvamus. Episcopi hi sunt vel pertinentes ad Capitulum qui in nominatum vel praesentatum a potestate laica transferunt regimen et administrationem vacantis Ecclesiae, vel ipsi nominati et praesentati a potestate laica, vel qui paruerint praemissis, et auxilium, consilium, vel favorem praestiterint, ut electo et praesentato a potestate laica regimen et administratio praedicta conferretur.

Etenim lex est: *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti* etc. At praecedunt omnes quos nominavimus; ergo Episcopi hi suspensionem a pontificalibus, et interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrunt sive pertinentes

ad Capitulum concedant et transferant regimen et administrationem Ecclesiae vacantis in nominatum et praesentatum a potestate laica; vel hanc administrationem et regimen ipsi suscipiant; vel auxilium, consilium, favorem praestent ut nominatis at praesentatis huiusmodi regimen Ecclesiae vacantis conferatur. Non est hinc admittenda illorum sententia qui interdicto afficiunt unos nominatos.

Manifestum autem ex lege est, n delinquentibus huiusmodi ausum temerarium requiri ut illatis poenis afficiantur: Legislator enim hunc disertis verbis requirit: *ac concedere et transferre.... ausi fuerint: Nominati et praesentati... qui administrationem suscipere audent.* Si ergo praesumptio desit, et qualibet ignorantia detineantur, vel metu compulsi fuerint, illatis poenis eximuntur; qui enim ignorantia qualibet in legis transgressione laborat, vel metus causa illam transgreditur audax dici non potest.

Porro sicut suspensio ab exercitio Pontificalium, ita et interdictum ab ingressu Ecclesiae, quae quid importent iam diximus, est speciali modo Summo Pontifici reservatum. Qua de causa Episcopi vi Capitis *Liceat*, ab eiusmodi censura delinquentes absolvere non possunt, quamvis sit occulta.

His autem, quas hucusque expendimus, concluduntur censurae omnes generales, vel generali de causa illatae a Pio Papa IX sive in Const. *Apostolicae Sedis*, sive extra, sive ex Conc. Tridentino renovatae.

Sed praeter has, Pius Papa IX, alias nonnullas particulares censuras immotas stare voluit, de quibus disserere nostrum non est; ideoque id unum agemus, ut ea quae Pontifex in sua addit Constitutione nonnullis animadversionibus, seu melius notis illustremus.

APPENDIX LVIII.

Porro ita prosequitur Pius Papa IX.

« Quae vero censurae sive excommunicationis sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus. »

Dicendis ea praemittimus quae scribit cl. Avanzini *Comment. Edit. 3. man. pag. 97.*

« Hic aliqua umbra posset menti » occurrere dicendo: Si Constitutio » *Apostolicae Sedis* agit tantum de » censuris universalibus, relinquens » coeteras in eo vigore quo reperiantur, cur in *Art. XV* recenset » extrahentes absque legitima venia » reliquias e Catacumbis Urbis Romae, easque censura plectit? » Nonne haec est censura ratione » peculiaris loci inflicta, sicut ex » gr. ea quae infligeretur ratione » Bibliothecae sorvandae ne libri » extrahantur? Item, cur in *Art. VII* » censuras infligit in exteros Romae » commorantes ne ab aliis ordinentur, quam ab Emo Card. Vicario, vel sine eius licentia? » Nonne haec censura inflicta est » ratione peculiaris loci ubi exteri » commorantur? »

Resp. « Haec umbra diluitur, si » animadvertas, eiusmodi censuras » latas esse, non ad privatorum » petitiones pro tutandis locis, ut » contingit in censuris latis pro » Bibliotheca, ne libri extrahantur, » vel aliis similibus; sed per universales Romani Pontificis constitutiones, ex publica universalisque Ecclesiae causa, et hoc sensu » iam universales dici possunt. Praeterea agitur de locis, quae sub » aliquo respectu dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis, cui nullus » fidelium est extraneus, ideoque » patria est omnium Christifidelium; tum ob frequentissimum » concursum invisendi ea coemeteria, sacra pignora vetustissima » nostrae religionis; itemque ob » eumdem concursum iuvenum ex » omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Eiusmodi » rationes efficiunt ut dictae censurae maiori iure recenseantur » inter universales quam inter particulares. »

Post haec, ex cit. paragrapho manifestum est, declarasse Pontificem non esse abrogatas reliquas censuras quae vel ab ipsis Romanis Pontificibus, vel ex Sacris Canonibus latae fuerunt in particularia instituta, vel cuiusvis generis loca particularia; cum enim hae censurae finem specialem habeant, atque afficiant unas personas alicuius coetus, Ordinis, Instituti, vel illa tantum loca, et non alia, conservandae potius erant quam abrogandae, ne finis praestitutus cum damno evidentissimo et personarum et locorum particularium in irritum mitteretur.

Non omnes tamen eiusmodi censurae particulares vim habere ex Piana Constitutione reperiuntur. Etenim 1. Legislator non affirmat eas se innovare, sed dicit eas non esse abrogatas, quo earum vigori nil addit; dum si innovatas dixisset, iis etiam vim addidisset quae in desuetudinem quacumque abiissent de causa.

2. At e contra expressis verbis decernit, eas tantum censuras firmas esse et in suo robore permanere, quae *hactenus in suo vigore*

perstiterunt. Ergo si vigorem, quacumque de causa, amiserunt, nullam de cetero vim habere censendae sunt.

3. Quin imo nec affirmare videtur Legislator, se confirmare omnes prorsus eiusmodi particulares censuras, quae hactenus in suo vigore perstiterunt, sed eas tantum quae latae sunt *a*) sive *pro Romani Pontificis electione;* b) *sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium;* c) *nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint.*

Si igitur eiusmodi particulares censurae non pertineant ad Romani Pontificis electionem, vel ad internum regimen sive Ordinum regularium, sive locorum piorum, confirmatae a Pio Papa IX censeri non possunt.

Hinc, ut nobis videtur, abrogatae censendae sunt censurae latae ad impediendum quominus libri extrahantur a Bibliothecis, vel succidantur arbores nemorum huius vel illius religiosae familiae etc.: hae enim censurae non pertinent ad regimen internum Ordinum religiosorum vel aliorum Institutorum ecclesiasticorum. Ut itaque deprehendamus quaenam post Pii IX Constitutionem censurae particulares vigeant, stricto sunt sensu allegata superius verba sumenda, ne ad alios casus non comprehensos legem extendamus.

Porro censurae latae pro Romani Pontificis electione comprehenduntur in duabus Constitutionibus latis a Gregorio XV, quarum prima lata die 13 Novembris 1621 incipit *Aeterni Patris Filius;* alia quae continet caeremoniale in electione Summi Romani Pontificis observandum, atque incipit *Decet Romanum Pontificem,* lata fuit die 12 Martii 1622. (1).

Advertendum tamen est, hac in secunda Constitutione nullam contra transgredientes Gregorium XV censuram intulisse, sed unam indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius fuisse comminatum; ideoque censura quae lata viget pro electione Summi Pontificis ea est quae continetur in Const. *Aeterni Patris Filius.*

Observamus autem, hac in Constitutione plures censuras pro diversis transgressionibus et personis latas reperiri. Prima quidem in eos qui transgrediantur aliquam regulam ex iis quae pro eligendo summo Pontifice statutae sunt, quaeque ad suffragia et ad varios electionis modos referuntur. Haec § 14 his verbis effertur. « Si quis

(1) Habentur in Bullar. Edit. Taurinen. *Tom. XII, pag. 619, et 662.* Ritum servandum in electione Summi Pontificis nos retulimus in Commentariis nostris *Tom. 1, Append. XIV, pag. 418,* in qua etiam Gregorii X Constitutionem quam Gregorius XV expressit in suis, retulimus.

» autem aliquid ex supra expressis » non servaverit, aut quomodo- » cumque directe vel indirecte in » aliquo contravenerit, sententiam » excommunicationis ipso facto in- » currat. »

Ex quo patet, excommunicationem incurri pro transgressione singularum actionum in electione praescriptarum, ita ut satis sit unam actionem vel regulam transgredi ad excommunicationem incurrendam.

Exinde autem nemo inferat, tot excommunicationes Cardinalem delinquentem incurrere quot regulas transgreditur. Legislator enim ad inducendam accuratissimam legis observantiam voluit ut nil ex iis quae praescripsit pro Summi Pontificis electione praetermitteretur, illata excommunicatione in eos qui aliquid praetermitterent. Sed semel excommunicatio incurritur quamvis quis plurimas transgrediatur regulas.

Alia excommunicatio fertur in Cardinales qui eliguntur ad deferenda in Conclave infirmorum suffragia, quae continetur § 15. « Praeterea statuimus et ordinamus, » quod si aliquem infirmitas impediverit ad scrutinium venire, » ad eum adire debeant tres Cardinales, sorte ante scrutinium, » ut infra ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum » Diaconorum extracti, cum capsula » praeforata, sed inani, et palam a » scrutatoribus clausa, cuius clavis » super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, » ipseque illam, sicut alii Cardinales, praevio iuramento supra- » scripto, secrete conficere teneantur, deinde in capsulam coniiciat, » eaque per eosdem Cardinales relata et aperta, in calicem schedula mittatur. Pubblicato deinde » scrutinio, si accessus agendus » erit, ut etiam infirmi accedere » possint, unum ex foliis, in quibus nomina Cardinalium et suffragiorum numerus notantur, a » tribus Cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque » in scrutinio tulerit, ad infirmum » una cum alia impressa schedula, » pro accessu parata, et cum eadem capsula ab iis deferatur. » Infirmus vero alicui accedere, » vel nemini accedere debeat, omiaque et singula serventur quae » de scrutinii schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena. » At si quis scribere valetudine impeditus, per alium, praevio iura- » mento ab eo qui scribet praestando de servando secreto, quod » sub eadem excommunicationis » poena servari mandamus, subscribere libere possit. »

Alia excommunicatio fertur § 16 his verbis. « Ad haec scrutatores » tres, sicut et tres alii Cardinales, » qui ad infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus Cardinalibus praesentibus in

» conclavi, nulla Ordinis servata » distinctione, immediate ante quod- » libet scrutinium extrahentur, et » qui semel extracti fuerint in vas » iterum coniiciantur; alioquin si » quis contrafecerit, sicut si scru- » tatores vel recognitores aliquid » secreti in exercendo suo officio » cognoverint, et illud revelave- » rint, eamdem latae sententiae » excommunicationem incurrant. »

Cum hae duae censurae ferantur ob actiones a praecedentibus diversas, quaeque, ut ita loquamur, exceptionem quamdam pariant, cum locum habeant infirmitatis alicuius Cardinalis causa, putamus duplici excommunicatione certo Cardinalem illum irretiri, qui et aliquam ex regulis constitutis transgrediatur, et postremas hasce dispositiones.

Idem porro dicendum arbitramur de quarta excommunicatione quae fertur in Cardinales si praetermittant bis quotidie scrutinium agere; vel recusent ad conclave pergere illius agendi causa; (1) sunt enim actiones diversae pro quarum singulis irrogatur excommunicatio; illa igitur incurritur sive Cardinales scrutinium bis quotidie non agant, sive aliquis eorum ad conclave non accedat ut illud agat.

Quinto loco excommunicatione feriuntur Cardinales qui agunt pactiones, promissiones etc. tam respectu inclusionis quam exclusionis. Haec fertur § 18 his verbis: » Cardinales praeterea omnino ab- » stineant ab omnibus pactionibus, » conventionibus, promissionibus, » intendimentis, condictis, foede- » ribus, aliisque quibuscumque » obligationibus, minis, signis, con- » trasignis suffragiorum seu sche- » dularum, aut aliis, tam verbo » quam scripto, aut quomodocum- » que dandis aut petendis, tam » respectu inclusionis, quam exclu- » sionis, tam unius personae quam » plurium, aut certi generis, ve- » luti creaturarum, aut huiusmodi, » seu de suffragio dando, vel non » dando: quae omnia et singula » si de facto intervenerint, etiam » iuramento adiecto, nulla et ir- » rita, neque ad eorum observan- » tiam quemquam teneri, aut ea » transgressione notam incurrere » fidei non servatae decernimus et » declaramus, et contrafacientes » ex nunc excommunicationis poena

(1) Haec habetur § 17: « Similiter ne electio protrahatur statuimus et ordina- » mus, ut sub simili excommunicationis poena eo ipso incurrenda scrutinium bis » singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam » missam, et prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam commu- » nionem, et pomeridiano tempore hora opportuna post hymnum *Veni Creator Spi- » ritus*, et Orationem de Spiritu Sancto; idemque si compromissi via eligatur ob- » servari debeat: atque ad scrutinium, cum tertium pulsata per loca solita con- » clavis campanula de more fuerit, omnes et singuli Cardinales convenire debeant, » valetudine non impediti, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena ».

» innodamus; tractatus tamen pro » electione habenda vetare non in- » telligimus. »

Haec pariter excommunicatio pro facto infertur absolute a praecedentibus diverso; ideoque si qui eo et aliis commaculetur tot excommunicationes incurrit quot transgressiones factorum vetitorum admisit. Id vero intelligendum non est quod si quis pluries ex. gr. pactiones eiusmodi peragat, plures excommunicationes incurrat.

Sexto loco excommunicatione feriuntur tum illi qui in Pontificem electi fuerint, posthabitis modis ab Legislatore decretis, tum eligentes, complices et fautores quilibet. Haec excommunicatio habetur § 19. Atque illam ita legimus: « Quod si » electio huiusmodi alibi celebrata » fuerit, quam in conclavi clauso, » vel aliter quam per secreta sche- » dularum suffragia duarum ex tri- » bus partibus Cardinalium in con- » clavi praesentium in scrutinio, » seu scrutinio et accessu, electi » suffragio non computato, vel per » viam compromissi, ab omnibus » Cardinalibus similiter in conclavi » praesentibus, nemine dissentien- » te, initi, et ita ut nemo seipsum » elegerit, vel quasi per inspira- » tionem, nullo praecedente de spe- » ciali persona tractatu, omnium » pariter Cardinalium praesentium » in conclavi communiter, nemine » itidem dissentiente, per verbum » *Eligo* intelligibili voce prolatum, » aut scripto, si voce non potuerit, » expressum, nulla sit et invalida » eo ipso, absque ulla declaratione, » et ita electo nullum ius tribuat; » quin immo is non apostolicus, » sed apostaticus sit et habeatur; » et tam ipse quam eligentes, eius- » que fautores et complices sen- » tentiam excommunicationis et » anathemà, aliasque censuras et » poenas invasoribus Sedis Aposto- » licae a sacris canonibus et con- » stitutionibus Apostolicis imposi- » tas, pariter ipso facto incurrant, » a qua, sicut ab alia quacumque » in hac constitutione imposita et » irrogata, seu infra imponenda et » irroganda poena excommunica- » tionis, tam ipsi, quam quilibet » alius, sive S. R. E. Cardinalis, » sive alia persona cuiuscumque » gradus, conditionis dignitatis et » praeeminentiae, a nullo, neque » etiam a maiori poenitentiario, » cuiuscumque facultatis vigore, » praeterquam a Romano Pontifice, » nisi in mortis articulo absolvi » possit, (1) et tam ipse, eiusque » complices et fautores, quam alii

(1) Attamen iuxta Constitutionem *Pastor bonus* latam a Benedicto XIV die 13 Aprilis 1744, qua facultates decernit Maioris Poenitentiariae et Officii Poenitentiariae, Maior Poenitentiarius, Sede vacante, potest Cardinales etiam ab eiusmodi culpis absolvere, servatis servandis: §. 51. « Sede Apostolica vacante, quoniam ani- » marum saluti, quae omni tempore periclitatur, numquam non est subveniendum, » unde merito Praedecessores nostri Officium Poenitentiariae etiam post obitum

» quicumque, etiam S. R. E. Car-
» dinales huius Constitutionis in
» aliquo transgressores, aliis gra-
» vissimis poenis teneantur, futuri
» Pontificis canonice intrantis ar-
» bitrio irrogandis. »

Eiusmodi censura ab aliis superius irrogatis omnino diversa est; illae enim irrogatae reperiuntur ob transgressionem partialem actionum quae hac in Constitutione a Pontifice circa Romani Pontificis electionem praescribuntur; haec vero illata fuit ob transgressionem ipsorum actorum substantialium, ni scilicet Romanus Pontifex eligatur, conclavi clauso, vel per inspirationem, vel per compromissum, vel per scrutinium; transgressio igitur haec in irritum mittit, non hanc vel illam partem, aut dispositionem sed universam Pontificiam Constitutionem; consequenter Cardinales aut alii quilibet qui eiusmodi decretum princeps et essentiale transgressuri forent hanc unicam excommunicationem incurrerent; aut etiam alias superius constitutas, si postquam transgressi fuerint illa partialia decreta, ad postremum hoc enorme facinus devenirent; quod incredibile, ne dicamus impossibile, est.

Postrema excommunicatio fertur in Cardinales qui praesumunt de constitutis a Pontifice in praesenti Constitutione aliquid mutare, vel contra statuere. Haec fertur § 20. « Postremo statuimus et districte » praecipiendo mandamus, ut S. » R. E. Cardinales, quaecumque se- » cretum violare quomodolibet pot- » erunt, omnia evitare et cavere » omnino teneantur, cum intentio » et mens nostra sit, quod ele- » ctionis huiusmodi tam sanctum » negotium, si fiat per scrutinium » seu scrutinium et accessum, ut » praefertur, secretissime transi- » gatur; ac proinde iisdem omni- » bus et singulis S. R. E. Cardi- » nalibus et eorum sacro Collegio » inhibemus, ne contra haec vel » horum aliquod statuere, dispo-

» Pontificis continuar· iusserunt, volumus et decernimus ut Maior Poenitentiarius » (cuius facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium » extra Conclave), seu eius Officiales, facere et expedire valeant quaecumque ad » forum conscientiae pertinent. Ideo absolvere seu absolvi mandare in dicto con- » scientiae foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice » adempta etiam maiori Poenitentiario, et Poenitentiariae Officio absolvendi fa- » cultas reperitur. Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Praedecessor noster » Clemens Papa XII, lata Constitutione, quae incipit *Apostolatus Officium,* ad con- » sulendum simul animarum fidelium saluti, et disciplinae ecclesiasticae conserva- » tioni, provide cavit); quod nempe in huiusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, » et cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; » ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum » distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur; neque liceat Poeni- » tentiario Maiori, eiusque Officialibus, praefixum terminum post Pontificis electio- » nem ampliare, vel prorogare ».

» nere vel ordinare, seu in aliquo » corrigere, alterare, mutare, seu » aliquo modo facere, tractare, » moliri, vel attentare praesumant, » quovis praetextu, causa vel ex- » quisito colore sub eadem excom- » municationis poena ipso facto in- » currenda. »

Et haec pariter excommunicatio fertur ob speciales transgressiones ab aliis omnino dixtinctàs; prohibet enim quaslibet immutationes eorum quae in Constitutione decreta sunt. Cum enim Cardinales, Sede vacante, Ecclesiam regant et administrent, putare poterant vel praesumere, se latis Constitutionibus circa Conclave agendum, saltem ad unguem non teneri; consequenter se immutare quid posse, praesertim si placitum omnibus, opportunumque visum fuerit. Quod lata excommunicatione Pontifex cohibet in omnes et singulos lata, et ne ad effectum praesumptio eorum deveniat, prohibet etiam de eiusmodi immutationibus tractatus et molitiones haberi.

Ex iis vero quae supra relata sunt patet, eiusmodi excommunicationes esse specialissimo, ut ita dicamus, modo Romano Pontifici reservatas, atque ab aliis, etiam a maiori poenitentiario, absolvi non posse nisi in mortis articulo (1).

His circa censuras latas pro electione Romani Pontificis per summa capita adnotatis, eas indicabimus quae respiciunt regimen internum Ordinum regularium, aliorumque piorum Institutorum. Cum autem loquimur de interno regimine, loquimur de constitutionibus latis ad promovendum bonum spirituale ordinum religiosorum piorumque Institutorum. Si quae igitur Constitutiones latae quidem pro religiosis piisque Institutionibus reperiantur, attamen non respiciant eiusmodi bonum spirituale, locum hoc in Capite non habent. Ut has censuras recenseamus.

1. Prima excommunicatio illa est, qua Monachis interdicitur curias saecularium Principum adire damni alicuius procurandi causa sive pro-

(1) Cum electio R. Pontificis gravissimi sit momenti Gregorius XV ad illam rite peragendam ita Cardinales hortatur. § 23. « Ceterum, etsi opus non esse in » Domino confidimus, tamen pro officii nostri debito, et rei de qua agitur gravi- » tate, admonemus, hortamur et in Domino obsecramus S. R. E. Cardinales, ut » attente considerent personae, quam sustinent, officium et dignitatem, quam sa- » crum praeterea et quanti momenti sit opus quod tractant, et nihil quod se non » deceat, nihil a re alienum committant, sed cogitent quam pernicio.um futurum » sit universae Ecclesiae Christi sanguine acquisitae, si male administretur; ac » proinde exuant omnes mundanas curas, et induant solum Dominum nostrum Ie- » sum Christum, memores nihil prodesse homini si universum mundum lucretur, » animae vero suae detrimentum patiatur. Denique animum advertant, se in con- » clavi clausos editissima in specula constitutos esse, et factos spectaculum D.o » et hominibus, a Domino, cuius negotium gerunt, supplicii vel gloriae sempiternae » retributionem citissime laturos ».

priis praelatis, sive monasteriis. Habetur haec excommunicatio in Clementinis *De Statu Monachorum lib. III, Tit. XIV:* « Quod si ut » suis praelatis aut Monasteriis da» mnum aliquod inferant, ad dictas » Curias se conferre praesumpse» rint, excommunicationis senten» tiam eos incurrere volumus ipso » facto. »

2. Secunda habetur in eadem Clementina, eaque Monachi prohibentur, quominus sine licentia Abbatis arma infra Monasterii septa teneant: « Praefatae quoque sen» tentiae (excommunicationis) mo» nachos infra septa monasterio» rum sine licentia Abbatum suo» rum arma tenentes, decernimus » subiacere. »

3. Tertia in eos viget Regularium Superiores vel Monasteriorum Praefectas quae statutam impositamque clausuram violent vel violari permittant. Ex Const. *Ubi gratiae* lata a Gregorio XIII, quam retulimus *in Comment. Nostris T. 1. pag. 768.* et ex Const. *Decori* lata a S. Pio V *(Ibid. pag. 708).*

5. Quinta ii corripiuntur Regularium superiores, qui non denunciant suos subditos haereticos vel de haeresi suspectos, ad tramites Constitutionis *Romanus Pontifex* latae a Paulo V sub die 1 Septembris 1606, qua § 5 decernit: « Prae» terea ipsis generalibus, superio» ribus et praelatis pari auctoritate » praecipimus atque mandamus ut » omnes processus et acta causa» rum huiusmodi Inquisitoribus seu » Ordinariis praedictis respective » remittant et consignent; nec non » professores, fratres, et religiosos » supradictos, quos haeresis labe » infectos vel suspectos, etiam in » visitatione esse noverint, absque » alia consultatione cum propriis » superioribus facienda, eisdem In» quisitoribus vel Ordinariis loco» rum vicinioribus respective de» nuncient. »

» § 6. Quod si generales aliique » praedicti praesentibus litteris non » paruerint, eos omnes privationis » quarumcumque dignitatum seu » praelaturarum vel officiorum suo» rum Ordinum, ac vocis activae » et passivae, perpetuaeque inhabi» litatis ad eadem, nec non contra » fautores haereticorum et impedi» tores Officii statutas et inflictas » poenas, aliasque censuras eccle» siasticas, etiam excommunicatio» nis maioris latae sententiae, a » qua nonnisi a nobis vel a Ro» mano Pontice pro tempore exi» stente, praeterquam in mortis » articulo, absolutionis beneficium » valeant obtinere, eo ipso incur» risse. »

Haec sed vero Pauli V Constitutio confirmata fuit ab Alexandro Papa VII in Congregatione generali S. Officii habita feria V, die VIII Iulii 1660 per decretum seu Constitutionem *Licet alias,* quae habetur in Bullario Rom. Edit. Taurinen. *Tom 16. pag. 582.* In hac autem Constitutione praedictas poe-

nas Pontifex extendit ad Superiores qui subditos deterrent ne ad Supremam Inquisitionem recursus porrigant atque denunciationes, aut quocumque praetextu retrahentes alios qui sive confratres, sive superiores etiam leviter de fide suspectos denunciare vellent (1).

(1) § 1. « Nihilominus animadvertens ss. D. N. Alexander VII ab aliquibus regularibus in dubium revocari praedictam denunciandi obligationem, adeo ut nedum suos subditos non denuncient, verum etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes an debeant s. Officio denunciare quae audierunt aut viderunt ad ipsum s. Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imo aliquando eosdem perperam instruant non teneri, nec sub obligatione constitutionum Apostolicarum comprehendi, et hanc opinionem erroneis aliquot doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur ».

§ 2. « Volens proinde Sanctitas Sua abusum huiusmodi ex sui pastoralis Officii debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum dictorum Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, innovat Constitutionem praedictam a felicis recordationis Paulo V emanatam, et quatenus opus sit, eam declarans, hoc praesenti decreto districte praecipit et mandat omnibus et singulis regularium generalibus, provincialibus, Abbatibus, prioribus, guardianis, rectoribus, praepositis, aliisque... Superioribus cuiuscumque Ordinis et Instituti... ut omnino dictae Constitutioni in omnibus pareant, et omnes et quoscumque religiosos, tam sibi ipsis subditos quam non subditos cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, haereticos vel de haeresi quomodocumque etiam leviter suspectos deferant et iudicialiter denuntient Inquisitoribus vel locorum Ordinariis, et nullatenus in causis ad s. Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad s. Officium recurrentes, vel recurrere aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo sive directe sive indirecte avertere, retrahere, dissuadere; imo praedictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omnino pareant, et alios Christi fideles etiam confratres suos ad parendum pariter hortentur et suadeant, reiectis poenitus huiusmodi opinionibus atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua... tamquam perniciosas, temerarias, et non consistentes, et a mente Sanctitatis Suae prorsus alienas, reprobavit et reprobat ».

§ 3. « Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo quod ipsis implendum incumbit cum religiosis eiusdem alteriusve Ordinis, aliisve quibuscumque personis de fide suspectis, ceterisque petentibus consilium in materiis ad s. Officium spectantibus, ita ut nedum ipsimet denunciationes differant vel ab illis prorsus abstineant, verum etiam multoties ab eisdem alios a se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis doctorum opinionibus, vel sub fraternae correctionis factae vel faciendae, aliove praetextu ».

§ 4. « Propterea idem Sanctissimus declaravit praefatos subditos absque ulla participatione, etiamsi nulla sit petita venia a Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio praemissa fuerit, omnino teneri et obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam confratres ac superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis et religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos; ac propterea eosdem

Et haec quidem sunt, vel alia huiusmodi, quae ad religiosorum ordinum internum regimen spectant.

Aliae censurae igitur quae ad huiusmodi internum regimen vel promovendum vel conservandum non referuntur abrogatae sunt censendae.

Hinc abrogatae sunt habendae excommunicatio et suspensio latae contra Regulares qui Ecclesiarum decimas sibi usurpant, quaeque habentur *Clementinarum 1 De decimis, primitiis etc.* (1) *Et Cap. III de poenis.* Abrogata pariter est excommunicatio lata in regulares qui aliis suadent, voto aut iuramento interposito, ut sibi sepulturam in Regularium Ecclesiis eligant, aut ne electam mutent. Quae habetur in Clementinarum lib. V *Cap. III De poenis* (2).

Item cessavit excommunicatio

» debere omnes et quoscumque etiam alios a se consilium ut supra petentes monere » et obligare ad denunciandum, nec posse illos a denunciando sub dictae fraternae » correctionis vel alio quovis praetextu retrahere aut retardare, et praefatos omnes » tam superiores quam subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit et declaravit » subiacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V expressis, nec non » privationis quarumcumque dignitatum seu praelaturarum seu officiorum suorum » Ordinum, ac vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad easdem, ipso » facto et absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suae ac successorum arbitrio infligendis, poenis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi et successoribus suis Romanis » Pontificibus tantum expresse reservavit ».

(1) « Religiosi quicumque qui novalium aut alias decimas ecclesiis debitas ad » eos ex aliqua causa legitima non spectantes appropriare sibi praesumpserint, aut » exquisitis fraudibus sive coloribus usurpare. Seu qui de animalibus familiarium » et pastorum suorum, vel aliorum etiam animalia ipsa eorum gregibus immiscentium. Seu qui de animalibus quae in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis » emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel aliis ab ipsis tenenda. Seu qui de » terris quas tradunt aliis excolendas decimam solvi Ecclesiis non permiserint, » aut prohibuerint, nisi post requisitionem per eos quorum intererit super hoc eis » factam a praemissis destiterint intra mensem, aut si de iis quae contra praemissa usurpare vel retinere praesumpserint intra duos menses damnificantis Ecclesiis emendam non fecerint competentem, sint et tamdiu maneant ab officiis, » administrationibus et beneficiis suis suspensi donec destiterint et satisfecerint, » ut super est expressum. Quod si religiosi huiusmodi administrationes vel beneficia non habeant, eo casu quo alii supradicti suspensionis, ipsi sententiam excommunicationis incurrant, ante satisfactionem condignam nullatenus absolvendi, » privilegiis non obstantibus quibuscumque ».

(2) « Sane temerarios violatores constitutionis illius quae religiosis et clericis » saecularibus prohibet ne aliquos ad vovendum, iurandum, vel fide interposita, » seu alias promittendum inducant ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, » vel iam electam ulterius non immutent, similem sententiam (excommunicationis) » incurrere volumus ipso facto; ab alio quam a Sede Apostolica, praeterquam in » mortis articulo, nullatenus absolvendos ».

lata a Clemente VIII, seu a S. Congregatione Episcoporum et Regularium de ipsius mandato, sub die 9 Ianuarii an. 1601 contra regulares qui sine debita facultate absolvere praesumunt a casibus, quos in respectivis Dioecesibus sibi Episcopi reservant. Quod decretum habetur apud Bizzarri *Collectanea pag. 17.*

Demum nullius roboris de coetero est suspensio ab exercitio Pontificalium Regularibus illis inflicta, qui ad episcopalem dignitatem promoti, Instituti sui regulas non servant; quam suspensionem tulit Benedictus XIII, Const. *Custodes;* quae Constitutio deest quidem in Bullario Romano, at reperitur in Bullario Ordinis Praedicatorum *Tom. IV, pag. 582* (1).

Per coetus et loca pia unum idemque intelligimus. Ea autem

(1) Nonnulli Commentatores censent adhuc tenere excommunicationem latam in Apostatas a Religiosis ordinibus ad normam Cap. *Ut periculosa* 2 *Ne Clerici vel Monachi in 6,* quod ita legimus: « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de coetero aliquis quamcumque religionem tacite vel expresse professus, in scholis vel alibi temere habitum religionis suae dimittat; nec accedat ad quaevis studia litterarum, nisi a suo praelato cum consilio sui conventus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto ». At eiusmodi excommunicatio non tenet contra eiectos a Religione, qui habitum dimittunt; nam hunc dimittere debent, imo eo expoliantur antequam eiiciantur, ut ex Decreto Urbani VIII patet, de quo apud Ferraris *V. Eiecti a Religione n. 35.* « Si vero non appellaverit debet transactis ipsis decem diebus ab intimata sententia e carcere educi, et coram tota Religiosorum communitate corona clericali et regulari privari, et per superiorem forma habitus Regularis exui, et confestibiliter eiici in habitu clericali sub iurisdictione et obedientia ordinarii loci victurus, ut praescribitur in cit. § 4 decreti editi sub Urbano VIII: *Sic vero eiecti quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsint* ». Cum itaque haec contra eiectos pontificio decreto decernantur, quae universaliter obligat, eiecti ob habitus dimissionem nulla tenentur excommunicatione. At ea tenentur ne Apostatae? Haec observamus. In cit. Cap. *Ut periculosa* excommunicatione plectitur apostasia ab Religione; at censetur verus apostata qui deseruerit religionem sine animo ad eam redeundi, quamvis retineat habitum, ut expresse declaravit Clemens VIII in suo decreto 26 Maii 1593: *Apostasia a religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii sive conventus fiat egressio.* Quod decretum confirmatum fuit ab Urbano VIII die 21 Septembris 1624. At his decretis iure censemus derogatum Concilii Trident. *Cap. XIV Sess. 25 De Regular. et Monial...* ex quo Fagnanus aliique inferebant, ad incurrendam excommunicationem ob Apostasiam necessariam esse habitus dimissionem. Cum itaque in apostasia necessarium non sit habitum retinere, et excommunicatio in Cap. *Ut periculosa* lata sit pro apostasiae crimine satis patere arbitramur, apostatas ob dimissionem habitus excommunicationem non incurrere. Hoc autem probatur ulterius ex praxi quam S. Congreg. EE. et RR. nunc adhibet: etenim apostatis a Religione praecipit ut habitum dimittant.

loca ita vocantur quae instituta ordinataque sunt ad opera pietatis exercenda, sive Deum sive proximum respiciant, proprio et interno regimine pollent, et particulares hominum societates constituunt.

Attamen ex iis quaedam privatorum voluntate erecta sunt sine ulla auctoritate ecclesiastica, vel ab ea dependentia; et improprie loca pia nuncupantur. Alia vero et auctoritate ecclesiastica erecta fuere, et ab ea dependent, et proprie loca pia nuncupantur; de ratione essentiali enim piorum institutorum est ut Ecclesiastica auctoritate instituantur et aliquo pacto regantur, cum ea decernere quae vel ad Dei cultum, vel proximorum salutem, aut pietatis incrementum spectant, ad Ecclesiasticam potestatem pertineat. Cum autem in lege poenali versemur, loca pia stricto accipimus sensu. Si quae igitur poenae vel censurae latae pro eiusmodi locorum piorum interno regimine reperiuntur, eae vigent, et incurruntur ab iis qui latas praescriptasque leges et regulas transgrediantur.

Attamen relate ad earum absolutionem advertendum est, eas adhuc absolvi posse ab iis superioribus, qui ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* eas absolvendi potestate fruebantur. Etenim quamvis in Piana Constitutione revocatae fuerint facultates absolvendi a censuris Rom. Pontifici reservatis, de illis tamen sermo est censuris quae generales sunt, quibusque fideles quilibet obstringuntur, non de censuris latis pro particularibus Institutis, atque religiosis Ordinibus; has enim in eo reliquit robore, quo erant: *eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.* Cum itaque Legislator has ita reliquerit, nec facultates revocaverit, quibus eas absolvendi sive superiores, sive alii fruebantur; et facultas absolvendi a particularibus censuris diversa plane sit ab ea quae conceditur pro absolvendis censuris quae generice feruntur, consequenter etiam revocatio facultatum, non censentur sive superiores Regulares, sive Institutorum, locorumque piorum Rectores privati facultatibus absolvendi ab illis censuris particularibus, quamvis absolutio reservata foret Rom. Pontifici; revocatio enim legitimarum facultatum non praesumitur, sed probanda est.

Exinde autem nemo inferat eiusmodi superiores absolvere etiam posse subditos ab iis censuris quae in Const. *Apostolicae Sedis* latae leguntur, si quis eorum subditus eas incurrat. Pro iis enim adest revocatio generalis, neque illae pertinent ad particulares coetus, Ordines vel loca pia; qua de causa, relate ad has, subditus se habet ut alius fidelis quilibet.

APPENDIX LIX.

De facultatum aut privilegiorum absolvendi a censuris revocatione.

Ut latarum in sua Constitutione cuiuscumque nominis censurarum reservatio firma consisteret Pius Papa IX opportune revocat privilegia et facultates, quibus innixi, Regulares praesertim, etiam ab reservatis S. Sedi censuris absolvere potuissent. Hinc ita prosequitur:

« Ceterum decernimus, in novis » quibuscumque concessionibus ac » privilegiis, quae ab Apostolica » Sede concedi cuivis contigerit, » nullo modo ac ratione intelligi » umquam debere, aut posse com- » prehendi facultatem absolvendi » a casibus et censuris quibuslibet » Romano Pontifici reservatis, nisi » de iis formalis, explicita ac in- » dividua mentio facta fuerit: quae » vero privilegia aut facultates, sive » a Praedecessoribus Nostris, sive » etiam a nobis cuilibet Coetui, Or- » dini, Congregationi, Societati et » Instituto, etiam regulari cuiusvis » speciei, etsi titulo peculiari prae- » dito, atque etiam speciali men- » tione digno a quovis umquam » tempore hucusque concessae fue- » rint, ea omnia, easque omnes No- » stra hac Constitutione revocatas, » suppressas, et abolitas esse volu- » mus, prout reapse revocamus, » supprimimus et abolemus, mi- » nime refragantibus aut obstanti- » bus privilegiis quibuscumque, » etiam specialibus, comprehensis, » vel non, in corpore iuris, aut » Apostolicis Constitutionibus, et » quavis confirmatione Apostolica, » vel immemorabili etiam consue- » tudine, aut alia quacumque fir- » mitate roboratis, quibuslibet et- » tiam formis ac tenoribus, et cum » quibusvis derogatoriis, aliisque » efficacioribus et insolitis clausu- » lis, quibus omnibus, quatenus » opus sit, derogare intendimus et » derogamus.

» Firmam tamen esse volumus » absolvendi facultatem a Triden- » tina Synodo Episcopis concessam » *Sess. XXIV cap. VI de Reform.* » in quibuscumque censuris Apo- » stolicae Sedi hac nostra Consti- » tutione reservatis, iis tantum ex- » ceptis, quas eidem Apostolicae » Sedi speciali modo reservatas » declaravimus.

» Decernentes has litteras, atque » omnia et singula, quae in eis con- » stituta ac decreta sunt, omnesque » et singulas, quae in eisdem fa- » ctae sunt ex anterioribus Consti- » tutionibus Praedecessorum No- » strorum, atque etiam nostris, aut » ex aliis sacris Canonibus quibus- » cumque, etiam Conciliorum ge- » neralium, et ipsius Tridentini, » mutationes, derogationes, ratas et » firmas, ac respective rata atque » firma esse et fore, suosque ple- » narios et integros effectus obti-

» nere; sicque et non aliter in » praemissis per quoscumque Iu» dices Ordinarios et Delegatos, » etiam causarum Palatii Aposto» lici Auditores, ac S. R. E. Car» dinales, etiam de latere Legatos, » et Apostolicae Sedis Nuntios, ac » quosvis alios quacumque praee» minentia ac potestate fungentes, » et functuros, sublata eis, et eo» rum cuilibet quavis aliter iudi» candi ac interpretandi facultate, » et auctoritate, iudicari ac defi» niri debere; et irritum atque » inane esse ac fore quidquid su» per his a quoquam quavis aucto» ritate, etiam praetextu cuiuslibet » privilegii, aut consuetudinis indu» ctae vel inducendae, quam abu» sum esse declaramus, scienter vel » ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis, » aliisque quibuslibet ordinationi» bus, constitutionibus, privilegiis, » etiam speciali et individua men» tione dignis, nec non consuetu» dinibus quibusvis, etiam imme» morabilibus, ceterisque contrariis » quibuscumque.

» Nulli ergo omnino hominum » liceat hanc paginam nostrae Con» stitutionis, ordinationis, limita» tionis, suppressionis, derogatio» nis, voluntatis infringere, vel ei » ausu temerario contraire. Si quis » autem hoc attentare praesumpse» rit, indignationem Omnipotentis » Dei et Beatorum Petri et Pauli » Apostolorum eius, se noverit in» cursum.

» Datum Romae apud s.Petrum, » anno Incarnationis Dominicae Mil» lesimo Octingentesimo Sexagesi» mo nono, Quarto Idus Octobris, » Pontificatus Nostri anno vigesimo » quarto ».

M. Card. Mattei *Pro-Datarius*

N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia
Dominicus Bruti

Lo † co Plumbi

I. Cugnoni

In expendenda hac postrema parte Constitutionis *Apostolicae Sedis,* agemus 1°. de revocatione facultatum et privilegiorum absolvendi a censuris Romano Pontifice in Constitutione reservatis. 2°. De facultate Episcopis facta absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis ad tramites Capitis *Liceat Sess. XXIV Cap. VI de Reform.* 3°. Demum, si necessarium fuerit, aliquid circa clausulas derogatorias adnotabimus.

CAPUT I.

De facultatum et privilegiorum absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis revocatione.

Expositioni huius Capitis initium damus iis quae cl. Petrus Avanzini protulit in suis Commentariis, *Edit. 3 manualis, pag. 98 n. 59:* Vetustissimus est in Ecclesia catholica usus, quo Romana Sedes et

Episcopi quorumdam criminum absolutionem sibi reservant, sive ob censuram reservatam appositam, sive nulla censura adiecta; de qua re in *Sess. 14 De Sacram. Poenit. cap. 7* sic Patres Tridentini sunt loquuti: *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.*

Hac facultate utitur Romanus Pontifex in bonum Ecclesiae et fidelium, disciplinae ecclesiasticae, quoad praecipua sua principia, in suo robore conservandae causa, et ut fideles gravitatem criminum, quibus sese aliquando commaculant, magis magisque cognoscant, eaque detestentur, cum perspiciunt ea et censuris fuisse consepta, et absolutionem supremis Ecclesiae Pastoribus reservatam.

Cum autem dum casus reservat, non vult Romanus Pontifex ut ardua nimis atque difficilis evadat absolutio, ideo facultates speciales communicat maiori Poenitentiario, quas exposuit Benedictus XIV in sua Constitutione *Pastor bonus* edita die 13 Aprilis 1744; atque praeter facultates quae in ea describuntur, alias quoque eidem pro rerum supervenientium varietate Pontifex tribuit; et idipsum facit relate ad alterum tribunal quod christiano nomini propagando praesidet quoad omnes qui in locis missionum versantur. Per eiusmodi tribunalia non solum conceduntur facultates quae pro singulis casibus petantur, sed dantur quoque Episcopis ampliores minoresque, pro variis in quibus versantur locis, facultates absolvendi a censuris S. Sedi reservatis. Etiam Episcopi et Confessarii obtinere possunt similes facultates; quae quidem ad tempus determinatum eis conceduntur.

Hisce praemissis, duo circa revocationes a Legislatore decernuntur; primo quidem in novis concessionibus quae absolvendi a censuris R. Pontifici reservatis fiunt, necessario exprimendam esse concessionem facultatis absolvendi a censuris Sanctae Sedi reservatis, ut haec intelligatur in concessis facultatibus comprehensa. *Nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit.* Quae verba sunt apprime notanda. Etenim per adiectivum *formalis* excluditur forma consueta, qua aliquando conceditur facultas absolvendi a censuris; per adiectivum *explicita* intelligitur, in facultatibus concessis exprimendam esse absolutionem a censuris reservatis Romano Pontifici in Constitutione *Apostolicae Sedis*. Per adiectivum *individua* exprimendum esse a qui-

bus censuris ea in constitutione reservatis fiat absolvendi facultas; utrum ex. gr. ab censura lata in *perpetrantes duellum* aut *in violantes clausuram monialium, aut in reos simoniae realis, confidentialis* etc., ita ut generica et simplex facultas absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis in Constitutione *Apostolicae Sedis,* non adiecta individua censurarum denominatione, satis non esse videatur ad eiusmodi concessionem demonstrandam; hinc etiamsi detur facultas absolvendi ab omnibus censuris reservatis simpliciter in cit. Const. Romano Pontifici, illae sunt individualiter exprimendae a prima usque ad ultimam.

Huius rei exemplum habemus in Facultatibus quas s. Poenitentiaria concedere solet post latam Constitutionem *Apostolicae Sedis.* In illis enim individua fit mentio illarum censurarum, quarum absolvendarum facultas conceditur. Ex. gr. absolvendi ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas iniectas sive in Clericos sive in Regulares; contra duellantes; ob violationem clausurae regularium, ob lectionem et retentionem librorum prohibitorum etc. Huius autem ratio esse potuit, quia difficillime Legislator concedere vult facultates absolvendi a censuris omnibus, quas sibi reservavit, sed ab illis tantum quae, habita ratione temporum, locorum, et circumstantiarum frequentius incurruntur, et ideo facultates ab iis absolvendi magis necessariae sunt. Quod de Pio Papa IX evidentiori ratione dicendum est, qui cum censuras limitasset, eorum quas sibi reservavit severiorem esse rationem absolvendi voluit.

Quid ergo si ex. gr. Maior Poenitentiarius alicui concedat facultatem absolvendi a censuris omnibus Romano Pontifici reservatis in Constit. *Apostolicae Sedis,* non expressa individua illarum mentione? Valeretne eiusmodi facultas? Respondemus, eiusmodi casum difficillime contingere, etiam dato et concesso quod Maiori Poenitentiario a Romano Pontifice facta fuerit eiusmodi facultas. Etenim Maior Poenitentiarius optime novit legem, et illi observandae, non transgrediendae, sedulam navat operam.

Attamen si reapse eiusmodi casus contingeret, affirmamus, ita concessas facultates nullius roboris futuras. Etenim Legislator ad valorem facultatum concessarum absolute exigit, ut de censuris quarum absolvendarum conceditur facultas, fieri debeat *formalis explicita* et *individua mentio.* At in facultatibus in genere concessis haec legislatoris voluntas nullo pacto adimpleta fuit; lex ergo violata fuit, una cum conditione necessaria ad valorem facultatum concessarum. Profecto haec Legislatoris verba: *nullo modo ac ratione intelligi umquam debere aut posse com-*

prehendi etc. *nisi* etc., excludunt quamlibet mitiorem aut contrariam interpretationem. Etenim nedum excludunt factum, sed etiam possibilitatem factae concessionis.

Hisce circa novas facultates post Constitutionem *Apostolicae Sedis* concedendas decretis atque constitutis, Legislator ad revocandas facultates iam concessas sese convertit; easque omnes etiam sub privilegiorum nomine *cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto etiam regulari cuiusvis speciei* etc., sive ab ipso Legislatore, sive a praedecessoribus Pontificibus concessas revocat, et sua Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse vult, quavis firmitate roboratae forent. Ideoque facultates illae ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* concessae nullius roboris sunt aut esse de cetero possunt. Duo tamen hoc in loco sunt advertenda. 1° quidem Legislatorem non loqui de facultatibus personalibus, quae scilicet alicui particulari personae concessae fuerant peculiari de causa, sed de facultatibus realibus concessis ordinibus et Institutis quibuslibet sive regularibus, sive saecularibus; consequenter facultates personales, non obstanti eiusmodi revocatione, integras et intactas permanere.

Quod nedum ex verbis Constitutionis intelligimus, sed etiam ex sequenti declaratione s. Poenitentiariae. Cum enim ad eam propositum fuisset dubium: « An Praelati » Regulares post Constitutionem » *Apostolicae Sedis* iisdem privile- » giis gaudeant quibus antea, id » est possint, nec ne, suos subdi- » tos absolvere a casibus papalibus » in dicta Constitutione simpliciter » reservatis? »

Sac. Poenit. die 5 Decemb. 1873 respondit: Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis (1).

Ergo 1°. post Const. *Apostolicae Sedis* Praelati regulares non possunt absolvere suos subditos, multo minus extraneos, a censuris simpliciter Romano Pontifici reservatis in dicta Constitutione.

2°. Eos tamen possunt absolvere vi facultatum, quae promanant ex rescriptis particularibus. Hae qua de causa particulares facultates integrae manent (2).

Alterum quod observare debe-

(1) Acta S. Sedis *Tom. IX, pag. 314.*

(2) Idipsum declaratum fuerat per Supremam Inquisitionem die 15 Iunii 1870. « Itaque decreverunt (Eminentissimi Inquisitores): Per Constitutionem Sanctissimus » Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus » cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis » concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respi- » cientes praesens Iubilaeum; atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tem- » pore perdurante in dictis concessionibus sive Indultis praefinito ». Acta S. Sedis *Tom. VI, pag. 433.*

mus est, per eiusmodi revocationem revocatas non esse facultates concessas sive Praelatis regularibus, sive Institutorum piorum Rectoribus, sive aliis ad Ordines et Instituta illa pertinentibus absolvendi a censuris quamvis R. Pontifici reservatis quae latae fuerunt pro eorum interno regimine, ut in superiori diximus Appendice.

Animadvertendum demum putamus; quod si quis temerarius ab eiusmodi Romano Pontifici simpliciter reservatis censuris extra casum necessitatis absolveret, peccaret quidem graviter, et absolutio nulla foret; attamen nullam exinde excommunicationem incurreret, cum haec lata fuerit in praesumentes absolvere a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis: nec lex poenalis extendi potest de casu in casum. At circa eiusmodi reservationes legantur quae etiam scripsimus *Comm. Nost. Tom. 1 pag. 437 seqq.*

CAPUT II.

De Facultate Episcopis facta absolvendi a censuris R. Pontifici simpliciter reservatis.

Concessionem eiusmodi Pius Papa IX fecit Episcopis ad tramites Cap. *Liceat Sess. XXIV cap. VI de reform.* His porro verbis Caput illud Tridentini Patres tulere: « Li» ceat Episcopis in irregularitatibus » omnibus et suspensionibus, ex de» licto occulto provenientibus, ex» cepta ea, quae oritur ex homici» dio voluntario, et exceptis aliis » deductis ad forum contentiosum, » dispensare, et in quibuscumque » casibus occultis, etiam Sedi Apo» stolicae reservatis, delinquentes » quoscumque sibi subditos in dioe» cesi sua per seipsos aut Vicarium » ad id specialiter deputandum in » foro conscientiae gratis absolvere, » imposita poenitentia salutari. I» dem et in haeresis crimine in » eodem foro conscientiae eis tan» tum, non eorum vicariis, sit per» missum ».

Pius Papa IX loco superius recitato hanc facultatem firmam esse voluit in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi per Constitutionem suam simpliciter reservatis, exceptis speciali modo eidem Apostolicae Sedis reservatis. Qua de causa Episcopi absolvere possunt nedum in excommunicationibus, sed etiam in suspensionibus et interdictis simpliciter reservatis; inquit enim: *in quibuscumque censuris.*

Cum dispensatio eiusmodi sit actus iurisdictionis non indigens consecratione, concedi poterit ab Episcopo electo et confirmato, quamvis nondum consecrato, excepta tamen dispensatione ab irregularitate proveniente ex delicto occulto quoad susceptionem et ministrationem Ordinum, quam unus Episcopus consecratus concedere potest. Confer Fagnanum *ad Caput XXXII Cum illorum de sent.*

extrom. n. 31. Nemo tamen putet, episcopi nomine unum propriedictum Episcopum quamvis nondum consecratum venire; etenim sub eo venit etiam Vicarius Capitularis, ad quem privative transit iurisdictio Episcopalis, et ipsum etiam venit Capitulum infra illos octo dies ab Episcopi morte computandos quibus eligere Vicarium Capitularem tenetur (1). Insuper Vicarii generales qui unum tribunal cum Episcopis constituunt, atque abbates nullius Dioecesis in territorio determinato iurisdictionem quasi Episcopalem habentes (2). Attamen hi

(1) Alterius, *De Suspensionibus Tom. II, pag. 133 Col. 1* contrarium censet: Scribit: « Ex eodem fundamento infertur, Capitulum Ecclesiae cathedralis uti non » posse hac iurisdictione dispensandi Sede vacante; licet enim Capitulum succedat » in iurisdictione episcopali, tamen non succedit in facultate dispensandi in casibus specialiter concessis ex iure Episcopis, nisi ipsum ius, vel consuetudo legitime praescripta ita declaret hanc Episcopi facultatem, quia illud privilegium » est concessum soli Episcopo privative quoad omnes alios; ergo excludit etiam » Capitulum Sede vacante; Capitulum enim per se succedit solum in ordinaria » Episcopi iurisdictione. At haec facultas dispensandi convenit Episcopo non iure » ordinario, sed extraordinario ».

Sed ad haec notamus 1°. quaestionem in eo versari; an sub Episcopi appellatione veniat unus tantum Episcopus proprie dictus; hinc probatione indiget propositio: *illud privilegium est concessum soli Episcopo privative.* 2°. Cum eiusmodi facultas in iure relata sit, de ordinaria facta est Episcoporum facultate; et absolutio a censuris generice loquendo est actus iurisdictionis, haec autem al Capitulum, per Vicarium Capitularem integra transit. 3°. S. Congregatio Concilii non semel rescripsit: Episcopos vigore Cap. VI Sess. XXIV de Reform. non posse absolvere nec dispensare in casu haeresis, neque in aliis nova lege (Bulla Coenae) post Concilium Sedi Apostolicae reservatis. Verum in his casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante. In Cremonen. 4 Decembr. 1632. Ad formam rescriptionis Cremonen. resolutum fuit in *s. Severinae 18 Iun. 1796. Ita in Declarationibus et Resolutionibus ad s. Conc. Trid. Edit. Neapol. 1859.* Ergo facultates Episcopis factae in Cap. *Liceat* ad Capitulum et Vicarium Capitularem transeunt, ni per alia Pontificia decreta revocatae fuerint.

(2) De hisce ita s. Alphonsus VI, 393. « Eamdem facultatem habent Vicarii » Capitulares Sede vacante, ut dicunt communiter Sanchez etc. An autem eamdem » facultatem habeant Abbates et alii praelati habentes iurisdictionem quasi Epi» scopalem? Negant Concina, Barbosa, etc., ex quadam declaratione S. C. ubi dictum » fuit: *In hoc decreto Tridentino non comprehenduntur habentes iurisdictionem or» dinariam et quasi episcopalem, sed tantum Episcopi privative quoad omnes alios.* » Ratio quia talis facultas specialiter Episcopis est concessa, et in concessionibus » stricte interpretatio facienda est. Affirmant vero Sanchez, Salmant, Fagnanus etc. » Ratio, tum quia, ut probat Fagnanus, nomine Episcoporum veniunt etiam Prae» lati qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem privative ad Episcopos; tum » quia quando concessio facta est in iure, habet rationem legis, quae extendi debet » ad omnes casus ubi eadem ratio currit; eadem autem ratio procul dubio currit » pro Episcopis quam pro huiusmodi praelatis quia alias eorum subditi non habe-

Abbates relate ad Dioecesanos tantum eiusmodi facultate pollent, non autem relate ad suos subditos Monachos; etenim quoad hos se habent uti alii Superiores regulares, quibus post Const. *Apost. Sedis* adempta est facultas absolvendi suos subditos a censuris quibuslibet Rom. Pontifici simpliciter reservatis. Hac pariter facultate non gaudent Cardinales in Ecclesiis suis titularibus, quod a Gregorio XIII decretum Fagnanus affirmat. Animadvertere etiam oportet, Episcopos regionum, in quibus Concilium Tridentinum receptum non fuit, nullo pacto gaudere facultatibus concessis in cit. Cap. *Liceat*. Cum enim decretum illud non acceptaverint, nec eo frui possunt. De cetero Fagnanus in *Cap. Dilectus 15 De temp. ordin.* id a s. Congr. Concilii declaratum fuisse affirmat: *Ex sententia s. Concilii Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est, non posse uti facultate in hoc Decreto concessa.* Apud s. Alphons. VII, 80. Atque eandem declarationem ad idem demonstrandum allegat Benedictus XIV *De Synodo Dioeces. lib. IX cap. V n. 2;* haec subdens: « Equidem cum facultas absolvendi ab haeresi occulta, unice » ex Concilio Tridentino in Episcopos dimanaverit, non potuit illam » participare, qui Tridentino adito tum in suam Dioecesim occlusit; » neque aequum est ut id commodi ex Concilio reportent, qui » eius onera subire detrectant ».

Eiu modi sed vero Benedicti XIV verba ad aliam quaestionem dirimendam nos compellunt. Certum est, per reservationem criminis haeresis factam in Bulla coenae derogatum esse Cap. *Liceat,* ita ut, huius vi, non possent de cetero Episcopi absolvere ab occulto haeresis crimine. Quod praeter Benedictum XIV *loc. cit. Cap. IV, n. VII* docent, et demonstrant alii plurimi ab ipso citati, atque etiam doctissimus Giraldi *Expositio Iuris Pont. Tom. II pag. 1005 Sect. 132.* Quid ergo post Pianam Constitutionem circa eiusmodi quaestionem decernendum est? Rediit ne ad Episcopos eiusmodi facultas absolvendi per seipsos ab eiusmodi occulto haeresis crimine, vel adhuc ea privati censendi sint?

Respondemus, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* ad Episcopos eiusmodi facultatem rediisse; privo quidem quia Pius Papa IX,

» rent ad quem recurrerent pro absolutione praedictorum casuum. Neque obstat, » ait Sanchez, Declaratio s. Congregationis, quia de ea non constat authentice. An » Praelati regulares hanc habeant facultatem in subditos? Affirmat Sanchez... ob » Bullam s. Pii V. Sed negat Croix ex Decr. S. C. et Mendo confutat dictam Bul» lam. Quidquid tamen de tempore ante promulgatam Pii IX Constitutionem fuerit, » certum nunc est ex s. Poenitentiariae decreto, Praelatos regulares non posse ab» solvere suos subditos a censuris Romano Pontifici reservatis ».

nulla facta exceptione, primam esse vult facultatem absolvendi Episcopis in cit. Cap. concessam. At in cit. Cap. expressis verbis conceditur Episcopis: *Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum non eorum vicariis sit permissum.*

Facultas absolvendi ab haeresi occulta Episcopis concessa per Cap. *liceat* abrogata fuerat per Bullam in coena Domini legi solita. Sed per Constitutionem *Apostolicae Sedis* de ea Bulla tantum viget, quantum in praedicta Constitutione insertum est. Cum igitur in Const. *Apostolicae Sedis* nullo pacto reservata sit speciali modo Romano Pontifici facultas absolvendi ab haeresi occulta; in integrum restituta dicenda est Episcopis facultas concessa absolvendi ab haeresi occulta per Caput *Liceat.*

Legislator ad tramites Capitis *Liceat* concedit Episcopis facultatem absolvendi a quibuscumque censuris in sua Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declarat: Atqui inter censuras speciali modo reservatas adest tantum lata in apostatas a fide catholica, et manifestos haereticos, atque in legentes eorumdem haereticorum libros haeresim propugnantes; quibus sub nominibus non veniunt haeretici occulti. E contra inter censuras simpliciter reservatas adest prima qua excommunicantur *docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena* latae sententiae. At inter propositiones huiusmodi quaedam sunt prorsus haereticae et uti haereticae damnatae; ergo qui aliquam ex hisce propositionibus doceret esset manifeste haereticus. Cum igitur Episcopis fiat facultas absolvendi ab omnibus censuris Romano Pontifici in Constitutione *Apostolicae Sedis* reservatas ad tramites Cap. *Liceat,* fit certe facultas absolvendi illos haereticos, qui occulte docuere aliquam propositionem haereticam ab Apostolica Sede damnatam.

Quid ergo si docuerit aliquem alium errorem ab Apostolica Sede directe non damnatum, sed ab aliquo Concilio?

Resp. Hic vel pertinet ad aliquam sectam haereticam; et hoc in casu comprehenditur sub cap. 1 tit. 1, vel ad nullam haereticam sectam pertinet, et docuit vel occulte, vel publice: Si publice, absolvendus est ab Rom. Pontifice; si occulte, absolvi potest ab Episcopo; etenim si Episcopus potest absolvere haereticum defendentem occulte propositionen haereticam ab Apostolica Sede damnatam, quid ni alias dummodo non pertineat ad aliquam haereticam sectam?

Exinde Episcopi absolvere etiam potuissent ab censuris occultis incursis ob Simoniam in ordine, in qua Xistus V Const. *Sanctum et*

salutare lata die 5 Ianuarii 1588 Tridentino Decreto derogaverat; quam quidem Clemens VIII reduxerat ad terminos iuris communis, attamen praeservatis censuris et poenis in ea latis contra simoniacos in Ordine. At cum Pius Papa IX de eiusmodi censura in sua Constitutione siluerit, ea abrogata censenda est.

Cum itaque Episcopis aliisque iurisdictionem quasi Episcopalem in determinato territorio exercentibus, non aliis, facta fuerit a Pio Papa IX facultas absolvendi ab omnibus censuris in Const. *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici simpliciter reservatis, ad tramites *Cap. Liceat,* expendamus quinam sint hi limites, quos infra exercere concessam facultatem possunt Episcopi.

Et quidem, excluso semper homicidio voluntario, delictum debet esse a) occultum. Occultum autem dicitur *quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari etiamsi per aliquos testes probari possit* (1).

Occultum, scilicet, e diametro opponitur publico. Publicum autem censetur quod notum est fere omnibus, aut saltem maiori parti Oppidi, Viciniae, Parochiae, Collegii, seu Monasterii (S. Alphon. VII 76).

Consequenter errant qui affirmant delictum esse publicum si commissum sit coram duobus aut tribus testibus et probari possit (2).

Delictum autem potest esse occultum *materialiter* et *formaliter:* materialiter quidem si factum lateat; formaliter si lateat culpabilitas. Rem exemplis illustrat Benedictus XIV *Inst. 27 n. 48.* « Si » quis monialium claustra ingressus » fuerit absque facultate, quam ta- » men ipsi concessam antea ceteri » omnes arbitrantur; item si quis » hominem consulto interfecerit, » populus tamen iudicet id fortuito » contigisse ut vitam suam tuere- » tur; tandem si quis excommuni- » catus rem divinam fecerit, ante-

(1) S. Alphons. *VI. 593.* Atque plures pro eiusmodi definitione doctores eosque praestantissimos allegat.

(2) Id contradixit praestantissimorum scriptorum sententiae, quos citat Benedictus XIV *Inst. 87 n. 451* quo loco scribit: « M. Paulus Leo haec tradit: *Dicendum secundo, notitiam duorum, vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum.* Thesaurus etiam ita scribit: *Etiamsi res sit nota duobus vel tribus, res occulta dicitur. Item si quinque vel sex personis in aliquo oppido, vel septem aut octo, in civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta.* Tiburtius Navarrus item plane fatetur: *Res adhuc est occulta si in oppido est nota quinque, aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata.* Syrus *pag. 269* haec habet: *Si delictum sit notum duobus vel tribus alicuius loci, aut Communitatis, aut Capituli, occultum censetur. Si in oppido sit notum quinque, aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc censetur occultum.*

» quam illis vinculis ac poena sol-
» veretur, illum tamen absolutum
» omnes putent. » Hisce porro in exemplis deest publicitas formalis, cum homines ita agentes nemo delinquentes habeat ; adest tamen publicitas materialis.

Veram tamen illam sententiam non putamus, qua propugnatur, delictum aliquod uti occultum habendum esse quando ignoratur poena crimini adnexa; quam sententiam amplecti videtur cl. D'Annibale *Com. pag. 135 Edit. 3 not. 11* (1), pro eaque adstruenda ipsum Benedictum XIV citat. Primum enim doctissimus hic Pontifex loco prorsus ab eo citato huic sententiae adversatur; inquit enim: « Contra vero est, si crimen pu-
» blice innotescat, licet omnes fere
» ignorent poenam ipsi crimini ir-
» rogatam, quae *ignorantia iuris*
» dicitur. Exemplum afferatur de
» muliere, quae consilium nefarium
» iniit cum alio viro de marito ne-
» cando. Si hoc scelus in populum
» evulgatum certo fuerit, licet per-
» pauci intelligant ob hanc causam
» *criminis* impedimentum inter-
» poni, ne eadem mulier post il-
» latam marito necem cum illo sce-
» lesto homine matrimonio iunga-
» tur; si, inquam, id contingat,
» tum rem captu difficilem semper
» existimavimus impedimentum hu-
» ius generis tamquam occultum
» haberi posse, litterisque paren-
» dum Poenitentiariae, quibus illud
» decernitur; *dummodo occultum;*
» et profecto si hoc statueretur,
» iam crimen omne affinitatis *ex*
» *copula illicita,* et omne impedi-
» mentum *criminis,* licet haec pu-
» blica sint, dispensari tamen po-
» terunt tamquam occulta. Nam
» satis experientia compertum est,
» omnia impedimenta (si illud con-
» sanguinitatis et affinitatis ex co-
» pula licita solum omittas) ignota
» esse non modo oppidanis, sed
» illis etiam qui in magnis civita-
» tibus versantur. Postremo nos
» ipsi iureriurando affirmare pos-
» sumus, per tot annos, quibus
» S. Poenitentiariae addicti fuimus,
» suffragiumque nostrum, cum res
» eiusmodi proponerentur, scri-
» ptum, seu voce tenus dedimus,
» semper in more positum fuisse,
» ut impedimentum publicum *ma-*
» *terialiter,* spectaretur, et num-
» quam eo nos devenisse, ut exa-
» men fieret, an impedimentum

(1) En eius verba: Vid. Benedictus XIV, Not. 87, nn. 47, 48. « Veluti si Seius
» Monialium Septa sine licentia fuerit ingressus; siquidem ignoratur ingressum
» fuisse, factum *materialiter* occultum dicitur; sin autem id scitur, sed creditur
» non sine licentia ingressus fuisse (error facti); vel sine licentia quidem, si ne-
» scitur ingredientes excommunicationem contrahere (error iuris), factum formaliter
» occultum dicitur. Itaque Episcopus ab solvere poterit, nedum si peccatum occultum
» fuerit materialiter, sed et si formaliter tantum: seu error facti versetur, quod
» nemo dubitat; seu iuris, quod est communius ».

» *formaliter* occultum censendum » esset. P. Thesauri auctoritatem » proferamus, qui superius allatam » sententiam improbat, tamquam » S. Poenitentiariae institutis ac » consuetudini omnino contrariam, » cui se accommodare debent, qui » ipsius litteras ac diplomata exe- » quuntur. *Aliqui* (ait Thesaurus) » *audent ulterius, et dicunt; et- » iamsi sit publicum ut delictum, » si tamen sit occultum in ratione » poenae annexae a iure, posse dis- » pensari vel absolvi ab illa tam- » quam in occultis. Tamen con- » trarium tenendum est, quia hoc » est iuris ignorantia quae non » excusat ad hunc effectum, et hoc » observat S. Poenitentiaria* » (1).

Attamen nedum S. Poenitentiaria, sed ipsa S. Concilii Congregatio contrariam sententiam improbavit. Etenim apud Fagnanum eiusmodi declarationem reperimus. « An vigore » *Cap. 6 Sess. 24 de Reform.*, » possit Episcopus absolvere ab ir- » regularitate proveniente a delicto, » quod licet publicum sit in se, ta- » men tamquam causa irregulari- » tatis occultum censeri potest; » quia licet actus publicus sit de- » lictum, publice tamen nescitur » esse delictum? Die 9 Septem- » bris 1582 S. Congregatio censuit, » quando delictum ex quo pro- » venit irregularitas est publicum, » quamvis actus ille, quo interve- » niente irregularitas incurritur, » occultus sit, Episcopum dispen- » sare non posse, veluti si Sacerdos » publice excommunicatus, vel no- » torie simoniacus occulte missam » celebraverit; quod si delictum » occultum est, ut puta excommu- » nicatio vel fornicatio, actus vero » missam celebrandi, ex quo irre- » gularitas incurritur, publicus, » posse nihilominus Episcopum ab » omni irregularitate absolvere ex » dicto *Cap. 6.* »

Ita ut non intelligamus quomodo contraria sententia sustineri possit.

Potest tamen contingere ut delictum publicum quidem sit in alio loco, occultum vero ubi moratur qui dispensandus est, nec ullum subsit divulgationis periculum. Quid?

Profecto ab eo Episcopus dispensare potest. Quod nedum doctores plurimi affirmant cum S. Alphonso *L. VII n. 78*, sed ipse Benedictus XIV *Inst. 87 n. 46.*

Id autem ex ipso Capite Tridentino probatur, ex quo deprehenditur, delictum occultum esse debere eo in loco, in quo dispensatio concedenda est; eius enim absolutio imponitur singulis Episcopis in Dioecesi sua.

Quam eamdem dispensationem Episcopi concedere poterunt, si aliquando delictum fuerit publicum, postea occultum evaserit. De re ita loquitur Benedictus XIV *Inst. cit.*

(1) Putamus hinc cl. D' Annibale ab aliquo auctore in errorem inductum fuisse, non quod ipsemet hunc Benedicti XIV locum legerit.

n. 47. « Secundo inquirunt utrum » impedimentum quod fuit ali- » quando publicum, diuturnitate » temporis occultum fieri possit, » ita ut dispensatio tribuenda vi- » detur. Quidem Marcus Paulus Leo » sic respondet: *Notandum quarto,* » *et ultimo, non implicare, quod* » *aliquid a sua origine et principio* » *fuerit publicum, et tractu tem-* » *poris fiat occultum. Tempus enim* » *omnia devorat, et quae non delet* » *ab hominum memoria diuturnitas* » *temporis? Hoc autem genus oc-* » *cultorum etiam pluries meo tem-* » *pore Signatura Officii Sac. Poe-* » *nitentiariae admisit, sed non eo-* » *dem modo in omnibus casibus;* » *in dispensationibus matrimonia-* » *libus per decennium; in irregu-* » *laritatibus per viginti et triginta* » *annorum spatium* ».

b) Alia conditio, seu limes ad absolvendum Episcopis impositus est, ne crimen deductum sit ad forum contentiosum: *excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.*

Attamen quaestio est inter doctores utrum ad hanc deductionem ad forum contentiosum satis sit quod delictum iudici ecclesiastico fuerit tantum denuntiatum, vel insuper necessarium sit ut delatio fuerit reo intimata.

Alterius *De Censuris Disp. VIII. pag. 132.* unam denunciationem exigit: « Dicitur autem delictum » deductum ad forum contentio- » sum statim ac denunciatio, aut » accusatio de illo coram legitimo » iudice facta est, quia Concilium » non postulat ut delictum sit pro- » batum aut condemnatum per sen- » tentiam iudicis, sed solum ut sit » deductum; deducitur autem per » denunciationem, vel accusatio- » nem ».

At aliis, quos inter cl. Reiffenstuel *Ius. Can. Univ. lib. V Decret. Tit. XII n. 232* id satis non est, sed insuper requirunt et exigunt ut lis contestata fuerit. Ratio est, quia forum contentiosum dicitur ex eo quod in illo contendatur, seu litigetur; atqui non contenditur in eo, donec inter partes litigantes detur contradictio et contentio, quod fit per litis contestationem.

Quae sententia adeo S. Alphonso placuit, ut etiam exegerit probationem criminis saltem per unum testem: *Tunc autem crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem*, VII. 76.

Sunt autem qui mediam viam arripiunt, atque exigunt etiam ut delatio reo fuerit intimata. Hanc sententiam alios inter defendit Schmalzgrueber *Ius Can. Lib. V. Tit. 37, n. 116,* quo loco scribit: « Ad Forum contentiosum de- » ductum censetur delictum quan- » do delatum est iudici, et insuper » delatio parti intimata. Unde si » delatum quidem sit iudici, non » tamen intimatum parti, dici ne- » quit deductum ad forum conten-

» tiosum. Imo quia iuxta commu-
» nem sententiam iudicium primum
» incipit a contestatione litis, po-
» terit Episcopus, usquedum Rs
» contestetur, in irregularitate dis-
» pensare ».

Non inficiamur, unamquamque sententiam opportunis argumentis defendi posse. Postremam tamen veriorem existimamus.

Revera illud hac in quaestione nobis certum videtur, quod recedendum non sit nec a verbis legis, nec a fine, quem sibi legislator in lege statuenda sibi praestituit. Finis autem est, ne per publicum iudicium crimen manifestum et notorium fiat. At hoc periculum reapse adest cum crimen denunciatum legitimo iudici fuit, et delatio parti intimata; hoc enim in casu iam intercedunt acta publica delata per publicos Tribunalis officiales, quorum causa impossibile fere est, vel absolute impossibile, ut crimen de cetero latere possit.

2. Iuxta leges constitutas, iudicium tunc incipit cum post criminis delationem, haec parti intimatur. Id constat ex Cap. *Gratum 20 De officio et potest. iudicis delegati,* in quo dicitur, quod *citatione facta, negotium sit quasi coeptum:* et ex cap. *Nemini 10 De officio Legati,* quo affirmatur legatorum iurisdictionem in iudicio aliquo cessare, ni praecesserit citatio: *cum iurisdictio illorum expiret, si ante illorum discessum horum citatio non praecesserit.* Ergo post delationis intimationem, seu citationem delinquentis ad comparendum contentio iudicialis vel incoepta dici potest, vel ad eum statum deducta, ut incipere debeat; ideoque impossibile est ut crimen lateat.

At 3. Ex Concilii Tridentini verbis in cit. Cap. *Liceat,* nullo pacto eruitur disceptationem iudicialem inter partes incipere debuisse, quo crimen notorium fiat; sed neque erui potest; cum enim disceptatio incoepta est, iam crimen publicum evasit; etenim examinati fuerunt testes, causidicis seu advocatis utrimque defensio commissa, omnibus Curiae officialibus crimen notum est, consequenter non septem vel octo, sed sexcentis etc. Finem igitur quem sibi praestituerunt, Patres Tridentini assequi non potuissent eo casu quo contentiosa disceptatio coram iudice incoepta fuisset; crimen enim iam notorium factum esset. Ergo loquuti intelligendi sunt de eo causae statu, quo impossibile fere est ut crimen de cetero latere possit; qui certe reperitur cum facta delatio delinquenti intimata fuit.

Exinde ad sententiam propugnatam a cl. Reiffenstuel et S. Alphonso responderi potest, crimen iam esse publicum cum de eo coram iudice inter partes disceptatur, vel probatum est per unum testem; consequenter frustra Tridentinos patres cavisse per eiusmodi ad forum contentiosum deductionem ne

crimen notorium fieret. Etenim iam notorium factum fuisset.

4°. Id, ni tamen fallimur, postremo loco probamus ex declaratione quadam S. Congreg. Concilii Trid. relata a Fagnano in lib. V. Decret. « An illi qui ratione delictorum » fuerunt inquisiti, sed quia non » potuerunt delicta probari, non » fuerunt quidem diffinitive, vel » alio modo absoluti, sed simplici- » ter dimissi, scripta promissione » de se repraesentando, possint uti » beneficio *Cap. 6. Sess. 24.* Sacra » Congregatio censuit *non posse.* »

Atqui actore non probante, reus absolvitur; et nemo praesumitur malus nisi probetur. Unde ergo S. Congregatio rescribere potuit illud *non posse* nisi quia per novam disceptationem delicta poterant probari? Ergo censuit non esse absolvendum ab irregularitate vel censura quemlibet qui periclitaretur de criminis patrati manifestatione et notorietate.

Certum tamen est, illum absolvi posse qui, quacumque demum de causa, et medio adhibito, etiam illicito, a iudice dimissus est innocens. Hoc enim in casu fama accusati redit in pristinum. Quae de cetero omnium Doctorum sententia est. Unum citabimus Benedictum XIV, *Inst. 87. n. 49.* « Ceteri, qui de his rebus scripserunt, occultum fore docent crimen, quod in foro contentioso » examinatur, si forte aliqua ex » iisdem sententiis comparetur per » falsos testes, aliasque rationes, » quae ab aequitate abhorrent. Nam » licet hoc pacto semper impedimentum supersit, infamia tamen » obliteratur, et crimen ipsum quibusdam tenebris obducitur. »

3°. Non quoslibet tamen Episcopus dispensare potest, at solum *delinquentes quoscumque sibi subditos;* eos scilicet qui in Dioecesi verum domicilium, vel quasi domicilium habent, tum *vagos,* qui nullum cum habeant domicilium, subiecti fiunt Episcopo in cuius Dioecesi versantur; demum *peregrinos* ob receptam eos absolvendi consuetudinem, et declarationem latam a S. Congregatione Concilii, quam refert Gallemartius in op. *Declarationes S. Congr. ipsis Concilii Trid. Canonibus et Decretis insertis Sess. XXIV, cap. 6. de Reform. n. 4,* quae ita legitur: « Quaerebatur, an » Episcopus in causa huius Cap. 6. » habeat facultatem dispensandi cum » suo Dioecesano absente in aliena » Dioecesi legitime impedito commorante? S. Congregatio censuit » quod forensis in casu huius Cap. 6. » potest absolvi in Sacramento poenitentiae ab illo Episcopo in cuius » Dioecesi vel civitate commoratur, » non autem ab alio dispensari. Facit ad hoc, quod nuntii qui possunt absolvere excommunicatos » ob iniectionem manus in clericos, » non possunt absolvere subditos » extra provinciam. Accedit etiam » quod Concilium loquatur de absolutione Sacramentali in foro

» conscientiae, quae requirit praesentiam, exemplo confessionis, quae non potest fieri per nuncium vel per litteram. »

At Dioecesanus ille absens in casu in alia Dioecesi, est peregrinus.

Quid vero de Regularibus, qui quamvis exempti ab Episcopi iurisdictione, tamen de Superiorum suorum licentia ad eos se convertunt ut absolvantur a casibus occultis Romano Pontifici reservatis? Profecto absolvi poterunt ab Episcopo; quam quidem sententiam plurimi iique praestantissimi Doctores defendunt. Nos unum Rotarium citabimus, qui in op. *Theologia Moralis Regularium Tom. III, Cap. 1. punct. II, n. 22,* ita hanc sententiam defendit: « Ratio est, quia, » esto Regulares sint exempti, tamen cum exemptio sit favor, non » debet retorqueri in eorum dispendium, iuxta regulam iuris in » 6°. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Retorquere» tur autem in eorum dispendium, » et Regulares fierent deterioris » conditionis quam ceteri de Dioe» cesi, si non possent habere re» medium animae in casu in quo » caeteri habent. Additur, ut bene » reflectit Bossius, quod exemptio » Regularium in favorem potissi» mum fuit inducta, ut quietius Deo » inserviant et ab ordinariis non per» turbentur (1) subiectio autem ad » ordinarium in praedicto casu huic » fini non nocet, imo favet quieti et » tranquillitati conscientiae, quam » ex absolutione quis reportat. Ne» que nocet quod sic subdendo se » fiat Episcopi subditus; quia haec » subiectio voluntaria est (2), de » licentia sui Praelati, in favorem » animae, et quoad forum internum, » quae omnia considerari debent, » et comparari cum aliis, in quibus » subiiciuntur Regulares Episcopis, » puta pro approbatione ad confes» siones saecularium, pro concioni» bus, missionibus, paroeciis, aliis» que pluribus, quae de se patent. » Unde valde miror, quod auctores » contrariae opinionis tanti faciant » hanc subiectionem adeo utilem » conscientiae Regularis, qui infe» liciter in dictum casum incidit, » ut velint eum potius diu manere » illaqueatum et irretitum, quam » de licentia sui Superioris prom» ptum remedium humiliter petere » ab Episcopo ».

Quibus addimus, allatas rationes eo magis nunc solidiores fieri quod

(1) Quanti faciendae sint, et quantum sint verae eiusmodi rationes pro exemptione Regularium ab Episcoporum iurisdictione Deus novit! Illis similes videntur quas Tertiariae Servorum B. M. Virginis Benedicto XIII exposuere, quod scilicet ob dependentiam ab Ordinariis patiebantur *animi perturbationem, et spiritus dispersionem.* De qua re Cf. Comment. *Tom. 1. Additio ad appendices, pag. 4,* et notam subiectam.

(2) Addere **potuisset** *et momentanea.*

per Constitutionem *Apostolicae Sedis* ablata sit Superioribus Regularibus facultas absolvendi suos subditos a casibus Romano Pontifici reservatis.

At 4° hos delinquentes Episcopus absolvere debet in *Dioecesi sua*. Circa eiusmodi quaestionem cl. D'Annibale haec scribit: « Illa » autem, verba *in propria* (sua) » *Dioecesi*, utrum ad absolvendum » referenda sint, an ad absolven» tem, non satis convenit; adeoque » sufficit si alteruter in ea verse» tur ».

Sunt in re et aliae sententiae, quas praetermittimus expendere, quia nobis verae minime videntur. Nos duo affirmamus: et verba in *Dioecesi sua* ad Episcopum referri: atque tum absolventem, tum absolvendum in Dioecesi esse oportere, ut hic absolvi possit.

Primum demonstramus *a*) ex quo subiectum Tridentini Capitis sunt uni Episcopi: *Liceat Episcopis*. *b*) Ex quo Tridentini ipsi Patres id disertis innuunt verbis, dum permittunt Episcopis nedum *delinquentes quoscumque sibi subditos* absolvere, sed addunt in *Dioecesi sua*, id est Episcoporum absolventium; si enim in alia, haec non esset Dioecesis neque subditorum, neque Episcoporum. *c*) Ex quo, iuxta grammaticae regulas, si Dioecesis referreretur ad illam in qua actualiter, quacumque demum de causa, uti vagi ex. gr. vel uti peregrini, subditi delinquentes commorantur, Tridentini Patres debuissent scribere *in Dioecesi eorum*. *d*) Sed hoc non satis consulto intelligere potuissent Patres Tridentini. Quamvis enim vagi et peregrini in foro conscientiae fiant subditi illorum Episcoporum, in quorum Dioecesi transeunt, vel commorantur; tamen vere et proprie illa ipsorum Dioecesis non est. At Patres Tridentinos vere et proprie loqui de vera et propria Dioecesi singulorum Episcoporum ex Capite evidentissimum est.

c) Tum ex eo quod praecipiant, hos delinquentes subditos in aliis criminibus absolvendos ab Episcopis per seipsos, vel vicarios ad id specialiter deputandos, in haeresis vero crimine per seipsos tantum in foro conscientiae. At credendi ne sunt Tridentini Patres praecepisse, ut Episcopi propriam Dioecesim egrediantur et deserant ad aliquem absolvendum?

Ex quibus demonstrata pariter est alia sententia, qua diximus, etiam subditos in Dioecesi Episcopi absolventis versari debere. Id vero demonstratur ulterius ex decreto S. Congregationis Concilii supra relato, quo Eminentissimi Patres affirmant, dioecesanum absentem et legitime impeditum in aliena Dioecesi commorantem absolvendum esse *in Sacramento Poenitentiae ab illo Episcopo in cuius Dioecesi vel civitate commoratur, non autem ab alio*, seu Episcopo subditi delinquentis. Atque idipsum demon-

strant alia duo argumenta ibi ad dita.

Certum ergo putandum est, tum Episcopum absolventem, tum absolvendum in propria Dioecesi versari debere, quo absolutio delinquenti subdito conferri possit.

5°. Hanc autem absolutionem Episcopis *per Seipsos* (et in haeresis crimine per seipsos tantum), *aut vicarium ad id specialiter deputandum* impertiri licitum est. Quod per seipsos nulla quaestio. At relate ad Vicarium ad id specialiter deputandum quaeritur, utrum hoc nomine Vicarius generalis intelligi debeat, an etiam alius quilibet Sacerdos, cui absolvendi in re potestas ab Episcopo fiat.

Eiusmodi quaestionem ita proponit et dirimit S. Alphonsus *lib. VI. n. 594. Dub. 9.* « An Episcopus » hanc facultatem Tridentini possit » generaliter aliis Sacerdotibus com- » mittere? Negant Henriq. Menoch. » Cordubaetc, qui dicunt posse tan- » tum delegare in casibus particu- » laribus, non vero generaliter. Id- » que inferunt ex verbis Concilii » in dicto Cap. *Liceat,* ubi conce- » ditur Episcopis facultas absolvendi » *per seipsos, aut vicarium ad id* » *specialiter deputandum.* Sed pro- » babilius et communius affirmant, » posse Episcopum generaliter com- » mittere vices suas quoad absolven- » dos casus papales occultos, quia » hoc modo iam alii Sacerdotes re- » putantur specialiter deputati: Ita Sanchez, Suarez etc. Ratio, quia » facultas haec competit Episcopis » iure ordinario, cum ipsa sit adnexa » dignitati episcopali, et ideo bene » potest alteri generaliter delegari. » Hinc recte ait Sanchez, Vicarium » Episcopi non habere potestatem » absolvendi ab his casibus ex ge- » nerali commissione Vicariatus, » nisi specialiter ab Episcopo com- » mittatur ».

Rationes vero adductae in cit. S. Alphonsi testimonio evidentissimae apparent. Certum est enim, facultates factas Episcopis in cit. cap. *Liceat* esse de ipsorum iure ordinario: certum insuper est, ex facultatibus eiusmodi concessis speciali modo, seu specialiter expressis in facultatibus concessis generaliter, constitui deputationem specialem ad casus contentos in Cap. *Liceat;* certum demum est, neque ex cit. Capitis Tridentini verbis, neque ex Episcoporum praxi, neque ex alio documento deprehendi Vicarium illum esse debere Vicarium generalem; ergo potest ad eiusmodi absolutiones impertiendas quilibet Sacerdos ab Episcopo deputari. Quo enim argumento ad unum Vicarium generalem facultates coarctabimus, quando ex nulla lege constat, ad eos tantum coarctandas esse?

Attamen eiusmodi facultates non quomodocumque Episcopus sive per se sive per alios specialiter deputatos exercere potest, sed *in foro conscientiae gratis, atque imposita poenitentia salutari.*

Verum relate ad forum *conscientiae*, quid sit, non una est sententia, cum alii dicant Episcopum facultates illas exercere posse in uno Sacramento poenitentiae; ita ut forus conscientiae et forus poenitentiae, in re saltem, unum idemque pro iis sit; alii vero contendant, ab Episcopis concessas facultates exerceri posse etiam extra Sacramentum poenitentiae, pro quibus consequenter forus conscientiae et forus poenitentiae non unum idemque est.

Prioris sententiae defensores innituntur tum praxi S. Poenitentiariae, tum cuidam declarationi S. Congregationis Concilii quae refertur a Fagnano in Cap. *Dilectus 15, de temp. ordinationum, nn. 35, 36.* Eam ita legimus. « Suborta dubitatione, an dispositio Concilii Tridentini in dicto *Cap. 6, Sess. 24,* quo liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes subditos in foro conscientiae gratis absolvere, comprehendat forensem fungentem praetoris vel medici officio, et commorantem in civitate vel Dioecesi, adeo ut tanquam subditus, ex quo ibi ecclesiastica Sacramenta percipere tenetur, debeat censeri? Sacra Congregatio censuit, Episcopum posse hos absolvere tamquam vere subditos ex facultate ei attributa dicto *Cap. 6;* posse item dispensare, quando est materia coniuncta; nempe idem factum in eadem persona concurrens, ex quo et peccatum, et irregularitas incurratur, ex doctrina Abbatis in Cap. *Omnis utriusque n. 23 de poenitentiis et remissionibus.* Verum relata ad Gregorium XIII Congregationis sententia, Sanctitas sua dixit posse Episcopum absolvere *dumtaxat in Sacramento poenitentiae,* non autem dispensare ». Ex quo testimonio argui posse videtur, quod si Gregorius XIII Sacramentum poenitentiae pro foro conscientiae sumpsit, saltem in re, nulla distinctionem fecit inter forum conscientiae et forum poenitentiae; si autem Sacramentum poenitentiae pro foro conscientiae non accepit, manifestum est, eum declarasse, Episcopos uti posse facultatibus eis tributis in Cap. *Liceat,* in Sacramento poenitentiae tantum, et minime in foro conscientiae.

Attamen communis Doctorum sententia est, distinguendum esse forum conscientiae a foro poenitentiae. En quomodo rem declarat Lucius Ferraris Biblioth. Canon. *V. Forum seu Forus, n. 63.* « Forum internum aliud dicitur *Poenitentiae,* in quo aliquid geritur interveniente Sacramento Poenitentiae, sive absolutione sacramentali. Et aliud non poenitentiae, in quo aliquid geritur sine Sacramento poenitentiae, uti si aliquis extra Sacramentum absolvatur a censura, vel reservatione peccati. Unde ex his patet, forum *poenitentiae et conscientiae*

» non esse idem. Nam forum conscientiae est quid commune Foro » Sacramentali et non Sacramentali. Forum autem poenitentiae » comprehendit solum forum Sacramentale. *Communis* (1) ».

Ut in re aliquid dicamus; nobis undequaque certum videtur admittendam esse sententiam a Lucio Ferraris superius traditam; scilicet forum conscientiae esse quid commune foro Sacramentali et non Sacramentali; forum autem poenitentiae restringendum esse ad unum forum Sacramentale; consequenter cum forum conscientiae universalius pateat confundi non posse cum Sacramento poenitentiae.

Id, praetermissa plurimorum doctorum sententia, demonstramus et ex cit. S. Congregationis Concilii decreto, et ex iis quae profert Benedictus XIV in Bulla *Convocatis*, quam tulit pro anno sancto 1749.

Ut autem ex cit. S. Congr. decreto argumentum desumamus; si Patres affirmarunt, forenses illos absolvi posse in foro conscientiae, et Gregorius XIII ad unum poenitentiae Sacramentum absolutionem illam coarctavit, manifestum est, tum Patres, tum Rom. Pontificem admisisse receptam distinctionem inter forum conscientiae et forum poenitentiae; Romani enim Pontificis responsio (nam de patrum mente nulla dubitatio) huic aequipollet. Forenses illi absolvendi sunt in uno poenitentiae Sacramento, non in foro conscientiae, qua de causa utriusque fori distinctionem admisit.

Neque argumentum corruit, si quis dicat, Gregorium XIII, memoriae forte lapsu, forum conscientiae cum foro poenitentiae confudisse, ita ut per Sacramentum poenitentiae conscientiae forum intellexerit. Hoc autem demonstrari fortasse ex eo potest quod cum duo

(1) Rodriguez *Quaestiones canonicae et regulares Tom. I, Quaest. 61, art. 10* ita in re loquitur: « Quid significent illa verba *in foro conscientiae?*.... Quantum ad » primum est notandum, quod absolvere in foro conscientiae est exercere potestatem » in illis privilegiis concessam in salutem animarum, ut valeat coram Deo et non » coram Ecclesia, ut constat ex traditis a Covarruvia. (In cap. *Alma mater* § XI, » n. 6 in 1 part.). Et dato quod haec absolutio fiat videntibus aliquibus, non propterea non sit in foro conscientiae, quia sine strepitu fit; et non ut tollatur ius » tertii per eam, sed ut anima illa ligata vinculis excommunicationis sit absoluta » coram Deo. Et sic modo in Concilio Tridentino (Cap. 5. *Licet* sess. 24 de Reform.) » conceditur Episcopis potestas absolvendi a certis censuris, sed in foro conscientiae tantum. Et dato quod coram multis fiat haec absolutio, etiam istae absolutiones dicuntur fieri in foro conscientiae tantum; quia ab eo ad quod actio tendit, » sumit speciem. Et quia huiusmodi absolutiones, confessiones et usus privilegiorum » ordinantur solum in bonum animae, ideo ex illo debent nominari, et in illo fieri. » Unde non tollitur per huiusmodi confessiones et absolutiones ius tertii; potest » enim offensus ab absolutis petere in iudicio suum interesse, id est damnum, quia » quoad hoc non valent dictae confessiones et absolutiones. »

Patres de Episcopo affirmarint, eum scilicet posse absolvere in foro conscientiae, et etiam dispensare quando est materia coniuncta, Pontifex hoc postremum negavit, aliud minime distinxit, ut distinguere debuisset; sumpsit ergo Pontifex conscientiae forum vel pro foro Sacramentali tantum, vel per forum Sacramentale utrumque forum conscientiae et poenitentiae intellexit; at primum non excludit forum conscientiae, aliud affirmat. Idipsum evidentiori ratione demonstratur ex cit. Bulla *Convocatis* lata a Benedicto XIV. Etenim §. IV scribit Pontifex: *Absolvere possint per seipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, quascumque personas sibi confitentes.* §. VII. *Absolvere insuper valeant, pro foro conscientiae tantum, a censuris propter haeresim.* §. XV. *Dispensare item pro foro tantum conscientiae valeant super impedimento dirimente occulto* etc.

At §. XXV praescribit Pontifex, ut iis facultatibus Confessarii deputati in urbe utantur dumtaxat in foro Sacramentali: *Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes non posse a se exerceri extra actum Sacramentalis confessionis, neque extra suam cuiusque Basilicam, vel Ecclesiam nisi in casibus alias sibi a Maiori Poenitentiario permissis, vel permittendis.*

Pontifex igitur cum prohibuerit quominus Urbis Confessarii exercerent supradictas absolutiones etc. extra actum Sacramentalis confessionis, apprimè confessus est, eas exerceri potuisse extra Sacramentum poenitentiae; Pontifex scilicet admisit *Forum conscientiae* et *Forum poenitentiae.*

Ex iis autem patet 1°. Veram esse sententiam a Lucio Ferraris propugnatam, forum internum complecti forum conscientiae et forum poenitentiae; attamen *forum conscientiae et forum poenitentiae non esse idem;* patet 2°. Romanos Pontifices indigitasse absolutiones in foro poenitentiae tantum tribuendas, cum id decernere voluere.

Atqui, ut ad solutionem quaestionis deveniamus, Concilii Tridentini patres concedunt Episcopis facultatem absolvendi in foro conscientiae; Rom. Pontifex Pius IX in Const. *Apostolicae Sedis* ne verbo quidem aliquid detrahit facultatibus concessis Episcopis in cit. cap. *Liceat;* imo vult illam facultatem absolvendi in foro conscientiae *esse firmam;* forum autem conscientiae complectitur forum Sacramentale, et non Sacramentale; ergo nullo argumento prohiberi possunt Episcopi quominus concessis facultatibus utantur in foro conscientiae quidem, sed non Sacramentali.

De cetero haec lex favorabilis est, in lege autem favorabili largiori interpretatione uti debemus.

Attamen hanc absolutionem Episcopi concedere debent *gratis et imposita poenitentia salutari.* Pri-

mum patet, sed relate ad poenitentiam salutarem ab Episcopo, vel Vicario specialiter deputato imponendam poenitenti, quaeritur utrum illa necessaria sit ad validitatem absolutionis, ita ut si oblivione, vel alia de causa illam imponere praetermittat Episcopus, nulla sit collata absolutio.

Et quidem hoc postremum censemus, cum clausula casu ablativo posita conditionem importet. Profecto de hac clausula idipsum censendum est quod de eadem in literis S. Poenitentiariae pro dispensatione ab impedimentis matrimonii apponi solita. De hac porro ita Scribit Petrus Giovine De Dispensationibus matrimonialibus *Tom. 2, §. 106, pag. 254, n. 5.*

« In utroque demum eventu (scilicet circa poenitentiam determinate vel indeterminate impositam) » nisi prius Confessarius poenitentiam imponat, relaxare nequit poenitentem ab impedimento occulto, » quo detinetur. Etenim praefatae » clausulae utpote in ablativo absoluto positae conditionem important, L. *A testatore ff. de Condit. et Demonst.* Ideoque ante absolutionem observari debet; non enim apparet cur minus haec, quam aliae » conditiones observandae sint. » Atque idipsum affirmat Reiffenstuel *Appendix de dispensatione super impedimentis §. 10, n. 464,* quem fere Petrus Giovine excripsit. Cum itaque par clausula sit, idem iudicium ferendum est. Neque difficultatem facessere videntur quae scribit Sanchez, poenitentiam scilicet imponendam de iure esse in quavis Confessione Sacramentali; id vero quod de iure est, non importare conditionem, ideoque omissione eius actum non irritari. Etenim haec poenitentia salutaris, de qua in Tridentino Capite, est quid speciale, quae non includitur sub poenitentia in singulis confessionibus Sacramentalibus imponenda; noverant enim Tridentini Patres, pro peccato quod causam irregularitati vel suspensioni dederat a Confessariis aliquam esse poenitentiam imponendam; cum ergo ipsi eam praescripserint, quid speciale intellexerunt; at id quod modo speciali praescribitur, conditionem importare, facile omnes concessuri erunt. Sin minus neque conditio erit confessio Sacramentalis, ut exemplum afferamus, quae imponitur in dispensationibus matrimonialibus. Advertendum tamen in re est quod scribit Syrus apud Benedictum XIV. *Inst. 87, n. 37.* « Arbitrium quod » relinquitur poenitentiario in ordine ad poenitentias individuandas et iniungendas, non importat meram et liberam voluntatem, » ita ut possit illas libere iniungere, » prout sibi placuerit, sed importat arbitrium regulatum, id est » arbitrium boni viri, et iuri conforme. »

Quapropter, concludit Benedictus XIV, Confessarius ut suo muneri recte satifaciat, neque seve-

ritatis, neque humanitatis fines excedat. Rationem quoque habebit conditionis, aetatis et sexus illius, cui poena irrogatur. *Loc. cit. n. 28.*

Ut ex Tridentino Capite patet, specialis haec deputatio ad personas deputandas refertur, non ad casus, aut personas absolvendas. Hinc quantum facultates concessae pateant, ex facto definitur; inspectione scilicet et consideratione concessarum facultatum, minime ex iure. Ad eas quapropter intelligendas sequentem tradimus regulam. Si verba, quibus iurisdictio et deputatio conceditur, generalia sunt, latam interpretationem admittunt, si autem deputatio specialis est, id est ad illum tantum casum particularem, vel ad illam personam, stricta interpretatione uti debemus; etenim concessae facultates limite definito concluduntur.

CAPUT III.

De Clausulis.

Circa clausulas haec breviter adnotabimus.

1°. Nullam umquam consuetudinem, etiam immemorabilem, sive inductam, sive inducendam praevalere posse contra ea quae in Constitutione *Apostolicae Sedis* praescribuntur. Id patet ex verbis: *irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus.*

2°. Quidquid contra latae Constitutionis tenorem sive ignoranter, sive scienter, sive bona, sive male fide admissum et gestum fuerit, nullum esse et inane. Quod evidens est ex verbis quae subsequuntur: *Scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

3°. Consequenter neminem posse contra ea quae praescripta sunt aliter iudicare vel definire, fuerit, etiam aut S. Rom. Ecclesiae Cardinalis, aut Legatus a Latere, aut Nuncius Pontificius, aut alius quilibet. « Sublata eis, et eorum cui» bet quavis aliter iudicandi et in» terpretandi facultate et auctori» tate. »

Quibus hisce Commentariis finem ad Dei gloriam imposuissemus, nisi nonnulla a nobis corrigenda essent, quae vel ex posterioribus decretis per Sacras Romanas Congregationes latis, vel ex maiori rerum consideratione nos minus accurate scripsisse comperuimus. Exinde nonnulla quae in utroque Volumine scripsimus ad examen hoc in loco revocabimus et corrigemus.

Antea tamen circa lectionem ephemeridum vel diariorum heresim continentium vel propugnantium aliquid dicendum esse putamus.

ADDITIO AD APPENDICEM III.

An excommunicationem incurrant scienter legentes Diaria vel Ephemerides haeresim propugnantes.

Cl. Petrus Avanzini, Append. III, eiusmodi quaestionem sibi proposuerat: *An Ephemerides seu diaria eorumdem Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantia sub ea censura* (excommunicationis Romano Pontifici speciali modo reservatae) *sint prohibita?*

Atque respondit: *Non videntur sub ea censura prohibita; quia Diaria quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum* (1).

Atque paullo post: *Ephemerides itaque, seu diaria, seu folia haereticorum per se completa* (quae scilicet non sint libri partes eiusdem argumenti, quam quaestionem omitto) *haeresim propugnantia, non videntur sub ea censura prohibita* (2). Atque Avanzini sententiam alii amplexi sunt, alii reiecerunt, ut ex iis quae ipsemet scribit patescit.

At cum die 1 Novembris an. 1874 Pius Papa IX Allocutionem habuerit, in qua loquens de perniciosis Ephemeridibus dixit: *Alias eiusmodi folia a nobis prohibita fuere; et nunc iterum ea in universum prohibemus; seu melius, confirmamus antiquas prohibitiones cum censuris adnexis* (3).

Hisce Pontificis verbis plurimi quidem moti minime fuere, ea ducti ratione quod allocutio illa officialis, ut dicunt, non fuerit.

At alii veluti declarationem quamdam habuerunt, qua eiusmodi quaestio dirimebatur.

Commentator Patavinus *pag. 57* in Nota postquam Pii IX verba retulisset haec subdit: « Gravissima » sunt profecto ista, atque eiusmodi, » ut rigidiorem sententiam novo » ac validissimo argumento confirment. Re enim vera quae sunt » antiquae prohibitiones, quibus » etiam adnectuntur censurae, nisi » generales prohibitiones quae in » Regulis Indicis habentur? Prohibitiones igitur etiam ex parte Ecclesiae pro certis quibusdam » ephemeridibus iamdiu extabant, » nihilque aliud Romanus Pontifex » suis ordinationibus praestitit, » quam easdem prohibitiones renovare ac confirmare, renovando » una simul adnexas censuras ad » normam Constitutionis *Apostolicae Sedis* » (4).

(1) Apud Pennacchi Comment. in Const. *Apostolicae Sedis* Tom. I, pag. 133–134.

(2) Ibid. pag. 135.

(3) Altre volte questi fogli furono da noi proibiti; ed in questa occasione torniamo a proibirli tutti, o a dir meglio, confermiamo le antiche proibizioni con le annesse censure.

(4) Paullo ante idem cl. Scriptor retulerat ex periodico, vulgo *La Civiltà Cattolica, Serie VIII, Vol. VI, Quad. 528,* quae sequuntur. « Ci sembra non potersi

Duplicem exinde quaestionem proponimus, quarum

1. An scienter legentes Ephemerides haeresim propugnantes incurrant excommunicationem Articuli secundi Constitutionis *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici speciali modo reservatam?

2. An dictas ephemerides legentes incurrant saltem excommunicationem latam in secunda Indicis regula?

Ut primae quaestioni satis faciamus: articulum secundum Constitut. *Apostolicae Sedis* ita legimus: *Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis Auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.*

Proposita igitur quaestio hisce concluditur: Libris Apostatarum et haereticorum, de quibus sermo est in prima parte citati articuli, accenseri ne possunt ephemerides haeresim propugnantes? Et ni inter illos locum habeant, habent ne saltem locum inter libros cuiusvis auctoris nominatim prohibitos per litteras apostolicas, Brevia scilicet, Bullas, Encyclicas, vel alia documenta expresse lata ab Apostolica Sede et Apostolica auctoritate?

Ita enunciata quaestione. Si ephemerides propugnantes haeresim accensendae essent libris haereticorum et apostatarum, de quibus sermo est in prima parte citati articuli, id fieri deberet vel vi verborum, quibus lex constat, vel ratione finis quem sibi legislator lata prohibitione praestituit; vel, ut aliqui supponunt, ratione eorum quae Pius Papa IX affirmavit in sua Allocutione diei 1. Novembris an. 1874. Atqui nihil horum. Et 1°. non vi verborum, quibus lex constat.

Universalis regula est, in legum quarumlibet interpretatione, verba sensu obvio, naturali et communiter recepto esse sumenda; quia supponendus semper est legislator legem iis verbis promulgasse, quorum sensus a subditis universis intelligitur; ita ut si legislator legem promulget circa genus aut speciem aliquam, cuius variae species, familiae, individua diverso nomine vocentur, et unam tantum classem, familiam vel determinata individua huius vel illius familiae aut societatis exprimat, haec tantum, et non aliae familiae, individua, species sub lege comprehendi intelligantur.

dubitare, che quelli almeno fra i giornali, i quali sono soliti d'impugnare direttamente i dommi cattolici, o anche i fondamenti del cristianesimo, sieno compresi nella citata regola dell'Indice. » Haec autem regula secunda est, scilicet: – Haereticorum libri qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Eiusmodi interpretationis ratio in lege praesertim odiosa locum habet, qua princeps poena crimina plectit, aut facta prohibet actionesque propter causas ipsi principi notas, quas nec semper revelat, nec in promulganda lege revelare tenetur. In lege odiosa interpretanda regula praecipua est: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est.* Hinc si Legislator, determinata poena prohibuit latrocinium publicum aut rapinam, sub eiusmodi lege furta simplicia et occulta non comprehenduntur; aut si Pontifex excommunicationis poenam intulit ex. gr. in fornicarios et adulteros uti excommunicati habendi non sunt qui sese commacularunt horrendo sodomiae et bestialitatis crimine, quamvis hoc postremum luxuriae summum attingat; huius autem ratio est, quia cum legislator unam fornicationem et adulterium expresserit, haec tantummodo peccata excommunicatione plectere voluisse censendus est, non alia quamvis graviora. Causa autem huiusmodi agendi rationis potuit esse vel quia fornicationes et adulteria frequentiora sunt, vel quia haec pacem domesticam ordinemque publicum prae aliis perturbant; eique aliae etiam causae esse potuere, quas nec voluit, nec revelare tenebatur, neque subditus eas inquirere aut tenetur aut debet, et saepe illas nescit.

Post haec, constat Pium Papam IX in cit. articulo ter *libros* nominasse, quo verbo intelligitur volumen quoddam foliorum simul collectorum de una vel diversis materiis tractantium, et in casu nostro haereses erroresque contra fidem vel mores propugnantium. Qua de causa cum in interpretandis legibus obvio et naturali verborum sensui insistendum sit, librorum nomine intelligi nequeunt nisi libri proprie dicti, quo censu excludendae sunt quaelibet scripturae sive manuscriptae, sive typis impressae quae librorum nomine cohonestari non possunt, quod non pertingant ad quantitatem foliorum et formam quibus liber constituitur.

Quod Pius Papa IX vocabulum *libri* adhibuerit sensu obvio, naturali et communiter accepto apparet: 1°. Ex sensu uniformi quo hoc in capite vocabulo illo utitur; etenim primo loco illo utitur ad indigitandos libros haereticorum et apostatarum qua tales cognitorum, et haeresim propugnantes; qua de causa indigitavit libros proprie dictos, in quibus argumentis quibuslibet defendatur haeresis, et insuper praeseferant titulum et nomen auctoris. Secundo loco ea voce utitur ad designandos *libros nominatim per litteras apostolicas prohibitos;* atque universi noverunt, solitam esse Apostolicam Sedem nominatim prohibere libros perniciosiores et haeresibus refertos aut eos, a quorum auctoribus fideles facilius, ob famam qua fruuntur, in errorem induci possunt, ut spe-

ciali illa et apostolica condemnatione illorum lectione hi magis absterreantur. Tertio loco dicit Pontifex : *eosdem libros,* quo intelligimus, legislatorem de iisdem libris semper loqui voluisse, et eodem sensu.

2°. Id autem melius dignoscimus ex adverbio *scienter,* quod importat notitiam, quod qui librum conscripsit sit haereticus iuxta sensum articuli primi Const. *Apostolicae Sedis,* et quod liber propugnet haeresim; et quod excommunicatione lectores huiusmodi libri plectantur.

At eiusmodi conditiones quas includit adverbium scienter, vix aut ne vix quidem veritatem sortiuntur in ephemeridibus, tum quia non semper folia singula haeresim propugnant, tum quia auctorum nomina et secta ad quam pertinent, latent; tum quia nulla adest lex manifesta et evidens qua eiusmodi ephemeridum lectores excommunicatione plectantur; si enim adesset, locum haec quaestio habere non posset, neque Doctores in varias abirent sententias.

3°. Id etiam novimus ex relatione quam Pianum Caput habet cum Cap. primo Bullae Coenae, ex quo depromptum fuit, et quod ex Benedicti XIV Bulla excribimus : « Excommunicamus... eorumdem » libros haeresim continentes, vel » de religione tractantes sine au» ctoritate nostra, et Sedis Aposto» licae scienter legentes, aut reti» nentes, imprimentes et quomo» dolibet defendentes ex quavis » causa etc. » In qua Bulla vox *libros* habet suum sensum verum et naturalem, tum quia variae haereticorum sectae nominantur, quorum libri notissimi erant, tum quia Bulla Coenae, ni fallimur, anterior est ephemeridum institutioni. De cetero expositores doctissimi de libris proprie dictis vocabulum illud intelligunt. Nonnullos citabimus. Roncaglia in sua Theologia Morali *Tract. IV De Censuris, Quaest. III, Cap. 1, N. III* ita scribit : « Quia » autem nomine libri in communi » appellatione non veniunt Concio, » vel Epistola, (multo minus fo» lium) ideo huiusmodi legentes, » quamvis sint auctoris haeretici » et contineant haeresim, seu tra» ctent de religione, valde proba» biliter a censura excusantur. » Et pro sua sententia gravissimos citat auctores.

Schmalzgrueber *Ius Eccl. univ. Lib. V, Tit. VII, n. 53,* relata prius opposita sententia, argumentisque quibus innititur, quamvis affirmet tutius esse si illa, ad evitanda mala, in praxim deducatur, tamen aliam amplectitur, et lectores eiusmodi ephemeridum excommunicatione eximit. « Verum etsi sententia haec » in praxi suadenda tenendaque » sit, probabile tamen admodum » est, huiusmodi scripti, quod Tra» ctatus formam non referat, le» ctione, excommunicationem Bul» lae Coenae non incurri; ratio est » quia dispositio Bullae citatae poc-

» nalis, consequenter odiosa est; » igitur cum per eam sub dicta » censura prohibeatur sola lectio, » retentio etc., librorum, ea poena » extendi non debet ad eos qui le- » gunt, retinent etc., epistolam, » concionem, vel aliud scriptum » paucorum foliorum, quia huius- » modi scripta proprie et secun- » dum communem loquendi usum » non veniunt libri nomine. »

Et Lucius Ferraris v. *Libri prohibiti* quamvis contrariae sententiae faveat, tamen scribere non veretur *n. 37:* « Alii autem tenent contra- » rium (quorum decem enumerat) » aliique plures, quorum aliqui » contrariam sententiam tenent esse » veram, et alii saltem probabilem » esse putant, hac ducti ratione, » quod tales Epistolae, conciones, » et aliae similes parvae scripturae » separatae non sunt proprie libri, » de quibus solum loquitur Bulla » Coenae, adeoque sub eius censura » non comprehendantur, cum ver- » ba legis poenalis et odiosae sint » stricte interpretanda... Quae sen- » tentia revera non caret sua proba- » bilitate. » Praestantissimi doctores igitur nostram sententiam tuentur.

Non nos equidem latet, alios nobis adversari. Attamen observamus 1°. Doctores qui nobis adversantur, loqui de opusculis, sermonibus, epistolis; nos autem loqui de ephemeridibus; quae plerumque uno constant folio, cuius una vel duae columnae adhibentur ad propugnandos contra fidem errores; consequenter eiusmodi doctorum auctoritatem pleno iure contra nos urgeri non posse; eo vel magis quod nemo ex antiquis Sacrorum Canonum tractatoribus, iis saltem quos nos pervolutavimus, agit de periodicis aut ephemeridibus.

2°. Hi ipsi Scriptores contrariam sententiam propugnantes affirmant, nostram *revera non carere sua probabilitate,* intrinseca scilicet et extrinseca. At certum est penes Theologos omnes, neminem in praxi uti excommunicatum habendum esse, quem vera probabilitas excommunicatione eximit. Unum citabimus Roncaglia qui Tract. IV, Reg. 5 scribit: « Cum in praxi benigniora sint » sequenda, dum agitur de poenis, » non debet Confessarius habere » pro excommunicato illum, quem » sententia vere probabilis exeu- » sat... » Lectores igitur perniciosarum ephemeridum uti excommunicati habendi non sunt, et negari quidem eis absolutio poterit alia de causa, non autem causa excommunicationis.

3°. Articulus secundus Constitutionis *Apostolicae Sedis* exceptus quodammodo fuit ex articulo primo Bullae Coenae; ergo etiam in illo vox *libros* eamdem habet significationem; sub eo igitur vocabulo non veniunt ephemerides; ergo qui has legit, ut modestia maxime loquamur, *probabiliter* non incurrit excommunicationem; consequenter eiusmodi lectores in praxi excommunicati non sunt habendi.

Verum antiquis doctoribus concordes sunt in interpretando *libri* vocabulo plurimi, iique praestantissimi Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis*.

Quid cl. Avanzini in re scripserit, supra retulimus.

At ei subscribit cl. D' Annibale, qui ait: « Recepta sententia est, » librorum significatione non venire » scripta typis quidem edita, sed » molis adeo exiguae, ut magis » alio nomine, velut elegiae, epistolae, orationis, quam librorum, nuncupari soleant; adeoque neque ephemerides, quae communior sententia esse videtur, eas nempe » quae compactis fasciculis, periodice, uti aiunt, eduntur. » Comment. *n. 39. Edit. 3.*

Alexander Ciolli in suo *Commentario prattico delle censure p. 31* quaerit: « Incurrit ne excommunicationem qui legit ephemerides, et periodicos in quibus » propugnatur haeresis? Atque respondet.

» Negative, ob sequentes rationes: 1° Quod libet dicatur, communi sermone eiusmodi productiones librorum nomine non intelliguntur. 2° Quia ut plurimum » non constat utrum earum scriptores sint haeretici vel apostatae, quorum tantum libri haere » sim propugnantes censura mulctantur. 3° Incertum semper est » quinam ephemeridum numeri » haeresim contineant; ideoque primum legendi sunt. Atqui lex » adeo gravis, ut quae infert excommunicationem speciali modo » reservatam, debet esse necessario determinata et aperta, saltem in casibus pincipalioribus; » eo vel magis quod finis Constitutionis *Apostolicae Sedis* est determinare censuras, illas limitando; ideoque in dubio *quod minimum sequendum est.* »

Auctores praestantissimi de la *Nouvelle Revue Théologique, Vol. II, pag. 619* quaerunt: Quo censu habebimus scripta periodica? uti libros, aut uti fasciculos? *(brochures)* Et respondent: « Duos tantum auctores novimus qui eiusmodi quaestionem pertractarunt; idest M. » Heymans, et novos editores Theologiae de Dens. Ipsi distinctionem adhibent inter ephemerides et scripta periodica quae per » fasciculos (cahiers) evulgantur. » Priores neque vulgantur sub forma librorum, neque ad efformandum librum destinantur; eae » igitur sub Constitutione *Apostolicae Sedis* non comprehendun» tur. »

Quantum attinet ad scripta periodica, « si ipsorum voluminis causa, haberi possunt uti libri, sub » Constitutione *Apostolicae Sedis* » comprehendentur; ita ut illorum » lectores, detentores et impressores incurrunt excommunicatio» nem speciali modo Summo Pontifici reservatam. »

Subdunt autem praeclari scriptores: « Prima responsionis pars

» iusta videtur. Altera, nostro sal-
» tem iudicio, accuratior erit, si
» ita distinguamus. Aut horum fa-
» sciculorum unus ab alio non de-
» pendet; aut destinantur ad effor-
» mandos tractatus, quibus unus
» est finis, ita ut haberi possint
» veluti partes eiusdem operis. In
» primo casu excommunicatos le-
» gentes non habebimus, dummodo
» plurimorum iudicio fasciculi illi
» libri non censeantur; in alio ca-
» su, non videmus quomodo illa-
» ta excommunicatione eximi pos-
» sint. » (1)

Doctus Frassinetti in suo Compendio Theologiae moralis *vol. II. pag. 535* affirmat: « Neque haec » excommunicatio incurritur, si le-
» gatur sermo separatim editus,
» qui dici nequit liber. »

De Varceno *Compendium Theologiae Moralis Vol. II, pag. 416* quaerit. « An Ephemerides seu
» diaria eorumdem haeresim pro-
» pugnantia sub hac censura sint
» prohibita? »

Respondet Avanzinium excribens: « Non videntur, inquit, sub
» hac censura prohibita; quia dia-
» ria quousque folia manent per se
» completa non veniunt sub nomine
» librorum. » Addit tamen: « Si vero
» haec diaria sint fasciculi perio-
» dice editi aliquo constantes vo-
» lumine, sub hanc censuram ca-
» dunt; singuli enim sunt veri li-
» bri, aut integrae, vel fere inte-
» grae partes libri reprobati. »

Tandem, ut alios praetermittamus, doctissimus Vecchiotti *Inst. Canonicae Vol. II, pag. 336, nota 3,* scribit: « Secundo quaeritur: an
» manuscripta, scripta periodica
» (vulgo riviste, revues), fasciculi
» (vulgo cahiers), et diaria seu
» ephemerides (vulgo giornali,
» journaux) haeresim propugnantes
» sub hac censura comprehendan-
» tur? « Et respondet: « Agitur de
» interpretatione strictim facienda,
» utpote quae versatur in materia
» odiosa praecepti imponendi, poe-
» naeque infligendae; adeoque ca-
» nonis loco statui potest, id solum
» comprehendi in hoc articulo quod
» *libri* nomine proprie venit. »

Igitur antiqui sacrorum canonum tractatores qui in Bullam coenae commentaria instituere, ex qua Pianus articulus desumptus est, disertis verbis affirmarunt, parvae molis scripta, multo magis ephemerides, non venire librorum nomine, ideoque sub praedicta Bulla non comprehendi; commentatores propemodum omnes Constitutionis *Apostolicae Sedis* idipsum in re affirmant, iisdem ducti argumentis, quae certe spernenda non sunt; sententia igitur nostra nititur gravissimo fundamento intrinseco, tum prae-

(1) Attamen ut lectores incurrant excommunicationem oportet ut noverint, et fasciculos illos fuisse conscriptos a manifesto haeretico vel apostata, quod nesciunt, ni in fronte gerant Scriptoris nomen; et ut in illis propugnetur haeresis, quod pariter nesciunt nisi prius legerint.

cipuae extrinsecae auctoritati; quo igitur iure lectores ephemeridum excommunicatos proclamabimus, cum agatur praesertim de facto practico, in quo neminem excommunicatum habere debemus, nisi certo constet, factum illud sub lata lege comprehendi?

At id minime constat. Quid enim? Nonne Pius IX, qui anno 1869 Constitutionem *Apostolicae Sedis* promulgavit, noverat mundum universum perniciosissimis ephemeridibus inundari? Nonne noverat, ephemerides neque libros dici posse, neque librorum nomine venire? Qua igitur de causa eas disertis verbis non prohibuit, easque articulo secundo comprehendit? Dicendus est ergo *sciens prudens* illas praetermisisse, consequenter expressisse quod voluit, noluisse quod non expressit. Sin minus enim excommunicasset ephemeridum perniciosarum lectores, Deus tantum novit, quot catholici excommunicationem illam incurrissent; atque dum limitando censuras, mitior haberi voluit, severitatem in re adhibuisset, qua usi anteriores Pontifices non fuere; atque hac una excommunicatione ingentem catholicorum numerum extra ecclesiam projecisset. Quod certe noluit.

Attamen non inficiamur, auctores adesse qui oppositam propugnant sententiam, quos inter praestantissimos scriptores *Civilitatis Catholicae;* eorum ratiocinia tamen nobis solida non videntur. Etenim quod dicunt praedicti Scriptores, ideo ephemerides a libris differre, quia illae constant parvis aut brevibus foliis, quae quotidie eduntur, hi autem plurimis foliis simul editis et compactis, (1) nil aliud demonstrat quam parva illa folia libros non esse usquedum separata manent; alios autem esse libros proprie dictos. Quod si insinuare voluere, etiam praedictas ephemerides ad volumina constituenda destinari, negare in genere suppositionem possumus; etenim quamvis fateamur quotidianas publicationes ephemeridum colligari tractu temporis uno vel plurimis posse voluminibus; attamen neque ad hoc destinantur, neque ad hunc finem eduntur: huius rei testes ineluctabiles sunt comestibilium venditores, et latrinae sive publicae sive privatae. Addimus, finem praecipuum ephemeridum esse divulgationem factorum publicorum, minime doctrinae corpus constituere; dum finis librorum prohibitorum in cit. Pianae Constitutionis Capite est propugnare formaliter haeresim, scilicet eam argumentis communire, et ab obiectis defendere, prout mos est catholicorum circa catholicas doctrinas. Addimus demum, per supra expositum argumentum neque tangi, multo minus labefactari, doctorum argumenta,

(1) *Serie VIII, Vol. VI, pag. 648.*

quibus ephemerides censu librorum excludunt.

Ex his itaque nobis concludere licitum erit, ephemerides proprie dictas, uti *La Capitale, il Messaggero* etc., venire non posse librorum nomine, neque comprehendi in prima parte Capitis II Pianae Constitutionis.

II. Perpendamus hinc utrum comprehendantur in secunda Capitis parte, qua interdicitur sub excommunicationis poena speciali modo pariter reservata lectio librorum cuiusvis auctoris per literas apostolicas nominatim prohibitorum.

Atqui et huic quaestioni breviter quidem, sed negative respondendum esse censemus: tum quia in hac secunda capitis parte vox *libri* eodem sumitur sensu; tum quia hi libri prohiberi debent per litteras apostolicas ex. gr. Brevia, Bullas, Encyclicas, aut aliud aliquod pontificium documentum *auctoritate apostolica* latum. At quaenam est Bulla, Breve, aut aliud pontificium documentum, quo perniciosae ephemerides sub excommunicationis poena prohibitae sunt? Ubi reperitur? Nos quidem nescimus; et e contra novimus, neque allocutionem a Pio Papa IX habitam die 1 Novembris 1874, neque epistolas circulares datas ab Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario anno 1871, vim pontificii documenti auctoritate apostolica lati habere, ut infra videbimus.

Hinc ad expendendum argumentum deductum ex fine latae prohibitionis gressum facimus. Et ut sincere loquamur, haec est ratio praecipua, cui innituntur illi, qui putant, ephemerides perniciosas, seu haeresim propugnantes, comprehendi in censu librorum Cap. II. Constitutionis *Apostolicae Sedis* prohibitorum. Porro eiusmodi finis ad id tendit, et ut incorruptum fidei dogmatumque catholicorum depositum servetur, et ut catholici periculo perversionis sive circa dogmata, sive circa moralia praecepta immunes serventur.

Certum tamen est, non finem legis universaliter consideratum, sed finem constitutum et a legislatore intentum volitumque, atque comprehensum infra verba, quibus lex promulgata fuit, illum esse, qui in casu in lectores perniciosarum ephemeridum comminatam excommunicationem induceret. Si eiusmodi principium negemus, et e contra constabiliamus, excommunicationem incurri propter transgressionem finis universalis latae legis, quin ullus ad verba quibus promulgata fuit, respectus habeatur, in irritum profecto mittemus regulas et axiomata quaecumque, quibus in interpretatione legum poenalium ducimur. In citandis exemplis Constitutioni *Apostolicae Sedis* insistemus.

Cap. III, tit. 1, Pius Papa IX excommunicationi subiicit *Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obe-*

lientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. Finis, quem lata lege, sibi Pontifex praestituit, est integram unitatem catholicam conservare, quae per inobedientiam mandatis Pontificis Romani rumpitur. At hic finis nedum violatur ab Schismaticis, sed ab iis etiam qui Schismaticis auxilium, consilium, favorem praestant, multoque magis ab iis qui schisma faciendum mandant; etenim et hi unitatem catholicam abrumpere conantur. Si igitur quicumque legis finis attendendus esset, etiam mandantes, consulentes, et auxilium vel favorem schismaticis praestantes excommunicationi subiiciendi essent. Attamen nemo hos excommunicatos proclamat. Non alia profecto de causa nisi quia sub verbis quibus promulgata fuit haud comprehenduntur; in ea enim excommunicantur uni schismatici proprie dicti, quorum scilicet schisma de facto constet.

Pariter finis quem tum Capite V, tit. 1, tum Cap. II, tit. II sibi Legislator proposuit, fuit integrum conservare decus, honorem, dignitatem et immunitatem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Episcoporum, aliorumque Clericorum, quorum profecto dignitas in pessum iret, si impune aut percuterentur, aut in carcerem coniicerentur, aut interficerentur. Certum tamen est, honorem Ecclesiae viris, et multo magis, dignitatibus, debitam, minus aliquando percussionibus offendi, quam contumeliis, dicteriis, calumniis in publicum sparsis, atque aliquando in faciem prolatis. Ergo ratione finis, etiam illi uti excommunicati essent habendi qui eiusmodi in ecclesiasticos perpetrant. Nemo tamen hos excommunicatos proclamat, quia hi sub verbis legis non comprehenduntur, qua tantummodo excommunicantur *omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, etc. Cardinales, Patriarchas etc., et iniicientes violentas manus, suadente diabolo, in clericum etc.*

Et ne limites Capitis quod expendimus egrediamur; nemo certe negaverit se periculo peccandi contra fidem vel sanam morum doctrinam exponere tum qui libros proscriptos legit, tum qui eorum lectionem audit, atque eumdem violare finem eiusmodi librorum lectionem consulentes. Attamen neque audientes, servatis servandis, neque consulentes ab Bullae coenae expositoribus excommunicati habebantur.

Prae omnibus audiatur Schmalzgrueber tit. VII de haereticis *nn. 49, 50.* « Si primum, tenetur ex» communicatione, quia iubens ita » praelegi, in morali aestimatione » ipse censetur legere, cum ex » generali regula, quod quis facit » per alium, perinde sit ac si faciat » per seipsum. Si secundum, non » afficitur excommunicatione, quia » eo casu legere ipse moraliter non

» consetur. Quod extendit P. Wien-
» ster etiam ad eum qui talem li-
» brum praelegi aliis mandat, vel
» consulit, sed lectionem ipse non
» audit, quia cum libri lecti hae-
» reses nec visu, nec auditu me-
» diante percipiat, non potest cen-
» seri legens, qui solus excommu-
» nicatione ista afficitur. Excipit ca-
» sum, nisi mandato vel iussu suo
» haeresi favorem praestet. »

At hoc postremo casu excommunicationem incurreret ut haeresi favens, ideoque ex primo capite Const. *Apostolicae Sedis* excommunicatione plecteretur.

Sapienter igitur, ut ceteros omnes praetermittamus, Vecchiotti *loc. cit.* ita ratiocinia ducit: « Nec iuvat di-
» cere quod sermo sit de causa
» fidei, de legibus ad eam tuen-
» dam latis, quae latam interpre-
» tationem merentur; nam si hoc
» statuatur principium, nulla lex
» ampliari non deberet; siquidem
» nulla adest lex quae, iuris natu-
» ralis obsequio, virtutisque obser-
» vantiae non faveat; quod nemo
» umquam iuris canonici peritus
» admisit. »

Hinc demonstratum censemus, vulgatum axioma *manente fine legis, manet ipsa lex,* non esse intelligendum de fine universali, quique quomodolibet ad legem latam referatur, sed de fine proximo et immediato, qui ipsis verbis legis determinatur et circumscribitur: secus nescimus, an posita etiam limitatione censurarum a Pio Papa IX promulgata, catholicus adsit qui aliquo modo excommunicatus non sit, quod finem latae legis quomodocumque violaverit.

Post haec rem inutilem facturos non arbitramur si nonnullas difficultates enodaverimus, quas contra nostram sententiam obiectas reperimus. Dicunt itaque 1° hanc legem non odiosam sed favorabilem esse, utpote quae promulgata fuerit in conservationem fidei et christi fidelium salutem; sed quod favorabile est, extendi debet, non restringi; ergo lex haec etiam ad perniciosas ephemerides est extendenda.

Huic difficultati ea respondemus quae supra ex cl. Vecchiotti retulimus. Sed ante eum Schmalzgrueber, *loc. cit. n. 35,* huic ipsi difficultati ita responderat: « Si Con-
» stitutio huius Bullae quatenus cen-
» suram excommunicationis infligit
» legentibus libros haereticos sim-
» pliciter favorabilis esset, quod in
» favorem fidei et defensionem fi-
» delium ordinata sit, etiam favo-
» rabilis simpliciter foret lex poe-
» nalis qua homicidae et latrones
» puniuntur, cum et ipsa ad bo-
» num Reipublicae, et defensionem
» innocentiae ordinetur. » Atque idipsum dicatur de qualibet alia poenali lege.

Dicunt 2° hos articulos haeresim propugnantes aut constituros, aut posse considerari veluti partem alicuius libri haeretici.

Esto: At si articuli praedicti fu-

turi sunt pars libri alicuius haeretici; ergo hic et nunc non sunt pars; lex autem lata non fuit contra id quod considerari potest, sed quod de facto est. De cetero ephemeridum quotidianarum articuli, numquam fuerunt pars alicuius libri haeretici, ideoque comprehendendi non sunt sub lata lege. Addendum, non quolibet numero eiusmodi ephemeridum haeresim propugnari; atque insuper nesciri antequam legantur, an haeresim propugnent; nesciri insuper an auctores sint haeretici, et ad quam sectam pertineant; impossibile consequenter est quod sub Cap. II Pianae Constitutionis comprehendantur.

Dicunt 3° etiam talibus ephemeridibus animum catholicorum perverti, vel saltem incurrere perversionis periculum.

Ad quod respondemus, et hanc rationem identicam esse cum ratione finis, in eamque refundi; et constitutiones poenales neque ob identitatem rationis extendi posse de casu in casum, et valde discrepare librorum rationem ab ratione eiusmodi ephemeridum vel articulorum; etenim, ut scite advertit Schmalzgrueber *loc. cit.* libri manent diutius, et maioris sunt auctoritatis; e contra non omnes emunt ephemerides perniciosos articulos legendi, multo minus meditandi, sed notitias politicas cognoscendi gratia; neque illas emunt ut eas conservent, sed maior lectorum pars, post lectionem ad viliores usus adhibent; catholici autem dum haereticos articulos legunt, ira excandescunt, et auctores contemnunt; plurimi, notitiarum contenti lectione nil aliud legunt. Hae insuper ephemerides facillime deperduntur, aut lacerantur; et quia non quilibet numerus haereses continet, vel articulos completos, si numeri anteriores deperdantur, caeteri inutiles, vel fere redduntur. E contra qui emunt vel legunt libros manifestorum haereticorum, aut per litteras apostolicas prohibitos, eos malo animo emunt leguntque, in iisque meditantur; postquam insuper legerint, non eos proiiciunt, prouti proiiciunt ephemerides, sed diligenter eos reponunt servantque: libri enim non emuntur obolo; at quidquid pluris aestimatur, diligentia custoditur. Differentia igitur inter libros proprie dictos atque ephemerides maxima est; atque aliunde cuncti axioma noverunt: *Lex poenalis non est extendenda de casu in casum.*

Quid ad haec? opposituri ne erunt ea quae in suo Commentario *pag. 34* profert Rmus Formisanus Nolanus Episcopus, qui timet ne inutilis lex fiat, si ephemerides excipiantur? « Profecto, inquit, » Titius domi retinet duo exem» plaria operum ex. gr. Lutheri; » illud compactum, hoc nondum » compactum, ergo iuxta horum » sententiam, (quam scilicet defen» dimus), si Titius legat opera iam

» in volumen compacta, excom-
» municatione percellitur; si autem
» non compacta, excommunicatione
» eximetur. »

At doctus Episcopus minime animadvertit propositum casum a nostro omnimodis discrepare. Opera enim Lutheri compacta, nec ne sint, differunt tantum exteriori forma, non quantum ad substantiam attinet, sicut ex. gr. nullimode relate ad substantiam differt opus certi auctoris compactum a nondum compacto; neque animadvertit, haec duo exemplaria praeseferre Lutheri nomen, cuius opera condemnata fuere per apostolicas litteras; Lectorem insuper dum legit partem operis non compacti, legere partem operis iam existentis, completi, notissimi, atque damnati, ad instar illius qui paullatim legit opus aliquod iam compactum; atque exinde non perspicimus quaenam adsit similitudo inter propositum a Rmo Formisano casum, et casum nostrum. Neque exinde lex lata inutilis redditur. Etenim quaelibet lex, poenalis praesertim, non id intendit ut obtineat omnes possibiles effectus, sed illos tantum quos verbis comprehendit; hinc tum solum lex inutilis redderetur, si exclusis ex. gr. ephemeridibus, nullum consequeretur effectum et bonum; hoc enim tantum casu valet argumentum deductum ex inutilitate latae legis. At in casu nostro id minime sequitur; etenim et firma consistit excommunicatio lata in legentes libros propugnantes haeresim, atque insuper adsunt speciales rationes, quibus demonstratur ephemerides noxias sub librorum censu non esse comprehendendas.

Argumentum igitur a Rmo Nolano Episcopo propositum solidum esse non videtur, ipsumque oppugnari a praestantioribus doctoribus. Neque illud praetermittimus, quod ipsemet sub fine articuli, *pag. 35* confitetur, in proposito casu *reperiri veram practicam difficultatem, cui generalis responsio dari nequit, tum quia ephemerides non semper continent atque propugnant haeresim, tum quia tales ephemerides uti cito nascuntur, ita cito intereunt.*

Ipse tamen hanc practicam difficultatem superare nititur huiuscemodi: « In genere dici potest,
» ita inquit sermone tamen italico,
» ut notum est, quod cum homi-
» nes docti atque prudentes, et
» praesertim auctoritas ecclesiastica
» notum fecit, his vel illis epheme-
» ridibus haeresim propugnari, gra-
» viter prohibitum esse fidelibus
» eas legere, ne perversionis peri-
» culum incurrant, et si in his vel
» illis ephemeridum numeris hae-
» resis reapse propugnetur, incur-
» ritur excommunicatio. »

At non putamus, lectorum nostrorum mentem eiusmodi abripi ratiocinio.

1°. Quia consequentia logice ex praemissis non profluit.

2°. Quia non sunt homines docti

et prudentes qui possint excommunicationem inferre, sed Episcopus pro sua Dioecesi, Pontifex Romanus pro universis catholicis. Exinde vero non negamus, post eiusmodi consilia ab auctoritate ecclesiastica praesertim porrecta, talium ephemeridum lectores graviter peccare; at negari neque potest, eos graviter peccaturos etiam sine eiusmodi consilio, si scientes volentesque ephemerides perniciosas legerint.

3°. Quia ad inducendam excommunicationem satis non est prohibitio simplex talium ephemeridum; sed requiritur prohibitio sub poena excommunicationis.

4°. Quia cum lectores nesciant, an hic vel ille ephemeridum numerus haeresim contineat, quomodo excommunicationem latam incurrere poterunt, cum Pius Papa IX excommunicarit legentes *libros cuiusvis auctoris per, apostolicas litteras nominatim prohibitos;* de quibus consequenter antea sciendum est quod contineant haeresim?

5°. Quod si Rmus Episcopus Formisano id significare vult (quod quidem non videtur, attamen dicere necessario deberet suae sententiae defendendae gratia), incurri scilicet excommunicationem, quia ephemerides hae vel illae (ex. gr. la Capitale) *in globo,* ut dicitur proscriptae fuere, nempe quilibet earum numerus; hoc in casu, et dato quod prohibitio lata fuerit sub poena excommunicationis latae sententiae, ad incurrendam censuram necessarium non esset legere numeros haeresim propugnantes, incurreretur enim cuiuslibet lectione numeri quamvis ab haeresi immunis; ad instar prorsus illius qui legeret partem libri per apostolicas literas nominatim prohibiti, quamvis pars illa nullum contra fidem errorem vel propugnaret, vel contineret. Etenim legislator integrum sub excommunicationis poena librum prohibuit, quamvis nosset non omnes paginas haeresim continere, plurimas insuper esse quae veritati nituntur.

III. Inquirere tertio loco debemus utrum ob allocutionem a Pio Papa IX habitam die 1 Novembris an. 1874 contraria sententia confirmetur, nostra autem detrimentum recipiat. Quod omnino negamus.

Revera, dato et non concesso, quod citatae Allocutioni ea tribuatur vis quae legibus proprie dictis tribuitur, quod inferius expendemus, nil aliud inferret quam confirmationem legum iam existentium atque promulgatarum. « Alias, » dicit Pontifex, eiusmodi ephemerides a nobis prohibitae fuere; et » nunc iterum eas prohibemus, et » ut melius loquamur, *confirmamus* » *antiquas prohibitiones cum adnexis censuris.* »

Consequenter Pius Papa IX, allocutione praedicta non promulgavit novam prohibitionem, sed antiquas, seu iam existentes confir-

mavit. Ergo confirmatio ab eo facta tantum inferet quantum inferebant antiquae prohibitiones circa ephemerides haeresim propugnantes, et nihil aliud.

At quaenam sunt eiusmodi antiquae prohibitiones? Pontifex unam exhibet ab ipsomet indictam; atque continetur in epistola ad Eminentissimum Cardinalem Urbis Vicarium data sub die 30 Iunii 1881, qua inter alia haec praecipit: « Interim ut malorum tot eluvioni » ager aliquis opponatur, Epistolam Parochis mittes, dilecte fili » noster, ut admoneant Paroecianos, » nonnullarum ephemeridum, quae » praesertim hic Romae evulgantur, lectionem esse ipsis interdictam; atque haec inhibitio ita denuntietur, ut cognoscant qui violant, violationem hanc non veniale, sed grave esse peccatum. » *Acta S. Sedis, Vol. VI, pag. 342.*

Pius IX igitur prohiberi vult perniciosas ephemerides sub peccati mortalis poena, non excommunicationis. Lectores igitur eiusmodi ephemeridum graviter quidem peccabunt, at excommunicati non erunt.

Eminentissimus Cardinalis Vicarius epistolas circulares reapse ad Parochos dedit die 6 Iulii 1871, quibus praecipit. « Declarent porro » RR. Parochi, ex ipso naturali iure » huiusmodi ephemeridum lectionem Catholicis prohiberi ob proximum quod adeunt periculum » in fide deficiendi; quumque de » praecepto in re gravi agatur, qui » violant, non venialis, sed gravis » culpae reos ante Deum evadere. » *Ibid. pag. 345.*

Ne quis autem excusationem adducat, « nescire se quaenam sint » ephemerides summopere impudentes, fictae, mendaces, et irreligiosae, quas proscribi vult » Pater Sanctissimus, praecipuas adnotamus (1). » Atqui hae omnes ephemerides impudentiores sub gravi culpa prohibentur, minime sub poena excommunicationis. Ergo allocutio diei 1 Novembris 1874 referri non potest ad hanc prohibitionem diei 6 Iulii, anni 1871.

Perpendamus hinc utrum refertur ad generales prohibitiones quae in regulis Indicis habentur, ut Commentator Patavinus arbitratur.

Atqui 1° Patavini sententia nobis admodum obscura videtur. Primum dicit, Pium Papam IX verbis: *renovamus antiquas prohibitiones cum adnexis censuris* intellexisse *generales prohibitiones, quae in regulis Iudicis habentur, quibus etiam adnectuntur censurae;* deinde affirmare videtur has censuras illas esse quae latae reperiuntur in Constitutione *Apostolicae Sedis.* « Nihilque aliud R. Pontifex suis ordinationibus praestitit, quam eas-

(1) *Id est* La Libertà Gazzetta del popolo – La Capitale Gazzetta di Roma – Il Tempo – Il Tribuno – Bon Pirlone figlio – Il Diavolo color di Rosa. – La Nuova Roma – La Raspa – La Vita nuova – La Concordia – Il Mefistofele. *Ibid. pag. 346.*

» dem prohibitiones renovare ac » confirmare, renovondo una simul » adnexas censuras ad normam Con- » stitutionis *Apostolicae Sedis.* »

Quid est hoc? Si Pius IX per verba *antiquas prohibitiones* regulas Indicis indigitare voluit, cum affirmarit se *renovare antiquas prohibitiones cum adnexis censuris,* hae erunt censurae latae in Indice, non latae in Const. *Apostolicae Sedis.* Si autem indigitavit prohibitionem librorum prohibitorum, de qua sermo est in Const. *Apostolicae Sedis,* adnexae censurae hae erunt, et minime censurae adnexae regulis Indicis. Ni fallimur tamen, sensus cl. Patavini Commentatoris hic esse videtur, Pium IX scilicet confirmasse quidem antiquas prohibitiones contentas in regulis Indicis, sed quantum ad censuras attinet, cum censurae in Indice latae nullam vim haberent, ut infra videbimus, illis adnexuit censuras latas Cap. II Const. *Apostolicae Sedis.*

At hoc in casu falsum esset, censuras fuisse adnexas antiquis prohibitionibus ; non intelligeremus quomodo Pius IX prohibitiones illas quidem confirmarit, non autem adnexas censuras contra obvium verborum sensum; non intelligeremus insuper qua de causa perculerit excommunicatione speciali modo reservata lectores perniciosarum ephemeridum, cum hi in genere non adeo delinquant ut lectores librorum prohibitorum; hi enim vetitos libros emunt et legunt scientes volentesque in comptemtum Ecclesiae, illi vel aliis de causis, et nescientes an numeri quos emunt haeresim contineant, ut alias differentias praetereamus; atque aliis silentio pressis, Commentatori Patavino onus probandi incumberet, illum esse sensum verborum Pii IX; quod tum solum probare poterit cum authentica declaratio Pontificia accesserit. Demum non intelligimus et quomodo renovari lex possit, cui adnectatur sanctio diversae legis, quin exprimatur, et quomodo in casu poenam quis incurrat.

Et haec quantum ad processum logicum, in quo si opinio nos fefellit, veniam petimus.

Attamen verum ne est, Pium IX pro perniciosis ephemeridibus renovasse et confirmasse regulas Indicis cum censuris adnexis? Neganda sententia est 1°. quia post Constitutionem *Apostolicae Sedis* excommunicatio in Indice lata vim suam amisit. « Hac perpetuo vali- » tura Constitutione, inquit Pius IX, » decernimus, ut ex quibuscumque » censuris sive excommunicationis, » sive suspensionis, sive interdicti, » quae per modum latae sententiae, » ipsoque facto incurrendae hacte- » nus impositae sunt, nonnisi illae, » quas in hac ipsa Constitutione in- » serimus, robur exinde habeant. » Atqui excommunicatio lata in Indice est *latae sententiae;* renovata insuper fuit maiori severitate in Cap. II Const. *Apostolicae Sedis;*

post hanc igitur vigere non potest.

2°. Si Indicis excommunicatio adhuc vigeret, legentes libros haereticorum et apostatarum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, duplicem excommunicationem incurrerent, Indicis, scilicet, et Pianae Constitutiones; quod admitti nequit.

3°. Commentatores omnes Constitutionis Pianae in re affirmanda plane sunt concordes. Unum Ballerini citabimus in notis ad Theologiam Moralem P. Gury *Vol. II, pag. 1013.* « Cessat igitur, inquit, » poena excommunicationis ipso facto incurrendae, licet non reservatae, qua iuxta regulas Indicis » prohibiti erant libri omnes haeresiarcharum, sive eorum, qui » haereticorum capita aut duces censeantur; tum etiam libri haereticorum, qui de religione ex professo tractarent; vel etiam libri » auctoris sive haeretici, sive non » haeretici ob haeresim vel falsi » dogmatis suspicionem damnati atque prohibiti. » De hac re dubitare non possumus.

4°. Decem Indicis Regulae in subiecta materia nihil omnino continent, cum numquam de ephemeridibus loquantur, at tantum de libris, opusculis, libellis.

Quod si regula X praescribitur: « In librorum, aliarumve Scripturarum impressione servetur quod » in Concilio Lateranensi sub Leone X (Sess. X) statutum est »; praeterquamquod per verbum *Scripturarum* intelligenda sint manuscripta, et minime ephemerides typis editae, hac regula afficiuntur uni typographi et manuscriptorum, id est operis aut scripturae typis edendae auctores, qui id facere auderent, Romae quidem, sine approbatione vel Emi Urbis Vicarii aut Magistri S. Palatii apostolici facultate, extra, sine Episcoporum licentia. Utique hac in regula nominantur libelli, at manuscripti, qui sine praescripta approbatione divulgentur; *eos vero qui libellos manuscriptos vulgant;* atque excommunicationis poena fertur contra auctores, non lectores. At ephemerides a Pio IX proscriptae per literas datas ab Emo Urbis Vicario, neque vocari possunt, neque sunt libelli, aut manuscripta, et cum sermo sit de ephemeridibus determinatis, verba extendi nequeunt ad alia.

Non negamus utique sub fine harum regularum legi « Quod si » quis libros haereticorum, vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incidat. »

At quisque videt, in prima parte recitati textus sermonem esse de libris proprie dictis, quorum lectio secunda Indicis Regula interdicitur; in alia autem parte de scriptis, id est opusculis, libellis certorum au-

ctorum, *cuiusvis auctoris,* damnatis *ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem,* quorum tantum mentio in praecedentibus fit regulis. Consequenter eiusmodi dispositio non potest ad ephemerides referri tum ob rationes supra expositas, tum quia conclusio legis, qua summatim recensentur ea quae in legis corpore decreta sunt, ad haec tantum referri potest; non ad alia praesertim nova, et de quibus nullus sit in praecedentibus sermo.

Post haec licitum erit inferre, quod cum in decem Indicis regulis numquam fiat de ephemeridibus mentio, verba Pii IX quae has tantum afficiunt, rationabiliter referri non possunt ad Regulas Indicis.

Hoc tamen minime inficiamur, in Decretis de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis §. 1 n. 6, prohibita reperiri *Carmina narrationes, imagines, libri, in quibus eorum fides, ac religio commendatur;* n. 8: *Colloquia, conferentiae, disputationes;* n. 9: *Confessiones, articuli, sive formulae fidei eorumdem.*

At difficultas quae exinde fortasse urgeri posset, corruit si ad titulum paragraphi attendamus, qui ita iacet: *Libri ab haereticis scripti, vel editi, aut ad eos, sive ad infideles pertinentes, prohibiti;* quibus verbis, quae manifestam relationem habent ad regulam secundam, prohibentur libri et scripta manifestorum haereticorum; ita ut satis sit nosse, eiusmodi libros, conferentias, colloquia etc. edita fuisse ab haereticis manifestis, ut prohibita censeantur et sint. At eiusmodi lege non comprehenduntur ephemerides, de quibus loquimur, quia, ceteris praetermissis, nec quilibet earum numerus haeresim continet, neque secta dignoscitur ad quam pertineant auctores, quin imo plerumque hi minime cognoscuntur, neque antea scitur an haeresim numerus hic vel ille propugnet; ita ut conditiones ab titulo paragraphi cit. requisitae minime circa ephemerides adimpleantur.

Neque nobis solidum videtur ratiocinium quod cl. Ballerini urget in notis ad Theologiam moralem P. Gury *Tom. 11, pag. 1013 Not. a,* quo loco scribit: « Qua de re illud » animadversione dignum plane est, » quod cernimus in *Decretis de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis.* Nam §. 1 praefigitur titulus *Libri ab haereticis scripti vel editi;* deinde n. 6 legitur: *Carmina, orationes, imagines;* et n. 9: *Confessiones, articuli, sive formulae fidei.* Ergo in Decretis de librorum lectione *Libri* nomen ad ista quoque se extendit. Idipsum dicito de §. 2, cui titulus: *Libri certorum argumentum prohibiti.* Attamen videsis inibi (nn. 5. 6. 7.) memorari *libellos, epistolas, ordinationes, arresta, decreta, litteras.* Ergo siquidem in Decretis, quae librorum lectionem etiam sub censuris damnant, existimandum

» sit, *Libri* nomen eo sensu usur-
» pari, quo in Decretis huiusmodi
» adhiberi generatim solet, inane
» videri poterit argumentum ab
» aliis petitum ex vulgari libri ap-
» pellatione, quo nimirum a con-
» demnatione, poenisque adiectis,
» lectio epistolae, carminis, oratio-
» nis, ephemeridis cuiuspiam exi-
» matur. Idque alia ratione confir-
» mari potest. Nam, inspectis de-
» cretis satis patet, nomine *libri*
» intelligi quidquid demum, cuius
» lectio in fidei ac morum detri-
» mentum et corruptelam confert.
» Atque id non solum scriptis, qui
» vulgariter *libri* nomen habent,
» sed cuivis scriptiunculae conve-
» nit. Ergo. »

Atqui huic doctissimi viri ratiocinio responderi potest 1°. tum antiquis Sacrorum Canonum Tractatoribus, tum Commentatoribus propemodum omnibus Pianae Constitutionis, quos citavimus, perspectas fuisse regulas Indicis, locaque ipsa a cl. P. Ballerini adducta, attamen in ea constitisse sententia, ut ephemerides sub latis in Indice censuris non comprehenderent. 2. Neque id ratione qualibet destituti peregerunt; animadverterunt enim, illorum decretorum conditores materias disposuisse ad tramites regularum Indicis; et quoniam Regula II prohibebantur libri haereticorum, ita constituere quaenam alia ab haereticis divulgata sub illa regula comprehendi deberent; atque hinc materias singulas suo nomine vocant, quin aut insinuent, aut praetendant eas quoque *libros* esse vocandas. Id tantopere verum est, ut n. 6 quo prohibentur *carmina, narrationes, orationes, imagines,* prohibentur etiam *libri, in quibus eorum fides ac religio commendatur.* Num ne in carminibus, narrationibus, orationibus, imaginibus nequibant haeretici propriam fidem commendare et propugnare?

Utique poterant. Attamen auctores decretorum illorum scripturas omnes ab haereticis evulgatas diverso nomine appellant, dum libros proprie dictos *libros* vocant. Ratione igitur tituli affirmari non potest, illis in decretis uti libros haberi formulas, articulos, sermones, multo minus imagines.

Insuper animadvertimus, ratiocinium adductum consistere non posse quin supponatur quod in quaestione versatur. Reapse uti in praefatione decretis illis praemissa dicitur; ideo ipsa adduntur, atque ratione materiae distinguuntur, quia possibile non erat propter ingentem scriptorum haereticorum numerum, omnia in Indice librorum prohibitorum recensere: *cum singillatim describi in Indice propter ingentem numerum non possint.* At certum est, in Indice referri genus quodlibet scriptorum perniciosorum, quin exinde eorum natura aut nomen mutetur, Pasquillus ex. gr. manet pasquillus etiam in Indice relatus, atque ita dicatur de articulo, de carmine etc. At si

adductum ratiocinium admittatur, dicere deberemus, omnia opuscula carmina, libellos, articulos etc. in Indice relatos in libros commutatos fuisse eo quod inscribatur: *Index librorum prohibitorum.* At haec est quaestio, quae numquam dirempta fuit; et quamvis eam apprime cognoscerent doctores antiqui et recentiores quos citavimus, atque alii qui citari possent, tamen sententiam nostram propugnarunt; quod est manifestum indicium, relatum cl. Ballerini argumentum firmum eis visum non fuisse.

Quid ergo? concidunt ne Indicis decreta? Nequaquam sed firma omnino consistunt. Etenim prohibiti semper manent *libri ab haereticis conscripti, vel editi, aut ad eos, sive ad infideles pertinentes;* ideoque manifestorum haereticorum prohibitae manent *formulae, carmina, orationes, articuli* etc. At manifestorum haereticorum, et infidelium; eorum consequenter qui tales ante lectionem cognoscuntur. Quae autem paritas cum ephemeridibus?

Antiquae prohibitiones igitur cum adnexis censuris, de quibus Pius Papa IX in cit. Allocutione, esse non possunt quae in Indice librorum prohibitorum continentur.

At possunt ne esse quae habentur Cap. II Const. *Apostolicae Sedis?* Negative, nedum ob rationes expositas, sed quia Piana Constitutio promulgata fuit an. 1869; prohibitiones igitur cum adnexis censuris nullo pacto forent antiquae.

Quinam igitur erit sensus verborum a Pio Papa IX prolatorum? Pro eiusmodi ephemeridibus quasnam leges et censuras confirmavit?

Sincere respondemus. *Nescimus.* Allocutionis illius pars, quae nostra interest, obscura est, incerta est; nescitur scilicet ad quam legem et prohibitionem referatur; indiget consequenter authentica declaratione; atque hac unica de causa obligare sub excommunicationis poena non potest.

Haec autem ea in hypothesi disputavimus, qua quis arbitretur allocutionem illam officialem esse et vim legis habere.

Attamen id nos omnino negamus, tum quia nullo pacto decernit, vel insinuat quas antiquas prohibitiones et censuras confirmare intendat; tum ob aliquod indicium intrinsecum et extrinsecum; tum ob defectum necessariae promulgationis; tum demum quia allocutio illa uti lex nec spectata nec habita fuit.

Primum ex dictis patet: Allocutione cit. Pontifex confirmat leges et prohibitiones antiquas; ipsius ergo erat expressis verbis indigitare quasnam vellet prohibitiones confirmare; praesertim cum in tribus relatis prohibitionibus diversa habeatur sanctio. Etenim si pernicios as ephemerides concludere voluit sub Cap. II Const. *Apostolicae Sedis,* excommunicatio est speciali modo summo Pontifici reservata; si sub regulis Indicis, excommunicatio nedum nulli erat reservata,

sed nec de cetero vigebat; si sub litteris circularibus Emi Urbis Vicarii, lectores gravi quidem peccato, sed nulla excommunicatione obstricti tenebantur. (1)

Insuper ne vim legis allocutioni praedictae tribuamus, exigunt indicia quaedam. Etenim si allocutio illa habet vim legis, eamdem habebunt vim allocutiones omnes a Pio IX habitae, in quibus aliquid approbavit aut confirmavit, quaeque et in publicis ephemeridibus evulgatae fuerunt, et in plura volumina collectae a De Franciscis. Id autem potest ne prudenter affirmari?

De cetero in hac ipsa allocutione Summus Pontifex subdit. « Eam » condemnationem quam merentur » ephemerides, merentur similiter » quaedam scenicae recitationes, » quaedam publica spectacula quae » menti caliginem offundunt, ani» mumque pervertunt spectatorum, » iuvenum praesertim, quorum cor » facilius corruptioni est obno» xium. » (2)

Ergo proclamabimus ne Pium Papam IX excommunicationi subdidisse eiusmodi scenica spectacula? et quoniam de ipsis nec in regulis Indicis, nec in Constitutione *Apostolicae Sedis* sermo habetur aut mentio, dicemus ne, Pium Papam IX renovasse antiquos canones qui obscaena spectacula excommunicatione percellebant, Canonem scilicet 62 Concilii Eliberitani habiti anno 305? Aut Canonem quintum Concilii Arelatensis an. 314 celebrati? Aut canonem 29 Concilii Lateranensis II, quod habitum fuit anno 1139? Nemo profecto id erit affirmaturus. Attamen Pius Papa IX dicit eiusmodi scenicas recitationes eamdem mereri condemnationem ac perniciosas ephemerides.

At haec omnia transeant. Ad quos habita haec allocutio fuit? Ad socios activos principalis Societatis Romanae pro catholicis rebus. At lex habetur et dirigitur tantum ad unam personarum classem? Quis hanc legem promulgavit? Quibus in locis affixa fuit? Insuper promulgata ne fuit de mandato Pontificis? Habet ne in se requisita necessaria ad authenticam promulgationem? Maxima vel saltem maior catholicorum pars eam ne putavit actum pontificia auctoritate latum? Inserta ne aliquando fuit in corpore legum Papalium?

Non inficiamur utique, legum promulgationem, quantum ad substantiam attinet, pendere a voluntate legislatoris; sed neque negari

(1) Exinde sequeretur quod quamvis cit. Allocutio vim legis haberet, quoniam est obscura et dubia, *et semper in dubiis et obscuris benignior interpretatio est facienda.* L. *Semper* ff. de regulis i ris; lectores eiusmodi ephemeridum incurrerent excommunicationem Indicis, minime latam Cap. II Const. *Apostolicae Sedis*, et Romano Pontifici speciali modo reservatam.

(2) De Franciscis, Discorsi del Sommo Pontefice Pio IX, Vol. III, pag. 448.

potest, quicumque sit promulgationis modus a legislatore adhibitus, constare debere de authenticitate ipsius; subditos scilicet certos esse debere de existentia legis latae, sancitae, et promulgatae de voluntate et de mandato Legislatoris; at id minime constat, et nescimus quibus argumentis constare posset. Nulla insuper ratio apparet quare Legislator solitum promulgationis modum praetermiserit.

Demum certum est, Catholicos Allocutioni illi vim legis non tribuisse, constat infra Acta S. Sedis non fuisse recensitum, neque ab ipsis Redactoribus Actorum Sanctae Sedis, qui et Romae erant, et Romae scribebant et scribunt, quique certe allocutionem illam noverant; constat maiores numero et praecipuos inter commentatores Const. *Apostolicae Sedis* Allocutioni praedictae vim legis minime tribuisse, sed neque Romanos doctores atque theologos; idque sub oculis Pontificis, Romanarum Congregationum Eminentissimi Urbis Vicarii, et Magistri S. Palatii Apostolici. Quo igitur argumento Allocutioni Pianae vim legis tribuemus? Ad summum, ut liberales prorsus simus, est lex dubia; *At lex dubia non obligat.*

Porro ex dictis haec constare videntur, ephemerides propugnantes haeresim non comprehendi sub Cap. II. Constit. *Apostolicae Sedis* neque sub prohibitionibus et censuris latis in Indice librorum prohibitorum, sed neque sub alia prohibitione cui censurae sint adnexae; ergo lectores eiusmodi ephemeridum nulla excommunicatione tenentur.

Quid igitur? num ne etiam gravi culpa excusabantur? Minime. Etenim lectio perniciosorum librorum sicut et ephemeridum ipso naturae iure prohibetur, tum divino et ecclesiastico, ut patet etiam ex epistolis circularibus Emi Urbis Vicarii iam recitatis; consequenter a gravi peccato libros et ephemerides perniciosas sine legitima facultate legentes excusari non possunt.

Et haec quidem satis esse possent. Attamen ad absolutionem huius Capitis adhuc duo expendenda censemus.

1°. Utrum Christi fidelibus sive laicis, sive ecclesiasticis qui gaudent apostolica facultate legendi et retinendi libros in Indicem relatos, liceat legere aut retinere ephemerides ab Episcopis in sua Diocesi nominatim prohibitas?

2°. Utrum ephemerides ex se censurae Ordinarii loci quo eduntur sint adhuc obnoxiae, vel eidem, ob circumstantias temporum, subtractae existimari debeant?

Antequam ad primam quaestionem respondeamus, praemittimus, Episcopos leges et mandata condere posse pro suis tantum subditis, aliosque non subditos eorum legibus non obligari: consequenter dum loquimur de Christi fidelibus quibuscumque qui facultate pollent

legendi libros prohibitos, de illis loquimur qui respective subsunt auctoritati Episcopi loci quo ephemerides eduntur.

Quibus praemissis ad quaestionem propositam respondemus *negative*.

Revera 1°. Certum ita est, ut probatione non indigeat, christianum quemlibet obstringi tum legibus generalibus Ecclesiae, tum specialibus latis a propriis Episcopis. At certum pariter est iuridicum axioma, quod *cuius est legem condere eius est etiam illius obligationem remittere*, quae obligationis remissio concedi etiam potest ab iis qui aequalem potestatem habent cum eo qui legem condidit: *Generalis regula est*, dicunt csacrorum anonum tractatores, *legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum qui parem cum iis qui legem condiderunt, potestatem tenent*. Ni igitur ab iis qui auctoritatem vel aequalem vel superiorem habent, dispensetur in lege Episcopi, subditi eius legibus obstricti manent.

At Romanus Pontifex dum facultatem legendi libros prohibitos alicui concedit, minime censendus est dispensare in legibus particularium Dioecesium. Etenim dum a legibus particularibus alicuius Episcopi aliquem dispensare intendit, id exprimere solet *verbis explicitis* vel *aequipollentibus;* si igitur in pontificia facultate haec explicita declaratio desit, dicendus est Pontifex legem Episcopi intactam et in sua vi relinquere.

Id autem luculentissime patet ex facultatibus quas S. Sedes aliquando confessariis concedit absolvendi ab omnibus casibus reservatis; quae tamen facultates nullo pacto comprehendunt casus reservatos ab Episcopis in respectiva dioecesi, ut constat tum ex Const. *Pias Christi fidelium* edita a Benedicto XIV sub die 21 Augusti 1752, qua §. 3 etc., limitat facultates concessas confratribus S. Mariae de Succursu: et *praeterquam in casibus nobis et Sedi Apostolicae dumtaxat, non vero etiam Ordinariis locorum reservatis, nisi eorumdem Ordinariorum licentia respective accedat,* tum ex facultatibus quas S. Poenitentiaria concedit, quibus praecipitur: *et abstineas absolvere a casibus reservatis locorum Ordinariis, nisi facultatem ab eisdem obtinueris;* tum ex aliis documentis quae lectoribus nostris notissima sunt.

Cum igitur expresse intentio Romanorum Pontificum sit intactas servare leges singularium dioecesium, nisi et ab iis dispensationem *explicite* concedat, nullo modo putare debent qui facultatem legendi et retinendi libros prohibitos obtinuere, sese facultatem obtinuisse legendi et retinendi libros aut ephemerides a respectivis episcopis in sua Dioecesi prohibitas.

3°. Quod etiam patet ex quo facultas legendi libros prohibitos restringitur ad libros contentos in Indice. At libri et ephemerides pro-

hibitae in singulis Dioecesibus in Indice non continentur; nec ergo contineri possunt in facultate generali legendi libros prohibitos.

4°. Praetermittimus doctorum consensum in re exploratissimum.

Exinde corruit illud argumentum quo aliqui dicunt apostolicum indultum legendi libros in Indicem relatos extendi posse ac debere ad speciales etiam prohibitiones, quae eduntur ab Ordinariis in eorum Dioecesibus, tum quia facultas conceditur a suprema auctoritate, tum quia eadem facultas utpote generalis comprehendit quoque casus particulares, iis tantum exceptis, quae in ipso Pontificio rescripto excipiuntur.

Respondemus enim ad 1 quod cum soliti sint Romani Pontifices explicitis verbis vel aequipollentibus declarare, utrum in casibus etiam sibi ab Episcopis reservatis, vel in ipsorum legibus dispensent; nisi adsit eiusmodi declaratio, dispensare censendi non sunt; indultum ergo concessum etiam ab Suprema auctoritate iuxta consuetas regulas limitandum est.

Eodem argumento subvertitur id quod subditur, scilicet facultate generali comprehendi etiam casus particulares; nisi scilicet consuetudine, vel agendi ratione a concedentibus facultatem generalem adhibita contrarium constet. Porro id constat; in facultatibus enim quae conceduntur a Rom. Pontifice per S. Indicis Congregationis Secretarium legendi libros quoscumque prohibitos, ii intelliguntur qui per eamdem S. Congregationem in Indicem relati sunt, non alii ab Episcopis prohibiti, qui saepe saepius quinam sint nesciuntur. Neque exinde deduci posset, quod si ita est, facultas illa generalis non sit. Etenim generalis est quantum ad libros in Indice relatos, pro quibus facultas conceditur. Raro deinde Episcopi libros prohibent; sed id curant ut vel ad Supremam Inquisitionem, vel ad Eñum Praefectum, aut Secretarium S. C. Indicis illos denuncient, ut generali prohibitione e manibus fidelium illos eripiant: secus prohibitio episcopalis unos subditos adstringeret.

Ad secundam quaestionem affirmative respondemus.

Nulla enim lex promulgata fuit, qua dispositio disciplinaris subiiciendi censurae libros aut scripta quaelibet edenda, contenta in regula X Indicis, abrogata fuerit. Etenim 1°. Constitutio *Apostolicae Sedis* abrogavit quidem excommunicationem ea regula illatam, at minime id quod ad disciplinam spectat, cum de eiusmodi re non sit Constitutio Piana sollicita, neque praeceptum subiiciendi censurae auctoritatis ecclesiasticae scripta quaelibet edenda quid habet commune cum excommunicatione addita; quare ex huius abrogatione inferri nequit abrogatio illius. 2°. Magister Sacri Palatii Apostolici, sicut prius, ita et nunc sibi reservat scri-

pti cuiuslibet censuram antequam typis evulgetur, minime exclusis periodicis etiam religiosis, etiam periodico nostro, qui inscribitur *Acta S. Sedis*. Atque quod Romae peragit Magister S. P. Apostolici, in respectivis Dioecesibus peragunt Episcopi. Quin imo si ad S. Congregationem Indicis liber aliquis deferatur, primum quod quaeritur est, an Episcopi auctoritate fuerit typis editus. Ex quibus sequitur, tum de iure, tum de facto scripta quaelibet submittenda esse Episcopi censurae.

EMENDATIONES

IN COMMENTARIIS INSTITUENDAE

EMENDATIO IN APPENDICEM VI.
Tom. 1. pag. 259.

Eo in Capite actum a nobis est de excommunicatione lata in *Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: itemque edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Scripsimus autem, per verbum *cogentes* intelligendas esse personas quaslibet etiam privatas, quae sive directe, sive indirecte in causa criminali, ex. gr. furti, homicidii etc., vel civili, ex. gr. solvendae pecuniae, iudicem laicum compellerent, mediante accusatione, aut citatione, ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.

« At per eiusmodi excommunicationis innovationem, ita scripsimus *pag. 263*, non tam respicere voluisse Principes laicos, vel Deputatos Parlamenti edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, quam personas particulares, quae fuissent abusae latis legibus contra viros Ecclesiae, res est manifesta etc. » Atque sententiam nostram non spernendis argumentis nos probasse existimabamus.

Verum neque vera neque solida ea visa sunt Supremae Inquisitioni, a qua die 23 Ianuarii an. 1886, sequentes litterae circulares in re promulgatae fuerunt, quas nos exscribimus ex Actis S. Sedis *Tom. 18. pag. 416.*

« Illmo ac Rmo Domine.
« In Constitutione Pii IX s. m. quae incipit: *Apostolicae Sedis mode-*

» *rationi* IV Idus Octobr. 1869, » cautum est, excommunicationem » Romano Pontifici reservatam spe- » ciali modo incurrere. — *Cogentes* » *sive directe sive indirecte iudices* » *laicos ad trahendum ad suum tri-* » *bunal personas ecclesiasticas prae-* » *ter canonicas dispositiones, item* » *edentes leges vel decreta contra* » *libertatem et iura Ecclesiae.*

« Cum de vero sensu et intelli- » gentia huius Capitis saepe dubi- » tatum fuerit, haec Suprema Con- » gregatio S. Romanae et Universa- » lis Inquisitionis, non semel de- » claravit, Caput *Cogentes* non af- » ficere nisi Legislatores et alias » Auctoritates cogentes sive dire- » cte sive indirecte iudices laicos » ad trahendum ad suum tribunal » personas ecclesiasticas praeter ca- » nonicas dispositiones. Hanc vero » declarationem Sanctissimus D. N. » Leo Papa XIII probavit et confir- » mavit; ideoque S. haec Congre- » gatio illam cum omnibus loco- » rum Ordinariis pro norma com- » municandam esse censuit.

« Ceterum in iis locis in quibus » fori privilegio per Summos Pon- » tifices derogatum non fuit, si in » eis non datur iura sua persequi » nisi apud iudices laicos, tenentur » singuli prius a proprio ipsorum » Ordinario veniam petere ut Cle- » ricos in forma laicorum conve- » nire possint, eamque Ordinarii » numquam denegabunt, tum ma- » xime, cum ipsi controversiis in- » ter partes conciliandis frustra o- » peram dederint. Episcopos autem » in id forum convenire absque » venia Sedis Apostolicae non licet. » Et si quis ausus fuerit trahere » ad iudicem seu iudices laicos vel » Clericum sine venia Ordinarii, » vel Episcopum sine venia S. Se- » dis, in potestate eorumdem Or- » dinariorum erit in eum, praeser- » tim si fuerit Clericus, animadver- » tere poenis et censuris ferendae » sententiae, uti violatorem privi- » legii fori, si id expedire in Do- » mino iudicaverint.

« Interim fausta multa ac felicia » tibi precor a Domino.

« Datum Romae die 23 Ianuarii » an. 1886.

« Addictissimus in Domino

« R. Card. Monaco. »

Atqui ex relato decreto manifestum fit, actores contra personas ecclesiasticas quamvis episcopali dignitate fulgentes, nullimode incurrere excommunicationem in citato Capite latam, etiamsi in loco privilegio Fori per Summos Pontifices derogatum non fuerit.

2°. Eos tamen, si huiusmodi Fori privilegio derogatum non fuit, dum personam ecclesiasticam in iudicium trahere coram saecularibus iudicibus putant, teneri veniam petere ab Ordinario, si persona trahenda in iudicium clericus fuerit, ab Sede Apostolica, si Episcopus.

3°. Ad hanc tamen veniam petendam actorem non teneri, si privilegio fori per Summos Pontifices fuit derogatum.

4°. In locis in quibus fori privilegio derogatum non fuit, Episcopos posse poenis et censuris ferendae sententiae in actores animadvertere ut in violatores privilegii fori, si veniam praedictam ab Ecclesiastica auctoritate petere posthabuerint: praesertim si actores Clerici fuerint.

5°. Ordinarios locorum veniam illam trahendi coram laicis iudicibus personas ecclesiasticas numquam actoribus denegare posse.

6°. Latam in cit. Capite excommunicationem incurrere *unos Legislatores*, et *alias Auctoritates* cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones.

Inquirendum hinc est, quandonam hi hanc excommunicationem incurrant. Si enim dicamus, legislatores eam incurrere quando leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt, manifestum est, primam Capitis partem cum secunda confundi; etenim privilegium fori, quod per leges civiles abrogatur, ius est Ecclesiae; et per eiusmodi leges, ipsius Ecclesiae libertas offenditur. Ex quo sequeretur, quantum ad legislatores saltem attinet, primam Capitis partem per citatum Supremae Inquisitionis decretum in irritum missam fuisse.

Id melius patebit, si consideremus, cogere iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, esse factum singulare, et ideo excommunicationem incurri toties quoties quis hanc coactionem infert

Consequenter necessarium est, ad hanc excommunicationem incurrendam, ut legislatores post latas leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, (quae actio speciali excommunicatione percellitur), cogant iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, cum et haec actio speciali excommunicatione percellatur; sunt enim duae actiones distinctae. At si dicamus, eiusmodi coactionem contineri in eo quod Legislatores edant leges et decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, in quibus continetur privilegium fori, quod personis ecclesiasticis competit, necessario sequitur, legislatores unam incurrere excommunicationem quae fertur in secunda parte Capitis; quod si negetur, sequetur, legislatores percelli ob eumdem actum nedum duplici excommunicatione, sed pluribus, quot scilicet respondent illatis coactionibus, quinque, decem, viginti, centum etc. Quod est impossibile, quia edentibus leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae una fuit illata excommunicatio.

Non possunt ergo legumlatores ati excommunicati traduci pro coactione Iudicibus laicis illata, ea de causa, quod ediderint leges et decreta contra libertatem et iura Ec-

clesiae, illa enim actio et distincta est, et propria excommunicatione communitur.

Insuper si hanc sententiam admittamus, ipsi excommunicatione percellentur etiam dum ignorant aliquem iudicem laicum traxisse ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; traxit enim vi latae legis; quod de cetero legislatores praevidere debebant. Hoc autem est impossibile, tum ob verba capitis, quae important coactionem in singulis factis, ideoque scientiam relativam, tum quia nulla excommunicatio incurritur cum ignorantia in casu propemodum invincibili; nemo enim dicturus erit, legumlatores vel nosse vel teneri inquirere an et quaenam causae ecclesiasticae agitentur coram iudicibus laicis: ad quid insuper? ut eas ne impediant? Et impediendo in irritum mittant editas a se leges vel decreta? Quod de cetero particularibus legislatoribus, seu singulis Deputatis utriusque Senatus seu Parlamenti, in Gubernio Constitutionali redditur impossibile, cum ipsi *collective*, non *distributive* potestatem habeant leges condendi, ideoque et eis derogandi. Ex quo illud inferimus, legumlatores, seu Deputatos in Gubernio constitutionali nullam habere auctoritatem extra parlamentum, si illa excipiatur, quae intrinseca sit muneri, vel officio ipsi demandato, ex. gr. si quis fuerit ministerio negotiis gerendis praepositus sive interne, sive externe, ministerio cultuum etc. Quo etiam in casu, non quatenus legislator cogeret, sed quatenus Magistratum aliquem retinens; de qua re postea.

Ergo neque hoc in casu excommunicationem pro illata incurreret coactione. Etenim in decreto lato a Suprema Inquisitione per cogentes intelliguntur *legislatores et aliae auctoritates*. At extra regni Senatum, vulgo parlamentum, nullus deputatus est legislator aut auctoritatem habens, exceptis casibus supra expositis; ergo si cogat iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, excommunicationem incurrere non potest.

Accedit, quod postquam lex aliqua condita et promulgata est, ipsi deputati sunt legi latae subiecti, atque iudices constituti ad tramites latae legis iudicia dicere tenentur, velint nolint singuli deputati, qui ferenda iudicia impedire non possent, quamvis vellent.

Porro in gubernio italico, aliisque, privilegium fori inique abrogatum est. Qua de causa clerici ex constitutis legibus sive in causa civili, sive criminali coram laico iudice pertrahuntur. At iudices laici quod sententiam dicant in personas ecclesiasticas nullam excommunicationem incurrunt. Qua ergo de causa illam incurrent deputati, si aliquem iudicem cogant ad trahendos Clericos ad tribunal laicale,

cum in casu legislatores minime sint, sed latae legi et ipsi subiecti?

Et haec quidem quantum attinet ad gubernia constitutionalia.

In regimine absoluto autem, res est difficilior. Etenim hoc in regimine unus legislator est princeps. Hic igitur legem promulgat, qua abrogat privilegium fori quod Clericis competit.

Qui magistratum retinent, nil aliud agunt nisi latam a principe legem iuxta consuetas regulas promulgare, quin ei aliquam vim conferant. Iudices autem ad tramites latae legis rem agere debent, tum ne officio priventur, tum aliis de causis.

Quaerimus hinc: an et quando princeps incurrat excommunicationem? Si dicamus, eam incurrere dum legem condit atque promulgat, profecto non quia cogit iudices, incurrit; sed quia edit leges contra libertatem et iura Ecclesiae. Si quando iudices laici, vi latae a Principe legis coacti, trahunt ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, princeps toties erit excommunicatus, quoties eiusmodi iudicia intercedunt; et quoniam princeps de huiusmodi iudiciis saepe saepius nil novit, debemus dicere, eum excommunicationem incurrere etiam dum iudicia huiusmodi nescit; quod est impossibile tum per se, quia promulgationi illi adnexa est specialis excommunicatio, tum ob verba *cogentes iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal* etc.; quae requirunt actionem positivam et specialem ex parte cogentis, et scientiam opportunam etiam canonicarum dispositionum.

Addimus, nullum supremum principem excommunicatum haberi debere, nisi disertis verbis nominetur; addimus, ex cit. capite non apparere, sub verbo *cogentes* venire supremos principes.

Hinc nos nescire, fatemur ingenue ignorantiam nostram, quando et quomodo supremi principes ratione *coactionis* illatae laicis iudicibus hanc excommunicationem incurrant.

Perpendamus hinc an illam incurrant supremi magistratus, seu auctoritatem habentes in gubernio absoluto.

Hi profecto legumlatorum nomine venire non possunt, cum in regimine absoluto unus princeps leges condere possit; ergo hoc nomine nullam contrahunt excommunicationem.

At pro munere eis a Principe concredito invigilare debent, ut latae leges executioni demandentur. Quandonam hi excommunicationem incurrunt ratione coactionis?

Num ne quando materialiter legem promulgant? Sed praeterquamquod ad latam legem executioni demandandam ex officio tenentur, promulgatione illa materiali nec legem condunt, nec legislatores fiunt, atque hinc non ipsi sunt qui cogunt, sed princeps. Addendum quod nisi officio suo fun-

gantur magna sint incommoda subituri, ex. gr. privationem officii et quidem frustra, cum quod ipsi recusant, alii facturi erunt. Ergo ratione promulgationis materialis, qua insinuent observantiam legis a Principe latae, supremi magistratus in regimine absoluto excommunicationem non incurrunt; quia non sunt ipsi qui cogunt iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas.

Atque praetermittimus, in regimine absoluto unius principis nomine leges promulgari, ab eiusque auctoritate vim suam omnem mutuari.

Sed quid de magistratibus in regimine constitutionali?

Eadem profecto et his sunt applicanda. Etenim et hi sunt legis executores, cum ferendi leges potestatem non habeant; et dato, minime tamen concesso, quod eiusmodi potestate gaudeant, excommunicati censendi erunt eo quod edant leges vel decreta contra iura Ecclesiae, non quod per lata decreta et leges cogant iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas; sin minus ea iterum in medium venient quae supra adnotavimus de duplici, imo multiplici excommunicatione contrahenda ab legislatoribus ob legem, quam executioni laici iudices circa personas ecclesiasticas demandant.

Quid ergo? inutile ne erit Supremae Inquisitionis decretum?

Profecto inutile non est; etenim aliae auctoritates utique possunt in eiusmodi excommunicationem incurrere.

Si quis enim Magistratum retinens, aut Urbis Praefectus, aut Municipes iudicem aliquem nolentem cogant ad trahendum ad suum tribunal directe vel indirecte pernas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, aut praeter legem, vel in dubio de facti existentia, aut contra legem ad id iudicem laicum faciendum compellant, excommunicationem hanc profecto incurrunt, sicut eam incurrunt si decretum aliquod edant contra libertatem et iura Ecclesiae; sunt enim auctoritates quae legem pontificiam spernunt.

Mitiori itaque interpretatione usi sunt Supremi Inquisitores in Piano Capite exponendo: privatas personas enim et actores qualibet excommunicatione eximentes, unos legislatores aliosque auctoritatem habentes excommunicationi subiecere; qui quandonam excommunicationem hanc incurrant, ex facto potius, quam ex Decreti verbis dignosci poterit, ut nobis saltem videtur.

Porro in eiusmodi decreto sanciendo Eminentissimi Patres Supremae Inquisitionis concordes reperiuntur cum declaratione ab eadem Congregatione lata die 1. Februarii 1871, quam nos retulimus *Tom. 1. pag. 261* Commentariorum nostrorum.

In ea autem haec declarabant:

« Sed in ea formula attendere de- » bes verbum *cogentes,* quod sane » indicat, excommunicationem eos » non attingere, qui subordinati » sint, etiamsi iudices fuerint; sed » in eos tantum esse latam, qui » nemine coacti, vel talia agunt, » vel alios ad agendum cogunt, quos » etiam indulgentiam nullam me- » reri facile perspicies. »

Supremi Inquisitores igitur excommunicatione eximunt subordinatos omnes, etiamsi iudices fuerint, quo et confirmant Pii IX Caput, qui pariter iudices laicos excommunicatione eximit, contra id quod decretum in Bulla Coenae fuerat, qua iudices excommunicationi subdebantur; *Quive ex eorum praetenso officio* etc. §. XV. *(Comment. Tom. 1. pag. 260).* Atque eos tantum excommunicationi subdunt, qui a *nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt:* Qui cum subordinati esse non possint, quia hi ab excommunicatione incurrenda exclusi fuere, sequitur, eos esse vel legislatores, vel auctoritatem habentes, iis tamen in circumstantiis, quas supra recensuimus.

EMENDATIO IN APPENDICEM VII.

Hac in Appendice agitur de excommunicatione lata in *recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis, aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.*

Atque quoad significationem verbi *laedentes* Tom. 1. *pag. 291* scripsimus. « Laedi autem dicuntur » personae quibus damnum infer- » tur. Quoniam vero damnum sive » personae alicui inferri potest, sive » eius bonis, hinc excommunicantur » utriusqne generis damna infe- » rentes. »

Re melius considerata, putamus non esse recedendum a stricta verbi significatione, quae importat damnum in personam, non in bona; prout exposuimus *Tom. 2. pag. 104.* Eo vel magis quod verbo *laedentes* coniungatur participium *perterrefacientes,* quod in unas personas habet locum. In lege poenali autem verba stricto sensu interpretari, et quod minimum sequi debemus. Hinc qui laedunt bona eorum de quibus in capite, nullam contrahere excommunicationem videntur.

Hanc ipsam sententiam sequitur cl. D'Annibale *Com. pag. 46. n. 71. Edit. 3.* Atque etiam alii sequuntur.

ADDENDA AD APPENDICEM IX.

Ea in Appendice agitur de excommunicatione lata in *absolventes complices.*

Et *Tom. 1. pag. 345 et seqq.* affirmavimus, turpiloquium sub lege comprehendi, nostramque senten-

tiam ab adversariorum obiectis vindicavimus.

Hanc eamdem sententiam confirmamus 1°. verbis Benedicti XIV qui in Const. *Sacramentum poenitentiae* haec decernit §. *1.* « Qui » aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu » Sacramentalis Confessionis, vel » ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in » confessionali, sive in alio loco ad » audiendas confessiones destinato, » aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad » inhonesta, et turpia solicitare, » vel provocare, sive verbis, sive » signis, sive nutibus, sive tactu, » sive per scripturam, aut tunc, » aut post legendam, tentaverint, » *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.* »

Quae verba adeo clara sunt, ut mirari quisque debeat aliquos esse qui contrarium scribere et dicere non vereantur.

2°. Eamdem sententiam confirmamus declaratione lata a Suprema Inquisitione, quam ita legimus apud Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique Tom. X. pag. 118

Feria IV, die 28 Maii 1873.

« In Congregatione generali S. » Rom. et Univ. Inquisitionis habita » coram Emis ac Rmis DD. S. Rom. » Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus » Generalibus, proposito ex parte » E. P. D. Episcopi Aurelianensis » dubio, prout sequitur: An prohibitio absolvendi complicem in » materia turpi restringi debeat ad » *tactus;* an vero comprehendat » omnia peccata gravia contra castitatem exterius commissa, etiam » illa quae in meris aspectibus consisterent?

« Iidem Emi Domini, omnibus mature perpensis, respondi mandarunt: Comprehendi nedum tactus, » verum omnia peccata gravia et » exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt » *in meris colloquiis* et adspectibus qui complicitatem important. »

Exinde nemo ultra qua par est urgere debet huius declarationis verba; sed ad hoc attendendum est diligentissime, *colloquia et adspectus* importare debere complicitatem; qua de causa colloquia *turpia* esse debent, de quibus tantum nos locuti sumus; aspectus autem tales, ut benignam interpretationem nullo pacto mereantur.

Antequam enim Sacerdos huiusmodi criminis reus traducatur, eius sollicitatio luce meridiana clarior esse debet, ut scilicet nullum dubium admittat.

Pariter hac ipsa Appendice *pag. 328* affirmavimus, a Sacerdote complice absolvi posse poenitentem complicem, dummodo clavibus non subiiciat peccatum complicitatis.

Haec sententia confirmata fuit a S. Poenitentiaria in decreto lato die

16 Maii 1877, quod ita legitur. Quaesitum fuerat. « An incurrat censuras in absolventes complicem in » peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum » in confessione non declaravit? » Ratio dubitandi esse videtur, quia » talis Sacerdos, etiamsi complex » sacrilege huius peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, » non tamen absolvit ab huiusmodi » complicitatis culpa, utpote non » declarata, nec subiecta clavibus. »

S. Poenitentiaria respondit:

« Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato » turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad » ipsum peccatum turpe in quo » idem confessarius complex fuit. » Tenetur nihilominus Confessarius » Sacerdoti qui hac ratione complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio » ob oculos ponere enormitatem » delicti sui, et abominabilem abusum Sacramenti poenitentiae, nec » aliter ei beneficium absolutionis » impertiri, quam praemissa gravissima adhortatione ut officium confessarii dimittere studeat, nec non » imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in » posterum omnino abstineat, monita eadem persona complice, si » denuo compareat, ut de peccato » complicitatis, et caeteris invalide » confessis, apud alium confessarium se accuset. »

In hac ipsa Appendice pag. 309 affirmavimus, nullam incurrere excommunicationem Confessarium qui complicem in peccato turpi fingat absolvere, sed non absolvat. Atque scripsimus. « Ut eiusmodi excommunicatio incurratur necessarium » est nedum ut Confessarius confessionem complicis audiat, sed » absolutionem reapse impertiatur; » quare si confessione audita, vel » complicem sine absolutione dimittat, vel simulet illum absolvere, et non absolvat, excommunicationem non incurrit. Lex enim » aperta est: *Absolventes complicem* » *in peccato turpi*. Si qua enim » dubitatio ante nostram Constitutionem exoriri de re poterat, nunc » nullimode dubitandum est, ad » incurrendam excommunicationem » hanc, omnino necessarium esse, » ut Confessarius complicem non » ficte, non simulate, sed reapse » absolvat. »

Et quidem nobiscum pene universi sentiebant; cum inspectis tum verbis Pianae Constitutionis, tum Benedicti XIV Constitutionibus in re latis, tum Sententia Doctorum, praesertim S. Alphonsi, dubitari nullo modo poterat quin ad hanc excommunicationem incurrendam necessaria foret complicis absolutio.

At die 16 Octobris 1877 Episcopus de Rodez S. Poenitentiariae sequens dubium dirimendum proposuit: « Utrum Confessarius qui

» suum vel suam complicem in » peccato turpi, ad mentem Bullae » *Apostolicae Sedis n. 40,* simula- » verat absolvisse, recitando v. gr » orationem quamdam, vel alia ver- » ba pronuntiando, aut etiam ta- » cendo, ita ut videretur tamen per » signa vel manuum gestus revera » poenitentem a peccatis relaxare, » incurrit excommunicationem spe- » cialiter Summo Pontifici reserva- » tam, de qua agitur in praefata » Bulla? »

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis dubiis, super iisdem pariter respondet: « *Confessarios » simulantes absolutionem compli- » cis in peccato turpi non effugere » excommunicationem reservatam » in Bulla Benedicti XIV:* Sacra- » mentum Poenitentiae. »

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 1. Martii 1878 (1).

Verum huic decreto vel declarationi id responderi poterat, quod rèspondit S. Alphonsus *Lib. VI. n. 556,* quo loco quaerit: « An » incurrat hanc excommunicatio- » nem Sacerdos, qui complicem non » absolvit, sed tantum in confessio- » ne audit? »

Respondet: « Super hoc dubio » consului Sacram Poenitentiariam, » quae die 9 Iulii 1751 respondit » absolute. *Non vitari excommu- » nicationem a praedicto Confessa- » rio per fictionem absolutionis* Et » huic sententiae ego iamdudum » adhaesi; sed postea, cum percur- » rissem Constitutionem eiusdem » Pontificis Benedicti XIV *Inter » praeteritos,* pluries citatam in §. » 29 oppositum satis declaratum » reperi, ut patet ex sequentibns » verbis: *Non minus Sacerdoti com- » plici, qui vel extra mortis arti- » culum Confessionem excipit poe- » nitentis eumque absolvit, vel qui » in articulo mortis absolvit, cum » alius Sacerdos non desit.... ex- » communicationis maioris poena » a nobis in citatis Constitutioni- » bus imposita fuit. »

Eadem prorsus respondissemus, cum dubium propositum identicum sit, identica responsio, identica auctoritas. Non enim Constitutio Pontificia in re aperta et evidens deleri potest per declarationem S. Poenitentiariae, vel Congregationis Romanae cuiuslibet, sed requiritur auctoritas Pontificia sive scripto, sive verbis expressa.

Atque hinc laude dignos censebamus cl. Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique, qui *Tom. XIV, pag. 142* scripserunt: « Nullo pacto » intendimus insurgere contra auc- » toritatem S. Poenitentiariae; atta- » men minime auderemus illos con- » demnare qui S. Alphonsi auctori- » tati innixi, latam a Benedicto XIV » legem ad litteram executioni de- » mandarent, usquedum per ipsam

(1) Nemo existimet hoc decretum anterius esse nostro Commentario in eiusmodi caput, quod frons libri deferat annum 1883, Frontem enim post confectum volumen apposuimus

» S. Sedem authentica declaratio » non emittatur. »

Atqui tandem aliquando, eiusmodi declaratio prodiit. Cum enim Episcopus Perigordiensis die 25 Maii 1883 ad Supremam Inquisitionem idem dubium detulisset. Haec ita respondit.

Illme et Rme Domine.

« Litteris diei 25 praeteriti Maii » Amplitudo tua Supremae huius » Congregationis examini proponebat tria sequentia dubia. »

« 1°. Fere omnes Constitutionis » *Apostolicae Sedis* Commentatores » docent, excommunicationem minorem vi huius Constitutionis abolitam esse. Utrum haec sententia » tuto doceri possit in Seminario? »

2°. Iterum omnes eiusdem Constitutionis Commentatores docent, illum Confessarium excommunicationi non subiici, qui complicem in peccato turpi absolvere fingit sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit S. Poenitentiaria die 1. Martii 1878. An potest Orator permittere ut in suo Seminario doceatur praefata Commentatorum sententia responso S. Poenitentiariae opposita?

3°. An permittere potest ut in suo Seminario tamquam probabilis doceatur nonnullorum recentiorum opinio, quod liceat infantem in utero matris occidere ad matrem relevandam, si alias mater et infans perituri sint?

Porro Emi Patres una mecum Inquisitores generales in Congregatione habita Feria IV die 5 vertentis Decembris, ad examen revocarunt primum et alterum ex propositis dubiis. Siquidem tertium cum sit obiectum plurium petitionum, quae ab aliis quoque Ordinariis transmissae sunt, adhuc penes Supremum hunc Ordinem in studiis est.

Iam vero ad 1. iidem Emi Patres responderunt: *Affirmative.*

Ad 2^m vero: *Negative;* facto verbo cum Sanctissimo quoad utrumque.

Cum autem SSmus D. N. has Emorum Patrum resolutiones ac responsiones adprobare ac plene confirmare dignatus sit, eas Amplitudini tuae pro sui norma communico; ac impensos animi sensus Eidem testatos volo, cui fausta omnia a Domino precor.

Amplitudinis tuae.

Romae die X Decembris 1883.

Addmus uti Frater

Aloisius Cardin. Bilio.

Exinde licitum non est defendere, nullam a Confessario incurri excommunicationem, qui complicem suum absolvere simulet.

Cum enim eiusmodi decretum a Romano Pontifice *adprobatum et plene confirmatum* fuerit, Benedicti XIV sanctionem etiam ad hunc casum extendit; consequenter novam emisit legem, cum legis extensio nova sit lex, quae ab uno Supremo Principe ferri possit.

Et quidem prudentissime et ratione plurima ductus R. Pontifex casum hunc sub lege conclusit. Im-

probi Confessarii enim qui absolutionem complicis simulare possent, ob eamque nullam poenam contraherent, poenitentem quidem deciperent, se in profundum malorum conjicerent, legem semper eluderent, atque semper in idipsum redire possent impune. Id vero erat omnino cavendum.

EMENDATIO IN APPENDICEM X.

In Appendice X. qua egimus de excommunicatione lata in usurpatores bonorum ecclesiasticorum, *Comment. Tom. 1. pag. 371* scripsimus: « Idipsum autem de eo » qui sequestrum a iudice petit, » dici non potest: hic enim ex » duplici capite excommunicatio- » nem incurrit; ex Capite quidem » septimo, quod cogat iudicem lai- » cum ad trahendum ad suum tri- » bunal personam ecclesiasticam » praeter canonicas dispositiones; » et ex capite praesenti quod in- » iuste, quamvis per sententiam iu- » dicis, bona ecclesiastica seque- » stret. »

Porro qui sequestrum petit, cum persona privata sit nullam ex capite VII excommunicationem incurrit. Sed neque si qui illud petit auctoritatem habeat, dummodo petat ad tramites iuris vigentis; hoc enim in casu ut alius quilibet spectandus est. Si autem sequestrum per fas et nefas iudici imponat, eaque de causa persona ecclesiastica in ius trahatur, excommunicationem contrahit ex Cap. *Cogentes*, ad tramites declarationis latae a Suprema Inquisitione.

ADDITIO AD APPENDICEM XI.

Hac in Appendice quaerere nobis proposueramus: *Utrum licitum esset in Italia ad urnam politicas accedere.* At causis nobis notis quaestionem illam peragere non potuimus. Hinc quaestione illa praetermissa, inquisivimus: Utrum in Italia quis tuto officium Deputati procurare et acceptare posset? *Pag. 398.*

Atque respondimus, neminem sine venia Romani Pontificis posse munus Deputati acceptare. Ibid.

At post haec, die 30 Iulii an. 1886 a Suprema Inquisitione lata fuit declaratio, qua omnibus patefecit, formulam *non expedire*, qua usa fuerat S. Poenitentiaria dum interrogata fuerat an licitum esset ad politicas electiones accedere, aequipollere *prohibitioni.*

Atque ad rei veritatem transcribimus litteras Emi Cardinalis Monaco, prout iacent in Actis S. Sedis *Tom XIX. pag. 94.*

Ex S. Congr. S. R. U. Inquisitionis.

Declaratio quoad Responsum *Non expedire* datum a S. Poenitentiaria relate ad suffragium ferendum in politicis electionibus.

Illme et Rme Domine.

« Opinio invaluit apud Dioeceses » Italiae quamplurimas, politicas

» urnas adire licitum esse, ex quo » S. Poenitentiaria, quoad hoc per- » contata, tantummodo respondit: » *Non expedire.*

« Ut omnis vero abiiceretur ae- » quivocatio Sanctissimus Pater, au- » dita sententia istorum EE. DD. » Cardinalium, inquisitorum gene- » ralium, collegarum meorum, ius- » sit declarari quod *non expedire* » prohibitionem importat. Ego au- » tem declarationem hanc dum Am- » plitudini tuae communico, adii- » cere cogor, Sanctissimum Patrem, » his in adiunctis, firmam manute- » nere prohibitionem eiusmodi. »

« Perutile quoque Amplitudini » tuae erit responsa agnoscere, quae » S. Poenitentiaria anno 1883 dedit » Episcopis sciscitantibus, tum quo- » ad peccatum quod committitur, » tum quoad censuras quae con- » trahuntur, politicis interessendo » electionibus. Quoad peccatum, an » scilicet culpae gravis reus haben- » dus esset, qui suffragium daret » pro Deputatorum electione, re- » sponsum paruit: *Sese habebit in ca- » sibus particularibus iuxta suam » conscientiam et prudentiam, omni- » bus perpensis adiunctis.* Quoad » vero censuras: *irretiri vel non » irretiri censuris, electionum po- » liticarum causa, pendere ab ad- » iunctis facti, et ab animi electo- » rum dispositionibus; adiuncta et » dispositiones ponderandae iuxta » normas quae in subiecta materia » a probatis exhibentur auctoribus.*

» Romae 30 Iulii 1886.

» Addictissimus in Domino

» R. Card. Monaco » (1).

(1) Illmo e Rmo Signore.

In parecchie Diocesi d'Italia è invalsa l'opinione che sia lecito il concorso alle urne politiche, perchè la S. Penitenzieria richiesta in proposito ha risposto soltanto: *non expedire.*

A togliere ogni equivoco il S. Padre, udito il parere di questi Eminentissimi Cardinali Inquisitori generali miei Colleghi, ha ordinato che si dichiari, il *non expedire* contenere un *divieto.* Ed io nel comunicare questa dichiarazione alla Signoria Vostra ho il dovere di aggiungere che il Santo Padre nelle presenti circostanze tiene fermo questo divieto.

E gioverà alla Signoria Vostra conoscere le risposte date dalla Sacra Penitenzieria nel 1883 ai Vescovi, dai quali fu consultata, ed in quanto al peccato che si commette, ed in quanto alle censure che si contraggono nel prender parte alle elezioni politiche. In quanto al peccato se dovesse cioè tenersi reo di colpa grave chi andasse a dare il voto per la elezione dei deputati, la risposta fu: *Si regoli nei casi particolari secondo ciò che detterà la sua coscienza e prudenza, considerate tutte le circostanze.* In quanto alle censure: *Che l'incorrere o non incorrere nelle censure per le elezioni politiche dipende dalle circostanze del fatto, e dalle disposizioni di animo degli elettori; circostanze e disposizioni da ponderarsi secondo le norme che si danno sul proposito da buoni autori.*

Roma 30 Luglio 1886.

Affezionatissimo nel Signore

R. Card. Monaco.

Epistolis praemissis, declaratam prohibitionem ita exponi posse arbitramur.

Id quod prohibetur, vel est intrinsece malum, ut adulterium, homicidium, etc., vel tantum extrinsece; quatenus scilicet obiectum, vel actio aliqua per se licita sit, illicita tamen evadat, quod prohibita fuerit. Ex. gr. prohibitio facta protoparentibus edendi de fructu ligni quod erat in medio Paradisi, tum prohibitio Iudaeis a Deo facta edendi carnes porcinas, tum alia huiusmodi sexcenta. «Illicitum, inquit Vicat, *Dictionarium iuris utriusque*, voc. *Illicitum*, est quod per leges, Senatus consulta, edicta, Constitutiones Principum non licet, quod vetitum et prohibitum est.»

Ut patet, in primo casu voluntaria legis transgressio est semper illicita; in alio gravitas vel levitas culpae pendet a voluntate legem ferentis, qui eam alligare potest adiunctis quibuslibet, prout bono subditorum expedire iudicaverit.

Hinc quamvis certum sit, Romanos Pontifices, dum aliquid utcumque prohibent, sub gravi peccato prohibere, non enim prohibitiones huiusmodi feruntur pro sanctimonialibus aut viris religiosis, tamen peccati gravitatem non simplici facto, quod per se bonum est, alligant, sed vel circumstantiis, vel animi dispositionibus quibus factum peragitur. Ita ut datis in agente his vel illis circumstantiis, his vel illis animi dispositionibus, a peccato excusetur. Id vero evidentissimum in re nostra est. Etenim (supposito antea quod responsiones Sacrae Poenitentiariae concordare omnino debeant cum declaratione emissa a R. Pontifice, quod scilicet formula *non expedire* aequipolleat *prohibitioni*, idque etiam ea de causa ne S. Poenitentiariae Praefecti sine ratione locuti videantur), certum est ex ipsis epistolis et responsis S. Poenitentiariae, per accessionem ad urnas politicas simpliciter et grave peccatum et excommunicationem incurri: *Quoad peccatum*, inquiunt, *an scilicet culpae gravis reus habendus esset, qui suffragium daret pro Deputatorum electione* etc. *Quoad vero censuras; irretiri, vel non irretiri censuris* etc.

Igitur eiusmodi prohibitio per se et simpliciter importat tum grave peccatum, tum excommunicationem: Sin minus et ridicula foret prohibitio, et magis ridicula S. Poenitentiariae responsa forent.

Attamen quoniam accedere ad urnas politicas per se bonum est, et malum evadere possit ratione circumstantiarum, vel alius obiecti coniuncti, in quod necessario feratur deputatorum politicorum electio, (quod obiectum coniunctum in Italia est dominium temporale Sanctae Sedis); possint insuper subesse circumstantiae, rationes, vel etiam intentiones, quibus quis aut teneatur ad urnas politicas accedere, aut arbitretur sibi esse accedendum, aut putet nulla lege, vel poena id

esse prohibitum, hinc Romanus Pontifiex in illa prohibitione ferenda horum omnium rationem habuit, edixitque, dum rata habuit responsa S. Poenitentiariae, et a peccato et ab excommunicatione illos electores immunes esse, qui vel compellerentur ad urnas accedere, vel recta omnimodis intentione ad illas accederent, nulla videlicet intentione habita posthabendi S. Sedis iura, vel plene ignorantibus legem poenasque adnexas. Consequenter id unum R. Pontifex prohibuisse dicendus est, accedere scilicet ad urnas politicas animo Sanctae Sedis dominio temporali infesto. Si enim dicamus, hanc prohibitionem R. Pontificem simpliciter tulisse, nulla habita circumstantiarum, scientiae, et voluntatum ratione, nullo pacto responsa S. Poenitentiariae cum declarata prohibitione conciliantur; prohibitio enim discors esset a responsis, et responsa discordarent a prohibitione, ut quisque qui sana mente potiatur, intelligit.

Prohibitio enim importaret simpliciter peccatum grave et excommunicationem. Ergo ad haec incurrenda una sufficeret voluntaria prohibitionis transgressio; habenda nempe esset hoc in facto identica ratio quae habetur in incurrendis aliis excommunicationibus. Atque hinc corruerent duo responsa S. Poenitentiariae, ex quibus de peccati existentia decernere in *casibus particularibus* committitur *conscientiae et prudentiae* Confessariorum, *omnibus perpensis adiunctis;* De excommunicationis vero existentia decernendum statuitur ex *adiunctis facti*, et *dispositionibus animi electorum;* consequenter S. Poenitentiaria edixit prohibitionem a S. Pontifice latam, datis his vel illis adiunctis, non importare neque excommunicationem, neque peccatum grave, sine quo excommunicatio, quae maxima est in Ecclesia poena, non incurritur; edixit quapropter, prohibitionem illam simpliciter latam fuisse sub peccati et excommunicationis poena: utrumque autem evitari posse ob adiuncta, atque animi dispositiones quae insint electoribus. Perpendamus hinc quaenam esse possint haec facti adiuncta, et hae dispositiones animi electorum, quarum causa hi excommunicatione eximantur.

Porro adiuncta sunt circumstantiae quaedam factum concomitantes atque ab electoris voluntate independentes, ita ut vel in eius potestate non sit eas removere, vel non sine gravi damno et incommodo. Dispositiones vero animi sunt affectus, voluntates, intentiones quibus elector inducitur ad urnas accedere; cum vero hae animi dispositiones possint esse vel bonae, vel malae; in lege autem sermo sit de pravis animi dispositionibus, ex quibus Confessarii diiudicare debent utrum electores excommunicationem incurrerint, (si enim de qualibet animi dispositione etiam de bona, sermo esset, inquisitio hu-

iusmodi esset supervacanea, cum electores excommunicatione percellerentur quamlibet haberent animi dispositionem), hinc nonnulla dabimus indicia ad dignoscenda tum adiuncta, tum animi dispositiones.

Et quoad adiuncta:

1°. Peccato et excommunicatione eximuntur qui ad urnas politicas accedunt timore alicuius damni subeundi, quod grave aestimari possit. Ex. gr. Si quis aliquod munus gerens timeat ne eo privetur, ne ab officio quod exercet in inferius adducatur; ne ab loco in quo illud exercet, et tunc se habet, in alium transferatur inferioris ordinis, deterioris aeris etc.

2°. Ea pariter eximendi sunt quibus minae illatae fuerunt ab iis qui vel auctoritative, vel etiam private eas executioni demandare possunt.

3°. Illi quibus, cum sint subordinati, a superioribus praeceptum fuit ad electiones politicas accedere.

4°. Illi, qui rationabiliter timeant ne incurrant sive principis, sive magistratuum indignationem, si electionibus sese abstineant.

Hi enim omnes, ut quisque videt, prava animi dispositione non ducuntur, cum nisi malum aliquod timerent, ad electiones politicas non forent accessuri; ab adiunctis vero in quibus versantur, coguntur quodammodo ad electiones accedere. Atque de cetero cum R. Pontifex pro eiusmodi electionibus nullam intulerit directam excommunicationem, censendus est ea incurrenda illos eximere velle, qui aliqua de causa ad electiones politicas agendas inducuntur, sine ullo latae prohibitionis contemptu.

Quoad animi dispositiones.

1°. Ii omnes qui ignorant prohibitionem et poenam adnexam, et sunt numero maiores, nec committunt peccatum, nec excommunicationem contrahunt.

2°. Pariter illi qui dicant, se ad electiones politicas accessisse unice motos unitatis Italicae constabiliendae causa, quin ullam Romano Pontifici iniuriam inferre cogitarent, eiusque iuribus detrahere vellent. Cum enim unitas nationalis sit maximum bonum politicum, qui illud, ceteris salvis, procurat, nullo peccato obstringitur, multoque minus excommunicatione; bonum enim, non malum agit.

3°. Multoque minus erunt illi excommunicati qui respondeant, sese ad electiones politicas accessisse ut nationi Italicae probos et sapientes deputatos atque legislatores procurarent, improbos autem arcerent; atque hac unica de causa accessisse, quamvis prohibitionem nossent; hi enim optima ducuntur animi dispositione.

4°. Demum nec illi excommunicati erunt qui electiones quidem peregerunt, etiam in latae prohibitionis contemptum, attamen a se electi desciverunt, cum maiora suffragia non retulerint.

Quod postremum ut rite intelligatur advertendum est, Pium Pa-

pam IX in Const. *Apostolicae Sedis, Cap. XII, tit. 1,* excommunicatione perculisse: *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, terras, loca, aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula vaedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*

Hoc autem Caput commentati sumus *Tom. 1. pag. 377.*

Cum itaque excommunicentur ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes; ergo etiam ad factum quod continetur illis verbis: *retinentes supremam iurisdictionem in eis.*

Electores igitur Deputatorum politicorum in tantum peccabunt, vel excommunicatione plectentur, in quantum praestant vel auxilium, vel favorem ad retinendam supremam iurisdictionem in dominiis S. Sedi subiectis. Atqui ut favoris praestiti causa quis excommunicationem incurrat, necessarium est ut favor influxerit in vetitam actionem. Actiones enim secundariae ad principalem actionem consequendam ponuntur, quae in casu est *retinere supremam iurisdictionem in dominiis ad Romanam Sedem pertinentibus.* Cum igitur electio deputati desciverit, patet quod favor praestitus nullo pacto influxit in vetitam actionem; nullo igitur pacto favens uti excommunicatus est habendus.

Si enim aliter dicamus, sequeretur, eligendum nullam contraxisse excommunicationem eo quod nullam assecutus sit supremam iurisdictionem in dominiis S. Sedi subiectis, contraxisse vero fautores, qui favore suo nihil contulerunt. Quod est ridiculum, cum actiones secundariae excommunicatione percellantur intuitu principalis, et effectu sequuto, nisi aliud disertis verbis lege caveatur.

Qui igitur in re peccato et excommunicatione detinebuntur? Profecto illi qui cum legem et poenam adnexam noverint, tamen ad electiones politicas accedunt eo animo et mente, ut per unitatem nationis Italicae Romanus Pontifex expoliatus temporali dominio maneat. Atque hi tantum. Haec est enim *unica ratio* qua Romanus Pontifex prohibet catholicis Italiae quominus ad urnas politicas accedant. Sin minus neque prohibuisset, neque prohibere potuisset; sicut nec prohibuit, neque prohibere potuit unitatem politicam Statuum foederatorum Americae Septentrionalis, Helvetiae, Germaniae, aliarumque nationum.

EMENDATIO AD APPENDICEM XV. *Tom. 1. pag. 437.*

Hac in Appendice commentaria instituimus in clausulam qua absolvuntur excommunicationes lataesententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Atque a *pag. 439 ad 450* de-

monstrare conati sumus, impeditos Romanam Sedem adire pro consequenda absolutione ab excommunicatione sive speciale sive simpliciter Romano Pontifici reservata, posse absolvi ab Ordinario loci, vel etiam a quocumque Sacerdote ad Confessiones approbato, si lapsus in excommunicationem neque Episcopum adire potuerit.

Eiusmodi sententia quae nobis communis erat cum omnibus fere Commentatoribus. reiicienda nunc est ob decretum latum a Suprema Inquisitione, quod excribimus ex Actis S. Sedis *Tom. XIX, pag. 46.*

Decretum quoad absolutionem casuum et censurarum Papae reservatorum.

« Quaesitum est ab hac S. Con» gregatione Romanae et Univer» salis Inquisitionis:

» I. Utrum tuto adhuc teneri pos» sit sententia docens ad Episco» scopum aut ad quemlibet Sacerdo» tem approbatum devolvi absolu» tionem casuum et censurarum, » etiam speciali modo Papae reser» vatorum, quando poenitens ver» satur in impossibilitate personali» ter adeundi Sanctam Sedem?

» II. Quatenus negative, utrum » recurrendum sit saltem per lit» teras, ad Eminentissimum Cardi« nalem maiorem Poenitentiarium » pro omnibus casibus Papae reser» vatis, nisi Episcopus habeat spe» ciale indultum, praeterquam in » articulo mortis, ad obtinendam » absolvendi facultatem? »

Feria IV die 23 Iunii 1886.

« Emi ac Rmi Patres Cardinales, » in rebus fidei generales Inquisi» tores, suprascriptis dubiis mature » perpensis, respondendum esse » censuerunt: Ad I. *Attenta praxi* » *S. Poenitentiariae praesertim ab* » *edita Constitutione Apostolica sac.* » *mem. Pii Papae IX, quae incipit:* » Apostolicae Sedis, *Negative.*

» Ad II. *Affirmative.* At in casi» bus vere urgentioribus, in quibus » absolutio differri nequeat, absque » periculo gravis scandali vel infa» miae, super quo Confessariorum » conscientia oneratur, dari posse » absolutionem, iniunctis de iure » iniungendis, a censuris etiam spe» ciali modo Summo Pontifici reser» vatis, sub poena tamen reinci» dentiae in easdem censuras nisi » saltem infra mensem per episto» lam et per medium Confessarii, » absolutus recurrat ad S. Sedem. » Facto verbo cum Sanctissimo. »

Feria IV die 30 Iunii 1886.

SSmus resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

Iosephus Mancini
S. R. et U. Inquisit. Secret.

Ex prolato igitur decreto manifestum est, nec ad Episcopos sut locorum ordinarios, nec ad alium quemlibet Confessorem approbatum devolvi absolutionem poenitentis irretiti censuris Romano Pontifici sive speciali modo, sive simpliciter reservatis.

Hac in re Emi Patres supremi Inquisitores stricto prorsus sensu

clausulas Constitutioni *Apostolicae Sedis* a Pio Papa IX appositas interpretari et esse interpretandas censuerunt; animadverterunt insuper per eas iuri antiquo derogatum fuisse.

In praesentiarum itaque ut quis absolutionem a censuris sive speciali modo, sive simpliciter R. Pontifici reservatis consequatur, necessarium est, prout etiam in antiquo iure, ut ad Romanam Sedem sese conferat, si nullo impedimento detineatur: si vero rationabiliter fuerit impeditus, debet vel per epistolam, vel per medium Confessarii ad S. Sedem recurrere, quo absolutionis beneficium consequatur.

Id vero etiam ex stylo adhibito a S. Poenitentiaria post latam Const. *Apostolicae Sedis* censuere Emi Patres Supremae Inquisitionis. Cum enim post illam Constitutionem non pauci Episcopi et Confessarii sese ad S. Poenitentiariam converterint causa impetrandarum huiusmodi a censuris absolutionum pro impeditis Romam adire, facultates petitas benigne S. Congregatio concessit, non concessura si putasset impeditos hos posse absolvi vel ab Episcopo vel a quolibet Confessario approbato. Atque id est quod intelligunt per illa verba: *Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim* etc.

Impediti vero illi omnes censentur quos in cit. appendice XV nos recensuimus, hac enim in re nulla facta fuit exceptio, neque derogatio.

Attamen in Dubio II. affirmant Patres, *in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali vel infamiae, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis.*

Quaerimus hinc: utrum, supposito periculo gravis scandali vel infamiae, eiusmodi absolutio etiam a censuris speciali modo Summo Pontifici reservatis, dari possit non impeditis Romam se conferre; vel absolute cum eiusmodi casibus urgentioribus coniungi debet impedimentum praedictum?

Et quidem illud verum putamus; absolutionem scilicet eiusmodi a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis concedi posse etiam non impedito Romam se conferre, dummodo adsit periculum gravis scandali vel infamiae. Revera

1°. Scandalum vel infamiam vitare de iure naturae est: Ecclesia autem iuri naturali derogare non potest; hinc quis ab censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis posset absolvi, quamvis in lege contemplatum non fuerit periculum scandali vel infamiae, dummodo hoc periculum reapse intercedat. Hinc si Benedictus XIV pro absolvendis complicibus unum excepisset mortis periculum, prout fecerat in Const. *Sacramentum poenitentiae*, poterat complicem absolvere ille Confessarius qui sin minus incurrisset infamiae et scandali inferendi periculum. Certi autem sumus, hanc fuisse

causam, qua tantus Pontifex inductus postea fuit ad excipiendum etiam infamiae et scandali periculum in Const. *Apostolici muneris.*

2°. Leges modis omnibus concordare debent. At in lege sancita a Benedicto XIV contra absolventes complices sive pro sanis, sive pro infirmis exceptum fuit periculum infamiae subeundae; ergo et in hoc S. Officii decreto idem intelligere debemus. *Cf. Append. IX. Tom. 1. pag. 305.*

3°. Leges quaelibet naturali et obvio verborum sensu sunt usurpandae: at periculum scandali vel infamiae subire possunt etiam illi qui nullo impedimento detinentur, quominus Romanum Pontificem adeant; quin imo hoc periculum incurrere possent prorsus hac de causa quod Romam pergant; ergo ab eiusmodi periculo non sunt excludendi non impediti Romam adire.

4°. Demum in cit. decreto nihil apparet ex quo deduci possit, non impeditos excludendos esse ab absolutionis beneficio in casibus vere urgentioribus, si adsit periculum scandali vel infamiae.

Nihil po dicimus de periculo mortis: in hoc enim quaelibet reservatio cessat.

Attamen qui reperiuntur in illis casibus urgentioribus, absolvi quidem possunt, iniunctis tamen iniungendis relate ad censuram quam contraxerunt, vel peccatum quod commisserunt; ex. gr. si quis percusserit Episcopum, ut veniam ab eo petat, eique competentem seu christiano homine dignam satisfactionem porrigat; si complici in peccato turpi absolutionem porrexerit, ut huius confessiones excipere de cetero se abstineat si id sine scandalo et infamiae periculo fieri possit; sin minus severiora media adhibeat, quo omne lapsus periculum caveatur etc.

Praeter haec autem, infra mensem, vel per epistolam, vel per medium Confessarii recurrere ad S. Sedem debet, ut ab ea legitimam facultatem obtineat qua a censuris absolvatur.

Quod ni perfecerit, iterum censuris ipso iure percelletur, absolutus enim fuerat sub poena reincidentiae nisi infra mensem sive per epistolam, sive per medium Confessarii ad S. Sedem recursum haberet.

EMENDATIO IN APPENDIC. XVIII.
Tom. 1. pag. 536.

Hac in Appendice egimus de excommunicatione lata in perpetrantes duellum, eorumque complices. Atque *pag. 569* affirmavimus, excommunicationem illos patrinos, complices, etc. incurrere, qui intersunt duello nescientes, illud perpetrantes ficte ex condicto agere.

Cum fautores, et participantes excommunicatione feriantur relate ad factum principale, seu principales agentes, cum hi nullam in casu excommunicationem contra-

hant, nullam pariter contrahere cooperatores seu fautores poterunt.

Attamen, cum hos latuerit duellum perpetrantium intentio, dum ad pedes Confessarii sistunt, atque confiteantur se vero duello interfuisse, habendi erunt uti excommunicati. Etenim tum poenitens tum Confessarius nesciunt, duellum illud fictum fuisse.

Ad haec addimus Declarationem sequentem latam a Suprema Inquisitione Romana, quod habetur in Actis S. Sedis *Tom. 17. pag. 601.*

Vicarius Generalis Pictaviensis nonnulla circa duellum dubia ad Supremam Inquisitionem Romanam detulerat, quoad Confessarium et Medicum qui duellantibus assisterent atque eiusmodi responsum prodiit ad Episcopum Pictaviensem datum.

Illme ac Rme Domine.

Litteris diei 24 Septembris Superioris anni datis, Vicarius generalis Amplitudinis tuae proposuit tria sequentia dubia, scilicet:

1°. Potest ne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam?

2°. Potest ne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina, vel in loco propinquo sistere, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit?

3°. Quid de Confessario in iisdem conditionibus?

Emi Patres una mecum Inquisitores generales, haec dubia ad examen revocarunt in Congregatione generali habita Feria IV, die 28 labentis Maii, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad 1m Non posse, et excommunicationem incurri.

Ad 2m et 3m Quatenus ex condicto fiat, item non posse et excommunicationem incurri.

Dum haec tecum communico, ut pro opportunitate nota fiant, fausta omnia ac felicia Tibi precor a Domino.

R. P. D. Episc. Pictavien.

Romae 31 Maii 1884.

Addictissimus in Domino

R. Card. Monaco.

Ne eiusmodi decretum maiori severitate qua par est, lectores interpretentur, illud declarare breviter putamus.

Certum est, in Constitutione *Apostolicae Sedis* a Legislatore excommunicatione perculsos fuisse tum duellantes, tum complices fautoresque quoslibet formales, eos scilicet qui operam et favorem impendunt, vel duellum spectant quatenus duellum est, id est ad locum certaminis pergunt ex proposito et data opera, non illos qui favore suo nihil in proscriptam actionem conferunt; favor enim qui nihil confert, favor non est.

Haec tum ex rei natura, tum ex verbis legis patere arbitramur; ex

rei natura quidem, quia cum duellum sit intrinsece malum, et praeterea omnium humanorum factorum stultissimum, ut quis eius causa peccatum et consequenter excommunicationem contrahat, debet aliquo pacto peccati illius vere esse complex. Ex lege autem quia verba: *et quilibet complices, vel qualemcumque operam, aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes* innuunt complicitatem, operam, favorem, praesentiam formalem, directam, ex voluntate et ex animo. Sin minus excommunicationem incurrerent etiam illi omnes spectatores, quos excommunicatione eximit Reiffenstuel, cuius verba retulimus *Tom. 1. pag. 588.*

His praemissis negari nequit, quin medicus ille de cuius agendi ratione in decreto relato quaeritur, sit vere ineundi duelli complex. Rogatur enim a duellantibus ut ipse duello assistat, quamvis id praestet cum ea intentione vel ut citius finem duello imponat, vel simpliciter ut vulnera liget atque curet.

Atqui in utroque casu est duelli complex formaliter; in primo quidem quia cum ipse assistat ut duello citius finem imponat, ergo simpliciter duellum approbat.

Intentio enim duello citius finem imponendi qua ducitur, quamvis laude digna, innuit medicum a duello excludere velle graviora damna, finemque graviorem: at ille qui tantummodo finem deteriorem vult impedire, profecto demonstrat se probare principium actionis, vel saltem illi non contradicere.

Haec autem multo magis vim habent si medicus assistat ea tantum de causa ut post duelli finem vulnera liget atque curet; hoc enim in casu, utpote rogatus a duellantibus et favorem infert, et animos iis addit, et ut minimum dicamus, est spectator de industria. Nullo itaque argumento excommunicatione incurrenda eximitur.

Attamen hic casus prout iacet accipiendus est, atque ad alias consimiles actiones non extendendus. Supremi Inquisitores enim responderunt ad dubia proposita, et iis circumstantiis communita quibus proponebantur, non ad alia.

Hinc ne putent lectores, hunc medicum excommunicationem incursurum fuisse, si ad locum certaminis perrexisset cum intentione duello citius finem imponendi, sponte, et minime a duellantibus rogatus. Etenim 1° deesset condictum, 2° deesset favor vel complicitas quaelibet. Nemo autem prohiberi potest bonum duellantibus praestare, vel duellum minus periculosum reddere independenter a qualibet complicitate vel favore; in lege enim excommunicantur fautores et complices formales.

Revera, condicto excluso, medicus hic si excommunicationem contraheret, illam contraheret quatenus de industria spectator, et non alia de causa, ex. gr. ut complex,

fautor etc. Si enim antea utcumque duello favit, ob favorem praestitum excommunicationem incurrit.

At in casu, medicus hic uti spectator de industria haberi nequit. Spectatores enim de industria ii sunt qui ad locum certaminis sese conferunt prorsus ut duellum conspiciant, et nullo pacto impediant. Cum igitur hic medicus ad locum certaminis pergat vel ut ei citius finem imponat, vel vulneratis praesto sit, patet quod non pergat duellum conspecturus, sed aliquo pacto impediturus, vel salutarem porrecturus operam iis qui vulnerantur, quod minime ingreditur propositum spectatorum de industria.

Equidem et ipse spectat duellum; attamen non de industria, neque ea de causa ad locum certaminis perrexit; eius intentio toto coelo diversa est ab mente spectatorum de industria, eo quod nisi illam intentionem haberet, nullo pacto ad conspiciendum duellum sese conferret; eius ergo praesentia illa non est, quae excommunicatione percellitur.

Qua de causa sicut excommunicationi non subduntur illi qui pergunt ad locum certaminis ut duellum impediant; quamvis ob circumstantias illud impedire nequeant, illudque conspiciant, ea semper in intentione manentes, ut impediant; a pari medicus noster; eius enim praesentia aliena est a ratione duelli.

Exinde et illud verum esse dicimus, non incurrere scilicet excommunicationem neque patrinos neque testes illos, qui quamvis rogati a duellantibus et ex condicto pergant ad locum certaminis, tamen non ea intentione qua pergunt duellantes, sed plane diversa. Ex. gr. Si duellantes decreverint usque ad mortem pugnare, eosque patrini et testes comitentur ut pugnam ad mortem usque impediant, quem casum proposuimus *Tom. 1. p. 575.* Etenim hi non pergunt ad locum certaminis ex condicto iuxta mentem duellantium, sed ingenio, et pia quodammodo fraude, ut duellantium intentionem in irritum mittant; ideoque condictum illud tale non est quale a Legislatore prohibetur.

Neque eiusmodi sententia subvertitur per relatum Inquisitionis decretum. Medicus enim, de quo in dubiis propositis, pergit ad locum certaminis, utique cum intentione duello citius finem imponendi, attamen iuxta duellantium mentem, qui duellum peragere volunt. At in casu a nobis proposito patrini et testes duello assistunt contra duellantium mentem, cum hi ad mortem usque decertare velint, illi id omnimodis impedire cupiant, ideoque pergant ad locum certaminis.

Quod factum quidem non intelligimus quomodo excommunicationi subiici possit, cum sin minus excommunicationi subiicerentur qui homicidium impedire volunt.

Neque quis subsumat, quamlibet complicitatem ab Legislatore prohi-

beri; respondemus enim, illam complicitatem ab Legislatore prohiberi quae in ratione duelli concluditur. At illorum complicitas de quibus nos agimus concluditur ne in ratione duelli quod duellantes pacti fuerant? Profecto illam excludit. Ergo non potest excommunicatione percelli.

Sed neque eiusmodi sententia subvertitur per dubium secundum citati decreti, quo medicus quamvis duello non adsit, et degat vel in loco vel in domo propinqua, tamen si id ex condicto fecerit excommunicationem incurrit.

Etenim et in hoc casu medicus agit iuxta duellantium mentem, et actione sua quodammodo duellantibus favet. At relate ad eos patrinos et testes, de quibus nos in proposito casu agimus, non ita res se habet, cum ad locum certaminis pergant impedituri actionem duellantium.

Ut igitur eiusmodi quaestioni finem imponamus, sequentia subiicimus :

1°. Vetitum lege est, praestare ex condicto operam vel favorem quemlibet duellantibus iuxta perspectam eorum intentionem.

2°. Excommunicatione non percelli similare condictum et assistere duello contra perspectam duellantium mentem, ut scilicet quis vel omnino duellum impedire possit, vel impedire duellum quo usque ad mortem pugnandum sit, prout in casu a nobis proposito.

ADDITIO AD APPENDICEM XIX.

Tom. 1. pag. 595.

Porro illa in Appendice egimus de excommunicatione lata in eos qui dant nomen Sectae Massonicae vel Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur.

Latas in eiusmodi homines censuras confirmavit Leo XIII in Epistola *Humanum genus* (1) data die 20 Aprilis 1884. In ea haec ait : « Itaque quaecumque Romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus Sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi causa sanxerunt, omnia nos et singula rata habemus atque auctoritate nostra Apostolica confirmamus (2) ».

Scripsimus *pag. 616,* societates in Piano Capite proscriptas illas esse quae contra Ecclesiam vel civiles potestates machinantur, non alias, quarum socii quamvis horribilibus iuramentis sese obstringant, tamen eiusmodi pessimum finem sibi non proponunt.

Id, praeter alia argumenta a nobis adducta, confirmare videtur Leo XIII in cit. Epistola, qua affirmat societates proscriptas illas esse

(1) Acta S. Sedis Tom. XVI, pag. 417.
(2) Ibid. pag. 429.

quae quantum ad substantiam propositi attinet congruunt cum Secta Massonum. « Variae sunt hominum » sectae, quae quamquam nomine, » ritu, forma, origine differentes, » cum tamen communione quadam » propositi summarumque sententiarum similitudine inter se con» tineantur, re congruunt cum Se» cta Massonum, quae cuiusdam est » instar centri unde abeunt et quo » redeunt universae (1). »

ALIA ADDITIO AD APPENDIC. III.

Cf. supra *pag. 572.*

Postquam typis amandassemus disceptationem illam nostram, qua demonstravimus, legentes diaria et ephemerides haeresim propugnantes peccare quidem graviter, at non incurrere excommunicationem latam in legentes libros haereticorum haeresim propugnantes, ad manus nostras pervenit epistola, qua omnino evincitur illam nostram sententiam veram utiequaque esse.

Haec epistola data fuit a Rmo Patre Pio Saccheri Ord. Praed. S. Congregationis Indicis Secretario ad Rmum P. Generalem Congregationis Passionis Domini Nostri Iesu Christo, quae ita legitur:

« Per epistolam datam ex Con » ventu Sanctorum Ioannis et Pauli » sub die 25 Martii 1879, et ab Pa» ternitate Tua subscriptam, defe» rebant ad Sacram Indicis Con» gregationem sequentia dubia, ut » iis fieret satis.

» 1°. An scienter legentes ephe» merides propugnantes haeresim » incurrant excommunicationem ar» ticuli secundi Const. *Apostolicae* » *Sedis* Summo Pontifici speciali » modo reservantam?

» 2°. An legentes sive libros pro» prie dictos cuiusvis auctoris, sive » ephemerides continentes haere» sim incidant in censuram Indicis » a s. m. Pii Papae IX, ut supra, » renovatam, et confirmatam?

» Sacra Indicis Congregatio ad » dubium secundum respondit: *Ne*» *gative*, ut Paternitati tuae iam » delatum fuit. Quoniam vero pri» mum dubium dirimere pertinebat » ad Supremam Inquisitionem, hinc » ad ipsam opportune transmissum » fuit. Suprema autem Inquisitionis » Congregatio sub die 21 Aprilis, » dubio mature considerato, respon» dit: *Negative.*

» Rmus S. Officii Assessor dum » me de eiusmodi sententia certio» rem reddit, insinuat ut tibi latam » sententiam communicem; quod » peragere mihi gratissimum est. » Devotos animi sensus tibi profiteor.

» Paternitatis tuae Rmae

» Ex Secretaria S. Congregationis » Indicis die 27 Aprilis 1880.

» Rmo P. Generali Congregationis » Passionis D. N. I. Christi

» Addictissimus Servus

» Fr. Ieronymus Pius Saccheri » Ord. Praed. S. Congregationis In» dicis Secretarius (2). »

(1) Acta S. Sedis Tom. XVI, pag. 420.

(2) Reverendissimo Padre. — Con lettera data da coleste Convento dei SS. Gio-

ADDITIO AD APPENDICEM XX.
Tom. 1. pag. 701.

Egimus hac in appendice de excommunicatione lata in violatores clausurae Sanctimonialium. Atque *pag. 756. et seqq.* scripsimus, licitum non esse monialibus de una Episcopi et Superiorum licentia e Monasterio egredi, neque in casu quo eligantur Abbatissae in aliis Monasteriis, neque ex causa fundandi aliud Monasterium, neque in aliis casibus. Haec nostra sententia confirmata fuit ab S. Congregatione Episc. et Regul. quam ita legimus *Tom. XVII. Actorum S. Sedis pag. 255.*

Sub die 16 Iulii 1884 dubia sequentia proposita fuerunt diluenda S. Congregationi Ep. et Reg., nimirum.

1. An Episcopus auctoritate propria permittere valeat, ut recipi possint in Monasteriis clausurae subiectis mulieres quae ingredi cupiunt veluti *pensionariae.*

2. Pariter: Potest ne ordinarius auctoritate propria, ad tempus, vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa?

3. Potest ne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam Monialem quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius Monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere?

Paolo sotto il giorno 25 Marzo 1879, e sottoscritta dalla Paternità Vostra Rma., venivano presentati alla S. Congregazione dell' Indice, perchè volesse risolverli, i due seguenti dubbii.

1°. An scienter legentes Ephemerides propugnantes haeresim incurrant excomunicationem Articuli II Const. *Apost. Sedis* Summo Pontifici speciali modo reservatam?

2° An legentes sive libros proprie dictos cuiusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX, ut supra, renovatam et Confirmatam?

La Sacra Congregazione dell' Indice al secondo dubbio rispose *Negative*, come già venne alla Paternità Vostra Rma. communicato E perhè il primo dubbio fu creduto di competenza della Suprema Universele Inquisizione, venne alla medesima rimesso perchè si compiacesse risolverlo. Ora la detta Suprema nel giorno 21 del corrente Aprile, preso ad esame. l' accennato dubbio, ha risposto: *Negative.* Mr. Assessore del S. Officio nel darmene partecipazionee m' incarica di comunicare alla lodata P. V. Rma. la presa risoluzioee: il che mi è grato di fare con la presente.

Profitto di tale incontro per rinnovare i sensi della mia particolare considerazione e rassegnarmi.

Della P. V. Rma.

Dalla Segreteria della S. Congregazione dell' Indice li 27 Aprile 1880.

Rmo. Padre

Padre Generale della Congregazione dei PP. Passionisti.

Devmo. Servitore
Fra Girolamo Pio Saccheri dei Predicatori
Segretario dell' Indice.

Sacra Congregatio Emorum Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, supra praemissis praecibus, die 16 Iulii 1884 mandavit rescribi: *Negative in omnibus* (1).

ADDITIO AD APPENDICEM XXVI.
Tom. 1. pag. 940.

Agitur hac in Appendice de excommunicatione lata in captantes lucrum ex eleemosynis missarum.

Porro ad maiorem confirmationem eorum quae scripsimus pagina 961. quod scilicet possit retineri eleemosynae pinguioris excessus qui datus sit personae intuitu, referimus declarationem a latam S. Congregatione Concilii die 30 Ianuarii 1880 (2) « Ab Eminentissimo » Cardinali Archiepiscopo Lugdu» nensi ad S. Congregationem Con» cilii sequens dubium delatum fu» erat die 11 Martii 1879.

» Plures Episcopi in Galliis Apo» stolicum obtinuerant indultum, » cuius vigore Parochi facultatem » habent, certis diebus, quibus a» liunde Missa pro populo cele» branda foret, SSmum Sacrificium » ad intentionem stipendium dan» tis celebrandi: ea tamen lege ut » illud stipendium ad Episcopos » mittatur et pro piis operibus dioe» cesanis a S. Sede determinatis » impendatur. Porro cum fideles » pro hac Missa eleemosynam sti» pendio ordinario pinguiorem sae» pe saepius offerant, Parochi non » pauci, misso, ut par est, ad Epi» scopos stipendio a statutis dioe» cesanis taxato, quod superat ser» vari sibi licitum esse vindicant; » quia adest, inquiunt, pro hac par» te eleemosynae retinenda titulus » extrinsecus, nempe vel *labor ex» traordinarius*, si Missa sit cum » cantu, si aliquod iter sit facien» dum, si Missa fuerit publice prae» nunciata in Dominica praecedente,

(1) A cl. Ianuario Bucceroni S. I. *Commentarius De Const. Apostolicae Sedis pag. 90.* affertur pro re nostra sequens Inquisitionis decretum:

« Propositum est S. C. quod: in pluribus dioecesibus omnino ab immemora» bili conceditur Monialibus egressus ex causis gravibus, ab Episcopo recognitis » et probatis, iuxta Concilium Tridentinum, et nulla ratione habita Const. *Pianae*. » Hinc quaesitum est: Utrum particularis ea et immemorabilis consuetudo per di» ctam novam Constitutionem abrogata censeri deberet, an continuari posset. – S. » C. Inquisitionis 22 Decembr. 1880 respondit: *Affirmative ad primam partem,* » *negative ad secundam:* nempe quoad egressum Monialium a clausura servandam » esse. Const. S. Pio V *Decori,* contraria consuetudine non obstante. »

Eiusmodi decretum numquam nobis comm nicatum fuit ut illud infra Acta S. Sedis recenseremus, et neque apud alios auctores quos pervolutavimus, reperire potuimus. Hinc illud referimus nunc in fide cl. Bucceroni; opportunas tamen interrogationes instituemus apud Supremae Inquisitionis Congregationem, et decretum erit authenticum si lectores illud reperturi erunt infra Acta S. Sedis, sin minus apochriphum habeant.

(2) Act. S. Sedis Tom. XIII, pag. 256.

» vel praesertim *liberalitas* intuitu
» soliùs personae, *sponte et evidenter* impertita.

» Proposito igitur coram Eminentissimis Patribus sequente dubio:

» *An Parochi misso ad Episcopum stipendio a statutis dioecesanis taxato valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu?*

» *R.* Negative, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum. »

ALIA ADDITIO AD APPENDICEM III.

Tom. II. pag. 572.

In eiusmodi Additione *pag. 593* sequens dubium proposuimus: *Utrum Christi fidelibus sive laicis, sive ecclesiasticis qui gaudent apostolica facultate legendi et retinendi libros in Indicem relatos, liceat legere aut retinere ephemerides ab Episcopis in sua Dioecesi nominatim prohibitas?*

Atque ad propositam quaestionem respondimus *Negative.* pag. 594.

Vix nostra elucubratio ad lectorum manus pervenit, delatae quodammodo a praestantissimo theologo sunt querelae ad Rmum Secretarium S. Congregationis Indicis, veluti si nostra sententia difformis esset ab decreto quodam edito in re ab praedicta Congregatione die 3 Februarii 1879, quod scriptoribus Actorum S. Sedis numquam communicatum fuerat, ideoque illud minime retulerant.

Rmus Valdameri Rector Seminarii et Secretarius Episcopi Cremensis ad Sacram Indicis Congregationem sequens dubium proposuerat: *Utrum Christifidelibus, sive laicis sive presbyteris, qui facultate gaudent apostolica legendi et retinendi libros in Indicem relatos liceat tuta conscientia aut legere, aut retinere ephemeridem cuius titulus:* Il Corriere di Crema – *ab Episcopo Cremensi nominatim in sua Dioecesi prohibitum?*

S. Congregatio respondit: *Ad dubium, uti proponitur, Negative.*

Eiusmodi decretum nos excribimus ex praestantissimo Periodico *La Scienza e la Fede, Vol. XIV. Quarta Serie, Fasc. 677, pag. 412;* quo loco insertam reperimus partem epistolae datae ad Scriptores Periodici praedicti a Rmo P. M. Ieronymo Saccheri S. Indicis Congregationis Secretario, sub die 24 Iunii 1870 qua declarat, nullam circa intelligentiam latae declarationis dari posse difficultatem, cum in Dubio proposito sermo sit de eo qui facultate pollet legendi et retinendi libros prohibitos – *in indicem relatos* – Ephemeridem autem illam - Corriere di Crema - minime in Indicem relatam reperiri.

At si in dubio proposito sermo fuisset de eo qui a S. Sede facultate instructus fuit legendi libros prohibitos, *sine ulla exceptione,* satis foret manifestum, eiusmodi facultatem extendendam esse ad quemlibet librum, etiam *nomina-*

tim a locorum Ordinariis prohibitum. (1)

Porro hisce documentis innitebatur eximius theologus ut per epistolas datas ad Rmum Secretarium S. Congregationis Indicis sub die 23 Februarii 1888, iterum percontaretur:

1. An ad dubium a nobis generice propositum aptari possit responsio: *Ad dubium uti proponitur, negative,* lata a S. Congregatione Indicis in casu particolari Ephemeridis, vulgo *Corriere di Crema.*

Et dummodo affirmative: utrum haec responsio ita sit accipienda, ut qui a S. Sede facultatem generalem obtinent *legendi libros prohibitos* possint legere etiam libros et ephemerides prohibitas in suis Dioecesibus ab respectivis Episcopis? (2)

Antequam ad proposita dubia respondeamus, praemittimus, nos minime recedere posse a sententia quam loc. cit. defendimus; documentis enim quae supra retulimus, nedum illa non subvertitur, sed confirmatur.

Atque primum observamus, ver-

(1) Nè vi potea esser difficoltà, giacchè si parla di chi ha la facoltà di leggere e ritenere libri proibiti — *in Indicem relatos* — e il Corriere di Crema non è in *Indicem relatum*. Ma se invece si parlasse di chi ha la facoltà dalla S. Sede di leggere i libri proibiti, senza farsi eccezione, allora è chiaro che tale facoltà si estende a qualunque libro proibito, anche *nominatamente,* dagli Ordinarii.

(2) Siccome poi qualche giornale aveva frainteso questa risposta, perciò V. R. nella sullodata dichiarazione inserita nella *Scienza e Fede,* rettificava la cosa, distinguendo tra *libros in Indicem relatos,* di cui solo era cenno nel dubbio, e *libros prohibitos* in genere, facendo quindi notare che, se si parlasse di chi ha facoltà dalla S. Sede di leggere i libri proibiti senza eccezione, allora è chiaro che tale facoltà si estende a qualunque libro proibito, anche nominatamente dagli Ordinarii. Invece il Compilatore dell'appendice dell'*Acta,* senza far cenno nè della risposta già data dalla S. Congregazione dell'Indice, nè della successiva dichiarazione di V. R. sostiene senza restrizione, che la licenza della S. Sede di leggere libri proibiti non comprende quelli proibiti dai Vescovi, se non n'è fatta espressa menzione nell'Indulto. Di qui il Dubbio che io sottopongo umilmente all'autorevolissimo giudizio di V. P. Rma., cioè:

Se al dubbio: *Utrum Christi fidelibus* etc. redatto com'è qui sopra, e nell' *Acta* ecc., in forma generica, possa e debba applicarsi la risposta: *ad dubium, uti proponitur, negative;* quale fu già data dalla S. C. quando lo stesso dubbio le fu presentato in forma non generica, cioè riferentesi ad una sola Diocesi (Crema), e a un fatto particolare (Il Corriere di Crema), e in caso affermativo, se questa risposta debba interpretarsi nel senso che chi ha facoltà generale dalla S. Sede *legendi libros prohibitos* possa leggere anche i libri e giornali proibiti nelle loro Diocesi dai respettivi Ordinarii?

Della Paternità V. Rma.

23 Febbraio 1888

N. N. Teologo, Canonico, e Profes. di Teologia nel Seminario Vescovile.

borum Rmi P. Secretarii *sine ulla exceptione*, non illum esse sensum quem theologus iis tribuit: hic enim arbitrari videtur, verba illa referri ad illam formulam: *Liceat Oratori, quoad vixerit, legere ac retinere, sub custodia tamen, ne ad aliorum manus perveniant, libros quoscumque prohibitos,* quae habetur in facultatibus concedi solitis per S. Indicis Congregationem; ita ut opinetur, hanc loquendi rationem aequipollere facultati universali legendi libros quoscumque a quibuscumque prohibitos, atque id Rmum P. Secretarium innuere voluisse; quod certe a veritate alienum est.

Etenim verba illa habentur in quibuslibet facultatibus legendi libros prohibitos quae de more et de die in diem conceduntur: at Rmum P. Secretarium per illa verba insolitam et extraordinariam concessionem innuere voluisse, nemo rationabiliter negaverit; etenim sin minus affirmasset, per ordinarias facultates, a S. Sede concedi licentiam legendi etiam libros in respectivis Dioecesibus ab Episcopis prohibitos, quod alienum erat ab eius mente, quia cum quamlibet exceptionem excluserit, speciales facultates innuere certe voluit plane ab iis diversas quae, quotidie et quibusvis petentibus conceduntur.

Quod et alio probamus argumento.

Responsio enim Rmi P. Secretarii erat quaedam explanatio responsionis a S. Indicis Congregatione datae ad dubium propositum. Porro dubio illo petebatur: an qui pollet facultate legendi libros in Indicem relatos, possit legere Ephemeridem *Corriere di Crema.* Atque responsum fuit: *Ad dubium prout proponitur, negative,* quia, ut inquiebat Rmus Secretarius, ephemerides illae in Indicem relatae non reperiebantur.

Duo ergo ex his consequuntur: 1. In dubio actum esse de facultatibus communibus, de iis scilicet quae omnibus conceduntur, non de facultatibus specialibus. 2. In facultatibus communibus non comprehendi licentiam legendi ephemerides ab Episcopo Cremensi prohibitas. Ergo 3. ad libros vel ephemerides legendas ab Episcopis prohibitas necessarias esse speciales facultates, in quibus nulla contineatur exceptio. Facultates igitur, necessariae ad legendos libros vel ephemerides ab Episcopis prohibitas non sunt illae quae quotidie petentibus tribuuntur, sed aliae, pro quibus specialis petitio, et specialis concessio necessaria est; atque hae prorsus sunt quas Rmus Secretarius innuere voluit, ut quis tuto legere possit libros scriptaque quaecumque etiam ab Episcopis pro respectivis Dioecesibus proscripta.

Id demum et ex voto Theologi, cui commissum fuit quaestionem illam dirimere, et ex S. Congregationis Indicis sententia definimus.

Certum enim videri cuilibet debet, Rmum P. Secretarium ad unguem adhaesisse iis quae in Congregatione decreta fuere; porro ea in Congregatione quae habita fuit die 3 Februarii 1879 probatum fuit votum Theologi.

At Theologus ille, vir de cetero prudentia et scientia conspicuus, postquam edisseruisset, in dubio proposito non comprehendi libros vel ephemerides ab Episcopis proscriptas, subdit: « Si ageretur de » facultate, qua permitteretur le» ctio etiam librorum ab Episcopis » proscriptorum; aut per verba nul» lis circumscripta limitibus et abso» luta, concederetur alicui licentia » legendi et retinendi universos li» bros quomodocumque prohibitos, » rationabiliter dubitari non posset » quin facultas illa extenderetur ad » libros etiam ab Episcopis prohi» bitos. » (1)

Duo ergo praeclarissimus consultor proposuerat ad dignoscendum utrum concessae facultates extenderentur etiam ad libros ab Episcopis prohibitos; vel expressam mentionem illius specialis concessionis; vel talem loquendi formulam, nullis scilicet limitibus circumscriptam, ex qua quis dignoscere posset, in concessis facultatibus nullum librum excludi quomodocumque prohibitum.

Atqui his certe adhaesit, atque adhaerere debuit Rmus Indicis Secretarius; qua de causa per verba *sine exceptione aliqua* (senza farsi eccezione) sententiam illam consultoris exprimere atque referre voluit. Ergo Rmus Secretarius de specialibus omnino facultatibus locutus est.

Exinde sequitur, eum per illa verba, *senza farsi eccezione* non respexisse ad communem illam formulam: liceat oratori legere et retinere *libros quoscumque prohibitos*, quae in quibuslibet facultatibus legitur, sed ad aliam quae aliis esset verbis conficienda, si in ea daretur facultas legendi etiam libros ab Episcopis prohibitos; quae de cetero facultas nulli concederetur nisi expressis verbis in supplici libello peteretur.

Hisce praemissis patere arbitramur ad proposita dubia responsio.

Ad 1. enim respondendum est: *Affirmative;* responsionem scilicet S. Congregationis Indicis: *Ad dubium, uti proponitur, negative,* aptari debere ad dubium propositum; quia cum facultas concessa, de qua in dubio, sit prorsus communis, non potest comprehendere facultatem legendi libros et ephemerides ab Episcopis in suis Dioecesibus proscriptas: pro his enim requiritur aut facultas specialis, quae

(1) Se si trattasse di una facoltà con cui si permettesse la lettura anche dei libri proscritti dai Vescovi, o si accordasse in termini illimitati, generali ed assoluti, di leggere e ritenere tutti i libri proibiti di ogni maniera, non potrebbe promuoversi dubbio alcuno sulla estensione per i libri condannati eziandio dai Vescovi.

scilicet, expressis verbis contineat licentiam legendi libros etiam ab episcopis prohibitos, aut talibus concepta verbis, quae nullam restrictionem, vel exceptionem patiantur, quod in idem recidit. Consequenter:

Ad 2. Dubium respondendum *negative*, si facultas illa generalis contineatur communi formula, quam supra retulimus; *affirmative* si aliis sit verbis concepta, quae quamlibet limitationem aut exceptionem excludant. Ex. gr. liceat oratori legere et retinere libros *quomodolibet* aut a *quibuscumque prohibitos*. Sententia igitur, quam nos propugnavimus, plane conformis reperitur tum declarationi latae per sacram Congregationem Indicis, tum epistolae Rmi P. Secretarii, ita ut piaculum putemus ab ea recedere.

ADDITIO AD FINEM APPEND. XXXII

Tom. 2. pag. 53-60.

Hac in Appendice absolvimus commentaria in excommunicationes Episcopis reservatas.

Porro animadvertere obliti fuimus quod [illegible] iusmodi excommunicationibus Urbis Confessarii possunt in Urbe eiusque territorio poenitentes absolvere.

De re decretum Supremae Inquisitionis habemus in *Actis S. Sedis Tom. IX. pag. 61.*

DECRETUM

« Cum nuper inter Theologos » Urbis exorta fuerit quaestio, » utrum scilicet reservatio casuum » facta Episcopis, seu locorum Or- » dinariis a Constitutione *Apostolicae* » *Sedis moderationi* die 12 Octo- » bris 1869 comprehendat etiam » Cardinalem Urbis Vicarium pro- » tempore, ita ut Confessarii tene- » antur facultatem ab ipso obtinere » pro validitate absolutionis, quam- » vis hactenus in usu fuerit iuris- » dictionem memoratis Confessariis » haud cohibere quoad casus a iure » Episcopis et Ordinariis locorum » reservatos, Emus, ac Rmus Car- » dinalis Constantinus Patrizi mo- » dernus Urbis Vicarius pro sua » spectata prudentia litteris diei 15 » Octobris labentis anni, expositis » hinc inde eorumdem Theologorum » opinionibus cum rationum mo- » mentis, quibus innituntur, eius- » modi controversiam examinandam » proposuit S. Congregationi Su- » premae Inquisitionis, hac roga- » tionis formula.

» An in vim Constitutionis *Apo-* » *stolicae Sedis moderationi* die 12 » Octobris 1869 Confessarii Urbis » speciali facultate Rmi Urbis Vi- » carii indigeant ut absolvant a cen- » suris quae in dicta Constitutione » Episcopis seu locorum Ordinariis » reservantur? »

Feria IV die 1 Decembris 1875.

« In Congregatione generali S. Ro- » manae et Universalis Inquisitionis

» habita coram Emis ac Rmis DD. S. » R. E. Cardinalibus Inquisitoribus, » proposito suprascripto dubio, et » praehabito voto DD. Consultorum, » iidem Emi ac Rmi DD. dixerunt: » Ad R. P. D. Adsessorem cum » SSmo, ut attentis omnibus declarare dignetur posse servari solitum. »

Eadem die ac Feria

« SSmus D. N. D. Pius Divina » Providentia PP. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, audita relatione, ut supra, » suffragia DD. Eminentissimorum » adprobare dignatus est. »

S. Pelami Rom. et univ. Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Signi.

EMENDATIO INSTITUENDA IN ADDITIONE AD APPEND. XI.

Tom. II, pag. 607.

Hoc in loco retulimus Epistolam Emi Card. Monaco, qua Episcopos monebat quod formula *non expedire* adhibita a S. Poenitentiaria relate ad suffragium ferendum in politicis electionibus, aequipolleret *prohibitioni,* prout a Suprema Inquisitione declaratum fuerat.

Commentarium nostrum in illam Epistolam, a legitima Ecclesiae auctoritate reprehensum et ideo reprobatum fuit, utpote menti S. Sedis haud respondens; ideoque nos pariter lubenti animo, dictum Commentarium penitus reprobamus.

Atque eiusmodi documento hisce emendationibus et Commentariis nostris ad unicam Dei gloriam finem imponimus.

Benevolos lectores nostros autem humiliter et enixis precibus rogamus, ut si quid minus veritati conforme in eis scriptum reperiant, nos pro sua animi humanitate monere dignentur.

Romae mense Junio 1888.

INDEX ANALYTICUS

TOMI II.

PARS III.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE

APPENDIX XXXI.

De excommunicatione lata in Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes.

Textus Capitis. . . . . *pag.* 5

Differentiae inter excommunicationes Episcopis de iure communi reservatas et eas quae de iure particulari eis reservatae sunt . . 5

Constitutio Clementis V in Concilio Viennensi 6

Conditiones requisitae ad incurrendam hanc excommunicationem. 7

Excommunicationem non contrahunt Clerici invalide ordinati, et Religiosi si eorum professio nulla fuerit. 8

Et neque si cum impubere contrahant. 9

An incurrant excommunicationem Clerici vel Religiosi qui matrimonium nullum contrahunt ex alio capite, ex. gr. consanguinitatis etc. . . . . *pag.* 10

Illam certe incurrunt, quamvis matrimonium civile contrahere praesumant in locis ubi lex Tridentina de Clandestinitate viget. 21

Variae quaestiones 23

APPENDIX XXXII.

De Excommunicatione illata in procurantes abortum effectu sequuto.

Textus Constitutionis Pianae. 27

Constitutio Xisti Papae V. . . 27

Collatio Piani Capitis cum Xisti Constitutione. 33

Definitio abortus 34

Qui sint procurantes abortum. 34

An mandantes hanc incurrant excommunicationem ? 36

An mulier praegnans ? 39

Conditiones necessariae ad excommunicationem incurrendam 45

Quid relate ad irregularitatem? 49
An et quando licitum sit abortum procurare..... 51

APPENDIX XXXIII.

De Excommunicatione in eos lata qui scienter utuntur literis Apostolicis falsis, et ea in re crimini cooperantur.

Decreta Innocentii III..... 54
Textus Pianae Constitutionis . 54
Differentiae antiquum inter et novum ius..... 55
Criminis huius natura 56
Personae quae excommunicatione percelluntur 58
Excommunicatio incurritur non sequuto effectu..... 59
Qui primum falsat litteras apostolicas, et postea iis utitur, duplicem incurrit excommunicationem... 60

PARS IV.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATIS.

APPENDIX XXXIV.

De excommunicatione lata in mandantes seu cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios, et nominatim excommunicatos vel interdictos.

Quantum ad essentiam attinet nulla intercedit differentia inter censuras reservatas et non reservatas..... 61
Textus Piani Capitis..... 61
Lex Alexandri IV, et Clementis V RR. PP..... 64
Excommunicatio incurritur ob sepulturam haereticorum qui notorii sint..... 65
Mandantes ii sunt qui potestatem habent, et de vi publica disponere possunt..... 65
Qui sint cogentes..... 66
Excommunicatio haec incurritur effectu sequuto..... 67
Sepultura tripliciter sumitur . 67
Ut sepultura sacra habeatur requiritur Episcopi benedictio... 71
Qui prohibeantur sepultura ecclesiastica..... 79
Ad notorietatem haeresis non requiri Indicis sententiam..... 81
Apostatae non veniunt sub haereticorum nomine..... 83
Neque schismatici..... 87
An interdictae nominatim censendae sint personae ad aliquod corpus morale pertinentes?.... 88
Quaenam requiratur scientia in mandantibus et cogentibus, ut praesentem excommunicationem incurrant?..... 94

APPENDIX XXXV.

De excommunicatione lata in laedentes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii..... 97

Constitutio Lucii Rom. Pontificis 98
Constitutio S. Pii V..... 101
Textus Piani Capitis..... 103
Laedentes intelliguntur ii qui inferunt laesiones in personas . 104

Quinam perterrefacientes, Inquisitores, Denunciantes, diripientes aut comburentes scripturas. . . 106
Scripturarum nomine veniunt etiam libri typis impressi 107
Quando diripientes aut comburentes excommunicationem incurrant 108
In delinquentibus huiusmodi requiritur scientia 113

APPENDIX XXXVI.

De excommunicatione lata contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis Ambitiosae.

Quae sint bona ecclesiastica . 113
Canones Apostolici 114
Constitutio *Ambitiosae* 115
Textus Pianus 116
Vis Constitutionis *Ambitiosae.* 117
Decretum S. Officii. 119
Quaenam actiones huic excommunicationi subiiciantur. 120
Quaenam personae 141
Quaenam conditiones requirantur ad illam incurrendam. 144

APPENDIX XXXVII.

De excommunicatione lata in negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare Confessarios vel Sacerdotes, a quibus ad turpia sollicitati fuere.

Textus Pianae Constitutionis . 155
Constitutio Gregorii XV. 155
Constitutio *Sacramentum Poenitentiae* lata a Benedicto XIV. . 157
Quinam teneantur denunciare Confessarios sollicitantes 161
In quibus casibus 173
Quomodo denunciatio facienda. 193
Differentia inter Confessionale et locum ad audiendas confessiones destinatum. 203

PARS V.

APPENDIX XXXVIII.

De excommunicationibus Tridentinis a Rom. Pontifice Pio IX in Constit. Apostolicae Sedis *renovatis et confirmatis.*

Textus Constitutionis 220
Censurae Tridentinae quae vigent sunt directe latae 220
Quae sint. 222
De excommunicatione lata in eos qui sine Ordinarii faculate imprimunt aut imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes 225
Libri de rebus sacris tractantes quinam censeri debeant 225
Decretum S. Officii 229
Differentiae inter Tridentinum Caput, et Caput Pianae Constitutionis, et quinam hanc excommunicationem incurrant 230
Per summa capita recensentur excommunicationes ceterae a Concilio Tridentino directe latae. . 236

De excommunicatione a Tridentini: Patribus lata in eos qui docent, in peccato mortali existentes non teneri sacramentalem confessionem praemittere sive Eucharistiae perceptioni, sive missae celebrationi.

Tridentinum Caput..... 238
Quatuor actiones excommunicatione percelluntur..... 239
Cardinalis Caietani opinio... 240
Ad excommunicationem hanc incurrendam oportet ut contraria doctrina e diametro opponatur Tridentinae definitioni..... 241

De excommunicatione lata a Patribus Tridentinis tum in negantes matrimonia invalida esse quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, tum in affirmantes matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita nulla esse.

Quid sit matrimonium clandestinum..... 243
Caput Tridentinum, et quando obligare coeperit..... 243
Quinam excommunicationi subdantur..... 243
Contractus a Sacramento non distinguitur..... 244
Encyclica Leonis XIII..... 244
De matrimoniis filiorum familias..... 245

De excommunicatione lata a Concilio Tridentino in raptores mulierum, eorumque complices.

Caput Tridentinum..... 246
Substantia raptus in quo consistat..... 246
Violentia physica et moralis, fraudes..... 247
Non incurrit excommunicationem qui rapit virum..... 250
Neque qui foeminam abducit. 250
Neque qui vim inferunt puellae parentibus..... 253
Neque qui seductionem adhibent..... 254
Alii casus..... 254
Cooperantes..... 256

De excommunicatione a Tridentinis Patribus lata in eos qui servos et subditos invitos ad matrimonia ineunda compellunt.

Textus Concilii Tridentini.. 257
Quaenam personae huic excommunicationi subdantur..... 258
Quaenam actio, et quibusnam conditionibus vestita..... 261

Excommunicantur magistratus saeculares auxilium denegantes ad restituendam clausuram sanctimonialium.

Caput Tridentinum..... 264
Agitur de clausura stricto sensu accepta seu papali..... 264
Excommunicantur uni magistratus, non supremi imperantes. 265

Excommunicantur cogentes mulieres quascumque invitas ad ingrediendum monasterium.

Lex Tridentina..... 266

Triplex personarum classis excommunicationi subditur 266
Et triplex actio 269
Agitur de coactione ad ingrediendum monasterium votorum solemnium 274
Casus excepti 275

De excommunicatione a Tridentinis Patribus in eos lata qui virginem aut aliam mulierem impediunt quominus velum accipiant, aut professionem religiosam emittant.

Tridentina lex 276
Quid acceptio veli, quid emissio voti 277
Excommunicationem non incurrunt qui impediunt ingressum in Monasterium 280
Varii casus 283
Conditiones 285
Non excommunicantur cooperantes 286

APPENDIX XXXIX.

De excommunicatione lata in Ecclesiasticos et Missionarios Indiarum Orientalium atque Americae mercaturam exercentes.

Constitutio Urbani VIII 288
Constitutio Clementis IX 289
Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide 292
Quaenam huius excommunicationis materia 293
Quinam eam incurrant 296
Censura haec non est reservata 300

APPENDIX XL.

Excommunicantur sive clerici, sive laici qui Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum bona, iurisdictiones, fructus etc. in proprios usus converterint vel usurpaverint.

Caput Tridentinum 303
Quinam hanc excommunicationem incurrant ..... 304 et 330
Ob quasnam actiones 316
Casus varii 318
De quibus bonis loquantur Patres Tridentini 325
Ad incurrendam excommunicationem requiritur praesumptio. 326
Declarationes Sacrae Poenitentiariae 327

PARS VI.

DE SUSPENSIONIBUS LATAE SENTENTIAE ROMANO PONTIFICI IN CONSTITUTIONE *Apostolicae Sedis* RESERVATIS.

APPENDIX XLI.

De suspensione in genere 333

APPENDIX XLII.

Suspensiones latae sententiae summo Pontifici reservatae.

De suspensione lata in Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum qui Episcopos vel Praelatos admittunt, antequam exhibeant litteras Apostolicas.

Lex a Pio IX lata 337
Lex Bonifacii VIII 338

Ad incurrendam suspensionem necessarium non est ut Episcopi sint consecrati.....339
Culpa ob quam incurritur..343
Quinam eam incurrant.....344
Quid haec censura complecta tur.....346

APPENDIX XLIII.

De suspensione lata in Ordinarios aliquem ordinantes absque titulo.

Caput Tridentinum.....353
Leges Alexandri XIII, Gregorii IX etc.....354
Lex a Pio IX lata.....357
Quandonam incurritur haec suspensio.....356
Quinam titulus.....357
Quinam hanc suspensionem incurrant.....361
Quamnam ob culpam.....363

APPENDIX XLIV.

De suspensione lata in ordinantes alienum subditum absque litteris dimissoriis eius Episcopi, aut proprium qui alibi tanto tempore commoratus sit, ut impedimentum aliquod ibi contrahere potuerit.

Lex Pii Papae IX.....365
Quot modis quis subditus est vel fieri potest.....366
Ratio originis.....366
Ratio domicilii.....368
Ratio beneficii.....369
Ratio familiaritatis.....370
Quinam hanc suspensionem incurrant.....371
Quanto tempore perduret..374
Quandonam incurratur.....375
Non incurritur per collationem primae clericalis tonsurae.....377
Quinam promoveri nequeant. 381

APPENDIX XLV.

De suspensione lata in ordinantes Clericum in aliqua simplici Congregatione viventem, aut nondum solemniter professum.

Caput Const. *Apostolicae Sedis*.....385
Constitutio S. Pii V.....385
Actio qua suspensiò incurritur.....387

APPENDIX XLVI.

De suspensione lata in religiosos eiectos extra religionem degentes.

Decretum Urbani VIII.....390
Lex Pii IX.....393
Duplex quaestio.....394
Quinam hanc suspensionem incurrant.....401

APPENDIX XLVII.

De suspensione R. Pontifici reservata, quam incurrunt ordinem recipientes ab excommunicato, suspenso, interdicto, vel ab haeretico et schismatico notorio.

Pianum Caput.....404
Differentiae ius antiquum inter et novum.....405

Quinam hanc suspensionem incurrant..... 407
Et quibus in casibus..... 411
Expenditur altera pars Capitis..... 413

APPENDIX XLVIII.

De suspensione lata in clericos saeculares exteros Romae commorantes, atque in Episcopos absque praescriptis conditionibus ipsos ordinantes.

Lex Pii Papae IX..... 417
Quaenam suspensionis causae, et quinam eam incurrant..... 417
Sub quibus conditionibus... 422

APPENDIX XLIX.

De suspensione lata in dignitates vel Canonicos Episcopali charactere insignitos, qui regimen Ecclesiae conferunt nominato a potestate laica, vel electo a Capitulo.

Lex Pii Papae IX..... 429
Triplex quaestio..... 430
Responsio ad 1. et 2. quaestionem (430) corrigenda ex iis quae diximus *pag.* 534.

APPENDIX L.

De suspensionibus Tridentinis. 432

APPENDIX LI.

Suspensione afficiuntur Episcopi, qui in aliena Dioecesi, sine Ordinarii licentia, Pontificalia exercent.

Caput Tridentinum..... 433
Qui sub Capite comprehendantur..... 433
Quae sint personae Ordinario subiectae..... 437
Episcoporum poenae..... 438

Suspenduntur Clerici non arctati qui, Sede vacante, a Capitulo literas infra annum obtinent, atque ita aliquem maiorem Ordinem suscipiunt.

Lex Tridentina..... 438
Lex applicanda Vicariis Capitularibus et Capitulis Cathedralium..... 439
Qui sint Clerici arctati..... 440
Prima tonsura sub lege non concluditur..... 441
Animadvertenda..... 443

Suspensione afficiuntur Episcopi titulares qui in aliquo loco commorantes alienum subditum ordinent absque proprii Praelati dimissoriis Epistolis; tum alieni subditi qui Ordines recipiunt.

Tridentini Concilii lex..... 444
Uni titulares Episcopi suspensione afficiuntur, neque eos excusat praetextus familiaritatis... 445
Non possunt conferre neque primam clericalem tonsuram.... 446
Requiritur praesumptio.... 447
Haec suspensio est reservata Summo Pontifici..... 449

Suspensione percelluntur tum Ordinantes alienum subditum, tum clerici Ordinati.

Lex Tridentina..... 452

In ea duplex prohibitio continetur. 453
Regulares ordinandi sunt ab Episcopo in cuius Dioecesi est Monasterium 454
Duplex quaestio 458
Quando cesset suspensio ... 459

Suspensione afficiuntur Abbates quicumque qui conferant primam Tonsuram, vel ordines minores cuiquam qui regularis subditus non sit.

Caput Tridentinum..... 460
Quaenam sint inferiorum praelatorum species..... 461
Quinam hanc suspensionem incurrant 461
Abbates regulares nequeunt tonsuram et minores ordines conferre alienis subditis sive saecularibus, sive regularibus quamvis deferant dimissorias suorum Ordinariorum 464
Nova Decreta super statu regularium 465

Eadem suspensione afficiuntur qui loco Capituli in iurisdictione Episcopi succedunt, Sede vacante, si decretum transgrediantur.

Caput Tridentinum 468
Qui succedant in iurisdictione Episcopi, Sede vacante 468
Vicarius Capitularis interdictum potius quam suspensionem incurrit..... 469
Suspensio incurritur effectu ordinationis sequuto..... 470

Suspensione afficiuntur promoti per saltum.

Decretum Tridentinum..... 472
An adhuc suspensio vigeat? 472
Quid sit ordinatio per saltum 477
Quamdiu poena perduret... 478

Suspensione plectuntur Parochi aliique Sacerdotes sive saeculares sive regulares qui matrimonio iungant alienae Paroeciae sponsos sine proprii Parochi licentia.

Caput Tridentinum..... 479
Quinam suspensionem incurrant 479
Quandonam incurrant..... 481
Qui veniant hoc in loco Parochi nomine 482
Licentia..... 483
An sufficiat tacita..... 483
Necessaria etiam ad benedictionem nuptialem..... 485
An incurratur duplex suspensio 485
Suspensio incurritur iis tantum in locis ubi Decretum *Tametsi* receptum est..... 487
Religiosi non incurrunt excommunicationem a Clemente V in Concilio Viennensi latam..... 487

Suspensione afficiuntur Episcopi concubinarii.

Caput Tridentinum..... 489
Quid concubinatus..... 491
Quandonam Episcopi hanc poenam incurrant..... 491

Suspensione ab officio afficiuntur Sanctimonialium Praefectae, ni ante mensem Episcopum moneant ut exploret voluntatem puellae quae habitum suscipere, vel professionem emittere debet.

Lex Tridentina non continet censuram sed poenam..... 493
Episcopus bis debet explorare puellae voluntatem..... 493
Lege non tenentur sanctimoniales votorum simplicium..... 494
Tenentur sanctimoniales exemptae..... 495

PARS VII.

DE INTERDICTIS LATAE SENTENTIAE IN CONSTITUTIONE *Apostolicae Sedis* ROMANO PONTIFICI *reservatis.*

APPENDIX LII.

De interdicto in genere.... 496

APPENDIX LIII.

Interdictum Rom. Pontifici specialiter reservatum incurrunt Universitates etc. appellantes ad futurum Concilium.

Lex Pii Papae IX..... 500
Qui interdictum incurrunt excommunicatione non tenentur. 501
Quid Universitas, Collegium, Capitulum..... 502
Qui hoc interdicto non tenentur..... 503
Sententia cl. Fr. Piat..... 506
Excipiuntur Episcopi nisi exprimantur; infantes et amentes.. 507

APPENDIX LIV.

De Interdicto lato in celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia vel ecclesiasticam sepulturam admittentes.

Lex Pii IX et Bonifacii Octavi. 509
Quinam primum interdictum incurrant..... 511
Ob quasnam actiones, et qua conditione..... 512
Quinam alterum incurrant.. 512
Qui sint nominatim excommunicati..... 515
Quomodo tollatur eiusmodi interdictum..... 516

APPENDIX LV.

De Interdictis a Concilio Tridentino latis.

Interdictum contra Episcopos qui non denunciant Episcopos illegitime absentes..... 517
Quando Episcopi ad denunciationem tenentur..... 518
Denunciandi sunt etiam Cardinales..... 519
Non tamen ii qui praesunt Ecclesiis suburbicariis..... 520
Quibus de causis possunt Dioecesi abesse Episcopi..... 521
Duae questiones..... 522

APPENDIX LVI.

De interdicto a Patribus Tridentinis lato Sess. VII, Cap. X, de Reform. contra Capitula quae infra annum a die vacationis Clericis non arctatis ordinandi licentiam, seu litteras dimissorias pro sacris Ordinibus suscipiendis concedant.

Textus Concilii Tridentini . . 525
Lex haec viget in locis ubi Concilium Tridentinum receptum est 525

De interdicto lato in Episcopos ad aliquod Ecclesiarum Capitulum pertinentes, qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo a Capitulo, aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu.

APPENDIX LVII.

Constitutio *Rom. Pontifex* . . 526
Quaenam actiones sint prohibitae 527
Ad incurrendas poenas quaenam requirantur 528
Tres quaestiones 528
Poenae illatae 532
Quinam illas incurrunt 532
Episc. incurrunt interdictum 535

APPENDIX LVIII.

Ex Constitutione Pii IX vigent censurae latae in particularia Instituta et loca 536
At quaenam 537
Censurae latae pro Romani Pontificis electione 538
Pro Monachis curias saecularium Principum adeuntibus alicuius procurandi mali causa propriis praelatis etc 543
Pro Monachis retinentibus arma infra septa Monasterii 544
Contra regulares utriusque sexus non servantes clausuram 544
Contra regularium superiores non denunciantes subditos haereticos 544
Quae particulares censurae cessaverint 546

APPENDIX LIX.

De facultatum aut privilegiorum absolvendi a censuris revocatione.

Textus Pianae Constitutionis. 549
Nemini intelligitur concessa facultas absolvendi a censuris R. Pontifici reservatis nisi de iis fiat explicita mentio. 551
Casus 552
Declaratio S. Poenitentiariae. 553
Ob absolutionem a censuris Romano Pontifici simpliciter reservatis non incurritur excommunicatio. 554

De facultate Episcopis facta absolvendi a censuris R. Pontifici simpliciter reservatis.

Textus Concilii Tridentini . 554
Qui veniant Episcopi nomine 555
Post Const. *Apostolicae Sedis*

rediit ad Episcopos facultas absolvendi ab occulto haeresis crimine.....556
Quando delictum est occultum.....558
Regulares possunt ab Episcopo absolvi.....564
Quaenam in Cap. *Liceat* censeatur *Dioecesis sua*.....565
Quinam sit Vicarius.....566
Quid Forum conscientiae...567
De clausulis Pianae Constitutionis.....571

ADDITIONES.

Additio ad appendicem III.

An excommunicationem incurrant scienter legentes Diaria vel Ephemerides haeresim propugnantes.....572
Duplex quaestio.....593

EMENDATIONES.

Emendatio in appendicem VI 596
Emendatio in append. VII . 602
Addenda ad append. IX . . . 602
Emendatio in appendicem X. 607
Additio ad appendicem XI. 607
Emendatio ad appendic. XV. 612
Emendatio in append. XVIII. 615
Additio ad appendicem XIX. 619
Alia additio ad append. III. 620
Additio ad appendicem XX. 621
Additio ad append. XXVI. . 622
Alia additio ad append. III. 623
Additio ad finem app. XXXII. 627
Retractatio Auctoris.....628
Index analyticus.....630

FINIS TOMI II. ET TOTIUS OPERIS.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

5700